This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

C
11108
61



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY



JURIS CANONICI

COMPENDIUM.

67

JURIS CANONICI

UNIVERSI,

PER FACILIOREM METHODUM AD VERAM PRAXIM SINCERE REDACTI,

COMPENDIUM

EX PROBATISSIMIS AUCTORIBUS CATHOLICIS,

AUCTORE

FRANCISCO L. M. MAUPIED,

MISSIONARIO APOSTOLICO, CANONICO HONORARIO REMENSI,

DOCTORE IN SACRA THEOLOGIA ET SACRIS CANONIBUS IN ALMA UNIVERSITATE ROMANA,
DOCTORE IN SCIENTIIS, ETC., IN ACADEMIA PARISINA;
OLIM PROFESSORE IN FACULTATE THEOLOGIÆ IN SORBONA; EX ACADEMIA
RELIGIONIS CATHOLICÆ ROMANA, ETC., ETC.;

ACCURANTE J.-P. MIGNE,
BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,
SIVE
CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS PRIMUS.

VENEUNT DUO VOLUMINA . (ANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER*
NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1861

C11198.61

ELENCHUS

VOLUMINIS PRIMI JURIS CANONICI.

Illustriss. ac Reverend. D. D. Renato SERGENT, Episcopo Corisopitensi et Leoniensi, Epistola nuncupatoria. *col.* 5

Præfatio ad Lectorem. 5

Juris Canonici universi, per faciliorem methodum ad veram praxim sincere redacti, Compendium ex probatissimis auctoribus Catholicis. 9

PARS PRIMA.

Prænotiones in Jus ecclesiasticum. 9

PARS SECUNDA. — DE ECCLESIA.

Lib. I. — De Jure Ecclesiæ constitutivo. 141

PARS TERTIA. — DE PERSONIS.

Lib. II. — De Papa et Curia Romana. 349

Lib. III. — De Episcopis et Curia episcopali. 445

Lib. IV. — De Capitulis, Capitularibus et Canonicis. 851

De Capitulo sede vacante. 1007

Lib. V. — De Seminariis, et ordinandis clericis. 1065

Lib. VI. — De Parochis, Rectoribus, Capellanis et parochialibus Vicariis. 1185

HARVARD UNIVERSITY LIBRARY JAN 10 1945

Parisiis. — Ex typis L. MIGNE.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

DOMINO RENATO SERGENT,

EPISCOPO CORISOPITENSI ET LEONIENSI, COMITI ROMANO, THRONO PONTIFICALI ASSISTENTI.

—

ILLUSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE,

Britanniæ minoris Ecclesiæ olim sanctas ecclesiasticas leges, et præsertim sacrosancti Tridentini concilii decreta etiam in lege parochiarum concursus usque ad luctuosum 1790 *annum fideliter observarunt. Hujusmodi auctoritatis amor, hæc erga Ecclesiæ leges obedientia, maxime in causa fuerunt fidei ac pietatis in Armorica præservatarum, sicut et ejusdem provinciæ inviolabilis erga S. Sedem affectus. Propterea adeo simpliciter faciliterque ad Romanam liturgiam sponte redierunt omnes Armoricæ diœceses. Inde etiam mira nostrorum juvenum impulsio ad sacra Sedis Apostolicæ jura cum certissimo vitæ discrimine tuenda; hinc unanime Cleri et Fidelium votum regrediendi in plenam SS. Canonum, divinæ libertatis, sanctarumque a civilibus potestatibus immunitatum Ecclesiæ observantiam. Tibi, Illustrissime ac Reverendissime Domine, idem est amor, tuo animo eadem vota; jam enim diœcesanas synodos celebrare cœpisti, sacram ad limina Apostolorum visitationem feliciter peregisti. Itaque* AMPLITUDINI TUÆ, *ipsa benignissime annuente, hocce novum* JURIS CANONICI UNIVERSI... COMPENDIUM *dedicando, illud in tua Reverendissima persona omnibus Armoricis Ecclesiis dedico.*

AMPLITUDINIS TUÆ

Observantissimus et addictissimus servus in Christo,

Dr F. L. M. MAUPIED.

Guingamp, 10 Martii 1861.

—

PRÆFATIO AD LECTOREM.

In gentibus, humanisque societatibus, revolutionum, calamitatum ac ruinarum causa inest in oblivione, contemnatione ac inobservantia legum naturalium, divinarum, humanarumque. Ex eadem causa procedunt Ecclesiæ calamitates, scandala, membrorum ejus defectiones, ruina fidei atque sanctissimæ religionis. Omnipotens Deus, per prophetas suos, vindictam iræ suæ ac reprobationem denuntiat pontificibus ac sacerdotibus, qui legem ejus spreverunt, præceptaque conculcaverunt. Legibus Dei et Ecclesiæ obedientia custos est fidei, pietatis, justitiæ, omniumque virtutum, estque etiam pacis ac felicitatis nationum fons uberrimus. Infallibilis est Ecclesia in suis fidei decretis, legibusque universalibus morum et disciplinæ; itaque has sanctissimas leges custodientes singuli hominum, rectores populorum, gentesque cum certitudine in viis veritatis ac æternæ justitiæ, quæ est prosperitatis et concordiæ radix unica, secure ambulant; dum e contra, quando civiles potestates, divinæ libertatis, atque sanctarum immunitatum Ecclesiæ violatores concitant populos ad rebellionem adversus Deum, quando ipsimet Ecclesiæ pastores ab ejusdem legibus deficiunt, tunc Omnipotentis ira exsurgit ad justitiam super populos eorumque rectores faciendam, juxta Prophetæ sermonem : *Tempus faciendi, Domine; quia dissipaverunt legem*

tuam. (*Psal.* CXVIII, 126.) Ecclesiæ, gentique Gallicæ salus tantummodo veniet ex pleno sinceroque regressu in observantiam omnium sacrarum Ecclesiæ legum, ab anno 1790 oblitarum et fere incognitarum. Liceat dicere hoc esse S. Sedis firmum judicium satis notum, cum in pluribus Encyclicis et multis apostolicæ Sedis actibus consignetur. Multa jam de jure canonico opera in his ultimis annis edita inaugurata sunt Ecclesiæ Gallicanæ regressum ad hanc fidelem obedientiam, quæ fuit ipsius longorum prosperitatis sæculorum gloria. Ut, pro posse humilitatis nostræ, huic tam optandæ incipienti resurrectioni auxiliemur, præsentem librum in lucem edimus. In ipsum librum concinnando, conati sumus omnibus ostendere suas obligationes, suaque jura, per sanctorum canonum et legum ecclesiasticarum expositionem methodicam, quæ singulis facilem redderet notitiam eorum ipsos concernentium. Itaque ut hujusmodi liber magis practicus fuisset, sub unoquoque titulo, sub unaquaque personarum, rerumque classe collegimus omnia quæ unamquamque respiciunt, quæque apud plerosque auctores inveniuntur sub diversorum titulorum multitudine sparsa. Unde in nostro libro evenerunt necessariæ repetitiones; talium autem repetitionum inconveniens debuit, nostro sensu, cedere commodo operis practici, omnibus tanquam manuale inservituri. Præterea hoc *Juris canonici universi Compendium* omnino elementarium relinquendo, adlaboravimus ut satis completum, satisque explicatum esset ad sufficiendum ipsum solum omnibus exigentiis et necessitatibus, sicque parceret alumnis, qui ipsummet in scholis legerint, expensas ingentium operum multorumque librorum quos emere nequeunt. Compendium nimis abbreviatum sæpius inutile est, nullamque practicam notitiam præbet. Opus est librorum qui ad scientiam practicam ducant, quique consequenter sint sufficienter explicati. Hunc scopum attingere voluimus.

In jure autem nec inventio nec imaginatio locum habent. Methodus est omnia. Propterea methodum faciliorem ponendo, consulto applicati sumus, ut omnium fiduciæ securitatem præberemus, nihil fere de nostro dicere; delegimus autem et sæpius transcripsimus meliores fontes, auctores apud sanctam Ecclesiam Romanam probatissimos. Hinc præ oculis et in manibus semper scribendo fuerunt : 1° Prosperi FAGNANI commentaria in quinque libros *Decretalium*, edit. Coloniæ Agrippinæ, an. 1681. — 2° Henrici PIRHING, e Societate Jesu, *Synopsis Pirhingiana*, seu *SS. Canonum doctrina*, ex fusioribus quinque libris, etc., edit. Romæ, typis sacræ Congregationis de Propaganda fide, an. 1849. — 3° R. P. Francisci SCHMALZGRUEBER, Societatis Jesu, *Jus ecclesiasticum universum*, etc., 12 vol. in 4°, edit. Romæ ex typographia rev. Cam. apostolicæ, an. 1845.— 4° Francisci MONACELLI *Formularium* legale practicum fori ecclesiastici, 4 vol. in fol°, editio tertia Romana, Romæ 1844, ex typographia reverendæ Cameræ apostolicæ. — 5° F. Lucii FERRARIS..... *Prompta Bibliotheca canonica, juridica, moralis, theologica*, etc., 8 vol. in 4° edit. Migne, Parisiis 1853. — 6° Joannis DEVOTI... episcopi primum Ananiensis, dein archiepiscopi Carthaginensis *Institutiones canonicæ* lib. IV, juxta editionem quartam Romanam, etc., editio quinta Gandensis, an. 1852. — 7° D. BOUIX, omnes tractatus hucusque editi, per quos de Ecclesia bene meruit. — 8° Joannis cardinalis SOGLIA, *Institutiones juris publici et privati ecclesiastici*, Paris. edit. secunda. — 9° *Institutiones juris canonici publici et privati*, etc., auctore R. de M., Parisiis 1853. — 10° *Conc. Trident.* Coloniæ Agrippinæ, an. 1754, cum *Remissionibus* BARBOSÆ, *Additionibus* ANDREÆ, et *Adnotationibus practicis* cardinalis DE LUCA;— 11° Benedicti XIV Opera;—plurimique alii, et multi a præcedentibus citati. Igitur securam et sinceram in Ecclesia Romana probatam doctrinam potius transcripsimus quam concinnavimus, ea præcisa mente ut fiduciam haberent Lectores non in nostro judicio, sed in auctoritate tam probatorum doctorum.

Cum tamen, invita Ecclesiæ inserviendi mera nostra intentione, errare forte potuerimus, hoc nostrum opus, nostrosque sensus omnes et quascunque nostras opinationes S. Sedis apostolicæ infallibili judicio humillime subjicimus, quoscunque errores tam in præsenti libro quam in aliis a nobis editis forsan repertas rejicere et damnare semper parati.

Dr F. L. M. MAUPIED.

Guingamp, 10 Martii 1861.

JURIS CANONICI

UNIVERSI,

PER FACILIOREM METHODUM AD VERAM PRAXIM SINCERE REDACTI,

COMPENDIUM

EX PROBATISSIMIS AUCTORIBUS CATHOLICIS.

PARS PRIMA

COMPLECTENS

PRÆNOTIONES IN JUS ECCLESIASTICUM.

CAPUT PRIMUM.

De jure generatim.

§ I. — De juris nomine.

Inter multiplices doctorum opiniones de juris nomine, verisimilius dictum volunt a *jussu* seu jubendo ; nam jura sive leges a priscis dicebantur *jussa :* ut adeo jus sit id, quod vel Deus, vel natura, vel princeps, vel populus, vel civitas, vel consuetudo jubet.

Jus nomen primitivum est melius quam derivatum ; « videtur enim *juris* vocabulum esse simplicius *justo* et *justitia*, simulque jus, utpote objectum justitiæ, ipsa justitia antiquius est; igitur non jus a justitia, jussu, aut justo, sed potius justitia, et jussus a jure, secundum ipsius etiam grammaticæ leges, derivatur.» (Schmalzgrueber, *Jus eccles. univers. Dissert. procem.* § I, 1, 2.)

§ II.—Quotuplici significatione *juris* nomen accipiatur, et quo sensu hic eam vocem accipiamus.

1. Significat idem, quod justum, rationis naturalis dictamini, divinæque et humanæ legi consentaneum, et æquum est.

2. Accipitur pro ipsa sententia judicis, et pro ipso loco, in quo jus redditur et judicia aguntur.

3. Denotat moralem facultatem aliquid agendi, vel omittendi, aut obligandi alterum ad aliquid dandum, faciendum aut omittendum : ita ut violatio talis potestatis sit injuria trahens onus restituendi, quo sensu jus est quasi radix, seu fundamentum juris accepti pro æquo alteri debito.

4. Passim *juris* nomine venit jurisprudentia, sive scientia jurium, id est, legum et canonum.

5. Denique, et præcipue ad præsens propositum, juris nomen aliquando significat legem, vel canonem sive regulam justi, seu

legum complexionem. Sic dicitur corpus *juris canonici*, id est collectio legum ecclesiasticarum ; corpus *juris civilis*, id est collectio legum civilium ; *jus naturale*, id est collectio legum naturalium ; et hunc ultimum sensum hic accipere intendimus, loquendo tum de jure in genere, tum de diversis juris speciebus.

§ III. — De *justitiæ* nomine.

Justitia sic dicta, quod jus sistat ac statuat, non minus quam ipsum jus varie apud doctores accipitur.

1. Sumitur pro lege : ***scitis, quod docuerim praecepta atque justitias.*** (*Deut.* IV, 5.)

2. Pro observantia legis.

3. Pro habitu gratiæ sanctificantis, quo homo efficitur Deo gratus et justus, prout sæpe sumitur in SS. Litteris, et Tridentino passim, præsertim vero sess. VI, c. 7, *De reform.*

4. Pro collectione omnium virtutum.

5. Pro cujuslibet virtutis habitu, vel actu : ***attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.*** (*Matth.* VI, 1.)

6. Pro omni et sola virtute quæ est ad alterum, aliquomodo distinctum sive realiter sive juris fictione ab operante, ut ei suum quoddam jus tribuat : qua ratione complectitur non solum quatuor species justitiæ stricte sumptæ ; sed etiam misericordiam, pietatem, gratitudinem, religionem, liberalitatem, munificentiam et obedientiam.

7. Denique stricte sumitur pro justitia particulari, seu speciali virtute morali, quæ tanquam virtus cardinalis annumeratur prudentiæ, temperantiæ et fortitudini. In hoc sensu accepta

§ IV. — De *justitiæ* definitione et speciebus.

Justitia definitur ab Ulpiano, quod sit ***constans, et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.*** Consonant sanctus Thomas, sanctus Ambrosius, sanctus Augustinus, et passim theologi et jurisconsulti, ob quorum auctoritatem etiam sustineri potest, licet ad rigorem logicum non sit adeo exacta.

Justitiæ sic definitæ quatuor ordinarie assignantur species :

1. ***Justitia commutativa***, quæ antonomastice justitia est, dicitur illa, quæ exercetur in contractibus et in commutationibus, respicitque medium arithmeticum, et bonum particulare uniuscujusque civis ; et ideo dicitur ordinare in communitate cives ad invicem, ut quilibet servet jus alterius ad æqualitatem perfectam et arithmeticam.

Sunt autem duplicis generis ***commutationes***, et inde ortæ obligationes. Aliæ ***voluntariæ***, quæ mutuo consensu partium fiunt, v. gr. per contractum emptionis, venditionis. Aliæ sunt commutationes ***involuntariæ***, quæ ex delicto, seu damno injuste illato oriuntur.

2. ***Justitia distributiva*** « ordinat communitatem ad cives, quippe quæ distribuit inter cives bona communia, reipublicæ honores et onera, juxta proportionem meritorum, facultatum et virium. Hanc exercere est solius principis, seu gubernatoris aut delegati. Ex ista obligatur episcopus et quivis alius collator beneficiorum ecclesiasticorum, ut ista conferat clericis pro cujusque statu et meritis, ita ut dignitates et beneficia majora conferantur iis qui in Ecclesia digniores et aptiores reperiuntur. (SCHMALZ. *loc. cit.* § I, n. 13.) » Differt autem aliquo modo a justitia particulari stricte accepta ; nam 1° non est omnino ad alterum, sive ad personam adæquate distinctam, sed est totius reipublicæ ad partem, seu membrum illius ; 2° justitia distributiva non continet proprie et stricte debitum, sicut justitia commutativa ; nam clericus qui dignior est, vel alius in republica, ante distributionem bonorum, honorum, etc., non habet jus stricte dictum ad ea bona, sed habet solummodo titulum decentiæ, quod ea bona sibi conferantur : et hinc violator justitiæ distributivæ dicitur ***acceptor personarum***, et non nisi large injustus, neque ad restitutionem tenetur ; 3° denique justitia distributiva non constituit æqualitatem perfectam et arithmeticam, sed observat duntaxat æqualitatem geometricam et proportionalem inter status seu dignitates et merita personarum.

3. ***Justitia legalis*** ordinat cives ad communitatem. Dicitur quoque ***justitia generalis*** ; quia spectat bonum generale et commune, propter quod leges conditæ sunt. Differt a ***justitia commutativa*** ; quia non respicit per se primo jus strictum uniuscujusque : et hinc legum transgressores, bonum commune negligentes, ad restitutionem non obligantur.

4. ***Justitia vindicativa*** denique ordinat cives ad communitatem, procurando bonum commune per inflictionem pœnæ commeritæ. Inclinat enim ad puniendum delicta, pœnam condignam pro gravitate delicti infligendo,

ne nimirum nimia remissione libertas peccandi crescat, aut contra pœnarum severitas culpæ mensuram excedat. Neque ipsa respicit jus stricto dictum, ordinatum ad bonum particulare, et ad utilitatem habentis illud; nam neque malefactor per delictum suum dicitur acquirere jus ad pœnam, sed potius contrahere debitum pœnæ: neque superior habet jus puniendi in bonum proprium, sed in bonum communitatis; atque adeo habet jus puniendi ex jure jurisdictionis, non vero proprietatis.

§ V. — Quotuplex sit jus generatim.

Duas tantum juris acceptiones hic consideramus, 1° jus jurisdictionis, et 2° jus pro lege acceptum.

1. Jus jurisdictionis, aliud est *Divinum et increatum* quod est absolutissimum, et omni ex parte perfectissimum; aliud *humanum* sive *creatum*: quod dividitur in *ecclesiasticum* et *politicum*, seu *temporale*. *Illud* versatur circa causas, ad Dei cultum, et spiritualem animarum salutem pertinentes; *posterius* circa causas sæculares et profanas, et temporalem reipublicæ gubernationem proxime respicit. Utrumque subdividitur: 1° In jurisdictionem *ordinariam* et *delegatam*. 2° In jurisdictionem *fori externi*, et ista quidem in *voluntariam* et *contentiosam*. 3° In *personalem* et *realem* seu *territorialem*. 4° In *imperium* et *jurisdictionem simplicem*; imperium vero in *merum* et *mistum*.

2. Jus pro lege acceptum dividitur in *jus naturale*, et *positivum*. Positivum vero subdividitur in *jus positivum divinum* et *humanum*; humanum denique subdividitur in *jus gentium*, *civile* et *canonicum*.

Jus naturale idem est ac jus æternum, a quo distinguitur a quibusdam auctoribus; sed distinctio hæc non videtur regulis rectæ partitionis consentanea, nam quæcunque sunt de jure naturali, sunt etiam de jure æterno, utpote actu mentis et voluntatis divinæ statuta; et vicissim multa quæ Deus judicat et jubet ab hominibus facienda, innotescunt homini per lumen rationis congenitum.

Quomodo autem inter se differant, ex tradita de eorum ratione facile colligitur.

1. Jus naturale invariabile est, ex intrinseca ratione et exigentia objecti proveniens; jus autem positivum variabile ex libera voluntate legislatoris juxta diversam temporum, locorum, personarum, aliarumque circumstantiarum exigentiam, pro communi utilitate diversas et speciales leges statuentis dimanans: quæ jure naturali sunt prohibita, ideo prohibita sunt, quia ex se mala; quæ autem jure positivo prohibentur, ideo sunt mala, quia prohibita; notandum autem est omne jus naturale esse simul et divinum, sed non e contra; cum dentur leges divinæ positivæ.

2. Jus positivum divinum profluit a libera voluntate Dei, homines ad supremum finem suaviter dirigentis: ideoque leges naturales declarat, promulgat, et sic quatenus a se declaratas facit simul aliquo sensu positivas.

3. « Jus ecclesiasticum proprie dictum non constaret nisi legibus positivis Ecclesiæ auctoritate latis. Ecclesia tamen non tantum leges positivas ex seipsa fert, sed et leges tum naturales, tum etiam divinas positivas declarat, promulgat, urget, et sic quatenus a se declaratas facit simul aliquo sensu ecclesiasticas. Hinc codices juris ecclesiastici multa continent decreta juris tum naturalis tum positivi, ad quæ jurisprudentia canonica extendi merito reputatur. »

4. « Jus gentium vocari solet quo omnes vel ferme omnes gentes utuntur. »

5. « Jus civile stricte sumptum constat legibus positivis in bonum temporale civium alicujus reipublicæ, auctoritate civili hujus reipublicæ constitutis. »

« Sed quemadmodum et in jure ecclesiastico, ita et in codicibus civilibus multa sunt quæ ad jus divinum tum naturale sive immutabile, tum positivum et variabile pertinent; quæ tamen lege civili simul proponuntur et exiguntur, et quæ velut fundamentum totius legislationis civilis, atque adeo ipsius pars haberi possunt. » (Bouix, *De principiis jur. can.* p. 7.)

CAPUT II.

De primario juris cujuscunque fundamento.

Cujuslibet juris fundamentum idem est ac obligationum omnium radix seu primaria ratio.

Obligatio autem duplex distinguitur: alia sub pœna tantum, alia sub culpa. Prior est necessitas homini incumbens tali modo agendi, si velit vitare pœnam; non est obligatio in proprio sensu, cum liberum sit homini eligere pœnam potius quam sese obligationi subjicere. Posterior, quæ est obligatio proprie dicta, est necessitas tali modo agendi ad vitandum malum morale

seu peccatum. De obligationibus sub culpa hic agimus.

Prætermittentes diversos errores circa fundamentum juris in hodiernis scholis civilibus obortos, statim devenimus ad principia quædam quorum ope deveniri possit ad primarium obligationum et juris cujuscunque fundamentum ;

1° *Homo in quolibet actu suo sibi proponit attingendum finem aliquem ultimum;* nam sicut omnis actus humanus habet objectum ad quod tendit, habet etiam hoc ipso finem. Si finem ad quem tendit, homo vult propter ipsum, finis immediate intentus erit simul finis *ultimus*, in quo obtento quiescit, actionem suam et tendentiam terminat et ultimatim finit. Si vult finem tanquam medium ad obtinendum aliud, tunc istud aliud est finis ultimus intentus.

2. *Finis ultimus, ad quem homo necessario tendit quolibet actu suo, est bonum plenum seu infinitum.* Etenim bonum quod homo in aliqua re putat adesse, est tota ratio ob quam potest rem illam velle et ad obtinendam eam agere ; aliter nihilum vellet, quod est inconveniens. Unde vult bonum limitatum propter bonum quod continet, non propter bonum quod non continet seu propter limites. Ergo, ut optime concludit Bouix (tract. *De principiis*, p. 14), voluntas hominis est essentialiter et permanenter voluntas boni quatenus talis, seu boni absque limitibus, seu boni pleni, summi, absoluti, infiniti, quo tantum expleri potest.

3. *Potest homo bonum plenum seu perfectum supponere et quærere in rebus creatis;* unde fluunt omnes illius errores et miseriæ.

4. *Incumbit homini proprie dicta obligatio tendendi ad Deum tanquam finem ultimum.* « *Probatur* 1° *ex verbis Christi : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, etc., *hoc est primum et maximum mandatum.* (*Matth.* XXII, 37.) Verba illa exprimunt obligationem Deum amandi super omnia : ergo tenetur homo Deum omnibus anteponere tanquam finem ultimum. »

« Probatur 2° Homo quærens bonum summum extra Deum, vult hoc ipso bonum summum seu infinitum esse alibi quam in Deo ; ergo hoc ipso vult Deum non esse bonum summum seu infinitum ; ergo tendit ad Dei destructionem seu annihilationem ; quæ tendentia adeo est ex natura sua inordinata et bono opposita, ut nisi dicatur peccatum et malum morale, nihil peccaminosum seu culpabile vocari poterit. »

« Item per hanc tendentiam homo deficit a bono summo, cum illud quærat ubi non est, nempe in rebus creatis ; ergo tendit ad sese perpetuo privandum bono pleno et infinito, quo tamen ex essentia sua omnino indiget in æternumque indigebit; ergo tendit ad sese constituendum in statu summe misero et summe deordinato, in damno scilicet summi boni semper appetiti et nunquam possidendi. Porro, et ex hac parte prædicta tendentia est natura sua malum et deordinatio, et culpa seu vitium. Ergo ad vitandum summum malum et peccatum, incumbit homini proprie dicta et rigorosa necessitas tendendi ad Deum tanquam finem ultimum. »

5. « *Prædicta obligatio tendendi ad Deum tanquam finem ultimum est omnium obligationum et juris cujusque fundamentum.* « Posita enim prædicta obligatione, tenetur homo amare super omnia Deum cum divinis ipsius voluntatibus tum essentialibus, tum accidentalibus. Porro voluntates divinæ essentiales seu necessariæ constituunt jus naturale seu jus divinum essentiale ; et voluntates seu leges divinæ accidentales constituunt jus divinum positivum ; ergo posita primaria obligatione tendendi ad Deum tanquam finem ultimum, ligatur homo omnibus legibus seu obligationibus tum juris naturalis, tum juris divini positivi. »

« Insuper vult Deus ut societates humanæ auctoritate regantur, et leges justæ ab auctoritate humana latæ observentur ; ergo ligatur etiam homo jure humano tum ecclesiastico, tum civili. »

« Et sic solidissime fundatur omne jus sive naturale, sive divinum positivum, sive humanum ecclesiasticum, sive quod dicitur jus gentium, sive etiam jus civile, sive jus paternum, sive jus matrimoniale et quodcunque aliud. Culpabilis enim concipitur homo legibus seu obligationibus, ab istis omnibus juribus constitutis, resistens, quia hoc ipso resistit Dei voluntati, et deficit a Deo tanquam fine ultimo. » (Bouix, *De princip. jur. can.*, p. 16-17.)

Unde his omnibus juribus homo ligatur summo bono, quod est Deus, cui omnia debet, quia ab eo omnia accepit et recipiet. Proindeque omnia jura constituunt justitiam et debent esse justa : atqui jus naturale et

jus divinum positivum sunt essentialiter justa, cum immediate fluant a summa justitia ipsa. Jus ecclesiasticum generale est etiam necessario justum cum legislator ecclesiasticus diviniter infallibilis sit in regimine generali Ecclesiæ. Sed jura humana alia, tum jus gentium, tum jus civile, tum jus ecclesiasticum particulare possunt a justitia declinare, et non possunt esse justa nisi in quantum concordent cum jure naturali, cum jure positivo divino et jure ecclesiastico generali, aut saltem non illis sint contraria. Priora posterioribus subordinantur et nunquam, auctoritatis defectu, illa abrogare nec super illis dispensare possunt.

CAPUT III.

De jure naturali.

1. Nostro judicio optime plures canonistæ jus, seu legem naturalem definiunt, quod sit ordinatio rationis, per sapientiam divinam facta, et per lumen rationis à Deo omnibus manifestata, præcipiens ea, quæ rectæ rationi sunt consentanea; contraria prohibens, permittens indifferentia. (Ita Schmalzgrueber *Dissert. proœm.* § II, n. 54.)

2. Jus naturale complectitur omnia præcepta, seu principia moralia, quæ evidentem habent honestatem necessariam ad rectitudinem morum, ita ut opposita moralem inordinationem seu malitiam evidenter contineant. Hoc ipso, quod illa principia spectent ad legem naturalem, ad eam spectabunt etiam conclusiones ex istis evidenter deductæ; nam veritas principii continetur in conclusione, et qui unum præcipit, vel prohibet, necessario præcipit, vel prohibet id quod continetur in illo, et sine quo illud non potest subsistere.

3. Ad dignoscendum quod aliquid sit objectum juris naturalis, canonistæ hanc ponunt regulam; 1° id omne, spectato naturæ jure, esse licitum, quod simpliciter expedit esse licitum ad felicem naturæ humanæ statum; 2° illud esse obligatorium, eodem jure naturali spectato, quod in ordine ad eumdem finem simpliciter expedit esse præceptum, vel prohibitum; 3° illud jure naturæ esse graviter, vel leviter prohibitum, quod pro humani generis beata conditione simpliciter expedit esse graviter, vel leviter prohibitum.

Porro ad cognoscendum quid simpliciter ad felicem naturæ humanæ statum expediat esse licitum, præceptum, aut prohibitum, considerandum dicunt, quid singuli homines, in statu impossibilitatis positi, et adhuc incerti de sua exsistentia, deque suis casibus fortuitis, censuissent conducere ad tranquillitatem, et bonum statum reipublicæ humanæ, si de hoc ab auctore naturæ interrogati jussi fuissent suffragium ferre; nam id simpliciter expedire, ut licitum, præceptum, vel prohibitum sit, censendum est quod ita interrogati censuissent sic expedire. *Ratio est*, quia suffragium hoc non aliunde processisset, quam ex ipso naturæ lumine, quod cum inditum sit ab ipso auctore naturæ, hoc ipso deprehendemus judicium ipsius auctoris naturæ, cujus *lumen signatum est super nos.* (*Psal.* IV, 7.). — (Schmalz. *Diss. proœm.* § III, 61, 64.) Unde etiam eruitur axioma, quod necessitas sit suprema lex: proindeque quando necessitas urget, omne quod præcipit ad vitandum pejora, licitum est jure naturali et aliquando etiam præceptum.

4. Præcepta juris naturalis in particulari triplicis maxime generis sunt; nam 1° aliqua concernunt Deum, et jubent eumdem tanquam conditorem, conservatorem, largitorem ac remuneratorem nostrum colere, ejus supremum numen adorare, reverenter invocare illius nomen, illi servire, illum laudare, et pro collatis beneficiis gratias exhibere. 2° Alia ad nosmetipsos pertinent, et præcipiunt honeste vivere, vitando mendacium, abstinendo ab ebrietate, illicito concubitu, et quavis alia turpitudine, etc. 3° Alia proximum spectant, et mandant parentes honorare, magistratus revereri, benefactoribus referre antidota, neminem lædere damno aliquo in anima, corpore, fama, rebus suis eum afficiendo. Eo etiam spectat fidelitas in promissionibus et contractibus; quamvis enim contractibus quibusdam a jure gentium, et aliis a jure civili forma certa statuta sit, obligatio tamen fidei in iis datæ juris naturalis est, cum natura ipsa dictet tribuendum esse cuique suum. Quorum omnium ratio est, quia hæc omnia ex duobus illis primis principiis: *Declina a malo, et fac bonum* (*Psal.* XXXVI, 27), *et Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* (*Tob.* IV, 16; *Matth.* VII, 12), per evidentem et necessariam consequentiam deducuntur: consequenter secundum dicta n. 2 supra, etiam ipsa sunt juris naturalis. (Schmalz. *ibid.*)

5. Porro ex his præceptis aliqua sunt *affirmativa*, quæ nempe aliqua præcipiunt, quale est de colendo Deo, et honorandis parentibus, etc.; alia *negativa*, quæ aliquid

prohibent tanquam malum, ut *non occides, non furtum facies*, etc. (*Exod.* xx, 13, 15 seqq.); *negativa* obligant *semper*, et *pro semper*, et implentur per solam actus prohibiti omissionem, *affirmativa* obligant quidem *semper*, sed *non pro semper;* quia solum obligant pro iis circumstantiis, in quibus omissio actus præcepti est mala : nec implentur, nisi per actionem positivam, et quidem ordinarie distinctam a voluntate implendi. (Schmalz. *ibid.* n. 66.)

6. « Jus naturale esse immutabile, sequitur ex eo quod ab ipsa rerum essentia fluat. Quod enim prohibetur jure naturali, ideo prohibetur, quia ex se malum. Deus autem nunquam potest non prohibere quod ex se seu essentia sua malum est. Et pariter nunquam potest non injungere id cujus omissio ex se mala est. Unde impossibile est mutari jus naturale. » (Bouix., tract. *De princ.* p. 33.) Etenim aliquando materia præcepti naturalis mutari potest, et perit, sed non ideo mutatur præceptum, quod semper obligat quando adest materia.

7. Utrum jus naturale aliquos actus non tantum prohibeat sed etiam irritet? Est communis doctorum sententia aliquos actus jure naturali prohiberi tantum, alios prohiberi simul et irritari. Matrimonium, v. gr., initum post sponsalia cum alia celebrata, vel post votum continentiæ, aut religionis editum, est jure naturali vetitum, non tamen nullum. E contra matrimonium initum inter consanguineos primi gradus lineæ rectæ, pactiones de re turpi et inhonesta, etc., non solum vetantur sed etiam irritantur. Hinc canonistæ multum adlaborarunt ut certam quamdam invenirent et determinarent regulam ex qua tuto discerni posset, quinam actus censeri debeant ex jure naturali prohibiti tantum, et quinam prohibiti simul et irriti.

Duplicem hujusmodi regulam tradit Schmalzgrueber (*Proœm.* § II, n. 70), cum Suaresio, Wiestner, Schmier et aliis : « *Prima* est, inquit, irritos esse jure naturali omnes illos actus qui deficiunt in valoris principio substantiali, vel hoc omnino tollunt : et sic 1° jure naturali est irrita donatio aut venditio rei jam antea donatæ, aut venditæ simulque traditæ; quia in hac donatione et venditione deficit principium substantiale, scilicet potestas disponendi et dominium, quod per primam donationem, et venditionem secuta traditione, jam translatum est in primum donatarium et emptorem. 2° Irritus est jure naturali contractus extortus vi absoluta, aut dolo versante circa substantiam rei, quia talis vis et dolus consensum, jure naturali ad substantiam contractus requisitum, tollit. 3° Eodem jure naturali irritum est matrimonium contractum cum impotentia perpetua. »

« *Altera regula* est, illos actus jure naturali esse irritos, qui eo jure illiciti sunt propter malitiam intrinsecam perpetuam, sive turpitudinem semper durantem, quia, quando valor actus est contra jus naturæ, a nemine fieri potest, cum jus superioris resistat. In casu autem præsentis regulæ valor ipse est contra jus naturæ; quia turpitudo ejus habet causam perpetuam et semper duraturam : igitur non potest valor talis actus subsistere; consequenter irritus erit actus. Et ex hoc capite jure naturali irritum est matrimonium inter consanguineos primi gradus lineæ rectæ. Item jure naturali irritus est contractus usurarius quoad usuras, quia turpitudo illius sicut in conventione, ita etiam in usurarum exactione et solutarum retentione semper reperitur, cum semper maneat nullitas tituli, et inæqualitas inter datum et acceptum. »

« *Ex quo sequitur*, si prohibeatur jure naturali aliquis actus, sed ita ut nec sit illicitus ob turpitudinem intrinsecam perpetuam, nec deficiat in valoris principio substantiali, talem actum eodem jure naturali non esse irritum. Ratio est quia, supposita potestate agentis, capacitate materiæ, desitione turpitudinis et indecentiæ, concurrunt omnia requisita ad substantiam actus, quamvis ille sit aliunde prohibitus. Ergo talis actus illicitus quidem erit, non tamen invalidus (*hic post aliquod de matrimonio exemplum subjicit auctor*). Item venditio secunda post primam sine traditione factam, si res vendita secundo emptori tradatur, valet; quia penes venditorem tali casu remansit dominium, adeoque etiam potestas iterum vendendi et transferendi : atque insuper traditione facta secuudus emptor in re empta et ita tradita justum titulum habet. »

Ex his regulis sequitur conditiones, contractui synallagmatico additas ab una parte sine alterius consensu, jure naturali irritas esse. Quando mutantur substantiam contractus aut plus exiguunt quam concessum est ab altera parte. Hujusmodi sunt articuli or-

ganici Concordato anni 1801 additi et simul cum eo publicati.

CAPUT IV.

De jure positivo divino.

1. *Jus positivum* ita dicitur, quod ultra ea, quæ jus naturale præcipit, prohibet, vel permittit, aliquid ponat. Jus positivum procedit ac pendet a libera voluntate superioris, scilicet Dei, vel hominis. Triplici modo differt a jure naturali: 1° Ea, quæ jure naturali præcipiuntur vel prohibentur, in se sunt bona vel mala; ea vero, quæ jure positivo præcipiuntur vel prohibentur, id eo sunt mala vel bona, quia sunt prohibita, vel præcepta. 2° Jus positivum multiplex et varium est pro varietate locorum et temporum; naturale autem unum, idemque est in omnibus hominibus, ubique et semper. 3° Jus positivum ex legislatoris voluntate, manentibus iisdem circumstantiis, mutari, ejusque obligatio omnino tolli potest; at præcepta et obligationes juris naturalis ex sua natura immutabilia sunt.

Præcepta juris positivi, sicut et juris naturæ, sunt *affirmativa* et *negativa*, unde duplex est jus positivum, scilicet *affirmativum* seu *præceptivum*, et *negativum* seu *prohibitivum*; quibus additur et *jus positivum permissivum*: quæ explicatione non indigent.

Jus positivum duplex est, aliud *divinum*: aliud humanum.

2. *Jus positivum divinum* est illud quod Deus, vel Christus statuit, et per se, vel per ministros, puta angelos, Moysen, et apostolos promulgavit. Subdividitur in *jus divinum vetus*, et *novum*.

3° *Jus divinum vetus* est, quod Deus in Veteri Testamento ipse condidit, et per angelos, Moysen, et prophetas tradidit, populo Israelitico, ut ad finem æternæ beatitudinis per fidem in Christum venturum obtinendæ, disponeretur.

Triplicis generis præcepta continentur in lege veteri, nempe *moralia*, *cæremonialia* et *judicialia*. Ex his moralia, ut præcepta Decalogi, sunt juris naturalis, ac proinde immutabilia et indispensabilia; quod proinde jus naturale per jus positivum divinum fuit repetitum et explicatum. Cætera juris divini veteris præcepta, sunt determinationes præceptorum moralium, et duntaxat vim habebant ex institutione et voluntate divina; ac proinde ad jus divinum positivum tantummodo spectabant. Ex his cæremonialia determinant tempus, ritus, et cæremonias, sive modos debitum Deo cultum exhibendi; judicialia ad politicum regimen reipublicæ et justitiæ administrationem spectant. Cæteræ nationes ad duas ultimas leges non obligabantur, nisi postquam quis ex illis ad religionem Judaicam transiit.

Ex his juribus in lege nova remansit solum morale, non quatenus Veteris Testamenti, sed quatenus jus naturale: adeoque hodiedum ad integram obedientiam omnes obligat. Cætera, opere redemptionis nostræ per mortem Christi consummato, etiam ipsa mortua sunt, et abrogata, exceptis iis, quæ a legislatore ecclesiastico denuo sunt resuscitata; quo casu tamen Christianos obligant non amplius, ut lex divina, sed ut humana tantum, utpote a sola voluntate humana potestatem obligandi habentia. (Schmalz. *Proœm.* § III, 95.)

4. *Jus divinum novum* est, quod Christus Dominus, Deus simul, et homo, in Novo Testamento condidit, et vel per se ipsum, vel per apostolos promulgavit. Hujus juris præcepta sunt de fide, spe, et charitate, de dilectione inimicorum, de ritibus substantialibus sacrificii, et sacramentorum, de hierarchia et jurisdictione divina tum apostolorum tum successorum eorum, et quæcunque ex ore Christi excepta apostoli tradiderunt. Ex his, ut patet, alia *moralia* sunt, alia *cæremonialia* de ritibus sacrificii, et sacramentis. Judicialia in hac lege a Christo lata sunt nulla; quia sicut Christus non assumpsit sibi temporale regnum, nec temporale judicium, ita nec temporale regnum, aut rempublicam politicam instituit, sed solum Ecclesiam suam, quatenus congregatio est ad spiritualem finem per spiritualia media ordinata; et ideo per se tantum illas leges tulit, quæ ad hunc finem directe pertinebant, ad hunc autem per se et directe non pertinent leges judiciales; et sufficiebat quod potestatem ferendi istas leges pro necessitate politici regiminis ecclesiastici commiserit vicariis suis, quæ proin leges non sub lege divina, sed sub canonica computantur. (Schmalz. *Proœm.* § III, n. 100; Suarez. l. 10. *De legibus*, cap. 2, n. 2.)

5. Omnia præcepta nobis ab apostolis tradita non sunt divina; quia ea solum quæ ex ore Christi excepta nobis tradiderunt,

pro divinis habenda sunt. Ea vero, quæ iidem apostoli accepta a Christo potestate, tanquam pastores, et rectores Ecclesiæ, decreta reliquerunt; ut sunt canones apostolorum, præcepta de observanda die Dominica, de jejunio quadragesimali, etc., ad jus humanum ecclesiasticum spectant. (Molin., Vallens., Pirhing, apud Schmalz. *Proœm.* § III, n. 101.)

6. Videtur quod in lege gratiæ Christus aliquid addiderit quoad præcepta moralia ultra id, quod ista alias habent de jure naturali, et habuerunt in Veteri Testamento. Nam 1° datur in lege nova præceptum credendi explicite Trinitatem, et mysteria Verbi incarnati, etc., quæ præcepta nec semper fuerunt, nec ex natura rei necessaria erant. 2° In eadem lege tenemur sperare remissionem peccatorum, et gratiam explicite per Christum : quæ obligatio nascitur ex præcepto speciali Christi, nec ante fuerat. Item tenemur sperare ingressum in regnum cœlorum statim post mortem, si peccati impedimentum statim sublatum est, etc. 3° Videtur notabilis facta mutatio tam quoad dilectionem Dei, quam quoad dilectionem proximi; nam quoad primam tenemur explicite diligere Deum trinum, et unum, cum in lege Mosaica, ubi mysterium sanctissimæ Trinitatis nondum fuit revelatum ita clare, sufficerit amare Deum simpliciter; quoad alteram, dixit Christus : ***Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem***, etc. (*Joan.* XIII, 34.) Ubi videtur præcipi specialis modus, quo Christiani se invicem debent diligere præ illo, quo vi legis naturalis tenemur diligere quemvis proximum. 4° In præcepto orandi Christus addidit specialem formam orandi (*Matth.* VI), et in aliis locis videtur præcipere Christianis specialem frequentiam orandi, et modum explicitum petendi per ipsum. (*Joan.* XIV *et* XVI.) Imo totum præceptum orandi videtur positivum, et maxime proprium Christianorum, licet usus orandi antiquior et universalior sit.

Sed respondendum, quod Christus quidem in materia morali addiderit novum præceptum positivum, quo præcepta moralia legis naturalis confirmavit, et sic auxit obligationem adeo ut Christiani peccatum contra legem naturalem, cæteris pluribus sit gravius, quam in homine gentili in eadem materia : non tamen obligationem istam, quæ jure naturali debatur, auxerit extensive, ut plura objecta jam nunc contineat, quam quot continentur per se in jure naturali indeterminate. (Ita Suar. l. 10, *De legibus*, cap. 2, n. 5 et seqq. post S. Thom. 1-2, q. 108, art. 1 et 2).

Neque doctrinam istam convellunt argumenta apposita.

Ad primum. Circa præceptum fidei duo sunt distinguenda, scilicet revelatio cum sufficienti propositione credendorum, et obligatio ad credendum ea, quæ revelata, et proposita sunt. Primum est ex voluntaria dispositione Dei, et ita dici potest de jure divino positivo, pertinente ad novam Ecclesiæ institutionem, in qua Christus voluit tantam esse lucem et cognitionem Dei, ut credatur etiam mysterium Trinitatis explicite. Alterum, scilicet obligatio credendi explicite mysterium, si hoc sufficienter revelatum, et propositum sit, exinde sequitur, et jam non est mere positiva; sequitur enim ex natura rei, et intrinsece ad propositionem mysterii rite factam. Et sic præceptum credendi explicite mysterium Trinitatis, quod datur in lege nova, præsuppositive quidem, quatenus supponit revelationem, quæ simpliciter non erat necessaria, erit positivum, formaliter autem, et in se, naturale.

Ad secundum. Licet usus spei multo perfectior postuletur in lege nova, quam antea, tum quoad modum sperandi gloriam, tum quoad media supernaturalia ordinata ad eam obtinendam, non tamen propter hoc necessarium erat ut circa materiam spei in hac lege darentur præcepta specialia positiva, quia tota spei, prout nunc datur, obligatio, supposita fide incarnationis, et institutione sacramentorum, ex rei natura sequitur.

Ad tertium. Neque in præcepto charitatis per legem novam inducta est aliqua obligatio, quæ non nascitur ex ipsa natura rei, nam obligatio amandi Deum trinum et unum, nascitur ex agnitione Trinitatis, et Unitatis. Obligatio vero speciali amore prosequendi Christianos oritur ex ordine charitatis, ratione cujus obligamur magis amare, cæteris paribus, magis conjunctos : novum vero præceptum hoc dicitur, non quia positivum, et non naturale est, sed vel quia a Christo fuit renovatum, vel quia novo modo est latum, explicando novam rationem in objecto illius, sumptam ex adventu Christi, et ex speciali dilectione sua erga homines, vel denique ex effectu, quia hæc dilectio renovatura erat mundum.

Ad quartum. In præcepto orationis Christus nihil addit tanquam necessarium, quod de jure naturæ non est, ut ostendit Suar. lib. 1 *De orat.*, cap. 29. Sed tantum explicavit modum, tradendo formulam orandi, cujus usum tamen non præcepit, sed suasit, sicut etiam suasit frequentiorem orandi usum in Christianis. Et sic patet in materia morali quidem Christum tradidisse diversa consilia, non tamen præcepisse aliquid, ad quod non antea obligabat jus naturale secundum qualitatem status fidelium.

7. In antiqua lege præcepta cæremonialia circa quatuor versabantur; nam complectebantur sacrificia, sacramenta, sacra, et observantias. Atqui ad servandam et conservandam unitatem in Ecclesia, Christus dedit præcepta divina, quæ substantiam sacrificii et sacramentorum determinant; accidentalia vero, cum in his unitas non consistat, permitti Ecclesiæ determinationi poterant.

De sacris et observantiis Christus nullum dedit præceptum positivum, sed potestatem instituendi illa, et instituta præcipiendi commisit Ecclesiæ pro prudenti suo arbitrio.

8. Lex nova præcipit non tantum actus externos, ut per se patet, sed etiam internos duobus modis. *Et uno* quidem per se, et directe, ita ut in ipso actu interno quasi consummetur materia præcepti: et hoc modo præcipiuntur actus virtutum theologicarum, et quarumdam moralium, et actus contrarii prohibentur. Altero modo præcipiuntur propter actus externos qui debent esse morales et humani; tales autem esse non possunt sine intentione et attentione ad actum humanum ac moralem requisita, quæ est actus internus; consequenter illos præcipiendo etiam actum internum præcipit. Quod accommodari etiam debet legi divinæ, quatenus aliquos actus externos prohibet; nam simul prohibet actus internos: et sic prohibet etiam internam concupiscentiam, et prava desideria, ut habetur *Matth.* v.

CAPUT V.

De jure positivo humano in genere, et in specie de jure gentium.

1. ***Jus positivum humanum*** est jus quod homines a Deo accepta potestate condiderunt ac promulgarunt; sive quod obligandi vim immediate obtinet a libera voluntate hominis, publica auctoritate aliquid præcipientis, vel prohibentis. Differt a jure naturali, et a positivo divino tum in ratione auctoris, tum in ratione unitatis et perpetuitatis; nam lex naturalis, et positiva divina pro auctore suo habent ipsum Deum; humana vero hominem: illæ eædem sunt apud omnes, non vero istæ, sed aliæ atque aliæ aliis atque aliis gentibus placent. Ex natura sua jus positivum humanum nihil præcipere potest contra jus naturale, nec contra jus divinum positivum, defectu potestatis, et quia necessario subordinatur juri naturæ et divino. Unde indeterminata a lege naturali et divina solummodo possunt per leges humanas determinari, temperari, ac societati et communitatibus variis accommodari ad consensionem et concordiam inter homines; et hæc fieri debent conformiter juri naturali et divino, ut justæ sint leges.—Jus humanum dividitur in *jus gentium* et *jus civile*.

2. *De jure gentium* notionem accuratius tradidit Pichler. (*Jus canonicum*, Prolegomena, n. 17.) « Sciendum, ait, 1° homines tripliciter considerari posse; primo, quatenus sunt creaturæ rationales; et sub hac ratione reguntur *jure naturali*; secundo, quatenus sunt cives seu membra alicujus communitatis particularis, nempe hujus vel illius principatus, aut reipublicæ; et sub hac ratione reguntur *jure civili* proprio tali principatui vel reipublicæ. Tertio, quatenus sunt cives seu membra totius communitatis humanæ; et sub hac ratione regendi sunt *jure gentium*, ad felicitatem per commercium populorum gentiumque omnium ordinato. Siquidem populi, utut in varias provincias divisi, retinent aliquam unitatem societatemque moralem et politicam inter se, fundatam in præcepto naturali mutui amoris et auxilii. Neque enim natura, licet liberalis, ullam gentem tot prærogativis ac tantis divitiis instruxit, ut ei ad completam felicitatem nihil deesset; sed bona ac dona sua ita provide distribuit, ut gentes singulæ juvamen et præsidium mutuum ab aliis quærere cogerentur, vel necessitate vel utilitate urgente. Et hinc opus est jure quo gentes in ordine ad hoc mutuum commercium dirigerentur, mediante aliqua conventione vel expressa vel tacita omnium aut saltem plurium gentium. Ex hac conventione consurgens jus appellatur jus gentium; cujus obligatio quidem non inducitur ab ipsis gentibus, vel singulis, vel universis (cum in seipsas potestatem non habeant legislativam, sed singulæ sunt supremæ potestates, nec aliis seu simul seu scorsim sumptis subjectæ),

sed inducitur et proxime fundatur in illo principio juris naturalis, *fides data est servanda.* Fidem autem dederunt gentes, dum convenerunt vel expressis verbis in quædam mutua commercia, vel tacite moribus et usu constanti : ex tali enim praxi et usu satis colligitur animus introducendæ et retinendæ obligationis, præsertim si data occasione provocent ad talem consuetudinem velut ad jus sibi commune, aut conquerantur jus gentium esse violatum ab illo populo, qui contra talem praxim agere deprehenditur. » Huic notioni addendum est *jus gentium fundari in istis principiis juris* naturalis, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris* (*Tob.* IV, 16); *Omnia*, quæcunque vultis, *ut vobis faciant homines, et vos facite illis*, etc. (*Matth.* VII, 12.) Fundatur etiam in facto quod omnes homines sint fratres, tanquam ab uno Deo Patre conditi, et ab uno primo patre humano orti.

« Sciendum 2°, prosequitur Pichler, jus gentium aliud esse proprie tale, aliud improprie. Jus gentium *proprium* est quod inter gentes qua tales receptum est cum obligatione mutua. Hujus exempla sunt primo, jus legationum, vi cujus admittuntur legati et admittuntur incolumes. Secundo, jus belli, ad vindicandam injuriam vel damnum ab alio populo illatum, vi cujus bellum debet solemniter denuntiari per fecialem, antequam inchoetur ; nec etiam durante illo fontes aut instrumenta bellica veneno inficienda sunt, nec hostis per sicarium subordinatum occidendus : rerum autem in bello captarum acquiritur dominium, uti et impunitas propter cædes et deprædationes, in bello etiam injusto factas. Tertio, fœdera pacis et induciarum cum rationabiliter petuntur. Quarto, jus servitutis, vi cujus homines in bello justo captos et servatos pro servis habere licet. Quinto, jus commercii quæstuosi apud exteras et non hostiles nationes exercendi. Sexto, jus sepulturæ, vi cujus cadavera terræ mandari debent.

« *Improprium* dicitur, quod receptum est inter gentes... citra obligationem mutuam ; uti : primo, usus panis pro cibo : secundo, constructio ædium : tertio, munitio civitatum, etc.....

« Dico 1° : Jus gentium proprie dictum... sic definiri posse : Est jus quo gentes qua tales, mutua obligatione, ex consensu tacito vel expresso sibi imposita, consociantur in ordine ad ea quæ ad communem earum felicitatem et commercium pertinent. Seu : Est jus ab hominibus pro commodo humani commercii inventum. Etsi enim jus naturale suggerat regulas non paucas dirigendis gentium commodis proficuas, illæ tamen nimis generales sunt, et ideo ab ipsis gentibus, saltem communi usu et consuetudine magis determinandæ, mutua sibi obligatione imposita a qua alias per se forent liberæ. Unde,

« Dico 2° : Hoc jus gentium distinguitur a jure naturali, et est libero gentium consensu introductum. Probatur ab inductione eorum quæ juris gentium esse cum communi doctorum sensu diximus. Sic jus legationum, etsi ingentem præ se ferat æquitatem naturalem, tamen stando in principiis naturæ potuisset quælibet gens secum sola vivere, neque per legatos cum aliis communicare. Sic licet valde conveniens sit bellum indicere per fecialem, fontes et arma non infici veneno, hostem non occidi per sicarium, tamen hæc absolute necessaria non sunt, et stando in principiis naturæ licitum est in bello justo adhibere omnia media quæ serviunt ad frangendam hostis, vel iniquo damnum inferentis proterviam, saltem si injusta damnificatio aliter sisti vel arceri nequeat, modo perfidia non intervenial. Ergo jus gentium a naturali distinctum et libera populorum voluntate introductum est.

« Quæres in quibusnam jus gentium differat a jure naturali ? Respondeo, in sequentibus : 1° Quia ortum habet a libera gentium voluntate ; jus vero naturale a Deo humanæ naturæ conditore. 2° Quia non obligat omnes omnino gentes, sicut jus naturale, sed solum illas apud quas vel expressa voluntate receptum est, vel usu et consuetudine invaluit. 3° Quia quæ præcipit non intrinsece honesta, et quæ vetat non intrinsece inhonesta sunt, uti tamen quæ præcipit et vetat jus naturale. 4° Quia quandoque malum permittit, ut humanæ fragilitati condescendat, jus vero naturale nunquam. 5° Quia promulgatur per usum et praxim gentium ordinarie, jus vero naturale per adeptionem usus rectæ rationis. 6° Quia mutabile est, et tolli potest saltem mutuo gentium consensu... Id tamen verum est quod jus gentium proprium ab una sola gente pro libitu et directe mutari nequeat...

« Dico 3° : Exsistit tale jus gentium paulo ante descriptum. Probatur : 1° Ex communi

gentium sensu, ad jus gentium sæpe provocantium, ut patet ex historiis. 2° Ex communi consensu doctorum, ut patet ex libris. 3° Ex ratione, quia datur jus quo gentes consociantur ad ea quæ pertinent ad earum felicitatem, ut patet ex allatis exemplis; sed hoc jus vocatur *jus gentium*, ergo. »

« Necesse tamen non est ut omnes simpliciter gentes conspirent, modo aliquæ magis moratæ ita consocientur. Et hinc barbaræ nationes, quas nunquam consensisse facta contraria probant, jure gentium non obligantur.

Sed dicendum est omnes omnino gentes jure naturali mutuo obligari, et gentes in jure naturali læsæ jus habere ad reparationem exigendam.

CAPUT VI.

De jure civili notio.

1. Notio juris civilis canonistæ necessaria est, quia ingens juris canonici commercium cum jure civili intercedit.

« *Jus civile* sic potest definiri : Est jus positivum auctoritate principis vel magistratus sæcularis conditum ad politicam reipublicæ civilis gubernationem, pacem, salutemque temporalem civium promovendam immediate ordinatum. » (Pichler, *Jus canonicum*, Proleg. n° 24.)

Jus civile, juxta Schmalzgrueber (*Dissert. proœm.* § VI, n. 146), proprie accipitur *pro jure positivo, quod expresso legislatoris consensu pro certa republica in ordine ad finem temporalem ordinatum est.*

2. Dividitur in *publicum* et *privatum*.

Jus publicum ad publicam seu communem omnium utilitatem immediate constituitur. Sic leges, quæ determinant formam gubernii et magistratuum officia et jurisdictionem, pertinent ad jus publicum.

Jus privatum immediate et directe respicit privatam civium utilitatem, et mediate tantum utilitatem publicam.

Leges quæ determinant jura civium, non quatenus gerunt officia publica, sed quatenus sunt tantum privati cives, ad jus privatum pertinent.

3. Jus privatum subdividitur in *jus commune*, quod viget in tota aliqua republica, et *jus particulare* quod in una tantum provincia aut civitate reipublicæ viget. Ad jus particulare pertinent jus *municipale* seu proprium alicui urbi, jus *militare* quod est regendo corpori militiæ proprium, *statuta* quibus tum universitates et collegia, tum mercatores, tum alii civium ordines aut societates reguntur, etc.

4° Iterum jus civile dividitur in *scriptum*, seu expressa sanctione in republica viventibus latum, ac promulgatum ; et *non scriptum*, quod non auctoritate publica expresse præceptum, sed moribus solum utentium receptum et tacite comprobatum, quod etiam jus consuetudinis, seu consuetudo vocatur. (Qui ampliorem de jure civili et Romano notionem desiderat, videat Bouix, tract. *De principiis juris canon.* ; Schmalzgrueber, *dissert. proœm.* § V et VI.— Sed monere oportet nonnullas civiles leges a sacris canonibus probatas fuisse, alias vero correctas, cæteras silentio prætermissas.)

CAPUT VII.

De recta et præcisa juris canonici notione.

1. *Ejus varia nomina.* Dicitur jus *canonicum*, a voce Græca *canon*, quæ Latinis *regulam* denotat, quia collectum est ex canonibus seu regulis, quas Ecclesia proponit ad dirigendas actiones Christiani populi in ordine ad felicitatem supernaturalem.

Jus ecclesiasticum, quia agit de rebus et personis ecclesiasticis, et auctoritate ecclesiastica constitutum et confirmatum est.

Jus sacrum, canones sacri, sumit enim exordium a persona sacra, materias sacras tractat, ad finem sacrum dirigit. Aliquando *jus divinum*, « non quod vere divinum sit (est enim mere humanum, et ab homine conditum), sed quia vel continet quædam excerpta ex sanctis Litteris... vel quia canones instinctu et dono aut gratia Spiritus sancti dictati sunt, vel quia sunt conclusiones deductæ ex principiis legis divinæ, vel denique quia jus istud a Pontifice, tanquam Christi in terris vicario, accepta ab ipso, consequenter divina potius auctoritate est constitutum. » (Schmalz. *Proœm.* § VII, n. 231.)

« Appellatur etiam *jus pontificium*, utpote per summos pontifices Christi in terris vicarios pro bono regimine Ecclesiæ universalis, ac spirituali fidelium salute institutum, collectum, et approbatum, a quorum proinde voluntate et auctoritate vim legis et juris habet » (Schmalz. *Proœm.* § VIII, n. 231.)

2. *Definitiones juris canonici.* Schmalzgrueber *Proœm.* § VII, n. 232 : « Jus canonicum definiri potest : *Jus positivum* quod a summis

pontificibus constitutum vel approbatum, Ecclesiæ traditum, fideles proxime ad cultum divinum, pacem et justitiam Christianam conservandam; ultimato autem ad æternam beatitudinem tanquam ad ultimum finem consequendum dirigit. Ita quoad rem omnes. Dicitur 1° *jus positivum*, quia auctoritate summorum pontificum latum est, qui cum in Ecclesia Dei supremi principis locum obtineant, ad eos spectat universales leges Ecclesiæ condere. Dicitur 2° *constitutum*, id est, latum et legitime promulgatum per decretales epistolas, rescripta, et constitutiones summorum pontificum. Dicitur 3° *vel approbatum*, quia in jure canonico quædam desumpta ex decretis conciliorum tum generalium, tum provincialium, ex placitis principum sæcularium, et ex sententiis sanctorum Patrum, quibus nisi accedat auctoritas summi Pontificis et hujus approbatio, vim legis seu juris canonici non habent. Dicitur 4° *fideles*, quia qui extra Ecclesiam sunt, non subjiciuntur regulariter huic juxta Apostolum (*I Cor.* v, 12): *Quid mihi de iis qui foris sunt judicare?* Hinc infideles pœnis spiritualibus non sunt coercendi, licet corporalibus subjici possint, si quæ prohibita illis aut in opprobrium Christianæ religionis faciant. Dicitur 5° *proxime ad cultum divinum*, etc., quibus verbis indicatur finis tum proximus, tum ultimatus et principalis juris canonici.

« Leges ecclesiasticæ aliæ sunt communes, quæ ligant universitatem fidelium; aliæ speciales, quæ ligant tantum aliquam fidelium partem : hincque plures auctores jus ecclesiasticum in *commune* et *speciale* dividunt. »

« Certum est summum pontificem, cui commissa a Christo est cura et potestas regendi et pascendi universos fideles, posse scilicet sancire et leges quæ ligent universos, et leges quibus determinata tantum quædam pars fidelium subjiciatur.

« Certum esse pariter nullum alium prælatum ecclesiasticum seorsim sumptum posse leges ferre quæ universam Ecclesiam obligandi vim habeant. Quilibet enim prælatus papa inferiore, cujuscunque dignitatis sit, non habet nisi jurisdictionem limitatam ad certos subditos aut ad certa loca; quos ultra limites nullus ei subjicitur, nec proinde legibus ejus ligari potest.

« Certum est ejusdem conditionis esse congregationes quaslibet prælatorum, concilio œcumenico inferiores, quia non nisi limitata jurisdictione polleant.

« Sed et concilii œcumenici vi potestatis ordinariæ dicendum est non vigere decreta, priusquam a summo pontifice approbata fuerint et confirmata. Extraordinarie, in casu papæ dubii, v. gr., valent per se sola concilii œcumenici decreta quædam, ea nempe quæ ad providendum de papa sanciuntur. » (Bouix, tract. *De princip.* p. 58, 59.)

Sed et prælati papa inferiores sicut et concilia particularia possunt leges ferre, quæ sibi subjectos obligandi vim habeant. Unde oritur jus *particulare*, quod distingui potest in patriarchale, primatiale, provinciale, diœcesanum, monachale, etc., prout particulare est omnibus ecclesiis unius patriarchatus, aut alicui provinciæ ecclesiasticæ, aut alicui diœcesi, aut monasticam vitam profitentibus. Istud tamen jus *particulare* sensu stricto non vocatur jus canonicum, quod complectitur eas tantum leges, quæ ab auctoritate ecclesiastica supremam et universalem jurisdictionem habente sancitæ sunt; hicque sensus ultimus exclusive intelligendus est quando sermo fit de *corpore juris canonici*.

Attamen, jus canonicum latiori et improprio sensu intellectum recte definiri potest cum Bouix : *Complexio legum a quocunque potestatem legislativam ecclesiasticam possidente, in bonum spirituale fidelium firmatarum.* Dicitur, *a quocunque potestatem legislativam ecclesiasticam possidente*; et sic in jure canonico comprehenduntur leges legatorum sedis apostolicæ in circumscriptione legationis suæ; leges synodorum provincialium pro respectivis provinciis; leges episcoporum pro suis diœcesibus; leges prælatorum regularium et capitulorum generalium apud religiosos ordines; statuta denique omnia quæ a quocunque jurisdictionem ecclesiasticam habente ad bonum spirituale suorum subditorum feruntur. »

« Dicitur *firmatarum*, non autem *conditarum*, quia, sicut adnotavimus quoad summum pontificem, ita sæpe concilia provincialia, episcopi et alii, non condunt nova decreta, sed jam condita et alibi vel olim vigentia, firmando renovant et ad proprios

subditos extendunt. » (Bouix, tract. *De principiis*, p. 66, 67.)

In eodem latiori sensu jus canonicum à cardinali Soglia sic definitur : *Complexio canonum sive legum fidem, mores et disciplinam spectantium, quæ ab ecclesiastica potestate Christianis vel præscriptæ, vel propositæ sunt....* Posteriora hæc verba *vel præscriptæ, vel propositæ sunt* addenda duximus, eo quod earum legum, quibus jus canonicum constat, alias Ecclesia præscribit, alias tantummodo proponit. Prioris generis illæ sunt quas ecclesiastica potestas, pro ratione locorum, temporum, et personarum condit, quas ut præscribere, sic etiam mutare et abrogare potest, quæ leges ecclesiasticæ *positivæ* dici solent. Alterius generis sunt, quæ a jure naturali, aut divino promanant ; Ecclesia vero auctoritate sua proponit, vel explicat. Ita constitutiones de rebus fidei et morum, quanquam ecclesiasticæ nominentur, propterea quod ab ecclesiastica auctoritate propositæ, et addita etiam pœna sancitæ fuerint, nihilo tamen secius ad jus naturale et divinum earum origo referenda est, manentque perpetuæ et stabiles. » (*Instit. juris publici Eccles.* cap. 1, § II.)

Attamen « leges illæ in quantum obligant jure divino, non sunt pars juris canonici ; nec legis canonicæ rationem induunt, nisi quoad interpretationem et declarationem ab Ecclesia fidelibus factam ; sub hac autem ratione, nempe ut fideles universi teneantur jus divinum modo declarato intelligere, requiritur pontificia auctoritas : obligationem enim hanc concilium œcumenicum imponere nisi decreto a papa confirmato ; et a fortiori concilia particularia et prælati seorsim sumpti impares sunt ferendæ hujusmodi juris divini declarationi quæ universos obliget. » (Bouix, tract. *De princ.* p. 65.)

Unde præclarus auctor sic jus canonicum strictum sumptum definit : *Complexio legum auctoritate papæ firmatarum, quibus fideles ad finem Ecclesiæ proprium dirigantur.* Quæ definitio facile justificatur ex prædictis.

Juxta eumdem auctorem, jus canonicum, « prout scientia est, recte definiri potest in stricto sensu : *Scientia legum ecclesiasticarum auctoritate papæ firmatarum* ; latiori autem sensu : *Scientia legum ecclesiasticarum omnium.* Cujus definitionis sensus et legitimitas item patet ex præcedentibus. » (Bouix, tract. *De princ.* p. 62 et 67.)

3. Ex definitione juris canonici patet ejusdem objectum, quod est bonum spirituale fidelium æternaque eorum beatitudo. Nam leges, quas summus pontifex fert tanquam temporalis princeps ad regimen status pontificii, non juri canonico sed civili accensendæ sunt.

4. Distinguitur jus canonicum *in scriptum* et *non scriptum* : jus autem non scriptum dicuntur traditiones et consuetudines vim legis habentes. — In *commune*, quod pro universa Ecclesia latum est ; et *particulare*, quod pro certo loco aut certis personis tantum statutum est. In *antiquum*, quod ante concilium Tridentinum vigebat ; *novum*, quod statuit dicta synodus ; *novissimum*, quod decretis deinceps ad præsentem usque diem editis constat.

CAPUT VIII.

De juris canonici comparatione cum theologia et de ejusdem præstantia in jure civili.

1. « Etsi juris canonici (*ait Reiffenst.* Procem. § III, n° 42) magna sit dignitas et excellentia, multumque præstet juri civili, non tamen est excellentius sacra theologia : ita communis.

« Fidei morumque tractatio tum ad dogmaticam et moralem theologiam, tum ad jus canonicum pertinet. Verumtamen res aliter a theologia, aliter ab ecclesiastico jure spectatur. Namque theologia dogmatica de fide, rebusque divinis universim disserit, ut statuat regulam credendi, atque hinc studium omne et operam collocat in demonstrando quid contra fidem pugnet, quantum et quatenus opinio quævis sanæ et catholicæ doctrinæ congruat vel adversetur. At jus canonicum res fidei respicit, ut ex eis agendi regulam hauriat, cum multæ sint disciplinæ leges, quæ a fidei regulis ita pendent, ut credendi regula regulam agendi constituat. Ad mores autem quod attinet, theologia moralis, motivo generali bonitatis atque malitiæ versatur circa virtutes omnes ac vitia : spectat primario, ac præcipue forum internum, et tractat actiones quaslibet sive respectum habeant ad civitatem, sive non. Sed jus canonicum rationem habet officiorum, quæ in ecclesiastica societate præstanda sunt, ut fideles pie honesteque conversentur ; et idcirco respicit fideles ratione habita

ad communitatem ecclesiasticam, forumque externum maxime intuetur. Præterea canones... non sunt nisi conclusiones ex principiis theologicis, id est ex Evangelio, et aliis libris canonicis elicitæ et illatæ, vel etiam determinationes loci, temporis, modi, quo jus divinum observandum præscribitur. »

« Denique jus canonicum divinis legibus sive fidem, sive morem spectantibus addit ecclesiasticas leges, sive pœnas, quibus improbi homines in officio contineantur : qua de causa exstant tituli de hæresi, de apostasia, de simonia, de adulterio, de perjurio, de furtis et similibus. Uno verbo theologia tota est in rebus fidei et morum universim investigandis, illustrandis et propugnandis ; jus canonicum in iis custodiendis, propagandis, et in usum actumque perducendis : quamobrem jure merito a Boetio, et Alvaro Pelagio theologia rectrix et practica nuncupatur. » (Cardinalis Soglia, *Inst. jur. eccles. publ.* cap. 1, § 3.)

2. Jus canonicum supra jus civile « præstat : 1° *Origine ;* quia promanat ab ipso Christo, et a potestate mere spirituali, Petro, ejusque in apostolica sede successoribus immediate a Christo communicata. Contra jus civile promanat a potestate prorsus sæculari, profana, et a populo proxime collata, translataque in principes. 2° *Universalitate :* jus canonicum obligat omnes Christi fideles, per mundum universum sparsos ; totus enim orbis terrarum subest conditoribus hujus juris, Christo nimirum, ejusque in terra vicariis. Jus civile astringit certum duntaxat populum et non alios. 3° *Materia :* juris canonici materia spiritualis est, vel spirituali annexa; materia juris civilis mere profana est; quia profanæ sunt res, personæ et actiones circa quas versatur. 4° *Fine :* jus canonicum intendit pro fine ultimo æternam beatitudinem, et salutem animæ spiritualem, ac supernaturalem, per vitæ et justitiæ christianæ opera obtinendam ; finis juris civilis est mere temporalis ; quia spectat solum justitiam legalem, quietem reipublicæ temporalem, et felicitatem naturalem. (Schmalz. *Dissert. proœm.* § VII, n. 233, 234.)

« Hinc etiam est, quod plura principia, et regulas a jure civili factas, canones Ecclesiæ vel corrigant, vel non admittant : uti sunt 1° quæ rebus, vel personis ecclesiasticis præjudicium faciunt ; 2° quæ statuunt aliquid motu proprio, et ex se de personis aut rebus Ecclesiæ, licet id Ecclesiarum commodum et favorem respiciat cap. *Ecclesia* 10, *De constitut.*, ubi statuitur ut talia *nullius firmitatis exsistant, nisi ab Ecclesi fuerint approbata ;* et ratio datur ; quia *laicis super Ecclesiis, et personis ecclesiastici nulla est attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* 3° Quæ decernunt aliquid in materia mere spirituali, ex. gr., voti, juramenti, sacramentorum, etc., can. *Si imperatur* 11, dist. 96, ubi additur ratio ; quia *ad sacerdotes* Deus *voluit*, quæ Ecclesiæ *disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subjectas.* 4° Quæ sunt bonis moribus adversantia, et absque peccato exsequi non licet : et sic leges civiles permittunt concubinatum, præscriptionem cum mala fide, etc. Quæ tamen jus canonicum abominatur, quod istud præter justitiam, puritatem etiam conscientiæ intendat, cum e contrario jus civile solum attendat vitæ civilis commoditatem, civium pacem, et litium detestationem. » (Schmalz. *dissert. proœm.* § VII, 235.)

« Interim tamen etiam suus honor per jus canonicum stat legibus civilibus, quippe, quas, in subsidium sæpe sanctissimi canones vocant, non tantum, ut ancillentur, sed etiam ut sanctiones canonicæ juris civilis subtilitate decorentur. Plurimum namque *sacrorum statuta canonum principum constitutionibus adjuventur*, ut dicitur cap. *Intelleximus* 1, *Nov. Oper. nunt.* Bald. Imo multa pontificum decreta ex legibus civilibus pene ad verbum desumpta sunt : ideoque leges civiles in foro etiam ecclesiastico recipiuntur, atque obligant in conscientia, si justæ sint, et sacræ Scripturæ, canonibus, et bonis moribus non repugnant. » (Schmalz. *dissert. proœm.* § VII, 236.)

CAPUT IX.

De collectionibus canonum, et de hodierno corpore juris canonici.

1. Jus canonicum suam originem debet ipsis apostolis, qui ad gubernandam Ecclesiam, et stabiliendam, ac propugnandam evangelicam doctrinam in cœtus aliquoties coeuntes, varias sanctiones condiderunt et promulgarunt : inveniuntur autem hujusmodi cœtus ab apostolis celebrati omnino quatuor. *Primum* celebrarunt anno Christi 34 (*Act.* I, 15) ; *secundum*, eodem anno et loco de querela Græcorum ; *tertium* anno

Christi 51 (*Act.* xv); *quartum* convocarunt anno Domini 56 vel ut alii 58, in quo confirmata sunt decreta *de gentibus ad fidem conversis* superiore concilio statuta, etc.

« Decretis istis, quæ juris canonici quædam quasi initia erant, accesserunt successu temporis quidam alii canones et leges ecclesiasticæ, ab apostolis conditæ. Leges autem istæ ab initio non statim omnes probabiliter fuerunt scriptis commendatæ, sed aliquæ tantum, ut testatur in Act. apost. cap. xv, 20, 23, 30 : *Sed scribere ad eos ut abstineant..... scribentes per manus eorum..... tradiderunt epistolam.* Alio vero traditionum instar in fidelium cœtibus observatæ; ita enim ad Philipp. iii. 17, scribit Apostolus : *Observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostram.* Necnon I ad Thessalonicenses iv, 2 : *Scitis enim quæ præcepta dederim vobis.* Denique I ad Cor. xi, 34 : *Cætera autem cum venero disponam.* — « Porro *formæ* ejusmodi, *præcepta, dispositiones*, verbis tantum tradita, usu et consuetudine primum servabantur; ubi in scripturam redactæ fuerunt, collectio inde exstitit *canonum Apostolorum.* » (*Inst. jur. can.* auctore R. de M. t. I, pag. 33, 34.)

Sed sæpe non pura, et corrupta, celebrior collectio canonum apostolorum tribuitur sancto Clementi, beati Petri discipulo et successori; quam collectionem de Græco in latinum transtulit Dionysius Exiguus.

Canonibus apostolicis cum tempore successerunt *Constitutiones apostolicæ*, octo libris comprehensæ. Quis earum auctor fuerit, multi dubitant et adhuc sub judice lis est. In concilio Trullano a Græcis tanquam ab hæreticis depravatæ rejectæ sunt can. 2. Nec magnæ sunt auctoritatis in Ecclesia Latina. (Schmalz. *Dissert. proœm.* § VII, 237, 238, 239.)

2. *Celebriores canonum collectiones Ecclesiæ orientalis.*—Ecclesiam orientalem medio sæculo v suum habuisse canonum codicem constat ex concilii Chalcedonensis action. iv et xi, in quibus illius mentio occurrit. In ea autem perpetua temporum serie digesti continebantur tanquam uniusessent concilii, ut Græcis mos erat, canones 20 concilii œcumenici Nicæni; 24 synodi Ancyranæ; 14 Neocæsariensis; 20 Gangrensis; 25 Antiochenæ; 54 Laodiceæ; tum 3 secundi concilii œcumenici, Constantinopolitani primi. Medio circiter sæculo vi, adjecti 85 *canones apostolorum*; 21 concilii Sardicensis, 6 Constantinopolitani; 8 Ephesini; 29 Chalcedonensis; et 68 i Basilii. Quibus ex omnibus Joannes Scholasticus, sub Justiniano patriarcha Constantinopolitanus, alteram canonum collectionem in 50 titulos distributam adornavit. Notum est ipsum Joannem *Nomocanonem* 50 itidem titulis per materias distinctum composuisse, iisque leges ex *codice* et *novellis* Justiniani potissimum excerptas adjecisse. Constat pariter sæc. vii in synodo Trullana novum codicem conditum fuisse, præcipuis canonibus plurium Africæ synodorum Græce redditis, antiquis confirmatis, novisque adjectis, cum nonnullis Græcorum patriarcharum et episcoporum epistolis. (*Instit. jur. can.* R. de M.)

3. *Celebriores canonum collectiones Ecclesiæ occidentalis.* — Decem omnino diversæ numerantur. Et prima quidem confecta creditura Dionysio Exiguo, abbate Romano, circa annum Christi 527, Græcis in idioma Latinum translatis. Collectionem istam Nicolaus papa vocat *codicem canonum* : eum approbavit Leo IV.—*Secundam* sæculo eodem concinnavit Fulgentius Ferrandus diaconus Ecclesiæ Carthaginensis.—*Tertiam* sub annum 571, partim ex synodis Græcis, partim ex Latinis elaboravit Martinus, ordinis sancti Benedicti, ex abbate monasterii Dumiensis Ecclesiæ Bracarensis episcopus.—*Quarta*, sub nomine *concordia canonum*, vel *libri canonum*, data est a Cresconio episcopo Africano. —*Quinta* auctorem Isidorum habet. Quis autem fuerit hic Isidorus, an sanctus Isidorus Hispalensis episcopus, an alius, an uterque, disceptatur.—*Sextam*, sub *decretorum* nomine anno 1020, edidit Brocardus sive Burchardus, ex monacho sancti Benedicti Lobii episcopus Wormatiensis. — *Septimam* fecit cardinalis Deusdedit, eodem sæculo sub Victore II papa. — *Octava* edita est ab Anselmo Mantuano, episcopo Lucensi, sub pontificatu Gregorii VII. — *Nonæ* auctor est Ivo, Gallus, episcopus Carnotensis, temporibus Urbani II usque ad annum 1114. — *Decimo* tandem loco post relatos, et Photii, Harmenopuli, Siagrii, et aliorum minoris notæ, compilationes, in lucem prodiit *corpus juris canonici*, quo hodie in scholis et foro utimur. (Schmalz. *Dissert. proœm.* § VII, 241 ad 247.)

4. *Corpus juris canonici*, seu *De juris canonici partibus, et illius citandi praxi.* « Totum autem hoc jus scriptum quinque partes præcipuas ac principales in se continet : *Decretum ; Decretales ; Sextum ; Clementinas ;* et

Extravagantes, tam Joannis XXII quam quorumdam aliorum pontificum, in corpus juris receptas. Prima ergo pars juris canonici est *Decretum*, quod a compilatore suo dici solet *Decretum Gratiani*, et ab hoc inscribitur *Concordantia discordantium canonum*, ac collectum fuit a Gratiano, monacho ordinis Sancti Benedicti, ex variis sacræ Scripturæ textibus, decretis, et responsis pontificum, et conciliorum, sententiis SS. PP. ac propriis ipsius Gratiani verbis, quibus immiscentur etiam capitula aliqua sub nomine Paleæ, quod nomen aliqui putant significare nomen cujusdam, qui Gratiani discipulus fuit : alii dicunt nomen hoc significare cardinalem aliquem, qui horum capitulorum auctor fuerit, et vel Palea dictus fuerit, vel suæ Gratiani Collectioni admiscuit sicuti palea admiscetur tritico. Dividitur autem hoc Gratiani Decretum in tres partes, quarum prima continet distinctiones centum et unam, in canones, sive capitula divisam ; ita ut in 20 prioribus distinctionibus agat Gratianus de juris ecclesiastici elementis, principiis, fontibus et dignitate ; inde usque ad 93 agat de cleri, seu personarum ecclesiasticarum origine, institutione ac forma instituendi, vita, moribus et officiis; et inde usque ad finem ultimæ distinctionis, de principatu pontificis, et universæ jurisdictionis ecclesiasticæ sive pontificiæ præstantia sive dignitate. Secunda pars continet 36 causas quarum quælibet in plures quæstiones, et quæstio quælibet in capitula, seu canones dividitur, ita tamen ut causa 33, q. 3, in 7 distinctiones de pœnitentia subdividatur ; in qua secunda parte varia genera causarum explicantur, quæ sub jurisdictionem ecclesiasticam cadunt. Tertia denique pars continet tractatum *De consecratione*, in 5 distinctiones divisum, et in plura capitula, seu canones subdivisum, in quibus varia de consecrationibus rerum sacrarum, sacramentis, ritibus et cæremoniis sacris, etc., continentur. Et quia Gratianus homo privatus fuit, qui nullam habuit legis ferendæ auctoritatem, hinc quæ in hoc decretum collecta sunt, nullam vim aut auctoritatem legis canonicæ obtinent, nisi in Decretalium libris aut alia auctoritate pontificis, v. gr., canonizata aut decisa sunt. Solent autem, quæ in decreto hoc continentur, juxta partium diversitatem diverso modo citari : quæ in prima parte in distinctionibus reperiuntur, citantur hoc modo : can. vel cap. *Nulla ratio*, dist. 62 ; can. *Quoniam*, dist. 100 ; id est in distinctione 100 ; in canone, vel capitulo (quod communiter sumitur hic pro eodem) quod incipit a verbo *Quoniam ;* in distinctione 62, in canone, qui incipit a verbis *Nulla ratio*. Quæ in secunda parte reperiuntur, citantur hoc modo : can. *Nullus primas* (nonnunquam additur τὸ) 9. 3. Id est, in secunda parte decreti causa 9, in quæstione 3, in capitulo vel canone, qui incipit *Nullus primas*. Si vero ex distinctionibus de pœnitentia citetur aliquid, additur citationi ordinariæ τὸ de pœnit. dist. 1, hoc modo : can. *Pœnæ*, 33, q. 3, *De pœnit.* dist. 1. Vel omissis prioribus tantum dicitur : *Pœna de pœnit.* dist. 1 ; cujus citationis valor est, ac si dicerem : in II parte decreti, in causa 33, in quæstione 3, in distinctione 1, sub titulo *De pœnitentia*, in capitulo vel canone, qui incipit a verbo *Pœnæ*. In tertia parte quæ continentur, hoc modo citantur : cap. *Non dico, de consec.* dist. 5, id est in III parte decreti, sub titulo seu rubrica *De consecratione*, in distinctione 5, in canone vel capitulo, quod a verbis *non dico* inchoatur. »

« Secunda pars juris canonici sunt quinque libri *Decretalium* in varios titulos divisi, et quilibet fere titulus in plura capitula subdivisus, ex mandato Gregorii IX, summi pontificis, per Raymundum de Pennafort, ordinis S. Dominici religiosum, summi pontificis capellanum et pœnitentiarium (nunc sanctorum numero ascriptum) collecti. Dicuntur autem hi libri *Decretales*, eo quod in illis contineantur plurimæ decretales epistolæ summorum pontificum ad varias propositas quæstiones dissolvendas missæ, quæ vim legis obtinent. Ordo autem librorum horum est iste, ut in primo libro, post explicita communia quædam juris principia, agatur de modo constituendi prælatos ecclesiasticos, et ordinandi personas ecclesiasticas ; ac variis earum personarum officiis, et tandem in fine libri aliqui tituli subjunguntur, in quibus habentur, quæ ad principium judiciorum referri possunt ; in II libro examinentur ea quæ ad judicium et ad judicialem processum pertinent ; in III, quæ de clericorum obligationibus, vel de regularibus, vel etiam de quibusdam quæ clericis cum laicis communia sunt, uti sunt varii contractus, testamenta, sepulturæ, etc. Quæri possunt in IV, quæ propria sunt laicis, uti sunt sponsalia, matrimonium, et his annexa. In V denique

libro agatur de delictis, eorum accusationibus, et inquisitionibus ac pœnis; ut adeo recte librorum horum ordo, et notissima materia hoc versu exprimatur :

Judex, judicium, clerus, sponsalia, crimen.

Dicuntur autem hi libri etiam antiqui, respectu Sexti *Decretalium*, et aliorum recentiorum jurium ; et citari solent, quæ in illis continentur, prima verba capituli allegando, vel sola, vel addendo τὸ capit. (quod communiter sub minuto *c* significatur). Et rubricam seu titulum, sub quo capitulum illud continetur, v. gr. c. *Dudum, de præbendis.* c. *Dilecti, de appellat.*, etc., id est sub titulo *De appellationibus* (qui titulus in II libro *Decretalium* reperitur, quia materia de appellationibus præsertim in judiciis locum habet) in capitulo, quod incipit a verbo *Dilecti.* Addunt aliqui huic citationi τὸ *extra capit. Dilecti, extra, de appellat.* ; quod titulum hunc extra Decretum Gratiani quærere debeas, non video tamen hujus τὸ *extra*, addendi necessitatem. »

« Tertia pars juris canonici est sextus *Decretalium* a Bonifacio VIII ex variis diversorum pontificum Gregorii X, Innocent. IV, Clementis IV, ac aliorum, ac propriis Bonifacii VIII responsis collectus, et sub anno 1298 promulgatus, in quo speciales aliqui, qui illis temporibus emerserunt, casus continentur, et quod in prioribus deest, suppletur aut melius declaratur : et quamvis hæc etiam pars quinque libris constet, eodem ordine, et sub iisdem titulis, non tamen omnibus, quibus priores *Decretalium* libri constant, in capitula etiam et paragraphos divisis, *Sexti* tamen nomine venit, quod prioribus quinque sub antiquorum nomine venientibus, additus sit. Eodem modo citari solet, quo citantur antiqui, *Decretales*, nisi quod in fine citationis addatur *in* 6, v. gr., c. *Si motu proprio, De præbendis, in* 6 : id est, sub titulo *De præbendis* (qui sicuti in antiquis in III libro *Decretalium*, ita in hoc libro in sexto habetur) in sexto libro *Decretalium*, vel in libro qui inscribitur *Sextus Decretalium*, in capitulo quod incipit : *Si motu proprio.* Habet hic liber eamdem auctoritatem cum quinque libris antiquis *Decretalium* et in illis, in quibus aliter loquitur, ac antiquis etiam præfertur. »

« Quarta pars juris canonici dicuntur *Clementinæ* (subintellige *Constitutiones*) quas Clemens V ex suis in concilio Viennensi sub annum 1310 celebrato *Constitutionibus* ac *Decretalibus Epistolis* collegit, easque tandem, quas Clemens V, morte præventus exsequi non potuerat, successor ejus Joannes XXII in lucem dedit, distributis illis in quinque libros, ac titulos et capitula, juxta modum et ordinem antiquorum *Decretalium* et *Sexti* ; et quamvis pauciores titulos ac capitula *Clementinæ* hæ contineant, sunt tamen ejusdem cum antiquis et Sexto auctoritatis. Citantur capitula sub nomine *Clementinarum*, vel si capitula exprimantur, additur saltem *in Clementinis* ut sciri possit, qua in parte juris canonici capitulum illud inquiri debeat, dicendo v. gr. *Clem.* 1, *Ad nostrum, de hæreticis* ; vel *c. Ad nostrum, de hæreticis, in Clementinis*, id est, in IV parte juris canonici, quæ *Clementinæ* inscribitur, sub titulo *De hæreticis* (qui sicuti in Antiquis et Sexto, ita hic etiam in V libro *Clementinarum* harum *Constitutionum* habetur) in capitulo quod incipit *Ad nostrum.*

Quinta denique pars juris canonici continet *Extravagantes* Joannis XXII (Constitutiones, quas numero 20 juxta ordinem *Decretalium* Joannes XXII successor Clementis V fecerat). Quibus postmodum aliæ etiam Constitutiones, ac sub aliis pontificibus factæ accesserunt, ac sub nomine *Extravagantium communium* in corpus juris receptæ sunt ; ut eamdem hodie cum aliis decretalibus auctoritatem habeant : et quamvis *Extravagantium* nomine eæ Constitutiones pontificiæ veniant, quæ extra corpus juris canonici habentur, retinent tamen hæ species *Extravagantium* nomen, quamvis in corpus juris receptæ sint, quod ob suam paucitatem et diversorum pontificum auctoritatem certum nondum nomen sibi appropriaverint. Citantur prout alia capitula *Decretalium*, nisi quod addatur *inter Extravagantes Joan. XXII ;* vel *in Extravagantibus communibus :* vel quod loco capituli nomen *Extravagantis* ponatur, cum addito *Joannis XXII ;* vel inter communes, dicendo v. gr. Extravag. *Ambitiosæ, inter communes ; De rebus Ecclesiæ non alienandis*, vel c. *Ambitiosæ, in communibus Extravag. De rebus Eccles. non alienandis*, Extravag. *Quorumdam.* Vel c. *Quorumdam*, in Extravag. Joan. XXII. De V. S. id est in V parte *Decretalium* inter *Extravagantes* Joannis XXII, sub titulo *De verborum significatione*, in capitulo quod incipit a verbo *Quorumdam.*

« Accessit denique his omnibus liber VII *Decretalium*, quem ex variis pontificum Constitutionibus juxta ordinem titulorum, cum antiquis Decretalibus communem, in quinque etiam libros collegit Petrus Matthæi, jurisconsultus Lugdunensis; quæ collectio, cum a nullo pontifice auctoritatem aliquam sumpserit, manent relatæ in illo libro pontificum *Constitutiones* in eo valore, quem independenter ab hac Collectione habent, et non aliter ac aliæ Bullæ pontificiæ citantur, sub nomine scilicet illius pontificis, qui Constitutionem talem fecit, addendo primæ Bullæ vocabula, et annum, ac diem, qua Bulla talis emanavit: v. gr., *in Constitutione*, seu *Bulla Sixti IV, Deo et hominibus*, 14, 1484. »

« Cæterum quamvis libri *Decretalium*, et quæ in corpus juris canonici tanquam pontificiæ *Constitutiones*, aut *Decretales* epistolæ, receptæ sunt, auctoritatem habeant legitimam ad omnes Christi fideles obligandos, ita ut jus faciant, non tantum in foro canonico ad decidendas lites, sed in foro etiam civili, in certis quibusdam casibus, juxta dicta, omnino observandum, nisi per posteriora jura correctæ illæ sint, aut per contrariam consuetudinem, vel præscriptionem, vel per contraria statuta particularia auctoritate sedis apostolicæ facta, vel confirmata derogatum eis jam sit; aut earum aliquæ in particularibus terris nunquam receptæ fuerint; novissimo tamen concilii Tridentini jure, universalem Ecclesiam obligante, non aliter ac alia concilia generalia a supremo pontifice approbata, quod antiquo juri in aliquibus derogatum fuerit; negari non potest. » (*Synopsis Pirhingiana*, quæst. 2, *proœmialis.*) »

In corpus juris canonici, editione completissima, ut *Coloniæ Munatianæ* 1744, reperiuntur *Canones pœnitentiales* seu Regulæ directivæ, quarum notitia viris ecclesiasticis valde necessaria est, ad pœnitentias delinquentibus imponendas. Isti canones numero 56, nullum præceptivum et legalem valorem habent, cum nulla pontificia auctoritate polleant, sed tantum directivum, ut fert titulus.

Reperiuntur etiam canones sanctorum apostolorum per Clementem a Petro apostolo Romæ ordinatum episcopum in unum congesti. Hi canones, numero 84, omnes, prout de facto in corpore juris inveniuntur, sunt authentici, et vere canonizati, juxta plures canonistas; et Gonzales (*Apparat. jur. can.*, n. 42) authentice monstrat singulos canones a diversis pontificibus et conciliis fuisse approbatos. (Schmalz. *Dissert. proœm.* § VII, 258.) E contra, juxta alios, probabilius canones isti, neç ab apostolis traditi, nec a S. Clemente sunt conscripti. Tandem ad calcem positæ sunt *Institutiones juris canonici*, quibus jus pontificium singulari methodo libris IV comprehenditur, a Joanne Paulo Lancelotto, Perusino, conscriptæ, et in aula Romana, mandato pontif. max. ab illustribus viris olim recognitæ. Per se institutiones næ legalem valorem non habent.

CAPUT X.

De juris canonici fontibus seu causis efficientibus.

I. — Ex definitionibus juris canonici stricte sumpti, seu ex eo quod istud jus *in bonum spirituale fidelium*, etc., institutum sit, sequitur jus canonicum non posse promanare nisi a fonte spirituali, divino aut divinitus fundato. Ergo duo tantum sunt fontes, ad quos omnes alii reducendi sunt, scilicet Christus et vicarius ejus in terris.

II. — 1° *Fons divinus juris canonici*, est Christus Jesus, ipsius Ecclesiæ fundator et legislator. Ea vero quæ Christus Dominus docuit et præcepit, sive per se, sive per apostolos Spiritu sancto afflatos, in sacra Scriptura vel traditione divina servantur.

2° Sacra Scriptura dividitur in Vetus et Novum Testamentum. *Vetus Testamentum* tribus præceptorum generibus constat, *moralibus*, *cæremonialibus*, et *judicialibus*. Certum vero exploratumque est præcepta *moralia* in Veteri Testamento tradita semper vigere, quoniam præcepta sunt ipsius juris naturalis prorsus immutabilia, quæ proinde Christus non sustulit, sed clarius evolvit confirmavitque.

De cæremonialibus et judicialibus. — « Canonistæ sine ulla controversia sentiunt, argumenta ex Veteri Testamento deprompta non parum valere ad multa ecclesiastica jurisprudentiæ capita illustranda, et amplius confirmanda; quandoquidem sancti Patres hoc argumento sæpius usi sunt.

« Verumtamen non ex omnibus quæ in veteri Testamento scripta sunt, licet argumenta promere. Enimvero quædam in eo sunt, quæ consummato Christi morte hu-

manæ redemptionis mysterio ita intercideruut, ut sine peccato usurpari amplius nequeant; quædam etiam non præscripta, neque imperata, sed tantummodo permissa aut tolerata, quædam denique solius gentis illius regimini consentanea fuerunt.

« Porro Judæorum leges in corpus juris canonici receptæ et, ut aiunt, canonizatæ, non tanquam leges divinæ, sed tanquam leges ecclesiasticæ, sive auctoritate ecclesiastica receptæ confirmatæque habendæ sunt : nam, ut optime scripsit Zallwein tom. I *Princip. jur. eccles.*, « Leges istæ non habent vim obligandi vi institutionis divinæ, quæ cessavit, sed vi auctoritatis Ecclesiæ eas libere adoptantis. » Et proinde Ecclesia potest easdem relaxare, atque etiam penitus abrogare. » (Cardinalis Soglia, *Inst. jur. pub.* cap. II, § 16.)

3° Novum Testamentum est præcipuus fons juris divini, et consequenter fundamentum juris ecclesiastici et publici et privati : « Sane, inquit Zallinger in *Inst. jur. eccles.* cap. 5, quæ ad jus ecclesiasticum publicum pertinent, de fundatione Ecclesiæ, de institutione potestatis hierarchiæ, de sacro imperio apostolis atque in primis sancto Petro a Christo collato, de gesto ab iisdem imperio circa res omnes ad religionem et Ecclesiæ gubernationem spectantes..... ea omnia ex sacris Scripturis Novi Testamenti luculenter sumuntur. Et de jure privato vix tractari quidquam potest, quin idem ex sacris Litteris erui, confirmari et illustrari queat. »

« Jam vero quanquam viri docti ac pii, præsertim ad fidei morumque præcepta illustranda, sacrarum Scripturarum sensibus spiritualibus et mysticis utantur, « certa tamen auctoritatis argumenta habenda non sunt, præterquam illa, quæ ex litterali sensu ducuntur. » Ratio manifesta est, quam affert Bellarminus, l. III *De Verbo Dei*, cap. 3. « Convenit, inquit, inter nos et adversarios ex solo litterali sensu peti debere argumenta efficacia. Nam eum sensum, qui ex verbis immediate colligitur, certum est esse Spiritus sancti; at sensus mystici et spirituales varii sunt, et licet ædificent, cum non sunt contra fidem et bonos mores, tamen non semper constat an sint a Spiritu sancto intenti. »

« Quia vero sacrarum Scripturarum sensus non ita semper apertus est, ut cuivis legenti pateat, hinc ante oculos perpetuo constituendum est id, quod maxima sapientia et æquitate Tridentina synodus decrevit sess. 4 : « Nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei et morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat. » (Cardin. Soglia. *Inst. jur. pub.* cap. 2, § 17.)

4° *Scripta apostolorum.* — Evangelia nonnisi doctrinam ipsius Christi continent, sed reliqui Novi Testamenti libri præcepta tum divina, tum apostolica complectuntur. Hæc præceptorum divisio apertissime significata est a sancto Paulo (*I Cor.* VII, 10) dum ait : *Præcipio non ego, sed Dominus.* Et v. 12 : *Ego dico, non Dominus.* « Jam vero præcepta novæ legis, quæ Christus in Evangelio tradidit, aut quæ apostoli cœlitus afflati proposuerunt, cum vere et proprie divina sint, nulli nec derogationi nec abrogationi obnoxia sunt, sed perpetua et inviolata manere debent. At vero præcepta quæ apostoli tanquam rectores Ecclesiarum ediderunt, quanquam in sacris Litteris contineantur, cum tamen proprie humana et ecclesiastica sint, hæc ab Ecclesia sive a summo pontifice possunt, ut reliquæ ecclesiasticæ leges, immutari, relaxari, atque etiam contrariis legibus vel moribus abrogari... »

« Si vero regula certa petatur, qua instituta divina ab apostolicis internosci possint, hæc generatim tenenda est, nimirum, « Quæ in epistolis et reliquis apostolorum libris continentur, omnia et singula pro divinis habenda sunt, nisi ex verbis, aut ex subjecta materia luculenter appareat, eadem ab apostolis tanquam Ecclesiarum rectoribus profecta esse. » Primum itaque verba considerauda sunt, ut videamus, an apostolus suo, an Christi nomine locutus sit, quod divus Paulus significavit locis supra citatis : *Præcipio non ego, sed Dominus;* et : *Ego dico, non Dominus.* Si nihil certum ex verbis cognosci possit, tunc subjecta materia spectari debet : « Si enim, quod traditur ad fidem vel mores pertineat, vel ejusmodi sit, ut humanam potestatem superet, veluti sacramentorum institutio, divinum erit et immutabile ; si vero ad disciplinam spectet, non temere apostolicum institutum esse

dixeris. » (Cardin. Soglia, *Inst. jur. publ.* cap. 2, § xviii.)

5° *Traditio divina.* — Traditiones dici solent doctrinæ vel praxes in Ecclesia stabilitæ, et quæ a primis auctoribus verbo tantum, non autem scripto inductæ sunt. Dicitur a *primis auctoribus;* quia, licet postea scriptis mandatæ sint, retinent nihilominus traditionis nomen.

Jam vero Christus Dominus cœpit facere et docere ; et apostoli prius fecerunt quod illis præcepit Dominus, postea docuerunt ; et sic discipuli apostolorum primo fecerunt quæ illis præceperunt apostoli, deinde docuerunt. Et sic ex factis et doctrinis verbo prædicatis constituta est vita Christianorum et Ecclesiæ ; et hæc vita practica in omnibus a Christo et apostolis institutis et mandatis, perpetuo communicata a parentibus Christianis suis filiis, semper nutrita pastorum prædicationibus, servata et ab errore præservata auctoritate divina Ecclesiæ et Spiritus sancti assistentia et gratia, est vere traditio totalis et integra Ecclesiæ.

Talis traditio exstitit in Ecclesia ante omnia scripta. Etenim jam Ecclesia vitam suam plenam agebat, quando in Evangeliis præcipua facta et summam doctrinam Christi aliqui ex apostolis scripserunt. Hæc Evangelia et alia apostolorum scripta ut authentica et vera recognita approbavit Ecclesia. Unde Novum Testamentum est tantum pars divinæ doctrinæ quam prædicandi et docendi mandatum a Christo acceperunt apostoli, et traditio divina est altera pars quæ, ante scripta Novi Testamenti, continebat et quæ scripta et quæ non scripta sunt. Scriptis ergo anterior est traditio et eumdem divinum apostolicumque valorem ac illa obtinet ab auctoritate Ecclesiæ a Christo institutæ, a Spiritu sancto directæ et ab errore præservatæ.

Ad dignoscendas traditiones divinas acceptas a Christo apostolos docente, quatuor regulæ traduntur, videlicet :

I. « Traditio divina est, si ejus materia ad fidem pertineat, quia fides solum Deum auctorem habet.

II. « Pariter traditio divina est, si sit earum rerum, quæ humanam potestatem superant, qualis ex. gr. est materia et forma sacramentorum, quia sacramenta a solo Deo institui potuerunt.

III. « Sic etiam traditio divina est, si quod præcipit aut statuit, id consentientes inter se Patres tanquam ore tenus a Christo vel a Spiritu sancto dictatum apostolos tradidisse testentur aut id generatim affirment, ad præceptum divinum, sive ad divinam institutionem pertinere : quandoquidem SS. Patres sunt legitimi testes divinarum traditionum.

IV. « Quidquid denique Ecclesia tanquam divinitus traditum observat aut docet, nec in sacris Litteris exstat, minime dubitandum est, quin sit divinæ traditioni tribuendum ; neque enim Ecclesia catholica hisce in rebus errare potest. »

Causam proprie efficientem juris Ecclesiæ divini assignavimus, Christum scilicet qui jura magis fundamentalia, ac potissimum publicum Ecclesiæ statum divinitus condidit ; restat nunc ut assignemus causam proprie efficientem juris ecclesiastici principalem, vicariam Christi, humanam, pontificiam, nempe quæ a Christo condita servat, exsequitur et promovet, et præterea, prout exigit res et sibi concrediti gregis necessitates postulant, jura nova condit, quibus melius tum illa a Christo condita exsequatur et promoveat, tum etiam ea a Christo omissa seu indeterminata, utpote quæ a temporibus dependeant, suppleat.

III. 1° *Fons humanus juris canonici stricte sumpti.* — In primo libro demonstrabimus, 1° in Ecclesia esse legislativam potestatem ad regendam et gubernandam fidelium societatem ; 2° hanc legislativam potestatem in universam Ecclesiam residere primo in summo pontifice, secundo in corpore episcoporum summo pontifici unitorum et subjectorum ; 3° in unoquoque episcopo pro sua singulari Ecclesia. Demonstrabimus hanc regendi et gubernandi potestatem esse divinitus institutam ; proindeque esse independentem ab omni humana potestate ; legesque hujus sacræ ecclesiasticæ potestatis obligationem parere independenter ab omni subjectorum acceptatione.

CAPUT XI.

De auctoritate et valore legum ecclesiasticarum ex capitum præcedentium fontibus derivatarum.

Leges ecclesiasticæ ex capitum præcedentium fontibus derivatæ ad sex capita reducendæ sunt : 1° leges ab apostolis collegialiter sumptis latæ ; 2° leges ab apostolis uti singulis decretæ ; 3° leges a sancto Petro, tanquam collegii apostolici et Ecclesiæ capite ;

4° leges a summis pontificibus pro universali Ecclesia, aut pro peculiaribus Ecclesiis ; 5° leges a collegio episcoporum sive coadunatorum in concilio generali, sive dispersorum ; 6° leges ab episcopis, uti singulis, pro unaquaque eorum Ecclesia latæ. De quibus pauca dicenda sunt in sex sequentibus paragraphis.

§ I. — Leges ab apostolis collegialiter sumptis latæ, et uti singulis.

« Evangelia nonnisi doctrinam ipsius Christi continent, sed reliqui Novi Testamenti libri præcepta tum divina, tum apostolica complectuntur. Hæc præceptorum divisio apertissime significata est a sancto Paulo I Epist. ad Cor. VII, 10, dum ait : *Præcipio non ego, sed Dominus.* Et v. 12 : *Ego dico, non Dominus.*

« Jam vero præcepta novæ legis, quæ Christus in Evangelio tradidit, aut quæ apostoli cœlitus afflati proposuerunt, cum vere et proprie divina sint, nulli nec derogationi nec abrogationi obnoxia sunt, sed perpetua et inviolata manere debent. At vero præcepta quæ apostoli tanquam rectores Ecclesiarum ediderunt, quanquam in sacris Litteris contineantur, cum tamen proprie humana et ecclesiastica sint, hæc ab Ecclesia sive a summo pontifice possunt, ut reliquæ ecclesiasticæ leges, immutari, et relaxari, atque etiam contrariis legibus vel moribus abrogari. Hinc intelligi potest, cur factum sit, ut electionum sacrarum forma, abstinentia a sanguine et suffocato, agapæ, mulierum in templis velationes, aliaque plura apostolorum instituta, vel sensim deleta vel alii ritus moresque in eorum locum substituti. Sic etiam pontifices, ex. gr., in aliquibus irregularitatibus dispensant, quamvis quæ sunt de irregularitatibus constitutæ leges ex Epistolis sancti Pauli potissimum proficiscantur. Sed episcopi eadem apostolica instituta immutandi aut relaxandi potestate omnino carent ; quandoquidem apostolica instituta ad generalem Ecclesiæ disciplinam pertinent. »

« Si vero regula certa petatur, qua instituta divina ab apostolicis internosci possint, hæc generatim tenenda est, nimirum, « quæ in Epistolis et reliquis apostolorum libris continentur, omnia et singula pro divinis habenda sunt, nisi ex verbis, aut ex subjecta materia luculenter appareat, eadem ab apostolis tanquam ecclesiarum rectoribus profecta esse. » Primum itaque verba considerandа sunt, ut videamus, an apostolus suo, an Christi nomine locutus sit, quod divus Paulus significavit locis supra citatis : *Præcipio non ego, sed Dominus ;* et : *Ego dico, non Dominus.* Si nihil certum ex verbis cognosci possit, tunc subjecta materia spectari debet : Si, « enim quod traditur ad fidem vel mores pertineat, vel ejusmodi sit, ut humanam potestatem superet, veluti sacramentorum institutio, divinum erit et immutabile ; si vero ad disciplinam spectet, non temere apostolicum institutum esse dixeris. »

De legibus apostolicis quæ extra Scripturas sacras exstant, idem dicendum est ; aut ad fidem et mores pertinent, et tunc immutabilia et ut divina documenta accipienda sunt ; ita est de Symbolo apostolis tributo. — Aut ad disciplinam spectant, uti canones apostolorum dicti aut alia similia ; et tunc mutari, relaxari, atque etiam contrariis legibus vel moribus abrogari possunt.

De scriptis ac legibus a beato Petro emanatis idem dicendum est ac de præcedentibus.

§ II. — De legibus a summis pontificibus latis.

I. *De constitutionum auctoritate.* — Summi pontifices, quam a Christo ipso potestatem acceperunt, in suis constitutionibus explicarunt, ex iisque tanquam ex uberrimo fonte maxima juris canonici pars confecta est. Constitutionum nomine intelliguntur definitiones, decreta, epistolæ decretales, rescripta, et generatim ordinationes et regulæ omnes, quæ a pontificibus tanquam totius Ecclesiæ rectoribus conduntur. »

« Harum constitutionum duplex est genus : nam vel *dogmaticæ* sunt, vel *disciplinares.* Dogmaticæ sunt, quæ ad fidem et mores ; disciplinares quæ ad ritus et disciplinam sacrorum, externamque politiam Ecclesiæ pertinent. (Cardinal. Soglia, *Inst. jur. pub. Eccl. prænot.*, cap. 2, § 22.)

Constitutiones dogmaticas credere tenentur omnes Christi fideles ; cum enim sit divina et suprema auctoritas summorum pontificum in fidei morumque causis definiendis, eorum judicium Christiani omnes sequi debent, estque irreformabile.

Leges quæ ad religionis cultum, omnemque disciplinam spectant, observare tenentur omnes tam pastores quam Christi fideles.

Etenim sine legibus nulla societas stare potest. « Iis vero ferendarum legum potestas est, qui regendæ, gubernandæ administrandæque societati propositi sunt. Atqui summo pontifici in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plena potestas tradita est. Quod Florentina synodus definivit. Pontifices ergo acceptam a Christo potestatem tenent jubendarum legum, quibus universa Ecclesia obtemperare, easque sequi omnino debet. »

« Proinde hujusmodi leges ad jus canonicum ecclesiasticum pertinent ex iisque pars potior juris canonici confecta est, ita ut in cultu sanctorum, in cura Christiani populi, in administratione rerum ecclesiasticarum, in judiciis, in universa denique ecclesiastica disciplina maximum usum auctoritatemque habeant. » — « Priscis temporibus constitutiones summorum pontificum *Auctoritates* nominabantur, quo significaretur summam debere apud omnes esse earum vim auctoritatemque. » (Cardin. Soglia, *Jur. pub. eccles. prænot.* cap. II, § 23.)

II. *De harum constitutionum promulgatione.* — « Est tritum sermone proverbium, *legem sive civilem, sive ecclesiasticam, non obligare, nisi fuerit sufficienter promulgata.* Quod verissimum est : ipsa enim naturalis ratio persuadet, legem non promulgatam, ne legem quidem putandam esse.

« Verum in disceptationem vocatur, an sit aliqua promulgationis faciendæ præscripta forma. At nec natura legis, sive naturalis ratio exigit in singulis provinciis leges promulgari : satis est si ita promulgentur, ut ad eorum notitiam pro quibus latæ fuerint, pervenire possint. Egregie cardinalis Gotti, tractatu v *De legib.* quæst. 6, dub. 4, num. 1, in hanc sententiam ita scribit : «Spectato solo jure naturali, lex tam civilis, quam ecclesiastica, ut subditos obliget, non requirit determinatum promulgationis modum, sed satis est ea promulgatio, quæ necessaria et sufficiens est, ut lex morali et humano modo devenire possit in notitiam subditorum, sive sit lex imperialis, sive pontificia, sive publica voce præconis, sive per affixionem, sive hoc fiat in curia tantum, sive in pluribus locis. Et ratio est, quia ex natura rei, ut lex obliget, non requirit aliquam determinatam solemnitatem, quæ observari debeat, sed solum quod sufficienter proponatur communitati modo, quo mediate vel immediate, simul vel successive in omnium notitiam deveniat. »

« Huc accedit judicium et auctoritas Innocentii III, qui cap. 1, *De postulat. prælat.* decano et capitulo Senonensi scripsit : *Non esse necessarium, cum Constitutio solemniter editur, aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel litteras inculcare ; sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, qui noverit eam solemniter editam, aut publice promulgatam.*

« Quæ cum ita sint, plerique doctores jure ac merito contendunt, promulgationem Constitutionum ecclesiasticarum solemniter Romæ factam satis esse, ut omnes ubivis gentium Christiani ad eas servandas obstringantur. »

Contrariis autem argumentis responsio est : « neminem adeo ineptum esse, qui putet leges ecclesiasticas, quo die Romæ solemniter promulgantur, eodem die ipso gentibus etiam remotissimis obtemperandi necessitatem inferre. In hoc siquidem esset naturalis *disproportio*.... sed ea *disproportio* tollitur, cum dicimus ecclesiastica lege solemniter Romæ promulgata obligari neminem, qui legem ignoret ; sive ut ait pontifex c. 1, *De concess. præben.* in 6 : — *Lex seu Constitutio, et mandatum nullos obstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorumdem, aut nisi post tempus intra quod ignorare minime debuissent.* Itaque pro majori vel minori ab Urbe distantia, brevius tempus aut longius a die promulgationis elabi debet, antequam Christianus populus promulgata lege teneatur, donec scilicet lex ipsa non rumoribus incertis, sed sufficienti certitudine innotuerit. Quamobrem inscii, dummodo culpabilis ignorantia absit, lege non obligantur. Ita Innocentius I ad Exuperium episcopum Tolosanum (can. 2 dist. 82) ignoscendum duxit clericis qui in diaconii ministerio, vel officio presbyteri positi, ab uxoribus non abstinuerant, ubi tamen probaretur *novam Siricii constitutionem in eorum provinciis non commeasse.* » Cardin. Soglia, *loc. cit.* cap. 2, § 24.)

Præstat admonere tirones, totam quæstionem de promulgatione Romana super legibus disciplinæ versari ; nam constitutiones dogmaticæ de fide et moribus promulgatione non indigent, cum leges non sint, sed ipsa fidei morumque doctrina, uberius explicata et

fidelibus proposita ; in quo doctores utriusque sententiæ consentiunt. Sic Turnelius in suis *Prælect. theolog.* tract. *De leg*, cap. 5, sect. 4, hanc propositionem probandam sumpsit, nempe : « Leges pontificiæ non ante obligant, quam in singulis provinciis promulgatæ fuerint. » Sed eodem loco fatetur et profitetur, « quod semel ad fidem pertinere declaratum est, ubique bonum, ubique tenendum ut verbum Dei, unde ei adhærendum est, statim ac certo cognoscitur, sive promulgationis via, sive alia quacunque ratione cognoscatur. » Et Cabassutius *Juris canon. theor. et prax.* lib. I, cap. 4, num. 6, tradit decretis fidei ligari quicunque privatim illorum habent sufficientem notitiam, quamvis neque in provinciis promulgata, neque publice recepta fuerint.... et qui in provincia dissita certo sciret, unum aliquod fidei decretum fuisse Romæ ad valvas Apostolorum publicatum, hoc ipso illi acquiescere sufficienter teneretur. » (Id. *ibid.*)

III. *De acceptatione legum ecclesiasticarum.* — Aliqui canonistæ, auctoritatem episcoporum nimium extollentes, docent uniquique episcopo integrum esse novas summorum pontificum constitutiones expendere, et cognoscere utrum suis diœcesibus utiles an noxiæ futuræ sint, ut exinde possint utiles acceptare, et noxias non admittere. Et Febronius affirmare non dubitavit « Leges papales non obligare, nisi ab ecclesiis acceptentur. » Sic nullum locum prætermittunt convellendi primatus jurisdictionis, si fieri possit.

« Primatus enim jurisdictionis ex definitione concilii Florentini, est plena potestas a Domino nostro Jesu Christo Petro ejusque successoribus tradita pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam. » At quomodo pontifex plena cum potestate pasceret, regeret, gubernabitque Ecclesiam, si nequeat leges imponere, præscribere, jubere, vetare ? » (Id. ibid. § 25.) Ista Febronii et aliorum sententia destructiva est potestatis monarchicæ, quam Christus fundavit et Petro ejusque successoribus commisit, et reducit constitutionem Ecclesiæ ad meram aristocratiam, quod est contra fidem.

« Sed pontifex, inquiunt, leges ferre potest ; episcoporum est vero perspicere, an leges ipsæ proprio gregi conveniant. At vero si acceptatio episcoporum postuletur, antequam lex obligandi vim habeat, illud semper consequitur potestatem primatus aut nullam esse, aut *meri*, ut aiunt, *directorii*, quia pontifex non legem conderet, sed proponeret ; episcopi vero vel acceptarent, vel non admitterent. » (Id. *ibid.*) Unde tenendum est leges pontificias, ex vi institutionis divinæ, ante omnem a quocunque acceptationem, obligare.

« At subdunt : Si Romanorum antistitum constitutiones Ecclesiis suis vel minus accommodatas, vel noxias etiam pro variis locorum rationibus episcopi judicent numquid eas recipere debent et promulgare ?

« Responsionem dabimus verbis Benedicti XIV, *De synod. diœcesan.* lib. IX, cap. 8 : « Nonnunquam, ait, experientia demonstrat aliquod ex hujusmodi generalibus statutis, licet plerisque provinciis ac diœcesibus utile atque proficuum, alicui tamen provinciæ aut diœcesi opportunum non esse ; id quod legislatori compertum non erat, cum ipse peculiares omnes locorum res atque rationes perspectas habere nequeat, quemadmodum fatetur pontifex in c. 1, *De const.* in 6. In his itaque rerum circumstantiis episcopus intelligens apostolicæ sedis legum in diœcesi sua noxium aliquem effectum producere posse, non modo suas Romano pontifici rationes repræsentare non prohibetur, quin potius ad id omnino tenetur. Neque Romani pontifices unquam renuerunt inferiorum rationibus aures præbere ; et, quoties has satis validas esse agnoverunt, minime recusarunt aliquas provincias aut diœceses a generalium constitutionum lege eximere. » (Id. ibid.)

Tam supra promulgationem quam supra vim obligatoriam ante quamcunque acceptationem legum pontificum, et etiam supra obligationis suspensionem in quibusdam casibus, de pontificis voluntate, vide præclarum opus : *Tractatus de principiis juris canonici*, auctore Bouix, a pagina 154 ad paginam 240.

IV. *De placito regio.* — Aliqui contendunt, « summis principibus jus esse constitutiones ecclesiasticas sive a summo pontifice, sive ab episcopis conditas, antequam promulgentur, publicæ utilitatis causa inspiciendi, atque adeo promulgandas non esse nisi principes ipsi permiserint. Quæ quidem permissio *placitum, placitum regium, exsequatur, regium pareatur*, » aliisque hujusmodi vocabulis nominari solet. Illud autem jus derivant ex jure *majestatico* inspiciendi et cavendi, ne

quid respublica detrimenti capiat, propterea quod aiunt fieri posse, ut constitutiones ecclesiasticæ aliquid contineant quod juribus imperii detrahat, aut civili societati nocere possit. »

« Si *Placiti* originem quæras, ejus initium repetendum est a schismate omnium, quæ hactenus Ecclesiam Dei turbarunt, teterrimo atque longissimo, quod ab Urbano VI, ad concilium Constantiense perduravit. Namque Urbanus VI, ne occasione schismatis fraudes impune admitterentur « concessit, » ut legimus in constitutione secunda Martini V, quibusdam prælatis quod in eorum civitatibus et diœcesibus non posset fieri exsecutio aliquarum litterarum apostolicarum, nisi prius hujusmodi litteræ prælatis ipsis, vel eorum officialibus ad hoc deputatis exhiberentur, et per ipsos approbatæ forent. » Principes quoque, ne populi a pseu lopontificibus deciperentur, in bullas et constitutiones omnes studiose inquirere cœperunt. » (Card. Soglia, *Prænot.* cap. 2, § 26.)

Exstincto autem schismate, hanc facultatem de constitutionibus cognoscendi ab Urbano VI concessam, Martinus V sustulit, et paulatim ad antiquam consuetudinem reditum est.

« At vero cessante causa, non cessavit effectus; exstincto scilicet schismate, *Placitum* non evanuit, sed apud multas nationes a potestate civili retentum est, et gradatim amplificatum. « Primum nempe, » ut ait Oliva, *de For. Eccles.* part. 1, quæst. 22, n. 19, « ad rescripta gratiæ et justitiæ privatis data adhiberi Placitum cœptum est, postea extensum ad decreta disciplinæ, demum ad Bullas etiam dogmaticas.

« De jure inspiciendi cavendique, quo *Placitum regium* niti autumant, generatim animadvertimus, jus istud certis finibus coerceri, quos egredi non potest. Namque, ut ait Puffendorfius, *De jur. nat. et gent.* l. VII, cap. 1, § 7 et 8, « Homo jus habet utendi omnibus mediis quæ sana ratio ad ipsius conservationem necessaria dictitat adversus omnes, a quibus ipsi periculum imminere itidem sana ratio suggerit. Igitur si quis cautionem suam ulterius, quam sana ratio admittit, extenderit, sine dubio in legem naturalem peccabit. » Ergo lex naturæ vetat in aliorum actiones inquirere ea de causa quod nocere possunt : neque unquam Ecclesia jus sibi vindicavit summorum principum leges, antequam ederentur, inspiciendi probandique ob eam tantummodo rationem, quod aliquando ex eis detrimentum capere posset, Igitur necesse est, justam quoque esse causam timendi ne futurum sit, ut detrimentum aliquod inferatur. Quid porro mali ab ecclesiasticis constitutionibus respublica timere potest? Enimvero constitutiones dogmaticæ, quæ fidei morumque doctrinam proponunt, tantum abest ut reipublicæ noceant, ut nihil magis possit ei prodesse, siquidem religio maximum est propugnaculum et præsidium reipublicæ. Sic etiam constitutiones, quæ ad disciplinam pertinent, pro « salubri regimine Ecclesiæ, » ut ait Zypæus, in *Analys. jur. pontif.* l. I, tit. *De const.* « maturis et repetitis deliberationibus ad tollendos abusus cum magno decore domus Dei, incremento politiæ ecclesiasticæ, et augmento justitiæ sæcularis promulgantur; » et Ecclesia nihil habet antiquius, quam ut jura civilis potestatis inviolata ubique maneant. »

« Verum illud gravissimum accidit, quod hujusmodi Placito libertas magisterii et regiminis ecclesiastici divinitus Ecclesiæ concrediti apprime læditur; et si Ecclesia ad majora præcavenda mala sustinet et tolerat, non tamen consentit neque approbat. » (Card. Soglia, *Prænot.* cap. 2, § 26.)

Illud placitum reipsa nihil aliud est quam negare divinitus esse institutam Ecclesiam; jus divinum juri civili subordinare; Deum homini subjicere; et ad praxim reductum, civilis potestatis instrumentum facit Ecclesiam; indeque cum temporis progressu, proveniunt usurpationes omnes pessimæ et lugendæ in Ecclesiarum proprietates, ædificia, in administrationem temporalem, imo spiritualem, et inaudita prætentio de moribus, disciplina et etiam de fidei doctrina judicandi. Unde nihil relinquitur Ecclesiæ nisi ut sit instrumentum cultus ad arbitrium civilis potestatis quæ sic societatem a Christo fundatam, totalem et independentem annihilat. Posteaque mirantur improvidi quod omnis societas humana dissolvatur, defectu et contemptu cujuslibet anctoritatis.

§ III. — De conciliorum legibus.

Ut vidimus in tertio capitis 10 paragrapho, episcopi collegialiter sumpti jurisdictionem in universam Ecclesiam habent; unde concilium generale potest leges uni-

versales ferre. At vero cum sit de collegii natura, ut sine capite suo completum et perfectum exsistere non possit; cum aliunde apostolorum et episcoporum collegium sit a Christo institutum cum capite, cui ab ipso Christo subordinatur, sequitur ut ex jure divino ad pontificem Romanum pertineat concilia generalia convocare, iisque præsidere, et eorum decreta confirmare.

Concilium ecclesiasticum definitur : congregatio sive conventus publicus prudentum virorum ecclesiasticorum, auctoritate prælati convocatorum, ad tractandum de rebus Ecclesiæ utilitatem vel necessitatem publicam concernentibus. Suam ab apostolis originem trahunt; et probabilius est eam esse divinam. A sanctis Patribus et ipsis conciliis sæpissime appellantur synodi; quod tamen nomen a plerisque ad cœtus metropolitanos et diœcesanos contrahitur.

Concilia dividuntur in *generalia* et *particularia*. Hic agitur tantum de generalibus; in sequenti paragrapho de particularibus tractabimus.

I. Generalia sunt, quæ congregantur summi pontificis auctoritate, omnibus Christiani orbis episcopis convocatis : hinc Græce *œcumenica*, quasi orbis terræ concilia, ab Aug. lib. II *De bapt.* c. 3, *plenaria* appellantur, quia universalem Ecclesiam repræsentant.

Ut legitimum et perfectum dicatur concilium generale, requiritur : 1° ut hujusmodi concilia congregentur summi pontificis mandato, vel approbatione. (Pelagius II, epist. 8; Alexander III, const. *Quoniam* 9; Innocentius III, const. *Vineam*). Aliter invalide celebrantur, et conciliabula potius, sive improbata conventicula, et synagogæ Satanæ, quam concilia dicenda sunt. (Can. *Synodum* 1, et duab. seqq. junct. can. *Multis* 5, dist. 17; S. Thom. 2-2, quæst. 1, art. 10). Patet ex traditione et perpetuo usu Ecclesiæ, et probatur ex hoc, quia omnes totius orbis Christiani episcopos convocare ad eum solummodo pertinet, cujus jurisdictioni omnes subsunt. Hic autem est solus Romanus pontifex : ergo, etc.

II. Requiritur, ut pontifex concilio præsit per se, vel per legatos suos. (Can. *Regula* 2, et can. *Concilia* 6, dist. 17.) Caput enim, quale est pontifex, præsidere debet corpori : idque semper in legitimis conciliis œcumenicis observatum fuit.

III. Requiritur, ut ad concilium vocentur omnes, qui jus, habent suffragii, quantum moraliter fieri potest, nec ullus eorum concilio excludatur; quia hoc repræsentat totam Ecclesiam. (*Conc. Constant.* sess. 5.) Idque approbatum est a Martino V, et patet ex regul. 29 in 6, ibi : *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* Sufficit tamen ut ex intentione vocantis convocatio per se ad omnes referatur.

1° Vocandi sunt omnes totius orbis episcopi, idque ex jure proprio; quia sunt pastores Ecclesiæ ex officio (*Ephes.* IV), quam tanquam primates regere debent (*Act.* XX); cum in ea proprie habeant jurisdictionem (sext. synod. act. 11; et sept. synod. c. 19), ita ut nullus positive excludi possit nisi excommunicatus. (Schmalz. *Dissert. proœm.* § 8, n. 325.) « Tenendum est, potestatem suffragii decisivi seu definiendi solis episcopis divinitus concessam esse. Cum enim jus definiendi ea quæ credenda, quæve agenda sunt, a potestate pascendi regendique proficiscatur, ii tantum qui jure divino pastores et doctores Ecclesiæ constituti sunt, in eodem jure divino suffragium ferunt, propositasque quæstiones definiunt.... Quapropter episcopi in conciliis generalibus non consiliarii, non consultores, sed veri judices sunt. atque adeo præclare dictum est a Bellarmino *De conciliis Ecclesiæ* l. I, cap 18 : « Consessum episcoporum in conciliis legitimis esse verum judicum consessum. » (Card. Soglia, *Prænot.* cap. 2, § 35.)

« Præter episcopos solent insuper cardinales non episcopi, abbates, et præpositi generales ordinum regularium suffragium ferre, quippe qui jurisdictione quasi episcopali potiuntur. Sed ex mera Ecclesiæ concessione et privilegio id factum est, ut quam facultatem vi characteris non habent, eamdem vi dignitatis obtinerent .(Id. *ibid.*)

« Præter istos admittuntur etiam nonnulli theologi doctrina prudentiaque conspicui, non ecclesiastici tantum, sed nonnunquam etiam laici, qui ut consiliarii in rebus solum discutiendis adjuvent. Sed omnes isti votum non habent, sed consultativum duntaxat : adhibentur enim ut juvent concilii Patres in disputando. Multo minus votum decisivum habent personæ laicæ, licet principes, reges, aut imperatores, vel istorum legati sint. Nam licet interesse possint, et nonnunquam interfue-

rint conciliis, interfuerunt solummodo, ut defensores, testes, consiliarii, suggestores, vel exsecutores. (Schmalz. *Dissert. Proœm.* § 8, n. 327, 328; Bellarm. lib. I *De concil.* c. 15.)

Prælati, vel alii clerici, qui loco episcoporum absentium intersunt concilio generali, olim ferebant suffragium decisivum, non secus ac episcopi a quibus mittebantur et quorum vices gerebant, ut patet ex actis synodi Nicænæ, Constantinopolitanæ I et II, Ephesinæ, et Chalcedonensis, etc. Novissime in concilio Tridentino nemo ad suffragium decisivum admissus est, qui ab alio subrogatus fuisset, sive is procurator esset cujusdam antistitis, sive generalis alicujus præsidis ordinis religiosi. (Pallavic. *in Hist. concil. Trid.*, l. VI, cap. 2, apud Schmalz. *ibid.* n. 330.)

Præ cæteris eminet et potestas cardinalium legatorum, qui pontificis summi loco concilio præsident; nam tenendum est, tanquam indubitatum, quod præsidere concilio generali pertineat ad summum pontificem, sive per se, sive per legatos suos. Ita praxis; nam ita factum hactenus semper fuisse, omnium conciliorum perfectorum exemplis demonstrat Bellarminus. lib. I *De concil.* cap. 19. Ratio est, quia ipsi soli demandata est cura gregis Dominici a Christo. (*Joan.* XXI, 17, ibi: *Pasce oves meas.* Conf. *Nam etiam* 1.) Petrus in concilio apostolico (*Act.* XV, 6), præsedit, primus locutus est, primusque quæstionem propositam definivit, quem deinde secuti sunt omnes cæteri.

IV. Bellarminus, lib. I *De concil.* cap. 4, fin., in quatuor classes concilia dividit. Quædam enim sunt a sede apostolica approbata, atque ab Ecclesia universa recepta; quædam omnino reprobata: quædam partim approbata, partim reprobata: quædam nec approbata, nec reprobata.

1° *Concilia generalia approbata* numerantur huc usque octodecim apud Bellarminum lib. I, cit. cap. 5, scilicet: 1. *Nicænum* I sub Sylvestro papa, anno 327;—2. *Constantinopolitanum* I sub Damaso papa, 383;—3. *Ephesinum* I, Cœlestino papa, 430 aut 434;—4. *Chalcedonense*, Leone papa, 451;—5. *Constantinopolitanum* II, Vigilio papa, 553;—6. *Constantinopolitanum* III, Agathone papa, 681 vel 685;—7. *Nicænum* II, Adriano papa, 781 vel 786;—8. *Constantinopolitanum* IV, Adriano II papa, 870;—9. *Lateranense* I, Callixto III papa;—10. *Lateranense* II, Innocentio II papa, 1139;—11. *Lateranense* III, Alexandro III, 1180;—12. *Lateranense* IV, Innocentio III, 1215;—13. *Lugdunense* I, Innocentio IV, 1245;—14. *Lugdunense* II, 1274, Gregorio X;—15. *Viennense* 1311, Clemente V;—16. *Florentinum* 1439, Eugenio IV;—17. *Lateranense* V, tempore Julii II et Leonis X, ab anno 1512 ad 1517;—18 *Tridentinum*, ab anno 1545 ad 1563, tempore Pauli III, Julii III, Pii IV, pontificum.

2° *Concilia generalia reprobata* Bellarminus, l. I *De concil.* cap. 6, recenset octo: 1. *Antiochenum*, 345;—2. *Mediolanense*, 354;—3. *Ariminense*, 363;—4. *Ephesinum* II, latrocinium dictum, 449;—5. *Constantinopolitanum*, sub Leone Isaurico, 730;—6. *Constantinopolitanum* sub Constantino Copronymo 756;—7. *Pisanum* anno 1511;—8. *Wittenbergense*, præside Luthero, 1536.

3° *Concilia partim approbata, partim reprobata* apud cit. Bellarminum cap. 17 inveniuntur sex: 1. *Sardicense*, 351 sub Julio I papa;—2. *Sirmiense*, 356, Liberio papa;—3. *Quinisextum*, sic appellatum, quia nec quinta, nec sexta synodus Constantinopolitana fuit, sed utrique aliquos canones addidit, qui numero 102 sunt, *Trullani* dicti, a palatio Trullo, in quo canones isti compositi sunt;—4. *Francofordiense*, 794, Adriano I pontifice;—5. *Constantiense*, inchoatum sub Joanne XXIII, 1414, et finitum 1418 sub Martino V; a quo approbatæ sunt sessiones receptæ;—6. *Basileense*, indictum a Martino V, sed hoc e vivis exempto, convocatum ab Eugenio IV, anno 1431, finitum 1449, quo tempore cessit Nicolao V pontifici tam concilium, quam papa Felix V in schismate ab ipso concilio creatus.

4° Generale concilium nec approbatum, nec improbatum videtur esse *Pisanum*, quod anno 1409 deposuit Gregorium XII et Benedictum XIII, et elegit Alexandrum V.

V. Decreta conciliorum generalium, si a sede apostolica confirmata sint, obtinent plenum robur, et auctoritatem ita ut hujusmodi decreta, si fidei orthodoxæ doctrinam concernant, perinde, ut quatuor Evangelia, amplectenda, et retinenda sint; si vero morum reformationem spectent, vim legis universalis, omnes Christi fideles obligantis, obtineant. Ratio de *decretis reformatoriis* est, quia hujusmodi leges papa solus potest condere; ergo multo magis ea condere potest cum concilio generali. De *decretis fidei*

autem ex eo ostenditur, quia ejusmodi concilia, capiti suo unita, assistentiam habent Spiritus sancti, qui est Spiritus veritatis, et repræsentant totam Ecclesiam, quæ est columna et firmamentum veritatis; et hinc sanctus Augustinus (epist. 162) ejusmodi canones appellat ultimum Ecclesiæ judicium, quod quia infallibile nullique errori obnoxium est, mutari, et retractari, nisi errando, non potest, teste Epiphanio (hæresi 77).

« Ex quo sequitur, adhuc, ut hujusmodi decreta infallibilitatem et vim legis universalem Ecclesiam obligantis obtineant, indigere illa approbatione, et confirmatione pontificis; secus utraque destituentur. Hinc acta conciliorum omnia ad Romanum pontificem transmitti, eorumque confirmatio peti debet, ut robur obtineant; et ita semper factum est a Nicæno I concilio usque ad Tridentinum (sess. 25, cap. 21, *De reform.*)

« Proceditque hoc, etiamsi in concilio præsederint legati pontificis; nam hoc non obstante, Romam, ut semper factum est, ab ipso pontifice confirmanda transmitti debent (*Nicæn.* I, *Epist. ad Sylv.*; *Chalced.*, *Epist. ad Leonem papam*). Nam pontifex est supra concilia, non vero concilia supra pontificem.

« Ex quo sequitur, a concilio generali, convocato in causa hæresis papæ, vel schismatis, statui quidem ea posse, quæ præsens Ecclesiæ status, et recta gubernatio exposcit; quia alias omni humano præsidio destituta, magis perturbaretur, et gravibus periculis exponeretur; non tamen ab eo posse condi leges Ecclesiæ universales, utpote cum careat capite. »

Concilium generale condere non valet decreta, seu leges, ipsum papam obligantes; quia inferior in superiorem, imo par in parem jus, et legem ferre non potest, ut explorati juris regula habet can. *Inferior* 4, junct. Glos. V., eadem dist. 21, cap. *Cum inferior* 16, *De major. et obed.* l. *Nam magistratus* 4, ff. *De recept. qui arbitr.* Atqui Romanus pontifex supremam in terris potestatem habet, et idcirco nemini subjectus est, ut constat ex verbis Christi : *Tu es Petrus... quodcunque ligaveris*, etc. (*Matth.* XVI, 18.) Quibus D. Petro, ejusque successoribus supernam, nullique subjectam potestatem traditam esse, sanctorum Patrum doctrina, et Ecclesiæ traditio constans semper fuit, ut late ostendit Bellarm. l. II *De sum. pont.*; Suar. *De fide* d. 10, etc. (Schmalz. *Dissert. proœm.* § 8, n. 340 ad 354.)

§ IV. — De particularibus conciliis.

I. Concilia particularia sunt triplicis generis, 1° *nationalia*, quæ celebrat aliquis patriarcha, vel primas, aut etiam papa cum archiepiscopis et episcopis unius alicujus regni, vel nationis, seu duarum, trium, vel plurium provinciarum.

2° *Provincialia*, quæ archiepiscopus, vel metropolitanus celebrat cum suis suffraganeis episcopis, abbatibus, aliisque clericis suæ provinciæ. Præest illis archiepiscopus, sive metropolitanus, et ab ipso convocantur. Interesse illis sub certis pœnis jubentur omnes episcopi, et alii, quibus id vel de jure, vel de consuetudine competit. Olim haberi debebant singulis annis, bis. Postea constitutum, ut celebrarentur semel saltem in anno, quod tempus denique a Tridentino sess. 24, cap. 2 *De reform.*, relaxatum est ad triennium, et injunctum archiepiscopis, ut singulis saltem trienniis hujusmodi synodos provinciales celebrarent.

3° *Diœcesana* seu *episcopalia*, quæ celebrantur ab episcopo, aut sede vacante, a capitulo cum abbatibus, aliisque prælatis, et clericis suæ diœcesis. In eis ordinarie nullus est qui jurisdictionem habeat, præter unum episcopum, qui tali synodo præsidet. De jure haberi deberent singulis annis, juxta can. *Quando* 2, junct. *Glos.* fin. dist. 38; can. *Placuit* 51, junct. Glos. V. *Concilio caus.* 12, quæst. 2; can. *Abbates* 16, pr. caus. 18, quæst. 2; Trident. sess 24, cap. 2. fin.

II. Ut concilia particularia, certæ nationis, provinciæ, diœcesis subditos obligent, opus non habent confirmatione apostolica, modo in talibus conciliis nihil statuatur contra canones et consuetudines universalis Ecclesiæ. (Laym. lib. I, tract. 4, cap. 7 n. 2; Pirhing. *proœm.* n. 19; Wiestner, ibid. 138.) Et patet ex can. *De conciliis* 2, et can. fin. dist. 18; et confirmatur ex Trident., quod sess. 24, cap. 2, *De reform.*, præcepit observari ea, quæ in concilio provinciali ordinata fuerint, sine ulla mentione confirmationis apostolicæ. Accedit ratio, quia episcopi et archiepiscopi habent potestatem condendi statuta, obligantia subditos diœcesis propriæ, dummodo nihil statuant, quod canonicis obviet institutis. (Cap. *Si quis* 2, *De*

major. et obed. et cap. fin. *De constit.* in 6.)

III. Concilia particularia, nationalia scilicet, provincialia et diœcesana, decreta fidei, seclusa commissione apostolica, condere nulla possunt. Statuta, seu decreta morum facere quidem possunt, sed hæc ultra nationem, provinciam vel diœcesim vim obligandi non porrigunt, nisi sedis apostolicæ auctoritate pro tota Ecclesia recepta et approbata sint, sicut a Leone IV, recepta et approbata sunt Ancyranum, Neocæsariense, Gangrense, Antiochenum, Laodicense et quædam alia. (Can. *De libellis* 1 post princ. dist. 20; PIRHING. *Proœm.* n. 19; SCHMALZ. *Dissert. proœm.* § 8, n. 358.)

CAPUT XII.

De fontibus juris ecclesiastici a summo pontifice immediate derivatis.

Congregationes S. R. E. cardinalium in curia Romana exsistentes, a summis pontificibus creatæ sunt, proindeque ab ipsis pontificibus suam potestatem acceperunt. Unde istarum sacrarum congregationum auctoritas sese extendit juxta potestatem ipsis a summo pontifice factam.

§ I. — De decretis et declarationibus sacræ synodi Tridentinæ, et de sacra congregatione Concilii.

Conciliorum generalium novissimum est sacrosancta et œcumenica synodus Tridentina. « Hujus concilii par cum cæteris œcumenicis, et ab Ecclesia receptis conciliis auctoritas est : unde fit, quod omnia ejus decreta dogmatica, ut articuli fidei firmissime retinenda, ea vero, quæ reformationem morum concernunt, tanquam commune et novissimum jus Ecclesiæ, custodienda et observanda sunt, ubicunque legitime promulgata, nec per desuetudinem aut consuetudinem contrariam abrogata fuerint. Ita communis et certa sententia doctorum catholicorum. » (SCHMALZ. *Dissert. proœm.* § 9, n. 360.) — *De congregatione Concilii et aliis sacris congregationibus* [remissive.])

§ II. — De bullario, cancellariæ apostolicæ regulis, et Romanæ Rotæ decisionibus.

I. *De Bullario et Bullis.* — Bullarium Romanum, diversas summorum pontificum Constitutiones complectens, evulgatum fuit primo ductu et auspicio Sixti V, deinde, dedicari sibi Bullarium hoc augmentatum permisit Urbanus VIII. Verum ex hoc auctoritas canonica dicto Bullario, ait Schmalzgrueber (*Dissert. proœm.* § 10, n. 387) nulla concessa est.

« Quare dicendum, tum primum bullas, in eo contentas, habituras auctoritatem juris, Ecclesiam universalem obligantis, quando legitime constat quod pro tota Ecclesia latæ, rite promulgatæ, et usu receptæ fuerint, atque insuper cum originalibus congruant : secus si fiat, auctoritate legis destituentur, et sententia contra illas lata irrita non erit, nec in judicio illis fides habebitur. Quia sic præsumitur, probabilis ignorantia talis bullæ extravagantis, vel saltem merito credi potest, eam non fuisse usu receptam. » Ita communiter.

« Moveri quidem dubium potest etiam de iis quas constat rite promulgatas esse, et cum originalibus suis concordare, propter constitutionem Bonifacii VIII, quæ incipit *Sacrosuncta anno* 1298, cum libro VI *Decretalium* edita, ubi pontifex statuit non recipiendas, nec pro decretalibus habendas prædecessorum suorum constitutiones quæ sexto illo libro clausæ non reperiuntur. Verum cassatio ista et annulatio referenda est solum ad eas constitutiones quæ juris ecclesiastici communis vim habere ante debebant, aut videbantur : non vero ad illas quæ pro universali Ecclesia post constitutionis istius editionem latæ sunt. Imo nec iis præjudicat, quæ ante illam constitutionem sunt editæ, si pro personis, locis, vel communitatibus particularibus, v. gr. certæ alicujus diœcesis, civitatis, ecclesiæ, monasterii, vel totius familiæ religiosæ favore emanarunt, cujusmodi plures constitutiones in Bullario exstant; nam hæ adhuc jus facient pro iis, pro quibus latæ sunt, et eatenus etiamnum hodie validæ sunt. » (SCHMALZ. *Diss. proœm.* § 10, n. 388, 389.)

II. *Regulæ cancellariæ* feruntur ab unoquoque pontifice, initio sui pontificatus; et morte cujuslibet papæ illas promulgantis jus per eas introductum exstinguitur. Aliæ particulares ipsi cancellariæ præscribuntur et litterarum solummodo expeditionem in curia faciendam concernunt. Aliæ generales sunt, quæ de reservationibus apostolicis, de dispensationibus, de indulgentiis impetrandis, et concedendis, de certis beneficiis per papam conferendis, eorumve resignationibus, et annali, vel triennali possessione, etc., agunt.

Priores solum cancellariam, et ipsius offi-

ciales ligant, quia eæ regulæ solum sunt constitutiones locales.

Posteriores juris universalis, etiam extra curiam et Urbem obligantis, sed novo modo, et forma ex dispositione pontificis introducti, vim et auctoritatem habent : et in judicio, saltem cum a S. R. E. vicecancellario impetratæ producuntur, fidem faciunt. Ratio duplex : 1° quia ex persona conditoris metienda est lex, utrum universalis illa, vel specialis sit (ca. fin. *De const.* in 6); atqui conditor istarum regularum est pontifex, qui generalem habet jurisdictionem in toto orbe : ergo et lex ab eo condita generalis erit, nisi materia particularis, et ad personas vel communitatem particularem restricta sit. 2° Materia legis modificat legem, et determinat illius limites, odiosa namque restringit, favorabilis ampliat legem. (Reg. *Odia* 15, in 6.) Atqui materia regularum cancellariæ, ut sunt beneficia, dispensationes, aliæque gratiæ pontificiæ, est favorabilis. Ergo extenditur ad omnes toto orbe summo pontifici subjectos. 3° Tandem ab his regulis specialiter excipiuntur cardinales. Ergo cæteri omnes comprehenduntur; nam exclusio unius est inclusio alterius (l. *Cum prætor* 12, ff. *De judic.*), adeoque constituunt jus universale.

Unde sequitur illas regulas etiamnum vigere et obligare in omnibus regionibus, ubi neque per leges contrarias aut concordata, neque per contrariam legitimam consuetudinem eis derogatum fuit.

Utrum vero cancellariæ regulæ adhuc vigere censendæ sint in Gallia? Præclarus Bouix (tract. *De princip. jur. can.* part. II, sect. 3, cap. 4), demonstravit :

1° « Regulas cancellariæ usque ad Concordatum anni 1801 viguisse in integrum in magna Galliarum parte; in reliquis vero ejusdem regni ditionibus, fuisse eis a Leone X in nonnullis derogatum. At in ipsomet Concordato quo derogationes illæ sanciebantur, agnoscebatur principium supremi juris pontificii in beneficia; siquidem quoad beneficia vacantia in curia, et quoad potestatem pontificiam conferendi *jure præventionis*, Romani pontificis prærogativa intacta relinquebatur..... Ad quæstionem non facit adducere quædam parlamentorum arresta aliaque hujusmodi ultimis temporibus attentata. »

2° « Attenta tantum vi Concordati anni 1801, regulæ cancellariæ vigere hodie in Gallia censendæ forent.... Quia omnes novæ postea erectæ Ecclesiæ, sub communibus Ecclesiæ juribus ortæ fuerint. »

At Concordatum istud regulis cancellariæ derogat quoad nominationem parochorum, non quoad aliorum beneficiorum collationem.

« Ex regulis cancellariæ tam beneficia curata quam cætera reservantur papæ octo anni mensibus, ita ut collatores ordinarii conferre possint tantum quæ quatuor aliis mensibus vacant. »

« Unde attento solum Concordato, concludendum primam post episcopum dignitatem in cathedralibus esse juxta regulas cancellariæ sanctæ sedi ubique in Gallia reservatam; et item reservatos canonicatus quoties in curia Romana vacant; et item cæteros canonicatus qui vacant octo papalibus mensibus. Neque ullum intervenisse audimus pontificium decretum a tempore Concordati, per quod derogatio cancellariæ regulis quoad id induceretur. »

« Praxis a tempore Concordati in Gallia obtinens dubitandi causa esse potest utrum ibi vigeant hodie cancellariæ regulæ. »

« A tempore Concordati nominatio non tantum ad parochias, sed etiam ad dignitates et canonicatus omnes ab episcopis fieri solet. Quæ praxis non tantum cancellariæ regulis contraria est, sed et juri communi *collationis simultaneæ*, id est per episcopum, simul et capitulum peragendæ, imo et veteri Gallicano juri. Porro per talem praxim inductam fuisse regulis cancellariæ derogationem suadent sequentes rationes :

« 1° Illa praxis jam quadragenaria est; porro ad præscribendum contra legem universalem Ecclesiæ in materia disciplinari præscriptibili sufficere 40 annos communiter doctores admittunt. »

« 2° Novit hanc praxim Romanus pontifex, et non tantum silet, sed et ex multis actis Romanæ curiæ prædictas collationes tanquam validas ab ipso haberi supponi potest..... »

« 3° Ob leges civiles et necessarias cum gubernio relationes incumbit ita agendi necessitas.

« Illis tamen rationibus aliæ opponi posse videntur :

« 1° Ita praxis nondum est quadragenaria in diœcesibus anno 1822 erectis.

« 2° Etiam ubi est quadragenaria, non

videtur vestiri conditionibus ad legitime præscribendum requisitis. Nam præterquam quod regulæ cancellariæ muniuntur decreto irritante contrarias quæ in futurum introducerentur consuetudines, certum est et ab omnibus admissum.... consuetudinem legi prævalere non posse nisi princeps aliquo modo, tacite saltem, consentiat. Porro consensus Romani pontificis in præsenti re non videtur adeo certus ;.... quia silentium papæ ex prudenti œconomia servatum fuisse videtur. Unde consensus, nisi aliunde constet, legitime præsumi nequit. Quo deficiente consensu, non valet etiam quadragenaria praxis.

« 3° Nec convincit ratio ex impossibilitate regulas cancellariæ servandi ob necessarias cum gubernio relationes..... Nam episcopus tam facile nominationis testimonium guber" nio transmittere potest quando juxta cancellariæ regulas nominatio per papam peragitur, quam in casu quo ipsemet nominat. »

Concludit idem auctor : « Totam vero de hac quæstione opinationem nostram, habeas, lector, non tanquam absolute assertam, sed ut doctiorum crisi et superiorum judicio penitus subjectam : timemus enim ne sanctæ sedis juribus molliori calamo in hac materia detraxerimus : timemus et ne quibusdam nimii videamur. »

[Tota hæc quæstio de cancellariæ regulis et reservationibus legenda est in tractatu *De principiis juris canonici* a D. Bouix.]

De Rotæ Romanæ decisionibus. — Juxta communiorem sententiam, Rotæ Romanæ decisiones inter partes litigantes jus faciunt, tanquam sententiæ judiciales, ita ut sicut istæ, ita et illæ, si transierint in rem judicatam, amplius everti nequeant. Non tamen jus faciunt inter alios, et extra curiam, quamvis magnæ sint auctoritatis, talisque, ut sine magna ratione et gravi auctoritate ab iis recedendum non sit.

Insuper eædem decisiones, si plures, easque uniformes circa eamdem causam emanaverint, consuetudinem et stylum in curia Romana pariunt, ut tradunt doctores, ita ut proinde alii judices in similibus causis eidem Rotæ merito se conforment. Per hoc tamen aliis judicibus non imponitur necessitas, ut secundum Rotæ decisiones judicent, nisi quatenus meliora juris fundamenta aliunde non suppetant. (Ita multi apud Schmalz. *Dissert. proœm.* § 10, n. 396 ad 399.)

§ III. — De concordatis.

Ad concordata quod attinet, apostolica sedes cum multis nationibus et regnis concordata de negotiis ecclesiasticis inivit. « Cum Romanus pontifex, ut præclare scripsit August. De Roschovany (in suo lib. *De primat. Rom. Pont.* § 84), vi primatus supremam omnium Ecclesiarum sollicitudinem gerat, ad augmentum boni religionis et Ecclesiæ catholicæ semper vigilare et curare debet, ut cum civilibus guberniis de securitate et libertate Ecclesiæ, de jurisdictione et disciplina, de privilegiis et immunitatibus amicabiliter tractet, et pacta ineat legibus Ecclesiæ conformia. Verbo, jus concordata ineundi arctissime cohæret cum natura primatus, et universalis inspectionis Ecclesiæ. Concordata porro hoc etiam nomine gravissimi sunt tum pro Ecclesia, tum pro civitate momenti, quod dum per illa nexus utriusque insigniter emicat, e re utriusque sit, ut eadem in vim legum fundamentalium assumantur.

« .... Hæc autem concordata rationem habent non privilegii, sed pacti, estque illud pactum non temporarium vel personale, sed reale ac perpetuum, quod religiose observandum est.

« Febronio temere affirmanti, « Prætendit curia (sic apostolicam sedem nominat) concordatis se non ligari, » respondet auctor *Febronii abbreviati*, cum notis t. III, § 14, Francofurti et Lipsiæ 1785 : « Ubi probatio ? hoc per se et simpliciter dictum falsissimum est : audiantur solum ipsi summi pontifices Innocentius X, Clemens VII, Paulus V, Gregorius XIII ; dein distinguatur inter *potestatem* summi pontificis, et *usum potestatis*, prout Germaniæ canonista D. Barthel. Dissert. gen. *De concord.* cap. 3, sect. 2, num. 3 et 5, ubi ait : « Cum utilitas communis evidentissima, puta, si moderna disciplina in graves, communes et constantes abusus patenter degeneraret, etc., aut extraordinaria gravissima flagitaret Ecclesiæ necessitas ex plenitudine potestatis, dominante charitate et prudentia duce, a summo pontifice provideri posse, atque hoc sensu ejusdem potestatem, generalem superintendentiam et imperium supremum, veluti essentiale divinitus concessi primatus reservatum, per concordata inabdicabile, vel potius sub concordatis nunquam comprehensum coarctatumque fuisse inficiari non

ausim ; plenitudo enim potestatis pontificiæ ex jure divino respicit bonum commune Ecclesiæ : ergo quomodocunque paciscatur summus pontifex, non potest excludere hanc conditionem, nisi aliud exigat commune bonum Ecclesiæ : atque in ordine ad hoc ipsum condita erectaque sunt concordata : medium vero desinit esse tale, dum evidenter fini intento adversatur. « Vides hic distingui inter *potestatem* et *usum potestatis;* hunc in pontifice ligari, per concordata, potestatem non ligari, atque in hoc sensu loquuntur et intelligendi sunt, vel potius combinari debent pontifices, qui dicunt se concordatis ligari, et alii ex adverso se non ligari. » (Cardinal. Soglia. *Inst. jur. publ. Eccles.*, cap. 3, *Prænotion.* § 60).

Ex prædictis sequitur concordata esse contractus synallagmaticos utramque partem obligantes ex jure naturali et ex jure gentium, sed ex jure divino concordata pendent a potestate suprema summi pontificis, qui proinde solus ea concedere, modificari, interpretari, et de eorum sincera exsecutione judicare potest. Unde ex jure naturali et gentium, ex jure divino nihil ab altera contractante parte addi aut detrahi concordatis potest, defectu potestatis. Proindeque omnis additio, omnis lex organica quæcumque sive extendens sive limitans concordata, et a sola civili potestate lata, est pleno jure nulla, imo erga Ecclesiam juris naturalis et gentium, jurisque divini violatio, quam Ecclesiæ etiam longissima patientia validare unquam nequit. Tandem animadvertendum est concordata juri communi et universali Ecclesiæ non derogare nisi in mensura dispositionum, quas relative ad certas quasdam institutiones determinatas continent. In reliquis omnibus, omnem vim ac auctoritatem suam juri Ecclesiæ communi relinquunt. (Phillips, *Du droit ecclés. Sources du droit ecclés.* § 155, *Des concordats*).

§ IV. — De rescriptis.

I. *Quid et quotuplex sit rescriptum.* — Rescriptum, prout hic sumitur, est responsum a Papa ad alicujus supplicationem, relationem, vel consultationem in scripto datum.

Dividitur in rescriptum contra jus, præter jus, et secundum jus; in *generale*, quod habet vim obligandi omnes subditos, et *speciale*, quod inter certas solum personas, et ad certas causas, vel negotia, certum locum, aut tempus datum est. Fieri autem ex speciali potest generale, si jussu et auctoritate principis inseratur juri communi, et omnibus servandum proponatur.

Et præcipue dividitur in rescriptum gratiæ, justitiæ, et mistum :

1. *Rescripta gratiæ* dicuntur, quibus ex liberalitate principis aliquid præter aut contra jus commune conceditur, ut sunt, quæ expediuntur super resignationibus beneficiorum, collationibus et dispositionibus aliis.

2. *Rescripta justitiæ*, sive *ad lites* vocantur, quæ ad justitiæ administrationem, fere secundum jus commune, faciendam tendunt, ut quando papa causæ ad se delatæ cognitionem committit judicibus delegatis.

3. *Rescripta mista* denique dici possunt, quæ gratiam simul et justitiam continent, ut si exsecutori mandetur, ut conferat beneficium, simulque ei detur potestas compellendi resistentes. Porro in dubio præsumitur esse rescriptum justitiæ, non gratiæ; nam qui gratiam allegat, eam probare debet. (Schmalz. part. I, tit 3, n. 1-2.)

II. *De concessione et obtentione rescriptorum.*—1. Rescripta proprie dicta concedere potest solus et omnis princeps superiorem non recognoscens, qualis est pontifex in spiritualibus, in temporalibus imperator, reges et alii principes supremi.

2. Rescriptum impetrari potest super rebus omnibus, de quibus litigari potest, quæve ex officio vel gratia concedi possunt.

3. Impetrari potest rescriptum contra quemcunque, modo is contra quem impetratur, subsit jurisdictioni concedentis.

4. Impetrari potest rescriptum a quocunque, sive actor ille sit, sive reus, nisi specialiter prohibeatur. Prohibentur autem 1° servi, nisi ex atrocissimis causis; 2° falsus aut revocatus procurator; 3° hæreticus; 4° alii excommunicatione majori.

Attamen validum est rescriptum ab excommunicato impetratum : 1° si illud excommunicatus impetraverit a papa super causa excommunicationis suæ; 2° si excommunicatus sit tantum conditionate ; 3° si sit minor solummodo excommunicatio; 4° si impetrans rescriptum in excommunicationem primum incurrit post rescriptum justi-

tiæ impetratum; 5° si papa excommunicationis conscius, rescripsit.

5. Certum est neminem posse impetrare rescriptum justitiæ, seu ad lites pro alio, sive nomine illius, sine speciali ejusdem mandato. Excipiuntur tamen 1° personæ conjunctæ, ut sunt liberi, parentes, fratres, affines, liberti; 2° aliæ personæ jure non expressæ, si judicis arbitrio videantur ita affectæ esse erga eas, pro quibus rescriptum impetrarunt, ut sine fraudis suspicione pro illis in judicio admitti possint, etiam sine speciali mandato; excipitur 3° Procurator generalis; excipitur 4° nisi aliter consuetudo obtineat; nam (ut NAVAR. caus. 4 hic, n. 9, cum aliis notat) de facto ex stylo, et praxi Romanæ curiæ, valent rescripta ad lites, etiam sine speciali mandato pro extraneis impetrata.

6° Rescripta gratiæ impetrari possunt pro alio etiam sine hujus mandato, et eo ignorante; sed eo casu illi, cui impetratum est tale rescriptum, non acquiritur per illud jus in re ante acceptationem illius.

III. *De rescriptorum forma.*—Ad validam rescripti formam requiritur 1° ut nomen pontificis, et annus incarnationis, item pontificatus, dies, locusque subjiciatur; alioquin rescriptum de falsitate suspectum redditur. 2° Ut observetur stylus usitatus. Est autem stylus curiæ Romanæ, ut pontifex in suis rescriptis patriarchas, archiepiscopos, episcopos, *fratres*, reges autem, principes, et alios cujuscunque ordinis, sive clericos, sive laicos *filios* appellet; et cum uni tantum personæ rescribitur, nunquam fit usus pluralis numeri: quæ si in rescripto aliquo neglecta fuerint, id falsum censebitur. 3° Ut rescripta gratiæ bullentur cum filo serico rubro, et croceo; rescripta justitiæ autem cum filo cannabis, in quo plumbum pendet.

Quid vero exprimi debeat in *rescriptis justitiæ*, seu *ad lites* et *in rescriptis beneficialibus*, legendum est apud canonistas, præsertim apud Schmalzgrueber part. 1, tit. 3, n. 9 et 10.

Rescripta dari possunt vel ad *instantiam* impetrantis, vel *motu proprio* principis. Porro clausulæ istius *motu proprio*, si litteris suis adjiciat princeps, ea vis est, ut quamvis non tollat obreptionem, commissam per narrationem falsi, tollat tamen regulariter subreptionem commissam per reticentiam veri, seu alicujus veritatis de jure, vel stylo curiæ exprimendæ.

Dixi *regulariter*, nam tres casus excipiendi sunt, in quibus motus proprius etiam non tollit subreptionem: 1° quando veritas per reticentiam suppressa respicit jus tertii cui per rescriptum præjudiciatur; 2° quando suppressa est inhabilitas personæ, v. gr. irregularitas; 3° quando tacetur qualitas beneficii intrinseca, ut quod sit curatum, etc.

Aliæ clausulæ addi rescriptis, vel subintelligi solent: 1. *Si preces veritate nituntur*, vel, *si ita est...* ex hac clausula, rescriptum gratiæ, si res non ita se habet, ut in supplicatione rescripti dicitur, est ipso jure nullum, non vero rescriptum justitiæ in quo inseritur tantum ad institutionem judicis, quomodo secundum justitiam procedere debeat. 2. *Salvo jure alterius.* 3. *Si is cui datur beneficium ecclesiasticum, dignus sit*, hoc est, si impedimentum canonicum nullum habeat. 4. Additur rescriptis derogatoriis privilegiorum, et effertur his verbis: *Non obstantibus quibuscunque privilegiis, sub quacunque verborum forma concessis.* Per hujusmodi clausulam non derogatur privilegiis corpori juris communis insertis, sed regulariter privilegiis jure communi non comprehensis derogatur. Addidi *regulariter*: nam 1. *excipiuntur* privilegia, quæ ita concessa sunt, ut per nullam constitutionem revocata censeantur, nisi quæ ipsorum expresse meminerit. *Excipiuntur* 2. privilegia concessa per modum contractus, v. g. in compensationem meritorum.

IV. *De vitiis rescriptorum.*—Pluribus modis vitiari vel suspecta reddi rescripta possunt, sed præcipue vitiantur per obreptionem et subreptionem. Sæpe obreptio cum subreptione confunditur, proprie tamen diversum quid sonant; nam *obreptio* proprie committitur per narrationem, vel expressionem falsi; *subreptio* per reticentiam, sive suppressionem veri. Quocunque modo ex istis vitietur rescriptum, non prodest impetrantibus; quia in omni rescripto exprimitur, vel subintelligitur clausula, *si ita est, si preces veritate nitantur.*

Discrimen tamen aliquod faciendum est: nam rescripta gratiæ ipso jure sunt irrita si obreptitie vel subreptitie impetrata sint per textus c. *Ad audientiam* 31, tit. III; c. *Si motu* 23, *De præb.* in 6; et Clem. 1, eod. At rescripta justitiæ communiter et ordinarie

solum sunt irritanda ope exceptionis, c. *Si autem* 9, et c. *Plerumque* 23, tit. III. l. 1. Decret.

Admittitur aliqua exceptio, etiam pro rescriptis gratiæ, quando obreptio vel subreptio, sine dolo, per simplicitatem, vel ignorantiam contingit, ex c. *Gratia* 7, tit. III in 6; et c. *Si pro clericis* 8, *De præb.* in 6 : ex pluribus decisionibus *Rotæ*, præsertim *in una Senensi*.— (Vide SCHMALZGRUEBER, t. I, part. I, tit. III, § 3; PIRHING. lib. I, tit. III; FAGNAN, in I part. primi *Decretal.* cap. *Inter cæteras*, etc.)

Itaque pontifex (c. 20 *De rescriptis*) tres regulas statuit de vitio precum.

Prima est : *Qui fraude vel malitia falsitatem exprimunt, aut supprimunt veritatem, in suæ perversitatis pœnam nullum ex iis litteris commodum consequantur.* Hæc autem regula tum rescripta gratiæ, tum etiam justitiæ complectitur : utraque enim ex communi sententia nulla sunt atque irrita, etiamsi suppressio veri, vel narratio falsi præcipua causa non exstiterit, quamobrem rescriptum concessum fuit. Rescripta tamen ad lites non ipso jure sunt irrita, sed ope exceptionis irrita fieri possunt. (Vide *auctores supra citat.*)

Secunda regula est : *Qui ex ignorantia vel simplicitate litteras impetrant, distinguendum est, quæ falsitas suggesta fuerit, vel quæ veritas sit suppressa. Nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occulta, quæ quamvis fuisset tacita vel expressa, pontifex nihilominus saltem in forma communi litteras dedisset, delegatus non sequens formam in litteris ipsis appositam, secundum ordinem juris causa procedat.* Igitur utile rescriptum erit, ubi ex ignorantia vel simplicitate falsum expositum, aut verum silentio prætermissum concessioni causam non dedit; nullam namque pœnam simplicitas et ignorantia meretur. Illud tamen pontifex admonuit in executione decreti, « non secundum formam in ipsis litteris appositam, sed secundum juris ordinem procedendum : » quo significatur hujusmodi decreta in substantialibus, ut aiunt, consistere; in reliquis autem juri communi accommodanda esse : ex. gr. si judex delegatus fuerit, ut de plano et appellatione remota procedat, delegatio judici valet, sed judici procedendum erit juris ordine servato.

Tertia regula : *Si per falsitatis expressionem, vel suppressionem veritatis litteræ fuerint impetratæ, qua tacita vel expressa nullus prorsus litteras pontifex dedisset, a delegato non est aliquatenus procedendum.* Hæc regula superioris appendix et explicatio est... Igitur rescriptum hujusmodi prorsus irritum habendum est, quandoquidem deficiente causa, quæ ad rescribendum pontificem movit, ipsius principis voluntas defuit, ex qua rescriptorum vis omnino pendet.

De vitio formæ. — Rescripta irrita sunt vitio formæ, si nimirum in earum expeditione vel desint characteres veritatis, vel notæ falsitatis inveniantur. Veritatis characteres habentur, si rescriptum exaratum sit secundum eas solemnitates quæ ex jure et stylo curiæ servari debent, quales sunt salutationes, sigilla, filum, charta, forma litterarum, subscriptio, data, aliaque id genus. Falsitatis vero notæ sunt : 1. Si rescripta in loco suspecto abrasa aut vitiata appareant ; locus autem suspectus est, quo *substantialis*, ut aiunt, rescripti pars continetur, nimirum pontifex declarat quid, quantum, quibus modis et conditionibus rescribat. 2. Si gravis et manifestus error Latinitatis occurrat. *Quibus litteris nostris*, ait pontifex (c. 11 *De rescriptis*), *cum manifestum continent in constructione peccatum, fidem te nolumus adhibere.* In quem locum sic habet Glossa : « Patet quod vitium Latinitatis vitiat rescriptum. Sed propter modicum defectum vel errorem, qui vel scriptori, vel nimiæ occupationi tribui potest, rescriptum non vitiatur. » Hinc Honorius III, c. 11 *De fide instrument.*, respondit : *Quia rescriptum apostolicum, pro eo quod in hac dictione* SPOLIARUNT *hæc figura* o *deerat, asseritur vitiosum : mandamus quatenus hoc non obstante in negotio ipso prævia ratione procedas.* 3. Si jus tertio quæsitum adimatur, nam regulæ de jure quæsito non tollendo derogare pontifex non censetur, quamvis rescriptum ediderit motu proprio, et ex certa scientia, aut de plenitudine potestatis, cum derogatione constitutionibus apostolicis et regulis cancellariæ, etiam cum clausula : *Quorum tenorem*, etc., aliisque generalibus derogationibus, sed prorsus opus est, ut ipsi regulæ *de jure quæsito non tollendo* expressis verbis derogetur, quo casu derogatio prodest, si de publica causa agatur, in qua jus tertii juri publico postponitur. At si de causis privatis ageretur, plures doctores dubitant utrum pontifex sine causa possit jus

quæsitum auferre, et idcirco rescripta hujusmodi, si quæ pontifex forte dederit, eo animo dedisse videtur, ut effectum consequerentur, si, et quatenus præjudicium tertii vitari possit. 4. Si clausulis derogatoriis non sint munita. Itaque si rescriptum juri communi contrarium sit, ipsius juris mentio et derogatio postulatur, ut appareat, pontifici rescribenti et contrarii juris scientiam et voluntatem derogandi non defuisse. Quapropter constitutiones generales a rescriptis in hoc differunt, quod pontifex constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur (cap. 11, *Licet, De const.* in 6); sed rescripta data contra legem non valent, nisi in ipsis fiat mentio de lege, ut notat Glossa in idem caput ad verbum *noscatur*. « Sed quæstio est, an derogatio generalis *contrariis quibuscunque non obstantibus* sufficiat, an derogatione specifica opus sit, ex. gr. *Non obstante constitutione concilii Lateranensis*. . . . . At vero textus Innocentii III (in concilio generali Lateranensi) et Honorii III (in cap. *Ex parte, De capellis monach.*) adeo perspicui sunt, ut interpretes accuratiores existiment, derogationem expressam et specialem desiderari, ubi rescripta a generalis concilii decreto aliena sint: cæteris autem canonibus et constitutionibus summorum pontificum necesse non esse, ut speciatim derogetur, sed generalem derogationem satis haberi, siquidem dicti textus de solis conciliis verba faciunt: excipiendas tamen esse regulas cancellariæ, quibus ex regula 71 nunquam derogatum censetur per quæcunque verba et decreta derogatoria, irritantia, universalia et amplissima, nisi ipsarum mentio disertis verbis habeatur. » (Cardin. Soglia, *Prænot.*, cap. 2, § 30, 31.)

V. *De auctoritate et usu rescriptorum.* — Rescripta pro varia negotiorum gravitate, vel per simplicem scripturam, vel per Bullas aut Brevia expediuntur.

In jure canonico plerique putant rescripta justitiæ, quibus peculiares quæstiones deciduntur, vim legis generalis habere, quamvis nec auctoritate publica in codicem relata sint, nec aliud contineant, ex quo compertum sit pontificem voluisse generalem legem condere. Sane Innocentius III, cap. 19 *De sent. et re jud.* sic edixit: *In causis quæ summi pontificis judicio deciduntur, et ordo juris et vigor æquitatis est subtiliter observandus, cum in similibus casibus cæteri teneantur similiter judicare; nisi forte cum aliquid, causa necessitatis aut utilitatis inspecta, dispensative duxerit statuendum.* Ex quibus verbis duæ conditiones desiderantur, ut inferiores judices secundum rescripta vel decisionem pontificis sententiam ferre debeant. Prima est ut casus sit omnino similis; secunda ut pontifex non egerit dispensative.

« Hæc autem sententia, quamvis inter juris interpretes communior sit, suos tamen adversarios experta est ob eam causam, quod pontifex non ea mente judicium profert, ut jus novum constituat, sed jam constitutum applicet, ideoque non legislatoris, sed judicis munere fungitur. Huc accedit etiam, quod jus inter privatos dictum, privatam utilitatem, non bonum publicum respiciat, et præterea publica promulgatione careat, quæ duo ad naturam legis maxime desiderantur.»—« Verum in medio relicta quæstione, illud apud omnes certum est, epistolas sive rescripta pontificis legem dubiam interpretantis jus commune constituere, etiamsi ad privatam consultationem data fuerint; tunc enim pontifex legislatoris personam gerit. »

« Rescripta gratiæ a die datæ vim exserunt.. Rescripta justitiæ a die factæ insinuationis generatim valere incipiunt; insinuari autem tandiu possunt, quandiu durat actio aut exceptio, ob quam impetrata sunt. At qui per annum insinuationem neglexit, et interim adversarius ejus aliud rescriptum consecutus est, rescriptum prius exspirat.» (Innocentius III, c. 23 *De rescript.*)

VI. *De executione et cessatione rescriptorum.* — Effectus rescriptorum duplex est: *effectus specialis* rescripti varius est pro varietate clausularum illi insertarum; *effectus generalis* et cuilibet rescripto communis est quod in negotiis et inter personas, in quibus et inter quas rescriptum conceditur, jus statuat et ad observationem ejusdem obliget omnes ad quos dirigitur. (l. *Quæ ex relationibus* 2, c. *De legib.*)

In foro interno ad exsequenda rescripta sufficit, si confessarius ad hoc electus ab oratore, sit approbatus ab episcopo, et doctor in theologia, vel jure canonico, aut saltem munitus privilegio apostolico, quale sosietas Jesu habet per const. Gregorii XIII,

Exponi, 3 *April.* 1582. (Schmalz. part. 1, tit. 4, n. 32.)

At in *foro externo*, rescripta apostolicæ sedis nonnisi viris in ecclesiastica dignitate constitutis, vel canonicis Ecclesiarum cathedralium exsequenda committi solent.

Antequam vero in utroque foro exsecutor rem commissam ad exitum deducat, inquirat oportet num preces veritate nitantur. Quamobrem rescriptum exsequi non debet, si obreptionem aut subreptionem aut aliud in eo vitium compererit.

Pluribus vero modis rescripta cessant.

1° Rescripta justitiæ concedentis morte exspirant, si res adhuc integra sit; res autem per litis contestationem, aut saltem per citationem integra esse desinit. Verum rescripta gratiæ, etiamsi res adhuc fuerit integra, per obitum concedentis non exspirant. (Cap. 5 *De præscript.* et c. 9 *De offic. Deleg.* in 6.)

2° Rescripta cessant lapsu temporis præfiniti. In rescriptis justitiæ terminus ad finiendam causam, si in rescripto præfinitus non sit, judicis delegati arbitrio præfiniri potest. Si vero dies præfinitus sit, delegatus intra eam diem munere suo fungi debet, ne jurisdictio sibi commissa evanescat. (C. 24 *De offic. jud. deleg.*) Sed quia terminus in commodum partium constituitur, ideo potest ipsarum consensu prorogari. (Cap. 4 eodem.)

Rescripta gratiæ ad vitam pontificis concessa intelliguntur, si hanc clausulam præferant *ad beneplacitum nostrum:* non item rescripta, quibus adjecta clausula *ad beneplacitum sedis apostolicæ*, quia sedes non moritur. (C. 5 *De rescript.* in 6.) Universim vero si rescripta gratiæ nullo temporis spatio obligata sint, perpetua habentur, videlicet duratura ad ejus vitam qui rescriptum consecutus est. At rescripta justitiæ hæredibus et successoribus etiam prosunt; nam rescripta gratiæ personam, rescripta justitiæ causam præcipue spectant.

4° Rescripta cessant morte ejus cui exsecutio rescripti mandata fuit, si tamen industria et fides personæ electa sit; idque intelligitur, ubi res committitur per hæc verba: *Fidei et diligentiæ tuæ committimus, discretioni tuæ mandamus, super quibus conscientiam tuam oneramus, per te expediri mandamus, ut personaliter exsequaris.* Et similia. Si vero delegatio non personæ, sed dignitatis intuitu facta sit, ut si dicatur *Vicario capitulari* vel *Ordinario Parisiensi*, tum potestas exsequendi rescripti transit ad successores, cum dignitas non intereat. (Cardinal. Soglia., *Prænot.* cap. 2, § 32.)

CAPUT XIII.

De consuetudine.

I. *Quid sit.* —In jure canonico *consuetudo* majorem vim ac considerationem obtinet quam in pleraque civili legislatione. Etenim consuetudo ut faciens legem admittitur, consecraturque jure canonico, seu auctoritate legislatoris ecclesiastici. Etenim cum Ecclesia sit omnium suorum subditorum mater, nunquam obliviscitur leges suas ad utilitatem suorum latas et ferendas esse; unde quoties ista utilitas consuetudine manifestatur, illam suo consensu consecrat et legitimat Ecclesia. Proindeque in eo sensu suam originem a jure naturali ducit consuetudo. Aliunde usus a generalitate fidelium introductos, quorumque prohibitioni non facile obtemperaretur, ex eoque multa nascerentur peccata, sapientius tolerat Ecclesia, dummodo istiusmodi usus non sint in se mali aut periculosi. Tandem multos usus ex legislatoris privilegio, aut ex bona majorum practica suam originem ducere noscit ac supponit, et sic cum traditione aliquam similitudinem habere. Consequenter, omne quod ad ædificationem, ad salutem facilius obtinendam, ad vitanda peccata melius facit, pia mater Ecclesia sui consensus auctoritate legitimat, et hæ nobis videntur esse rationes consuetudinis legitimitatis in jure canonico.

At notandum est consuetudinem omnibus requisitis ad illam legitimandam conditionibus munitam eamdem ac lex obligationem parere.

His positis, *consuetudo* jure canonico definitur (can. *Consuetudo* 5, dist. 1) his verbis: *Consuetudo est jus quoddam, moribus constitutum, quod pro lege suscipitur cum deficit lex.* Sensus est, quod consuetudo sit jus ad aliquid faciendum vel omittendum obligans, vel etiam aliquid permittens, introductum diuturno, libero et publico communitatis usu, approbante illo qui curam habet illius communitatis.

Differt 1° *a lege;* nam hæc prout opponitur consuetudini, ex publicæ potestatis ordinatione expressa, et publice promulgata

vim obligandi accipit; consuetudo autem ex usu tacite approbato a legislatore.

Differt 2° *a traditionibus proprie acceptis*; quia hæ non ex usu, sed Christi, aut apostolorum ejus, vel Ecclesiæ institutione ortæ sunt, et usu tantum conservatæ, atque ad nostra tempora propagatæ. (Suar. lib. VII *De leg.* cap. 4, n. 10.)

« Differt 3° a *præscriptione* pluribus et variis modis: nam primo, consuetudo respicit communitatem quam obligat, vel aliquid permittendo deobligat; præscriptio autem tantum respicit personas privatas, vel si communitatem, ista tanquam persona particularis spectatur. Secundo, ad præscriptionem non requiritur consensus ejus contra quem præscribitur; ad consuetudinem vero necessarius est consensus saltem tacitus principis, sive alterius, cujus legi per eam derogatur. Tertio, præscriptio locum habet tam in corporalibus, quam in incorporalibus; consuetudo tantum in posterioribus. Quarto, præscriptio minuit dominium, aut jus alterius; non consuetudo. Quinto, illa bonam fidem requirit et titulum; ista etiam mala fide induci potest, et tacitus populi vel principis consensus ipsi pro titulo est. Sexto, ad hanc universaliter decennium sufficit; in illa sufficit aliquando tempus breve, aliquando requiritur diuturnius. » (Schmalz. pars I, tit. 4 *De consuet. nat.*)

II. *Quotuplex sit consuetudo.*— Cum consuetudo propriissime habeat rationem legis; easdem divisiones patitur quas ipsa lex. Consuetudo canonica est, quæ vel clericorum duntaxat usu est introducta, vel si etiam a laicis, circa materiam spiritualem versatur, ut est consuetudo jejunandi, vel observandi aliquod festum.

Alia est *generalissima*, quæ extenditur per orbem universum, ut jus gentium: alia *generalis*, sive *communis*, quæ observatur in toto imperio, regno, natione, vel provincia; alia *specialis*, quæ viget in una civitate, oppido, pago; alia specialissima, quæ recepta est in minima parte populi, ex. gr. in una ecclesia, monasterio, collegio, etc.

Et præcipue alia est consuetudo *secundum legem*, quæ legem jam conditam diuturno usu confirmat vel etiam interpretatur. (Can. *In istis* 3, § *Leges*, dist. 4.) Ita ex sola consuetudine, et hujus interpretatione habetur quod lex quadragesimalis jejunii non violetur potu, aut modicissima sumptione cibi; violetur autem illud, quod prærequiritur ad sumptionem SS. Eucharistiæ.

Consuetudo *præter legem* est, quæ inducit jus novum et præcipit vel prohibet aliquid de quo nulla lex ante fuit. (Can. *Consuetudo* 5, dist. 1.)

Consuetudo *contra legem*, sive huic contraria, est ea qua introducitur oppositum legis, sive juris humani antecedentis, et istius dispositio vel usu non recipitur, vel recepta abrogatur, vel ei derogatur.

Consuetudo 1° non potest introduci a persona privata et particulari, proindeque nec a principe seu legislatore ipso; videtur tamen introduci posse a persona privata, sed publica; potest enim hæc consuetudine a se introducta aliquando se eximere ab obligatione legis, ex. gr. episcopus qui obligatus erat in correctione subditorum procedere ex concilio capituli, ut non amplius teneatur illud exquirere. (Cap. *Non est* 3, tit. IV, in 6.) Communitas imperfecta, qualis est familia quædam, non potest introducere consuetudinem, quæ vim legis habeat. *Certum est* 2° communitatem perfectam, qualis est provincia, regnum, superiorem non cognoscens, et etiam recognoscens, qualis est ex. gr. quando episcopatus constitutus sub episcopo, regnum constitutum sub rege, provincia sub principe habente absolutum imperium in subditos regni, vel provinciæ, uno verbo, communitatem, cui lex imponi potest, consuetudinem quæ vim legis habeat introducere posse. (Schmalz. p. I, tit. 4 *De consuet.* § 1, n. 4.)

III. *De conditionibus ad legitimam consuetudinem requisitis.* — Ut non mere facti, sed juris consuetudo sit, quatuor conditiones a DD. communiter requiruntur, 1° Ut sit rationabilis; 2° ut duraverit tempore requisito; 3° ut intercesserit requisita actuum frequentia, et horum qualitas; 4° denique ut adsit consensus legislatoris. De quibus particulatim agendum est.

1. *De consuetudinis rationabilitate.* — Rationabilis dicitur illa consuetudo, quæ est de re honesta ac utili reipublicæ; sive, ut alii fusius eam explicant, quæ non est contraria juri naturali, nec divino positivo, nec religioni adversatur, nec est contra Ecclesiæ libertatem, nec licentiam, vel occasionem peccandi præbet, nec bono communi, et publico noxia est, etc. De quibus omnibus utrum consuetudo ea habeat, prudentis ju-

dicis arbitrio relinquendum putant aliqui. (*Synopsis Pirhingiana*, lib. I, tit. IV, § 5.) Irrationabilis censenda est consuetudo, 1° quæ a jure canonico reprobatur; 2° quæ peccatorum occasio est et fomes; 3° per quam rumpitur *nervus* disciplinæ ecclesiasticæ, ut de non servandi ulla interdicta neque ullas excommunicationes a papa vel ab episcopo prolatas (cap. *Cum inter, De consuet.* tit. IV, lib. I *Decretal.*), aut non sese submittendi visitationi episcopi (cap. *Irrefragabili* 13, *De offic. ordinar.* et cap. *Cum ex officii* 16, *De præscript.*); 4° Irrationabilis censenda est consuetudo placiti regii, quæ aliud esse non potuit nec poterit quam violentia in Ecclesiam, abusus et corruptela; 5° consuetudo qua episcopi alicujus regionis decreta pontificia non acceptarent nisi a se probata, etiam testante pontifice se non liberam facere acceptationem, irrationabilis et detestabilis censenda foret; quia independentes a capite faceret episcopos contra divinam institutionem; 6° consuetudo impediens ne legati sedis apostolicæ recipiantur in provinciis, irrationabilis et prorsus detestabilis censenda est, quia multoties reprobata fuit tanquam juri divino Ecclesiæ opposita.

2. *De tempore requisito ad legitimam præscriptionem consuetudinis.* — Ex ultimo cap. tit. IV, lib. I *Decretal.* probatur, quod consuetudo, ut vim aliquam habeat, debeat esse rationabilis et legitime præscripta. At ex DD. sententia, « ad introducendam consuetudinem *præter legem*, si via conniventiæ illa introducatur, id est, si introducatur sciente et tolerante principe, cum tamen facile contradicere posset, si vellet; probabilius est, non requiri certum tempus, quia tunc non tam per præscriptionem, sed per tacitam principis personalem approbationem introducitur consuetudo. Sufficit ergo ad introducendam talem consuetudinem tanto tempore eam continuare, quantum necesse est, ut ex prudenti arbitrio princeps consensisse, in eam personaliter censeri possit. — Si vero via præscriptionis ignorante scilicet principe, decennium (*ut in jure civili*) recte putant DD. sufficere ad introducendum via præscriptionis jus consuetudinis canonicæ, *præter legem*, saltem si non derogetur illi juri alterius Ecclesiæ... » — *Contra legem.* « Si tamen consuetudini introducendæ resistat lex, non quidem reprobando eam, tanquam irrationabilem aut corruptelam (quæ consuetudo quamvis immemorialis sit, ad præscriptionem non sufficit), sed expresse eam prohibendo, requiritur cum titulo (saltem colorato) 40 annorum tempus, vel sine titulo tempus immemoriale, id est, tempus de cujus initio memoria non exstat. Requiritur autem, ut hæc etiam consuetudo cujuscunque temporis illa sit, si via præscriptionis novum jus introducere debeat, legitimo tempore sit continuata, et semel cœpta, nullo actu contrario sit interrupta, juxta communem doctrinam de præscriptione. » (*Synopsis Pirhingiana*, l. I, tit. IV, § 6, n. 1.) « Porro interrupta censebitur consuetudo, si aut princeps puniret transgressores legis, ad quam abrogandam consuetudo tendit, aut communitas, vel major pars, quamvis actu unico, contra consuetudinem ageret. » (Suar. l. VII *De leg.* cap. 8, n. 15; apud Schmalz. pars I, tit. IV, n. 12.)

Alii doctores sustinent non requiri in utroque casu nisi decem annos.

« Stante illa opinionum varietate, hoc tantum concludi posse videtur : 1. certo requiri saltem decennium; 2. certo sufficere quadraginta annos; 3. incertum remanere, donec praxis Ecclesiæ aut decisio aliqua litem dirimat, utrum consuetudo quæ plus decem annis, et minus quadraginta duravit, legitime præscripta reputanda sit. » (*Vide* Bouix, *Tract. de princip. jur. can.*, sect. VI, cap. 2, punct. 2.)

3. *De frequentia et qualitate actuum consuetudinem introducentium.* — « Requiri actuum frequentiam ad jus consuetudinis introducendum, tum ex *lege*, tum ex definitione consuetudinis patet; ita ut non sufficiat unus actus (nisi successivus hic sit in effectu suo, et continuationem temporis habeat, et ut sic sit virtualiter multiplex...); sed plures illi esse debent; quot esse autem debeant, dubitatur.

« Qua in re cum varii sint auctores, et nihil certi in jure constitutum sit, rectissime dicitur, relinquendum id esse prudentum judicum arbitrio, qui, considerata qualitate actuum, personarum, etc., decidant, ad eum numerum actuum rem jam devenisse, ut non minus de populi voluntate, quam de superioris (legali saltem) consensu præsumi possit. » (*Synopsis Pirhing.* l. I, tit. IV, § 4.)

Actus autem exerceri debent a communitate tota, vel saltem majore illius parte, per personas habiles et capaces legis, unifor-

miter, libere et sine metu saltem gravi. Non debent procedere ex errore, vel ignorantia: sed populus debet scire quod lex sit lata, ut illa per consuetudinem abrogetur, vel nulla adhuc circa talem materiam lata sit, ut circa illam consuetudinem per modum legis constituat; alias actus ejusmodi erunt involuntarii. Debent esse publici, et notorii, et frequentari animo introducendi obligationem, si consuetudo sit præter legem, vel eam tollendi, si contra legem, quia actus agentium non operantur ultra intentionem illorum. Hinc etsi universali et immemoriali Ecclesiæ usu passim recepta sit Salutatio angelica ad consuetum campanæ pulsum, aspersio aquæ lustralis ad ingressum, vel egressum templi, sumptio sanctorum cinerum ad initium Quadragesimæ, etc., ad ea tamen nulla est obligatio : et ratio unice est, quia hujusmodi ritus et actus a fidelibus frequentantur libere duntaxat, et studio pietatis, non animo inducendi obligationem. (Schmalz. pars I, tit. IV, § 4, n. 14.)

4. *De consensu principis ad legitimandam consuetudinem.* — Ejusmodi consensus requiritur ; nam solus princeps et legislator habet potestatem ferendi aut abrogandi legem. —At aliqui exigunt consensum specialem, sive personalem principis... «Sed melius cum communi et receptissima sententia nullus alius ad introducendam consuetudinem consensus requiritur, quam legalis, sive ut etiam vocant, juridicus, qui habetur per leges, et canones consuetudinem moribus populi introductam approbantes, eique tribuentes vim juris non scripti, si illa rationabilis et legitime præscripta sit. Ratio est, quia optime poterat princeps, et quivis alius legislator lege sua sancire, ut quoties populus in alia consuetudine rationabili decennio duraverit, ea consuetudo suscipiatur pro lege ; quo posito, dubium esse non potest, quod vi legis hujusmodi consuetudo rationabilis per decennium durans sine alia approbatione principis vim legis obtineat : atqui hoc ipsum factum est in utroque jure, canonico quidem c. fin., tit. IV, lib. I *Decretal.*; civili autem l. *De quibus* 32, *Sed et ea* 35, *ff. De legib. l. Præses* 1, etl. fin. c. *Quæ sit long. consuet.* Ergo., » etc. (Schmalz. pars I, tit. IV, § 4, n.15.)

Sed advertendum est 1° quod a jure seu consensu legali solum approbantur et permittuntur consuetudines quæ rationabiles, non reprobatæ, et legitime præscriptæ sunt: hinc mirum non est, si princeps consuetudines, quæ has prærogativas non habent, rejicit. (Ibid.)

Advertendum est 2° quod consuetudo in legem transire nequit, nec præscribi potest ubi princeps talem consuetudinem prohibet; aut illi sese opponit sive directe per legem aut decretum aut responsionem contrariam, sive indirecte, v.gr. dispensando in re de quâ consuetudinem introducere volunt subjecti. Hac de re habemus exemplum ; nam olim aliquot Galliarum episcopi, freti antiqua consuetudine et usu suorum prædecessorum, publica impedimenta quarti atque etiam tertii gradus consanguinitatis et affinitatis matrimonium contrahendum dirimentia relaxabant. Attamen Cabassutius in *Theor. et prax. jur. canonic.* l. III, cap. 27, n. 6, affert canones conciliorum Turonensis et Tolosani et animadvertit in conflictu opinionum eam vim consuetudinis saltem in dubium vocari merito posse, ideoque concludit « Sane istæ ab episcopis concessæ dispensationes pro contrahendis conjugiis aut nullitatem aut incertitudinem causant sacramenti. At vero in re sacramentaria unanimes docent theologi, non esse licitum quidquam incerti adhibere. » Benedictus vero XIV *De synodo diœcesana* lib. IX, cap. 2, iisdem ferme argumentis usus est ad eam consuetudinem refellendam et citat Gallicanum auctorem Cabassutium (supra). Ibi autem Cabassutius permulta eaque gravissima detrimenta recenset quæ ad vigorem ecclesiasticæ disciplinæ labefactandum ex hujusmodi consuetudine proficiscuntur; in quo casu nunquam per talem consuetudinem adversus legem præscribi declaravit Innocentius III in cap. *Cum inter, De consuet.* His igitur de causis, Benedicto XIV, aliisque doctoribus visum est episcopis non licere prætextu vel ratione consuetudinis etiam immemorabilis ullum impedimentum relaxare. Nihilominus in consuetudine super talibus impedimentis dispensandi aliquot Galliarum episcopi perseverabant. Unde ad abusum suaviter resecandum Pius IX quotannis per indultum, facultatem talia impedimenta relaxandi. Galliarum episcopis concedit. Qua concessione fit ut ista consuetudo nunquam præscribi possit.

IV. *De effectibus consuetudinis.* —Cum pro lege consuetudo requisitis conditionibus

vestita suscipiatur, eadem vis est consuetudinis, quæ legis; igitur 1. obligationem imponit; 2. interpretatur legem jam constitutam; 3. eam abrogat; 4. irritat actum adversus consuetudinem factum, sicut lex eadem facit.

1. *Imponere obligationem* potest consuetudo legitime præscripta; sed unde colligi possit, quod aliqua consuetudo sit obligatoria? Suar. l. VII, c. 15, n. 13, Palao tr. III, d. 2, p. 3, § 3, n. 13, et cum his P. Wiest hic, n. 24, censent, id permittendum arbitrio judicis, qui circa hoc judicium ferat ex circumstantiis, præsertim vero ex actuum, et personarum eos frequentantium qualitatibus. Ad quod citati D. D. quatuor assignant conjecturas, ex quibus deduci possit, quod consuetudo sit obligatoria: 1° Si consuetudo sit rei gravis, difficilis, et communiter servata a populo, quia non solet populus uniformiter convenire in his actibus, nisi quando se obligatum sentit. 2° Si viri prudentes, et timorati non solum ipsi morem ejusmodi servent, sed etiam male sentiant de transgressoribus, vel populus communiter scandalizetur. 3° Si prælati, et superiores reprehendant, aut puniant violatores. 4° Si materia consuetudinis talis sit, ut multum conferat reipublicæ. Quælibet enim ex his conjecturis non leve est indicium obligationis. Quod si autem tales, vel his similes circumstantiæ non appareant, in dubio præsumendum est, actus mere libera voluntate frequentari, et ipsa consuetudo, quanticunque temporis, potius habenda pro voluntaria, et supererogatoria, quam pro obligatoria, et conscientiam stringente: tum quia lex non præsumitur, sed probari debet; tum etiam, quia nemo præsumitur sibi velle imponere onus, nisi illud manifeste constet. (Schmalz. part. I, tit. IV, § 5, n. 16.)

Consuetudo induci potest, quæ solum ad pœnam obligat, non vero ad culpam; quia id lege fieri potest.

2. *De abrogatione legis per consuetudinem.*—Certum est 1° per nullam consuetudinem derogari posse legi naturali, nec juri divino positivo, nec juri gentium; quia nulla consuetudo contra jus naturale, divinum et gentium rationabilis esse potest.

Certum est 2° per consuetudinem abrogari posse legem humanam sive civilem, sive canonicam. (C. fin., tit. IV, lib. 1 *Decretal.*) — Diversi textus juris canonici contra vim consuetudinis allati, intelligi solum debent de consuetudine irrationabili, et nondum legitime præscripta, ut recte monet Glossa fin. in c. 8 *De sent. et re judic.* Et hinc per argumentum a sensu contrario, si rationabilis illa et legitime præscripta sit, etiam juri ecclesiastico derogare poterit, ut communis sententia D. D. habet, et generalitas capitis fin. cit. probat. Proceditque hoc etiam quoad sacramentalia, et ipsas etiam sacramentorum cæremonias, si substantiales illæ non sint, et a Christo præscriptæ prout colligitur ex can. *Trina* 80, *De consecrat.* dist. 4, ubi statuitur, posse baptismum conferri una, vel trina mersione pro cujusque Ecclesiæ consuetudine. Ratio est, quia cum hæ cæremoniæ sint institutiones mere humanæ, nullum fundamentum est eas excipiendi a generalitate, c. fin. cit. (Schmalzg. pars. I, tit. IV. § 5, n. 21.)

Consuetudo abrogare potest legem solum quoad pœnam, relicta obligatione quoad culpam, aut vicissim abrogare quoad culpam, manente obligatione quoad pœnam.

An abrogari consuetudine possit lex humana prohibens consuetudinem contrariam, quod fieri solet, adjecta legi clausula *non obstante quavis consuetudine?* Distinguendum est: vel enim adhuc manent circumstantiæ, propter quas consuetudo adversa legi reprobatur per legem, vel circumstantiæ illæ cessarunt. *Si primum*, consuetudo adversus legem prævalere non potest; quia quandiu manent illæ circumstantiæ, lex est, et perseverat esse rationabilis, et consequenter consuetudo illi contraria est irrationabilis. *Si secundum*, prævalere adversus ejusmodi legem consuetudo potest; quia tali casu legislator rationabiliter abrogare legem suam posset: ergo etiam consentire, ut abrogetur per consuetudinem. Ex quo patet responsio ad argumenta opposita. » (Schmalz. pars I, tit. IV, § 5, n. 23.)

Consuetudo potest abrogare etiam legem infirmantem seu irritantem, ex. gr. quæ formam substantialem præscribit actui, vel certas personas ad contrahendum, eligendum, etc., facit inhabiles, etc. « Ratio est, quia id fieri potest per legem, ut nemo dubitat: ergo etiam per consuetudinem, quæ loco legis succedit. Ex quo sequitur, per consuetudinem, introduci posse impedimenta matrimonium irritantia, et introducta

aboleri, si illa introducta sint jure tantum humano. » (Ibid. n. 24.)

Legem antea constitutam abrogare potest etiam consuetudo non introducta cum bona fide (Wiestner apud Schmalz. *ibid.* n. 25.)

3. *De legum interpretatione per consuetudinem.*—Certum est legum interpretationem competere consuetudini, cap. *Cum dilectus* 8, tit. IV, lib. I *Decretal.*, ubi dicitur, consuetudo *optima legum interpres.* Consuetudo legem confirmat : *instituuntur enim leges, cum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur,* dicitur in can. *In istis,* dist. 3.

« An consuetudo interpretari legem possit authentice, an solum doctrinaliter, ut leges interpretari doctores solent? Respondeo cum distinctione : vel enim consuetudo jam est legitime præscripta, vel non. *Si primum,* interpretatio ejusdem est authentica, et sequenda, ut lex, » quia vere lex est.... *Si secundum,* interpretatio ejusdem solum est doctrinalis, ut doctorum, sed altiori tamen ratione, quia in consuetudine plures in unum conveniunt. » (Schmalzg. p. I, tit. IV, § 5, n. 27.)

Potestas consuetudinis legem interpretandi est admodum ampla; nam secundum eam, 1° regulandi sunt contractus; 2° regulandum est judicium tam internum, quam externum; 3° proceditque hoc etiam in pronuntiatione arbitrii compromissarii; nam etiam iste secundum consuetudinem legitime introductam et præscriptam judicare debet. Et hoc verum est, etiamsi partes in illum compromiserint, ut procedat secundum leges, et consuetudo istis contraria sit; nam etiam consuetudo legitime præscripta lex est, et imperatur servari, ut lex; 4° vis interpretandi legem in consuetudine se extendit etiam ad jus divinum, non quidem, quasi illa aliquid huic addere, vel minuere illud possit, sed solum indicando mentem legislatoris. Patet in multis traditionibus, et generalibus consuetudinibus totius Ecclesiæ circa usum sacramentorum, quæ sufficienter Christi institutionem declarant! (Suar. lib. VII, *De leg.* cap. 7, n. 6. Schmalz. p. I, tit. IV, § 5, n. 28.)

4. *De actuum irritatione per consuetudinem.* — Consuetudo vim habet irritandi actum alias de jure validum; quia habet vim legis. Ex quo sequitur, posse per consuetudinem induci impedimenta irritantia matrimonium; et in tali casu sufficit ut consuetudo solum sit laicorum. (*Ibid.* n. 29, 30.)

5. « Quæ sit vis, et effectus consuetudinis immemorialis ? veteres jurisconsulti cum Innocentio in c. 13 *De judic.* n. 5, pro regula tradunt, consuetudine immemoriali acquiri posse omnia illa, quæ privilegio, et indulto principis acquiri possunt..... Hinc clausula prohibente, vel irritante consuetudinem contrariam ipsa non comprehenditur, ut pluribus aliis citatis advertit Laym. l. I, tract. IV, c. 24, n. 7.

« Verum hæc regula generaliter vera non est, sed duplici limitatione indiget. *Prima* est, nisi is pro quo allegatur præscriptio, vel consuetudo immemorialis, sit incapax possidendi, extra casum, quo habilitatur per privilegium..... *Altera* est, nisi ejusmodi consuetudini, vel præscriptioni resistat jus, eaque tanquam abusus et corruptela a lege vel canone reprobetur.... » (Schmalz. part. I, tit. IV, § 5, n. 31.)

V. *De consuetudinis probatione, et abrogatione.* — 1. *De probatione.* — Probari debent consuetudo vel præscriptio ab eo, qui has allegat.... Plane autem probata censebitur consuetudo, si de illa deponant duo saltem testes; et simul testentur, se vidisse, sic observatum esse in illo loco, scientibus, et præsentibus multis, toto temporis spatio, quod ad introducendam consuetudinem requiritur: neque enim sufficit, si testentur esse consuetudinem, nisi illius rationem reddant.

2. *De abrogatione.*—Consuetudo abrogari potest per legem expressam. Constat ex c. *Licet* 1, *De constit.* in 6; et c. *Cum consuetudinis* 9, tit. IV, *lib.* I *Decretal.*; probatque hoc ratio : quia tota consuetudinis vis est ex voluntate legislatoris saltem tacita : ergo si contrarium disponat legislator, vis cessat in consuetudine. Ut autem dici possit, quando per legem abrogata censeatur consuetudo, sequentes regulæ observandæ sunt :

1° Nulla lex consuetudinem abrogat, nisi clare et diametro sit ei contraria. Ratio est, quia consuetudo legitime præscripta jus quoddam est, cujus correctio vitanda est, quoad fieri potest. » (Schmalzg. pars I, tit. IV, § 5, n. 37.)

2° « Lege universali abrogatur æque universalis illi opposita, etsi in lege istius non fuerit facta mentio neque adjecta clausula aliqua derogatoria. Sumitur ex c. *Licet,* cit.,

ubi solum singularium consuetudines dicuntur non abrogari per legem generalem. »

3° « Lege universali non censetur abrogari consuetudo particularis alicujus loci, nisi illa hujus mentionem faciat, vel saltem addatur clausula generalis derogatoria consuetudinis cujuscunque contrariæ. Constat ex c. *Licet*, cit. et ratio ibidem datur, quia papa, vel princeps legis conditor *locorum specialium consuetudines potest*, et *probabiliter* præsumitur *ignorare* : et propterea *ipsis per constitutionem a se noviter editam, nisi expresse caveatur in ipsa, non intelligitur in aliquo derogare.* »

4° « Lege speciali facta a principe superiore, v. g. papa, imperatore, etc., pro aliqua civitate, vel provincia suæ ditionis, probabile est, non abrogari vel derogari consuetudini particulari illius provinciæ, nisi expresse apponatur clausula derogatoria, ut ex argumento primum allato colligit Palao, tr. 3, p. 6, n. 6, neque obstat, sic legem fieri frustraneam, quod neminem liget; quia hoc per accidens est ob consuetudinem ignoratam. » (Schmalz. *Ibid.* n. 37.)

3. *De abrogatione per aliam consuetudinem.* — Abrogari consuetudo etiam potest per aliam consuetudinem. « Ut vero vim istam habeat, debet esse contrarie opposita consuetudini : et hinc si consuetudo est universalis, abrogari debet per aliam consuetudinem universalem; particularis autem abrogare universalem non potest, sed tantum derogare, in loco scilicet, in quo cum generali oppositionem habuerit, ut recte notat Pal. p. 6 cit. n. 6. Ratio est, quia consuetudo non inducit jus, nisi usu, et facto; ergo non potest contrarium jus inducere nisi usus et facta contraria sint. » (Schmalz. p. 1, tit. IV, § 5, n. 38.)

VI. *Conclusio practica.* — Ex communi doctorum sententia : 1° Viri prudentis, aut judicis arbitrio relinquendum est judicare de rationabilitate consuetudinis, quæ legi adversetur. Palao, tract. III, d. 3, p. II, § 1, n. 4; Schmalz. p. 1, tit. IV, § 2, n. 7. — 2° Quanta requiratur frequentia actuum ad inducendam consuetudinem? Palao. tract. III, d. 3, p. II, § 3, n. 2, cum aliis a se citatis id relinquit arbitrio judicis : et hæc sententia, teste P. Wiestner cum Schmalzgrueber, p. 1, tit. IV, § 4, n. 13, tenetur a melioris notæ doctoribus, nam ubi lege nihil certi statuitur, ad arbitrium judicis recurrendum est. — 3° Unde colligi possit, quod aliqua consuetudo sit obligatoria? Suaresius, l. VII *De Leg.* c. 15, n. 13; Palao, tract. 3, d. 2, p. III, § 3, n. 13, et cum his P. Wiestner, apud Schmalzgrueber, p. 1, tit. IV, § 5, n. 16, censent, id permittendum arbitrio judicis, qui circa hoc judicium ferat ex circumstantiis, præsertim vero ex actuum, et personarum eos frequentantium qualitatibus. Idem docet *Synopsis Pirhingiana*, l. 1, tit. IV, § 4.

Ex his doctorum sententiis ad judicem ecclesiasticum pertinet judicare de consuetudinis alicujus rationabilitate, et vi obligatoria ex suis conditionibus desumpta. Atqui in unaquaque diœcesi primus judex ecclesiasticus est episcopus. Ergo ad episcopum pertinet de valore et vi obligatoria consuetudinis in sua diœcesi judicare. Proindeque, cum consuetudo sit lex obligatoria, non licet presbyteris nec aliis fidelibus sese eximere a consuetudine ab ordinario approbata, nisi evidenter sit corruptela, in quo casu observationes reverentiosæ episcopo præmittendæ sunt, et si remanet dubium, Romæ consulendum est, sed diligenter omnes circumstantias, conditiones et suppressionis consuetudinis consequentias exponendo. Et hæc est via ad sæpe scandalosas perturbationes devitandas.

CAPUT XIV.

De jurisprudentia ecclesiastica.

« Cum omnes ferme leges, » egregie dixit Zallwein in princ. *Jur. eccl.* tr. 1, q. 2, cap. 3, « sint regulæ generales, et impossibile sit legem ferre ita claram, quæ nulla egeat interpretatione, aut ita universalem, ut ad omnes casus in sacris occurrentes, quos nullus legislator prævidere potest, applicari et extendi valeat, opus erit quadam prudentia, qua mediante leges non solum recte intelligantur, sed et ad actiones hominum sapienter applicentur, et ad casus in legibus non expressos justa interpretatione extendantur. » Hæc itaque prudentia explicandi applicandique juris solet jurisprudentia vocari atque adeo definiri. *Facultas sive habitus ecclesiasticus leges interpretandi, easque rite ad occurrentes casus applicandi.* Itaque jurisprudentiæ ecclesiasticæ duæ sunt veluti partes, quarum una leges ecclesiasticas scienter interpretatur; altera easdem leges ad facta, sive ut vulgo aiunt, *ad casus obvenientes applicat.* Prima jurisprudentiæ pars, quæ in rectam interpretationem legum

incumbit, ardua est, multarumque rerum peritiam postulat; altera pars quæ in applicandis legibus versatur, expedita et facilis est, statim ac ex apta legis interpretatione mens legislatoris comperta fuerit. »

« Quadruplex interpretatio legis est, *authentica*, *usualis*, *judicialis* et *doctrinalis*.

1° *Authentica* est, quæ fit a legislatore vel ejus successore, et authentica apud iurisconsultos dicitur, quia indubitatam et legitimam auctoritatem habet. Hæc enim interpretatio ,instar legis retinenda est, eo quod ab ipso legislatore proficiscitur, ab eaque recedere licet nemini. »

Hinc declarationes « quæ a Romanis congregationibus eduntur, quæque proprie in legum interpretatione versantur, authenticas et legitimas esse affirmamus. Authentica enim et legitima interpretatio est, quæ fit a legislatore, vel ab alio ex ipsius legislatoris auctoritate. Jam vero interpretationes Cong. Roman. hujusmodi auctoritate nituntur..... Quinimo cum fiant consulto pontifice, sunt profecto ipsius pontificis propriæ.

« Quæ quidem declarationes ut vim habeant, solemni promulgatione non egent, quia jus novum non constituunt, sed jam constitutum interpretantur. »

2° *Usualis* est legis dubiæ per usum, sive consuetudinem facta interpretatio. Consuetudo enim, ex cap. *Dilectus* 8, *De consuet.*, optima est legum interpres. Tridentina synodus sess. 24, cap. 1, *De reform. matrim.* decrevit, irritum nullumque matrimonium fore, quod ubicunque decretum illud publicatum esset, *aliter quam præsente paroco, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus contraheretur*. Decretum singulari modo nominat parochum; sed cum duo esse parochi possint, alter sponsi, et alter sponsæ, dubitatum est, quisnam parochus adhibendus, sponsine, an sponsæ, an utriusque. Itaque opus erat interpretatione. Jam vero alterutrum parochum rite adhiberi consuetudo interpretata est; namque coram parocho sive sponsi, sive sponsæ celebrari matrimonia cœpta sunt, eaque rata et legitima haberi; quam deinde interpretationem decreta apostolicæ sedis approbaverunt. Sed postquam consuetudo legitime præscripta est, interpretatio non eget legislatoris approbatione, et loco legis est, siquidem utriusque juris auctoritate nititur.

3° Interpretatio *judicialis* est, quæ fit a judice, dum in ferenda sententia jus allegat, illudque interpretatur. Sed hujusmodi interpretatio perinde ac sententia, et res judicata inter solos litigantes jus facit, aliis vero nec nocet, nec prodest, nisi causæ sint connexæ; quibus de rebus late disserunt doctores ad titulum *Decretalium* : « De sententia et re judicata. »

Hinc declarationes congregationis concilii Tridentini, et aliarum, quibus privatorum lites et controversiæ dirimuntur..... inter solos litigatores jus faciunt..... Quapropter cardinalis de Luca in *Annotat. concil. Trid.* disc. 1, n.11, ait, « erroneum esse in particularibus declarationibus cum consueta casca fide vim constituere, cum illæ, quæ singulos vel particulares concernunt casus, ex eorum particulari qualitate, et circumstantiis manare soleant, ideoque alteri diversas circumstantias habenti non semper sunt applicabiles cum diversimode ob diversam facti qualitatem sæpius decernere congruat. »

4° *Doctrinalis* denique interpretatio est, quæ fit a jurisperitis, aliisque viris doctis, qui legibus canonibusque interpretandis operam navant. Horum interpretationes tantum valent, quantum probant rationes et argumenta, quæ ab ipsis afferuntur, et aliter sentire integrum est unicuique. » (Cardinalis Soglia. *Instit. jur. publ. eccles.* Prænot. cap. 1, § 7, *De jurisprud. eccles.*)

CAPUT XV.

De canonum divisione.

« Canones in duas classes dividi vulgo solent; in prima classe *dogmatici*, in altera *disciplinares* recensentur : omnis quippe Christianorum vita duabus regulis, nimirum credendi regula, et regula agendi continetur; ac proinde credendi regula a canonibus dogmaticis, a disciplinaribus autem agendi regula exhibetur. Verumtamen cum de regula agendi sermo est, qui distincte atque explicate loquuntur, canones morum a canonibus disciplinæ separant, atque adeo, quemadmodum triplex juris canonici objectum, nempe fides, mores et disciplina,... sic quoque canones trifariam dividunt, videlicet in canones *fidei*, in canones *morum*, in canones *disciplinæ*. »

1. *De canonibus fidei.* — Canones fidei sunt, in quibus aliquid credendum proponitur. Itaque ipsorum objectum est veritas

i divinitus revelata, quam fideles de-
firmiter credere et profiteri. Plures
generis canones a priscis juris cano-
llectoribus congesti sunt, eosque Gra-
secutus est, ac proinde quæ catho-
les de unitate Dei, et personarum Tri-
, de Dei præscientia et prædestina-
de angelorum et hominum creatione,
imi hominis lapsu, de Christo unico
tore, de sacramentis et eorum effecti-
le auctoritate et infallibilitate sacræ
ræ, de unitate Ecclesiæ, de primatu
ai pontificis, de animarum immorta-
et corporum resurrectione, de æternæ
æmiis et suppliciis, hæc, inquam, alia
d genus multa in suum decretum in-
. At vero non omnes canones in qui-
ritas aliqua enuntiatur, continuo do-
i habendi sunt; dogmaticos enim di-
, qui catholicæ fidei regulam sive do-
tradunt, omnesque fideles ad creden-
ta obligant, ut hæreticus sit, qui con-
r firmiterque non assentiatur. Duo
desiderantur, ut canon dogmaticus ha-
. Primum est divina revelatio, ut ni-
a quod canone docetur, in verbo Dei
cripto, sive tradito contineatur, cum
atholica auctoritati solius Dei inni-
Alterum est Ecclesiæ propositio, ut
cet illud ipsum, quod canone docetur,
ecclesia proposuerit, tum etiam jusserit
nibus et singulis fidelibus pro veritate
ica teneri. Ad rem Melchior Canus *De*
heolog. lib. v, cap. 5, q. 4 : *Summorum*
icum conciliorumque doctrina, si toti
iæ proponatur, si cum obligatione etiam
di proponatur, tum vero de fidei causa
um est.

le notis canonum dogmaticorum. — Ve-
s in *Regula fidei catholicæ* § 2, rem eam-
xponens ita loquitur : « Duo debent
ctim adesse, quo doctrina aliqua sit
atholicæ, alterum ut sit revelata a Deo
ophetas, apostolos, seu auctores cano-
alterum ut sit proposita ab Ecclesia.
umque adsit alicui doctrinæ, illa fide
t catholica est credenda : si alterum
seu revelatio, seu propositio Ecclesiæ,
st fide divina catholica credenda. Sed
dum adesse non potest, quin primum
latur; quia, cum Christus Ecclesiæ pro-
it assistentiam Spiritus sancti, qui do-
am ducatque in omnem veritatem, hæc
um, stante Dei promissione, quæ sem-
per obtinet, docet aliquid esse revelatum,
quod non sit revelatum. » Igitur ad cano-
nem dogmaticum internoscendum, non opus
est ut inquiramus, an doctrina canonis divi-
nitus revelata sit, sed satis si compertum
habeamus, doctrinam canonis ab Ecclesia
tanquam fidei dogma propositam esse.

« At vero canones quandoque de rebus
fidei aliquid affirmant, aut negant, quin sa-
tis appareat, utrum ea simplex sit aut affir-
matio aut negatio, an vero dogmatis fidei
propositio. Igitur necesse est aliquas regulas
in promptu habere, quibus simplex affirma-
tio aut negatio a certa dogmatis propositione
secernere, et internoscere possimus. »

« Quatuor hujusmodi regulas Melchior
Canus, cit. loc. exhibuit, quas theologi et
canonistæ summa consensione amplexi sunt.
Eas Canus profert hisce verbis :

« Prima, et ea quidem manifesta, si con-
trarium asserentes pro hæreticis judicentur.
Cujus rei exemplum habes cap. *Damnamus.*
De sum. Trin. : et cap. unic. *De sum. Trinit.*
in 6; et Clement. unic. *De sum. Trin.* § 1.

« Altera nota est, cum in hanc formam sy-
nodus decreta præscribit : *Si quis hoc aut*
illud senserit, anathema sit. Qualia permul-
ta sunt in concilio Toletano I, et in synodo
Tridentino.

« Tertia est, si in eos qui contradixerint,
excommunicationis sententia ipso jure fera-
tur. Exemplum est de hæreticis cap. *Cum*
Christus, et cap. *Ad Abolendam.*

« Quarta est, si quidquam, aut expresse
et proprie a fidelibus firmiter credendum,
aut tanquam dogma fidei catholicæ accipien-
dum dicatur, vel aliis similibus verbis aliquid
esse Evangelio, doctrinæve apostolorum con-
trarium. Dicatur, inquam, non ex opinione,
sed certo et firmo decreto. »

2. *De expositione earumdem notarum.* —
Sed operæ pretium est easdem regulas bre-
viter explanare. Itaque prima regula admo-
dum perspicua est : ubi enim canones vo-
lunt, eos qui contra senserint, pro hæreticis
haberi, nullum dubium relinquitur, quin
dogmatici censeri debeant. Profecto fieri non
potest, quin canones dogmatici sint, quibus
turpis hæresis nota adversus dissentientes
inusta est, quandoquidem nemo potest hæ-
reticus esse, nisi qui catholico dogmati con-
tradixerit.

Secunda et tertia regula hoc modo intel-
ligi debent, nempe canones, in quibus ana-

thema, vel excommunicationis pœna in dissentientes constituta est, tum denique dogmaticos esse, si in eis de rebus fidei agitur; quandoquidem etiam canones, qui ad fidem non pertinent, eadem excommunicationis pœna vel anathemate sanciri solent. Ita canones concilii Romani sub Gregorio II lati sunt in hunc modum : *Si quis commatrem spiritualem duxerit in conjugio, anathema sit. Si quis consobrinam suam duxerit in conjugio, anathema sit.*

« Denique quarta regula eos canones spectat, in quibus, etiamsi agatur de rebus fidei, nulla tamen inusta est hæresis nota, nec anathema, nec pœna excommunicationis constituta adversus eos, qui dissenserint. Itaque hi canones dogmatici erunt, si talibus verbis propositi sint, quæ non opinionem, sed certum exploratumque judicium exhibeant. Licet enim opinio Durandi, ait Melchior Canus cit. loc., reprobetur cap. *Gaudemus, De divortiis*, sed qui dixit : *Verum absonum hoc videtur, et inimicum fidei Christianæ*, noluit hæreseos illos condemnare. Verbum enim *videtur* judiciorum infirmat certitudinem. Præterea, auctore eodem Cano, etiamsi verba canonis absoluta sint, planeque et omnino quidquam affirment vel negent, adhuc tamen ipsius canonis scopus investigandus est, ut certo intelligamus, an doctrina canonis simpliciter asseratur, an etiam ceu fidei dogma proponatur. Nuda enim verba corticem canonis repræsentant; scopus autem ipsius naturam atque indolem manifestat. Igitur constitutio ecclesiastica, sive canon dogmaticus erit, si certum exploratumque sit, data opera conditum fuisse, ut amputatis dissensionibus catholica veritas doceretur, vel ut hæreses obortæ supremo judicio damnarentur. »

« Porro autem quæ in concliiorum aut pontificum decretis vel explicandi gratia inducuntur, vel ut objectioni respondeatur, vel etiam obiter et in transcursu præter institutum præcipuum, de quo erat potissimum controversia, ea non pertinent ad fidem, hoc est non sunt catholicæ fidei judicia. » Hactenus Melchior Canus.

II. *De canonibus morum.* « Quemadmodum dogmatici canones regulam eorum statuunt quæ firmiter in rebus fidei tenenda sunt, ita canones morum ea spectant, quæ in humanis actibus propter se honesta sunt, vel turpia, adeoque vel agenda, vel omittenda. Versantur itaque in proponendis explicandisque præceptis naturalibus, quibus mores hominum informantur. Plures ejus generis canones in decreto Gratiani legimus, plures etiam in titulis *Decretalium*, quales sunt de pactis, de jurejurando, de homicidio, de adulteris, de usuris, de injuriis aliisque id genus, quibus moralia præcepta illustrantur. Hæc autem morum præcepta a naturali lumine profecta, per legem evangelicam integra sui perfectione et complemento donata sunt; nam Christus Jesus non venit solvere legem, sed adimplere (*Matth.*, v, 17); quemobrem Gratianus in princ. dist. 1, scribere non dubitavit, jus naturale in Evangelio contineri. »

« At vero Ecclesia in tradendis canonibus morum errare non potest. Namque Christus pollicitus est, Spiritum sanctum docturum Ecclesiam omnem veritatem, quæ scilicet esset ad consequendam salutem necessaria. Atque ad eam consequendam necessariæ sunt non modo veritates fidei, sed etiam morum : igitur fieri non potest, ut Ecclesia errando id doceat vel præscribat quod turpe est, vel reprobet quod honestum est. »

« Itaque canones morum, cum quidquid jubent, bonum sit per sese, et quidquid prohibent, malum et turpe sit, perpetuo firmi stabilesque manent, eisque ab omnibus omnium ordinum, et omnium temporum, atque ætatum, et locorum hominibus parendum est. »

III. *De canonibus ecclesiasticæ disciplinæ.* — Jam dictum est et dicendum est sæpius, tria esse canonum genera; alii enim sunt canones fidei, alii morum, alii denique disciplinæ, quoniam potestas Petro, apostolis, eorumque successoribus a Christo tradita hæc tria complectitur, fidem, mores et disciplinam. Ergo canones, qui neque ad fidem, neque ad mores pertinent, ad disciplinam pertinebunt. »

« At vero disciplinæ canones ad puritatem fidei, honestatem morum, divinique cultus sanctitatem tuendam feruntur, quos proinde firmissimum fidei, morum, et religionis præsidium et propugnaculum jure dixeris. Namque hujusmodi canones versantur :

« 1° In tutela fidei et morum, quatenus gravissimas pœnas constituunt in eos, qui in fide vel moribus deliquerint. Huc pertinent censuræ, aliæque pœnæ ecclesiasticæ

adversus hæreticos, simoniacos, sortilegos, homicidas, adulteros et hujusmodi. »

« 2° In determinandis præceptis divinis et naturalibus; dum scilicet tempus aut modum adeo observanda præfiniunt, quotiescunque nec modus, nec tempus in præcepto fuerit præfinitum; cujus generis sunt canones de observantia diei Dominici, de confessione et communione paschali. »

« 3° In regenda societate ecclesiastica; neque enim omnia quæ ad eam gubernandam opus erant, jus naturale et divinum constituerunt; proindeque antistitibus Ecclesiæ tradita a Christo fuit ferendarum legum potestas. Hinc canones de electionibus, de institutionibus, de vita et honestate clericorum, de judiciis, deque cæteris similibus. »

« Hæc autem tria quæ indicavimus, disciplinæ capita, ad *disciplinam externam*, sive *ad politiam Ecclesiæ* pertinere dicuntur; ea nimirum quibus regitur externa Ecclesiæ societas, et in officio continetur.

« Sed aliud est disciplinæ genus, quam *disciplinam liturgicam* vocant, eaque in ordinandis religionis actibus versatur. Hujus generis sunt canones de administratione sacramentorum, de diebus festis, de publicis precibus et supplicationibus, de locis sacris et religiosis, deque sacris ritibus et cæremoniis. »

Aliqui tertium addunt disciplinæ genus, quam dicunt disciplinam *dogmaticam*, et *dogmati adnexam*. *Dogmaticam* vocant, quæ originem suam ipsi Christo acceptam refert; uti materia et forma sacramentorum, itemque forma ecclesiastici regiminis, sive ecclesiastica hierarchia divinitus instituta. *Adnexam* vero *dogmati* appellant, quæ cum dogmate ita connectitur, ut aboleri nequeat, quin simul de veritate dogmatis detrahatur. Talis est disciplina, qua sanctissimam Eucharistiam colimus et veneramur; ea siquidem tolli nequit sine maxima catholici dogmatis injuria. »

« Verum disciplina, quæ *dogmatica* dicitur, proprie ad jus divinum pertinet, quod prorsus est immutabile; *adnexa* vero *dogmati*, firma immotaque et ipsa manere debet, sed tantum in eo, quod ejus substantiam attingit; quod enim ad modum attinet, an, ex. gr., unica, an trina genuflectione genuum Eucharistia veneranda sit, ad Ecclesiam spectat cognoscere et decernere. » (Cardinal. Soglia, *Inst. jur. publ. eccles.* Prænotiones, cap. 1, § 8-13.)

CAPUT XVI.

De jure canonico particulari in genere.

§ I. — Quid et quotuplex sit jus canonicum particulare.

Jus canonicum particulare est complexio legum ecclesiasticarum uni vel pluribus ecclesiis propriarum. Jus particulare potest esse uni diœcesi, uni provinciæ, uni genti proprium, et constituitur duobus modis: 1° Per leges quæ sunt secundum et præter, sed non contra jus commune. Vigere legitime posse hujusmodi leges ecclesiasticas aliquibus diœcesibus, provinciis, etc., proprias, negat nullus; et sic intellectum jus canonicum particulare fluit a jure communi et ab eo sancitur, proindeque non est jus particulare proprium stricte sumptum. 2° Alio modo, jus alicujus diœcesis, provinciæ aut genti proprium est derogatio quædam juri communi. Quotuplici vero ratione efformari queat jus aliquod diœcesanum, provinciale aut nationale hoc sensu intellectum, operæ pretium est diligenter discernere. « Jus scilicet nationale, vel fuit nationale seu exceptionale ab initio, derogando nempe juri communi statim ab orto suo; vel nationale tantummodo evasit, quia, mutato in reliquo orbe communi jure, in ista natione firmum permansit. Iterum, jus quod fuit exceptionale ab initio, vel cœpit stare per simplex privilegium potestatis legislativæ universalis, nationem hanc a suis decretis universalibus eximentis; vel per contractum onerosum, quo scilicet concessa est derogatio ob aliquod onus quod sibi natio illa imposuit in gratiam ecclesiæ fundandi, v. gr., beneficia, aut alia auxilia præstandi. Verum privilegium exemptionis a jure communi evenit huic nationi, vel consensu expresso universalis superioris, vel consuetudine per consensum tacitum universalis superioris firmata et in jus evecta. » (Bouix, tract. *De princip.*, p. 76.)

His prænotatis quærendum remanet, qua auctoritate nitatur jus particulare quodcunque, et primo jus nationale, et utrum summus pontifex irritare possit jus quodcunque nationale.

§ II. — Nullum jus nationale firmari et legitime subsistere potest alia quam summi pontificis auctoritate.

« Nullum est jus canonicum nationale quod non sit derogatio quædam juri com-

muni. Illa autem derogatio non potuit statui nisi auctoritate Romani pontificis. Nam statuta fuisset vel a potestate civili, vel a potestate aliqua ecclesiastica a papali diversa, vel a consuetudine vim suam aliunde quam a consensu populi hauriente. Atqui nullum ex his dici potest.

« 1° Non a sæculari principe, utpote qui leges ecclesiasticas condendi aut a constitutis eximendi potestatem nullam habeat; quod qui negaret, extra orthodoxam doctrinam misere aberraret. »

« 2° Non a potestate aliqua ecclesiastica a papali diversa. Nam concilium œcumenicum nihil potest sine papa, nec a fortiori concilium nationale vel patriarcha, vel concilium provinciale, vel aliquis episcopus seorsim sumptus nullam statuere possunt derogationem legitimam communi juri defectu auctoritatis et potestatis, et quia subjiciuntur juri communi et solus papa potest, sicut legem universam Ecclesiam obligantem ferre, ita legi universali derogare. Derogatio per alios facta schisma introduceret.

« 3° Nec a consuetudine. Ita quidem invalescere potest alicujus regionis consuetudo contra jus commune, ut vim legis obtineat et regionem illam sub particulari canonico jure constituat : hoc in confesso est apud omnes, et supra munitum probationibus. Sed profitentur simul doctores sententia unanimi, id eo tantum in jus erigi præfatam consuetudinem, quia accedit legislatoris consensus, qui scilicet consensus, quamvis silentio tantum constans, fit totum novi ex consuetudine juris fundamentum. Ergo etiam quando ex moribus et consuetudinibus nationis exsurgit aliquod jus ecclesiasticum nationale, non alia jus illud quam Romani pontificis auctoritate nititur.» (Bouix, tract. *De principiis*, p. 77-78.)

§ III. — Utrum summus pontifex possit quodcunque jus canonicum nationale irritare.

1° Potest irritare jus nationale, quod fuit ab initio merum privilegium sive concessione expressa legislatoris, sive per consuetudinem consensu tacito supremi legislatoris firmatam. Porro in utroque casu supremus legislator, nempe Romanus pontifex, illud privilegium quantumvis antiquum irritare potest, sicut et concedere aut firmare potuit.

2° Idem dicendum, etiamsi jus nationale fuerit initio jus commune, et non evaserit particulare, nisi quia jus commune generaliter alibi mutatum, in aliqua regione illæsum permansit. Etenim summus pontifex summam ad regendam Ecclesiam potestatem habet a Christo, et illius auctoritati subjiciuntur omnes Ecclesiæ, omnes Christi oves.

3° Potest summus pontifex, justa exigente causa, irritare jus canonicum nationale etiam concordatis firmatum. Quia « summam potestatem, supremæ Ecclesiæ præfecturæ a Christo ipso annexam atque inhærentem nunquam ita potest pontifex a se abdicare aut alteri cuicunque ita communicare, ut non majorem adhuc retineat. » — « Taceo, inquit idem auctor, quod quidam negent concordata proprie esse pacta et contractus, cum spiritualia sub contractum aut commercium non cadant. Unde dicunt etiam esse privilegia apostolica', privilegia autem ex gravi causa revocari posse. »

2° Respondetur : « Principem supremum iis saltem pactionibus, quas cum subditis suis iniit, derogare posse, si gravissima id boni publici causa exigat,.... complures doctores asserunt, adduntque, quomodocunque paciscatur summus pontifex, maxime cum sibi subdito, semper inclusam esse hanc conditionem, *nisi aliud exigat causa gravis et extraordinaria propter bonum commune Ecclesiæ....*; et sub hac conditione etiam intelligendas esse.... promissiones Nicolai V in concordatis contentas. Imo ipse Nicolaus hoc sufficienter in ipsis concordatis indicat, dum promittit se confirmaturum archiepiscopos, episcopos et prælatos regulares canonice electos sibique rite præsentatos, subjecta hac conditione : *nisi ex rationabili et evidenti causa de fratrum* (cardinalium) *concilio, de utiliori et digniori personaduxerimus providendum.*» (Biner, *Apparatus jurisp. can.* pars VI, cap. 3, art. 8, § 6.)

3° Tandem, in quocunque casu, papa non tenetur vi contractus, quia non possunt spiritualia bona temporalibus commutari per modum contractus proprie dicti; tenetur tamen ob promissionem datam, ex justitia naturali, quæ dictat standum esse promissis. Sed subaudienda semper est conditio, *nisi aliud exigat causa gravis et extraordinaria propter bonum commune Ecclesiæ.* (*Vide* Bouix, tract. *De principiis*, p. 79-84.)

Ex prædictis sic definiri posse videtur jus nationale : *Jus canonicum nationale sunt variæ apud Ecclesias alicujus gentis juri*

communi derogationes, auctoritate summi pontificis firmatæ.

§ IV. — Quid sit jus canonicum provinciale.

Ut vidimus in capite 11, § 4, pag. 62, concilium provinciale, seu cœtus episcoporum unius provinciæ ecclesiasticæ sub metropolitano vel archiepiscopo coadunatorum, potest secundum et præter, sed non contra jus commune, condere leges, quæ omnes provinciæ Christi fideles obligant.

At, idem provinciale concilium non potest contra jus commune leges condere; quia « nequit inferior legem a superiore latam aut abrogare aut relaxare : superior quippe statim ac aliquid per suam legem præscribit, aut prohibet, illud subtrahit ab ordinaria potestate inferioris; cui propterea non licet in illam falcem immittere nisi velit suam voluntatem anteponere voluntati superioris, per legem manifestæ, quod profecto esset suæ subjectionis jugum excutere, et, *qui major potestatis est, judiciis suis addicere, aut propriis definitionibus subjugare :* quam intolerabilem insolentiam reprehendit Nicolaus I, in Epistola ad Michaelem imperatorem relata in can. *Inferior*, dist. 21. Præterea, si integrum esset episcopis legem relaxare a concilio generali aut a summo pontifice rogatam, tota everteretur ecclesiastica disciplina, caput subjiceretur membris, et proinde actum jam esset de ecclesiastica hierarchia divinitus instituta. » (Benedict. XIV, *De synod. diœces.* l. IX, cap. 1, n. 6; — Suarez. lib. VI *De leg.*, cap. 14, n. 4 et 6; — Fagnan. in cap. *Nimis*, n. 44, *De filiis presbyter.*)

« Sapienter monet Fagnanus in cap. *Sicut olim*. n. 82, *De accusat. :* ne in provincialibus synodis facile quæstiones decidantur inter catholicos doctores controversæ, et a sede apostolica hactenus non definitæ : « in rebus dubiis de jure controversis non facile definitiones *fiant, præsertim ubi grave aliquod præjudicium parari potest, velut in materia sacramentorum enodanda, aut explicandis casibus usurarum, et aliorum vitiorum, quibus timoratæ conscientiæ irretiri possunt.* » (Bened. XIV, *De synod. diœces.*, lib. VII, cap. 1, n. 1.)

« Nihil quod juris apostolicæ sedis præjudicium afferat, aut ejusdem auctoritati sit injuriosum, inveniri debet in constitutionibus sive provincialium, sive episcoporum synodorum; et si quid ejusmodi in eos forte irrepserit, statim erit a Romano pontifice rescindendum.» (*Ibid.* lib. IX, cap. 1, n. 1.)

« Accidit interdum, rem aliquam in quæstionem adduci nondum ab Ecclesia definitam, et nihilominus integrum esse episcopo, aliquid de illa decernere, citra violationem regulæ, quam modo tradidimus; etenim aliquando totius controversiæ cardo unice vertitur circa jus commune, quo solum inspecto, disputant theologi, utrum aliquid fieri liceat, necne; cæterum nullus eorum abjudicat episcopo (a fortiori, concilio provinciali) potestatem, illud suo peculiari statuto inhibendi, quod plerique contendunt esse a jure communi permissum. » (*Ibid.* lib. VII, cap. 3, n. 1.)

In his limitibus, jus particulare, secundum et præter jus commune, formatur ex concilii provincialis statutis pro unaquaque provincia.

Sed jus particulare alicujus provinciæ juri communi derogans, non potest statui nisi auctoritate Romani pontificis, vel consuetudine rationabili per consensum tacitum pontificis ejusdem firmata. Quod supra demonstratum est.

§ V. — Quid sit jus diœcesanum.

Episcopus, ex sua divina auctoritate, potest secundum et præter, sed non contra jus commune, condere leges quæ omnes diœcesis suæ Christi fideles obligant. Sed sedulo attendendum est quod episcopus non possit in sua diœcesi omnia facere quod potest papa in universa Ecclesia. Etenim potestas episcopi in iisdem coarctatur limitibus ac concilium provinciale, et etiam majoribus cum obnoxia sit statutis concilii provincialis. Nihil contra jus commune, nec de rebus controversis et sanctæ sedis judicio reservatis statuere potest, defectu auctoritatis.

« Solum itaque generatim asserimus, debere episcopum, in sua synodo constituere quæ ad vitia coercenda, virtutem promovendam, depravatos populi mores reformandos, et ecclesiasticam disciplinam aut restituendam, aut fovendam, necessaria et utilia esse judicaverit. » (Bened. XIV, *De synod. diœc.* l. VI, c. 1.)

Sed jus particulare diœcesanum juri communi derogans non potest statui nisi auctoritate Romani pontificis, aut consuetudine rationabili et legitime præscripta, consensu tacito ejusdem pontificis firmata.

CAPUT XVII.

De jure nationali Galliarum ecclesiis proprio.

§ I. — Historia Concordati.

A Concordato diei 15 Julii anni 1801 et ex bullis, decretisque illud concordatum confirmantibus seu executioni mandantibus, oritur totum præsens jus nationale Galliarum ecclesiis proprium.

1° Napoleo primus reipublicæ Gallicanæ consul, expostulavit antiquarum diœcesium suppressionem, novamque fieri diœcesium totius reipublicæ erectionem et circumscriptionem. De quibus simul cum aliis ad religionis catholicæ in Gallia restaurationem pertinentibus concinnatum est percelebre concordatum inter Pium papam VII et primum consulem.

2° Petivit Pius VII ab episcopis Galliarum tunc exstantibus ut resignarent titulos suos, per bullam *Tam multa* et bullam *La chiesa di Gesù Cristo*. (*Bull. Rom. continuatum*, t. II, p. 187 et 190.) Hos autem episcopos monebat summus pontifex, etiamsi resignationem renuerent, se nihilominus ad suppressionem omnium Galliæ ecclesiarum, novarumque erectionem processurum. Postulatam resignationem recusarunt 34 præsules, negantes hujuscemodi suppressionis peragendæ jus summo pontifici competere; ex quibus tamen postea quatuor tantum rebelles remansere, qui schismatis, *parvulæ Ecclesiæ* nuncupati, auctores exstiterunt.

3° Die 15 Septembris 1801 concordatum ratum habuit Pius VII per bullam *Ecclesiæ Christi*; et tandem die 29 Novembris ejusdem anni per bullam *Qui Christi Domini vices*, suppressit ecclesias Galliarum antiquas omnes, sexaginta novas erexit, cardinalique Caprara legato *a latere*, cum amplissima facultate commisit totam ex præsente bulla et ex concordato rerum ordinandarum rationem. In exsecutionem sibi commissorum edidit cardinalis Caprara decretum suum *Cum sanctissimus*, die 9 Aprilis 1802. Huic decreto adjungendi sunt uniuscujusque cathedralis ecclesiæ erectionis tituli, omnes a cardinali legato dati et plus minusve similes. Titulus ecclesiæ metropolitanæ Parisiensis datus fuit die 10 Aprilis 1802 (1). Decretum *Cum sanctissimus* et tituli uniuscujusque cathedralis Ecclesiæ, ad recognoscendum in plurimis jus nunc in Gallia vigens, perpetuo consulendi sunt.

4° Napoleo vero simul cum concordato edidit eos articulos qui *organici* dicti sunt; sed eos ad concordatum non pertinere protestatus est Pius VII in consistoriali allocutione diei 24 Maii 1802; qui proinde articuli organici omni prorsus auctoritate ecclesiastica et caruerunt et carent. Protestatus rursum est contra eosdem articulos allocutione 16 Martii 1808.—Protestationes Pii VII gubernio Gallico transmissæ sunt 1° per notam cardinalis Consalvi diei 22 Maii 1802 directam D. de Ceccault, et 2° per epistolam cardinalis Caprara diei 18 Augusti 1803 scriptam D. de Talleyrand.

Item per Bullam, *Cum memoranda illa die*, 10 Jun. 1809, Pius VII iterum damnavit *articulos organicos* Concordati tanquam exercitiam religionis catholicæ, et libertatem Ecclesiæ annihilantes, atque Evangelii doctrinam impugnantes. Eadem Bulla damnatur Codex (*le Code Napoléon*) ut contrarius SS. canonibus, præceptis evangelicis et juri divino.

5. Die 18 Julii 1817, idem Pius VII bulla *Ubi primum*, novum iniit Concordatum cum Ludovico XVIII, Galliarum rege. In hoc autem Concordato declarantur nulli articuli organici *in iis quæ adversantur doctrinæ et legibus Ecclesiæ;* restituitur Concordatum inter Leonem X et Franciscum I, quibusdam punctis exceptis; fit erectio novarum diœcesium. Qua occasione etiam declaratus est sensus juramenti fidelitatis ab episcopis regi præstandi. Sed Concordatum istud non fuit ad exsecutionem deductum, teste eodem Pio VII in allocutione consistoriali. Attendendum tamen est illud Concordatum; nam idem summus Pontifex dum nova constitutione anno 1822 ecclesias Galliæ tandem ea stabili ordinatione, quæ hodiedum perseverat, donavit, non in omnibus derogatum Concordato anni 1817 declarat, sed in iis tantum, de quibus in præsenti constitutione aliter providebat.» (Bouix, tract. *De princip.* pag. 88-89.)

§ II. — Concordata anni 1801 et 1817.

Convention entre le gouvernement français et Sa Sainteté Pie VII, échangée le 23 Fructidor an IX (10 Septembre 1801).

Le premier consul de la République française, et Sa Sainteté le souverain pontife

(1) Editus est in V vol. operis : *Cours alphabétique et méthodique de droit canon*, par l'abbé André.

Pie VII, ont nommé pour leurs plénipotentiaires respectifs :

Le premier Consul, les citoyens Joseph Bonaparte, conseiller d'État, Cretet, conseiller d'État, et Bernier, docteur en théologie, curé de S. Laud d'Angers, munis de pleins pouvoirs;

Sa Sainteté, son Éminence Mgr Hercule Consalvi, cardinal de la sainte Eglise romaine, diacre de sainte Agathe ad Suburram, *son secrétaire d'État, Joseph Spina, archevêque de Corinthe, prélat domestique de Sa Sainteté, assistant du trône pontifical, et le père Caselli, théologien consultant de Sa Sainteté, pareillement munis de pleins pouvoirs en bonne forme;*

Lesquels, après l'échange des pleins pouvoirs respectifs, ont arrêté la convention suivante :

Convention entre le Gouvernement français et Sa Sainteté Pie VII.

Le Gouvernement de la République française reconnaît que la religion catholique, apostolique et romaine, est la religion de la grande majorité des citoyens français.

Sa Sainteté reconnaît également que cette même religion a retiré et attend encore en ce moment le plus grand bien et le plus grand éclat de l'établissement du culte catholique en France, et de la profession particulière qu'en font les consuls de la république.

En conséquence, d'après cette reconnaissance mutuelle, tant pour le bien de la religion que pour le maintien de la tranquillité intérieure, ils sont convenus de ce qui suit :

ART. 1er. *La religion catholique, apostolique et romaine sera librement exercée en France : son culte sera public, en se conformant aux règlements de police, que le Gouvernement jugera nécessaires pour la tranquillité publique.*

ART. 2. *Il sera fait par le Saint-Siége, de concert avec le Gouvernement, une nouvelle circonscription des diocèses français.*

ART. 3. *Sa Sainteté déclarera aux titulaires des évêchés français, qu'elle attend d'eux avec une ferme confiance, pour le bien de la paix et de l'unité, toute espèce de sacrifices, même celui de leurs siéges.*

D'après cette exhortation, s'ils se refusaient à ce sacrifice commandé par le bien de l'Eglise (refus néanmoins auquel Sa Sainteté ne s'attend pas), il sera pourvu par de nouveaux titulaires, au gouvernement des évêchés de la circonscription nouvelle, de la manière suivante :

ART. 4. *Le premier Consul de la République nommera, dans les trois mois qui suivront la publication de la bulle de Sa Sainteté, aux archevêchés et évêchés de la circonscription nouvelle. Sa Sainteté conférera l'institution canonique, suivant les formes établies par rapport à la France avant le changement de gouvernement.*

ART. 5. *Les nominations aux évêchés qui vaqueront dans la suite seront également faites par le premier Consul, et l'institution canonique sera donnée par le Saint Siége en conformité de l'article précédent.*

ART. 6. *Les évêques, avant d'entrer en fonctions, prêteront directement entre les mains du premier Consul le serment de fidélité qui était en usage avant le changement de gouvernement, exprimé dans les termes suivants :*

« *Je jure et promets à Dieu, sur les saints Évangiles, de garder obéissance et fidélité au gouvernement établi par la constitution de la République française. Je promets aussi de n'avoir aucune intelligence, de n'assister à aucun conseil, de n'entretenir aucune ligue, soit au dedans, soit au dehors, qui soit contraire à la tranquillité publique ; et si, dans mon diocèse ou ailleurs, j'apprends qu'il se trame quelque chose au préjudice de l'État, je le ferai savoir au Gouvernement.* »

ART. 7. *Les ecclésiastiques du second ordre prêteront le même serment entre les mains des autorités civiles désignées par le Gouvernement.*

ART. 8. *La formule de prière suivante sera récitée à la fin de l'office divin, dans toutes les églises catholiques de France :* Domine, salvam fac Rempublicam ; Domine, salvos fac Consules.

ART. 9. *Les évêques feront une nouvelle circonscription des paroisses de leurs diocèses, qui n'aura d'effet que d'après le consentement du Gouvernement.*

ART. 10. *Les évêques nommeront aux cures. — Leur choix ne pourra tomber que sur des personnes agréées du Gouvernement.*

ART. 11. *Les évêques pourront avoir un chapitre dans leur cathédrale et un séminaire pour leur diocèse, sans que le Gouvernement s'oblige à les doter.*

ART. 12. *Toutes les églises métropolitaines, cathédrales, paroissiales et autres non aliénées, nécessaires au culte, seront remises à la disposition des évêques.*

ART. 13. *Sa Sainteté, pour le bien de la paix et l'heureux rétablissement de l'Église catholique, déclare que ni elle, ni ses successeurs, ne troubleront en aucune manière les acquéreurs des biens ecclésiastiques aliénés, et qu'en conséquence, la propriété de ces mêmes biens, les droits et revenus y attachés demeureront incommutables entre leurs mains ou celles de leurs ayant-cause.*

ART. 14. *Le gouvernement assurera un traitement convenable aux évêques et aux curés dont les diocèses et les paroisses seront compris dans la circonscription nouvelle.*

ART. 15. *Le gouvernement prendra également des mesures pour que les catholiques français puissent, s'ils le veulent, faire en faveur des églises des fondations.*

ART. 16. *Sa Sainteté reconnaît dans le premier Consul de la République française les mêmes droits et prérogatives dont jouissait près d'elle l'ancien Gouvernement.*

ART. 17. *Il est convenu entre les parties contractantes que, dans le cas où quelqu'un des successeurs du premier Consul actuel ne serait pas catholique, les droits et prérogatives mentionnés dans l'article ci-dessus, et la nomination aux évêchés, seront réglés, par rapport à lui, par une nouvelle convention.*

Les ratifications seront échangées à Paris dans l'espace de quarante jours.

Fait à Paris, le 26 *Messidor, an* XI.

signé : Joseph BONAPARTE (L.S.); Hercule cardinalis CONSALVI (L.S.) ; CRETET (L.S.) ; JOSEPH archiep. Corinthi (L.S.) ; BERNIER (L.S.) ; F. Carolus CASELLI (L.S.).

Convention entre le Souverain Pontife Pie VII et Sa Majesté Louis XVIII, roi de France et de Navarre.

Au nom de la très-sainte et indivisible Trinité : Sa Sainteté ... et Sa Majesté ... sont convenus des articles suivants.

ART. 1er. Le *Concordat passé entre le Souverain Pontife Léon X et le roi de France François Ier est rétabli.*

ART. 2. *En conséquence de l'article précédent, le concordat du 15 juillet 1801 cesse d'avoir son effet.*

ART. 3. *Les articles dits organiques qui furent faits à l'insu de Sa Sainteté et publiés sans son aveu, le 8 avril 1802, en même temps que ledit concordat du 15 juillet 1801, sont abrogés en ce qu'ils ont de contraire à la doctrine et aux lois de l'Eglise* (2).

ART. 4. *Les siéges qui furent supprimés dans le royaume de France par la bulle de Sa Sainteté du 29 novembre 1801, seront rétablis en tel nombre qu'il sera convenu d'un commun accord, comme étant le plus avantageux pour le bien de la religion.*

ART. 5. *Toutes les églises archiépiscopales et épiscopales du royaume de France érigées par la bulle du 29 novembre 1801 sont conservées, ainsi que leurs titulaires actuels.*

ART. 6. ET 7. .....

ART. 8. *Il sera assuré à tous lesdits siéges, tant existants qu'à ériger de nouveau, une dotation convenable en biens fonds et en rentes sur l'État, aussitôt que les circonstances le permettront, et en attendant il sera donné à leurs pasteurs un revenu suffisant pour améliorer leur sort.*

Il sera pourvu également à la dotation des chapitres, des cures et des séminaires, tant existants que de ceux à établir.

Fait à Rome le 11 *juin* 1817.

Signé Hercule cardinal CONSALVI ;
— BLACAS D'AULPS.

Hoc Concordatum ratum habuit Pius VII per bullam *Ubi primum*, et executioni mandavit per bullam *Commissa divinitus*. Attamen præsens Concordatum nullius effectus fuit ; et Concordatum diei 15 julii anni 1801 remansit et adhuc remanet in vigore practico.

Attamen, anno 1822, idem summus Pontifex Pius VII, in sua constitutione *Paternæ charitatis*, bullam *Commissa divinitus* referente, sic loquitur : *Quant à toutes les autres choses statuées et réglées par les mêmes lettres apostoliques de* 1817 ..... *nous voulons et ordonnons qu'elles soient observées*

(2) L'art. 3 de la première convention du 25 août 1816, s'arrêtait là, sans ajouter : *En ce qu'ils ont de contraire aux lois de l'Eglise.* C'était une abrogation totale et absolue que demandait le Souverain Pontife. (*Cours alph. de droit canon*, par l'abbé ANDRÉ, t. II, p. 208.)

en leur entier et en toutes leurs parties. Unde sequitur, Concordatum anni 1817 et bullas *Ubi primum* et *Commissa divinitus* ad jus canonicum Gallicarum ecclesiarum pertinere.

§ III. — Disciplina ecclesiis Galliarum propria ex enumeratis fontibus.

I. *Per Concordatum anni* 1801 *Gallicana Ecclesia in jure canonico communi, salvis ejusdem Concordati derogationibus, restituta est.* — Hujus propositionis veritas ex Concordato ipso et bullis illud confirmantibus seu exsecutioni mandantibus eruitur. Quod demonstrandum est.

Articulus primus Concordati : *La religion catholique, apostolique et romaine sera librement exercée en France ; son culte sera public, en se conformant aux règlements de police que le Gouvernement jugera nécessaires pour la tranquillité publique.*

Articulus ille præcise distinguit duo : 1° religionem catholicam, apostolicam et Romanam ; 2° ejusdem cultum.

Atqui 1° « Religio catholica, apostolica, Romana, libere in Gallia exercebitur : » — Hæcce propositio prima ab ipsa immediate sequenti est absolute independens. Quid autem significat hæcce propositio, nisi quod religio *catholica*, non vero nationalis, ac status, *apostolica* scilicet, omnem auctoritatem, potestatem divinam, legislativam, administrativam, judiciariam apostolis a Christo collatam habens, *Romana*, cujus Romanus pontifex est caput supremum, in universam Ecclesiam juxta traditionem et sanctorum conciliorum dogmaticas sanctiones jurisdictionis plenitudinem possidens ? Hæc religio sic definita *libere in Gallia exercebitur ;* consequenter sine obstaculis contra ejusdem leges ac jurisdictionem ; sine prærogativis nec privilegiis aliis quam quæ in Concordato conceduntur. Id est : Religio catholica, apostolica, Romana, pure ac simpliciter, qualis in tota suæ divinæ constitutionis extensione est, libere in Gallia exercebitur, ubi nulla amplius de Gallicanis libertatibus quæstio fieri potest. Hic est hujusce propositionis logicus, grammaticalisque sensus, aut nullam habet significationem.

2° Legitur postea in eodem primo Concordati articulo : *Cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum quoad politiam, quas Gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.* Hæc altera propositio est præcedentis consequentia, tantummodo cultum publicum, illumque solum quoad ejusdem publicitatem solam, politiæ ordinationibus pro publica tranquillitate necessariis subjicit. At, in cultus ordinationibus politiæ subjecti publicitate, nec dogma, nec moralis, nec divina Ecclesiæ hierarchia, nec ejusdem jurisdictio aut canonicæ leges propriæ, nec divina summi pontificis auctoritas, nec ejusdem bullæ aut prescripta, nec sacramentorum administratio, nec liturgia aut ejusdem cæremoniæ saltem ad intra templorum, comprehendi nequeunt. Sic evidenter intellecta, comprehensa, admissa subscriptaque fuit a Pio Papa VII hæc propositio, sicut Concordati bullis, ejusdemque pontificis reclamationibus probatur. Hic est aliunde logicus, grammaticalis, obvius doctrinalisque sensus ; aliter hæc secunda propositio primam destrueret, quod admitti nequit. Ergo nulla Gubernio competit potestas nisi in cultus publicitatem in eo quod pro tranquillitate publica necessarium existimabit.

Unde hujus primi articuli rigorosa conclusio est, quod Galliarum Ecclesia in jure canonico communi, sive quoad disciplinam, sive quoad administrationem et cultum restituta fuit.

II. *Prisca Galliarum Ecclesia cum suis prærogativis antiquata fuit.*—Adeo Concordati littera mensque est ista explanatio, ut tam articuli subsequentes quam bullæ omnem antiquam Gallicanam Ecclesiam, simul cum ejusdem privilegiis, omnibus specialibus peculiaribus legibus, omnibus libertatibus, quocunque fonte exortis, radicaliter supprimunt et annulant ad novam in radice Ecclesiam erigendam.

Art. Concordati 2 : *Il sera fait par le Saint-Siége, de concert avec le Gouvernement, une nouvelle circonscription des diocèses français.*

Art. 3. *Sa Sainteté déclarera aux titulaires des évêchés français, qu'elle attend d'eux avec une ferme confiance, pour le bien de la paix et de l'unité, toute espèce de sacrifices, même celui de leurs siéges.*

D'après cette exhortation, s'ils se refusaient à ce sacrifice commandé par le bien de l'Eglise (refus néanmoins auquel Sa Sainteté ne s'attend pas), il sera pourvu, par de nouveaux titulaires, au gouvernement des

évêchés de la circonscription nouvelle, de la manière suivante.

Quod sic ratum habuit Pius VII per bullam *Ecclesia Christi:* « Deinde cum illud maxime necessarium esse compertum sit, ut de episcopalibus sedibus ratio haberetur, hinc cum Gallicanum regimen novam fieri Gallicarum diœcesium circumscriptionem se cupere nobis significaverit, collatis cum eo consiliis nova a nobis Gallicarum diœcesium circumscriptio fiet, quæ mutuæ voluntatis conjunctione ita perficietur, ut spiritualibus catholicorum necessitatibus consultum sit.

« Et quoniam tum propter novam hanc ipsam diœcesium circumscriptionem, tum propter alias gravissimas causas, omnia impedimenta removenda sunt, quæ tanto operi perficiendo adversari possunt; propterea nos justæ persuasioni innixi, Gallicanarum Ecclesiarum titulares episcopos ita animo esse comparatos, ut eidem religioni omnia sacrificia, ac vel ipsam suarum sedium resignationem litare non sint detracturi (quod jamdiu quam plurimi inter ipsos nunquam satis commendandis litteris ad rec. mem. prædecessorem nostrum datis die 3 Maii 1791 ultro obtulerunt) prædictos titulares per nostras apostolicas litteras sollicitudinis plenas adhortabimur, ut Ecclesiæ paci atque unitati consulant, significabimusque, nos ab eorum qua in religionem flagrant charitate, firma fiducia, ea quæ superius dicta sunt, sacrificia exspectare, ne ipsa quidem sedium resignatione excepta, quæ Ecclesiæ bonum imperat. Qua hortatione præmissa, eorumdemque cognita responsione, quam nostris conformem votis futuram esse haud dubitamus, opportuna media adhibebimus, quibus religionis bono consulatur, atque ut, nova circumscriptione peracta, Gallicani gubernii vota impleantur, operam impendemus. »

Nullum ergo dubium; gubernium Gallicanum ipsum expostulavit omnium antiquarum diœcesium suppressionem, omnium antiquorum titularium episcoporum resignationem, id est, radicalem totius antiquæ Gallicanæ Ecclesiæ exstinctionem, etiam in ejusdem hierarchia, ut de novo novæ diœceses, novaque hierarchia crearentur. Huic exorbitanti, inauditæ, *sine qua* vero *non* Ecclesiæ catholicæ in Gallia restitutionis, conditioni assentiri debuit sedes apostolica. Quapropter de sua auctoritate plena omnem antiquam Gallicanam Ecclesiam exstinxit, novamque Ecclesiam in radice creavit, sicut absolute primam ab initio creaverunt Pontificis prædecessores. Cum jam non subsistat amplius antiqua Gallicana Ecclesia, nulla privilegia, nullum jus canonicum peculiare, nationale, nullam libertatem servare potest. Nova Ecclesia Concordato creata antiquæ non succedit, de ea non hæreditat, nihil ab ea absolute accipit. Et ad omnem recursus successionisque mentem tollendam, Art. 12 Concordati declarat : *Toutes les églises métropolitaines, cathédrales, paroissiales et autres non aliénées, nécessaires au culte, seront remises à la disposition des évêques;* et Art. 13 : *Sa Sainteté, pour le bien de la paix et l'heureux rétablissement de la religion catholique, déclare, que ni Elle, ni ses successeurs, ne troubleront, en aucune manière, les acquéreurs des biens ecclésiastiques aliénés, et qu'en conséquence, la propriété de ces mêmes biens, les droits et revenus y attachés demeureront incommutables entre leurs mains ou celles de leurs ayant cause.* »

Nihil ergo ab antiqua, nec ipsa bona temporalia, nova Galliarum Ecclesia hæreditavit; illius tantum fidem, morum doctrinam, erga sedem apostolicam ex qua omnis disciplina fluit, obsequium hæreditavit. Jam antiquatas Ecclesiæ Gallicanæ non exsistentis libertates seu exemptiones ad vitam revocare nihil aliud est quam velle ut absque subjecto accidentia subsistant, qualitatesque nihilo dentur. Consequenter ad novam Galliarum Ecclesiam nulla privilegia, nullum jus peculiare, nulla prærogativa, ex antiqua Ecclesia transmissa sunt; a fortiori, ista famosa anni 1682 declaratio, quæ nullum jus constituit, sed sine auctoritate dogmatizare contendit, in nova Galliarum Ecclesia reviviscere nequit; cum præsertim a sancta sede apostolica, cui soli, juxta secundi Lugdunensis concilii œcumenici dogmaticas sanctiones, competit doctrinam fidei definire, cassata, annullata damnataque sit.

3° Nostræ conclusiones explanationesque meram opinationem esse non credantur; sunt enim ipsamet doctrinæ exsecutorialis Concordati bullæ, *Qui Christi Domini:* « Supprimimus, annullamus et perpetuo exstinguimus titulum, denominatio-

nem, totumque statum præsentem infra scriptarum ecclesiarum archiepiscopalium et episcopalium, una cum respectivis earum capitulis, juribus, privilegiis et prærogativis cujuscunque generis... (sequitur enumeratio omnium antiquarum diœcesium).... ita ut (deleto etiam omni jure metropolitico cujuscunque metropolitanæ ubicunque exsistentis) omnes supradicti archiepiscopatus et episcopatus, cum abbatiis, etiamsi eæ vere essent nullius cum separato territorio et jurisdictione, haberi debeant in posterum tanquam non amplius in primo ipsorum statu exsistentes, quia aut omnimode exstincti, aut in novam formam redigendi..... non obstantibus.... earumdem ecclesiarum per nos suppressarum et exstinctarum... statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus, » etc.

III. *Nova Ecclesia in Galliis creata fuit.* — Sic Pius VII expressis verbis abolevit omne jus priscis Ecclesiis Gallicanis proprium : exstinxit enim omnes illas ecclesias *cum respectivis earum juribus, privilegiis et prærogativis cujuscunque generis, et non obstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus ;* novæque Ecclesiæ omnino diversæ a prioribus erectæ sunt, eodem modo ac erigerentur in regione in qua nunquam ullus episcopatus exstitisset. Etenim persequitur eadem bulla, cujus textum Gallicum integrum in manu habemus : *Notre dessein étant de terminer suivant les désirs que nous a exprimés le premier Consul de la République française, l'établissement du régime ecclésiastique dans tout ce qui est urgent et nécessaire, nous déclarons établir et par les présentes lettres nous érigeons de nouveau en France dix églises métropolitaines et cinquante siéges episcopaux, savoir.* (Sequitur enumeratio ecclesiarum metropolitanarum et ssdium episcopalium.)

Nous mandons en conséquence et nous ordonnons à notre cher fils Jean-Baptiste Caprara, cardinal prêtre de la sainte Eglise Romaine, notre légat à latere *et celui du Saint-Siége près de notre cher fils en Jésus-Christ Napoléon Bonaparte, premier Consul de la République française, et près du peuple français, qu'il ait à procéder de suite à l'établissement des églises archiépiscopales et épiscopales que nous venons d'ériger suivant la forme que nous avons adoptée dans cette érection, en assignant à chacun des archevêques et évêques ce qui doit lui appartenir ; en assignant le patron ou titulaire spécial de chaque diocèse sous l'invocation duquel la principale église est consacrée à Dieu, les dignités et membres de chaque chapitre, qui doit y être formé suivant les règles prescrites par les saints conciles ; l'arrondissement et les limites précises de chaque diocèse : le tout expliqué par lui de la manière la plus claire et la plus distincte dans tous les décrets et actes qu'il fera pour l'établissement desdits archevêchés, au nombre de dix et des cinquante autres évêchés.*

Nous lui conférons à cet effet les pouvoirs les plus amples, avec la faculté de les subdéléguer. Nous lui donnons en outre toute l'autorité dont il a besoin pour approuver et confirmer les statuts des chapitres, pour leur accorder les marques distinctives au chœur qui peuvent lui convenir : pour supprimer les anciennes paroisses, les resserrer dans des bornes plus étroites, ou leur en donner qui soient plus étendues ; en ériger de nouvelles, et leur assigner de nouvelles limites ; pour décider toutes les contestations qui pourraient s'élever dans l'exécution des dispositions consignées dans nos présentes lettres apostoliques, et généralement le pouvoir de faire tout ce que nous ferions nous-même pour pourvoir, le plus promptement possible, aux pressants besoins des fidèles catholiques de France, par l'érection desdites églises archiépiscopales et épiscopales, par l'établissement des séminaires, dès qu'il sera possible, et par celui des paroisses devenu nécessaire, en leur assignant une portion convenable à toutes.

Postea Pontifex declarat has litteras apostolicas impugnari non posse a quocunque, nec sub quocunque prætextu ; deinde addit :

Si quelqu'un osait, en connaissance de cause, ou par ignorance, quelle que fût son autorité, entreprendre le contraire, nous déclarons, par notre autorité apostolique, nul et invalide tout ce qu'il ferait, nonobstant les dispositions référées dans les chapitres du droit, sur la conservation du droit acquis, sur la nécessité de consulter les parties intéressées quand il s'agit de suppression, et toutes autres règles de notre chancellerie apostolique ainsi que toutes les clauses de l'érection et fondation des églises que nous venons de supprimer et d'éteindre, les cons-

titutions apostoliques, synodales, provinciales, celles même des conciles généraux faites ou à faire, les statuts, coutumes même immémoriales, priviléges, indults, concessions et donations faites aux églises supprimées par ces présentes, quand bien même tous ces actes auraient été confirmés par l'autorité apostolique, ou par toutes autres personnes élevées en dignité civile *ou* ecclésiastique, *quelque grandes et quelque dignes d'une mention spéciale qu'on les suppose, fût-ce même nos prédécesseurs, les Pontifes romains, sous quelques formes et dans quelques expressions qu'aient paru les décrets ou concessions contraires aux présentes*, etc., etc. (*Cours alphab. et méth. de droit canon*, par l'abbé ANDRÉ, t. II, art. *Concordat.*)

Clare ergo demonstratum est omnem priscum statum, omnia privilegia, omnes prærogativas, omnem antiquæ Gallicanæ Ecclesiæ exsistentiam, a quacunque sive civili, sive ecclesiastica auctoritate hæc emanaverint, a suprema summi Ecclesiæ legislatoris auctoritate annihilata et exstincta esse.

Sunt vero qui, tantam harum conclusionum evidentiam admittere renuentes, contendunt verba bullæ non esse nisi meras usus formulas nullum effectum producentes. At omne jus canonicum similibus formulis constat; dicendum ergo foret nullius effectus esse. Formulæ in omnibus legem faciunt. Si nullius valoris sunt suppressionis formulæ, cur erectionis novarum ecclesiarum formulæ suum sortirentur effectum? Qua ratione contra factorum evidentiam sese insurgere possint non intelligimus: antiquæ ecclesiæ evidenter et rite suppressæ sunt, manentque suppressæ; novæ ecclesiæ super nova fundamenta erectæ sunt; hæc sunt tam evidentia quam solis diurni cursus facta. Non sunt ergo nullius effectus formulæ verba bullæ, cum e contra omne enuntiatum produxerunt. In quo niterentur fundamento distinctiones privilegiorum, prærogativarumque, quorum successionem hæreditatemque permanere vellent, nisi in nihilo?

4° At vero hæc nostra thesis non tantum expresse demonstratur per bullam *Qui Christi Domini vices*; sed tribunalium Romanorum, præsertim congregationis concilii jurisprudentia hanc in jus practicum stabilitumque doctrinam transire fecit, ut videre est per decreta diei 28 Januarii 1837, in causa Nicien.; 12 Septembris 1829, in causa capituli Derthonensis; 12 Julii 1845, in causa capituli Pigneroliensis, etc. In hoc quoque sensu Romæ constanter respondetur omnibus petitionibus, consuetudinibus, etc., ab episcopis seu Galliarum capitulis directis, scilicet: per bullam Pii VII exstinctas fuisse non tantum ecclesias archiepiscopales, episcopales, et capitula, verum etiam simul cum eis omnia earum privilegia antiquasque consuetudines; ita ut hæc peculiaria quibus olim gaudebant jura nullo modo ecclesiis capitulisque de novo erectis transiisse censenda sint. (*Vide* BOUIX *De principiis* pag. 89, § 2.)

IV. *Hæc nova Galliarum Ecclesia sub jure communi creata atque submissa fuit a Summo Pontifice, et de facto.*— Porro, absque disciplinaribus legibus, absque jure canonico quocunque, novæ Galliarum Ecclesiæ subsistere nequeunt; anarchia non potest in Ecclesia esse. Sane, ejusdem divinum jus plenæ anarchiæ in æternum obstat. Verum, eodem divino jure, omnes supremo a Christo instituto monarchæ subjiciuntur Ecclesiæ, quæ ex ejusdem auctoritate emanatis legibus reguntur, salvis quidem ab illius directa sollicitudine ortis privilegiis et prærogativis, aut rationabilibus consuetudinibus legitime præscriptis. Ad quantumvis sapiens et prudens arbitrium non relinquitur Ecclesiarum regimen. Si reperiuntur peculiares casus, in quibus ad judicum episcoporumque arbitrium judicium a jure relinquitur, hoc nullum habere locum potest in iis jure cui sese subtrahere nemo potest statutis. Si contra juris particulares sanctiones præscribere, easque abrogare potest consuetudo, nunquam contra totum jus aut majorem ejus partem præscribere quit, cum tunc summe irrationabilis foret et essentialissima ad faciendam legem conditione deficeret consuetudo.

Dum ergo antiquum Gallicanæ priscæ Ecclesiæ jus nationale cum illa aboletum exstinctumque sit, novaque Ecclesia priscæ nec in ejus statu, privilegiis, libertatibus, non amplius quam in bonis temporalibus, succedere nequiverit, concludendum necesse est novam Galliarum Ecclesiam, quæ absque jure et disciplina subsistere non potest, necessario jure communi, salvis Concordati derogationibus, regi.

Hæc nostra conclusio non tantum rigo-

rose fluit ex antiquarum Ecclesiarum extinctione novarumque creatione, verum multoties in bullis, quæ non sunt meræ nullius effectus formulæ, Concordatum confirmantibus seu executioni mandantibus explicite exprimitur.

1° *De archiepiscoporum et episcoporum jurisdictione in genere.*—Hujusce jurisdictionis extensionem regulasque in cujusque cathedralis ecclesiæ titulis, quærendum est. Hi uniuscujusque ecclesiæ fundamenta, tituli omnes fere similes ad continuam titularium auctoritati regulam præbendam in ecclesiarum archiviis asservantur aut asservari debent. In titulo metropolitanæ Parisiensis (3) legimus :

« Parisiensi vero Ecclesiæ sicut præfertur erectæ et constitutæ octo episcopales Ecclesias, nempe Versaliensem, etc., tanquam suffraganeas.... perpetuo subjicimus et supponimus, ita ut tam primo futurus quam pro tempore exsistens archiepiscopus Parisiensis pleno metropolitico jure in easdem octo Ecclesias potiri debeat et possit, *eodem prorsus modo quo cæteri metropolitani in suffraganeas Ecclesias, earumque episcopos utuntur, et potiuntur et gaudent...*

« Pro diœcesi vero Parisiensis Ecclesiæ assignamus civitatem ipsam Parisiensem, necnon integrum territorium, etc... In ipsa autem civitate Parisiensi et diœcesi, ut præfertur, præscripta omnem jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam in personas tam seculares quam ecclesiasticas et loca pia quæcunque prout aliis archiepiscopis competit libere et absolute exercere valeat et exerceat *ad formam tamen decretorum concilii Tridentini, et apostolicarum constitutionum.* » Atqui decreta concilii Tridentini, et apostolicæ constitutiones nihil aliud sunt quam jus commune.

Ergo archiepiscoporum et episcoporum jurisdictio sive ordinaria, sive delegata in personas et res exerceri debet ad formam juris communis. Longius esset hic deducere omnes sub pœna nullitatis consequentias ab hoc fundamento promanantes; pro suis locis hoc faciendum erit.

2° *De capitulis.* — Decretum *Cum sanctissimus* cardinalis Caprara, bullam *Qui Christi Domini* includens, sic habet : *Nous accordons aux archevêques et évêques qui vont être nommés, le pouvoir d'ériger un chapitre dans leurs métropoles et cathédrales respectives.... en se conformant à tout ce qui est prescrit par les conciles et les saints canons, et à tout ce qui a été constamment observé par l'Eglise.* Consequenter ad formam juris Ecclesiæ universæ communis.

In Parisiensis vero Ecclesiæ erectionis titulo sic loquitur legatus : « Cum vero Sanctitas Sua iisdem apostolicis litteris mandaverit nobis... ut decerneremus tum sanctum titularem patronum... tum dignitates et canonicos ejus (Ecclesiæ) capituli *juxta præscriptum sancti concilii Tridentini efformandi*... ideo attenta facultate subdelegandi a S. S.... concessa, eidem primo futuro archiepiscopo... committimus... ut... cum dignitatum et canonicatuum numerum quem ad ejusdem (Ecclesiæ) necessitatem, utilitatem atque decorem magis expedire judicabit, *ad Tridentini concilii præscriptum* præfiniat pro totidem ecclesiasticis viris futuris dictæ metropolitanæ Ecclesiæ dignitatibus et canonicis, qui illius capitulum... constituant, et apud eam personaliter resideant, certisque... diebus et temporibus horas canonicas tam diurnas quam nocturnas, cæteraque divina officia, *servata Ecclesiæ disciplina ad instar aliarum metropolitanarum Ecclesiarum* recitare, decantare et psallere, eidem Ecclesiæ laudabiliter deservire debeant et teneantur, archiepiscopo in pontificalibus peragendis *juxta receptas consuetudines* ministrent et inserviant, eumdemque in diœcesis, *prout in jure constitutum est*, adjuvent administratione.

« Potissimum vero duos ex canonicatibus constituat, quibus *juxta ejusdem Tridentini concilii leges* adnexum sit theologi ac pœnitentiarii munus a canonicis qui ad eos promoti fuerint *secundum canonicas sanctiones* fideliter adimplendum.

Ut primo idem futurus archiepiscopus insignia et choralia indumenta, capitulo concedere valeat, *de specialissima gratia*, legatus indulget.

« Ut... ecclesiastica disciplina servetur, eidem futuro archiepiscopo curæ erit ut, antiqua Ecclesiæ... suppressæ ac de novo nunc erectæ statuta... collatis cum eodem capitulo conciliis restituat... ita ut eidem archiepiscopo, prævio capituli suffragio non solum

(3) In integro reperitur apud ab. André : *Cours alph.* etc. *du droit canon*, t. V, art. *Titre.*

liceat eadem statuta... reformare, interpretari, in meliorem formam redigere, sed etiam alia de novo et ex integro, licita tamen et honesta, *ac sacris canonibus minime adversantia*... condere et præscribere... plenam eidem, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem concedimus et impertimur. »

Capituli ergo, juxta hos omnes tam expressos textus, in jure communi constituti sunt.

3° *De seminariis.* — In decreto *Cum sanctissimus* legimus : « Tous les archevêques et évêques... devront... travailler... à établir, *en conformité des saints canons et des saints conciles*, des séminaires. »

In metropolitanæ Parisiensis titulo jubet legatus, ut « seminarium... *ad sacrorum canonum, et Tridentini concilii sanctiones* primo futurus Parisiensis archiepiscopus... curet instituendum. »

Seminaria ergo ad juris communis formam in Gallia constituta sunt.

4° *De curis et parochiis.* — In bulla *Ecclesia Christi* legitur : « Jus nominandi parochos ad episcopos pertinebit, qui tamen personas non seligent nisi iis dotibus instructas, *quas Ecclesiæ canones requirunt*, (atque ut tranquillitas eo magis in tuto sit) gubernio acceptas. »

5° *De Beneficiorum collatione in genere et in particulari.* — Verum actuale jus in uniuscujusque cathedralis erectionis titulo stabilitum invenimus; sic habet titulus Parisiensis : « Eidemque futuro ac pro tempore exsistenti archiepiscopo Parisiensi, ut præter collationem parœciarum eo modo qui in supra memorata conventione ac in præsenti decreto statutus est, quæcunque alia cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata *juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas*, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus, personis idoneis pleno jure conferendi et de illis providendi de eadem speciali apostolica auctoritate potestatem omnem concedimus et impertimur. »

Maximæ gravitatis est hoc disciplinæ punctum; ad illius intelligentiam, nobis rememorandum est omnium in universali Ecclesia beneficiorum collationem ad Summum Pontificem pertinere; et hæc est ratio cur in præsenti titulo, ut semper, episcopis de auctoritate apostolica quæcunque cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia personis idoneis pleno jure conferendi potestas omnis concedatur; at vero *juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas*, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus; prætereaque introducendo in parœciarum collationem eum modum, qui est parochis nominatis necessaria Gubernii acceptatio, in Concordato et præsenti decreto statutum. Ad cognoscendum ergo juxta quam formam episcopi, per suarum ecclesiarum titulum, beneficia in suis diœcesibus conferendi potestatem a sancta sede acceperunt, referendum est *ad formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas;* prætereaque sciendum est quæ reservationes et limitationes tunc temporis vigentes erant.

Porro, juxta inter Leonem X et Franciscum I Concordatum, quod in Gallia de jure usque ad Concordatum anni 1801, et de facto usque ad annum 1790 viguit, ad sequentem formam exercebatur beneficiorum collatio.

1° Omnis ordinarius collator in unaquaque metropolitana aut cathedrali ecclesia canonicatum theologale doctori in theologia, seu licenciato aut baccalaureato, decem annorum studiorum in generali universitate probationem facienti conferre tenebatur. Theologus ille legere aut cursum facere bis aut saltem semel in hebdomada tenebatur.

2° Præterea iidem ordinarii collatores tertiam dignitatum et beneficiorum ad eorum collationem pertinentium partem conferre tenebantur graduatis, qui ab universitatibus ad beneficia nominari poterant; ipsismet beneficia per primum, quartum, septimum et decimum mensem vacantia conferebantur.

3° Per alios octo menses, juxta juris communis dispositionem idoneis personis beneficia vacantia conferre poterant ordinarii collatores.

Omnes aliter factæ collationes invalidæ nulliusque effectus erant, et quibus interesset ad superiorem de gradu in gradu usque ad sanctam sedem appellare poterant.

4° Ecclesiæ civitatum parochiales nisi graduatis conferri non poterant.

5° Quoad reservationes, Summo Pontifici sanctæque sedi in metropolitanis, cathedralibus et collegiatis ecclesiis canonicas dignitates, administrationem aut solummodo offi-

cium obtinentes creandi potestas reservabatur.

Præterea unusquisque papa, semel tantum in suo pontificatu, per mandatum aut rescriptum, decem beneficiorum collatorem ad unum conferendum, et quinquaginta et amplius beneficiorum collatorem ad duo conferenda obligare poterat. Omnes aliæ reservationes a papa quoad Galliam erunt suppressæ.

Concordatum anni 1516 nos docet quomodo beneficia conferre tenebantur ordinarii collatores. Qui vero collatores ordinarii erant? Documenta pluria, præsertim vero anni 1682 edictum nos docent quoad capitulos præbendarum dignitatumque capitularium collationem secundum jus commune simultaneam fuisse, id est, ad episcopos et capitulos conjunctim pertinuisse, per indivisum in pluribus ecclesiis; in aliis vero nominatio ad turnum episcopo aut capitulo pertinebat; tandemque non deerant capituli in possessione omnes dignitates præbendas conferendi.

Tridentinum concilium, ab anno 1545 ad annum 1563 celebratum, aliquas juri communi modificationes attulit. Hoc sacrosanctum concilium ab octo Galliarum provincialibus synodis receptum fuit decretaque ejus in plurimis diœcesibus observata fuerunt.

Porro Tridentinum concilium, sess. 24, cap. 12. *De reform.* præscribit :

1° Ut « juxta Constitutionem Alexandri III, in concilio Lateranensi promulgatam quæ incipit *Cum in cunctis*, archidiaconi etiam qui oculi dicuntur episcopi, sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in theologia seu doctores, aut licentiati in jure canonico... »

2° « Hortatur etiam sancta synodus, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum, in cathedralibus ecclesiis, et collegiatis insignibus, conferantur tantum magistris vel doctoribus aut etiam licentiatis in theologia, vel jure canonico. »

Hæc concilii Tridentini præscriptio, cum clausulam *ubi fieri poterit, ubi id commode fieri potest*, includat, rigorosam obligationem non fert; vidimus vero tertiam beneficiorum partem graduatis obligationem conferendi imponere concordatum anni 1516, quod a S. Tridentina synodo non est abrogatum; unde ab eo manans semper viget in se obligatio.

3° Sancta synodus, sess. 5, cap. 1 *De reform.*, renovat jam præexsistentem rigorosam obligationem deputandi canoniam pro canonico theologo, ad sacræ Scripturæ seu theologiæ expositionem et interpretationem in cathedralibus et collegiatis insignibus ecclesiis stricte obligato; hujusque canoniæ collatio episcopo tribuitur, mensque sanctæ synodi est ut theologus ille sit in sancta theologia doctor, absque tamen sub nullitatis pœna obligatione.

4° Sancta synodus, sess. 24, cap. 8, *De reform.* jubet ut : « In omnibus etiam cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ, proxime vacaturæ, ab episcopo instituatur, qui magister sit, vel doctor, aut licentiatus in theologia, vel jure canonico, et annorum quadraginta, seu alius qui aptior pro loci qualitate reperiatur. »

5° Sancta synodus, sess. 24, c. 18 *De reform.* statuit ut omnes Ecclesiæ parochiales conferantur per modum concursus coram deputandis examinatoribus, singulis annis in diœcesana synodo ab episcopo, vel ejus vicario ad minus sex propositis, qui synodo satisfaciant, et ab eo probentur... « Alias provisiones omnes, institutiones, præter supradictam formam factæ, subreptitiæ esse censeantur. »

Sanctus Pius V, constitutione *In conferendis* (16 Maii 1567) nullas irritasque decernit « omnes et singulas collationes, provisiones, institutiones et quasvis dispositiones parochialium ecclesiarum præter et contra formam ab eodem concilio Tridentino, præsertim in examine per concursum faciendo, præscriptam, factas aut in futuro faciendas. » Clemens XI et Benedictus XIV ultimam huic gravi Tridentinæ disciplinæ formam addiderunt, Benedictusque XIV (institutione 60, n. 7), et cum illo gravissimi doctores pro certo tenent quod contrariis consuetudinibus contra Tridentini concilii decreta præscribi non possit. Denique hæc concursus disciplina pro beneficiis parochialibus etiam minimis, in Gallia usque ad annum 1790, consequenter usque ad Concordatum anni 1805 viguit.

Beneficiorum collationis *formæ relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutæ* erant ergo, 1° ut, juxta anni 1516 concordatum, canonia theologalis, tertia præbendarum et dignitatum capitularium pars, sicut

civitatum parochiæ graduatis conferendæ essent; 2° Papæ reservabatur ut canonicos ad dignitates metropolitanarum, cathedralium et collegiatarum insignium creare posset; ut, semel in unoquoque pontificatu, ad unum beneficium cujus collator decem habebat collationes, et ad duo beneficia, quarum collator quinquaginta aut amplius collationes habebat, nominare posset. 3° Capitulorum præbendæ simultanee ab episcopo et capitulo, aut ad turnum conferebantur. 4° Concilii Tridentini præscriptio, quamvis non rigorose in omni obligatoria, dignitates, munus theologi ac pœnitentiarii, et dimidiam saltem canonicatuum partem doctoribus aut licentiatis in theologia seu jure canonico tribuebat. 5° Concilium Tridentinum et practica ratio ut, sub nullitatis pœna, parochialia beneficia per modum concursus conferrentur jubebant.

Illæ erant formæ relate ad Gallias quoad beneficiorum collationem ante regiminis immutationem statutæ; illæ etiam erant reservationes ac limitationes.

Porro, uniuscujusque cathedralis Ecclesiæ erectionis titulus, anni 1801 Concordati consequens, titularibus episcopis eorumque successoribus omnem potestatem personis idoneis quæcunque cum et sine cura ecclesiastica beneficia, *juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas*, et salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus, de pleno jure conferendi concedit. Aliunde ex eodem erectionis titulo, ut supra, archiepiscoporum et episcoporum jurisdictio sive ordinaria, sive delegata in personas et res exerceri debet ad formam juris communis.

Hoc est ergo jus, hæc lex est canonica, cujus inobservantia nullitates adducere potest in casibus qui decernunt nullitatem, cui, ut verum est, Ecclesia supplet in pro animarum bono necessariis, dummodo saltem coloratus titulus adsit. Sed quid sit de eorum, qui legem servare, servandamque curare, illamque cognoscere debent, responsabilitate et conscientia, ad nos judicare non pertinet; eos a sancta sede ad temperatoriam dispensationem ab anno in annum saltem tacitam obtinere existimamus.

Quodque hic sit sensus, hæc littera mensque Concordati 1801, et Bullarum quæ illud confirmant, sicut et uniuscujusque cathedralis ecclesiæ erectionis titulorum, confirmatur simili concordato, Napoleonem inter et Pium VII pariter inito quatuor post annis quoad rempublicam Italicam: porro in hoc posteriori concordato eadem tribuitur episcopis parochias conferendi potestas, et nihilominus simul monentur episcopi ne illas conferant nisi prævio concursu. Sic enim habetur articulo 13: « Sanctitas sua concedit episcopis jus conferendi parœcias, quæ quovis anni tempore erunt vacaturæ; iique prævio concursu parœcias liberæ collationis conferent iis, quos ipsi digniores judicabunt. In parœciis vero juris patronatus ecclesiastici instituent eos, quos prævio pariter concursu tanquam digniores inter approbatos ab examinatoribus patronus ecclesiasticus præsentabit. In parœciis vero laici patronatus præsentatos instituent, dummodo præmisso examine idonei fuerint inventi. In omnibus autem prædictis casibus habebitur ratio, ut, qui parœcias assecuturi erunt, sint Gubernio accepti. » (*Vide.* Bouix, tract. *De parocho*, pag. 335 ad 363.)

In duobus concordatis, sunt eædem concordantes potestates, eædem personæ, eædem circumstantiæ, pro eadem fine; sunt eædem clausulæ, tantum magis explicitæ in ultimo concordato, quod sic explicat primum jam ex subsequentibus actis sufficienter interpretatum. Addendum est quod in quibusdam diœcesibus, ut Leodiensi, Concordato 1801 subjectis, pro parœciarum collatione usitata fuit concursus forma.

Concludamus ergo: 1° pro archiepiscoporum et episcoporum jurisdictione ejusque exercitio; 2° pro capitulis eorumque dignitatibus, officiis, regimine, administratione, eorumque præbendarum collatione; 3° pro seminariis, eorumque regimine et administratione, eorum rectorum et professorum nominatione; 4° pro quorumcunque beneficiorum et parœciarum collatione, *Per concordatum anni* 1808 *Gallicana Ecclesia in jure canonico communi restituta est, salvis ejusdem concordati derogationibus*, quas exposituri sumus.

§ IV. — Juri communi derogationes Galliarumque ecclesiarum jus nationale canonicum.

I. *Derogationes.* — 1° *Prima derogatio*, jus peculiare pro Gallia constituens, in eo stat quod Papæ, in ejus novas diœceses erigendi circumscribendique jure, jurisdictio limitatur. Ut hoc imprescriptibile jus, nisi collatis cum Gubernio conciliis, exerceret sancta Se-

des concessit. Quod statuitur art. Concordati 2 : *Il sera fait par le Saint-Siége, de concert avec le Gouvernement, une nouvelle circonscription des diocèses français.*

2° *Secunda derogatio* constat in archiepiscoporum et episcoporum nominatione per Gubernii ducem ; statuitur articulis Concordati quarto et quinto. Huic addendum est ab archiepiscopis et episcopis præstandum juramentum, quod etiam præstare debent ecclesiastici secundi ordinis a quibus nunquam expetitum fuit ratione practica, sane propter hujus exigentiæ difficultates.

3° *Tertia derogatio*, art. nono : *Les évêques feront une nouvelle circonscription des paroisses de leurs diocèses, qui n'aura d'effet que d'après le consentement du gouvernement.* Sic limitatur episcoporum novas parœcias erigendi circumscribendique jurisdictio et potestas, quæ Gubernii consensui subjiciuntur.

4° *Quarta derogatio*, art. decimo : *Les évêques nommeront aux cures ; leur choix ne pourra tomber que sur des personnes agréées du Gouvernement.*

Episcoporum jus curiales parœcias conferendi limitatur et subjicitur Gubernii acceptationi.

5° *Quinta derogatio ;* remissio condonatioque omnium antiquæ Gallicanæ Ecclesiæ bonorum alienatorum eis qui illa bona acquisiverant. Statuitur, art. 13 : *Sa Sainteté, pour le bien de la paix et l'heureux rétablissement de la religion catholique, déclare que ni elle, ni ses successeurs, ne troubleront en aucune manière les acquéreurs des biens ecclésiastiques aliénés, et qu'en conséquence la propriété de ces mêmes biens, les droits et revenus y attachés, demeureront incommutables entre leurs mains ou celles de leurs ayants-cause.*

Quinque susenumeratæ derogationes solæ constituunt jus particulare pro Gallia canonicum.

II. *Jura statuta pro Galliarum Ecclesia.*— 1° Attamen, quoad quintam ultimamque derogationem, considerandum est sola alienata Ecclesiæ bona remissa condonataque fuisse ; proindeque omnia Ecclesiæ bona ante Concordatum non alienata ad Ecclesiam semper pertinere, illique rapi et retineri a quocunque, nisi divinarum humanarumque legum violatione, non potuisse. Ecclesiastica enim bona ad Ecclesiam catholicam pertinent, Ecclesiæque particularis suppressio universalis Ecclesiæ proprietatem non destruit.

Consequenter statutum fuit art. 12 : *Toutes les églises métropolitaines, cathédrales, paroissiales et autres, non aliénées, nécessaires au culte, seront remises à la disposition des évêques.*

Articulus 72 organicus probat etiam a Gubernio, sicut a sancta Sede, meram proprietatis restitutionem Ecclesiæ intellectam fuisse ; sic enim habetur : *Les presbytères et les jardins attenants, non aliénés, seront rendus aux curés et aux desservants des succursales.* Item, invitis Concordato contrariis restrictionibus, fert art. 75, organicus : *Les édifices anciennement destinés au culte catholique, actuellement dans les mains de la nation, à raison d'un édifice par cure et par succursale* (restrictio Concordato, quod omnia non alienata restituit, contraria), *seront remis à la disposition des évêques par arrêté du préfet du département.*

2° Nihilominus providendum erat cultus catholici ministrorum sustentationi ; quod statuitur art. Concordati 14 : « Gubernium Gallicanæ reipublicæ in se recipit, tum episcoporum, tum parochorum, quorum diœceses atque parochias nova circumscriptio complectitur, sustentationem, quæ cujusque statum deceat. » Sustentatio autem decens, quæ stipulatur, exsistere in bonis solidis potest ; quodque hæc sit vera Concordati mens, probatur art. 15 : « Idem Gubernium curabit, ut catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere novis fundationibus. » Hic articulus pro Gallicana Ecclesia bona etiam immobilia, absque quacunque auctorizatione, libere possidendi jus supponit recognoscitque, cum nullam distinctionem faciat generalisque sit. Adeo vere Concordati sensus hic est, ut, cum articulus 74 organicus statuisset : *Les immeubles, autres que les édifices publics, destinés au logement, et les jardins attenants, ne pourront être affectés à des titres ecclésiastiques, ni possédés par les ministres du culte, à raison de leurs fonctions ;* speciatim contra hunc articulum, qui nihil aliud est quam 10. propositio Wicleffii a concilio Const. et Martino V damnata, per organum cardinalis Caprara in ejus diei 18 Augusti 1803 epistola D. de Talleyrand, sancta Sedes reclamavit.

Nihil Concordato contrarium statuere potuerunt organici articuli ; proindeque stipulatum pro Gallicana Ecclesia libere possidendi jus, quod aliunde ad eam de pleno naturali jure pertinet, annulare nequiverunt.

Hic verus Concordati sensus adhuc confirmatur bullis, 1° *Cum omnia æterna*, episcopatum dictum (*de Fort de France à la Martinique*) erigens; quæ clare declarat : *Jusqu'à ce que la dotation de la mense épiscopale soit régulièrement constituée, comme c'est notre désir, en biens stables, une somme de douze mille francs, en monnaie française, sera payée, suivant la parole donnée et acceptée, à l'évêque de Fort de France par le Gouvernement français.* — 2° Vel a primis, episcopatum nuncupatum *de la Basse-Terre à la Guadeloupe*, erigens, in qua legimus : *Nous assignons cependant pour mense du nouvel évêché la somme de douze mille francs... jusqu'à ce que, comme c'est notre désir, des biens stables d'un revenu annuel au moins équivalent à cette somme, toutes charges déduites, aient été attribués et valablement assignés comme domaine de cette mense, afin que la dignité épiscopale soit environnée de l'éclat convenable.* — 3° *Inter præcipuas*, Sancti Dionysii episcopatum, in Reunionis insula (Bourbon) erigens : *Nous avons statué, en premier lieu, qu'une somme de douze mille francs, en monnaie française, sera annuellement payée à chaque évêque de Saint-Denis, à titre de mense épiscopale, aussi longtemps que des biens stables d'un revenu annuel au moins équivalent à cette somme, toutes charges déduites, aient été valablement et à perpétuité affectés à cette mense, afin que la dignité épiscopale puisse être honorablement soutenue, comme il convient.* (Apud abb. André, *Cours alphab. de droit canon.* art. *Colonies.*)

Hæc est ergo supremi Ecclesiæ legislatoris firma voluntas, ut stabilia dominia Galliarum Ecclesiæ possideant juxta generalem legem articulis concordati 1801 anni 14° et 15° salvam factam, tantoque energice sancitam 13° articulo derogationem juri proprietatis ecclesiæ statuente; quod jus a Gubernio per quam credidit necessariam expostulationem hujus juris remissionis et condonationis, recognitum fuit. Sanctæ sedis adversus organicos articulos, reclamationes, et a nobis relatæ bullæ, contra Concordati, legisque naturalis, et Ecclesiæ legum, per articulum 74 organicum omniaque potestatis civilis similia decreta, violationem, non interrupta protestatio sunt.

Ut nihil utile omittamus, notandum hic monemus politicæ potestatis invasiones ad solam temporalium proprietatem non stetisse; episcoporum enim jurisdictionem, etc, usurpaverunt. Etenim Concordati art. 11 statuit : *Les évêques pourront avoir un chapitre dans leur cathédrale et un séminaire pour leur diocèse, sans que le Gouvernement s'oblige à les doter.* Nihil aliud nec in Concordato nec in Concordati bullis legitur. Unde nullum, nec in capitulorum seminariorumque institutione, nec in canonicorum seminariorumque rectorum nominatione, privilegium civili Gubernio conceditur, ejusque acceptationi sub quacunque forma neutri subjiciuntur. Nec vicarios episcoporum generales, nec vicarios capitulares Gubernii acceptationi subjicit concordatum. Proinde nullum exsistit particulare Galliæ jus quoad vicarios generales, capitulos et seminaria; idem dicendum est de omnibus religiosis congregationibus, etc. Exceptionales, quos omnes istæ institutiones, dignitates, hique officii in Gallia patiuntur, status juri ecclesiastico pertinere nequeunt; hos Ecclesiæ patientia sustinet, patique obligatur ejus prudentia, eo quod aliter agere non possit.

III. *Dispositiones transitoriæ*, quæ jus stabilire non potuerunt. Illæ dispositiones variæ ad celerrimam novæ Galliarum Ecclesiæ recreationem tendebant; propterea que regulas ordinarias, jusque commune pertransire necesse fuit ad ecclesiasticam, quam illæ regulæ illudque jus postea regerent, hierarchiam restaurandam. Has ex authenticis actis transitorias, quæ nullum jus nec quidem particulare, dum jus transitorium esse nesciat perpetuitatemque notam essentialem habeat, stabilire nequiverunt, nunc exposituri sumus.

1° *Prima transitoria dispositio* respicit canonicam episcoporum institutionem, eorumdemque consecrationem. Pius VII, per suum breve diei 29 Novembris 1801, concedit cardinali Caprara potestatem instituendi novos episcopos, hujusque juri communi viginti derogationis graves motivos explicat : *Attendu que les circonstances où nous nous trouvons, exigent impérieusement que toutes les églises métropolitaines et épiscopales soient respectivement pourvues, sans aucun délai quelconque, d'un pasteur capable de les gouverner utilement; que d'ailleurs nous ne pouvons pas être instruit assez promptement des nominations que doit faire le premier consul, ni remplir à Rome les formalités qu'on*

a coutume d'observer en pareil cas; mû par de si justes et si puissants motifs, voulant écarter tous les dangers et faire évanouir les espérances que nous avons conçues d'un aussi grand bien, sans néanmoins déroger en rien, pour l'avenir, à l'observation de la convention mentionnée; de notre propre mouvement, science certaine, et mûre délibération, et par la plénitude de notre puissance apostolique, nous donnons pour cette fois seulement, à notre cher fils, Jean-Baptiste Caprara, cardinal prêtre, etc... *l'autorité et le pouvoir de recevoir lui-même les nominations que doit faire le premier consul, pour lesdites églises archiépiscopales et épiscopales actuellement vacantes depuis leur érection, et aussi la faculté et le pouvoir de préposer respectivement en notre nom, auxdites églises archiépiscopales et épiscopales, et d'instituer pour les gouverner, des personnes ecclésiastiques même n'ayant pas le titre de docteur, après qu'il se sera assuré, par un diligent examen et par le procès d'information, que l'on abrégera suivant les circonstances, de l'intégrité de la foi, de la doctrine et des mœurs, du zèle pour la religion, de la soumission aux jugements du siége apostolique, et de la véritable capacité de chaque personne ecclésiastique ainsi nommée, le tout conformément à nos instructions...*

Nous accordons de plus au même cardinal légat toute l'autorité et tous les pouvoirs nécessaires pour qu'il puisse librement et licitement, ou par lui-même ou par tout autre évêque en communion avec le Saint-Siége, par lui spécialement délégué, donner la consécration à chacun des archevêques et évêques qui vont être institués, comme il vient d'être dit, après que chacun d'eux aura fait sa profession de foi et prêté le serment de fidélité; se faisant accompagner et assister, dans cette cérémonie, de deux autres évêques, ou de deux abbés, dignitaires ou chanoines, ou même à leur défaut, de deux simples prêtres, nonobstant les constitutions, règlements apostoliques, etc.

1° Episcopis nominatis a legato dari potuit institutio canonica; 2° cum his episcopis super doctoris titulum dispensatum fuit; 3° consecrari potuerunt sive a legato, sive ab ipsomet delegato alio episcopo, duobus simplicibus presbyteris assistentibus, episcoporum defectu. Tres vero pro hac vice tantum datæ derogationes jus constituere non potuerunt. Ita quidem de sequentibus erit propter easdem juris rationes.

2° *Capitulorum canonicorumque institutio, eorumdemque statutorum approbatio et confectio.* Per bullam *Qui Christi Domini,* Pius VII cardinali legato potestatem instituendi ecclesias hac bulla erectas concedebat : *En assignant les dignités et membres de chaque chapitre, qui doit être formé suivant les règles prescrites par les saints conciles,... et nous lui conférons à cet effet les pouvoirs les plus amples, avec la faculté de les subdéléguer. Nous lui donnons en outre toute l'autorité dont il a besoin pour approuver et confirmer les statuts des chapitres, pour leur accorder les marques distinctives au chœur qui peuvent lui convenir.....*

In ejusdem bullæ exsecutoriali decreto sic habetur : *L'ordre des matières demande que nous en venions d'abord aux chapitres de ces mêmes Eglises. Parmi les autres choses que notre très-saint Père nous a ordonnées dans les lettres apostoliques si souvent mentionnées, il nous a recommandé en particulier de prendre les moyens que les circonstances pourront permettre pour qu'il soit établi de nouveaux chapitres dans les églises métropolitaines et cathédrales, ceux qui existaient auparavant en France ayant été supprimés, et nous avons reçu, à cet effet, par ces mêmes lettres apostoliques, la faculté de subdéléguer pour tout ce qui concerne cet objet. Usant donc de cette faculté qui nous a été donnée, nous accordons aux archevêques et évêques qui vont être nommés, le pouvoir d'ériger un chapitre dans leurs métropoles et cathédrales respectives, dès qu'ils auront reçu l'institution canonique et pris en main le gouvernement de leurs diocèses, y établissant le nombre de dignités et d'offices qu'ils jugeront convenable dans les circonstances pour l'honneur et l'utilité de leurs métropoles et cathédrales, en se conformant à tout ce qui est prescrit par les conciles et les saints canons, et à ce qui a été constamment observé par l'Eglise.*

Nous exhortons fortement les archevêques et évêques d'user, le plus tôt qu'il leur sera possible, de cette faculté pour le bien de leurs diocèses, l'honneur de leurs églises métropolitaines et cathédrales, pour la gloire de la religion, et pour se procurer à eux-mêmes un secours dans les soins de leur administration, se souvenant de ce que l'Eglise prescrit touchant l'érection et l'utilité des chapitres.

Nous espérons qu'ils pourront le faire d'autant plus facilement, que dans la convention même conclue à Paris entre Sa Sainteté et le gouvernement français, il est permis à tous les archevêques et évêques de France d'avoir un chapitre dans leur cathédrale ou leur métropole.

Or, afin que la discipline ecclésiastique, sur ce qui concerne les chapitres, soit observée dans ces mêmes églises métropolitaines et cathédrales, les archevêques et les évêques qui vont être nommés auront soin d'établir et d'ordonner ce qu'ils jugeront, dans leur sagesse, être nécessaire ou utile au bien de leurs chapitres, à leur administration, gouvernement et direction, à la célébration des offices, à l'observation des rites et cérémonies, soit dans l'église, soit au chœur, et à l'exercice de toutes les fonctions qui devront être remplies par ceux qui en posséderont les offices et les dignités. La faculté sera néanmoins laissée à leurs successeurs de changer ces statuts, si les circonstances le leur font juger utile et convenable, après avoir pris l'avis de leurs chapitres respectifs. Dans l'établissement de ces statuts, comme aussi dans les changements qu'on voudra faire, on se conformera religieusement à ce que prescrivent les saints canons, et on aura égard aux usages et aux louables coutumes autrefois en vigueur, en les accommodant à ce qu'exigeront les circonstances. Tous les archevêques et évêques, après avoir érigé leurs chapitres et avoir statué sur tout ce qui les concerne, nous transmettront les actes en forme authentique de cette érection et tout ce qu'ils auront ordonné à son égard, afin que nous les puissions insérer dans notre présent décret, et que rien ne manque à la parfaite exécution des lettres apostoliques.

His ex integro bullarum decretorumque textibus conjungendi sunt uniuscujusque ecclesiæ erectionis tituli; in Parisiensis metropolitanæ titulo legimus :

« In eaque (Ecclesia) capitulum ex dignitatibus et canonicis secundum numerum, ut infra, postmodum præfiniendum, erigimus et instituimus; ita ut dignitates et canonicatus in numero, ut infra, præfiniendo metropolitanæ Ecclesiæ Parisiensis capitulum exsistant et constituant, utque in ea dignitates et canonicatus pro tempore obtinentes chori servitium, divina officia, sacrasque functiones persolvere, et pœnitentiarii ac theologi adimplere munera, insigniis quoque convenientibus decorati, eo modo et forma de quibus relate ad hæc omnia peculiariter inferius disponemus omnimodo teneantur...

« Sed cum eo loci (supra) dignitatum ipsarum et canonicatuum numerum minime designaverimus eam ob causam quod nobis exploratum non sit quot potissimum in ea (Ecclesia) constituere expediens sit, idque primo futurus archiepiscopus tutius et facilius judicare possit, ideo attenta facultate subdelegandi a S. S. per memoratas apostolicas litteras nobis concessa eidem primo futuro archiepiscopo, de præfata apostolica auctoritate committimus, facultatemque concedimus, ut posteaquam canonice institutus ejusdem Ecclesiæ regimen actu consecutus erit, eum dignitatum et canonicatuum numerum quem ad ejusdem necessitatem, utilitatem atque decorem magis expedire judicabit, ad Tridentini concilii præscriptum præfiniat pro totidem ecclesiasticis viris futuris dictæ metropolitanæ ecclesiæ dignitatibus et canonicis, certisque ab eodem futuro archiepiscopo, in statutis ut infra vel condendis vel moderandis, præfiniendis diebus et temporibus horas canonicas tam diurnas quam nocturnas, cæteraque divina officia, servata Ecclesiæ disciplina ad instar aliarum metropolitanarum Ecclesiarum recitare, decantare et psallere, eidem Ecclesiæ laudabiliter deservire debeant et teneantur; archiepiscopo in pontificalibus peragendis juxta receptas consuetudines ministrent et inserviant, eumdemque in diœcesis, prout in jure constitutum est, adjuvent administratione.

« Potissimum vero duos ex canonicatibus constituat, quibus juxta ejusdem Tridentini concilii leges adnexum sit theologi ac pœnitentiarii munus a canonicis qui ad eos promoti fuerint secundum canonicas sanctiones fideliter adimplendum. »

Præfatis vero dignitatibus et canonicis ut primo idem futurus archiepiscopus ea insignia, et choralia indumenta concedere valeat quæ antiquæ Ecclesiæ Parisiensis usui magis respondeant, de specialissima gratia, pari apostolica auctoritate facultatem indulgemus.

« Ut vero Parisiensis metropolitana Ecclesia, capituli erectione peracta, tam salutaris institutionis utilitatem et ornamentum celerius valeat percipere, primo futuro itidem archiepiscopo, de specialissima gratia, eadem auctoritate apostolica indulgemus, ut dignitates omnes etiam principales et ca-

nonicatus a primæva earum erectione vacantes pro prima hac vice idoneis ecclesiasticis viris libere et licite conferre possit.

« Cæterum ut in eadem metropolitana Ecclesia, in iis, quæ illius capitulum concernunt, ecclesiastica disciplina servetur, eidem primo futuro ejus archiepiscopo curæ erit ut antiqua ejus Ecclesiæ jam apostolica auctoritate suppressæ ac de novo nunc erectæ statuta, ordinationes, capitula, decreta, in quibus opportune ea omnia sancita sunt quæ pertinent ad ejus prosperum et felicem statum, regimen, gubernium, et directionem, ad *divinorum* officiorum aliarumque ecclesiasticarum functionum, anniversariorum et suffragiorum celebrationem, servitium chori præstandum cæremonias ac ritus in prædicta ecclesia, ejusque choro, capitulo, functionibus et aliis actibus capitularibus hujusmodi servandos, officiales et ministros dictæ Ecclesiæ necessarios deputandos et amovendos, ac ministeria per ipsos obeunda, ac quascunque alias res in præmissis et circa præmissa quomodolibet necessarias et opportunas; ea omnia, uti dicebamus, antiqua statuta, ordinationes, capitula, decreta, quantum ejusdem metropolitanæ Ecclesiæ nunc de novo erectæ, et capituli in ea constituti vel constituendi ratione patientur, et in iis in quibus locum habere potuerunt, pro suo arbitrio et prudentia, collatisque cum eodem capitulo consiliis restituat, sequatur et revocet in observantiam; ita ut eidem archiepiscopo, prævio capituli suffragio, non solum liceat eadem statuta, ordinationes, capitula, decreta reformare, interpretari, in meliorem formam redigere, sed etiam alia de novo et ex integro, licita tamen et honesta, ac sacris canonibus minime adversantia per eas ad quos pertinet et pro tempore spectabit observanda sub pœnis in contravenientes infligendis, condere et præscribere, quemadmodum nos de præfata apostolica auctoritate plenam eidem, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem concedimus et impertimur. »

Ex his tam expressis textibus sequitur : 1° *Secunda transitoria dispositio*. Ut unicuique primo instituto episcopo, illique soli, ejus cathedralis ecclesiæ capitulum instituendi, dignitatum et canonicatuum numerum, cum expressa obligatione duobus canonicatibus pœnitentiarii ac theologi obligatorium munus annectendi, præfiniendi facultas concessa fuit.

2° *Tertia transitoria dispositio*. Ut eidem primo instituto episcopo, illique soli, concessa fuit, de specialissima gratia, facultas dignitatibus et canonicis insignia et choralia indumenta Ecclesiæ suppressæ usui magis respondentia concedendi.

3° Cum de jure ad solum papam pertineant istæ duæ facultates, ad primorum episcoporum successores transire non potuerunt. Proindeque successores nihil immutare potuerunt in iis quæ statuta sunt ex duabus facultatibus, sic *de specialissima gratia* primo institutis episcopis concessis.

4° *Quarta transitoria dispositio*. Ut primo institutis episcopis, illisque solis, nominandi, instituendi et providendi primas dignitates primosque canonicos post capituli erectionem, sed *pro prima hac vice* tantum concessa fuit facultas. Ita ut illi primi episcopi in eodem absolute actu ac cardinalis legatus quoad primo nominatorum episcoporum institutionem fuerunt; eædem adsunt derogatoriæ facultates, eædem extraordinariæ potestates, iisdem verbis aut æquivalentibus expressæ. Quemadmodum ergo nullam ad primo nominatorum episcoporum successores instituendos potestatem tenebat legatus, sic illi primo instituti episcopi, qui a legato primo nominatas dignitates et canonicos instituendi potestatem tenebant, nulla etiam facultate gaudebant ut soli primo nominatarum dignitatum et canonicorum successores instituerent. A fortiori, hæc quam non tenebant potestas ad eorum successores episcopos transire nequit. Unde, dignitatum et canonicorum in Galliarum capitulis institutio redit ad jus commune collationis simultaneæ aut ad turnum secundum ab episcopis et capitulis conventionem factam, nisi rationabilis legitimaque consuetudo in favorem per solos episcopos collationis præscriverit; quod ad nos decernere non pertinet.

5° *Quinta transitoria dispositio*. Ut primo institutis episcopis, antiqua suppressorum capitulorum statuta in observantiam revocandi, antiquas rituum cæremoniarumque consuetudines laudabiles, sive in choro, sive in ecclesiis, sive in capitulis, collatis cum capitulo conciliis, restituendi facultas concessa fuit. Item facultas de novo statuta condendi cum prævio tamen capituli suffragio et expressa conditione ut talia statuta *sacris*

canonibus minime adversantia forent. Ita ut omnia, quæ in istis statutis evidenter sacris canonibus adversarentur, nulla nulliusque effectus essent.

In præsenti quæstione, per decretum *Cum sanctissimus*, cardinalis legatus episcoporum successoribus reservabat jus statuta reformandi et immutandi, prævis tamen conciliis cum capitulo collatis, semperque ad sacrorum canonum formam. Jus enim commune condendi modificandique eorum statuta capitulis confert, cum episcopi tamen approbatione et sanctione. Pro certo tenendum est quod hunc sensum ferebat legati reservatio, nequaquam vero sententiam qua concederetur episcopis successoribus solis potestas statuta capitulis imponendi, sicut contenderunt quædam opinationes. Reipsa, 1° hæc fuit specialis delegationis potestas primo institutis episcopis concessa; atqui nulla delegationis specialis et ad particularem ac transitoriam, ut illa de qua agitur, causam potestas titularis personaliter delegati successoribus transit. 2° Expressa pro successoribus reservatio reformandi aut immutandi statuta ad formam juris communis statuitur, quod hanc episcopis, cum conciliis capitulorum potestatem attribuit. 3° Hæc reformatio immutatioque ad canonum formam fieri debent, atqui capitulis statuta condendi aut reformandi, et episcopis illa statuta approbandi potestatem tribuunt canones. 4° Tandem omnes anni 1801 concordatum pro Gallia consequentes bullæ, in eodem quem propugnamus sensu statuerunt.

Bulla quidem *Commissa divinitus* pro 1817 Concordati ratificatione, sic habet : *Nous leur recommandons* (*aux évêques*) *de veiller pour la bonne administration et la prospérité desdits chapitres à ce que chacun d'eux dresse, suivant les meilleures lois ecclésiastiques et les décrets synodaux, des statuts, dont l'approbation et la sanction leur seront soumises, et qu'ils feront observer.* — Hic sua statuta condunt capituli.

At vero bulla *Paternæ pietatis* anni 1822, ad Concordati derogationem revertitur his verbis : *Afin de pourvoir d'une manière plus utile et plus prompte à l'établissement et au gouvernement des chapitres, les archevêques et les évêques dresseront les statuts qui doivent les régir, auront soin de les faire observer.*

Sed postea coloniarum Gallicarum diœcesium erectionis bullæ in jus commune revocant. Bulla pro insula la Martinique : *L'évêque de Fort de France aura soin, en outre, afin d'assurer le bon état et régime de ce chapitre, que des règles particulières, soumises à la sanction et à l'approbation de ce même prélat, soient dressées par ce même chapitre.* —Bulla pro insula la Guadeloupe : *L'évêque de la Basse-Terre aura soin, en outre, que ce même chapitre dresse des règles particulières, qui devront être soumises à la sanction et à l'approbation de ce prélat.*—Bulla pro insula Bourbon : *L'évêque de Saint-Denis aura soin que des statuts particuliers soient aussitôt dressés par ce même chapitre, pour être soumis à la sanction et à l'approbation de ce même prélat.*

Certissime ergo probatur secundum jus commune capitularia statuta reformandi, immutandique potestatem primo institutorum episcoporum successoribus reservatam fuisse; ideoque ad capitulos sua statuta reformare aut modificare, et ad episcopum approbare pertinet, hæcque omnia ad sanctorum canonum et apostolicarum constitutionum formam facienda sunt.

6° *Sexta transitoria dispositio, de curis et paræciis.* Sexta ultimaque transitoria derogatio primo institutis episcopis rectores seu curatos parochos, absque concursus, qui cæterum in tam celerrima parochiarum ecclesiarumque restitutione impossibilis erat, mentione, nominandi facultatem facit : unicaque statuitur conditio, scilicet ut nominati parochi gubernio accepti sint. Clausula vero, ut *iis dotibus instructi sint, quas Ecclesiæ canones requirunt*, concursum canonibus requisitum implicat. De jure autem, in parochiæ de novo erectæ collatione pro prima vice, concursus non est necessarius, sed pro successivis collationibus subintelligitur; sic enim in metropolitanæ Parisiensis titulo habetur : « Iisdem ecclesiis ita in parochiales erectis archiepiscopus ipse rectores dabit iis dotibus et prærogativis instructos, quas sancti Ecclesiæ canones requirunt, atque ut tranquillitas eo magis in tuto sit, Gubernio acceptos, qui in stato territorio ab eodem archiepiscopo certis limitibus præfiniendo curam animarum exerceant. » Atqui capacitatem idoneitatemque a concursu, sub nullitatis pœna, probatas sancti canones requirunt.

Immediate sequens paragraphus qui futuris archiepiscopis ad paræcias in futuro

vacaturas parochos promovendi ac instituendi facultatem concedit, clausula est in omnibus cathedralium erectionis bullis semper reperta; non ergo concursui, qui hic non memoratur, derogationem constituit. Simpliciter vero nominatos episcopos suæ omnium beneficiorum collatoris auctoritatis plenæ participantes facit papa. In isto paragrapho legimus : « Futuris etiam et pro tempore exsistentibus archiepiscopis Parisiensibus ad supradictas parochiales ecclesias, dum illas in posterum vacare contigerit, idoneas pariter personas ecclesiasticas juxta ea de quibus in sæpe laudata conventione statutum est promovendi et instituendi de præfata apostolica auctoritate facultatem indulgemus. »

Quod ille paragraphus communi concursus juri non deroget, probatio ultimo ejusdem tituli paragrapho successorum episcoporum potestates præfinienti, reperitur. In præcedentibus paragraphis derogationes, in hoc ultimo jus perpetuum ac stabile his verbis exprimuntur: « Eidemque futuro ac pro tempore exsistenti archiepiscopo Parisiensi, ut præter collationem parœciarum eo modo qui in supra memorata conventione ac in præsenti decreto statutus, quæcunque alia ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata *juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas*, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus, personis idoneis pleno jure conferendi et de illis providendi de eadem speciali apostolica auctoritate potestatem omnem concedimus et impertimur.»

In hoc textu notanda est particula *ut*, nam revocat parœciarum collationem sicut alia beneficia ad regulam communem, præter tamen gubernii acceptationem quoad parochos; quasi, illius gubernii acceptationis conditione omissa, legeremus, *ut collationem parœciarum, quæcunque alia ecclesiastica beneficia quomodo libet juxta formas*, etc.

Porro, supra demonstravimus beneficiorum collationis *formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas* fuisse juris communis formas. Has juxta ergo solas formas omnia cum aut sine cura beneficia ecclesiastica conferre possunt episcopi, juncta pro parœciarum collatione gubernii acceptatione.

IV. *Conclusio.* — Sex in primo institutorum episcoporum favorem juris generalis derogationes, post anni 1801 Concordatum, scilicet : 1° Episcoporum canonica institutio per legatum, eorumdemque per ipsum aut ab eo delegato episcopo, duobus episcoporum defectu simplicibus presbyteris assistentibus consecratio ; 2° per primo institutos episcopos capitulorum institutio ac constitutio; 3° iisdem episcopis insignia et indumenta choralia capitulis concedendi jus; 4° solis primo institutis episcopis dignitates et canonicos nominandi ac instituendi jus; 5° iisdem solis capitulorum statuta concedendi jus ; 6° primo nominatos curatos nominandi ac instituendi absque concursu, jus. Illæ sex derogationes fuerunt transitoria, personalis ac urgentis circumstantiæ delegatio, quæ non stabilivit, nec ullum Ecclesiis Galliarum particulare jus canonicum stabilire potuit.

Omnia authentica a nobis relata acta probant reipsa completam juris communis in omnibus derogationibus et per omnimodam viam restitutionem. In ipsismet etiam derogationibus illa authentica acta ad juris communis quoad reliquum observantiam delegatos astringunt.

Consequenter, et in omnium supra relatorum rigorosa conclusione : 1° summi pontificis super novarum diœcesium creationem et circunscriptionem potestas in Gallia exerceri absque gubernii concursu nequit; 2° archiepiscoporum et episcoporum per gubernii ducem nominatio ; 3° episcoporum jurisdictio in eorum diœcesium parœciarum erectione limitata guberniique consensui subjecta ; 4° episcoporum parœciarum curialium collationis jus limitatum guberniique acceptationi subjectum; 5° antiquæ Gallicanæ Ecclesiæ bonorum alienatorum possessoribus remissio condonatioque. Illa quinque sola peculiare Galliarum ecclesiis jus a suprema summi pontificis tam in Concordato quam in bullis, decretis ac titulis illud confirmantibus seu exsecutioni mandantibus auctoritate statutum constituunt.

Hic discutiendum quæcunque a legitime præscripta consuetudine introduci potuissent non habemus; quod in suis secundum materiarum ordinem locis faciemus. Quomodo vero tam plene incognitum et inobservatum fuisse jus canonicum, transitoriasque derogationes in generalem Galliarum practicam devenisse, imo præscriptum in his derogationibus jus inobservatum fuisse contigerit? duæ adsint præcipuæ causæ :

prima ex juris ignorantia pro successoribus episcopis, qui cum primo institutos episcopos sic præter et contra commune jus agere vidissent, eorum auctoritate fretos ut exemplum imitarentur sese crediderunt, eoque cum majore facilitate, quo temporum difficultates inscios adhuc protraherent : altera causa ex articulis organicis qui et Concordato et communi Ecclesiæ juri sese substituere plane contenderunt orta est.

Verumtamen alia, quam omittere non licet, magni momenti conclusio ex anni 1801 Concordato sequitur. Majoris est enim instructionis factum, quod a Gallicanismi perturbantis excessibus radicaliter aboletus et damnatus fuerit omnis Gallicanismus, exigendo siquidem a sancta sede maximam supremæ absolutæque in universam Ecclesiam papæ jurisdictionis ostensionem qua major nunquam edita fuit; quamque post in quæstionem an omnimodam immediatamque in nationales Ecclesias jurisdictionem possidebat papa, anque illæ nationales Ecclesiæ prærogativis et libertatibus, quas tangere nequibat summus pontifex, gaudere poterant, revocare impossibile erat. Quæstionem solvit secatque Concordatum, de factoque probat in unaquaque sicut in universa Ecclesia papam omnia posse, illumque non solum prærogativas ac projactatas libertates abrogare, verum etiam omnes ecclesias aut sedes, omnemque nationalem talibus prærogativis ac libertatibus gaudere contendentem episcopatum supprimere posse. Hæc omnia contra canones invitisque sacratissimis non tantum ab uno generali concilio verum etiam ab omnibus œcumenicis synodis promanantibus canonibus potest papa. Ergo et supra canones et supra concilia præeminet papa; ille est supremus Ecclesiæ legislator. Hæcque sunt maximi momenti principia a Concordato anni 1801 et de expressa Gallicani gubernii postulatione in æternum decisa, secata, sancitaque. Ad conterendum errorem et ad Ecclesiæ capitis divinæ monarchiæ dogmatici principii triumphum permisit Providentia. Quomodo autem, post tanta feliciter acta, omnes logicas leges usque ad revocanda in quæstionem negandaque etiam eadem principia per articulos organicos eorumque discussionem in memoriis relatis ab istorum articulorum conditoribus violari potuerunt? Nonne hi conditores intellexerunt se Concordati validitatem negare, illiusque fundamentum eradicare? Etenim si hanc auctoritatis plenitudinem papa non habuisset, nullum erat de pleno jure Concordatum per potestatis contra canones œcumenicaque concilia excessum, per potentiæ ad illud invitis canonibus omnibusque conciliorum decretis concedendum defectum; proindeque renuentes episcopi soli in juris divini veritate stetissent. Parum vero refert contradictio usurpationi, hæcque suis tam radicaliter aboletum damnatumque Gallicanismum legibus restauravit.

§ V. — Quid de tum articulis organicis, tum legibus quibuscunque a mera civili potestate latis, tum decisionibus consilii Status et aliorum tribunalium civilium, sentiendum.

Statuta hujusmodi vim legis ecclesiasticæ seu juris canonici non habent nec per se, nec per consensum summi pontificis et episcoporum.

1° Non per se : « Ex ipsa enim juris ecclesiastici definitione certum est, ipsum constare legibus seu consuetudinibus auctoritate ecclesiastica firmatis. Nec orthodoxe sentiret qui potestati civili tribueret jus leges ecclesiasticas ferendi. Hoc ipso enim agnosceretur jurisdictio ecclesiastica in principe sæculari, et negaretur Ecclesiæ Christi præesse ex institutione divina potestatem proprie dictam omnes fideles congruis legibus ad finem spiritualem, nempe salutem animarum, promovendi et dirigendi. » (*Vide* Bouix, tract. *De principiis*, p. 95.)

2°« Sed neque valent in jure canonico eo consensum summi pontificis aut episcoporum. » (*Ibid.*)

Etenim summus pontifex et episcopi contra talia statuta, leges, etc., reclamaverunt quoties opportunam occasionem adepti sunt. Quando autem tacent, idem de summi pontificis et episcoporum silentio dicendum : « Cum enim liberum ipsis non sit præfatos actus impedire, ex eo quod taceant, non censendi sunt consentire, sed vim pati. Præterea, etiamsi expresse consentirent episcopi, non transirent prædicti potestatis civilis actus, omnes ecclesias simul attingentes, in vim juris canonici; hoc ipso enim quod agatur de ordinatione rerum ecclesiasticarum pro omnibus alicujus regionis Ecclesiis, causa evadit major; causæ vero majores ad sanctam sedem sunt deferendæ, et ab ipsa sola aut concilio œcumenico definiri possunt. » (*Ibid.*)

Cardinalis legatus Caprara in sua ab omnibus recogitanda D. de Tayllerand contra

articulos organicos epistola (4) his verbis loquitur : *Sa Sainteté n'a donc pu voir qu'avec une extrême douleur, qu'en négligeant de suivre ces principes* (divinæ institutionis Ecclesiæ principia), *la puissance civile ait voulu régler, décider, transformer en loi des articles qui intéressent essentiellement les mœurs, la discipline, les droits, l'instruction et la juridiction ecclésiastique. N'est-il pas à craindre que cette innovation n'engendre les défiances, qu'elle ne fasse croire que l'Eglise de France est asservie, même dans les objets spirituels, au pouvoir temporel?* »

Cum ergo ista statuta organica et alia laicalia sint Ecclesiæ servitudo, nullamque auctoritatem habeant, illis uti, ad ea confugere adversus legitimam auctoritatem ecclesiasticam, ejusque judicia ac leges, shismaticum est. Qui sic utitur aut confugit, adversus Ecclesiam rebellatur, in divinæ auctoritatis servitute, in regni Dei destructione adlaborat. Ut suam divinam missionem adimpleat, articulos organicos pati cogitur Ecclesia ; at, præter casus in quibus ministerii sacri debita absque horum articulorum dispositionibus passis, adimplere impossibile foret, nullius sacerdotis conscientiæ ad eos recurrere nec eos per suam agendi rationem consecrare licet.

(4) Ex integro edita fuit apud André, *Cours alph. de droit canon*, art. *Articles organiques;* et apud De Champeaux, *Recueil gén. du droit civil ecclés. français*, t. II, p. 174, 18 août 1803.

PARS SECUNDA.

DE ECCLESIA.

LIBER PRIMUS. — DE JURE ECCLESIÆ CONSTITUTIVO.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Ecclesia.

PROPOSITIO PRIMA.

De jure divino. — Ecclesia Christi est vera et proprie dicta societas, una, spiritualis et sancta, catholica, apostolica, infallibilis in rebus fidei, morum, et universalis disciplinæ, externa et visibilis, indefectibilis et perpetua, ex lege Christi ab omnibus ineunda, semelque inita prorsus retinenda. (*De fide quoad omnes partes.*)

Probatur 1°. *Ecclesia Christi est vera et proprie dicta societas.* — « Ecclesia a Græca voce ἐκκαλέω originem trahit ; quæ vox Latine idem sonat ac *evoco, congrego.* Itaque juxta grammaticalem significationem idem Ecclesia est, ac congregatio. In generali hac acceptione passim ecclesiæ vocabulum usurpatur in Scripturis ad significandam civilem ac politicam hominum congregationem. Proprie vero atque usu ecclesiastico Ecclesia usurpatur ad fidelium societatem designandam. Quo sensu apost. Paulus, ad Rom. XVI, 16, ait : *Salutant vos Ecclesiæ Christi;* et v. 23 : *Salutat vos Caius hospes meus, et universa Ecclesia.* Atque hæc postrema, stricta, et propria significatio est vocabuli *Ecclesia,* quod societatem seu cœtum vocatorum exprimit; cum nemo ad hunc populum se adjungat per se et suo proprio instinctu, sed omnes quotquot veniunt a Dei vocatione præveniuntur. »

Duplici autem modo Deus hominem vocat, scilicet interius per gratiam, et exterius per verbum, sive per revelationem, qua verum ac gratum ipsi cultum demonstrat, qua viam salutis ostendit, et necessaria media suggerit ad lapsum hominem reparandum, et ad æternam salutem obtinendam. Cum Ecclesia congregatio hominum sit, qui recta fide, ac demonstrata a Deo ratione Deum colunt, ac tuta via ad æternam salutem pervenire contendunt, manifestum est non sufficere interiorem vocationem, sed exteriorem quoque necessariam esse, ut ea fidelium societas habeatur quæ Ecclesia dicitur : nam vocatorum societas a fide incipit, quæ sine auditu non habetur; auditus autem deest, ubi verbum Dei non adsit exterius promulgatum, uti docet apostolus Paulus. Rursus hæc societas convenire debet in exhibendo Deo verum, ipsique acceptum

cultum, et in adhibendo præscripta a Deo remedia pro lapsus reparatione, ac pro æterna salute comparanda. Id vero fieri nequit nisi per externam fidei professionem, per externum cultum, ac per externum sacramentorum usum, ut consideranti patet.

Itaque solus Deus auctor et causa princeps est Ecclesiæ; quia solius Dei est homines ordinare ad finem sanctificationis per gratiam, et salutis per gloriam; et solius Dei est præscribere Ecclesiæ media necessaria, tum ad gratiam cum ad gloriam obtinendam. Homines vero causæ meræ ministeriales esse possunt, dum scilicet eorum Deus utatur ministerio ad ostendendum hominibus quæ manifestare ipse voluerit, ad media proponenda necessaria ad gratiam et gloriam comparandam, atque ad alia explicanda et inculcanda, quibus Ecclesiam regi voluerit.

Hæc de Ecclesia militante generatim sumpta; venio nunc ad Ecclesiam Christi. Hæc duplici ratione considerari potest, scilicet secundum latam, et secundum strictam significationem. Priori modo societatem designat fidelium, qui in Christum crediderint, præscindendo ab explicata vel implicita fide, a Christo sive nascituro vel nato, morituro vel mortuo : posteriori modo societas est hominum, qui fidem habent in Christum jam natum, et passum, consummatis omnibus redemptionis humanæ sacramentis et mysteriis.

Ecclesia Christi priori modo accepta non tantum natalem Christi antecessit, sed etiam ita floruit tempore legis naturæ et scriptæ, ut tunc temporis veros exstitisse Christi cultores merito asseri possit. (Augustin. epist. 190, *Ad Optatum* cap. 2, num. 8; et concione 6 *in Psal.* xxxvi; Tertull. *De resurrect. carnis*, cap. 6 ; Euseb. lib. 1 *Demonstrat. evangel.* cap. 5; Gregorius Magn. hom. 19 *in Evangel.*, sub vineæ parabola universalem exprimens Ecclesiam.)—Ad initium vero quod spectat hujus Ecclesiæ, facile intelligere est, statim post Adami lapsum repetendum esse. Tunc enim Deus revelatione, sive verbo suo, humano generi demonstravit sola fide venturi Redemptoris, ac gratia ex ipsius mediatione exspectanda, potuisse homines a peccato surgere, ac æternam salutem obtinere. Non est autem qui non videat in hujusce modi revelatione generalem illam vocationem, qua homines per fidem in Christum ad societatem ineundam, et ecclesiam constituendam, invitabantur. Quamobrem dubitari non posse videtur, quin hoc in sensu Christi Ecclesia statim post Adami lapsum inceperit. » (F. Lucii Ferraris *Bibliotheca*, verb. *Ecclesia.* Edit. Migne.)

Sacra Scriptura nos docet fœdus societatis Deum fecisse inter se et Adamum ejusque posteritatem, idem fœdus renovasse cum Noe et ejus posteritate; strictiori sensu cum Abraham et semine ejus, denique per Moysen cum populo Israel, cujus electus fuit rex et exercituum dux, legislator, etc., in monte Sina.

Ex fidei doctrina in canonibus de peccato originali contenta, Concilii Tridentini sess. v, et in sess. vi, cap. 2 : « Hunc (Christum) proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam *pro totius mundi;* » et etiam ex fidei doctrina quod Deus vult omnes homines salvos fieri, et Christum mortuum esse pro omnibus, eruitur tanquam ad fidem spectans propositio hæc : *Ab exordio mundi exstitit Ecclesia late sumpta in qua omnes omnium temporum homines per fidem in Christum venturum sive explicitam sive implicitam cum operibus justitiæ junctam salvos fieri potuerunt.* Dicendum ergo est Ecclesiam sic late sumptam omnes hominum politicas societates, antecessisse; proindeque nihil unquam a politicis potestatibus accepisse, prorsusque ab iisdem independentem semper fuisse et esse.

Nunc ad Ecclesiam Christi stricte sumptam deveniamus. Ex definitione Puffendorfii : *Societas inæqualis sive status, est conjunctio plurium hominum quæ imperio per homines administrato, sibi proprio, et aliunde non dependente continetur.* Atqui ex institutione Christi, Ecclesia est conjunctio hominum, quæ per homines, hoc est per Petrum et apostolos, eorumque successores administratur cum imperio sibi proprio, nec aliunde dependente; ergo Ecclesia est societas inæqualis sive status.

Minorem propositionem tanquam de fide toto hoc libro probaturi sumus, planum faciendo : 1° Ecclesiæ administrationem Petro et apostolis, eorumque successoribus fuisse traditam cum potestate imperandi; 2° eamdem imperandi potestatem ipsius Ecclesiæ propriam esse, nec aliunde dependentem. (Soglia, lib. 1 *De statu Ecclesiæ*, Proœm.) Hic ex Scripturis aliquid decerpere

non inutile est. Apud Matth. XVI, 16 seqq.: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam... et tibi dabo claves regni cælorum; quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris*, etc. Hoc textu exprimitur 1° *certus* populus: *ecclesiam meam* seu congregationem hominum a Deo vocatorum; 2° exprimuntur proprii rectores a quibus regitur populus: *tu es Petrus, et super*, etc. Id est, super te fundamentum societatis a me ædificatæ. Hic unus indicatur tantum summus Ecclesiæ rector Petrus, sed in eo, sicut in monarcha, omnes cæteri totius regni magistratus comprehendi censentur; præterea in aliis textibus exprimuntur alii rectores Ecclesiæ. Monarcha Ecclesiæ Christi induitur potentissimo *imperio: Et tibi dabo claves regni cælorum*, id est omnimodam auctoritatem in hoc regno cœlesti; ideoque *Quodcunque ligaveris super terram*, etc. 3° Dicitur tandem proprius finis hujusce novæ societatis, per ipsammet nuncupationem *regni cælorum*, quæ nihil aliud significat quam salutem æternam per omnes socios obtinendam, cum nullo alio pacto illa societas dici possit *regnum cælorum*, quam ratione finis et mediis, alioquin in cæteris est terrena, id est ex hominibus in terra degentibus coadunata. Porro ille finis salutis æternæ obtinendæ, Ecclesiæ Christi omnino proprius est et immediatus, cum nulla alia societas illum participet nisi generaliter et remote. 4° Unde Ecclesia seu societas Christiana gaudet imperio per homines administrato, sibi proprio, fineque proprio, aliunde non dependentibus nisi a Deo, qui imperium et finem immediate contulit. Ergo Ecclesia Christi est societas inæqualis vera et proprie dicta.

In Epistolis beati Pauli apostoli (*Ephes.* IV, 11, 12) legimus: *Ipse* (*Christus*) *dedit quosdam apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum.* Quibus verbis non solum exprimuntur populus, *sancti* nempe, rectores, *apostoli, evangelistæ*, etc., finis *ad consummationem sanctorum*, sed et pulcherrima horum coordinatio assignatur.

2° Non tantum societatem ipsam exhibent Scripturæ, sed et nomen et multiplices typos qui unice veræ et proprie dictæ societati conveniunt. Sæpissime in Novo Testamento Ecclesia a Christo vocatur *regnum meum*, *regnum Dei*, *regnum cælorum:* porro *regnum* est perfectissimarum humanarum societatum nomen proprium. Ecclesiam Christus expressit typo *civitatis supra montem positæ* (*Matth.* V, 14), in quam confluere debent omnes gentes; typo *ovilis* vocando *ovile unum* in quam vocat *oves* homines, ipsumque sese dicendo pastorem (*Joan.* X, 16), et instituendo pastorem sibi subjectum cui dicit: *Pasce oves meas, pasce agnos meos.* (*Joan.* XXI, 15-17.) Atqui a profanis poetis et scriptoribus, ut legere est apud Homerum, etc., reges vocantur *pastores populorum.* Expressit eam typo *corporis*, illam dicendo *Corpus Christi* et seipsum dicendo *caput corporis Ecclesiæ* (*Coloss.* I, 18): atqui nihil in linguis humanis melius significat arctissimam societatem quam verbum *corpus* morale, in quo homines sibi invicem tanquam alii aliorum membra conjunguntur et ad bonum totius corporis coordinantur et concurrunt. Ergo varii typi quibus Christus Ecclesiam suam expressit, formam socialem accuratissime referunt, ut ait præclarus Bourx. (Tract. *De princip.* p. 476.)

3° Christus hominum congregationi ex quibus coalescit Ecclesia finem communem, scilicet æternam salutem, et media ad eam obtinendam, ut vidimus, præfixit.

4° Christus Ecclesiam instituit cum forma sociali si in ea constituit auctoritatem quæ media ad finem ab omnibus obtinendum traderet, fidem tenendam ab omnibus proponendo, omnes quoad mores regendo. Atqui ita statuisse Christum omnino certum est, ut jam vidimus, et in sequentibus demonstraturi sumus.

5° Idem probari posset perpetua Ecclesiæ traditione et sanctis Patribus.

6° Concordant canones multi, præsertim cap. *Omnes*, dist. 22; cap. 18 *Loquitur*, caus. 24, quæst. 1.

7° *Decretalium* lib. I, c. *Firmiter*. « Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. » (Ex concilio gen. Lat., an. 1215, decret. fidei.) — *Ibid.* lib. I, tit. 6, cap. 4, *Significasti; Clementinar.* l. V, tit. 6 *De excessib. prælat.* cap. un. *Frequens*, § *Verum quia.* — *Extravagantium commun.* lib. I, tit. 8 *De majoritate et obedientia*, cap. *Unam sanctam*, sic habet: « Unam sanctam Ecclesiam catholicam et ipsam apostolicam urgente fide credere cogimur et tenere. Nosque hanc firmiter credimus et simpliciter

confitemur: extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum... Quæ unum corpus mysticum repræsentat, cujus caput Christus: Christi vero Deus. In qua unus Dominus, una fides, unum baptisma ..... Igitur Ecclesiæ unius et unicæ, unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet et Christi vicarius Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipso Petro, *Pasce oves meas; meas*, inquit, et generaliter, non singulariter has vel illas, per quod commisisse sibi intelligitur universas... Porro subesse Romano pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis. » (Bonifacius VIII, an. 1302.) Et ex omnibus symbolis fidei.

Ergo de fide est Ecclesiam Christi esse veram et proprie dictam societatem a Christo ipso fundatam et institutam.

Probatur II°. *Ecclesia Christi una et unica est.* Unitas Ecclesiæ Christi multipliciter intelligi potest: 1° Unitas *simultanea* qua ab institutione Ecclesiæ per Christum, unica tantum fuerit aut futura sit, non vero duæ aut plures; 2° Unitas *successiva*, qua illa unica Ecclesia eadem semper et sibi constans perseveret, non mutata in aliam. 3° Tandem unitas *substantiva*, qua illa Ecclesia et simultanee et successive una numerice in sua substantia perseverans, pariter una sit in omnibus suis proprietatibus, maxime in fide et regimine. — Primus modus intelligendi Ecclesiæ unitatem est omnium maxime obvius, ac hic per se intendendus juxta Suarez, *De fide*, disput. 9, sect. 4. Et merito quia non solum primus occurrit sub enuntiatione unitatis, sed præterea est radix et causa cæterorum.

Probatur: 1° Scriptura sacra, quæ semper de Ecclesia loquitur in singulari numero. *Matth.* xvi, 18: *Ædificabo Ecclesiam meam.* Et alibi, *Matth.*. xviii, 17: *Dic Ecclesiæ...Si Ecclesiam non audierit. Joan.* x, 16: *Et fiet unum ovile et unus pastor.* Apost. ad *Ephes.* iv, 4: *Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et Pater omnium.* In hoc textu non solum exprimitur *unitas* individui *simultanea*, *unum corpus*, verum etiam unitas *substantiva* proprietatum, *una fides*, *unum baptisma*. .. cujus unitatis redditur ratio, nempe *unus Dominus, unus Deus et Pater om una spes vocationis vestræ....*

2° Eadem unitas probatur ex Patril traditione, et historice de facto demons

3° Canonistis: « Cum Ecclesia sit c gatio fidelium, congregatio autem hon sit duplex, scilicet œconomica, ut il sunt de una familia, et politica, sicut i sunt de uno populo; Ecclesia sin congregationi politicæ, quia ipse p Ecclesia dicitur, sed conventns diver Parochiæ in una diœcesi similantur gregationi in diversis familiis, vel in sis officiis, et ideo solus episcopus p prælatus Ecclesiæ dicitur; et ideo ipse habet plenam potestatem in dis tione sacramentorum, et jurisdictio foro causarum quasi persona public autem secundum quod ab eo eis com tur. Sed sacerdotes, qui plebibus præ tur, non sunt simpliciter prælati, sed coadjutores; unde in consecratione sa tum episcopus dicit: *Quanto fragilio mus, quanto magis his auxiliis indigem* propter hoc etiam non omnia sacramer pensant. » (Fagnan. part. II, lib. V, *De excessibus prælat.*, cap. *Acceden* n. 14-16.)

« Ecclesia est unum corpus mystic in Cantico canticorum (VI, 8): *Una lumba mea;* Sponsus vero hujus co et caput hujus mystici corporis est pap *Rogamus*, caus. 34, quæst. 1 Hoc mysticum Ecclesiæ corpus æquiparat pori humano; quia sicut in uno c multa membra habemus, omnia autem bra non eumdem actum habent; ita clesiæ corpore, secundum veridicam sententiam (*Rom.* xii, 4, 5), in uno eod spiritu multa sunt membra per diver cia distributa, ut legitur in cap. *Sing* dist. » (Fagnan. part. II, lib, II, dec *translat. episc.* cap. *Quanto*, n. 60.)

4° Canonibus, c. 18 *Loquitur*, cau q. 1. « Loquitur Dominus ad Petrum *dico tibi, quia tu es Petrus et supe petram.* (*Matth.* xvi, 16.) Super unu ficat Ecclesiam, et quamvis apostolis bus post resurrectionem suam parem statem tribuat et dicat: *Sicut misit me et ego mitto vos. Accipite Spiritum sa* etc. (*Joan.* xx, 21, 22), tamen ut unitate nifestaret, unitatis ejusdem originem incipientem sua auctoritate disposui

erant utique et cæteri apostoli quod fuit et Petrus, pari consortio prædíti, et honoris et potestatis; sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur. Quam unam Ecclesiam etiam in Cantico canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat et dicit: *Una est columba mea, perfecta mea, una est matri suæ, electa genitrici suæ.* (*Cant.* VI, 8.) Hanc Ecclesiæ unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiæ renititur et resistit, in Ecclesia se esse confidit? Quando et beatus apost. Paulus hoc idem doceat, et sacramentum unitatis ostendit dicens: *Unum corpus*, etc. (*Ephes.* VI, 4.) Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus, maxime episcopi qui in Ecclesia præsidemus: ut episcopatum ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat: nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat. Episcopatus unus est: cujus a singulis in solidum pars tenetur. Ecclesia una est quæ in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur. Quomodo solis multi radii, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas, licet diffusa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore; divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arescet. Sic et Ecclesia, Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit; unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius pandit; unum tamen caput est, et origo una, et una mater est fecunditatis successibus copiosa. » (Ex S. Cypriano, in tract. *De unitate Eccles.*, in corpus juris transitum.)

5° Symbolis omnibus et definitionibus fidei. Unitatem Ecclesiæ inter summa fidei Christianæ capita reposuerunt concilia œcumenica. Sic Constantinopol. concil. *Credo... unam Ecclesiam*; et Lateranense IV, cap. *Firmiter*, supra citatum, et Bonifacius VIII, in extravag. *Unam sanctam Ecclesiam*, supra citat.

6° Ratione siquidem unitatis Ecclesiæ necessitas demonstraretur, cum ad unum eumdemque finem per unam veritatem divinam pro omnibus et semper necessario eamdem perducere omnes homines debeat.

Ergo de fide est Ecclesiam Christi unam et unicam esse.

Probatur III°. *Ecclesia Christi spiritualis et sancta est.* — Illa societas vere spiritualis dicenda est quæ omnino ordinatur ad bonum supremum et absolutum spiritus, scilicet beatitudinem æternam. Cum sanctitas sit a quacunque immunditia spiritus immunitas, ac ad finem ultimum animæ directio omnimodo sancita, societas illa sancta merito dicitur quæ pro fine habet gratiam per media idonea efficaciter sanctificantem procurandam, et populum qui de facto sanctificatur. Unde dupliciter considerari potest et debet sanctitas Ecclesiæ: sensu *activo* est actio Ecclesiæ sanctificans; sensu *passivo* est effectus sanctitatis activæ, scilicet gratia interna vigens in membris Ecclesiæ. Prima absolute et ex toto genere suo competit Ecclesiæ; sanctitas vero passiva quæ præter Christi operationem humanæ voluntatis cooperationem requirit, ac proinde ejusdem pati potest defectum, his in terris non consummatur in omnibus membris Ecclesiæ; verum quæcunque sint membra languida et quidem mortua, impedire nequeunt quominus Ecclesia subjective et in corpore suo sancta effective dicatur et sit, præsertim cum membra mortua, quandiu sunt in via, ab ipsa vivificari possunt. His ita prælibatis dicimus Ecclesiam Christi esse societatem spiritualem et sanctam.

Probatur 1°. Quod Ecclesiæ societas spiritualis sit luculenter manifestatur ex ipsius institutione, et fine et mediis ad finem, quæ omnia ad bonum supremum spiritus ordinantur. « *Ego veni ut vitam habeant*, et *abundantius habeant* (*Joan.* X, 10), in quo nobis pandit Christus totam rationem instituendæ Ecclesiæ, scilicet vitam æternam. Ecclesia dicitur a Christo *regnum Dei, regnum cœlorum*, quod etsi sit visibilis in terra, non est tamen de hoc mundo, sed de cœlo venit et ad cœlum tendit. Hujus spiritualis regni cives secundum spiritum vivere debent. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini; sed si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* » (*Rom.* VIII, 13.)

Ideoque quicunque in hanc societatem cooptantur sensum carnalem et terrenum exuere debent, ut spirituali et cœlesti ad imaginem hominis cœlestis, Filii Dei, do-

nentur. *Nos autem non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus quæ a Deo donata sunt nobis* (*I Cor.* II, 12), id est, ut sciamus cujus societatis facti sumus membra, et ad quem finem contendere debeamus, ut membra corporis Christi, seu Ecclesiæ. Ergo 1° Ecclesia est societas spiritualis.

2° « Ex eo quod Ecclesia Christi sit societas spiritualis, id est ad bonum et sanctificationem spiritus ordinata, suapte natura sequitur illam esse sanctam, cum quidquid spirituale est necessario sit sanctum, seu ab omni immunditia immune. Præterea frustrari nequit finis Dei instituentis Ecclesiam, qui est sanctificatio hominum : *Hæc est enim voluntas Dei*, inquit Apostolus, *sanctificatio vestra.* (*I Thess.* IV, 3.) Et ideo idem Apostolus : *Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam... ut sit sancta et immaculata.* (*Ephes.* V, 25-27). Et iterum : *Dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem.* (*Tit.* II, 14). Quapropter dubitandum non est quin finem suum, pro mensura saltem sibi proposita, obtinuerit ; unde videmus in Apocalyp. XXI, 2, Ecclesiam vocatam *civitatem sanctam*, et Petrum fideles appellantem *genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis* (*I Petr.* II, 9), et frequenter Paulum ita eosdem salutantem : *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo Jesu, vocatis sanctis.* (*I Cor.* I, 2.) » (*Institut. jur. canon. publ. et priv.*, auctore R. de M. t. I, p. 67.)

Idem Patribus SS. et traditione demonstratur, et canonibus, symbolisque fidei : c. *Ecclesia Christi*, *De pœnit.* dist. 1 ; c. *Sancta Romana*, dist. 15 ; c. *Sancta Romana*, caus. 25 ; c. *Sacrosancta*, *De elect.* et extravag. supra citat. *Unam sanctam Ecclesiam.* Tandem illud confitemur in symbolis : *Credo.... sanctam Ecclesiam.* — Ergo 2° Ecclesia est societas sancta.

Ergo de fide est Ecclesiam Christi esse societatem spiritualem et sanctam.

Probatur IV°. *Ecclesia Christi est societas catholica.* — Universalitas seu catholicitas Ecclesiæ, sicut et ejusdem sanctitas, dupliciter intelligi debet, *de jure* scilicet et *de facto.*

1° *De jure* seu ab iosius voluntate et mandato Christi, Ecclesia instituta fuit et i ad *docendas omnes gentes* (*Matth.* XXVIII *ad prædicandum hoc Evangelium reg universo orbe, in testimonium omnibus bus* (*Matth.* XXIV, 14)° ; *ad prædica Evangelium omni creaturæ.* (*Marc.* XVI Præterea Christus assistentiam suat gratiam promisit quæ corda mulceret e tineret : *Et ecce ego vobiscum sum om diebus usque ad consummationem s* (*Matth.* XXVIII, 20.) Omnesque gent omnino homines simul obligat Christ eam societatem ineundam : *Qui credi et baptizatus fuerit, salvus erit ; qui ver crediderit, condemnabitur.* (*Marc.* XVI Ergo jure divino catholica est Ecclesia pro omnino omnibus hominibus et te ribus et locis.

2° *De facto* et exsecutione, quæ Ecc inest principaliter a Christo gratiam i dente, sed partialiter etiam ab homine tiæ cooperante. Ista catholicitas abs non est, cum ab humana voluntate pe Sed in quantum ad Ecclesiam spect tholicitas facta est : *Illi* (*apostoli*) *pr prædicaverunt* (et etiam nunc succes eorum prædicant) *ubique, Domino c rante et sermonem confirmante, sequen signis.* (*Marc.* XVI, 20.) Quare confident terrogat Apostolus Romanos : *Nunquid audierunt* (*gentes*), *et quidem in omnem ram exivit sonus eorum?* (*Rom.* X, 18 Coloss. : *Pervenit* (*Evangelium*) *ad vos in universo mundo est, et fructificat e scit.* (*Coloss.* I, 6.) Et de facto Ecclesia lica ubique terrarum et temporum et num viget, præsertim vero cum ad animam pertineant omnes bona fi operibus justi, etiamsi non sint de corpore.

Ergo Ecclesia de jure et facto es tholica.

2° Idem probatur SS. Patribus et tione.

3° Canonibus, c. 18 *Loquitur*, caus quæst. 1, supra citat.

4° Ex symbolis fidei : 1° apostolo *Credo sanctam Ecclesiam catholicam* Constantinopolitano : *Credo unam sa catholicam... Ecclesiam ;* 3° Concilio ran. IV, c. *Firmiter... Una vero est fid universalis Ecclesia ;* et 4° constituti gmatica Bonif. VIII, extravag. cap. *sanctam Ecclesiam catholicam*, supra ci

Ergo de fide est Ecclesiam Christi esse catholicam.

Probatur V°. *Ecclesia Christi est apostolica.* — *Apostolicitas* Græce missionem significat, et hic divinam. Apostolicitas est ergo illa legitima missio a Deo certis hominibus immediate concredita Ecclesiam vice ministeriali fundandi, propagandi, gubernandi, sibique alios successores subrogandi qui decedentium hæredes facti, missionem, seu apostolicitatem suscipiant et teneant, subsequentibus iterum in interrupta serie transmittendam, usque ad consummationem sæculi.

1° Atqui Christus elegit, nominavit et misit apostolos (*Luc.* VI, 13; *Joan.* XV, 16 et VI, 11; *Matth.* XXVIII, 19; *Marc.* XVI, 15, etc.), et dedit eis omnem potestatem fundandi, regendi et gubernandi Ecclesiam suam: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra; euntes ergo*, etc., *docentes eos servare omnia.* (*Matth.* XVI, 18; XVIII, 1; et XXVIII, 18-20.) etc.

2° Ex eadem auctoritate divina quam a Christo acceperant, apostoli sibi successores commiserunt, ut legere est passim in Actibus apostolorum, et probatur historia et traditione.

Ut vero sibi constet Ecclesia, permaneatque in suo esse divino, oportet ut gubernetur ab ipso Christo, seu per viros quos Christus miserit et sibi subrogaverit, non autem qui se interseruerint in hoc officio. *Nec enim quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tanquam Aaron.* (*Hebr.* V, 4.)

Ecclesia proinde apostolica ea est quam primi Christi legati, seu apostoli fundarunt et gubernarunt, ac etiamnum per eorum legitimos successores tenent et gubernant. Quæ vero talibus caret fundatoribus et rectoribus, vel eorumdem legitimis successoribus, apostolica non est.

3° Probatur canonibus, c. *Ita Dominus*, dist. 19, c. 18 *Loquitur*, caus. 24 quæst. 1, supra citat.

4° Ex symbolis fidei, 1° Constantinopolitano: *Credo... in unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam...*

° Constit. dogmat. Bonif. VIII, extravag. cap. *Unam* supra citat. *Unam sanctam Ecclesiam catholicam et ipsam apostolicam urgente fide credere cogimur et tenere..*

Ergo de fide est Ecclesiam Christi esse apostolicam.

Probatur VI°. *Ecclesia Christi est infallibilis in rebus fidei, morum et universalis disciplinæ.* — Infallibilitas est illa prærogativa cognoscendi et docendi veritatem omnino certam et absque erroris periculo. Solus Deus, cum sit veritas summa, est natura sua infallibilis. Infallibilitas vero Ecclesiæ non est humana; nihil aliud est enim quam ipsamet infallibilitas Dei, qui revelat et confidit suam Ecclesiæ veritatem, qui cum Ecclesia et per eam interpretatur, definit et docet veritatem revelatam ab ipso Deo. Papa, cum eoque concilia non sunt tanquam homines infallibiles°, sed ut legati a Deo missi, assistentia Spiritus sancti gaudentes, qui cum eis et per eos definit et docet, et non potest permittere ut errent in docendo, cum tunc ipsemet Deus erroris, quod nefas est dicere, auctor esset. Unde papa, conciliaque œcumenica, Ecclesia docens, sunt infallibiles ex Dei ipsius infallibilitate.

Infallibilitas Ecclesiæ dupliciter intelligitur, *activa* scilicet et *passiva*. Infallibilitas activa ea est qua secundum Dei promissionem potiuntur summus Pontifex, Petri successor, Christi vicarius, et episcopi collegialiter sumpti, id est, cum capite eorum papa definientes et docentes. Infallibilitas vero passiva ea est qua omnis Ecclesia, omnes Christi fideles, credendo omnia quæ docet infallibilitas activa, ab errore præservantur gratia Spiritus sancti. Illa passiva infallibilitate imprimis in suis singulis Ecclesiis singuli episcopi potiuntur conformiter Ecclesiæ doctrinæ docendo; eadem infallibilitate omnes fideles potiuntur conformiter eorum pastorum et Ecclesiæ doctrinæ credendo. Impossibile est ex divina promissione et Spiritus sancti assistentia ut omnis Ecclesia errorem credat. Unde verum est dicere, id quod ab omnibus, ubique et semper creditum est in Ecclesia esse fidei veritatem infallibilis. His ita explicatis, dicimus Ecclesiam esse infallibilem.

Probatur: 1° Scriptura: *Data est mihi omnis potestas.... Euntes ergo docete.... docentes eos servare omnia.... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* (*Matth.* XXVIII, 18-20) Errare non possunt qui *docendo* assistricem

habent sapientiam et scientiam Dei. Apud Joan. XIV, 16 : *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.... Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ideoque Apostolus (I *Tim.* III, 15), Ecclesiæ infallibilitatem declarat, Ecclesiam vocando *columnam et firmamentum veritatis* ab ipso Christo constitutam, *ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ.* In concilio Hierosolymitano, apostoli declarant: *Visum est Spiritui sancto et nobis.* (*Act.* XV, 28.)

2° Sic omnes SS. Patres tenuerunt, sic omnis traditio docet.

3° Canonibus, dist. 11 et caus. 24, quæst. 1, fere per totum.

« Præterea Ecclesia ipsa sese constanter et confidenter ut infallibilem in doctrina et moribus practice gessit, doctrinam a se propositam moresque summa auctoritate intimans, interposito etiam sæpius anathematis vinculo. Equidem nunquam expresse definivit se esse infallibilem, nec enim proprie potest; quid enim valeret de ejus infallibilitate definitio, nisi prius dogma esset ipsam esse infallibilem; tamen illud etiam obiter declaravit his verbis aut similibus : *Visum est Spiritui sancto et nobis.* (*Act.* XV, 28.) *Sancta synodus in Spiritu sancto congregata...* Trident. sess. 2 et seq. sub initio. Est ergo veritas certa, imo veritas primaria et fundamentalis, dogma anterius omnibus dogmatibus ab ipsa Ecclesia propositis, dogma anterius ipsi Evangelio, teste Augustino : *Ego vero Evangelio non crederem, nisi Ecclesiæ me commoveret auctoritas,* Ecclesiam infallibilem esse et magistram veritatis, a qua et Evangelium, seu verbum Dei suscipimus » (*Inst. jur. can. publ. et priv.* auct. R. de M. t. I, p. 71), seu per quam Deus, qui est infallibilitas suprema, nos docet.

Ergo de fide est Ecclesiam esse infallibilem in rebus fidei, morum et universalis disciplinæ.

Probatur VII°. *Ecclesia Christi est externa et visibilis.* — 1° Ex verbis Christi, qui Ecclesiam suam expressit typis regni, civitatis, ovilis, ædificii et corporis; atqui typi isti visibilem societatem referunt. Aliunde Christus mandavit apostolis docere omnes gentes, eosque baptizare (*Matth.* XXVIII, 18-20), etc., quæ sunt omnia visibilia. — 2° Ex eo quod Ecclesia sit societas constans hominibus credentibus et pastoribus a Christo institutis et missis, et cum mediis sensibilibus, etsi etiam spiritualibus, ad finem perducentibus. Atqui societas ex hominibus conflata est necessario visibilis et externa. — 3° Ex eo quod Ecclesia sit societas usque ad finem mundi duratura, et ad quam ineundam omnes homines obligantur præcepto Christi. Atqui impossibile præceptum Christus dedisset, si Ecclesia non esset visibilis omnibus. — 4° De facto Ecclesia demonstratur visibilis et externa historia et traditione, monumentis, ejusdem hierarchia, legibus, administratione, sacramentis, cultuque publico, etc. — 5° Canonibus, c. 18, *Loquitur,* caus. 24, quæst. 1, et multis aliis.

Ergo non tantum, ut bene ait Bouix (tract. *De princip.*, p. 481), falsa est quam excogitaverunt Protestantes, invisibilis Christi Ecclesia, sed ridiculum et naturæ rei oppositum figmentum.

Probatur VIII°. *Ecclesia Christi est indefectibilis et perpetua.*—1° Scriptura (*Matth.* XXVIII, 20 : *Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi;* (*Matth.* XVI, 16) : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam;* (*Joan.* XIV, 16) : *Et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum.* Atqui Ecclesia cum qua Christus erit *usque ad consummationem sæculi,* et Spiritus sanctus manebit *in æternum,* contra quam *portæ inferi non prævalebunt,* est necessario indefectibilis et perpetua. — 2° Ex unanimi sanctorum Patrum et traditionis doctrina probatur indefectibilitas et perpetuitas Ecclesiæ. — 3° Canonibus, c. *Ita Dominus,* dist. 19. — 4° De fide est extra Ecclesiam salutem non esse, nec remissionem peccatorum (c. *Firmiter,* et extravag. dogmat. *Unam sanctam* supra citat.), et etiam Deum velle omnium hominum salutem. Atqui si indefectibilis et perpetua non esset Ecclesia, sequeretur homines esse quorum salutem Deus non vellet, quod impium dicere est et hæreticum.

Ergo de fide est Ecclesiam Christi esse indefectibilem et perpetuam.

Probatur IX°. *Ecclesia Christi est societas, ex lege Christi ab omnibus ineunda, semelque inita prorsus retinenda.* — 1° Scriptura (*Marc.* XVI, 15) : *Prædicate Evangelium omni creaturæ; qui crediderit et baptizatus*

fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. Et (*Matth.* XVIII, 17): *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus.* Ergo omnis creatura ad salutem consequendam tenetur credere et baptizari, id est Ecclesiam ingredi, et quicunque non audit Ecclesiam, seu ex ea egreditur, est tanquam ethnicus et publicanus. — 2° Ex fine Ecclesiæ proprio, quæ est societas divinitus instituta ut omnes homines perducat ad finem ultimum æternæ beatitudinis. Ergo hujus societatis membrum debet esse quisquis tenetur ad Deum ut verum finem ultimum per veræ fidei professionem et morum sanctitatem tendere, id est, omnis homo. — 3° Ex traditione practica. « Ecclesia omni tempore credidit et professa est fuisse sibi hoc munus a Christo impositum ut gentes et homines omnes infideles in sinum suum advocaret, et devios seu hæreticos reduceret; hinc apostolos seu missionarios deputavit qui ab Ecclesia probatam doctrinam docerent, leges Ecclesiæ imponerent, et declararent necessarium esse ad salutem, Ecclesiam ingredi. » (Bouix, tract., *De princ.* p. 488.) — 4° Ex eo quod repugnet sapientiæ Christi Ecclesiam instituentis, illam non esse ab omnibus ineundam. (*Ibid.* p. 489.) — 5° Ex doctrina SS. Patrum et traditione. — 6° Canonibus, c. *Alienus est*, caus. 24, quæst. 1; c. *Quoniam, ibid.*; ex Clem. 1, *De excessibus prælat.*, § *Verum:* « Verum quia una est regularium et sæcularium, prælatorum et subditorum, exemptorum et non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. »—7° Ex fidei definitionibus: 1. Concil. Lateran. IV, c. *Firmiter:* « Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur. » 2° Extravag. comm. cap. *Unam sanctam Ecclesiam:* « Urgente fide credere cogimur et tenere... extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum... »

Ergo de fide est Ecclesiam Christi esse societatem, ex lege Christi ab omnibus ineundam, semelque initam prorsus retinendam.

Corollarium I. — Ex huc usque demonstratis sequitur: 1° Ecclesiam non esse societatem divinam tantum, quæ a Deo solo sine quocunque hominis ministerio condita, per eumdem solum Deum conditorem moderatur, uti v. gr. societas beatorum in cœlo; 2° nec vero mere humanam, quæ ab homine solo absque expresso Dei interventu prodiit et gubernatur; 3° sed Ecclesiam esse societatem divino-humanam, a Deo scilicet fundatam, institutam et rectam per ministerium a Christo missorum apostolorum et eorum successorum legitimorum.

Corollarium II.—Ecclesiam a Christo institutam non undequaque novam esse, sed certo sensu antiquissimam, exordioque mundi et hominis coævam, quæ ex Patribus, et theologis infantiam ab Adam, pueritiam a Noe, adolescentiam ab Abraham, juventutem a Moyse, virilitatem, seu perfectam ætatem a Christo habuit. (Albert Pighius, *Hier. eccl.* l. I, c. 1.)

Corollarium III.— Notam Ecclesiæ Christi fundamentalem et formalem, cæteras omnes continentem et facientem, ipsam in nulla alia contentam et factam, esse *apostolicitatem* spectatam non in genere tantum et abstractive, sed in concreto in Ecclesia Romana; eoque Ecclesia apostolica est necessario Romana. 1° Etenim apostolicitas nihil aliud est quam missio a Christo incipiens et per successionem pastorum ad consummationem sæculorum se porrigens; est auctoritas divina a Christo apostolis et per eos successoribus collata, ex qua oriuntur unitas, sanctitas et catholicitas Ecclesiæ : unitas in fide et regimine per apostolicam auctoritatem ; sanctitas per sacramenta a ministerio apostolorum suscepta; catholicitas per prædicationem apostolorum. 2° Apostolicitas per successionem legitimam probatur; historia ecclesiastica, omnes sancti Patres, sacra traditio et concilia apostolicitatem semper agnoverunt in Ecclesia Romana. Summus pontifex solus est singularis apostoli Petri successor; sane corpus omnium episcoporum successit apostolorum collegio, nullus vero episcopus alius quam Romanus singulari apostolo successit. Aliunde ex c. 18 *Loquitur*, caus. 24, quæst. 1 : *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*, et ex Patribus multis una est cathedra Petri, super quam sedent omnes episcopi, id est una est auctoritas apostolica totalis Petro collata, et in cujus participationem vocati sunt apostoli alii et vocantur diversimode omnes episcopi. Sed vere et proprie Ecclesia Romana dicitur apostolica, ejusdemque pontifex apostolicus, cui omnes subjiciuntur et episcopi et fideles. Unde, cum nulla alia

Ecclesia dici possit proprie apostolica, sequitur Ecclesiam apostolicam esse necessario Romanam. (GRATIAN. *Decret.* dist. 12, 19 et 20.)

Corollarium IV. — Ecclesia Romana proinde, seu Ecclesia particularis Romana, et Ecclesiæ quæ ab ea matrice et radice aut immediate ortæ sunt, eique filiali subjectione adhærent, est, et quidem sola, vera Christi Ecclesia, ab ipso instituta, Christiana, omnibus supra enumeratis proprietatibus prædita, cum sit sola apostolica; cæteræ vero quæcunque sint, et quocunque nomine Christiano, evangelico, orthodoxo se nuncupent, sunt Ecclesiæ antichristianæ, antievangelicæ, non apostolicæ... nullis supra enumeratis proprietatibus præditæ.

Corollarium V. — Ecclesia Christi, seu Ecclesia Romana, est societas specialis et distincta ab omni societate civili, totalis et completa, independens, longeque nobilior qualibet societate civili; eoque strictiori ratione homines sunt Ecclesiæ quam civitatis membra: 1° Sola habet suum esse et finem ultimum immediate a Deo; sola est societas spiritualis, sancta, catholica et apostolica; ergo distinguitur ab omni societate civili. 2° Habet subjectum populum, rectores proprios a Deo missos suprema et divina auctoritate munitos; finem ultimum, scilicet vitam æternam consequendam mediis propriis et omnibus sociis communibus; ergo est societas totalis et completa. 3° Christus omnes homines auctoritati Ecclesiæ subjecit, eique dedit imperium immediate divinum cum fine sibi proprio, mediisque sibi propriis; de fide est extra Ecclesiam nullum omnino nec hominem potestatem, nec hominem subjectum salvari posse; item de fide est ex dogmatica extravagant. comm. lib. I, tit. 8. cap. *Unam sanctam*, omnes humanas creaturas subesse Romano pontifici; sic enim habet: « Porro subesse Romano pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis. » Ergo Ecclesia Romana est societas independens; hinc concludi potest quam falsum sit *Ecclesiam esse in statu* seu *potestatibus politicis subjici*. 4° Cum sit Ecclesia societas divino-humana, dignissimum finem habens, etc., est necessario longe nobilior qualibet societate civili, proindeque ratione dignitatis et necessitatis ad salutem Ecclesiæ homines prius et strictiori obligatione sunt Ecclesiæ quam civitatis membra. (Vide *Institutiones jur. can. publ. et priv.* auct. R. de M. t. I; et BOUIX tract. *De principiis.*)

CAPUT II.

De partibus Ecclesiæ earumdemque principiis, seu formis constitutivis, nec non de membris inde formatis et cooptatis.

Ecclesiam Christi hucusque consideravimus simul et indivisim in toto suo esse, in quantum scilicet est corpus quoddam sociale divinitus institutum et constitutum cum suis proprietatibus communibus. Nunc vero aggrediendum est nobis ex quibus partibus constituatur Ecclesia, et ex quibus membris formetur. Cum vero Ecclesia sit corpus Christi mysticum, ejusdem regnum et familia ab ipso regenerata et redempta, et a Deo Patre omnipotente in adoptionem hæreditatis Filii sui unigeniti recepta, omnes Ecclesiæ cives ex Christo spiritualiter nascuntur et generantur per fidem et sacramenta; ex Christo vivificantur per gratiam et sacramenta. Atqui corpus Ecclesiæ est vivum et gratia vivificatum, unde constituitur duplici elemento, mole scilicet externa, visibili; deinde spiritu seu anima, quæ molem hanc vivificet et informet. Corpus visibile sic informatum et vivificatum adhuc dividitur, ut regnum et familia, in subjectis et hierarchia seu potestate, in filiis et patribus. Ideoque dicemus: 1° de principiis constitutivis Ecclesiæ, sive quoad corpus sive quoad animam; 2° de membris Ecclesiæ; 3° de hierarchia, seu potestate ecclesiastica.

PROPOSITIO PRIMA.

Forma, seu principium constitutivum principale ac fundamentale corporis Ecclesiæ est fides, non vero interna, sed publica, ab Ecclesia authentice proposita et intimata et a catechumeno per sacramentum solemne baptismi suscepta et jurata (communior theologorum et canonistarum).

Probatur 1° Scriptura. Ad Ephes. IV, 4: *Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, et unum baptisma.* Fideles *unum corpus* sunt; hujus vero corporis Apostolus tradit causam et formam *Unus Dominus* Christus, a quo nascuntur et regenerantur per *unam fidem et unum baptisma*, quod est ipsissimum *sacramentum*

fidei. Ad Coloss. I, 23: *Si tamen permanetis in fide fundati*. Fides Christi est fundamentum fidelium. Coloss. II, 20: *Superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum*. Id est super eorum fidem et doctrinam, prout Patres communiter exponunt. Act. apost. IV, 32: *Multitudo credentium erat cor unum et anima una*, quo textu membra corporis Ecclesiæ antonomastice *credentes* denominantur. Ex multis aliis textibus idem probaretur, adeo ut Scriptura in fide videatur collocare quasi totam rationem aut certe fundamentalem corporis Ecclesiæ, veluti Marc. XVI, 16 : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*. Act. II, 41 : *Qui ergo receperunt sermonem baptizati sunt, et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia. Appositæ sunt in* corpore Ecclesiæ animæ recipientes *sermonem* seu *fidem* per *baptismum* fidei externæ, sicut et internæ sacramentum. Ergo fides externa, etc., est principium principale corporis Ecclesiæ.

Probatur II° idem ex Patribus ; unanimes enim sunt in fide ponenda ut origo et fundamentum vitæ Christianæ, et baptismum vocant matricem Christianorum, portam Ecclesiæ, etc.

Probatur III° canonibus : scilicet c. *Firmiter, De sum. Trinit. Una vero*, sic : *Una vero est fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur*, membra corporis *Ecclesiæ fideles* de fide simpliciter denominat, ut Actus apost. Vocant eadem membra *credentes*, c. *Prima*, caus. 15, quæst. 1 : *Prima salus est rectæ fidei regulam custodire*. c. *Parvuli*, dist. 4. *De consec.*, et c. sequenti *Mater Ecclesia*.

Probatur IV° conciliis : 1° Florent. vocat baptismum *januam spiritualem Ecclesiæ ; per ipsum enim membra Christi, et de corpore Ecclesiæ efficimur ;* 2° Trident. sess. 14, c. 2, declarat *Ecclesiam in neminem judicium exercere qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus*.

Probatur V° ratione : 1° Etenim Ecclesia est societas spiritualis cujus principium est fides quæ est spiritualis ; sed etiam visibilis, suos habens pastores et subditos utrosque visibiles. Jam vero ut quis sive pastor, sive subditus visibilis exsistat, oportet ut visibiliter, signo proinde publico, consueto, et omnibus noto, cooptetur inter pastores et subditos, quod fit per baptismum fidei sacramentum. 2° Fides est prima virtus supernaturalis ordine generationis: *Oportet enim accedentem ad Deum credere quia est, et remunerator sit inquirentibus se;* in anima generat substantiam vitæ spiritualis et æternæ. *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* XI, 1) ; quæ sunt vero *res sperandæ ?* nisi vita æterna ; quid est autem vita æterna ? *Hæc est vita æterna ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum*. Fides ergo informat animam ad imaginem veritatis Christi, infundit in ea verbum Dei æternum quod est vita. Ergo ex parte Dei fides generat animam ad veram et spiritualem vitam. Ex parte hominis vero cooperatio voluntatis necessaria est ad omnes effectus fidei in anima producendos, unde fides prout est virtus practica a canonistis definitur (per Glos. Host. et Joan. Andr. supra in rub. apud Fagnan. in I part. primi decret. *De sum. Trinit.* c. *Firmiter*, n. 13): *Fides est voluntaria certitudo absentium infra scientiam et supra opinionem constituta*. Quam quidem, pergit Fagnan., certitudinem ac firmitatem insinuat Apostolus *ad Hebr.* XI, cum ait : *Fides est substantia....* Nam per argumentum intellectus inducitur ad alicui firmiter adhærendum. Unde alia littera habet, *convictio*, quia scilicet per auctoritatem divinam intellectus credentis convincitur ad assentiendum his, quæ non videt, ut explicat D. Thomas in 2-2, quæst. 4, art. 1. Quod enim fide tenetur, propter fidei certitudinem existimatur impossibile aliter se habere, ut idem ait quæst. 1, art. 5 ad 4. Ergo propter fidei certitudinem impossibile est animæ existimari veritatem quam credit et quæ est vera vita supernaturalis aliter se habere. Ex fide nascuntur spes et charitas, quia ad sperandum et amandum necesse est cognoscere objectum spei et amoris, et per fidem cognoscimus res sperandas et non apparentes. Ergo per fidem in baptismo ex Christo nascimur filii Dei adoptivi et membra corporis Christi quod est Ecclesia.

Ergo forma, seu principium constitutivum principale, etc.

PROPOSITIO SECUNDA.

Principia constitutiva secundaria corporis Ecclesiæ sunt primo ordine obedientia pastoribus Eccle-

siæ, et imprimis Romano pontifici, et secundo participatio sacramentorum ejusdem Ecclesiæ.

Probatur I° pars de obedientia : 1° Scriptura (*Joan.* x, 16) : *Alias oves habeo quæ non sunt ex hoc ovili, et oportet me illas adducere, et fiet unum ovile et unus pastor.* Ad unitatem gregis et ad constitutionem ejusdem requiritur unitas pastoris. Et (*Luc.* x, 16) : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit me spernit...* Et (*Matth.* xviii, 17) : *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus*, id est, sit foris corporis Ecclesiæ. — 2° Hæc est etiam SS. Patrum et traditionis doctrina. — 3° Canonibus, c. 18 *Loquitur*, caus. 24, quæst. 1 dogmatica, *Extravag. comm.* lib. I, tit. 8, c. *Unam sanctam*.... « Igitur Ecclesiæ unius et unicæ, unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet et Christi vicarius Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipso Petro, *Pasce oves meas* (*Joan.* xxi, 17), *meas*, inquit, et generaliter, non singulariter has vel illas, per quod commisisse sibi intelligitur universas.... Porro subesse Romano pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis. »

Ergo subjectio pastoribus tum ex Scriptura, tum ex Patribus, tum ex sacris canonibus et fidei definitionibus pertinet ad constitutionem corporis Ecclesiæ.

Probatur II° pars de participatione sacramentorum. Ex Scriptura quæ ad vitam Christianam sacramenta docet necessaria. Eademque necessitas sacramentorum traditione et fidei doctrina docetur. Ergo quicunque ex baptismo non nascitur, pœnitentia non reviviscit, aliis sacramentis non vivificatur et crescit in Christo, non potest ad Ecclesiæ corpus pertinere, cum sacramenta sint, etsi spiritualia, tamen visibilia signa vitæ publicæ et externæ in Ecclesia.

At nec prædestinatio, nec sanctitas interna, cum sint invisibilia, corporis Ecclesiæ forma constitutiva esse possunt, uti cantarunt hæretici.

PROPOSITIO TERTIA.

Forma unica et absoluta animæ Ecclesiæ est gratia sanctificans, seu habitualis.

Hæc propositio demonstrationis opus non habet. Etenim gratia sanctificans est illa vita spiritualis et supernaturalis qua vivificantur omnes Christi fideles, omnes creaturæ rationabiles quæ ope Dei ad Deum qui est suprema beatitudo tendunt.

De cætero arbitraria non est illa appellatio animæ Ecclesiæ, quam gratiæ, prout exsistit in fidelibus ac est habitualis, tribuunt theologi et canonistæ ; sed est insinuata in Scripturis, frequentata a Patribus, et fundamentum habet in se : sic Origen. *Contra Cels.* l. VI : *Dicimus ex auctoritate sacræ Scripturæ corpori Christi, quod est Ecclesia Dei, pro anima esse Dei Filium* (prout scilicet habitat in cordibus fidelium, ac est gratia habitualis), *membra autem universi corporis esse quoscunque fideles.* Idem fusius docet August. in *Brevic. coll.* cap. 3. (*Inst. jur. can.* auctore R. de M. t. I, p. 116, 117.)

Jure autem divino exsistit medium externum, et quantum de se efficax, infundendæ gratiæ sanctificantis, seu procurandæ insertionis in animam Ecclesiæ, illudque iterum est baptismus. Quod abunde probatur Scriptura sacra, traditione, sanctis Patribus, canonibus, c. *Necessarium*, dist. 4, *De cons. et Ecclesiæ fidei doctrina.*

Jure adhuc divino sunt in Ecclesia media ulteriora (inter quæ præcipuam partem sibi vindicant cætera sacramenta) cooptationem in animam Ecclesiæ, seu gratiam sanctificantem semel adeptam conservandi et augendi, quinetiam recuperandi, ubi forte in aliquo membro defecerit. — Quod iisdem argumentis probatur. (*Vide*, ex quibus præcedentes propositiones transcripsimus, *Inst. jur. can. pub. et priv.* auct. R. de M. t. I.)

Corollarium I. — Ex supra demonstratis sequitur : 1° Omnes baptizati, velint nolint, ad Ecclesiæ corpus aliquo modo pertinere ; propterea pia mater Ecclesia in ipsos sive hæretici sint, sive schismatici, sive excommunicati misericordi severitate, ubi licet et prodest, sævit, ut illos ad se reducat, quod profecto non faceret, si sui non essent. *Quid enim mihi prodest de iis qui foris sunt judicare ?* (*I Cor.* v, 12.) Iidem *ordinibus* initiari possunt. Quin et Ecclesia, data justa causa, suam ipsis jurisdictionem tribuit ; possunt enim in extrema necessitate absolvere.... Ergo omnes baptizati aliquo modo, passivo saltem, et ratione characteris indelebilis baptismi sunt membra corporis Ecclesiæ. Hæretici, schismatici et excommunicati non sunt de corpore Ecclesiæ communione obedientiæ, nec sacramentorum,

nec etiam hæretici communione fidei, ideoque non sunt simpliciter appellandi membra Ecclesiæ. 2° Etiam et catechumeni sunt aliquo modo, vinculo fidei desiderioque baptismi, membra Ecclesiæ; sunt filii Ecclesiæ *in ventre concepti*, ut ait August., *nondum in lucem effusi*. Confirmatur sacris canonibus, can. *Non dubito*, dist. 4, *De consecr.*

Corollarium II. — Omnes et soli fideles baptizati, pastoribus Ecclesiæ subjecti et communione sacramentorum donati, quantumvis alias peccatores, sunt simpliciter et absolute membra corporis Ecclesiæ.

Corollarium III. — Omnes justi, sive adulti, sive non adulti, qui corporis Ecclesiæ membra sunt, ad ejus animam pariter pertinent.

Corollarium IV. — Excommunicati, schismatici, hæretici, Judæi, omnesque cujuscunque sortis infideles, qui ex bona fide et aliis debitis operibus justis justi sunt justitia supernaturali, pertinent ad animam Ecclesiæ.

Corollarium V. — Membra Ecclesiæ quoad corpus et animam simul sunt omnes et soli fideles baptizati et justi, legitimis pastoribus et imprimis Romano pontifici subjecti, et sacramentorum communione donati. (*Ex eodem auctore.*)

Corollarium VI. — Ex prædictis eruitur Ecclesiæ definitio quam post Bellarminum et Canisium vulgo adhibent moderni : *Ecclesia Christi est cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, et eorumdem sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum pastorum, ac præcipue unius Christi in terris vicarii Romani pontificis.*

PROPOSITIO QUARTA.

Universum Ecclesiæ corpus divina Christi institutione, in clericos et laicos, seu in hierarchiam et populum distribuitur. (*De fide*, Contra Lutherum.)

Clerici vocantur a voce κλῆρος quæ apud Græcos *hæreditatem*, vel *sortem* significat, c. *Cleros*, dist. 2. Unde ait Hieron. epist. 52 *Ad Nepot.* : « Ministri Dei propterea vocantur clerici vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est pars clericorum est. » — *Hierarchia* est vox composita ex Græcis vocabulis ἱερὸς *sacer* et ἀρχή, quod in compositione semper idem sonat ac *principatus*. Unde *hierarchia* idem etymologice sonat ac *sacer principatus*. Laici a voce Græca λαός, *populus*, plebs dicti sunt ; et *sæculares* seu negotiis sæcularibus vacantes.

Sensus igitur præsentis propositionis est, corpus Ecclesiæ jure divino in principes sacros qui imperant ac potestatem Christi vicarie exercent, et in populum qui obtemperat, esse distinctum.

Probatur I° Scriptura. (*Matth.* XXVIII, 18-20) : *Data est mihi omnis potestas... Euntes ergo*, etc. — (*Ephes.* IV, 11, 12) : *Et ipse dedit quosdam quidem apostolos... ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi...* — (*Act.* XX, 28) : *Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Et Petrus Epist. I, cap. V, v. 2 : *Pascite qui in vobis est gregem Dei*, etc.

Præterea ex Scriptura et fide Ecclesia est societas totalis et completa, independens, consequenter habens suum imperium proprium, est apostolica, id est super regimine, auctoritate apostolorum a Christo fundata. Ergo Christi institutione corpus Ecclesiæ universum distribuitur in sacros principes seu hierarchiam et populum.

Probatur II° canonibus. Cap. *Adhuc* distinct. 89, et Tridentinis definitionibus sess. 23, cap. 4, Patres docent eos qui dicunt omnes Christianos promiscue esse sacerdotes, aut omnes pari potestate spirituali præditos esse nihil aliud facere, quam hierarchiam ecclesiasticam confundere, ad quam episcopos pertinere definiunt, et presbyteris superiores esse. Hanc autem hierarchiam jure divino constare, can. 6, definiunt his verbis : *Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, anathema sit.* Demum can. 7, damnant eos, qui asserunt episcopos non esse presbyteris superiores.

Ergo de fide est corpus Ecclesiæ, divina institutione in clericos et laicos, seu in hierarchiam et populum distributum esse.

PROPOSITIO QUINTA.

Jure partim divino, partim ecclesiastico, duplicem inter ordinem prædictum hierarcharum et laicorum tertius interjectus est ordo, nempe *regularium*.

I. Ex jure canonico. Clement. *De excessibus prælat.* c. *Una.* « Una est regularium et sæcularium, exemptorum et non exemptorum universalis Ecclesia. »

II. Status ipse regularium imprimis a Christo institutus fuit ; deinde variæ religiones in specie sunt ab Ecclesia.

De his tribus ordinibus ex quibus coalescit corpus Ecclesiæ singulatim ad normam juris canonici disserere, objectum erit totius tractationis nostræ *De personis*.

CAPUT III.

De hierarchia generatim. — De ejusdem potestatibus et missione, et de jurisdictione.

Proœmium. — Ecclesia est societas divino-humana, totalis, completa et independens ab ipso Christo fundata et supernaturaliter regenerata. Hæc Ecclesia constat hierarchia seu potestate regenerationis et regiminis, et fidelibus seu subjectis ; et est de fide.

Hoc duobus præcedentibus capitibus demonstratum fuit. Quid sit hierarchia ?

I. Hierarchia idem sonat ac sacra potestas, seu sacer principatus. Hierarchia in Ecclesia Christi divinitus instituta in duplicem, *ordinis* scilicet et *jurisdictionis*, communiter distinguitur. Prima ad ministerium sacrum regenerationis supernaturalis *et sanctificationis*, altera ad regimen Ecclesiæ pertinet; regimen vero Ecclesiæ Christus dedit ad sanctificationem fidelium et *consummationem sanctorum* (*Ephes.* IV, 12), quod semper animadvertendum est ut vera regiminis ecclesiastici ratio habeatur.

II. Hanc duplicem potestatem ratione magis quam re distinctam nonnulli canonistæ, atque etiam theologi partiuntur ac dividunt in potestatem *ministerii*, quæ sacramenta resque sacras administrat; *magisterii*, quæ res fidei et morum docet atque definit; et *imperii*, quæ ad Ecclesiæ gubernationem spectant, conjunctamque auctoritatem habet condendarum legum, judicandi, pœnisque coercendi. Hæc divisio ad dilucidiorem constitutionis Ecclesiæ notionem ducit. Sed ad præcavendas difficultates ex inexacta notione *jurisdictionis* Ecclesiæ ortas, necessarium nobis videtur exquirere et summatim exponere veram et certam Ecclesiæ constitutionem, et postea diversas de *jurisdictione* opiniones.

III. Ante omnia vero neresse est ponere hierarchiam ex divinis *potestatibus* unicuique ejusdem gradui inhærentibus et *missione* etiam divina constitutam esse. Ex potestatibus et missione oritur id quod canonistæ et theologi *jurisdictionem* denominarunt. Hic terminus *jurisdictio*, a jure civili Romano mutuatus, nimis que stricte Ecclesiæ speciali et divinæ constitutioni applicatus, confusionem et absque fine discussiones inter theologos et canonistas sæpeque veræ constitutionis Ecclesiæ detrimento, introduxit.

Jurisdictio est relatio inter potestatem et subjectos ipsi submissos. In mere humanis guberniis ab hominibus stabilitur potestas, et ab ipsis missionem accipit, conformiter tamen juri naturali, juribusque variarum hominum societatum politicis. Creator etenim liberam diversis societatibus electionem potestatis regiminis formæ reliquit. Eo tamen modo quod potestas electa, jurisdictionem in subjectos jure naturali a Deo habeat. Ministri autem seu varii adjutores, quos ad suam exercendam auctoritatem sibi adjungit potestas, ab ipso et potestatem et jurisdictionem tenent. Ideoque quando tales adjutores a potestate superiori revocantur, ipsi potestatem et jurisdictionem, quæ idem reapse sunt, amittunt.

IV. In Ecclesia vero non est ita; regiminis etenim potestatis forma liberæ fidelium seu subjectorum, aut etiam totius societatis electioni permissa non fuit. Hæc forma a Christo immediate instituta ac integre determinata fuit ; ipse enim Christus omnes potestates unicuique hominum sacramento consecratorum inhærentes perpetuo generat. Propterea istæ potestates, inamissibiles sunt. Præter vero potestates, quas in ordinis sacramento dat Christus, ipse instituit missionem ad potestatum exercitium quoad loca, personas, res et casus regulandum, limitandum aut extendendum. Missio facit ut potestates explicari valeant, subjectosque assignat ; eosdem vero subjectos nisi personis potestatibus a Christo consecratis velconsecrandis assignare nequit. Missionis revocatio potestates non aufert, eorum tantum exercitium et explicationem suspendit. Missio igitur divinas potestates inter et subjectos relationem aperit, has vero potestates non dat. In Ecclesia igitur ex potestatibus et missione jurisdictio conflatur; itaque, quatenus sit potestas, est immediate divina ; quatenus vero sit missio plus minusve limitata et subjectorum assignatio, est mediate aut immediate divina jurisdictio. Non igitur omnino idem est ac in mere humanis societatibus. De ea ergo omnino a pari ratiocinari nequit. Hæc summa differentia sequentibus propositionibus demonstra-

bitur, omnesque aliter insolubiles discussiones absolvit.

PROPOSITIO PRIMA.

Est in Ecclesia hierarchia seu potestas regiminis ad regendam et gubernandam fidelium societatem, (Hæc assertio est de fide, inquit SUAREZ, *De leg.* lib. III, n. 1.)

Probatur I° Scriptura sacra : Matth. XVI, 19 : *Tibi dabo claves regni cœlorum ... quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis.* — Joan. XXI, 17 : *Pasce oves meas.* — Luc. X, 16 : *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit.* — Matth. XVIII, 17, 18 : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo; quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.* Hæc jam aperte innuunt apostolis et præcipue Petro datam esse potestatem regendi et gubernandi societatem fidelium. Sed invicte demonstratur ex isto textu Actuum apostolorum, XV, 28, 29 : *Visum est Spiritui sancto et nobis nihil ultra imponere vobis oneris quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine et suffocato.*

His verbis duo ediderunt apostoli præcepta juris ecclesiastici, seu duos canones : statuerunt nempe primo prohibitionem ab esu sanguinis et suffocati, secundo facultatem non servandi ullum aliud cæremoniale præceptum legis Mosaicæ.

Præterea, cap. XX Act., expresse dicit sanctus Paulus episcopos a Spiritu sancto positos fuisse ad regendam Ecclesiam Dei. Insuper in Epistola I ad Timotheum vers. 19, cap. V, legitur istud præceptum : *Adversus presbyteros accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* Et multos alios textus hanc thesim probantes prætermittimus.

II° Probatur etiam invicte unanimi traditione et perpetua Ecclesiæ praxi, quas hic longius et inutile foret citare.

III° Probatur expressis definitionibus *de fide;* satis sit pauca hic revocare.

Concilium Florentinum definit de papa, *ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. J. C. plenum potestatem traditam esse.* — Conc. Trident. sess. 14, c. 7 : *Merito pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare.* Item conc. Trident., sess. 7, can. 7 : *Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur nisi se sua sponte illis submittere voluerint, anathema sit.* Bulla *Auctorem fidei*, n. 4 : *Propositio affirmans* abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo illam ultra limites doctrinæ et morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde; tum etiam multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis : « quatenus indeterminatis illis verbis, *extendendo ad res exteriores*, notet velut abusum auctoritatis Ecclesiæ usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda, *hæretica.* — Qua parte insinuat Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media quæ pendent a persuasione : — quatenus intendat Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilium et suasiones, sed etiam jubendi per leges ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus pœnis coercendi atque cogendi, *inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.* »

Ergo de fide est esse in Ecclesia hierarchiam seu potestatem regiminis legislativam, judiciariam et coactivam a Deo collatam et acceptam cui necessario submittuntur omnes baptizati.

IV° Probatur *ratione theologica.* Ecclesia est societas a Christo in terris fundata; in Evangelio vocatur regnum Dei; est regnum Christi æternum, in quo omnes credentes debent in terris sanctificari et in cœlo glorificari. Societas illa ad salvandos omnes electos usque ad consummationem sæculi duratura, debet semper et omnibus diebus servare omnia quæcunque mandavit Christus apostolis. Atqui nulla societas subsistere potest sine legislatore et potestate jurisdictionem competentem habente; sed in societate divinitus fundata, a quo jurisdictio dimanare potest nisi a Deo? Aliter enim dicendum foret Christum instituisse societatem quæ non esset societas, regnum quod non esset regnum, cum deficeret ab omni auctoritate gubernatrice, legislativa et judiciali, etc. Aut, si talis societas sibi legisla-

tores constituere, suam gubernationem suis ducibus et principibus delegare potuit, jam prorsus non est divinitus fundata, nec a Christo ædificata, sed est mere humana suam a semetipsa constitutionem tenens sicut omnes aliæ respublicæ humanæ et eodem modo. Proindeque regnum Dei seu Ecclesia non exsistit, et Christus affirmando se Ecclesiam super fundamentum ab ipso positum ædificasse nos decepisset, et nulla esset salus, nulla redemptio. Ergo necesse est ut sit in Ecclesia potestas legislativa, judiciaria et coactiva divinitus instituta et transmissa.

PROPOSITIO SECUNDA.

Potestas legislativa seu regiminis Ecclesiæ non a principibus sæcularibus nec a communitate fidelium oritur, sed a Christo ipso tradita est certis Ecclesiæ pastoribus seu rectoribus, et est proinde immediate divina.

« Hæc propositio, non minus certa quam præcedens, iisdem nititur et demonstratur fundamentis. Textus nempe sacræ Scripturæ superius adducti sicut enuntiant exsistere in Ecclesia potestatem gubernandi, ita expresse affirmant hanc potestatem a Christo datam fuisse, et datam certis personis, quibus debeant reliqui obedire. Pariter eadem monumentorum moles quæ traditionem praximque Ecclesiæ testatur, non tantum potestatem aliquam legislativam in Ecclesia ostendit perpetuo admissam fuisse et ad praxim deductam, sed legislativam potestatem ex divina Christi institutione fluentem, et certis quibusdam rectoribus collatam, non autem principibus sæcularibus aut fidelium multitudini. Item supra allegatæ definitiones, non tantum alicujus potestatis legislativæ in Ecclesia dogma firmant, sed et illius potestatis divinam institutionem et certis pastoribus collationem. » (Bouix, tract. *De princ.* p. 103.)

Ratione theologica, eadem veritas confirmatur : cum Ecclesia sit societas divinitus fundata et constituta, nemo potest super illam jurisdictionem habere nisi a Deo acceperit. Atqui nequaquam dici potest Deum talem jurisdictionem principibus sæcularibus dedisse, cum isti principes a populis et legibus mere humanis constituantur; nec etiam fidelium multitudini; nam in tali hypothesi, multitudo ferre et abrogare leges posset, sibi ex sua potestate eligeret episcopos et sacerdotes, qui proinde forent lege humana sacerdotes et episcopi, et nulla divina potestas esset in Ecclesia; quæ sunt contra fidem. Ergo suam regiminis potestatem immediate a Deo tenet Ecclesia.

PROPOSITIO TERTIA.

Hierarchia divinitus instituta incessanter ab ipso Christo in sacramento generatur, ita ut nullus ad hierarchiam pertinere, nec ejusdem potestates possidere possit, nisi per ordinis sacramentum consecratus fuerit; proindeque omnes hierarchiæ et hierarcharum potestates a sacramento procedunt.

Probatur *per partes* : 1° Quod hierarchia divinitus instituta incessanter ab ipso Christo in sacramento generatur, ita ut nullus ad hierarchiam pertinere possit, nisi per ordinis sacramentum consecratus fuerit; etenim de fide est, 1°—« Ordinem, sive sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum; ac per sacram ordinationem dari Spiritum sanctum.... et imprimi characterem quo fit eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri non posse. » (Can. 3, 4 sess. 23, *Trident.*)—2° Item de fide est, « esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum; vel esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi. » (Can. 1.) — 3° Item de fide est, « præter sacerdotium esse in Ecclesia catholica alios ordines, et majores, et minores per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tenditur. » (Can. 2.)—4° Item de fide, « in Ecclesia catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat episcopis, presbyteris et ministris. » (Can. 6, sess. 23 *Trident.*) — *Quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quæ est castrorum acies ordinata, confundere.* (Can. 4, sess. 23, *Trident.*)

Ex his fidei dogmatibus patet hierarchiam constare episcopis, sacerdotibus et ministris, qui omnes per sacram ordinationem fiunt episcopi, sacerdotes et ministri, et segregantur a laicis; semelque charactere indelebili delibuti laici rursus fieri nequeunt. Hierarchia igitur per ordinis sacramentum perpetuo creatur, gignitur et conservatur.

Atqui Christus est causa principalis, principium et persona agens in sacramentis; ministerque humanus est tantum causa instrumentalis et visibilis. Etenim : 1° De fide

est « sacramenta novæ legis continere gratiam quam significant, et gratiam ipsam non ponentibus obicem conferre. » (Can. 6, sess. 7, *Trident.*)—2° Item de fide « per ipsa novæ legis sacramenta ex opere operato conferri gratiam. » (*Ibid.* can. 8.)—3° Item de fide, « in tribus sacramentis, baptismo scilicet, confirmatione et ordine, imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt. » (*Ibid.* can. 9.) — Ex quibus canonibus et canone 4 *De baptismo* ejusdem sess. 7, concluditur ab omnibus Catholicis quod *ad valorem sacramenti in ministro, non fides vel probitas, sed præter potestatem (et jurisdictionem in quibusdam) requiritur intentio.... saltem faciendi quod facit Ecclesia, vel quod Christus instituit..* Est communis ex Trident. sess. 7, can. 11 *De sacramentis.* Ratio prioris partis est, quia sacramenta operantur non ex dispositione ministri, sed virtute divina, secundum institutionem et meritum Christi. » (S. Liguori lib. VI, tract. I *De sacram.* n. 13, *ex opere operato.*) Nam, « qui sacramentum conficit aut administrat, gerit personam Christi; fit cum eo unum et totale agens, cum actio ejus sit indivisibiliter actio Christi; ac demum merita ejus et sanguinem dispensat. » Ferrar. verb. *Minister sacrament.* addit : *Romani theolog.* n. 59, et sanctus Augustinus in epist. 166, apud Gratian. *Decret. de consecrat.* dist. 2, c. 32 ait : « Si autem malus est (minister), operatur per illum Deus visibilem sacramenti formam; ipse autem donat invisibilem gratiam. » Idem sanctus Augustinus apud eumdem, *ibid.* dist. 4 : « Potestatem Dominici baptismi in nullum hominem a Domino transituram, sed ministerium plane transiturum; potestatem a Domino in neminem ministrorum, ministerium et in bonos et in malos : *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* (*I Cor.* III, 7.) Securum me facit magister meus, de quo Spiritus ejus dixit : *Hic est* (Christus) *qui baptizat.* » (*Joan.* I, 33.) Igitur Christus est causa principalis, principium et persona agens efficaciter in sacramentis, et minister est tantum causa instrumentalis et visibilis. Ergo Christus dat potestatem, imprimit characterem, donat gratiam in ordinis sacramento; generat igitur incessanter hierarchiam, quæ non exsistit nisi per sacramentum ordinis.

Probatur II°, nullum hierarchiæ potestates possidere posse, nisi per ordinis sacramentum consecratus fuerit.

1° *De potestate sacramentali et magisterii.* —De fide est 1° « Christianos omnes in verbo et omnibus *sacramentis* administrandis non habere potestatem. » (*Trident.* sess. 7, can. 10.) Solos igitur per ordinis sacramentum consecratos in *verbo* et sacramentis administrandis habere potestatem.

Atqui *in verbo administrando habere potestatem* nihil aliud est quam habere *potestatem magisterii*, quæ res fidei et morum docet atque definit; cum præcipuum et maximum verbi divini ministerium sit certe de doctrina fidei et morum definire. Ergo ex concilio Tridentino, can. 10, sess. 7, *De sacrament.*, potestas magisterii ab ordinis sacramento procedit, et in eodem sacramento confertur. Idem patet de potestate in *sacramentis administrandis* ex eodem canone 10. Et specialiter pro unoquoque sacramento; etenim ex Trident. sess. 22, cap. 1, et canone 2, de fide est, « illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem* (*Luc.* XXII, 19), Christum instituisse apostolos sacerdotes; et ordinasse ut ipsi, aliique sacerdotes, eorum in sacerdotio successores, offerrent corpus et sanguinem suum. » Et can. 1, sess. 23 *De ordinis sacramento*, de fide est esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum; vel esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi. »

Docet etiam sancta synodus « proprios hujus (extremæ unctionis) sacramenti ministros esse Ecclesiæ presbyteros, quo nomine, eo loco, non ætate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut episcopi, aut sacerdotes ab ipsis rite ordinati per impositionem manuum presbyteri. » (*Trident.* sess. 14, *De extrem. unct.* cap. 3.)

De fide est « sanctæ confirmationis ordinarium ministrum esse solum episcopum, sed non quemvis simplicem sacerdotem. » (*Trident.* sess. 7, *De confirm.* can. 3.)

De fide est « episcopos esse presbyteris superiores et habere potestatem confirmandi et ordinandi, eamque potestatem non illis esse cum presbyteris communem. » (Can. 7, sess. 23.) Item ex eodem canone 7, de fide est « eos, qui nec ab Ecclesia et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed

aliunde veniunt, legitimos non esse *verbi* et *sacramentorum* ministros. »

Ergo potestas verbi ministrandi, seu potestas magisterii et potestas sacramentorum administrandorum confertur immediate ab ipso Christo in sacramento unicuique hierarchiæ gradui, proindeque hæ potestates inamissibiles sunt.

2° *De potestate imperii;* idem etiam dici potest de regiminis potestate ; regiminis tamen potestas latius extenditur et includit tum imperii tum magisterii potestatem.

Atqui 1° de fide est, præter sacerdotium esse in Ecclesia catholica alios ordines, et majores, et minores. (Sess. 23, can. 2.) Ergo episcopatus est ordo major presbyteratu. 2° De fide est episcopos esse presbyteris superiores. (Sess. 23, can. 7.) *Quod si quis omnes Christianos promiscue novi Testamenti sacerdotes esse aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam ecclesiasticam hierarchiam, quæ est castrorum acies ordinata, confundere.... Proinde sacrosancta synodus declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere ; et positos, sicut idem Apostolus ait* (Act. xx), *a Spiritu sancto, regere Ecclesiam Dei : eosque presbyteris superiores esse ; ac sacramentum confirmationis conferre ; ministros Ecclesiæ ordinare ; atque alia pleraque peragere ipsos posse quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.* (Sess. 23, cap. 4.

Notandum est quod in sensu definitionis secundum mentem legatorum, concilii et sanctæ sedis, verbum *superiores* importat *auctoritatem.* Nam legati sanctæ sedis scripserunt Carolo Borromæo, in septimo canone *De episcopis,* « ne dicerentur simpliciter *majores,* sed, *superiores* presbyteris, quod auctoritatem importabat. » (*Vera concilii Tridentini historia,* scripta a P. Sforzia Pallavicino, lib. xix, cap. 13.)

Ex eadem historia, lib. xviii, cap. 13. Cum quidam episcopi vota per nationes emitti vellent, « Amulius postquam cum pontifice (Pio IV) disseruit, intrepide rescripsit.... in episcopis concilii tam enormem cæcitatem timendam non esse, ut vellent *auctoritati suæ* tantum detrimentum inferre, suoque suffragio tantum æstimationis subtrahere (scilicet ut nationum numerus capitum numero prævaleret).... non ex doctrina, sed ex *manuum impositione* reddi episcopos in sacrosanctis illis cœtibus legitimos judices; » id est legislatores, quod est certe summam imperii seu regiminis potestatem exercere.

Ibid. cap. 14. « Petrus Guerrerus, archiepiscopus Granatensis (Hispanus), dixit.... episcopos jure divino institutos fuisse, et... presbyteris esse majores. Suam sententiam ex eo confirmavit, quod episcopatus unicus esset, cujus partem cuncti episcopi obtinebant : pontificem Romanum et episcopos esse fratres, filios unius Patris, qui est Christus, et unius matris, quæ est Ecclesia : æque institutos a Christo fuisse secundos, ac primum. Romanum quidem pontificem tanquam caput institutum, sed solum tanquam causam benefacientem, non generantem, quemadmodum caput nostrum regit quidem et adjuvat membra reliqua, sed ea non generavit. Petrum apostolorum institutorem haud fuisse, sed Christum, adeoque episcopis, utpote successoribus apostolorum, impertitam esse potestatem non a Petri successoribus, sed a Christo. Attulit exemplum arboris, in qua multi quidem rami, sed unica solum inest virtus. Si sacramenta, hierarchia, ac primus hierarcha institutionem a Deo receperunt, sacramentorum etiam ministros, cæterosque hierarchas a Deo fuisse institutos. Hæc certissima esse, et ab hæreticis negata, adeoque digna quæ definiantur. »

Ex quibus sic argumentari licet : episcopi superiores sunt presbyteris, id est auctoritatem regiminis habent ex institutione divina ; non ex doctrina, sed ex *manuum impositione* redduntur in sacrosanctis conciliis legitimi judices fidei et morum et disciplinæ. Præterea ex cap. 4, sess. 23, positi sunt a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, quod est potestas regiminis ; presbyteris superiores sunt potestate imperii, non tantum potestate ordinis, siquidem sancta synodus addit : Ac *sacramentum confirmationis conferre : ministros Ecclesiæ ordinare ; atque alia pleraque peragere ipsos posse : quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent.* Unde patet concilium distinguere voluisse : 1° potestatem regiminis, 2° auctoritatis superioritatem, 3° ordinis potestatem. Ergo ex manuum impositione potestatem ordinis, potestatem magisterii, et potestatem imperii tenent episcopi. Ad præcipuum hierarchiæ gradum pertinent, pro-

indeque omnes hierarchiæ potestates per sacramentum, a Christo immediate accipiunt, cum hierarchia et omnes hierarchæ non segregantur a laicis et non fiunt nec episcopi, nec sacerdotes, nec ministri, nisi per sacramentum ordinis

Præterea directe « declarat sancta synodus falsas esse et a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines præter episcopos et sacerdotes, clavium ministerium perniciose extendunt; putantes verba illa Domini: *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt alligata et in cælo; et quæcunque solveritis super terram erunt soluta et in cælo* (*Matth.* XVI, 18); et: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt* (*Joan.* XX, 23); ad omnes Christi fideles indifferenter et promiscue, contra institutionem hujus sacramenti, ita fuisse dicta, ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publice quidem per correptionem, si correptus acquieverit; secreto vero per spontaneam confessionem cuicunque factam. Docet quoque etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere; eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. » (*Trident.* Sess. 14, cap. 6.) Et hæc sunt de fide per canones 9 et 10 ejusdem sess.

Ergo « clavium ministerium » et potestas remittendi et retinendi peccata, quæ sunt de potestate regiminis et quidem imperii, a sacramento in sacerdotibus et episcopis procedunt, cum ex sacrosancta synodo doctrina contraria sit *contra institutionem hujus sacramenti*; præterea sacerdotes functionem remittendi peccata exercent *per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam*; et denique hæc potestas est inamissibilis, cum permaneat etiam « in malis sacerdotibus. » Quod vero ista potestas sit potestas judicialis tam fori externi quam fori interni, seu potestas imperii, patet ex sacrosanctæ synodi distinctione per hæc verba: *Ut quivis potestatem habeat remittendi peccata, publice quidem...*: ecce jurisdictionem fori externi; *secreta vero per spontaneam confessionem...*: ecce jurisdictionem fori interni.

Igitur ex hac demonstratione concludendum est absolute omnes hierarchiæ potestates sive ordinis, sive magisterii, sive imperii a sacramento ordinis procedere, proindeque easdem potestates a Christo ipso immediate collatas esse.

Probatur ex brevi dogmatico *super solidi-tate*, 28 Novembris 1786, ibi postquam memoravit Pius VI: « Quod Petri successor, Hoc ipso quod in Petri locum succedit, assignatum sibi habeat jure divino Christi gregem universum, ut simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis, » ita subjungit: « Cæteris porro episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem, non divino, sed ecclesiastico jure, non Christi ore, sed hierarchica ordinatione assignari opus sit, ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eam valeat. » Hic distinguitur inter assignationem gregis et potestatem regiminis universalis in papa, ordinariam vero in episcopis, ita ut papa simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis; alius vero episcopus, simul cum episcopatu ordinariam regiminis potestatem accipiat.

Probari posset ex sacra Scriptura, traditione, canonibus antiquis, et ex canonistis et theologis multis; quæ omnia omittimus brevitatis causa.

Ergo omnes hierarchiæ et hierarcharum potestates sive ordinis, sive magisterii, sive imperii a sacramento procedunt, proindeque a Christo ipso immediate conferuntur.

Animadvertendum autem est nos tantum de potestatibus disseruisse in præsenti propositione, non vero de missione quæ parum aliter se habet. Ideoque verbo *potestas* usi sumus quia hanc locutionem consecravere sacrosancta synodus Tridentina et Brevia apostolica; eamque solam in Novo Testamento legimus. Propterea rejicimus, tanquam minus aptas, locutiones quibus usi sunt aliqui auctores ad exprimendum quid episcopi a Christo accipiunt aut acceperunt veluti *capacitas*, *aptitudo*, *destinatio*, etc., ad regendam et gubernandam Ecclesiam. Tales enim locutiones non videntur satis concordare cum doctrina a concilio Tridentino definita. Verbum autem *potestas* est ipsamet locutio Scripturæ, sacrosancta synodo, Brevibus pontificiis dogmaticis usitata, proindeque aptior et magis vera quam quævis alia.

PROPOSITIO QUARTA.

Hierarchia divina ordinatione instituta constat ex episcopis, presbyteris et ministris. (*De fide*, can. 6, sess. 23, *Trident.*)

I. Ex doctrina sacrosancti concilii Tridentini. 1° De fide est, « præter sacerdotium esse in Ecclesia Catholica alios ordines, et majores et minores. » 2° Certum est « episcopos qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, et positos, sicut Apostolus ait, *a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei* (*Act.* xx, 28); eosque presbyteris superiores esse : ac sacramentum confirmationis conferre; ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse : quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. » Doctrina igitur sacrosancti concilii Tridentini est episcopos a Spiritu sancto accipere potestatem regiminis eosque jure divino superiores esse presbyteris, tam ordinis quam regiminis potestate.

II. Ex canonistis. « Concludi (debet) episcopatum esse sacerdotium perfectum, quo sacerdos alios sacerdotes generare et ordinare potest. Et ita episcopus, ut ait Vasquez, cum sacerdote comparatur, sicut vir adultæ ætatis, qui alios homines potest gignere, cum juvene qui non potest : nam episcopus generare potest sacerdotes per ordinationem; sacerdos autem non potest. » (Fagnan. in II part., lib. I *Decret. de ordin. ab episc.* c. *Requisivit*, n. 28.)

Cum vero exstiterit dissensio theologos inter et canonistas, an episcopatus sit vere sacramentum et ordo characterem imprimens, Fagnanus (in eodem cap. *Requisivit*, n. 33 ad 71) probat episcopatum esse ordinem et sacramentum characterem imprimens, multis canonibus, etc., et concilio Trident. sess. 23, c. 4. « Præsertim vero in can. 3 ejusdem sess. S. synodus diffinit sacram ordinationem vere et proprie esse sacramentum a Christo Domino institutum et pro sacra ordinatione intelligenda est ordinatio illa de qua prius mentionem fecerat in dict. cap. 4, videlicet episcoporum, sacerdotum, et cæterorum ordinum : « Et probatur aperte auctoritate Anacleti epist. 3, cap. 1, ubi ait (sacerdotum ordo bipartitus est, et sicut Dominus illum instituit a nullo debet perturbari). Deinde explicans de quo ordine locutus fuerit, dicit ordinem episcoporum sub apostolis traditum fuisse et institutum; sacerdotum autem sub septuaginta duobus discipulis, et in fine (amplius, inquit, quam isti duo ordines sacerdotum, nec nobis a Deo collati sunt, neque apostoli docuerunt.) » Perturbantur ergo, inquit Vasquez, disp. 240. cap. 3, n. 29, hi duo ordines non tantum ab hæreticis, sed etiam a Catholicis, qui putant jure divino inter se non differre, cum Anacletus dicat bipartitum esse ordinem sacerdotum, sicut Dominus constituit, et sicut apostoli a Domino edocti nobis tradiderunt. Neque obstat quod cap. 3, dividat ordinem episcoporum in primates et patriarchas. Si quidem ait, episcoporum ordo unus est, licet sint primates illi, etc. Quasi dicat, jure divino unus est ordo episcoporum, sed jure ecclesiastico in plures divisus. Quæ sententia, ut ait Vasquez, non solum verissima est, sed etiam secundum fidem catholicam hoc tempore amplectenda, ita ut sine nota hæresis negari non possit. Ita enim expresse definit Tridentina synodus sess. 23, cap. 4, et can. 6 et 7. Nam postquam in dicto cap. 3, Patres in universum definierunt ordinem esse vere et proprie sacramentum unum ex septem, deinde in dicto cap. 4 docent eos qui dicunt omnes Christianos promiscue esse sacerdotes, aut omnes pari potestate spirituali præditos esse nihil aliud facere, quam hierarchiam ecclesiasticam confundere, ad quam episcopos præcipue pertinere definiunt, et presbyteris superiores esse. Hanc autem hierarchiam jure divino constare can. 6, definiunt... Demum, can. 7, damnant eos, qui asserunt episcopos non esse presbyteris superiores. » Quam definitionem sacrarum Litterarum testimoniis, et Patrum traditionibus consentaneam esse fuse ostendit Vasquez, dicta disput. 240, cap. 2, n. 27, circa finem. Idem Vasquez, tom. III, disput. 240, c. 3, n. 26, affirmat a concilio Tridentino, sess. 23, c. 3, et c. 6 et 7, definitum fuisse episcopatum jure divino institutum fuisse supra sacerdotium; cum tamen multi ex Catholicis sensissent hoc discrimen inter episcopos et sacerdotes non jure divino, sed ecclesiastico constitutum esse; idcirco enim, ut ipse ait sub. num. 27, Patres sententiam Catholicorum damnarunt, quia in hac re Catholici ex parte cum hæreticis communem sententiam habuerunt. (Fagnan. in I part. decret. 1, *De ætate et qualit.* c. *Eam te*, n. 76.)

« Quoniam apostoli in quorum locum

episcopi successerunt, c. *in novo*, dist. 21, fuerunt a Christo instituti *gradu*, *potestate* et *ordine* majores et superiores discipulis, in quorum locum successerunt presbyteri... Et conc. Trident. sess. 23, in cap. 4, juncto can. 6, declarat præter cæteros ecclesiasticos gradus episcoporum, qui in apostolorum locum successerunt... Et can. 7... subjicit anathemati contrarium dicentes. Quamobrem hodie hæreticum esse affirmare non episcopos esse presbyteris superiores ex institutione divina tenet Vasquez in III part., etc., supra. Apud Fagnan, in I part. decret. *De consuet.* c. *Quanto*.

« Item episcopus majorem habet potestatem super corpus Christi mysticum, licet non super corpus Christi verum, ut docet S. Thomas, in part. III, quæst. 83, art. 1 ad 4; et in IV, *Sent.* dist. 24, quæst. 3, art. 2, quæst. 2.

« Regimen Ecclesiæ, quod divino jure episcopis concreditum est, aut nihil, aut certe parum esset, si episcopi judicandi, puniendique potestate carerent. » (Cardinalis Soglia, *Inst. jur. publ. eccles.* lib. II, cap. 2, § 53.)

« Ergo de fide est, 1° episcopatum esse primum et præcipuum gradum hierarchiæ, et episcopos presbyteris superiores esse potestate ordinis, magisterii et imperii. 2° Item de fide est presbyteratum esse secundum jure divino gradum hierarchiæ, et presbyteros functionum episcopalium potestatem nullam habere.

« Item de fide est ministros esse tertium gradum hierarchiæ et presbyteris sicut episcopis inferiores esse; præterea certum est diversos esse ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt; et quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent, et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolyti, exorcistæ, lectoris et ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores ordines a Patribus et sacris conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus. » (*Trident.* sess. 23, cap. 2.)

PROPOSITIO QUINTA.

Episcopi, presbyteri et ministri omnes suas potestates immediate a Deo per ordinis sacramentum accipiunt.

Hujus propositionis veritas a duabus præcedentibus eruitur. Etenim in tertia propositione probavimus omnes hierarchiæ potestates ab ordinis sacramento procedere; et in quarta propositione demonstravimus hierarchiam jure divino constare ex episcopis, presbyteris et ministris; atqui nullus ad hierarchiam pertinere potest nisi per sacramentum in quo dantur potestates. Ergo omnes hierarchæ omnes suas potestates immediate a Deo per sacramentum accipiunt.

PROPOSITIO SEXTA.

Nec vero episcopi, nec sacerdotes, nec ministri omnes suas potestates absque missione etiam mediate vel immediate divina exercere aut explicare possunt et valent. (Ad fidem pertinet.)

Probatur 1° concilio Tridentino et Brevi dogmatico Pii VI.

1° De fide est ex Trident., can. 7, sess. 23, « eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite *ordinati*, nec *missi* sunt, sed aliunde veniunt, legitimos non esse verbi et sacramentorum ministros. » Igitur ut quis possit esse legitimus verbi et sacramentorum minister, seu ut ad hierarchiam divina ordinatione institutam legitime pertineat, necesse est ut sit *ordinatus* et *missus*. Ergo missio sicut ordinatio ab ipso Christo instituta, fuit et est proinde divina in sua origine.

2° In Brevi dogmatico *Super soliditate*, 28 novembris 1786, postquam memoravit Pius VI : « Quod Petri successor, hoc ipso quod in Petri loco succedit, *assignatum* sibi habeat jure divino Christi gregem universum, ut simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis, » ita subjungit : « Cæteris porro episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem, non divino, sed ecclesiastico jure, non Christi ore, sed hierarchica ordinatione *assignari* opus sit, ut ordinariam regiminis potestatem explicare in eam valeat. Cujus assignationis *summam auctoritatem* quisquis Romano pontifici abjudicare volet, eum necesse est in legitimam toto in orbe episcoporum successionem invadere, qui Ecclesias apostolica auctoritate de integro fundatas, aut ab aliis divulsas, aut invicem unitas regunt, ad easque regendas

a Romano pontifice *missionem* acceperunt. »

Hic distinguitur : 1°, in successore Petri, potestas regiminis quam simul cum episcopatu accipit, et assignationem gregis universi, quam jure divino habet; 2° in cæteris episcopis distinguitur ordinaria regiminis potestas, et assignatio peculiaris gregis et missio quam a Romano pontifice acceperunt.

Probatur II° Scriptura, scilicet distinctionem potestatum divinarum et missionis.

1° Christus ipse est *Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* (*Psal.* cix, 4.) — Et dedit illi Dominus *gentes hæreditatem suam, et possessionem suam terminos terræ, ut regeret eas.* (*Psal.* ii, 8, 9.) — *Data est* illi *omnis potestas in cœlo et in terra.* (*Matth.* xxviii, 18.) Attamen Christus suum æternum sacerdotium suamque regiam potestatem, quam ex æternitate habuit, non explicavit et exercuit in terra nisi quando per incarnationem missus fuit a Patre. Ideoque Christus ipse declarat suam missionem : *Quem Pater sanctificavit et misit in mundum.* (*Joan.* x, 36.) — *Qui credit in me non credit in me, sed in eum qui misit me.... quia ego ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me, Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam et quid loquar.* (*Joan.* xii, 44, 49.) Igitur, præter sacerdotium et potestatem omnem ex æterno, Christus in tempore accepit missionem a Patre, et per missionem Pater loquitur in Christo, et fidem habemus in Patrem qui misit eum.

2° In apostolis, qui sic vocantur a missione divina, eamdem distinctionem nobis aperit ipse Christus; sacerdotium et potestates dat primo, deinde missionem. Etenim in Matth. c. iv, Christus primo vocat discipulos, et cap. ix vocat Matthæum; cap. x, vers. 1 : *Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.* Idem legimus in Marc. iii, 13, et Luc. vi, 13 : *Vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit.* Luc. ix, 1 : *Convocatis autem duodecim apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent.* Ecce quasi ordines minores horumque potestas discipulis a Christo collata. Et immediate sequitur prima apostolorum collegii constitutio, in Matth. x, 2 : *Duodecim autem apostolorum nomina sunt hæc : Primus* (seu princeps) *Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater ejus*, etc. Et Marc. iii, 16 : *Et imposuit Simoni nomen Petrus*.. Joan. i, vocatio discipulorum, et ibid. vers. 42 : *Tu es Simon* filius *Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Tandem Christus dat primam missionem in Judæam, Matth. x, 5-8 : *Hos duodecim misit Jesus, præcipiens eis dicens :.... Euntes autem prædicate, dicentes : Quia appropinquavit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones ejicite; gratis accepistis, gratis date.* — Luc. ix, 2 : *Et misit illos prædicare regnum Dei, et sanare infirmos.* Mittit eos explicare *potestatem*, quam jam gratis acceperant. — Luc. x, 1 : *Post hæc autem designavit Dominus et alios septuaginta duos; et misit illos binos ante faciem suam..*, curare infirmos et prædicare regnum Dei. Ibid. 19 : *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones, et super omnem virtutem inimici.* Hic eamdem, quam prius apostolis dederat, potestatem septuaginta discipulis, quorum presbyteri successores sunt, dat Christus.

Interim tamen docet apostolos et discipulos; postea, Matth. xvi, instituit Petrum caput et fundamentum Ecclesiæ, illique soli dat supremam clavium potestatem; sicque Petro dat monarchicam potestatem. Deinde, Matth. xviii, dat omnibus apostolis cum Petro, eorum principe, potestatem omnia alligandi et solvendi; sic jam omnibus apostolis regiminis potestate collata ab ipso Christo, ipse Dominus, Matth. xxvi, Eucharistiam instituit et apostolos consecrat sacerdotes; et Luc. xxii, 14 : *Discubuit et duodecim* apostoli cum eo. Ibid. vers. 19 : *Et accepto pane.... dicens : Hoc facite in meam commemorationem;* in quibus verbis sacerdotii ordinationem semper intellexit traditio catholica, et est de fide ex can. 2, sess. 22 *Trid.*

In eodem vero Lucæ capite regni sui formam et constitutionem perficit. Ibid. vers. 24-30 : *Facta est autem et contentio inter eos* (apostolos), *quis eorum videretur esse major... Et ego,* ait Christus, *dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum; ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.* Apostoli igitur sunt reges, ipsis disposuit Christus sicut disposuit ei Pater suum regnum, ad mensam regiam Christi sedent in regno ejus; sedent super thronos judicantes

Israel, id est Ecclesiam, populum credentem.

Immediate vero et statim super apostolos, reges et judices supremum judicem eorum sententias confirmantem ponit Christus; eodem enim capite Luc. XXII, ait, vers. 31, 32: *Simon, Simon, ecce Satanas.... Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Igitur Simon Petrus est doctor indeficiens fidei et confirmans fratres.

Attamen in ipsa cœna, in qua apostolos sacerdotes ordinavit, Christus missionis auctoritatem divinam annuntiat et stabilit. Joan. XIII, 20: *Qui accipit si quem misero, me accipit; qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.* Et post cœnam promittit Spiritum sanctum, Joan. XIV, 26: *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* Et Luc. XXIV, 45-49: *Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas... Vos autem testes estis horum. Et ego mitto promissum Patris mei in vos.*— Et Joan. cap. XVII, 18-23, rursus missionis divinam auctoritatem exponit Dominus: *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum... Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.... Ego in eis, et tu in me; ut sint consummati in unum, et cognoscat mundus quia tu me misisti.* Igitur sicut Pater est in Christo, ita Christus est in apostolis ab ipso missis et in eis qui credituri sunt per verbum eorum, ut omnes *sint consummati in unum*, id est in unam Ecclesiam, et sic cognoscat mundus divinam Christi missionem, quæ est auctoritas Patris a Christo ipso data collegio apostolorum et eorum successoribus in unum consummatis.

Tandem Christus dat missionem apostolis, Joan. XX, 21-25: *Pax vobis, ait: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit in eos, et dixit: Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Omnibus apostolis dat missionem sicut Pater ipsimet dedit; omnibus dat Spiritum sanctum et potestatem remittendi et retinendi peccata. Et Matth. XXVIII, 18-19: *Et accedens Jesus locutus est eis* (undecim), *dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes.... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.* Hic Christus, cui data est omnis potestas in cœlo et in terra, hujus potestatis vi et virtute dat omnibus cum Petro apostolis docendi et baptizandi potestatem, et missionem in omnes gentes; non autem solis apostolis, sed etiam eorum successoribus, siquidem promittit esse cum eis omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.

Ergo ex Scriptura Christus dedit primo apostolis in ordinatione omnes ordinis, magisterii et imperii potestates, et postea misit eos has potestates explicare in omnes gentes; præterea dedit has potestates et immediatam missionem in omnes gentes collegio apostolorum et eorum successoribus usque ad consummationem sæculi; et sic institutus fuit episcopatus, seu episcoporum corpus vel collegium, cum omnibus potestatibus et missione immediate divina usque ad consummationem sæculi. Istud enim episcoporum corpus in apostolis institutum et missum, non moritur, semper in Ecclesia permanet, et cum eo est Christus omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. At non idem dicendum est de singulis episcopis ut infra declarabimus.

Attamen super collegium apostolorum et eorum successorum episcoporum, sic institutum et ad omnes gentes missum, Christus elevat et imponit Petrum; jam illum fecerat principem et primum apostolorum, caput et fundamentum Ecclesiæ, doctorem et confirmatorem fratrum in fide, in Joan. tandem XXI et ultimo capite instituit eumdem Petrum pastorem supremum unicum unius ovilis, id est monarcham unius Ecclesiæ; dat ei potestatem et missionem pascendi agnos et oves, id est regendi, gubernandi et apostolos et episcopos et fideles. Ibid. vers. 15 seq.: *Dicit Simoni Petro Jesus... : Pasce agnos meos... pasce oves meas.* Proindeque Petro ejusdemque successoribus assignavit Christus universum gregem potestatemque supremam et missionem immediate divinam semel et pro semper usque ad consummationem sæculi in universam Ecclesiam et totum orbem dedit.

Probatur III^a^ ex canonistis. Hanc vero distinctionem ab ipso Christo positam potestates divinas omnes inter et missionem, et a concilio Tridentino traditam, agnoscunt etiam canonistæ, etsi cum aliqua confusione verborum *potestatis, jurisdictionis et missio-*

nis. Devoti, *Instit. canon.* tom. I, tit. II *De hierarch. ord.*, § 1, in nota. « Duplex est spiritualis potestas, inquit D. Thomas, 2-2, quæst. 39, art. 3, eamdem potestatis divisionem etiam non obscure tradit synodus Tridentina, sess. 23, can. 7, ubi in episcopis utrumque requiritur, scilicet legitima *ordinatio*, et legitima *missio*, quarum altera confert ordinis, altera jurisdictionis potestatem. » Melius diceretur, quarum altera confert potestatem, altera potestatis explicationem et exercitium. « Quid quod etiam extra catholicam Ecclesiam hæretici et schismatici, qui rite ordinati sint, ordinis potestatem habere possunt, jurisdictionis autem quia deest legitima missio, omnino non possunt? » — § 2. « Ex quo intelligitur, quid sibi velit vis et ratio utriusque potestatis et hierarchiæ. Scilicet potestas et hierarchia jurisdictionis omnis est posita in regendis gubernandisque subditis; ac jurisdictio, quæ tota in hoc regimine ac gubernio consistit, haberi non potest, nisi subditi sint, qui reguntur et gubernantur. Verum hierarchia et potestas ordinis pertinent ad sacrum ministerium, atque ad spiritualia bona Christiano populo tribuenda, maxime sacramenta, quæ sunt hujus vincula societatis, eaque constat episcopis, presbyteris et ministris. »

Postea idem Devoti exponit quid intelligat de differentia inter potestatem ordinis et potestatem jurisdictionis seu regiminis. Et de ejus expositione sicut et de sententia plerumque auctorum concludi deberet potestatem regiminis aliquid esse independens ab ordinatione sacramentali et acceptum extra sacramentum; quæ tamen sententia vix atque vix sustineri potest, absque fidei dogmatum contradictione. Nam potestas ordinis in pluribus sacramentis ad jurisdictionem pertinet, et potestas doctrinalis seu magisterii simul ab ordinatione et jurisdictione procedit. Unde non realis, sed tantum rationalis differentia exsistit potestatem ordinis inter et regiminis. Magis ad verum accedit idem Devoti, quando ait, § 6 : « Itaque ut episcopus et ordinis habeat et jurisdictionis potestatem, utrumque habere debet, scilicet et ordinationem et legitimam missionem, per quam ei certi assignentur subditi, in quos imperium exerceat. Quæ subditorum assignatio non divini, sed humani juris est fierique debet ab eo, cui subsunt episcopi, et cujus potestas fertur in orbem universum. »

Alias citationes, brevitatis causa, omittendo, concludimus ex fidei definitionibus, sacra Scriptura et canonistarum sententiis, duo esse distinguenda, scilicet potestatem sive ministerii seu sacramentalem, sive magisterii seu doctrinalem, sive imperii vel regiminis seu gubernalem, et missionem. Omnis hierarchica potestas ab ordinis sacramento procedit, et proinde immediate a Deo confertur legitime ordinatis. Missio de se et originaliter divina est; Christus eam accepit a Patre, eamdemque dedit collegio apostolorum et in eo collegio episcoporum corpori in omnes gentes; præterea eamdem missionem Petro et ejusdem successoribus in universam Ecclesiam tum in omnes Christi fideles, et in totum orbem contulit Christus. Unde de fide est esse in Ecclesia catholica hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ a Christo ipso tenet omnes suas potestates et missionem; quæ potestates et missio diversimode supremo monarchæ divinitus instituto subjiciuntur uti nobis est exponendum.

CAPUT IV.

De hierarchiæ partibus quoad potestates, missionem et jurisdictionem.

§ I. — De monarcha et membris hierarchiæ in corpore, seu collegialiter, consideratis.

Proœmium. — Divinitus collatæ potestates hierarchicos gradus constituunt, missio autem harum hierarchicarum potestatum explicationem et exercitium regulat.

Hic redit potestatum distinctio : I° In ordinis seu sacramentalibus et mere ministerii potestatibus. — II° In regiminis seu magisterii et imperii potestatibus, quas sub jurisdictionis potestatis nomine comprehendunt alii. — Vox autem *jurisdictionis* in eo supra determinato sensu intelligi debet.

I. Sacramentales potestates duplicis sunt generis : 1° simplicis ministerii potestates; et 2° ministerii et regiminis potestates, quæ etiam ad validam explicationem missionem exigunt, ita ut minister sacramenti non sit vere minister nisi per immediate divinas ipsimet proprias potestates et per missionem; adeo ut, si duarum alterutra desit, non sit jam a Christo institutus minister in hierarchia et Ecclesia.

1° *Simplicis ministerii potestates* semper valide exercentur aut explicantur dum-

modo ei qui easdem exercet ordini ordinariæ et propriæ sint; non vero semper licite exercentur. Exempli gratia, baptizandi potestas valide etsi non semper licite ab omnibus hominibus exercetur; a fortiori valide exercetur ab omnibus hierarchiæ ministris. Item Eucharistiam consecrare et administrare, extremamque unctionem conferre semper valide possunt omnes sacerdotes. Item cum sacerdotii plenitudinem habeant, omnia præter pœnitentiam et matrimonium, sacramenta absque speciali missione valide conferre possunt episcopi. Hujus validitatis ratio, in eo est quod Christus ipse directe agit in sacramentis, episcopi autem et sacerdotes tantum ministri seu instrumenta consecrata sunt.

2° *In sacramentalibus ministerii et regiminis potestatibus* ad validitatem requiritur missio. Nam, etsi in requirentibus missionem sacramentis pariter directe agat Christus, eadem tamen sacramenta potestati regiminis seu clavium ipse subjecit; propterea ubi abest missio, minister etiam deest, ideoque non conficitur sacramentum. Itaque absque speciali missione confirmationis sacramentum valide administrare nequit simplex sacerdos. (*Conc. Trident.* sess. 7, c. 3.) Neque episcopus, nec etiam sacerdos sine missione in pœnitentiæ sacramento valide absolvere ordinarie possunt. Dixi *ordinarie* quoad sacramentalem absolutionem, quia in necessitatis casu Ecclesia omnibus sacerdotibus jurisdictionem supplet seu missionem dat. Item nec sacerdotes, nec episcopi possunt absque missione esse testes matrimonii sacramentales ex lege Tridentina, et quia hujus sacramenti non sunt ministri, sed tantum testes sacramentaliter requisiti.

Ordinis sacramentum a simplice sacerdote valide conferri nequit. Nec ipse papa tali sacerdoti missionem ad hoc sacramentum dare potest, quia deest divina potestas, sine qua nulla foret missio, quæ dari nequit nisi ad explicandam exsistentem potestatem, cum missio et potestas ex eadem divina institutione sint. Episcopi autem, quia plenitudinem sacerdotalis potestatis possident, ordinis sacramentum etiam absque missione valide quamvis non licite conferre possunt.

Ex his dogmaticis regulis facile et manifeste intelligitur inter potestatem et missionem vera distinctio. Ex iisdem etiam dilucide demonstratur quid per jurisdictionem in Ecclesia intelligendum sit. Exinde etiam sequitur distinctionem divinarum hierarchiæ potestatum in ordinis et jurisdictionis potestates, esse tantum rationis, non vero perfecte exactam et veram; cum pleræque ordinis potestates missioni reipsa subjiciantur, eoque ipso jurisdictionis potestates sint. Easdem conditiones in regiminis sive imperii sive magisterii potestatibus rursus reperturi sumus.

II. Regiminis potestates, sive magisterii sive imperii a sacramento ordinis procedunt; de fide enim est easdem potestates ad solam hierarchiam pertinere; de fide quoque est nullum esse hierarchiæ membrum nisi per sacramentum. Ut autem hæ potestates valide exerceri aut explicari possint, semper exigitur missio. Ex his duobus, videlicet immediate divinis potestatibus et missione constat jurisdictio, quæ relationem, potestatem inter et ipsi a missione subjectos importat. Ita ut jurisdictio sit partim immediate divina, quatenus est potestas, et partim mediate divina, quatenus est missio in omnibus hierarchis, præter monarcham seu papam, in quo potestas et missio, consequenterque jurisdictio, immediate divinæ sunt, ipsique veniunt per sacramentum junctis divinis primatus institutione et perpetua missione immediate divina, cujus virtute semel canonice electus potest universam Ecclesiam regere.

Attamen hic iterum distinguendum est inter 1° potestatem magisterii, quæ res fidei et morum docet atque definit, et 2° potestatem imperii, quæ ad Ecclesiæ gubernationem spectat, conjunctamque auctoritatem habet condendarum legum, judicandi, pœnisque coercendi.

1° *Potestas magisterii* est etiam in quodam sensu vera ministerii potestas, analogice sacramentali potestati similis, in quantum cum auctoritate docet atque definit. Ipsa enim est infallibilitas divina quæ per Ecclesiæ organum docet atque definit, quemadmodum ipse Christus est qui per ministrum in sacramentis agit. Hujusmodi magisterii definitiones irrevocabiles et immutabiles sunt, sicut indelebiles sunt impressi a quibusdam sacramentis characteres; veritates definiendæ in verbo divino revelationis aliquo modo ut gratiæ in sacramentis, continentur.

Potestas magisterii characterem episcopalem et missionem exigit primo in Papa,

non quidem ut eligatur, sed episcopus necessario fieri debet, missionemque a Deo immediate accipit; secundo loco, in cæteris episcopis, qui soli sunt *ex manuum impositione* fidei judices, solique de jure divino vocem decisivam in conciliis habent. Papa concilium œcumenicum cum solis presbyteris facere nequiret. Magisterii etenim potestas, quatenus ad fidei morumque definitiones attinet, simplicibus presbyteris nequaquam pertinet. Cardinales tamen non episcopi, abbates, et ordinum regularium superiores generales, privilegio et consuetudine cum suffragio decisivo, non vero de jure divino, ad œcumenica concilia vocantur. Quamvis vero non convocarentur, concilia nihilominus œcumenica forent; dum e contra si non adessent episcopi, concilium non esset œcumenicum. Episcopi etiam titulares et sine diœcesi in proprio nomine judices sunt in conciliis; presbyteri vero cardinales, abbates aut ordinum generales, non sunt judices nisi per delegationem, privilegium quod a Papa, conciliis et consuetudine tenent.

Igitur de fide et moribus judicandi propria potestas characteri episcopali inhærens est, et a sacramento procedit; nam ut ait Amulius postquam cum pontifice Pio IV disseruit, scribens Tridentinæ synodo : «Non ex doctrina sed ex *manuum impositione* reddi episcopos in sacrosanctis illis cœtibus legitimos judices.» Quemadmodum autem potestas ordinaria confirmationis sacramentum administrandi, quamvis characteri episcopali inhærens, extraordinarie delegari simplicibus presbyteris possit, sic etiam fidei morumque judicis ordinaria potestas, etsi characteri episcopali inhærens, presbyteris cardinalibus, abbatibus et ordinum generalibus per privilegium extraordinarie delegari potest. Sed præter fidei morumque judicis potestatem requiritur missio.

Magisterii potestas cum plenitudine explicatur in papa per immediate divinam missionem, quæ eumdem facit ministrum infallibilitatis ipsius Dei, fidei morumque veritates per suum visibile organum docentis atque definientis, Cum fidei veritates sint ipsa divina veritas, cumque morum veritates sint ipsa lex æterna seu naturalis et lex positiva divina, utræque sunt immutabiles, ideoque papa easdem interpretando et definiendo est tantum minister et organum divinæ infallibilitatis. Hujusmodi ministerium ita proprie et exclusive ad primatum pertinet, ut illud non magis quam primatum delegare possit papa.

Ad magisterii potestatem universalis disciplina pertinet; ipsa juxta Ecclesiæ ipsiusque membrorum salutis necessitates majoremque utilitatem variare potest; ut autem ipsæmet mutationes semper fidei, moribus, fideliumque saluti conformes sint, divinam infallibilitatem semper ducem habet monarchæ auctoritas.

Magisterii eadem potestas in episcopali corpore collegii apostolici successore, cum eadem plenitudine explicatur per immediate divinam ab ipso Christo episcoporum corpori in apostolico collegio datam, pro omnibus diebus usque ad consummationem sæculi. Per suum vero caput, episcoporum corpus judicat de opportunitate et utilitate suam potestatem et missionem exercendi. Promissiones etenim factæ sunt, potestas et missio datæ fuerunt toti apostolico collegio, Petrum ut caput, principem seu monarcham necessario habenti, non vero cæteris ab ipso Petro separatis apostolis. Ita ut episcopos in una, papam autem in altera parte supponere, nihil aliud sit quam apostolatus et episcopatus divinam institutionem destruere. Itaque in istiusmodi suppositione nec amplius sunt promissiones, nec missio, quæ soli corpori cum capite unito, pertinent, quamvis magisterii potestas episcopali characteri inhærens maneat, nequit tamen deficiente missione exerceri. Episcoporum autem papæ unitorum corpus certitudinem promissionum et missionis, ex quibus est infallibilitatis divinæ minister, habet. Non sunt tamen duæ infallibilitates neque duæ legislativæ ac judiciariæ potestates; nam ex institutione divina separari a papa nequeunt episcopi. Una autem eademque est Dei infallibilitas quæ nunc per solum papam, nunc per episcoporum corpus docet et definit; una est eademque divina legislatoris potestas in uno episcopatu residens, quæ juxta majorem utilitatem Ecclesiæ necessitatem, et possibilitatem aut per solum papam aut per episcoporum corpus, explicatur. Nulla dissensio, nullum dissidium inter divinam infallibilitatem aut potestatem per papam sese explicantem, et eamdem infallibilitatem aut potestatem per episcoporum corpus sese exercentem inveniri unquam potest, cum eadem sit infallibili-

tas divina, eademque divina potestas, quæ per unam aut alteram divinam institutionem exercetur et explicatur. Episcopi a papa separati ab ipsoque dissentientes, jam Christi institutio non essent, nec consequenter ipsius organum ut corpus collective sumptum, tuncque solus papa ex singularibus Petro promissis divinæ infallibilitatis organum atque minister maneret. In omnibus plus minusve subtilibus distinctionibus quas ut episcoporum corpus a papa separatum considerare possint jactitant tam Gallicani quam eorum ultra adversarii, Christi institutionem obliviscuntur, eamque præter ratiocinantur; proptereaque nec sese intelligere nec concludere possunt. Unicæ veritati institutionis divinæ episcoporum corporis, quod absque suo capite nec esse nec agere potest, adhærendo omnes evanescunt, aut dilucide solvuntur quæstiones.

Episcoporum denique corpus non magis quam papa, suam magisterii ut ab aliis absque ipso exerceatur potestatem delegare potest, quamvis ex privilegio cardinalium non episcoporum, abbatum et ordinum superiorum generalium cum suffragio decisivo in œcumenicis conciliis adjunctionem accipere possit.

2° *Imperii potestas* sacerdotii plenitudini proprie pertinet; partim vero diversis hierarchiæ gradibus et ipsismet simplicibus tonsura prima insignitis clericis, delegari potest. Hierarchia ad Ecclesiam gubernandam et administrandam divinitus instituta subdividitur in diversis sibi divinitus subordinatis gradibus, qui omnes ejusdem hierarchiæ potestatibus variis, juxta proportiones institutione divina, aut ab ipsa manantis auctoritatis plenitudine determinatas, participare possunt. Etenim omnes hierarchiæ gradus sacramentalis potestatis plus minusve remoti aut proximi et necessarii ministri sunt; in aliquo etiam sensu, quatenus sub episcoporum auctoritate docere possunt, magisterii potestatis ministri sunt. Præsertim vero potestatis imperii ampliorem delegationem accipere possunt. Ratio differentiæ in eo sita est quod potestas sacramentalis ministerii et potestas magisterii ministerii fuerunt ex ipsa divina institutione determinatæ pro unoquoque hierarchiæ gradu et quia Deus ipse in sacramentis immediate agit, et in fidei et morum definitionibus ipse infallibiliter docet et definit; in hisque duobus hierarchiæ gradus sunt tantum ministri consecratione sacramentali determinati et constituti. Potestas vero imperii, quamvis ab ordinis sacramento procedat, immediateque a Deo instituta fuerit, pendet tamen magis a circumstantiis rerum, temporum et personarum contingentibus; ideoque ejusdem potestatis explicationem humanis appretiationibus et viribus reliquit Deus.

Imperii potestas cum plenitudine sua explicatur in papa per immediate divinam missionem, quæ eumdem non amplius præcise divinæ infallibilitatis ministrum, sed immediatum Christi vicarium, eoque ipso universæ Ecclesiæ supremum monarcham, universalem legislatorem, omnium causarum judicem, supremumque administratorem facit. Unde est episcopus episcoporum, ordinarius ordinariorum, ordinarius et episcopus totius Ecclesiæ, omnium et singulorum tum Christi fidelium, tum episcoporum.

Imperii potestas etiam cum plenitudine explicatur in episcoporum corpore per immediate divinam missionem, huic corpori in apostolorum collegio datam, ut eam exerceat cum suo capite et sub illius auctoritate.

Papa et episcoporum corpus potestatem imperii in parte presbyteris, diaconis et etiam simplicibus clericis delegare possunt; exindeque canones judicum ecclesiasticorum, archidiaconorum, vicariorum generalium jurisdictionem statuentes et regulantes proveniunt. Horum vero delegatorum nec magis papæ legatorum, nuntiorum et delegatorum, nullus in suo proprio nomine potestatem imperii exercet; eamdem autem potestatem in delegantium nomine juxta legem exercent sic delegati. Sunt enim hierarchiæ membra, et eo ipso organa diversa, per quæ potestates sibi in proprio pertinentes huicque præcipuo hierarchiæ gradui inhærentes explicat episcopatus.

His præmissis melius intelligetur quod in sequentibus propositionibus, ubi præmissa ipsa probantur, exposituri sumus.

1° Hierarchia constat ex episcopis, presbyteris et ministris. De fide, uti supra demonstravimus, prop. 4, cap. 3.

2° Episcopatus pro capite habet primatum seu papam, qui simul est hierarchiæ et totius Ecclesiæ caput et monarcha.

PROPOSITIO PRIMA.

Christus semel et pro semper Petri episcopatui cum primatu assignavit gregem universum et dedit

missionem in universam Ecclesiam et totum orbem, ita ut unusquisque papa simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis et missionem immediate divinam.

Hujus propositionis veritas ex duabus aliis eruitur, scilicet 1° quod enuntiata in Petro instituit Christus; et 2° quod hæc immutabiliter pro omnibus in singulari Petri episcopatu successoribus instituerit.

Probatur I° Petrum apostolorum principem immediate accepisse ab ipso Christo primatum apostolatus, potestatem confirmandi fratres suos apostolos in fide, magisterii et imperii potestatem et missionem, proindeque jurisdictionem, tum in universalem Ecclesiam, tum in apostolos ipsos sive collegialiter sumptos, sive uti singulos.

1° *Ex Scriptura sacra.* Matth. x, 2: *Duodecim apostolorum nomina sunt hæc:* Primus (quod idem sonat ac princeps) *Simon, qui dicitur Petrus.* Luc. vi, 13, 14: *Vocavit (Jesus) discipulos suos; et elegit duodecim ex ipsis* (quos et apostolos *nominavit*): *Simonem, quem cognominavit Petrum.* Ergo Dominus noster Jesus Christus instituit Petrum caput et principem collegii apostolorum. Matth. xvi, 18: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Christus declarat Simonem esse *Petrum* seu *Petram* (secundum vim Græcæ versionis), creat eum Petram fundamentalem, et super hanc petram ædificabit Ecclesiam suam; jam his verbis divinis producentibus creantibusque quod significant, fundat in Petro Ecclesiam suam, quam continuo ædificabit per sæcula usque ad consummationem sæculi, dans Petro perpetuam potestatem confirmandi fratres in fide, et pascendi oves et agnos.

Ibid. 19: *Et tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis; et quodcunque*, etc. Claves regni supremam et monarchicam potestatem significant, et *quodcunque ligare et solvere* nihil aliud est quam jurisdictio summa. Ergo Petrus est fundamentum et caput collegii apostolici, monarcha regni cœlorum quod est Ecclesia. Unde Christus ait illi, Luc. xxii, 31: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum;* ut separaret vos apostolos, et destrueret collegium apostolicum per schisma, errorem, etc., sicut cribrum separat triticum. Ibid. 32: *Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua;* ut fides tua sit infallibilis, firmamentum veritatis; *et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* in fide, ut fratres tui apostoli a te in fide confirmati maneant tecum illud collegium quod elegi et nominavi.

Christus dixit iterum Petro, Joan. xxi, 16, 17: *Pasce agnos meos... Pasce oves meas. Pasce*, id est, rege filios et matres, fideles et pastores, discipulos et apostolos; sic semper ab omni traditione et Patribus interpretatum est. Hæc jam aperte innuunt Petro solo datam esse potestatem et missionem regendi et gubernandi societatem fidelium et apostolorum.

Post ascensionem D. N. J. Christi, auctoritate Petri Mathias *annumeratus est cum undecim apostolis.* (*Act.* i, 26.) Petrus in die Pentecostes primus Evangelium prædicavit, credentes baptizari jussit. (*Act.* ii, 14-38.) Primus gentes in Ecclesia introduxit. (*Act.* x, 1 seqq.) Ubique in Actibus Petrum circumstant apostoli quemadmodum Christum viventem in terra circumstabant. Ipsemet Petrus in concilio Jerusalem declarat quod *Deus* (in apostolis) *elegit, per os suum audire gentes verbum Evangelii, et credere;* igitur per gratiam Domini Jesu Christi, *sine legis cæremoniis gentes* salvari definit, et *tacuit omnis multitudo.* (*Act.* xv, 11, 12) Agnoscebant igitur apostoli Petrum ut principem et præcipuum Evangelii præconem, fidei doctorem et definitorem. — Solus Petrus Ecclesias Judææ, Samariæ et Galilææ visitat et confirmat; ad eum venit Paulus ut recipiat missionem; Ecclesias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, Bithyniæ visitat; per sanctum Marcum Alexandriæ Ecclesiam fundat, etc. (Act. *passim.*) Ergo de facto Petrus fidem definivit, jurisdictionem et legislativam potestatem tum in universalem Ecclesiam, tum in apostolos ipsos, sive collegialiter sumptos, sive uti singulos exercuit; unde concludendum est illum a Christo potestatem, missionem et jurisdictionem, etc., accepisse; hocque agnoscentes omnes apostoli Petro subjacebant et obediebant.

2° Eamdem doctrinam perpetuo proclamavit traditio catholica. Igitur ex Scriptura et traditione *Sanctus Petrus jure divino superior fuit cæteris apostolis.*

3° Quod etiam tanquam de fide probatur ex variis decretis, quibus error contrarius damnatus est. Decreto 29 Januarii 1647, tan-

quam hæreticum proscripsit Innocentius X errorem, quo æqualem Petro fuisse Paulum effutire ausus erat de Barcos perditissimæ doctrinæ viri Duvergier (abbé de Saint-Cyran) nepos dignissimus.

« Inter alias opiniones Eybelli, quas in dogmatico brevi *Super soliditate* tanquam *damnatos errores* perstringit Pius VI, reperitur et ista : *Christum eamdem per sese apostolis omnibus potestatem dedisse.* »

« A Parisiensi Facultate, anno 1617, tanquam *schismatica* et *hæretica* confixa est propositio hæc Marci Antonii de Dominis : *Disparitas potestatis inter apostolos est humanum inventum, in sacris Evangeliis et divinis Novi Testamenti Scripturis minime subsistens.* Et notetur ibi agi, non de mera honoris præcedentia, sed de jurisdictione proprie dicta, ut indicant voces illæ *disparitas potestatis.* »

« Probari posset 4° ex communi catholicorum doctorum sententia. Suaresium duntaxat adducemus. Plures alios citatos reperies a Zacharia. (*Antifebronius vindicatus*, dissert. 3, cap. 3, n. 2.)

« Petrus apostolus fuit in hac jurisdictione (nempe in jurisdictione universali) cæteris (apostolis) superior, in eo præcipue quod illi soli sit data potestas ordinaria regendi et pascendi universam Christi Ecclesiam, ut in ea ipsi perpetuo succederetur, quod aliis apostolis datum non est. Hæc conclusio simpliciter est de fide. » (SUAREZ, *De fide*, part. 1, disput. 10, sect. 1, n. 12.)

« Ex quibus intelligitur Petrum duplici titulo superasse, dignitate et potestate, cæteros apostolos; *primo*, quia hæc dignitas fuit in eo ut in pastore *Ordinario* totius Ecclesiæ, cui succedendum erat : in aliis vero non ita; sed eorum potestas quodammodo delegata erat, et ex privilegio. *Secundo*, quia jurisdictio Petri se extendebat ad ipsas personas apostolorum directe; nimirum potestas illis præcipere, atque huc vel illuc mittere. » (SUAREZ, *De fide*, part. 1, disput. 10, sect. 1, n. 25.)

Ergo de fide est Petrum apostolorum principem immediate accepisse ab ipso Christo primatum, etc. Atqui Christus super Petrum fundavit Ecclesiam suam usque ad consummationem sæculi duraturam; ergo cum necessaria Petri monarchiæ successione; quod vero ita sit probandum est.

Probatur II° Romanum Pontificem verum B. Petri successorem, Ecclesiæ et episcoporum principem, accipere immediate ab ipso Christo, et ex vi institutionis ejus primatum in universum orbem, potestatem confirmandi fratres suos episcopos sicuti Christi fideles in fide, jurisdictionem et legislativam potestatem tum in universalem Ecclesiam, tum in episcopos ipsos sive collegialiter sumptos, sive uti singulos.

« Quod hanc potestatem summus Pontifex habeat, est de fide, ut constat ex traditione et communi sensu Ecclesiæ, et ex his, quæ statim afferemus; quod autem illam habeat illo modo (nempe *immediate a Christo*...) est conclusio adeo certa, ut sine errore negari non possit. » (SUAREZ, *De leg.* lib. IV, cap. 3, n. 10. Apud BOUIX, tract. *De episcop.* t. I, p. 44 et 45.)

1° *Ratione theologica.* Christus hæreditatem habet omnes gentes, et eas docere misit apostolos sub Petri auctoritate, fundavit Ecclesiam suam super Petrum, cui dedit omnes agnos suos et oves pascendos et regendos. Sic ipsemet Christus thronum perennem instituit in Ecclesia; orbem terrarum quasi unicam diœcesim ipsemet Christus circumscripsit, et in ea diœcesi universa episcopatum Petri, ut est primatus, præfecit; huic titulo universali seu sedi sic divinitus erecto supremam potestatem missionemque perpetuam affixit ipse Dominus. Itaque cum hæc sancta sedes sit ab ipso Christo delimitata, et potestatibus missioneque provisa, nemo hujusce sedis auctoritati se subtrahere, nec quidquam de ejusdem ditione detrahere potest; quia jus divinum est imprescriptibile. Hæc sancta sedes habet a sua divina institutione missionem immutabilem et consequenter jurisdictionem in universum orbem; Christus ipse huic sedi subjectos assignavit omnes humanas creaturas usque ad consummationem sæculi. Ideoque nulla alia missione, nec subjectorum assignatione opus habet Petri episcopatus legitimus successor. Propterea in Brevi dogmatico *Super soliditate*, 28 Nov. 1786, memoravit Pius VI : « quod Petri successor, hoc ipso quod in Petri locum succedit, assignatum sibi habeat jure divino Christi gregem universum, ut simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis. »

2° *Ex Patribus et theologis;* certum est prædictas in præcedenti probatione potestates ad Petri successores, manasse. Idem enim est

in asserenda hac potestatum Petro traditarum in successores transmissione Patrum et theologorum consensus. Quædam insignia sufficiat adducere testimonia. Philippus Romanæ Ecclesiæ presbyter Ephesini concilii Patribus affirmare non dubitavit : « Nulli dubium, imo sæculis omnibus notum, quod sanctus Petrus ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit. » (*Conc. Ephes.* act. 3.) — Sanctus Petrus Chrysologus (*epist. ad Eutych.* n. 2) : « Sanctus Petrus qui in propria sede et vivit et præsidet. » — « S. Leo (Serm. 2, *in assumpt. sui ad pontif.* c. 3) : « Cujus (*Petri*) in sua sede vivit potestas et excellit auctoritas. » Et cap. 4 : « Cujus dignitas etiam in indigno hærede non deficit. » Hinc Bossuetius, *Defens.* t. II, p. 190, edit. 1745 : « Accipiendi ergo Romani Pontifices tanquam una persona Petri. » Ergo Romanus Pontifex succedit omnibus Petri potestatibus, missioni divinæ et jurisdictioni universali.

3° Probatur ex praxi Ecclesiæ, id est, exercitio hujus potestatis legislativæ et aliarum potestatum summorum Pontificum; sicut testatur historia ecclesiastica, et videre est apud Bouix, tract. *De principiis*, p. 134 et seqq.

4° Ex conciliorum definitionibus probatur, per partes, nostram propositionem de fide esse.

1° *Ex genuino textu canonis sexti Nicæni*, prout in Chalcedonensi concilio a Romanis legatis lectus est, et verus a Bouix, tract. *De episc.* t. I, p. 401 et seq., demonstratus est. « Ecclesia Romæ semper obtinuit primatum. Habet igitur et Ægyptus, ut episcopus Alexandriæ omnium habeat curam, quoniam Romæ episcopo id consuetum est : similiter et quoad Antiochiam : et in aliis provinciis suæ ecclesiis prærogativæ salvæ sint. Sensus est, *ut episcopus Alexandriæ omnium habeat curam, quoniam Romæ episcopo* id (ut sic habeat, quia tenet ab ipso Romano episcopo) *consuetum est.*

2° *Romanus pontifex est verus successor B. Petri, et verus vicarius* (de fide). Sic enim concilium Florentinum œcumenicum : *Definimus... ipsum pontificem Romanum successorem esse B. Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium* .... Concil. gen. Lugdun. II, in professione fidei : *Cujus (B. Petri) Romanus pontifex est successor.*

3°. *Romanus pontifex est Ecclesiæ universalis et episcoporum princeps, seu monarcha et caput* (de fide). Conc. Florent. œcum. : *Definimus.... ipsum Romanum Pontificem esse... totius Ecclesiæ* (ergo episcoporum et fidelium) *caput et omnium Christianorum* (igitur fidelium et episcoporum), *patrem et doctorem exsistere.* Conc. gen. Lugd. II, in professione fidei : *Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam* (fideles et episcopos) *catholicam obtinet...* Conc. Trident. sess. 24, cap. 7 : *Pro suprema sibi* (summo pontifici) *in universa Ecclesia potestate.*

4.° *Romanus pontifex accepit ab ipso Christo primatum in universum orbem* (de fide). Conc. gen. Lugd. II in professione fidei : *Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet; quem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe sive vertice cujus Romanus pontifex est successor* (ergo princeps episcoporum apostolorum successorum) *cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit.* — Concil. œcum. Florent. : *Definimus.... Romanum pontificem in universum orbem tenere primatum .... et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

Romanus pontifex accepit ab ipso Christo... potestatem confirmandi fratres suos episcopos sicuti Christi fideles in fide (de fide). Concil. gen. Lateran. cap. 5 : *Romana Ecclesia est mater universorum Christi fidelium* (ergo et episcoporum qui sunt ex universis Christi fidelibus) *et magistra.* — Concil. gen. Lugdun. II in professione fidei : *Et sicut præ cæteris tenetur* (S. R. Ecclesia) *fidei veritatem defendere, sic et si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri.* — Conc. gen. Florent. : *Definimus... ipsum pontificem Romanum... omnium Christianorum* (ergo et episcoporum) *patrem et doctorem exsistere, ipsi in B. Petro pascendi* (per veram fidei doctrinam)... *universalem Ecclesiam* (ergo et episcopos qui sunt de universali Ecclesia) *a Domino Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

Unde concludendum est *Romanum pontificem esse infallibilem in doctrina fidei;* quæ veritas de facto probata fuit et recognita ab universali Ecclesia in proclamatione dogmatis de immaculata conceptione B. V.

Mariæ; cum solus Romanus Pontifex B. V. Mariam Dei Genitricem in sua conceptione immaculatam fuisse definivit; et omnes Christi fideles universique episcopi plauserunt atque crediderunt.

6. *Romanus pontifex..... accepit ab ipso Christo... jurisdictionem et legislativam potestatem tum in universalem Ecclesiam, tum in episcopos ipsos sive collegialiter sumptos, sive uti singulos* (De fide). — Conc. gen. Lateran. cap. 5: *Quæ* (Romana Ecclesia) *disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote universorum Christi fidelium mater et magistra.* — Ecclesia aliqua non potest habere *principatum potestatis ordinariæ* super alias, nec potest esse vero sensu *mater et magistra*, nisi possit illas regere, ipsisque præcipere, et nisi teneantur aliæ ipsi regenti, præcipienti et magisterium imperiumque exercenti obedire. Alioquin derisorie diceretur habere, ex institutione divina, *principatum potestatis ordinariæ*.—Conc. gen. Lugdun. II, in Professione fidei: *Ad quam* (Ecclesiam Romanam) *potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest judicium recurri: et eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ, et ipsarum prælati* (sive episcopi, sive alii) *obedientiam et reverentiam illi dant.* Ergo sancta Romana Ecclesia potestatem habet faciendi leges quibus obnoxii sunt omnes prælati et eorum Ecclesiæ. — Conc. gen. Florent.: *Definimus... ipsi* (Romano pontifici) *in B. Petro... regendi et gubernandi* (ecce jurisdictionem et legislativam potestatem) *universalem Ecclesiam* (scilicet fideles et episcopos qui sunt de universali Ecclesia) *a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

Cum istæ conciliorum definitiones non distinguant inter episcopos sive collegialiter sumptos, sive uti singulos, sequitur summum pontificem habere jurisdictionem et legislativam potestatem tum in universalem Ecclesiam, tum in episcopos ipsos sive collegialiter sumptos, sive uti singulos; sed directe demonstratur Romanum pontificem jurisdictionem plenamque auctoritatem habere in episcopos ipsos collegialiter sumptos, id est in omnes episcopos sive dispersos, sive in conciliis etiam generalibus congregatos:

1° Ex Epist. Pelagii papæ II ad Joan. Constantinop. et ejus synodum, ibi: « Generalium synodorum convocandi auctoritas apostolicæ sedi B. Petri singulari privilegio est tradita, et nulla unquam synodus rata legitur quæ apostolica auctoritate non fuerit fulta. »

2° Ex Nicolai papæ I epist. 8, ad Michaelem imperatorem, lecta in concilio generali Constant. IV, et eousque accepta ut auctorem *Organum Spiritus sancti* acclamaverint Patres: « Non ergo dicatis non eguisse vos in causa pietatis Ecclesiæ Romanæ quæ collecta concilia sua auctoritate firmat, sua moderatione custodit. Unde quædam eorum quia consensum Rom. pontificis non habuerunt valetudinem perdiderunt... quoniam cum, secundum canones, ubi est major auctoritas judicium inferiorum est deferendum, ad dissolvendum scilicet vel roborandum, patet profecto sedis Apostolicæ, cujus auctoritas major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam licere de ejus judicare judicio: siquidem ad illam de qualibet mundi parte canones appellari voluere, ab illa autem nemo sit appellari permissus. »

3° Concilium œcumenicum Lateranense V: « Cum solum Romanum pontificem pro tempore exsistentem tanquam auctoritatem super omnia concilia habentem conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus ac potestatem, nedum e sacræ Scripturæ testimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum pontificum etiam prædecessorum nostrorum, sacrorumque canonum decretis, sed propria eorumdem conciliorum concessione manifeste constet... »

Ergo de fide est Romanum pontificem esse verum successorem B. Petri, verum Christi vicarium, Ecclesiæ et episcoporum principem et caput, et ipsum Romanum pontificem accepisse ab ipso Christo primatum in universum orbem et universam Ecclesiam catholicam, potestatem confirmandi fratres suos episcopos sicuti Christi fideles in fide, seu suo judicio definiendi omnes quæstiones de fide, jurisdictionem et legislativam potestatem tum in universalem Ecclesiam, tum in episcopos ipsos sive collegialiter sumptos, sive uti singulos.—Et hæc veritas est radix et fundamentum totius Ecclesiæ ædificii.

Ergo, ex junctis prima et secunda proba-

tione, Christus semel et pro semper Petri episcopatui cum primatu assignavit gregem universum et dedit missionem in universam Ecclesiam et totum orbem; ita ut unusquisque Papa simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis et missionem immediate divinam.

Corollarium I. — Jam enim demonstravimus quod cum episcopatu tota divina regiminis potestas accipitur per consecrationem, sed a missione hujus potestatis explicatio determinatur. Atqui sola episcopalis Petri, et successorum ejusdem potestas immediate a Christo determinata fuit; quod præclare sic docet, in responsione *Super nuntiaturis*, cap. 8, sect. 2, n. 25, Pius VI, devios quosdam Germaniæ metropolitanos sic alloquens: « Vosque etiam atque etiam precamur, ut veritatem *e dogmatis fonte profectam* toto animo amplexi, pro certo habeatis, primatum hunc divinitus institutum, non iis duntaxat fuisse limitibus circumscriptum, ut Petrus ejusque successores, Ecclesiæ universæ caput effecti, et vicaria Jesu Christi vice fungentes, malis occurrerent, et fratres errantes ac negligentes in viam reducerent, et e socordia excitarent; *sed auctoritatem secum ferre stabilem, perpetuam, numeris omnibus absolutam, pascendi, regendi et gubernandi, tam populos, quam populorum* ipsos pastores. » Itaque per electionem legitimam juxta legem a Petro aut ab ejusdem successoribus latam unusquisque Papa assumitur ad episcopatum et primatum Petri auctoritate Romani pontificis a qua promanat electionis lex. Sed in consecratione *simul cum episcopatu potestatem accipit universalis regiminis* seu monarchiam, quia ad sedem Petri monarchicam consecratur. Si autem jam episcopus consecratus fuerit ante electionem, per istam assumitur *ut totam ordinariam regiminis potestatem* jam in consecratione acceptam, junctis primatu et ejusdem missione Petro et successoribus ejus semel et pro semper a Christo immediate assignatis, explicare in universam Ecclesiam valeat. Hæc Romani pontificis missio immediate divina, non datur, non determinatur, nec limitatur, nec extenditur ab electione, cum sit divinitus immutabilis, sed primatus *auctoritatem* (seu missionem) *secum fert stabilem, perpetuam, numeris omnibus absolutam, pascendi, regendi et gubernandi, tam populos, quam populorum pastores.* Respons. Pie VI *Super nuntiaturis*, supra cit. Electio designat tantum personam quæ accipiat primatum et sedem Petri, et nihil aliud facit. Cum vero electio determinatur et regulatur auctoritate pontificia, electus eadem auctoritate juris assumitur ad immutabilium primatus et episcopatus Petri possessionem. Cæteri vero episcopatus non a Christo immediate, sed a Romano pontifice circumscribuntur, et eorum episcopi missionem non immediate a Christo, sed a Romano pontifice accipiunt. Ideoque hujusmodi missio ab eodem pontifice limitari et etiam auferri potest, cum non sit divinitus determinata.

Corollarium II. — Ex demonstratis sequitur jurisdictionem papæ esse jure divino ordinariam in universam Ecclesiam, in omnes et singulos Christi fideles et eorum pastores.

At etiam divina institutione episcopatus universus est corpus cujus est caput papa. Episcoporum corpori cum ejusdem capite omnes hierarchiæ potestates et missio immediate divina, jure etiam divino pertinent: quod est demonstrandum.

PROPOSITIO SECUNDA.

Christus semel et pro semper episcoporum corpori, sub ejusdem capite, in apostolorum collegio, assignavit gregem universum et dedit missionem in universam Ecclesiam et totum orbem: ita ut unusquisque episcopus simul cum episcopatu accipiat esse de episcoporum corpore, et de ejusdem collectivis potestate et missione participare.

Hujus conclusionis veritas sequitur ex aliis duabus, scilicet: I° quod Christus apostolorum collegium quantum Ecclesia duraturum instituit, eidemque collegio omnes potestates missionemque divinam in universam Ecclesiam contulit. II° Quod episcoporum corpus est apostolorum collegii successor, ejusdemque potestates et missionem immediate divinam hæreditat: quod in sequentibus propositionibus probaturi sumus.

I. *Christus instituit collegium apostolorum, ex Petro sicut capite et aliis apostolis sicut membris conflatum, eidemque collegio, id est apostolis cum Petro eorum principe, omnes divinas potestates et missionem divinam pro omnibus diebus usque ad consummationem sæculi immediate contulit.*

Prænotandum, Collegii nomine intelligitur congregata universitas clericorum, qui sub uno prælato, ut membra sub uno capite, degunt et cum eo unum corpus constituunt.

ita Gonzales, in cap. 1, tit. XI, *De his quæ fiunt a majore parte capituli ;* et quoad rem passim doctores reliqui. Schmalzgrueber, in lib. III *Decretal.* tit. XI, n. 1 : « Collegium ex universo sumitur, et alicui certo nomini est subjectum, et loco unius personæ habetur.... privata societas non facit collegium, sed publica utilitas, et requiritur ut collegium habeat caput, seu præpositum, licet sufficiat ut ita ordinatum sit ab initio ; nam eo mortuo nihilominus est collegium. » FAGNAN. in 1 part. primi Decretal. (c. *Nullus*, n. 29 et 44.)

Si collegium non haberet caput, non esset collegium, sed acephalum corpus ; attamen capite mortuo, non perit collegium, sed opus est ut illi suscitetur aliud caput.

« Collegium, ait Fagnanus, loco unius personæ habetur ; » gaudet juribus, quæ soli collegio, non vero singulis membris, pertinent. Jura et potestates capitis fluunt in collegium ; cum caput possit a fortiori agere cum collegio omnia quæ facit uti singulum et ex parte sibi propria.

In Ecclesia duplicis generis sunt collegia, videlicet 1° collegium divinitus institutum apostolorum, quorum episcopi successores sunt, proindeque collegium episcoporum successit apostolorum collegio ; 2° collegia lege apostolica seu ecclesiastica instituta, sicut S. R. R. cardinalium sacrum collegium, collegia capitularia, etc.

Hinc eruitur significatio verbi *collegialiter ;* id est, membra in collegio cum eorum capite formata sive ex lege divina, sive ex lege ecclesiastica.

His prænotatis, probatur propositio 1° *ex Scriptura sacra.* Matth. X, 2 : *Duodecim apostolorum nomina sunt-hæc : Primus* (quod idem sonat ac *princeps*) *Simon, qui dicitur Petrus....* Luc. VI, 13, 14 : *Vocavit* (Jesus) *discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis* (*quos et apostolos nominavit*) ; *Simonem, quem cognominavit Petrum.* Ergo D. N. Jesus Christus instituit collegium apostolorum, cum ipse ex discipulis *elegit et nominavit duodecim apostolos*, et apostolis dedit *principem, seu primum Simonem Petrum :* ecce jam collegium apostolorum et caput ejus divinitus instituta.

2° Supra demonstravimus (proposit. prim. probat. 1) Petrum ex divina institutione fuisse monarcham, caput et principem collegii apostolorum et totius Ecclesiæ, et habuisse ab ipso Christo plenam omnimode potestatem et missionem tum in universam Ecclesiam, tum in apostolos ipsos, sive collegialiter sumptos, sive uti singulos.

3° *Ex Scriptura et Patribus.* Sed et Christus collegio apostolorum, id est, apostolis cum Petro eorum principe et capite, magnas potestates contulit. Apoc. XXI, 14 : *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni.* « Jam certum est, inquit Cornelius a Lapide, apud omnes, hæc duodecim fundamenta significare duodecim apostolos : ipsorum enim humeris quasi innixus Ecclesiæ murus recumbit. Ideo enim eorum nomina fundamentis inscripta sunt, ut significetur ipsos esse fundamenta et fundatores (hæc enim duo eodem recidunt) Ecclesiæ.

« Præclare S. Augustinus in illud psal. LXXXVI, *Fundamenta ejus* (Sionis, id est Ecclesiæ) *in montibus sanctis :* Quare, ait, sunt fundamenta apostoli et prophetæ ? quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram. Quare sunt portæ ? quia per ipsos intramus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis. Et cum per ipsos intramus, per Christum intramus : ipse enim est janua. Et cum dicuntur duodecim portæ Jerusalem, et una porta Christus, et duodecim portæ Christus ; quia in duodecim portis Christus. » (CORNELIUS a Lapide, in Apoc. XXI, 14.

Ad hoc faciunt verba Apostoli ad Ephesios, II, 19, 20 : *Sed estis cives sanctorum et domestici Dei ; superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.* « Cives sanctorum cum angelorum, inquit Cornelius, tum potius patriarcharum.... *Et domestici Dei*, id est, Estis de domo et familia Dei, puta de Ecclesia Dei.... de familia regis Messiæ, qui tam Deus est quam homo, deque Christiana republica, in qua habetis jus civicum ad Ecclesiæ sacramenta.... *Superædificati* redit ad metaphoram fabricæ et domus de qua v. 14. Hæc enim domus Deo sacra, sive templum est Ecclesia, quæ ædificata est *super fundamentum apostolorum et prophetarum*, id est, super apostolos et prophetas, qui sunt fundamentum Ecclesiæ ; apostolorum enim et prophetarum fidei, doctrinæ, prædicationi, institutioni quasi fundamento Ecclesia incumbit. Quasi dicat : In fundamentum Ecclesiæ positi sunt apostoli, vos Ephesii, cæterique Christiani, illis

superædificati estis, et reliquam structuram domus hujus et templi completis. Ita Chrysost., Theophyl. OEcum. et pulchre Augustinus in illud : *Fundamenta ejus in montibus sanctis.*

« Aliter Anselmus, *Super fundamentum*, inquit, id est super Christum, qui est fundamentum apostolorum, prophetarum, ac totius Ecclesiæ, quod avide arripit et sequitur Beza. Antichristiana, ait, vox est: aliud fundamentum ponere ; *fundamentum enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Sed respondit sanctus Augustinus supra, Christum esse fundamentum fundamentorum, sive primum, cui ipsi apostoli et Ecclesia incumbit ; apostolos vero post Christum esse secundarium fundamentum.... Nam apostolos hic dici fundamenta, non autem Christum, patet, quia Christus vocatur lapis angularis fundamenti, cui fundamentum incumbit. Id clarius est in Græco... fundamentum sunt apostoli, sed fundamenti lapis angularis est Christus.... Sic Matth. xvi, 18 dicit Christus Petro : *Tu es Petrus....* Si Petrus est petra hæc, ergo est fundamentum Ecclesiæ : petra enim, supra quam ædificatur Ecclesia, alia esse non potest, quam petra fundamentalis Ecclesiæ. » (Cornel. a Lapide, In istud ad *Ephes.* II, 19, 20.)

Unde concludendum est collegium apostolorum esse cum Petro ejus capite, fundamentum Ecclesiæ. Christus est fundamentum primarium, super quod alia fundamenta apostolica incumbunt : et sicut nemo potest aliud fundamentum ponere præter id quod positum est a Christo, ita etiam nemo potest destruere fundamenta a Christo posita. Unde a nulla potestate nequidem apostolica supprimi aut abrogari potest collegium apostolorum. Quæ sint vero collegii apostolici potestates apparet primo in Matthæo ; etenim postquam cap. xvi, Christus declaravit Petrum fundamentum Ecclesiæ, et dedit illi potestatem supremam clavium, et omnia etiam apostolos ligandi atque solvendi ; in cap. xviii confert collegio jam fundato potestatem omnia cum Petro ligandi atque solvendi : vers. 7 : *Quod si non audierit* (frater peccator et monitus), *dic Ecclesiæ* (super Petrum ædificatæ in cap. xvi) ; *si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Vers. 18 : *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cælo ; et quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cælo.* Et in hoc ultimo versu 18 agitur de apostolorum collegio seu Ecclesia judicante ; nam Christus ait : *Dic Ecclesiæ... et si Ecclesiam non audierit...* et statim addit : *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis*, tanquam Ecclesia super Petrum ædificata, etc.... At non datur illis uti singulis definire et terminare causam. Singulis autem jubetur : *Corripe fratrem inter te et ipsum solum.... Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum ;* ecce monitio charitativa. *Quod si non audierit eos*, ecce judicium primum aliquorum, sed non collegii ; *dic Ecclesiæ*, ecce judicium collegii seu Ecclesiæ super Petrum fundatæ : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus....* et sic terminatur causa per finalem et ultimam appellationem ad Ecclesiam super Petrum ædificatam. Unde omnes et etiam singuli apostoli judicio Ecclesiæ subjiciuntur, præter Petrum, qui a nullo judicatur, cum ipse sit judex supremus ad quem appellatur ; nam Ecclesia terminans causam est Ecclesia cujus Petrus est caput et monarcha habens clavium potestatem. Unde Ecclesia seu apostolorum collegium finaliter judicat cum Petro, sed non extra Petrum et sine ipso ; tribunal etenim non potest consistere sine capite, sine præside. Ergo collegium apostolorum habet institutione divina jurisdictionem in universam Ecclesiam.

In capite xxii Lucæ manifeste elucet divina cónstitutio collegii apostolici cum ejus capite ; etenim in ultima Paschate D. N. Jesus Christus colligit apostolos in cœnaculo : vers. 14 : *Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim apostoli cum eo....* Instituit divinum Eucharistiæ sacrificium, et apostolis sacramentalem sacrificii potestatem confert. Vers 19 : *Hoc facite in meam commemorationem....* Paulo post, vers. 24 : *Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Vers. 25 : *Dixit autem eis : Reges gentium dominantur eorum....* Vers 26 : *Vos autem non sic : sed qui major est in vobis, fiat sicut minor : et qui præcessor est, sicut ministrator.* Vers. 27... *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat....* Vers. 29 : *Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi Pater meus regnum*, id est Ecclesiam quæ vocatur in Evangelio regnum Dei, regnum cœlorum. Vers. 30 : *Ut edatis et bibatis super*

mensam meam in regno meo, et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel. Apostoli edunt et bibunt super mensam Christi in regno ejus, tanquam fratres ejus, regiæ illius potestati participantes, ideoque sedent super thronos, inter se æquales, judicant duodecim tribus Israel, pari potestate et jurisdictione prædiți.

Ergo dispositione divina apostoli sunt regii principes, judices et legislatores totius Ecclesiæ seu regni Dei, duodecim tribubus Israel formati.

Collegio apostolorum sic constituto, statim illud complet in capite seu monarcha Christus : Vers 31 : *Ait autem Dominus : Simon, Simon, ecce Satanas expetivit...* Unitatem collegii dissolvere vult Satanas ; vers. 32 : *Ego autem rogavi pro te... confirma fratres tuos.* (Vide supra prop. 1, probat. 1.) Pro solo Petro rogat, *ut non deficiat fides ejus* quæ est fundamentum Ecclesiæ, et principium vitæ regni Dei ; ut possit et valeat Petrus confirmare fratres suos in eorum regia potestate, in eorum fidei prædicatione, in eorum judiciis de fide, moribus et disciplina. Unde quidquid judicet aut decernat collegium apostolicum, valorem et firmitatem non habet sine Petri confirmatione. Petrus non dat potestatem regiam, nec thronos apostolis, neque eos judices instituit, sed eadem institutione divina qua hæc omnia apostolis conferuntur, Petro potestas confirmandi tribuitur ; ab eodem Christo fluunt potestates apostolorum et præeminentia monarchicaque potestas Petri. Ideoque quemadmodum collegium apostolicum nihil firmiter condere et decernere potest sine confirmatione Petri, ita Petrus collegio apostolorum divinam potestatem judicandi et gubernandi cum ipso Petro detrahere nequit. Attamen Petrus decernit et judicat solus, cum ipsi soli pertineat confirmandi, id est, probandi aut reprobandi potestas, et a nullo confirmetur ipse nisi oratione et potestate Christi dicentis : *Confirma fratres tuos.*

Confirmatur. In Joan. cap. xx, Christus post resurrectionem ait discipulis : vers. 21 : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ;* ecce divinam missionem apostolis omnibus datam ; *accipite Spiritum sanctum.* Vers. 23: *Quorum remiseritis peccata...* Ecce potestatem sacramentalem et jurisdictionem internam remittendi et retinendi peccata, omnibus apostolis a Christo collatam. In Matth. xxviii datur omnibus apostolis magisterium doctrinæ et missio super omnes gentes. Vers. 16-20 : *Undecim autem discipuli abierunt in Galilæam... Et accedens Jesus locutus est eis... Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris... docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis : et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Omnibus apostolis datur missio docendi omnes gentes ; non tantum autem illis, sed et successoribus eorum in apostolatu ; nam Christus promisit esse cum eis *omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ergo est cum apostolorum collegio semper duraturo usque ad consummationem sæculi.

Propterea dixerat Christus : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.* (*Luc.* x, 16), et : *Qui recipit vos, me recipit : et qui me recipit, recipit eum qui me misit* (*Matth.* x, 40), et : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* (*Joan.* xx, 21.) Igitur apostoli tenent suam auctoritatem a Patre, mittuntur sicut Christus.

Sed hæc non tantum apostolis collata sunt, verum etiam *eis qui crediturі sunt per verbum eorum*, uti legere est in Joan. xvii, 18-21 : *Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum... Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum ; ut omnes sint unum, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint : ut credat mundus quia tu me misisti.* Unde tam apostoli quam illi *qui crediturі sunt per verbum eorum* debent esse *unum*, id est *unum ovile* sub *uno pastore.* (*Joan.* x, 16.) Et ab ista unitate Ecclesiæ fluit perpetuitas, cujus medium est unitas. Et ita semper erit usque ad consummationem sæculi : nam Spiritus sanctus dabitur apostolis et cum eis manebit in æternum, id est cum eorum successoribus in Ecclesia. *Et ego*, ait Christus, *rogabo Patrem, et alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum ; Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum ; quia apud vos manebit et in vobis erit.* (*Joan.* xiv, 16-17.) *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* (*Joan.* xvi, 13.) Ergo ex perenni et perpetua Spiritus sancti

assistentia, collegium apostolorum est jure divino minister infallibilitatis et Spiritus sancti docentis in æternum, usque ad consummationem sæculi.

Et hæc omnia hucusque ex Evangelio demonstrata confirmantur per actus apostolorum ; et primo institutio divina collegii apostolorum, donum et assistentia Spiritus sancti, missio prædicandi in universum orbem : *Act.* I, 1-8 : *Usque in diem, qua præcipiens apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit* (ecce electio divina et institutio collegii apostolorum), *assumptus est... Dixit autem eis... Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos* (ecce donum et assistentia Spiritus sancti) ; *et eritis mihi testes* (et judices fidei, verbi veritatis) *in Jerusalem et in omni Judæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Sunt ergo judices et testes fidei non solum in concilio coadunati in Jerusalem, sed etiam dispersi *in omni Judæa et Samaria et usque ad ultimum terræ.* Sicque patet collegium apostolorum exsistere, sive sit congregatum in concilio, in cœnaculo, sive sit dispersum in toto orbe. Istudque collegium dispersum tanquam congregatum suis gaudet semper prærogativis divinis ; apostoli sive congregati, sive dispersi testes Christi sunt *usque ad ultimum terræ.*

Verum autem in Actibus videmus apostolos stare circum Petrum, sicuti stabant circum Dominum ; ergo principatum monarchicum Petri venerabantur. Et demonstratur in electione Matthiæ ut *episcopatum* Judæ traditoris *accipiat ;* nam Act. apost. I, auctoritate et jussu Petri eligitur Mathias in apostolatum sicut potestate Christi electi sunt alii apostoli. Et inter Mathiam et alios apostolos nulla interponitur differentia, cum *annumeratus sit cum undecim apostolis.* Præterea dicitur Mathias episcopatum accipere in loco Judæ, ex quo infertur episcopatum idem esse cum apostolatu, non tamen pari ratione in successoribus apostolorum, uti demonstrabitur infra. Huic facto conferenda est Pauli apostoli visibilis missio, quam a Petro accipit, quemadmodum ipse Paulus scribit ad Galatas I, 17, 18, 19 et II, 2. Inde sequitur in Petrum recognitam fuisse potestatem assumendi in episcopatum et apostolatum, et consequenter instituendi episcopos sicut Christus instituerat apostolos. Et Paulus, a Christo immediate segregatus in apostolatum, adit Petrum et cum eo contuiit suum Evangelium.

Tandem Petri principatus cum aliorum apostolorum potestate et missione elucet in concilio Jerusalem (*Act.* XV, 4-7) : *Cum autem venissent* (Paulus et Barnabas) *Jerosolymam, suscepti sunt ab Ecclesia et ab apostolis et senioribus... Convenerunteque apostoli et seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos* (a semetipso surgit Petrus tanquam præses et princeps) : *Viri fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii et credere.* Quasi dicat : Deus inter nos me primum principem elegit apostolum, per cujus os gentes audiant Evangelium et credant. (Ita Patres et Cornelius a Lapide in hoc textu. Vers. 8 : *Et qui novit corda Deus...* Et hic pronuntiat cæremonialia et judicialia legis abolita. Vers. 11 : *Sed per gratiam Domini Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi.* Hoc judicium fidei *credimus* a Petro solo prolatum est ; hic confirmat Petrus doctrinam Pauli et Barnabæ, et reprobat opinionem judaizantium. Vers. 12 : *Tacuit autem omnis multitudo,* hoc suo silentio reverens Petrum, ejusque dicta approbans, ipsius sententiæ definitioni acquievit ; eamque confirmarunt Paulus et Barnabas, *narrantes quanta Deus fecisset signa et prodigia in gentibus* per eos. (Cornelius a Lapid. in hoc textu.) *Respondit Jacobus* Petri sententiam roborare. (Id. in eod. textu.) Vers. 22 : *Tunc placuit apostolis et senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis et mittere Antiochiam...* Vers. 23 : *Scribentes per manus eorum : Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ... Visum est enim Spiritui sancto et nobis...*, id est, visum est nobis inspiratis et directis a Spiritu sancto. Hinc liquet Spiritum sanctum in concilio adesse et præesse, illudque dirigere, ut in decernendo non erret. Unde dicere solent Patres in concilio : *Hæc S. synodus in Spiritu sancto congregata decernit,* etc. (Cornel. a Lapid. super illud) ; ex his sequitur quod Petrus divina sua auctoritate in concilio præeminet, decernit, sed concilium cum eo judicat, et inspiratur, dirigiturque a Spiritu sancto.

Ex hucusque dictis breviter resumptis patet ex Scriptura sacra demonstratum esse, 1° collegium apostolorum cum ejus capite in-

stitutione divina fundatum esse ; 2° apostolos esse fundamenta Ecclesiæ, cujus Petrus est fundamentum principale, vicarium Christi ; 3° apostolos accepisse a Christo potestatem ordinis, scilicet sacerdotalem sacrificii potestatem, sacramentorum aliorum, baptismi videlicet et pœnitentiæ et in ea jurisdictionem fori interni seu sacramentalem, et sic omnium sacramentorum ; 4° apostolos accepisse a Christo regiam potestatem et sedere super thronos judicantes duodecim tribus Israel, quod est legislativa et judiciaria potestas, per quam alligare et solvere quæcunque possunt ; 5° apostolos accepisse a Christo magisterium doctrinæ in omnes gentes, et divinam missionem in universum orbem, et promissionem Spiritus sancti et per eum infallibilitatem doctrinæ. Unde concludendum est collegium apostolorum ex capite et membris divinitus formatum, missionem et jurisdictionem in universam Ecclesiam habuisse et immediate ab ipso Christo accepisse.

Eadem vero institutione Christi Petrus statuitur caput, princeps et monarcha collegii apostolorum et totius Ecclesiæ ; decreta collegii Petri confirmatione opus habent, sive in concilio, ut videtur in concilio Hierosolymitano, sive in dispersione, sicut Paulus Petrum visitans, ut eum eo suum Evangelium conferat, ostendit. Ad Petrum attinet eligere in episcopatum et apostolatum, sicut Christus elegit primos apostolos. Apostoli institutione divina judicare possunt uti singuli, ad Ecclesiam vero super Petrum ædificatam aut ad ipsum Petrum solum pertinet terminare causam.

Ergo eadem institutione divina collegium apostolorum fundatum est et Petro subordinatum tanquam capiti ; et sic constituto collegio omnes divinas potestates et missionem immediate divinam in omnes gentes et in universam Ecclesiam dedit Christus.

Restat nunc ut demonstremus episcopos esse successores apostolorum, non uti singuli, præter Romanus pontifex, qui est verus Petri successor ; sed corpus episcoporum esse successorem apostolatus ; unde.

II. *Corpus episcoporum (seu episcopi collegialiter sumpti) est successor collegii apostolorum, habetque immediate a Christo omnes ministerii, magisterii et imperii potestates et missionem immediate divinam in universam Ecclesiam, quas tamen tantum exercere potest juxta sui capitis judicium, excepto papæ dubii casu, in quo corpus sibi de capite providere habet.*

Probatur 1° *ratione theologica ;* Christus instituit collegium apostolorum tanquam duraturum usque ad consummationem sæculi, huicque collegio promisit Spiritum sanctum in æternum cum eo mansurum. Ergo istud collegium non moritur, semperque potestate et missione divina Spiritusque sancti assistentia munitum permanet. Igitur perpetuo renovatur et constituitur ex apostolorum successoribus, qui sunt soli episcopi.

Probatur 2° *ex apostolorum agendi ratione ;* Apostoli ipsi collegium apostolicum per Mathiæ electionem compleverunt. Præterea episcopis ab ipsis institutis parem auctoritatem ac sibi concedebant et agnoscebant. Etenim Act. apost. cap. xv sic legimus, vers. 23 : *Apostoli et seniores fratres, his qui sunt Antiochiæ... visum est Spiritui sancto et nobis.* Ex his textibus patet *seniores* decrevisse cum apostolis in concilio Hierosolymitano ; unde concludendum est illos episcopos fuisse, cum soli episcopi decernant et judicent in conciliis. Hæc interpretatio nostra confirmatur Act. apost. cap. xvi, 4 : *Cum autem pertransiissent civitates* (Paulus et Timotheus), *tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab apostolis et senioribus qui erant Hierosolymis.* Et hæc verba referuntur ad decreta capitis xv Actuum in concilio Hierosolymitano. Ista dogmata decreta sunt pari auctoritate ab apostolis et senioribus ; proindeque isti seniores erant episcopi, et consequenter episcopis parem auctoritatem ac sibi concedebant et agnoscebant apostoli. Ergo, viventibus adhuc apostolis, episcopi ab ipsis instituti, cooptati sunt in eorum collegio.

Eadem significatio verbi *senior* eruitur ex 1 Petr. v, 1 : *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior... : Pascite, qui in vobis est gregem Dei...* Hic *seniores* sunt episcopi : unde apud Syros hæc Epistolæ pars legi solet in electione et ordinatione episcoporum, uti notat hic Syrus, et Petrus vocat se *conseniorem*, quem secuti sunt summi pontifices in suis Epistolis et Bullis, episcopos vocantes *fratres* et *coepiscopos*. Ita intellexerunt VII synodus generalis can. 4 ; sanctus Hieronymus epist. 2 ; sanctus Ephrem opusc. *De pœnit. injung.* ; sanctus Bernardus, epist. 237 et alii.

Joannes in II epist. et in III, 1, vocat se

seniorem, senior Electæ, senior Caio. Senior idem est quod dominus, puta prælatus, episcopus, apostolus. (Cornelius a Lapid. in illud.)

Ex his patet seniores concilii Hierosolymitani fuisse episcopos, qui cum apostolis pari auctoritate decreverunt.

Aliunde præter duodecim apostolos a Christo electos et nominatos, fuerunt alii vocati apostoli, qui et episcopi erant. Ita, in Epist. ad Rom. xvi, 7, sanctus Chrysostomus et Theodoretus. Non enim soli illi duodecim vocati a Christo, sed et Paulus, Silas, Barnabas, aliique similes apud ethnicos et infideles evangelizantes fuerunt et etiamnum sunt apostoli. De personis et sanctis hisce vide Baronium in *Annalibus* et *Martyrologio*, Cornel. a Lapid. in illud. De talibus apostolis Ecclesiarum, id est episcopis loquitur Paulus in II ad Cor. viii, 23. Ergo, ex agendi ratione apostolorum, episcopi cooptati sunt in eorum collegio : ideoque corpus episcoporum successor est collegii apostolorum absque ulla interruptione.

Probatur 3°. Apostoli præfecerunt Ecclesiis episcopos ad eas regendas, pascendas, ex institutione divina. Legimus enim in Act. cap. xx, 28 : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ex quo textu semper intellectum est episcopos a Spiritu sancto esse in episcopatu positos. « Episcopalis enim cura, ait Cornelius a Lapide (in illud) officium, jurisdictio, potestas instituta est a Spiritu sancto per Christum. Spiritus sanctus ergo singulis episcopis, dum episcopatum ineunt, hæc omnia largitur et imponit. » Sacrosancta Synodus Tridentina supra citatum textum generaliter interpretatur, declarans *episcopos qui in locum apostolorum successerunt... positos, sicut idem apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei...* Dum e contra aliqui canonistæ singulariter explanant eumdem textum quasi diceretur singulos regere singulas Ecclesias ; qua explanatione genuinum verborum sensum detorquere videntur. Verum est tamen in apostolorum tempore nomen *episcopi* fuisse commune episcopis veris et presbyteris, ut legere est in Epistola ad Philippenses i, 1, etc. Hic autem non agitur de nomine, sed de dignitate, auctoritate et potestate episcopali, in eo sensu probatur ex prædictis episcopos fecisse cum apostolis unum collegium episcopale, et præter speciale apostolatus privilegium, episcopos pares fuisse apostolis.

Probatur 4° *traditione et sanctis Patribus :* Christiana antiquitas jam episcopos nomine apostolorum designat. Sanctus Paulus ad Philippenses ii, 25 ; Theodoretus in I Tim. iii : « Philippensium apostolus erat Epaphroditus. Ita Cretensium Titus et Asianorum Timotheus erant apostoli. » Selvaggio, *Antiq. Christ. Inst.* vol. II, p. 206 ; S. Irenæus (*Advers. hæres.* iii, n. 1) : « Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre, et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti episcopi in Ecclesiis et successores eorum usque ad nos. » Eusebius in Isaiam, ix, 14 ; sanctus Cyprianus, epist. 65, ad Rogatian., epist. 42, ad Cornel. : « Unitatem a Domino et per apostolos nobis successoribus traditam obtinere curemus. » Epist. 75, ad Firmilian. : « Potestas ergo peccatorum remittendorum apostolis data et Ecclesiis, quas illi a Deo missi constituerunt, et episcopis, qui eis ordinatione vicaria successerunt. Hostes autem unius catholicæ Ecclesiæ in qua sumus, qui apostolis successimus. » Sanctus Hieronymus, epist. 41, ad Marcellam : « Apud nos apostolorum locum tenent episcopi. » Epist. 146, ad Evang. : « Omnes (episcopi) apostolorum successores sunt. » Sanctus Augustinus, *De verb. Dom.* serm. 24 : « In eorum locum constituit nos. » Sanctus Gregorius Magn. *In Evangel.* l. ii, homil. 26 : « Horum (apostolorum) profecto nunc in Ecclesia episcopi tenent locum... » Clarus a Mascula, sancti Cypriani contemporaneus, in concilio Carthaginensi aiebat : « Quibus apostolis nos successimus eadem potestate Ecclesiam Dei gubernante. » S. Cyprian. Opera, edit. Venet. col. 710.

Probatur 5° *antiquis canonibus* : 1. Can. *In novo* 2, dist. 21, ex Epistola papæ Anacleti ad episcopos Italiæ, mox citandus ; 2. cap. 18 *Loquitur*, caus. 24, quæst. 1, et concil. Trident. sess. 24, cap. 4, infra.

Probatur 6° *a theologis et canonistis.* Omnes theologi et canonistæ unanimiter proclamant episcopos successores apostolorum, dempto speciali apostolatus privilegio. Satis erit adducere testimonia recentiorum in alma Roma receptissimorum.

Schmalzgrueber (*Jus ecclesiast. univers.*

tom. I, editio Romæ, tit. XXXI, n. 26. p. 229) : « Episcopi successerunt in locum apostolorum; can. *In novo* 2, dist. 21, atqui canon *In novo* extractum est ex epistola secunda papæ Anacleti ad episcopos Italiæ, in qua sic loquitur Anacletus : « Cæteri vero apostoli cum eodem (Petro), pari consortio, honorem et potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt, qui etiam, jubente Domino, in toto orbe dispersi Evangelium prædicaverunt. (§ 1.) Ipsis quoque decedentibus, in locum eorum successerunt episcopi : quorum ordinatio debet fieri ordine et modo, quos qui recipit et verba eorum, Deum recipit; qui autem spernit eos, eum, a quo missi sunt et cujus legatione funguntur, spernit; et ipse indubitanter spernetur a Domino. »

Devoti (*Instit. canon.* Prolegomen. cap. 2, § 17 et 18, nota 3) : « Regendæ enim societatis summa tota posita est in imperandi puniendique potestate; eam Christus Ecclesiæ dedit, eaque semper apostoli cæteriique episcopi, præsertim vero Romani Pontifices usi sunt. » .... Revera quidquid Christus de Ecclesiæ potestate dixit; non plebi, sed apostolis dixit, aut omnibus, aut Petro nominatim, legesque omnes de rebus ecclesiasticis non a populo, sed ab episcopis, ac præsertim a summis pontificibus sunt perpetuo constitutæ. » *Nota*, « quo pertinet, Matth. XVI, 19 : *Tibi dabo claves..*; Joan. XXI, 15 : *Pasce agnos*.... Matth. XVIII, 18 : *Quæcunque alligaveritis*.... etc.... Hinc Petrus Epist. I, cap. V, § 2, ita episcopos Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, etc., quos seniores appellat, alloquitur : *Pascite, qui in vobis est gregem Dei; pascere* autem idem est ac *regere*.... Hujus vero ab apostolis eorumque *successoribus* exercitæ potestatis pleni sunt sacræ Scripturæ et ecclesiasticæ historiæ libri. »

Prosp. Fagnanus in I part. primi decretal. *De consuetud.*, *Quanto :* « Quoniam apostoli, in quorum locum episcopi successerunt decret. c. *In novo* 21 dist. fuerunt a Christo instituti gradu, potestate, et ordine majores, et superiores discipulis, in quorum locum successerunt presbyteri ut per gloss. *Luc.* X. Idque manifestum esse cuilibet fideli dicit Cardinal. Turrecremat. in dicto cap. *Legimus*, num. 1, vers. *Sed ista opinio*... Quod ipsum colligitur ex electione Mathiæ, qui erat unus ex septuaginta duobus, quem, et Barnabem similiter discipulum, ut gloss. dicit Act. I : *Statuerunt orantes quis eorum eligeretur in opus ministerii apostolici.* Hinc enim manifeste patet non esse idem ministerium apostolorum, et discipulorum, sed differens statu, et potestate; quandoquidem si idem status, et ministerium esset apostolorum et discipulorum, frustra discipulus diceretur assumi ad id quod jam erat.... Et eodem modo Paulus, et Barnabas inter discipulos assumpti sunt et consecrati in episcopos, Act. XII, quando Spiritus sanctus dixit : *Segregate mihi Paulum et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos. Tunc jejunantes, et orantes, imponentesque eis manus, dimiserunt eos;* atque ita Paulus et Barnabas ex discipulis consecrati sunt episcopi. Unde patet etiam in primitiva Ecclesia exstitisse differentiam gradus, ordinis, et potestatis inter episcopos, et simplices sacerdotes, quod fusius probat Turrecremat. in dicto cap. *Legimus*... Simpliciter majorum et minorum sacerdotum discretio in novo Testamento ab ipso Christo sumpsit exordium, qui duodecim apostolos tanquam majores sacerdotes; et septuaginta duos discipulos quasi minores sacerdotes instituit... quæ multo clarius procedunt post concilium Tridentinum, quod in cap. 4, sess. 23, *De sacram. ordinis*, juncto can. 6, declarat præter cæteros ecclesiasticos gradus episcoporum, qui *in apostolorum locum successerunt*, ad hierarchicum ordinem divina ordinatione institutum præcipue pertinere, et positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse, et sacramentum confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque agere posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. Et in can. 7, subjicit anathemati contrarium dicentes. Quamobrem hodie hæreticum esse affirmare episcopos non esse presbyteris superiores ex institutione divina tenet Vasquez. in III part. D. Thomæ tom. III, dif. 240, cap. 3, n. 26. »

Certum est ergo ex Scriptura, Patribus, canonibus, ex Anacleto papa, ex concilio Tridentino, ex canonistis et theologis Romæ receptissimis, et cuilibet fideli manifestum, *episcopos in locum apostolorum successisse;* præterea *de fide est* episcopos esse presbyteris superiores ex institutione divina. Ex quibus sic argumentari licet : Christus de-

dit collegio apostolorum potestatem ordinis, magisterii et imperii missionemque immediate divinam in universam Ecclesiam, promisitque esse cum eis usque ad consummationem sæculi, et Spiritum sanctum cum eis esse in æternum mansurum. Ergo et hæc omnia contulit episcoporum corpori. Si enim, ut contendunt aliqui, potestas magisterii et imperii cum missione datur episcoporum corpori a summo Pontifice, in hisce episcopatus non succedit apostolatui, neque verificantur sacri textus : 1° *Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei;* 2° *Et ecce ego* VOBISCUM *sum usque ad consummationem sæculi;* 3° *Sicut misit me Pater et ego mitto* VOS; 4° *Et alium paracletum dabit* VOBIS, *ut maneat* VOBISCUM *in æternum*, etc. Neque verum est episcopos esse presbyteris superiores ex institutione divina, cum in quam refellimus opinione has potestates et missionem non a sacramento, sed ab homine accipiunt omnes episcopi. Attamen de fide est episcopos esse presbyteris superiores, quod in mente concilii Trident. auctoritatem importat. Tandem non verum esset exsistere differentiam gradus, ordinis et potestatis inter episcopos et simplices sacerdotes, siquidem adversarii non admittunt nisi differentiam ordinis jure divino. Inde sequeretur episcopos successisse apostolis tantum in ordinis, non autem in regiminis potestate. Hæc opinio nobis quidem videtur nova, omnique catholicæ doctrinæ et traditioni contraria, propterea omnino rejicienda.

Unde sequitur episcopos collegialiter sumptos, ex institutione divina, habere eamdem potestatem ordinis, magisterii et imperii, auctoritatemque ac apostoli collegialiter sumpti habuerunt. Quod facile demonstratur ex summorum pontificum et conciliorum generalium decretis.

Probatur 1° *ex conciliis et Romanis pontificibus.* 1. Schmalzgrueber (*Dissert. proœm.* § 8, n. 311) : « Probabilius est originem conciliorum divinam esse. Ita Bellarm. lib. I *De concil.* Hæc autem, n. 312, ostenditur ab eodem Bellarmino triplici argumento : 1. Quia concilium Chalcedonense in Epistola ad Leonem, et VI synodus act. 17, et Cœlestinus papa in Epist. ad concil. Ephes., item concilium Toletanum III, non procul ab initio, docent concilia esse demonstrata a Christo, in illis verbis : *Ubi fuerunt duo, vel tres congregati in nomine meo, illic in medio eorum sum* (*Matth.* XVIII, 20). 2. Credibile est apostolos, qui pleni erant Spiritu sancto, nonnisi ipso Spiritu sancto admonente, primum concilium congregasse; unde etiam dicunt : *Visum est Spiritui sancto, et nobis.* (*Act.* XV, 28.) Atqui falso decreta sua apostoli, quæ in hoc concilio statuerunt, Spiritui sancto tribuissent, si iste nec auctor, nec actor esset in conciliis, sed ut Pighius vult, convocare concilia inventio solum humana esset. 3. Etsi ratio humana, et naturalis dictet, ut in rebus dubiis princeps consulat homines peritos, tamen ut soli episcopi convocentur, et ii non ut consiliarii tantum, sed ut judices sententiam ferant, non videtur solius rationis humanæ inventum esse. »

N. 313, confirmat Plettember. (*Institut. jur. can.* cap. 13, n. 2.) Nam si ex jure humano concilia instituta essent, quibus episcopi tanquam judices interessent, mutatio sæpius circa ea contigisset : talis autem non contigit, nam ubique omnium gentium consensu sacerdotes, qui divinis præerant, judicandi de rebus maximis auctoritatem habebant .... Convincit ergo omnium fere gentium consensus, auctoritatem sacerdotum in judicando non esse solum *humani*, sed *naturalis*, et in Ecclesia etiam *divini juris*.

Amulius, nomine Pii Papæ IV, intrepide rescripsit Patribus Tridentinis ... « In episcopis concilii tam enormem cæcitatem timendam non esse, ut vellent *auctoritati suæ* tantum detrimentum inferre, suoque suffragio tantum æstimationis subtrahere (scilicet ut nationum numerus capitum numero prævaleret) ... Non ex doctrina, sed ex *manuum impositione* reddi episcopos in sacrosanctis illis cœtibus legitimos judices. » (PALLAVICIN. *Hist. conc. Trid.* lib. XVIII, cap. 13.)

Schmalzgrueber ubi supra, n. 317 : « Concilia generalia sunt, quæ congregantur summi pontificis auctoritate, omnibus Christiani orbis episcopis convocatis : hinc Græce *œcumenica*, quasi orbis terræ concilia, a sancto Augustino, lib. III, *De bapt.* c. 3, *plenaria* appellantur, quia universalem Ecclesiam repræsentant. »

Id. *ibid.* n. 345 : « Quæritur quam vim habeant decisiones et decreta conciliorum generalium? Resp. Si a sede apostolica confirmata sint, obtinent plenum robur, et au-

ctoritatem, ita ut hujusmodi decreta, si fidei orthodoxæ concernant, perinde, ut *quatuor Evangelia*, amplectenda, et retinenda sint ; si vero morum reformationem spectent, *vim legis universalis*, omnes Christi fideles obligantis, obtineant. Ratio de *decretis reformationis* est, quia hujusmodi leges papa solus potest condere : ergo multo magis ea condere potest cum concilio generali. De *decretis fidei* autem ex eo ostenditur, quia ejusmodi concilia, capiti suo unita, assistentiam habent Spiritus sancti, qui est spiritus veritatis : et hinc sanctus Augustinus (epist. 162) ejusmodi canones appellat ultimum Ecclesiæ judicium, quod quia infallibile nullique errori obnoxium est, mutari, et retractari, nisi errando, non potest, teste Epiphanio (hæres. 77). »

Sanctus Gregorius papa, in lib. I *Regist.*, epist. 24, sic scribit : « Sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere, et venerari me fateor Nicænum . . . . Constantinopolitanum . . . . Ephesinum. . . . Chalcedonense. . . .) ; quintum quoque concilium pariter veneror.... cunctas vero quas præfata veneranda concilia personas respuunt, respuo ; quas venerantur amplector : quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere, quas religant, aut ligare, quas solvunt. »

De iisdem etiam Gelasius papa in concilio habito Romæ cum LXX episcopis, scribit dicens : « Sancta Romana Ecclesia post illas veteris Testamenti et novi Scripturas, quas regulariter suscipimus, etiam has suscipi non prohibet. Sanctam synodum Nicænam . . . sanctam synodum Constantin. . . sanctam synodum Ephesinam . . . sanctam synodum Chalcedonensem. . . sed et si quæ sunt concilia a sanctis Patribus hactenus instituta, post istorum quatuor auctoritatem et custodienda, et recipienda decernimus et mandamus . . . (*Decret.* part. I, dist. 15, can. 3 *Sancta.*)

Scribit Adrianus papa Tharasio patriarchæ : « Sextam synodum sanctam recipio cum omnibus canonibus suis : quare et easdem sanctas sex synodos suscipio cum omnibus regulis, quæ jure ac divinitus ab ipsis promulgatæ sunt. » (*Decret.* part. I, dist. 16, can. 5 *Sextam.*)

Igitur decreta conciliorum de fide ut *quatuor Evangelia* amplectenda sunt, decreta de moribus et disciplina vim *legis universalis* omnes Christi fideles obligantis obtinent : ergo concilium generale, seu corpus episcoporum capiti suo unitum assistentiam habet Spiritus sancti et est infallibile ; item missionem divinam et jurisdictionem habet in universam Ecclesiam ; et « quæ universali sunt consensu constituta, jure ac divinitus ab ipso promulgata sunt. »

Utrum vero auctoritas conciliorum procedat a summo pontifice vel ab ipso concilio ? hæc disjunctiva quæstio nova ac inanis nobis videtur, et antiquitati ecclesiasticæ omnino ignota ; Christus apostolis cum Petro dedit omnes divinas potestates et missionem in omnes gentes, promisit esse cum eis usque ad consummationem sæculi, et Spiritum sanctum cum eis in æternum mansurum. Utquid igitur separare collegium quod Christus formavit et instituit ? Huic collegio et consequenter corpori episcoporum ejusdem successori perpetuo promissiones fecit Christus, et ita intellectum est a Patribus, summis pontificibus et conciliis ; cur ergo in duas partes dividere quod unum fecit Christus ? In tali divisione jam non subsistit institutio divina, ergo nec potestas, nec missio. Ubi vero adest corporis et capitis unio, subsistit institutio Christi, in qua omnibus membris cum capite unitis dedit potestates et missionem promissionesque fecit.

At coadunatio corporis episcoporum in concilio utilis est, non vero necessaria ad statuendum universali consensu ; itaque confessum est apud omnes decreta sive de fide, sive de moribus aut disciplina, a corpore episcoporum disperso, universali consensu constituta aut recepta et a summo Pontifice probata, jure ac divinitus promulgata esse, et vim universalis legis omnes Christi fideles obligantis obtinere.

Ad caput autem seu summum pontificem exclusive pertinet coadunare, coadunatum præsidere, aut dispersum consulere corpus episcoporum, ejusdemque decreta et responsa sancire, confirmare et promulgare. Hæc est doctrina et traditio catholica, ut supra responsum est a Schmalzgrueber ad quæsit. 11, n. 345.

Quam ex supra relatis dilucidius exponi nequit corpus episcoporum in collegio apostolorum, cujus est successor, cuique ab ipsis apostolis cooptatum est, institutum esse jure divino, missionemque immediate

divinam et perpetuam in universam Ecclesiam accepisse. Istud corpus semel a Christo constitutum, non moritur, proindeque non amittit potestates, nec missionem quæ illud constituunt, et in eo ipso consistit unitas episcopatus de qua Patres, summi pontifices et concilia tam præclare locuti sunt. Sed advertendum est corpus seu collegium nullum sine suo capite completum esse nec proinde plenam suam auctoritatem exercere posse. Attamen Schmalzgrueber (*Dissert. proœm.* n. 332) : « Quæritur 8°, an aliquando concilium generale absque pontificis Romani auctoritate convocari possit? Resp. Duo sunt casus, in quibus concilium generale a collegio S. R. E. cardinalium absque pontificis Romani auctoritate convocari possit : unus, si papa lapsus esset in hæresim ; alter, si duo de papatu contenderent, et neuter in concilii convocationem contendere vellet : his enim casibus Ecclesiæ et fidelium utilitas publica exposceret convocari concilium, ut tollantur, et avertantur publica scandala, ac detrimenta quæ ex hujusmodi hæresi vel schismatis continuatione impendent. Sed hujusmodi concilia, sic congregata, imperfecta appellat Bellarmin. l. 1 *De concil.* cap. 14, ad 2, quod concilium sine capite statuere nihil possit in causis fidei, aliisque majoribus, de quibus statuere potest cum capite. »

Concilium generale seu corpus episcoporum dispersum cum suo capite potest de causis fidei et aliis majoribus statuere ; ecce institutio divina completa.

At vero capite deficiente, collegium non cessat exsistere, sed exsistit imperfectum, unde in tali casu statuere nequit nisi ut se perficiat et compleat secundum divinam institutionem ; proptereaque de vero papa pronuntiare, aut de alterius legitima electione faciendа decernere potest.

Aliunde, caput collegii seu summus pontifex, ex divino jure de causis fidei, aliisque majoribus, solus statuere potest.

Attamen papa et corpus episcoporum non sunt duæ auctoritates divisæ et separatæ ; sunt vero una hierarchia a Christo instituta, ad regendam Ecclesiam. Corpus seu collegium episcoporum necessario includit primatum ut caput. Christus Ecclesiam universam regit et gubernat per unam aut alteram divinam institutionem scilicet per primatum seu papam in quotidianis et ordinariis casibus, et in extraordinariis per corpus episcoporum ; sed sunt semper eadem potestas, eadem missio, eadem infallibilitas divina, quæ decernunt, judicant et definiunt.

Et hæc omnia sunt talia ex divina institutione. Ergo, ex omnibus allatis, corpus episcoporum (seu episcopi collegialiter sumpti) est successor collegii apostolorum, et habet immediate a Christo omnes, etc.

PROPOSITIO TERTIA.

Nullus est de collegio apostolorum nec de corpore episcoporum, nisi electus sit a Christo ipso aut a potestate regiminis ejusdem Christi vicariali, et fuerit sacramentaliter ordinatus.

Probatur *prima pars* : 1° Ex Scriptura ; Christus ipse elegit duodecim apostolos, eosdemque sacramentaliter consecravit, postea ipsis missionem dedit, ut demonstratum est in prima propositione, *Supra hujus.* Mathias apostolus in Judæ successionem ab auctoritate Petri electus fuit, *Act. Apost.* 1. — 2° Historia ecclesiastica : « Ad Romanum pontificem pertinuisse jus eligendi, sive per se, sive per alios, et confirmandi omnes omnino episcopos, invicte probatur documentis historicis. Petrus Alexandrinam et Antiochenam Ecclesiam fundavit ; auctoritate Petri Jacobus Hierosolymitanus episcopus constitutus fuit. » (*Act. Apost.* passim.) « Ad Romanum pontificem pertinuisse jus confirmandi patriarchas Orientis, invicte probatur documentis historicis. » Bourx, *De episcopo*, part. II, cap. 1, § 1, conclusio 1. « In Oriente electos metropolitanos confirmabant et ordinabant patriarchæ (ex concessione Romani pontificis, cui *id* erat *consuetum*, can. 6 Nicæno) ; cæteros etiam confirmabant, ast eorum ordinationem respectivis metropolitanis ordinarie relinquebant. » (Id., *ibid.* concl. 2.)

« In reliquis, præter Africam, Occidentis provinciis, per quatuor fere priora sæcula, nullus exstitit præter Romanum pontificem metropolitanus ; ad solum Romanum pontificem tunc pertinuit in hisce provinciis episcopos ordinare. » (Id. *ibid.*, conclus. 3.)

« Postquam passim per Occidentem constituti sunt metropolitani, eos ordinare, ac proinde confirmare, pertinuit ad Romanum pontificem ; sed paulatim indulsit papa, propter regionum longinquitatem et itineris difficultates, ut possent metropolitani in suis respective provinciis ordinari. » (Id. *ibid.*, conclus. 4.)

« Postquam, ex indulto Sedis apostolicæ, invaluit disciplina ut metropolitani in synodo ordinarentur, adhuc obtineri debuisse a Romano pontifice approbationem seu confirmationem, saltem probabilius est.» (Id. *ibid.*, conclus. 5.)

« Non tantum metropolitanos, sed alios etiam Occidentis episcopos debuisse olim a Romano pontifice confirmari, probabilius est.» (Id. *ibid.*, conclus. 6.) « Hæ duæ ultimæ conclusiones non sunt tamen ab eruditis concessæ.» (Id. *ibid.*)

« Episcoporum electio Romano pontifici olim non erat reservata : fiebat per provinciæ episcopos, ac per suffragia cleri Ecclesiæ viduatæ, concurrente etiam aliquatenus populo.» (Id. *ibid.*, § 2, conclus. 1.) « Etiam quando viguit disciplina, ut ab aliis quam a Romano pontifice episcopi eligerentur et confirmarentur, interveniebat multipliciter ipsius auctoritas, imo ex sua sola auctoritate, ubi id expedire arbitrabatur, episcopos ipse constituebat.» (Id. *ibid.* concl. 2.)

« Potestas episcopos eligendi ac confirmandi, aliis quam Romano pontifici olim competens, ex ipsius Romani pontificis voluntate et concessione tota defluxerat.» (Id. *ibid.*, § 3.) Quod ab eodem Bouix probatur ex historia, sacra Scriptura, conciliis, variisque dogmaticis definitionibus ac declarationibus.

Probatur *pars secunda*, scilicet quod *nullus sit de collegio apostolorum nec de corpore episcoporum, nisi.... fuerit sacramentaliter ordinatus.*

Probatur 1° *ratione theologica;* in capit. 3 proposit. 3 supra, probatum est nullum ad hierarchiam divinam pertinere, nec ejusdem potestates possidere posse, nisi per ordinis sacramentum consecratus fuerit. Atqui, ex concilio Trident. sess. 23, cap. 4, juncto canone 6, præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopi, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinent. Ergo nullus est episcopus, nisi sacramentaliter ordinatus.

Probatur 2° *ex Scriptura sacra :* 1° apostoli consecrantur ab ipso Christo; 2° Paulus et Barnabas, etsi a Spiritu sancto electi seu segregati, tamen manuum impositione consecrantur in episcopos. (*Act.* XIII, 2, 3.) Idem probatur multis aliis sacræ Scripturæ textibus.

Probatur 3° *ex traditione.* Tota est traditio catholica in hac veritate affirmanda.

Ergo nullus est de collegio, etc.

Probatur tandem ex canonistis. Philips, et apud eum Bolgeni, clarius, nostro sensu hierarchiæ potestates, et missionem exposuerunt, in opere : *Du droit ecclésiastique dans ses principes généraux... traduit par M. l'abbé Crouzet*, qua traductione utimur, deficiente originali; et ex citationibus confirmabuntur præcedentes propositiones.

Demonstrat, lib. I, cap. 1, collegium apostolorum fuisse a Christo institutum. *Je vous envoie comme le Père m'a envoyé.* (*Joan.* XX, 21.) — *Tout pouvoir m'a été donné.* (*Matth.* XXVIII, 18.) *Ce pouvoir qui ne peut être que l'attribut de la Divinité, Jésus-Christ le confère à ses apôtres ; et par là il les investit, vis-à-vis du genre humain, d'une souveraineté qui ne pouvait émaner que du Très-Haut, du Roi des rois.* (Bolgeni. *L'Episcopato*, p. I, n. 2, pag. 3.) *Le Christ est envoyé ; les apôtres, comme le nom le porte, sont envoyés ; tout pouvoir, toute autorité, dans l'Eglise, repose sur la mission, le mandat, la délégation.*

Cependant, parmi les apôtres, le Christ en choisit un, Simon, fils de Jean, qu'il revêt spécialement du pouvoir souverain, et dont il fait la pierre fondamentale de l'Eglise, le centre de l'unité... il lui dit : « Tu es Pierre. » (*Matth.* XVI, 16.)

Bientôt les apôtres se répandent sur la face de la terre. Ils établissent partout des Eglises, ils leur donnent des chefs, des évêques et des prêtres, auxquels ils confèrent de leur plénitude, les pouvoirs nécessaires à l'accomplissement de leurs fonctions. Et l'Eglise est fondée, et à jamais inébranlable. Les apôtres peuvent consommer leur course... Leurs pouvoirs leur survivront dans la personne des évêques.

L'épiscopat dérive donc de l'apostolat, ainsi institué immédiatement par le Christ : mais comme l'apostolat, disons mieux, comme l'Eglise entière, il est fondé sur Pierre, le représentant, le vicaire de Jésus-Christ, institué par lui. Les apôtres étaient subordonnés à Pierre, leurs successeurs sont subordonnés aux siens sur le siége de Rome.

La plénitude de la puissance sacerdotale repose sur l'épiscopat, fondé lui-même sur la primauté. Le Christ a choisi ses apôtres pour leur conférer sa souveraineté sur le genre humain.... Il fallait donc que les apôtres fussent mis en possession de tous les droits et de tous les pouvoirs qui forment géné-

ralement l'apanage de la puissance souveraine....

L'organisation du corps sacerdotal se produit dans les divers degrés de la hiérarchie; l'unité se réalise dans sa primauté.... Sur le premier de ces degrés sont placés les trônes royaux des évêques; successeurs des apôtres, les évêques sont, en cette qualité, égaux entre eux: mais au-dessus d'eux siége le successeur de Pierre, dans tout l'éclat de la puissance souveraine dont il a été revêtu par celui dont il était le lieutenant.

§ 17. *Incontestablement Jésus-Christ a donné à tous les apôtres, c'est-à-dire au corps apostolique, Pierre y compris, la plénitude de la puissance : « Sicut misit me Puter, et ego mitto vos. » — « Omnis potestas... » Mais c'est à Pierre entre tous qu'il confère cette souveraine puissance. Donnée d'abord à* UN *entre douze, puis, pour toute la suite des temps, à* UN *entre tous les hommes, cette souveraine puissance doit donc avoir pour but, pour objet essentiel, l'unité et la conservation de l'Eglise fondée par et sur cette unité... L'édifice sera donc un et inébranlable, mais à la condition que, tandis que Pierre n'aura que Dieu au-dessus de lui, le reste des apôtres sera soumis à Pierre. Le pouvoir conféré au corps apostolique forme ce qu'on appelle l'épiscopat; mais Pierre est, soit dans l'ordre du temps, soit dans l'ordre de la dignité, le premier entre les évêques. Ce n'est pas qu'il possède seul, à l'exclusion des autres, l'épiscopat, ni conséquemment que les autres apôtres soient en aucune façon ses représentants; mais l'épiscopat a été institué dans sa personne, et ceux qui en ont été ultérieurement investis l'ont été dans la subordination à l'évêque suprême institué antérieurement.* (Bolgeni, p. 37.) *Tous ont reçu l'épiscopat; lui seul a été revêtu de la souveraineté de l'épiscopat.... Par lui (Pierre), dit Innocent I, après saint Cyprien, l'apostolat et l'épiscopat ont leur commencement en Jésus-Christ.* (*Epist. ad Jud.* 73.)

Chap. III, § 18. *Tous les apôtres subordonnés à Pierre, étaient néanmoins égaux entre eux dans l'exercice de cette autorité; chacun était indépendant de l'autre, et Pierre lui-même n'aurait pas pu ôter à un apôtre le moindre des pouvoirs que Dieu avait donnés également à tous; de même que, de leur côté, les autres apôtres ne pouvaient en aucune manière, en vertu de ces pouvoirs, diminuer la primauté de Pierre* (Devoti, p. 5); *car le Christ n'a pas établi l'ordre dans son Eglise, de telle sorte, ou que Pierre fût le seul pasteur instituant les autres apôtres dans leurs droits respectifs, ou que le choix de Pierre, en qualité de leur chef, ait été laissé à la libre élection des apôtres; Pierre et les apôtres, le chef et les plus nobles membres, ont été également institués par Jésus-Christ.* » (Lupoli, *Jur. Eccles. prælect.* vol. I, p. 131.)

§ 19, n. 2.... *Bien que les apôtres ne forment qu'un seul corps avec Pierre, ils ne lui sont cependant nullement égaux en autorité pour la conservation et le maintien de l'unité à l'abri de tout schisme et de toute division* (Coeffeteau, p. 51); *ils lui sont égaux quant à l'œuvre de l'apostolat en lui-même; mais pour l'ordre et la manière de l'exercice ils lui sont sujets* (*Ibid.* p. 48. — Ballerini, *De vi ac ratione primatus*, c. 12, p. 65) *Ils lui sont encore égaux pour l'étendue et la plénitude du pouvoir apostolique, qu'ils avaient nécessairement en qualité de premiers propagateurs de l'Evangile : Jésus-Christ leur donne à tous pouvoir sur tous les peuples de la terre.*

La véritable souveraineté cependant, l'indépendance de toute autorité humaine, ne leur est pas conférée, et voilà en quoi ils diffèrent de Pierre à qui cette souveraine autorité a été remise. (Bolgeni, n. 18, p. 34.) — *Sans nul doute cette souveraineté et cette indépendance sont implicitement renfermées dans l'idée de l'apostolat; mais elles s'y trouvent de la même manière que l'unité elle-même, c'est-à-dire, en principe, parce que Pierre est membre et chef de l'apostolat.* (Bolgeni, n. 23, p. 47.)

Chap. IV, § 20.... *Conformément donc à la forme gouvernementale établie par Jésus-Christ, et qui doit persévérer inaltérable, Pierre ne peut avoir qu'un qui.... succède véritablement dans tous ses droits de vicaire du Christ, comme pierre fondamentale et chef de l'Eglise, au triple point de vue du sacerdoce, du ministère doctrinal, et du gouvernement.*

Dans l'ordre temporel de la souveraineté, la génération charnelle, par conséquent les rapports de consanguinité, sont la base de la succession.... Dans le royaume du Christ, sur la terre, le sacerdoce repose également sur une génération, mais sur la génération spirituelle de l'ordination. L'ordination, émanant

tout à la fois de Jésus-Christ, sa source primordiale, essentielle, et de Pierre son représentant; voilà le fondement de la succession, le titre général, indispensable, qui y donne droit; la voie unique par laquelle se transmettent dans l'Eglise les pouvoirs que le Christ a déposés dans son sein. Pour succéder légitimement à Pierre, il faut avoir été établi en union intime de parenté avec lui par la consécration reçue de ses propres mains, ou de celles d'un autre prêtre, indifféremment; car la consécration apostolique s'accomplit dans la subordination au suprême sacerdoce de Pierre, d'où dérive l'unité sacerdotale. De même donc que, dans le monde, le droit de succession au trône repose sur la parenté du sang, de même, dans l'Eglise, le droit de succession au pouvoir souverain repose sur la parenté spirituelle, fondée par l'ordination.

§ 22. *Un point incontestable et incontesté, c'est que les évêques sont les successeurs des apôtres. Et après la définition du concile de Trente, c'est une vérité approchante de la foi.*

A la place des apôtres, l'Eglise voit ceux qu'ils ont engendrés spirituellement, et elle les considère comme leurs fils, héritiers de la promesse que le Christ leur a faite d'être avec eux jusqu'à la consommation du temps.

Ainsi que la primauté et l'épiscopat de l'évêque de Rome, l'épiscopat de chaque évêque est donc d'origine divine.... Ainsi le successeur de Pierre est obligé, en vertu de l'institution divine, de reconnaître dans les évêques les successeurs des apôtres, et de se les associer dans le gouvernement de l'Eglise. Ainsi c'est l'épiscopat qui gouverne le royaume du Christ. Cette juridiction universelle est annexée par l'institution de Jésus-Christ au caractère épiscopal, et se confère par Dieu immédiatement à tout évêque dans son ordination: (Questa universal giuridizione e annessa per instituzione de Giezu Christo al caratere episcopale, e si conferisse da Dio immediatamente ad ogni vescovo nella sua ordinazione. BOLGENI, p. 304.) *Car il est investi du pouvoir des clefs, de l'infaillibilité et de la souveraineté sur l'Eglise. Mais, en disant qu'à l'épiscopat appartient le souverain pouvoir dans l'Eglise, il ne faut pas oublier un instant que non-seulement l'évêque de Rome fait partie intégrante de l'épiscopat, mais encore que, en vertu de sa primauté, il plane au-dessus du reste de l'épiscopat, et qu'il est essentiellement le canal principal par où les trois pouvoirs divins sont transmis à l'Eglise.*

Les évêques sont donc les successeurs des apôtres, et c'est des apôtres mêmes qu'ils tirent ce caractère épiscopal inséparablement inhérent à leur personne (BOLGENI. p. 125 et 303); *ils le partagent avec eux; comme eux, ils ont le sacerdoce, l'autorité doctrinale et le pouvoir gouvernemental, comme eux.... ils sont investis de la souveraineté sur toute la terre.* (S. AUGUST. *in Psal.* XLIV, 17. — Petav. *de Eccles. hierarch.* l. III, c. 9, p. 103.)

§ 23. *Mais il n'y a que l'évêque de Rome, le successeur de Pierre, prince des apôtres, qui soit, rigoureusement parlant, le successeur d'un apôtre. La personne et la dignité de Pierre sont toujours vivantes dans l'évêque de Rome; et ce n'est que dans leur ensemble, ce n'est que comme formant un seul et même corps que les autres évêques sont les successeurs des apôtres (et jouissent de leurs pouvoirs); l'épiscopat remplace l'apostolat; le collége des apôtres vit et subsiste dans le collége des évêques.* (BOLGENI, *L'Episcop.* chap. 5, p. 124 et suiv.)... *Bien plus l'épiscopat n'est précisément l'épiscopat que parce qu'il renferme le successeur de Pierre, le chef de toute l'Eglise; il reste tel, lors même que tel ou tel successeur particulier des apôtres s'en sépare, et, si grand qu'en puisse être le nombre, les évêques qui se séparent du successeur de Pierre, se séparent par cela seul, de l'épiscopat véritable, du corps sacré dont les membres puisent la vie dans leur union avec le chef. Un épiscopat séparé du successeur de Pierre ne serait qu'un épiscopat acéphale, privé de la suprême puissance de lier et de délier, de l'infaillibilité et du pouvoir souverain. Car c'est avec Pierre, et par lui, que l'épiscopat gouverne le royaume de Jésus-Christ* (BENNETT. *Privil. S. Petri vindic.* t. I, p. 94); *avec Pierre et par lui, qu'il annonce au genre humain la doctrine infaillible; avec Pierre, et par lui, qu'il ouvre ou ferme les portes du ciel. Pour que l'apostolat présentât dans son organisation hiérarchique l'image et le modèle de l'épiscopat futur, le Christ avait conféré le pouvoir des clefs aux apôtres, en les subordonnant au pouvoir de Pierre, de même que, pour la doctrine, il les avait adressés à lui comme à leur guide et leur appui. Ainsi, aucun évêque n'a droit de pré-*

tendre à l'infaillibilité qu'autant que sa foi est en parfaite harmonie avec celle de Pierre (Devoti, p.126) ; *mais à cette condition, l'épiscopat, soit réuni, soit dispersé, est infaillible.*

Ainsi il en est pour le pouvoir gouvernemental : les évêques partagent avec Pierre le gouvernement général de l'Eglise ; mais individuellement, ils n'ont d'autorité immédiate que sur une partie déterminée du troupeau de Jésus-Christ, sur l'Eglise spécialement confiée à leur direction. Oui l'épiscopat ainsi que le corps des apôtres, forme un collége investi du pouvoir souverain (Bolgeni, p. 57; Devoti, p. 115), *et cela en vertu même du pouvoir inhérent au caractère épiscopal.* (S. Cyprian. epist. 67, *Ad Stephan.* c. 6.) *Mais aucun évêque, à l'exception seule du successeur de Pierre, n'est en droit de l'exercer isolément ; il n'en jouit que comme membre du corps épiscopal, agissant de concert avec son chef. Ces deux pouvoirs, l'un général, l'autre particulier, loin de s'exclure mutuellement, s'associent au contraire dans l'accord le plus intime, comme nous le voyons dans ces paroles si justes et si concises de saint Cyprien, que nous avons déjà citées :* « Unus est episcopatus, cujus a singulis in solidum pars tenetur. »

Bouix in suo Tractatu *De episcopo*, tom. I, p. 83 et seq., sic transcribit quod Bolgenii systema vocat : « Corpus episcopale collegio apostolico vere succedit, eique competit omnis illa in universalem Ecclesiam jurisdictionis potestas, cum privilegio etiam infallibilitatis conjuncta, quam habuit apostolorum collegium. Inde autem exsurgit maximi momenti distinctio quoad episcopalem jurisdictionem. Distinguenda nempe est *universalis* seu in totam Ecclesiam, et *particularis* seu ad unam aut plures diœceses restricta. *Universalis* jurisdictio ab episcopis non exercetur nec exerceri potest nisi unitis ad invicem et cum capite suo Romano Pontifice ; id est, nisi quatenus in corpus seu collegium coeant, sive intra, sive extra concilium. Recte id intelligi potest exemplo senatus, qui suprema auctoritate rempublicam gubernat. Senatoribus quatenus singulis nequaquam competit rempublicam regendi potestas, quamvis iidem senatores hac potestate polleant collegialiter seu in senatum adunati. Ejusmodi *universalis* jurisdictio ex institutione Christi characteri episcopali annexa est, atque immediate a Deo cuilibet episcopo in ipsius ordinatione confertur. » (Bolgeni, *L'Episcopato*, part. II, c. 1, n. 164.)

« In episcopis, præter *particularem* in suas respective diœceses jurisdictionem, attendenda est *universalis* eorum jurisdictio quoad totam Ecclesiam. Episcopi nempe, non quatenus singuli, sed collegialiter ac sub auctoritate capitis sui Romani pontificis, conflant id quod vocatur *corpus episcopale*. Hocce corpus apostolorum collegio vere ac proprie succedit ; possidetque episcopatum cum omnimoda plenitudine, universalitate ac suprematia, prout illum instituit Christus ac contulit. Equidem episcopus quilibet seorsim sumptus, etsi judex fidei exsistat, non tamen est in definiendo infallibilis : itemque, quantumvis circa disciplinam legislativa potestate polleat, non tamen leges condere valet, quæ extra ipsius diœcesim obligent. Ad *corpus* autem episcoporum quod attinet, sive in concilio œcumenico legitime adunatum, sive etiam per Ecclesiam dispersum, emanatæ ab ejusmodi corpore fidei definitiones infallibiles sunt, et ubique obligatoriæ ejusmodi disciplinares leges. »

« Jam vero, ex ipso ordinationis suæ actu ac vigore, consequitur quilibet episcopus ut tanquam membrum corpus episcopale possit ingredi, ac consequenter ut universam Ecclesiam regere et docere valeat, quando erit in collegium seu corpus cæteris unitus. Et hæc est quam voco ego *universalem* in unoquoque episcopo jurisdictionem, prorsus distinctam a jurisdictione *particulari* in assignatam sibi diœcesim ac populum. Jurisdictio hæc particularis confertur a papa immediate : *universalis* vero confertur a Deo simul cum episcopali charactere, cui annexa est. Tres illi episcopi de quibus supra, Barses, Eulogius et Lazarus (Sozomenes lib. VI, cap. 34), qui *ad honorem* duntaxat ordinati sunt, fuerunt charactere episcopi, absque ulla in aliquem determinatum populum jurisdictione : potuissent tamen, sicut alii episcopi, in concilio œcumenico definire ac statuere ; et scimus revera, ex Actis tam antiquorum quam recentiorum conciliorum, iis interfuisse ejusmodi episcopos, nullum sibi commissum populum habentes, sedisse que cum aliis tanquam judices ac legislatores.... »

« Quamvis autem dicta *universalis* jurisdictio a Deo episcopis immediate conferatur,

ejus tamen exercitium legitime impedire valet suprema Ecclesiæ potestas, episcopum suspendendo aut deponendo; nec desunt in antiquitate multa canonicarum ejusmodi pœnarum exempla.» (Bolgeni, *L'Episcopato*, part. I, cap. 7, n. 95 et 97.)

Post supra transcriptionem, in § 2, D. Bouix hoc systema Bolgenii evertere conatur, et sic argumentatur :

I. *Hæc opinio videtur nova*, quia Bolgenius nullum citat doctorem qui eam defenderit aut exposuerit, nec ipse Bouix ullum potuit hujusce systematis vestigium reperire.

At Bolgenius respondere potuisset se systema suum in Evangelio, traditione et doctrina catholica reperisse.

1° *In Evangelio*. Christus instituit collegium apostolicum, eidemque dedit *universalem* jurisdictionem in Ecclesiam; apostoli cooptarunt seniores seu episcopos in suo collegio, et cum eis definierunt in concilio Hierosolymitano, Act. apost. XV, 28, et dixerunt : *Visum est nobis et Spiritui sancto*, non vero, ut dicere debuissent in opinione opposita : *Visum est Petro et Spiritui sancto*. Christus promisit se esse cum apostolis usque ad consummationem sæculi, et Spiritum sanctum cum eis in æternum mansurum. In opinione quam contra Bolgenium propugnat D. Bouix, hæ promissiones Christi verificari nequeunt; sed verba Christi sic essent vertenda : *Et ecce ego cum Petro sum usque ad consummationem sæculi*..... et *Spiritus sanctus cum Petro in æternum manebit*. Dum e contra in sententia Bolgenii omnia verba Evangelii et Novi Testamenti perfecte verificantur.

2° *In traditione*, quæ unanimis est in docendo corpus episcoporum successisse apostolorum collegio, et episcopos a Spiritu sancto positos esse regere Ecclesiam Dei, et can. 2 *In novo*, dist. 21.

3° *In doctrina catholica :* hæc est : Decreta conciliorum de fide ut *quatuor Evangelia* complectenda sunt, etc. Et confessum est apud omnes, decreta sive de fide, sive de moribus aut disciplina, a corpore episcoporum disperso universali consensu constituta aut recepta, jure ac divinitus promulgata esse. Omnes Catholici credunt Ecclesiam docentem, seu corpus episcoporum, esse infallibilem. Ergo systema Bolgenii nihil aliud est quam doctrina catholica.

II. *Dicta opinio*, ait D. Bouix, *videtur, non tantum præter, sed etiam contra doctrinam a gravioribus catholicis auctoribus traditam*, et pugnaret contra Ecclesiæ regimen monarchicum.

Resp. 1° Opinio Bolgenii non adversatur monarchiæ Ecclesiæ; cum Papa sit necessarium caput collegii episcopalis, et solus possit decernere et definire; dum e contra corpus episcopale nihil possit sine Papæ auctoritate.

2° Quoad episcopos *annulares*, qui judices sunt in conciliis, quidquid dicant aliqui, « scimus revera ex actis, ait Bolgenius, tam antiquorum quam recentiorum conciliorum, iis interfuisse ejusmodi episcopos, nullum sibi commissum populum habentes, sedisseque cum aliis tanquam judices et legisla tores.... »

3° Quod ad concilium œcumenicum necessario vocari debeant episcopi ratione ordinariæ jurisdictionis quam singuli ex jure pontificio in commissas sibi diœceses habent, ut ait D. Bouix, non videtur doctrina cæterorum *probatæ doctrinæ auctorum catholicorum ;* si quidem omnes docent, ex jure divino, et Amulius in nomine Pii IV rescripsit Tridentinis Patribus... *ex manuum impositione reddi episcopos in sacrosanctis illis cœtibus legitimos judices* (Pallavicin *Hist. conc. Trid.* l. XVIII, cap. 13) : quod est sententia Bolgenii.

Ergo dicta (Bolgenii) opinio non est præter, nec contra, sed juxta doctrinam DD. et a Pio IV per Amulium Tridentinis PP. traditam. Sane omnes conveniunt cardinales non episcopos, abbates, episcopos confirmatos non consecratos ex privilegio et concessione juris canonici ad concilia vocari; sed e contra episcopos consecratos vocari ex p eno jure divino.

III. *Dicta Bolgeni opinio non videtur tuta.* Non satis cohæret cum certo illo principio, monarchicam esse Ecclesiæ formam, etc.; sic D. Bouix. Respondeo : Christus instituit primatum Petri seu monarchiam Ecclesiæ; sub Petro instituit collegium apostolicum; Petro dedit regiminis potestatem in universam Ecclesiam, apostolis Petro unitis dedit etiam regiminis potestatem in universam Ecclesiam; nihil possunt apostoli seu episcopi absque Petro, quomodo igitur potestas apostolorum offendit monarchiæ Petri? Non liquet. Christus regit, gubernat, docet et definit ordinarie per primatum a se institu-

tum, aliquando per corpus episcopale æqualiter a se institutum; ubi est in hac institutione Christi contrarietas? Quidquid dicant adversarii, ita est, quia ita Christus instituit; ita instituit, quia voluit, et contra voluntatem ejus argumenta etiam subtilissima nihil faciunt. Manet ergo vera sententia Bolgenii.

Ergo ex demonstratis in tribus propositionibus præcedentibus, Christus semel et pro semper episcoporum corpori, sub ejusdem capite, in apostolorum collegio, assignavit gregem universum, et dedit missionem in universam Ecclesiam et totum orbem. Ita ut unusquisque episcopus simul eum episcopatu accipiat esse de episcoporum corpore, et de ejusdem collectivis potestate et missione participare; quod erat demonstrandum.

§ II. — De monarcha et membris hierarchiæ uti singulis.

Proœmium Hierarchiam divinitus institutam, quatenus corpus ex capite et membris constans efformantem consideravimus; hierarchia vero nec semper, nec unice ut corpus agit; sed suas potestates perpetuo explicat et exercet per singula ejusdem membra.

Christus apostolorum collegio, et in eodem corpori episcopali, omnes potestates et missionem divinam in omnes gentes, in universam Ecclesiam dedit. Ita ut jure divino episcopi positi sint a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei. (*Act.* xx.) Ideoque papa ipse episcopatum tollere nequiret, ut per alios Ecclesiam gubernet. Christus autem soli Petro individualiter dedit plenitudinem potestatum et missionis cum primatu, soli Petro singulariter assignavit Ecclesiam universam tam apostolos ipsos quam alios homines ipsi subjectos, totumque orbem ut territorium. Quia vero per semetipsum ubique attingere non potuisset Petrus, ipsi adjunctum est apostolicum collegium in ejusdem auctoritatis participationem ad eam sub et cum eo exercendam in orbe usque ad ultimum terræ et consummationem sæculi. (*Act.* I, 8; *Matth.* xxviii, 20.) Hæc est missio divina generaliter ab ipso Christo apostolorum collegio et in eo episcopatui data. Hujus vero missionis divisio seu distributio orbis inter apostolos a Christo nec determinata, nec assignata fuit; sed ipsorum sub Petri auctoritate deliberationi relicta. Per hanc Petri auctoritatem Jacobus episcopus particularis Ecclesiæ Hierosolymitanæ constitutus fuit. Petrus ipse sedem suam singularem primo in Antiochia, deinde Romæ stabilivit, et Alexandrinam Ecclesiam per suum discipulum sanctum Marcum fundavit. Alii apostoli, cum inter se de consensu Petri ad Evangelium prædicandum orbem divisissent, ubique Ecclesias ad instar parvulorum regnorum ab universali Dei regno Petro divinitus credito dependentium formarunt; sed ad ista singula regna gubernanda episcopos in locum ipsorum instituerunt in Petri tamen subordinatione, quemadmodum Hierosolymis constitutus erat Jacobus. Ex apostolorum Actibus (passim) scimus Petrum visitasse et confirmasse plerasque harum singularum Ecclesiarum. Unusquisque igitur apostolus suam particularem missionem saltem large indicatam a Petro accepit; et unusquisque episcopus suam missionem præcisius delimitatam certoque territorio affixam accepit aut directe ab ipso Petro, aut a Petro per apostolos qui unumquemque episcopum instituerunt. Sic distributus fuit episcopatus unus ut sub Petri primatu ab omnibus et singulis episcopis in solidum exerceretur; sic cathedra Petri unica ab ipso Christo in toto orbe erecta in suis diversis partibus suscepit aliquem episcopum, qui in parte sibi commissa explicaret easdem divinas potestates, juxta tamen limitem et extensionem determinatas ab ipso Petro, cujus suprema absolutaque auctoritas ad universam cathedram singulasque ejusdem partes sese extendit. Ita quidem verificantur verba Domini : *Et erit unum ovile et unus Pastor*. (*Joan.* x, 16.) —Item sancti Cypriani verba : *Unus est episcopatus, cujus a singulis in solidum pars tenetur*, cap. *Loquitur* 18, caus. 24, quæst. 1. Item hæc alia SS. Patrum : Episcopi super Petri cathedram sedent, id est super aliquam partem, et papa sicut Petrus in universam regnat et imperat. Unde verum est dicere quod papa omnium Ecclesiarum sollicitudinem habet, quodque episcopi singuli in partem sollicitudinis vocantur. Hæcque omnia ita sunt jure divino.

Papa uti singulus est semper hierarchiæ et Ecclesiæ caput, supremus et independens monarcha totius Ecclesiæ, pastorum sicut et fidelium.

Episcopi uti singuli sunt reges seu pastores ad particulares in subordinatione jure divino monarchæ Ecclesias gubernandas.

PROPOSITIO PRIMA.

Forma potestatis regiminis seu imperii ecclesiastici est jure divino monarchica; Petrusque et ejusdem successor papa est monarcha Ecclesiæ, plenitudinem potestatis et missionem divinam, proindeque supremam jurisdictionem in universam Ecclesiam tum in omnes Christi fideles, tum in episcopos ipsos sive collegialiter sumptos sive uti singulos immediate a Christo habens.

Quod hanc potestatem (monarchicam) summus pontifex habeat, est *de fide*, ut constat ex traditione et communi sensu Ecclesiæ, et ex his, quæ statim afferemus. Quod autem illam habeat illo modo (nempe *immediate a Christo*...) est conclusio adeo certa, ut sine errore negari non possit. (SUAREZ. *De legibus*, lib. IV, cap. 3, n. 10.)

Probatur I. Ecclesia est societas divino-humana, completa, independens, una, apostolica, uti esse *de fide* jam demonstratum est, lib. I, cap. 1, prop. 1. supra. — Societas vero non potest esse divino-humana, nisi habeat regimen divinitus institutum et transmissum; non potest esse completa et independens nisi habeat imperium absolutum et aliis potestatibus independens; non potest esse una, nisi per unitatem regiminis et potestatis; nec apostolica, nisi per apostolicitatem rectorum.

Atqui demonstravimus 1° Petrum apostolorum principem immediate accepisse ab ipso Christo primatum apostolatus, potestatem confirmandi fratres suos apostolos in fide, magisterii et imperii potestatem et missionem, proindeque jurisdictionem tum in universalem Ecclesiam, tum in apostolos ipsos sive collegialiter sumptos, sive uti singulos (*de fide*) Prob. 1, prop. 1, cap. IV, hujus libri col. 191.

2° Romanum pontificem verum B. Petri successorem, Ecclesiæ et episcoporum principem, accipere immediate ab ipso Christo, et ex vi institutionis ejus, primatum in universum orbem, potestatemque confirmandi fratres suos episcopos sicuti Christi fideles in fide, jurisdictionem et legislativam potestatem tum in universalem Ecclesiam, tum in episcopos ipsos sive collegialiter sumptos, sive uti singulos (*de fide*). Probat. 2, prop. 1, cap. IV ejusdem libri, col. 197.

Ergo Romanus pontifex divinitus instituitur, habet imperium summum immediate a Deo, proindeque absolutum ac aliis potestatibus independens. Unicus est in Ecclesia et mundo, et solus singulari apostolo apostolorum principi succedit.

3° Demonstravimus omnes sive episcopos, sive fideles Petro, Romanoque pontifici subjectos esse a Christo; regiamque episcoporum potestatem, etsi divinitus institutam et collatam, esse jure divino obnoxiam et subjectam Romani pontificis auctoritati (*de fide*). — Ergo forma jurisdictionis, seu imperii ecclesiastici est jure divino monarchia, et papa est monarcha Ecclesiæ.

II. Idem directe demonstraretur Scriptura, traditione, Patribus, et canonibus, quos jam citavimus et superfluum esset hic rursus transcribere.

III. Sufficiat recitare canones qui hanc veritatem definiunt :

1° Ex concilio Lugdunensi œcumenico : «Profitemur Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere; eamque ab ipso Domino in B. Petro apostolorum principe, sive vertice, cujus Romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse.»

2° Florentin. concil. œcum. : « Definimus sanctam apostolicam sedem et pontificem Romanum in universum Christi orbem tenere primatum, et ipsum Romanum pontificem esse successorem B. Petri principis apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem exsistere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. » Ex duabus istis definitionibus patet *Primatum* et *Principatum* idem esse, et utrumque idem sonare ac *plenitudo potestatis, suprema et absoluta auctoritas.*

3° Trident. conc. sess. 14, c. 7 : « Pontifices maximi, pro *suprema potestate* sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores, suo potuerunt peculiari judicio reservare. »

4° Ex dogmatica extravagant. commun. l. I. tit. VIII, cap. *Unam sanctam:* « Porro subesse Romano pontifici omni humanæ creaturæ (*alias* omnem humanam creaturam) declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis. »

Ergo *de fide est* formam jurisdictionis seu imperii ecclesiastici esse jure divino mo-

narchicam, et papam esse monarcham Ecclesiæ, etc.

Corollarium I.— Monarchia ecclesiastica est illud quod passim primatus vocatur, ex unanimitate theologorum et canonistarum.

Corollarium II. — Monarchia Ecclesiæ est nova omnino et singularis, ac sine exemplo in rerum natura, ideoque ab omni humana potestate distincta. Sola etenim est in qua monarcha supremus habeat comprincipes et fratres, scilicet episcopos, divino jure sicut et ipse institutos ac generatos, et tamen ipsi monarchæ eodem divino jure subjectos; ita ut monarcha non possit episcopatum tollere, et comprincipes episcopi sese a monarcha separare illique obedientiam et subjectionem renuere non possint.

Corollarium III. — Monarchia Ecclesiæ omnibus monarchiis terrenis eminet; cum sit sola immediate divina origine, institutione, constitutione, continuatione et potestate. Prætereaque omnes monarchæ humani, sive reges, sive imperatores, etc., Romano pontifici subsunt omnino de necessitate salutis; et est de fide.

PROPOSITIO SECUNDA.

Finis primatus seu monarchiæ Ecclesiæ est unitas.

Probatur. «Primatum a Christo institutum esse, ut catholicæ Ecclesiæ unitas formaretur, sartaque tecta custodiretur, ex perpetua et luculenta SS. Patrum traditione certum est.... quamobrem Catechismus Romanus ad art. 9 Symboli, § 12, præclare et verissime tradit: *Fuit illa omnium Patrum ratio et sententia consentiens, hoc visibile caput* (Romanum pontificem) *ad unitatem Ecclesiæ constituendam et conservandam necessarium fuisse.* Sane Christus Dominus non plures sed unam Ecclesiam constituit; primaque et potior Ecclesiæ prærogativa in unitate posita est, quod synodus Constantinopolitana I in Symbolo fidei definivit. Nulla autem unitas esse potest, aut excogitari, nisi unus et certus sit episcopus, cui reliqui pastores et fideles adhærere et subesse teneantur. Itaque Christus, ait Cyprianus l. *De unit.*, *Ut unitatem manifestaret, unam cathedram constituit, et unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit....* Et *Primatus Petro datur ut una Christi Ecclesia, et cathedra una monstretur.* Et Optatus Milevitanus, liv. II *Contra Parmenianum: Negare non potes Petro cathedram episcopalem primo collatam in qua una cathedra unitas ab omnibus servatur ne cæteri apostoli singulas sibi quisque defenderent.* Hæc autem unitas potissimum sita est in unitate fidei et unitate charitatis seu communionis. Primo quidem in unitate fidei, quatenus fideles omnes per ejusdem fidei professionem Ecclesiam unam efficiunt: ad rem antiquus auctor commentarii in Psal. XXIII Hieronymi operibus olim inserti: *Ecclesia*, ait, *ex pluribus personis congregatur, et tamen una dicitur propter unitatem fidei.* Secundo autem propter unitatem charitatis seu communionis, quo nomine venit specialis quædam charitas, qua fideles debent non solum colere et diligere episcopos suos, sed eis præcipue consentire et obtemperare, singuli autem episcopi et fideles communicare et subesse debent summo pontifici, qui catholicæ unitatis et communionis centrum est et origo. Hinc Bossuetius in *Expositione doctrinæ cathol.* cap. 24, egregie scripsit: *Auctoritatem episcopatus statuere unitatem in ecclesiis particularibus, primatum vero sancti Petri esse centrum commune totius unitatis Ecclesiæ.* » (Cardinal. SOGLIA, *Instit. jur. publ.* lib. II, cap. 1, § 15.)

PROPOSITIO TERTIA

Apostoli uti singuli acceperunt immediate a Christo potestates ministerii, magisterii et imperii universales cum missione etiam universali et consequenter jurisdictionem immediate divinam, in Petri tamen subordinatione, item singuli habuerunt infallibilitatem et inspirationem divinam.

Probatur 1° Quoad potestates ministerii patet; nam apostoli singuli plenitudinem sacerdotii habuerunt, et in hoc sancto Petro æquales fuerunt cæteri apostoli, et episcopi omnes Romano pontifici æquales sunt. De hoc nulla controversia, sed unanimis doctrina est Catholicorum.

2° Quoad magisterii potestatem: *Euntes ergo in mundum universum, prædicate omni creaturæ* (*Marc.* XVI, 15); *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos.* (*Matth.* XXVIII, 18.)

3° Quoad imperii potestates: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis*, etc. (*Matth.* XVIII, 18.)

4° Quoad missionem: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos...* (*Joan.* XX, 21.)

5° Quoad magisterii, imperii potestatem, missionem et jurisdictionem; Paulus apostolus scripsit ad Romanos, Corinthios, Ga-

latas, etc., tulit leges et judicia apud Corinthios (*I Cor.* cap. v, vi); circumcisionem abrogat apud Galatas; Timotheo, quem episcopum constituerat, scribit quomodo orare debeant vir et mulier (*I Tim.* ii, 1 seqq); quales esse debeant episcopi, diaconi, ac diaconissæ (*I Tim.* iii, 1 seqq.) ut *adversus presbyterum accusationem* non recipiat, *nisi sub duobus aut tribus testibus;* ut *manus cito nemini* imponat. (*I Tim.* v, 19, 22.) — Omnes apostoli eadem potestate gaudebant, et constituebant episcopos, sacerdotes et diaconos in Ecclesiis quas fundabant.

6° Accedit communis Catholicorum doctrina, quam sic testatur Suaresius: « Omnes apostoli acceperunt a Christo Domino jurisdictionem et spiritualem potestatem in totam Ecclesiam et in totum orbem, conclusio est certa et communis.» Suarez, *De fide*, art. 1, disp. 10, sect. 1, n. 1. Quod autem eam jurisdictionem a Christo acceperint *immediate*, negarunt pauci quidam; et contenderunt eam ipsis a Christo collatam fuisse *per Petrum*. Sed eam opinionem rejicit Suaresius, et contrariam, id est, apostolis collatam *immediate* a Christo fuisse jurisdictionem, ex professo defendit Bellarminus, *De Romano pont.* lib. iv, cap. 22; et eam vocat veracissimam. » (Apud Bouix, *De episcopo*, part. iv, sect. 1, cap. 5, prop. 4.)

7° Dictam universalem apostolorum jurisdictionem Petro tanquam superiori subordinatam fuisse certum est et concluditur ex Petri divino primatu supra demonstrato tanquam de fide. Nam Petro contulit Christus jurisdictionem ita plenam et universalem, ut ipsi etiam apostoli ei subjecti sint, Petrumque sibi superiorem et pastorem habuerint et agnoverint, ut vidimus in præcedentibus propositionibus.

« Ergo universalem quidem jurisdictionem, et non ad certam regionem, numerumve personarum restrictam, recepit quilibet apostolus; at dependenter a Petro exercendam.» (Bouix, ubi supra.)

8° *Singuli apostoli habuerunt infallibilitatem et inspirationem divinam: Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* (*Joan.* xvi, 13.) Unde semper creditum est in Ecclesia et a sanctis conciliis definitum tanquam de fide epistolas et scripta singulorum apostolorum a Spiritu sancto esse afflatas, sicut et eorumdem prædicationem. Ergo apostoli uti singuli acceperunt immediate a Christo potestates, etc.

PROPOSITIO QUARTA.

Infallibilitas, divinaque inspiratio sicut universalis missio, et jurisdictio, ejusdemque collatio immediata ab ipso Christo, prærogativæ transitoriæ erant exclusiveque propriæ apostolatui qui nullam habuit successionem individualem, præter Petri primatum et apostolatum. Ad fidem pertinet.

Hæc propositio a nullis Catholicis controvertitur, et est dogma catholicum.

« Apostoli, ait cardinalis Soglia, præter singularia quædam dona supernaturalia, veluti miraculorum, linguarum, prophetiæ, infallibilitatis, et similia, quibus missionem suam comprobarent, amplissima etiam potestate a Christo donati fuerunt, quam quidem potestatem in tres veluti partes seu species, nempe in potestatem *apostolatus, sacerdotii et episcopatus* partiri et dividere recte possumus. »

« *Ad apostolatum* pertinet potestas, sine loci ullius aut gentis exceptione, fidem ubique prædicandi, ecclesias fundandi, episcopos constituendi, tum episcopis a se constitutis, tum eorum subditis regulas, præcepta legesque præscribendi, et cætera ejus generis agendi. Hæc autem potestas apostolatus extraordinaria fuit, et idcirco fundatis ordinatisque Ecclesiis, tanquam completo opere propter quod concessa erat, cum apostolis interiit. » — « Petri privilegium, ait de Marca (in tractatu *De singulari primatu Petri*, cap. 8), reale fuit in Ecclesiæ perpetuum commodum, non autem personale, cujus generis erat reliquorum apostolorum dignitas. Hi namque Ecclesias per varias orbis provincias instituentes, singulas suis finibus circumscriptas, episcopis propriis regendas committebant, sicque munere a Christo sibi delato fungebantur. » Et Natalis Alexander (dissert. 4, *in sæculum* i, § 4) ait : « Cum apostoli fere omnes fixas sedes non habuerint, episcopi apostolorum successores dici non possunt, nisi in genere, ut loquuntur theologi nostri polemici, id est, dici non possunt speciatim successores Andreæ vel Philippi; quorum auctoritas, cum extraordinaria esset, cum ipsis interiit. » (Cardin. Soglia, *Instit. jur. publ. eccles.*, lib. ii, Procem.)

« Frequens recurrit assertio (inquit Bolgeni) *esse episcopos apostolorum successores*. Sed præscindendo ab episcopo Romæ, quorumnam apostolorum successores sunt

episcopi, qui in præsentiarum particulares Ecclesias gubernant ?... Esse alicujus apostoli successor, in sensu proprio et rigoroso, idem est ac sedem episcopalem occupare, cujus peculiaris episcopus aliquis ex apostolis exstiterit. Et ita quidem, juxta totum vocis rigorem, Romæ episcopus Petri successorem sese dicit. Item Hierosolymitani episcopi sese nominabant sancti Jacobi apostoli successores. At vero quisnam ex aliis omnibus catholicis episcopis, qui hodiernas Ecclesias administrant, peremptorie probare poterit, se alicui apostolo, in dicto sensu successisse ? Nullus sane. In hoc ergo sensu verum non est apostolis successisse episcopos. » (*L'Episcopato*, p. I, cap. 5, n. 63.)

« Non succeditur, ait Binius, nisi præcedenti : at simul cum apostolis fuerunt in Ecclesia, Timotheus, Titus, Evodius, aliique plures episcopi. Si igitur episcopi apostolis succedunt, cui episcopo Titus, cui Timotheus successit? » (Apud Labbe, t. I, col. 526.)

« Centies dictum et probatum est, ait Bolgeni, jurisdictionis plenitudinem et universalitatem in totam Ecclesiam fuisse in apostolis *extraordinariam*, ad episcopos (excepto Petri successore) nequaquam transituram. Peremptorie id probatum est, tum expressa conciliorum et Patrum auctoritate, tum factis notoriis, tum ex ea ratione quod talis potestas in singulis episcopis esse nequeat, quin universa Christi Ecclesia dissensionibus et confusione pessumdetur et pereat. » (*L'Episcopato*, parte II, cap. 1, n. 164.) Apud Bouix (*De episcopo*, p. I, sect. 1, cap. 5, prop. 5 et 6), qui probat hic : « Non universalem, sed restrictam episcoporum jurisdictionem fuisse, ab ipsis Ecclesiæ exordiis. »

« Tandem ipsammet quam defendimus doctrinam *tanquam dogma catholicum* tradit Pius VI, in Responsione *Super nuntiaturis apostolicis*, cap. 3, sect. 1, p. 300. « Dogma catholicum est, apostolos, tametsi extraordinaria præditos potestate, quæ data personis cum ipsis personis interiit, fuisse Petro subjectos, quem solum apostolis præesse Christus jussit : et subesse plenitudini potestatis Romani pontificis (quæ veluti ordinaria in Petro, ita in ejus successoribus ordinaria est) omnes episcopos, qui extraordinaria potestate apostolorum destituuntur. » (Apud Bouix, *ubi supra*.)

Ex damnatione, per Bullam *Auctorem fidei*, doctrinæ synodi Pistoriensis, qua profitetur *persuasum sibi esse, episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suæ diœcesis* : perinde ac si ad bonum regimen cujusque diœcesis necessariæ non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive et generalem disciplinam, quarum jus est penes summos pontifices, et concilia generalia pro universa Ecclesia. *Schismatica, ad minus erronea.*

Ergo apostolatus nullos habuit successores singulares suarum prærogativarum transitorie et personaliter singulis apostolis concessarum.

Unus tantum episcopus in Ecclesia, scilicet pontifex Romanus, apostolo singulari, Petro successit ; ideoque vocatur apostolicus, et sedes ejus apostolica. Et ita a Deo provisum est, quia Petri privilegia et singularis primatus sunt in Ecclesiæ perpetuum commodum ; ergo infallibilitas, etc.

De episcopatu.

Proœmium. Episcopatus ejusdemque missio erant in unoquoque apostolo universales, sed Petro subordinati (quæ subordinatio est dogma catholicum) ; ideoque sub Petri auctoritate quam a Christo acceperant universelem missionem inter se diviserunt apostoli.

Episcopi, uti singuli, succedunt apostolorum episcopali ordinis, magisterii et imperii potestati, non autem eorumdem missioni.

Succedunt *toto episcopali potestati* episcopi ; quod jam demonstratum est in proposit. tertia et quinta, cap. III, hujus libri col. 172 et 182 : « Omnes hierarchiæ et hierarcharum potestates ab ordinis sacramento procedere. » Atqui in sacramento Spiritus seu potestas sacra non datur ad mensuram, Christus vero dat omne quod in sacramento instituit.

Missionem vero a Christo immediate acceperunt apostoli ; episcopi autem, etiam primo ab apostolis instituti, missionem a Petro sive per se, sive per apostolos, immediate acceperunt ; et in successione eamdem missionem episcopi immediate accipiunt a papa, sive per se, sive per ejusdem vicarios aut delegatos.

Cum autem sola missio explicationem applicationemque episcopalium sacramentaliter collatarum potestatum determinet, sequitur has, etsi in semetipsis plenas et ad explicationem universalem accipiendam per missionem aptas, limitari jure divino in earum explicationem non tantum licitam, sed

etiam validam quoad loca, res, personas et casus. Ideoque, quia nihil aliud est jurisdictio quam potestatum explicatio et applicatio per missionem, sequitur episcoporum jurisdictionem eodem modo limitari.

Missio unicuique episcopo data ex divina institutione exsistit, subordinatur vero supremitiæ primatus, qui eam distribuit, limitat, extendit aut restringit juxta necessitates, utilitatemque uniuscujusque particularis et universæ Ecclesiæ. Exinde, quia ex divina institutione est missio, papa omnes ut ordinarios omnium Ecclesiarum particularium pastores episcopos tollere, solosque esse vicarios apostolicos statuere non posset; quia vero sapientiæ primatus subordinatur missio, papa in casibus extraordinariis potest episcopis quibusdam solam vicarialem missionem et jurisdictionem dare.

PROPOSITIO QUARTA.

Episcopi, uti singuli, episcopatus apostolorum successores sunt, missionem vero divinam a papa accipiunt, proindeque jurisdictionem etsi limitatam ex divina institutione habent, sed ordinariam tantum in singulis suis Ecclesiis.

I. *Episcopi, uti singuli, episcopatus apostolorum successores sunt* — NOTA. Apostolorum « potestatem in tres veluti partes seu species, nempe in potestatem *apostolatus*, *sacerdotii* et *episcopatus* partiri et dividere recte possumus, » ait cardinalis Soglia supra citat. Apostolatus potestas fuit extraordinaria, et non habuit successores, uti demonstratum est in præcedenti propositione. Potestas vero episcopatus est ordinaria potestas a Christo instituta ad regendam Ecclesiam Dei.

Probatur. 1° « *Potestas episcopatus*, ait cardinalis Soglia, totam ordinis potestatem complectebatur, et simul potestatem peculiares Ecclesias regendi ac gubernandi. In hanc itaque potestatem episcopi succedunt; quamobrem Tridentina synodus cit. sess. 23, cap. 4, declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere; et positos, sicut idem Apostolus ait (*Act.* xx, 28) a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei : eosque presbyteris superiores esse, ac sacramentum confirmationis conferre ; ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse : quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis nullam habent. » Hic sancta synodus declarat regiminis potestatem quemadmodum et ordinis episcopis dari a Spiritu sancto.

« Cum igitur, pergit card. Soglia, episcopi in singularium Ecclesiarum regimen apostolis succedant, illud consequitur, potestatem et jurisdictionem episcoporum intra fines Ecclesiæ, ad quam legitime missi sunt, coerceri. » Usu namque, ait Natalis Alexander, cit. loc., « etiam, ab Ecclesiæ incunabulis receptum est, ut cæteris ecclesiis singuli episcopi præficiantur, ut patet ex Apostolo ad Titum cap. I, vers. 5 : *Hujus rei gratia*, inquit, *reliqui te Cretæ ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi.* Sic etiam Petrus vers. 2, ad episcopos ait : Epist. I, cap. V : *Pascite qui in vobis est gregem Dei.* Ad apostolos autem dictum est : *Ite in universum mundum, prædicate Evangelium omni creaturæ*, etc. (*Marc.* XVI, 5.) Ex his enim verbis constat, episcopos apostolorum successores uni loco addictos fuisse, cujus limitibus eorum potestas coarctaretur. Propterea consuetudo Ecclesiæ ab apostolicis temporibus obtinuit, ut metropolitæ et patriarchæ ipsi certas haberent constitutas provincias aut diœceses, quas regerent; neque potestatem ullam in alienis diœcesibus exercere poterant. Hac Ecclesiæ consuetudine nitebatur sanctus Hieronymus adversus Joannem Hierosolymitanum episcopum. Hinc concilium Nicænum inhibuit can. 15 : *Ne episcopus a civitate in civitatem transiret.* Porro qua ratione potuit concilium Nicænum uni loco episcopum addicere, cui auctoritate divina in omnes Ecclesias, citra ullam exceptionem aut limitationem, jus concessum esset? Episcoporum igitur potestas ad omnes omnino Ecclesias non se porrigit. »

Præterea animadvertendum est, episcopos facta legitima assignatione plebis quamquam legitimi propriique pastores sint, non tamen plenitudinem potestatis exercere posse. Bossuetius in sermone *De unitate Ecclesiæ* ad eam rem comprobandam utitur argumento ab eadem unitate ducto. Sic enim ratiocinatur : « Cum Christus Dominus jurisdictionem universalem et potentiorem uni commiserit, cumque vero eamdem multis aliis communem esse voluerit, necessario sequitur, ut in istis eadem auctoritas subordinata sit : duo enim pluresve summi imperantes in uno eodemque potestatis genere independentes omnino repugnant : quæ au-

tem a Deo sunt, ordinata sunt. » Et revera episcopatus ex Cypriani sententia unus est, quemadmodum Ecclesia una est, et proinde pars episcopatus ab unoquoque episcopo in solidum tenetur, quatenus unusquisque episcopus regit suam peculiarem Ecclesiam, quæ totius Ecclesiæ pars est. Sunt multi, ut idem Cyprianus loquitur, arboris rami, sed una arbor. At vero si peculiares episcopi in suis diœcesibus omnia possent, neque ulli superiori potestati obnoxii essent, tot essent distinctæ et *independentes* Ecclesiæ, quot episcopatus, quemadmodum multi arboris rami a radice et reliquo corpore disjuncti unam arborem non efficiunt. Verum hac super re nullus dubitandi locus relinquitur, cum fidei dogma sit, episcoporum potestatem obnoxiam esse summi pontificis auctoritati; ex quo consequitur, ut sedis apostolicæ et sacrorum canonum decretis episcopi subesse debeant, eorumque potestas in ejus usu intra quosdam limites restringi et contineri possit. » (Cardin. Soglia, *Inst. jur. publ. eccles.* lib. II, cap. 2 Procem.)

2° « Apostolis succedunt episcopi in eo sensu, quod quilibet episcopus illum ipsum *characterem episcopalem* habeat, quem habuerunt apostoli, et quo carent simplices presbyteri. Quoad hunc characterem episcopalem, sancto Petro æquales fuerunt; cæteri apostoli et episcopi omnes Romano pontifici æquales sunt. De hac nulla controversia. » (Bolgeni, *L'Episcopato*, part. II, cap. 1, n. 164.)

3° Ex canonibus : « Hic (Petrus) ergo ligandi atque solvendi potestatem primus accepit a Domino. . . Cæteri vero apostoli cum eodem, pari consortio, honorem et potestatem acceperunt, ipsumque principem eorum esse voluerunt, qui etiam, jubente Domino, in toto orbe dispersi Evangelium prædicaverunt. Ipsis quoque decedentibus, in locum eorum successerunt episcopi. »

In brevi dogmatico *Super soliditate* Pii VI legimus : « In Romana sede semper viguisse apostolicæ cathedræ principatum, huncque apostolatus principatum cuilibet episcopatui præferendum, cum aliis multis, tum et hac insigni nota cernitur, quod Petri successor, hoc ipso quod in Petri locum succedit, assignatum sibi habeat jure divino Christi gregem universum, ut simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis : cæteris porro episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem non divino, sed ecclesiastico jure, non Christi ore, sed hierarchica ordinatione assignari opus sit, ut ordinariam regiminis potestatem in eam explicare valeat. Cujus assignationis summam auctoritatem quisquis Romano pontifici abjudicare volet, cum necesse est in legitimam tot in orbe toto episcoporum successionem invadere, qui Ecclesias apostolica auctoritate de integro fundatas, aut ab aliis divulsas, aut invicem unitas regunt, ad eas regendas a Romano pontifice missionem acceperunt : ut proinde sine ingenti Ecclesiæ perturbatione, ipsiusque episcopalis regiminis discrimine tentari nequeat magnum hoc et mirabile potentiæ consortium, divina dignatione Petri cathedræ tributum, ut quemadmodum a Leone Magno dictum est (serm. 3, in anniv. suæ assumpt.) omnes proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus ; et si quid Christus commune cum Petro cæteris voluit esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit. »

In hoc brevi duo præcipue distinguuntur : 1° potestas regiminis et 2° missio. Hic Pius VI docet papam et consequenter unumquemque episcopum simul cum episcopatu potestatem regiminis accipere, quam potestatem unusquisque *explicare* valet ex missione et gregis assignatione. Sed papa, hoc ipso quod in Petri (cui universalem et supremam missionem perpetuam et ordinariam dedit Christus) locum succedit, assignatum sibi habet jure divino Christi gregem universum, ut simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis. Cæteris vero episcopis missio datur a papa qui etiam ipsis assignat peculiarem gregis universi sibi a Christo commissi portionem, ut ordinariam regiminis potestatem, quam papa non dat, explicare in eam valeant. Quo clare manifestum est episcopum non a missione sed cum episcopatu, consequenter in ordinatione, ordinariam regiminis potestatem accipere. Sed a missione accipit ut istam ordinariam et propriam potestatem explicare valeat. Cum episcopatu igitur tota divina regiminis potestas accipitur per consecrationem, sed a missione hujus potestatis explicatio determinatur. Atqui sola episcopalis Petri, et successorum ejusdem ordinariæ potestatis explicatio immediate a Christo determinata fuit.

4° Hæc nostra interpretatio concordat cum

citationibus supra scriptis, et roboratur non parvi nominis Philippi canonistæ auctoritate (*Du droit ecclésiast. dans ses principes*, tra duit par M. l'abbé Crouzet), in cap. 3, § 23.

Postquam demonstravit limitationem episcopalis potestatis particulari uniuscujusque episcopi Ecclesiæ ab apostolis profluere; eamque confirmatam esse sacra Scriptura, doctrina Patrum, et decretis conciliorum in omni tempore, addit : *Maintenant de qui tiennent-ils cette autorité? est-ce de Dieu immédiatement que chaque évêque a reçu le pouvoir épiscopal, ou ne l'a-t-il reçu de Dieu que d'une manière médiate et par l'intermédiaire de Pierre? Cette question se lie étroitement à celle de la succession épiscopale ; elle fut l'objet de longues et très-vives discussions dans les séances préparatoires du concile de Trente. On a voulu séparer le pouvoir de juridiction du pouvoir sacerdotal, et faire dériver le premier seulement du successeur de Pierre; mais il ne semble pas que cette distinction ait abouti à une solution qui puisse satisfaire. Sans nul doute il faut distinguer dans l'évêque les trois pouvoirs du sacerdoce, de l'enseignement et de la royauté; mais il n'est pas permis de les séparer à ce point qu'on puisse se figurer l'évêque ne recevant par l'ordination qu'un ou deux seulement de ces pouvoirs sacrés. Chaque évêque est en même temps pontife, docteur et hiérarque, et participe ainsi à l'autorité générale de tout l'épiscopat catholique. Il ne peut donc s'agir pour lui que d'une part plus ou moins grande à l'exercice de cette autorité. Il est des cas où le pouvoir sacerdotal des évêques est expressément restreint, des cas réservés au suprême pouvoir des clefs du souverain pontife; leurs décisions doctrinales ne sont que provisoires tant que manque l'assentiment du siége apostolique; leur juridiction a également ses limites; dans tout cela rien qui autorise ou qui permette une séparation essentielle entre les trois pouvoirs. Il peut arriver qu'un évêque n'ait pas de diocèse; mais l'obstacle qui empêche alors le pontife de manifester ses caractères de docteur et d'hiérarque, est un fait purement matériel, et qui ne tient, en aucune manière, à l'ordination. Et même dans ce cas, sans mission spéciale, il participe toujours au gouvernement général de l'Eglise, en tant qu'il paraît de droit dans les assemblées des évêques réunis en concile général.* (Petr. Aurel. *Ad Spong.* p. 91, dans Devoti p. 132, not. 7.)

Non licet igitur ita separare potestates ordinis, magisterii et imperii, ut unam tantum aut duas in ordinatione accipiant episcopi; sed verum est et conclusio dogmatica quod episcopi fiant per consecrationem pontifices, doctores et reges.

5° *Ex falsis adversæ opinionis consectariis.* Auctores qui contendunt episcopos esse successores apostolorum tantum quoad potestatem ordinis, non vero quoad potestatem regiminis, non possunt eam sententiam defendere nisi perpetuis et subtilissimis distinctionibus. 1° In Evangelio legimus potestates sacerdotii, magisterii et imperii apostolis ab ipso Christo collatas; in Actibus apostolorum videmus episcopos in his potestatibus æquales apostolis; tota traditio, canones et decreta conciliorum declarant episcopos apostolorum successores, absque ulla distinctione quoad potestates. Adversarii nullo nituntur fundamento ut potestates separare possint, adeo ut potestas sacerdotii tantum accipiatur per consecrationem, et potestates magisterii et imperii accipiantur a missione. Nam in Evangelio omnes potestates apostolis conferuntur ab ipso Christo, qui addit et missionem. Nullibi vero legitur quod Christus inter apostolos et episcopos missionis partitionem fecerit. Hanc partitionem inter se primo fecerunt apostoli, deinde inter episcopos ab ipsis constitutos, sed in utroque casu in Petri subordinatione. Hæc partitio quæ non est regiminis potestas ad primatum pertinet. 2° Si omnes potestates episcopales non procedunt a sacramento, unde in papa ipso veniunt? unde accipit summus pontifex potestatem magisterii et imperii? Non ab electione, quia tunc non a Deo, sed ab hominibus acciperet, quod est contra fidem; non a sede tantum; nam si Christus ipse dedit sedi apostolicæ Petri missionem universalem et perennem cum primatu, tamen prius Petrum consecraverat episcopum, ideoque nullus potest esse papa nisi sit vel fiat episcopus. Attamen si potestas regiminis ab episcopatu separaretur et extra sacramentum conferretur, cur non posset in papa subsistere sicut in aliis absque episcopali charactere? Tunc vero aliquis non episcopus posset esse papa et etiam laicus, laicus remanendo, quod est contra fidem catholicam et Christi institutionem. Attamen si sedes sola possidebat primatum et regiminis potestatem universalis absque episcopali consecratione, sufficeret ut

quis eligeretur ad hanc sedem ut sit Ecclesiæ monarcha, absque ulla episcopali consecratione. Ad hanc absurdam conclusionem ducit opinio quam hic rejicimus. 3° De fide est episcopos jure divino presbyteris superiores esse. (*Trident.* sess. 23, can. 7 et cap. 4.) Adversarii contendunt episcopos superiores esse presbyteris tantum potestate ordinis. At concilium Tridentinum verbo *superiores* loco verbi *majores* ad significandam veram auctoritatem et potestatem, utitur.

Præterea ex Historia sancti concilii Trident. Pallavicin., lib. XVIII, cap. 13, 14, 15; lib. XIX, cap. 6, 8, 12, 16; lib. XXI, cap. 4, 11, 12, liquet quod dimidia saltem pars concilii contendit ut definiretur jurisdictionem episcoporum esse immediate a Deo; idque agnovit sancta sedes, sed noluit definiri ne damnarentur auctores de Ecclesia bene meriti, et præcipue propter consecutiones periculosas quas a Gallicanis et quibusdam aliis temere et falso deducendas timebat. Proptereaque tantummodo definitum est: 1°« In Ecclesia catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris. » —2° « Episcopos esse jure divino presbyteris *superiores*.... » Et in sensu definitionis juxta mentem legatorum, concilii et sanctæ sedis, verbum *superiores* importat auctoritatem; igitur mens est episcopos habere auctoritatem jure divino in presbyteris. —3° Declaratum est « episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, et positos a Spiritu sancto *regere Ecclesiam Dei* (*Act.* XX, 28); » aut illos a Spiritu sancto accipere potestatem regiminis, quam in brevi *Super soliditate* Pius VI vocat *ordinariam* episcopis.

Ex his definitionibus et declarationibus Tridentinis, consequitur episcopos presbyteris superiores esse non tantum potestate ordinis, sed etiam potestate regiminis. Atqui de fide est ex 7 can., sess. 23 Trid., necessariam esse ordinationem et missionem: missio tamen potestates non dat, sed tantum eas explicat et applicat. Ergo omnes potestates procedunt ab ordinatione, ideoque jurisdictio, quatenus est potestas, est immediate divina, quamvis, quatenus est missio, sit tantum *mediate divina* in episcopis. Multa alia contra potestatum separationem objicienda prætermittimus. Hæc opinio non est certe conformis fidei dogmatibus, et tendit ad presbyteranismum et laicismum. Tota difficultas sita est in confusione verbi *jurisdictio*, ut diximus.

At 1° de fide est ordinationem et missionem necessarias esse. 2° Proximum fidei est omnes potestates ordinis, magisterii et imperii, a sacramento procedere, et in consecratione a Deo proxime conferri. 3° Ex brevi *Super soliditate* missio et assignatio gregis dat episcopo *ut ordinariam regiminis potestatem explicare valeat.* 4° Christus assignavit Petro et ejusdem successoribus gregem universum, et missionem universalem et perpetuam cum primatu dedit, ita ut papa ex hac missione omnes episcopatus potestates cum plenitudine et ordinarias explicare valeat.

Hinc sequitur papam et episcopos omnes accipere, in ordinis sacramento, immediate a Deo, omnes potestates ordinis, magisterii et imperii, quemadmodum apostoli easdem potestates acceperunt a consecratione Christi. Ergo episcopi singuli episcopatus, seu potestatum episcopalium apostolorum successores sunt. Ideoque quia omnes episcopi in charactere episcopali seu in potestatibus episcopalibus æquales sunt inter se et etiam papæ, sequitur omnes episcopos in sacramento accipere plenitudinem potestatis sacerdotii, magisterii et imperii.

Quia vero de fide est missionem jure divino necessariam esse ad hujus triplicis potestatis in toto vel in partibus certis validam explicationem et applicationem, consequitur ut episcopi has omnes potestates, etsi proprias, explicare et applicare absque missione non valeant. Nec objiciatur quod papa canonice electus, etsi non consecratus episcopus, Ecclesiam universalem regere possit; nam hanc plenitudinem regiminis potestatis a jure divino suæ missionis exercet papa electus, sicut episcopi confirmati sed non consecrati suam diœcesim ex jure canonico regere possunt; ubique vero, Papa et episcopi, consecrari tenentur.

II. *Episcopi missionem divinam a papa accipiunt.* — De fide est missionem necessariam esse, nec sufficere ordinationem, nec proinde potestates in ordinatione divinitus collatas. (*Trident.* sess. 23, can. 7, etc., et brev. *Super soliditate* supra citat.) Christus etenim instituit collegium episcopale, seu episcopatum in collegio apostolorum; ei-

demque dedit in apostolis missionem universalem in toto orbe, sed missionem istam proindeque explicationem potestatum divinarum subordinavit auctoritati Petri.

Episcopatus unus est et positus a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei; sed Petrus solus obtinuit episcopatus principatum. Cathedra Ecclesiæ a Christo instituta una est, sed Petro soli tota et universalis concredita fuit. Etenim Petro soli Christus dedit primatum, assignavit gregem suum universum, missionem pascendi omnes agnos et oves, pastores et fideles contulit. Ideoque de fide est Petrum et ejusdem successorem papam esse monarcham Ecclesiæ, cui omnes sive pastores, sive fideles debent obedientiam, et omnes humanæ creaturæ subsunt de necessitate salutis; « ut omnes proprie regat Petrus, quos principaliter regit et Christus (omnes gentes Christi hæreditatem); et si quid Christus commune cum Petro cæteris voluit esse principibus (apostolis et episcopis), nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit. » (S. Leo, in serm. 3, in annivers. suæ assumpt.) Primatus seu principatus, assignatio gregis universi, missio divina universalis, affixi sunt ab ipso Christo episcopatui singulari Petri usque ad consummationem sæculi; ideoque huic episcopatui singulari inhærent, ut hoc ipso quod quis episcopus in locum Petri succedit, omnes divinas potestates sacerdotii, magisterii et imperii cum plenitudine in universam Ecclesiam et totum orbem explicare valeat, ut regat episcopatum unum et omnes episcopos in partem sollicitudinis divinitus vocatos ex institutione hierarchiæ.

Nulli alii nec apostolorum, nec episcoporum Christus assignavit aliquem gregem, nec missionem independentem dedit. Apostolis quidem singulis dedit etiam missionem universalem, sed dependentem a Petro, assignavit omnes gentes, sed sub auctoritate Petri; præterea missio hæc universalis et assignatio etsi subordinata gregis universi, fuerunt personales apostolis, necessariæ ad Ecclesiam fundandam, ideoque transitoriæ cum singulis apostolis interierunt. Itaque, etsi episcopi succedant omnibus sacerdotii, magisterii et imperii potestatibus apostolorum, non tamen eorum missioni succedunt.

Nullam peculiarem sedem occuparunt cæteri apostoli, nisi Petrus, qui, præter cathedram universam, cathedram peculiarem primo Antiochenam, deinde Romanam occupavit, et utramque cathedram, scilicet universam et Romanam, fecit unam et supremam ex divino primatu.

Omnes vero episcopi ab apostolis constituti, ab eisdem et peculiarem gregem et sedem delimitatam acceperunt, et in hanc peculiarem Ecclesiam suas episcopales potestates explicare missi sunt, ex auctoritate et in subordinatione Petri. Et in sæculorum decursu omnes omnino episcopi catholici, directe aut indirecte a Petri successore gregem peculiarem et missionem acceperunt. Ideoque Petrus ait episcopis : *Pascite, qui in vobis est gregem.* (*I Petr.* v, 2.) Christus assignavit Petro ejusque successoribus gregem universum, Ecclesiam suam universalem; sed etiam instituit episcopos, ut sub Petro gubernarent peculiares portiones gregis universi, Ecclesias singulares ex quibus universalis Ecclesia conflatur; nam *Spiritus sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei.* (*Act.* xx, 28.) Et de fide est hierarchiam divina ordinatione institutam esse. Igitur missio generalis episcopatus est divina, cum sit institutus a Christo ad regendam Ecclesiam. Hujus vero missionis partitio, gregis peculiaris assignatio pendet omnino ab auctoritate summi pontificis. Quemadmodum enim corpus episcoporum, etsi missionem divinam perpetuam habeat, non potest illam exercere nisi sub et cum ejusdem capite, ita a fortiori nullus singularis episcopus, qui nullam missionem peculiarem accepit nec a Christo, nec ab alio, potest eam exercere; nam *Quomodo prædicabunt nisi mittantur?* (*Rom.* x, 15.) Et : *Si quis dixerit... eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros; anathema sit.* Ergo de fide est missionem necessariam esse ad episcopos etiam rite ordinatos ut sint legitimi verbi (seu potestatis magisterii et regiminis) et sacramentorum ministri.

Quis vero mittere potest? Solus papa assignatum sibi habet jure divino Christi gregem universum, ita ut solus simul cum episcopatu potestatem accipiat universalis regiminis. Solus missionem singularem habet regendi universam Ecclesiam. Nemo igitur potest a semetipso quamquam gregis portionem suscipere pascendam absque pastoris supremi missione, nec quamquam universalis

Ecclesiæ partem regendam absque monarchæ voluntate; nec in quamquam cathedræ universæ partem sedere, absque supremi doctoris assumptione. « Cæteris porro episcopis suam cuique peculiarem gregis portionem non divino, sed ecclesiastico jure, non Christi ore, sed hierarchica ordinatione assignari opus est, ut ordinariam regiminis potestatem in eam explicare valeat. Cujus assignationis summam auctoritatem quisquis Romano pontifici abjudicare volet, eum necesse est in legitimam tot in orbe toto episcoporum successionem invadere, qui Ecclesias apostolica auctoritate de integro fundatas, aut ab aliis divulsas, aut invicem unitas regunt, ad eas regendas a Romano pontifice missionem acceperunt. » Pius VI, *Super soliditate.*

Præterea de fide est « episcopos, qui auctoritate Romani pontificis assumuntur, esse legitimos et veros episcopos, sed non figmentum humanum. (*Trident.* sess 23, can. 8) Si non figmentum humanum, ergo ex institutione divina episcopi auctoritate pontificis assumpti sunt legitimi et veri episcopi : ex quo sequitur eos jurisdictionem divinam habere. An vero immediate a Deo, an immediate a pontifice, non est definitum.

Confirmatur ex sanctæ sedis doctrina solemniter enuntiata per organum cardinalis legati Caprara contra nonum *organicum* articulum Concordati anni 1801 reclamantis ; sic ait : *L'article 9 veut que le culte soit exercé sous la direction des archevêques, des évêques et des curés. Mais le mot direction ne rend pas ici les droits des archevêques et des évêques : ils ont de droit divin non-seulement le droit de diriger, mais encore celui de définir, d'ordonner et de juger. Les pouvoirs des curés dans les paroisses ne sont pas les mêmes que ceux des évêques dans les diocèses ; on n'aurait donc pas dû les exprimer de la même manière et dans un même article, pour ne pas supposer une identité qui n'existe pas.* Ergo episcopi ex jure divino habent jus dirigendi, definiendi, jubendi et judicandi in suis propriis diœcesibus. Cum vero ex hucusque expositis jurisdictio in Ecclesia nihil aliud sit quam explicatio divinarum potestatum per missionem, concludere licet jurisdictionem esse immediate divinam quatenus est potestas ; quatenus vero est assignatio peculiaris gregis, et missio singularis, eam esse immediate a pont. Rom. et mediate a Deo.

III. Cum episcopales potestates exerceri et explicari nequeant absque missione, consequitur episcopos jurisdictionem limitatam habere quoad loca, personas, res et casus juxta missionis tenorem, eamdemque jurisdictionem episcopis propriam et ordinariam esse tantum in singulis suis Ecclesiis, ad quas missi sunt.

Ergo episcopi, uti singuli, episcopatus apostolorum successores sunt, missionem vero divinam a papa accipiunt, proindeque jurisdictionem etsi limitatam ex divina institutione habent, sed ordinariam tantum in singulis suis Ecclesiis.

Corollarium I. — Omnis potestas sacerdotii, magisterii et imperii in papa et cæteris episcopis pendent a consecratione, inhærentque characteri episcopali ; ideoque apostolico æquales sunt singuli episcopi quoad essentiam potestatis sacerdotii, magisterii et imperii. At cum missio ex divina institutione necessaria sit ut singuli episcopi hanc triplicem potestatem ipsis ordinariam et propriam explicare valeant, consequitur ut solus papa, cui soli ab ipso Christo data est missio universalis et suprema cum monarchica potestate, hanc triplicem potestatem cum plenitudine explicare valeat ; cæteri vero eamdem triplicem potestatem exercere et explicare nequeunt nisi in mensura missionis quam a papa acceperunt. Unde episcopi, etsi æquales papæ in essentia triplicis potestatis, non sunt eidem æquales in extensione et explicatione ejusdem potestatis. Quod quidem verificatur in electione papæ ; nam si electus jam sit episcopus, non de novo consecratur, sed triplicem episcopatui essentialem potestatem in eo cum plenitudine explicat missio universalis primatus, cujus successionem et possessionem accipit per electionem. Si vero electus non sit jam episcopus, simul cum episcopatu accipit potestatem regiminis universalis, quia consecratur in primatu et ejusdem universali missione divina.

Corollarium II. — Potestas sacerdotii, magisterii et imperii est ordinaria jure divino, et propria in singulis episcopis ; missio proindeque jurisdictio, ex generali institutione divina, est etiam ordinaria et propria episcopatui ; ideoque unusquisque episcopus potestates et jurisdictionem exercet, et explicat in suo proprio nomine, non vero ut vicarius et delegatus papæ. Pontifex tamen, tanquam supremus Ecclesiæ mo-

narcha, jus omnes Ecclesias regendi habens constituit prælatos cum jurisdictione quasi episcopali in peculiares Ecclesias; talesque prælati non suam et propriam, sed papæ potestatem exercent; ideoque jurisdictionem suam ordinariam ex jure ecclesiastico tantum tenent; suntque veri vicarii et delegati papæ.

Item, et lege pontificia, episcopi confirmati sed non consecrati habent jurisdictionem cum missione in eorum peculiarem Ecclesiam; sed cum non habeant potestates divinas, exercent potestates papæ, quæ fient ipsis propriæ de jure divino per consecrationem. Hoc adeo verum est ut episcopi confirmati, qui intra sex menses munus consecrationis suscipere neglexerint, Ecclesiis ipso jure sint privati. (*Trident.* sess. 23, cap. 2 *De reform.*) Ergo ex solo jure ecclesiastico jurisdictionem ante consecrationem habent, siquidem, defectu consecrationis eam pleno jure amittunt. Dum e contra quando potestates divinas acceperunt in consecratione, ex quibus jurisdictio fit illis propria ex jure divino, easdem amplius essentialiter amittere nequeunt, tametsi exercere prohiberi possint. Et hac simplici observatione et distinctione solvuntur omnes adversariorum contra regiminis potestatem et jurisdictionem divinam episcoporum objectiones famosæ ex potestatis ordinis et jurisdictionis separatione desumptæ. Etenim nunquam vere separatur jurisdictio a potestate; nam in prælatis non episcopis, et in episcopis confirmatis sed non consecratis, potestas et jurisdictio exercentur in nomine papæ, in quo semper uniuntur, suntque propriæ et ordinariæ jure divino.

Corollarium III. — Episcopi in regendis sibi commissis diœcesibus non sunt Romani pontificis vicarii. 1° Sententiam contrariam quæ episcopos pro meris papæ vicariis habet, communi consensu tanquam erroneam rejiciunt doctores catholici. 2° De fide est divinitus institutam fuisse hierarchiam quæ constat ex *episcopis*, *presbyteris* et *ministris*, prout definivit Tridentina synodus, sess. 23, can. 6. Unde verum est jure divino seu a Spiritu sancto positos episcopos regere Ecclesiam Dei. 3° Sanctorum Patrum fere unanimitas episcopos sicut et apostolos vocat fundamenta Ecclesiæ, positos a Spiritu sancto, missos a Christo, divinam potestatem regiminis, etc., accipientes immediate a Deo; quod probant per Scripturam et sacram traditionem.

Corollarium IV. — « Jurisdictio ordinaria cujuslibet episcopi in commissa sibi diœcesi, non excludit jurisdictionem ordinariam summi pontificis in eadem diœcesi; sed stant simul cumulative jurisdictio immediata Romani pontificis et jurisdictio immediata episcopi in illam diœcesim : ita tamen ut episcopalis papali subjecta sit et ab ea limitari et etiam in certis casibus suspendi, imo et auferri possit. 2° Non potest tamen summus pontifex omnes simul mundi episcopos deponere, et diœceses regere per vicarios; ita ut jam non sint in Ecclesia episcopi, qui tanquam ordinarii et proprio nomine Ecclesias regant. » (Bouix, *De episcopo*, p. IV, s. 3, c. 2, prop. 1, 2, 6.)

Corollarium V. — Ad summum pontificem jure divino pertinet per se aut per alios a se delegatos eligere, instituere, confirmare et consecrare omnes episcopos.

Corollarium generale ex omnibus propositionibus præcedentibus.

1° Papa et cæteri episcopi eamdem sacerdotii, magisterii et imperii potestatem immediate a Christo in ordinatione accipiunt. 2° Papa solus tanquam monarcha et cum eo corpus episcoporum missionem universalem, qua omnes divinas potestates in universam Ecclesiam explicare valent, semel et pro semper immediate a Christo acceperunt. 3° Uti singuli cæteri episcopi, præter papam, easdem potestates habent, sed missionem particularem, etsi in sua institutione divinam, non a Christo, sed a papa accipiunt, ideoque jurisdictionem particularem plus minusve limitatam a papa in singulis tantum suis peculiaribus Ecclesiis habent.

§ III. — De inferioribus hierarchiæ divinæ membris.

Proœmium. — Hierarchia divina ordinatione instituta constat ex episcopis, presbyteris et ministris; est de fide.

De episcopis plenitudinem sacerdotii, id est triplicem ordinis, magisterii et imperii potestatem habentibus disseruimus. At quemadmodum summo pontifici ad regendam Ecclesiam Dei episcopos Christus adjunxit et subordinavit, ita episcopis ad verbi et sacramentorum ministerium presbyteros et ministros idem Christus adjunxit et subordinavit. Sacerdotium in episcopatu includitur; sacerdotesque sunt veluti episcopi membra, quibus ad omnes et ubique attin-

gere potest. Sacerdotes et ministri, etsi ad divinam hierarchiam pertineant, in ordinatione tamen non accipiunt, ut episcopi, triplicem potestatem, ut ordinariam et propriam. Sacerdotes verbi divini prædicandi, aliquorumque sacramentorum potestatem tantum accipiunt ab ipso Christo in ordinatione : scilicet baptismi, Eucharistiæ, pœnitentiæ, extremæ unctionis, et matrimonium benedicendi ordinariam potestatem, confirmationis vero solummodo extraordinariam et ordinis sacramenti nullam. Diaconi habent ex sua ordinatione ut sacerdoti sacra solemniter celebranti inservire debeant; Eucharistiam saltem, jubente sacerdote, populo administrare, non tamen presbyteris, id enim vetuit Nicænus can. 18. Ut Evangelium legant, aut etiam cum concessione publice verbum Dei annuntient; ut, urgente necessitate, pœnitentes publicos reconcilient non quidem sacramentaliter, sed canonicam duntaxat et cæremonialem nomine episcoporum absolutionem deferendo; ut afflictorum curam habeant, et dispensationis thesauri Ecclesiæ, rerumque Ecclesiæ temporalium administrationem. (Ferrar. v. *Diaconus.*) Nec sacerdotes vero, nec diaconi in ordinatione accipiunt ordinariam et propriam magisterii et imperii potestatem, fiunt tamen sicut et cæteri clerici etiam simplices, capaces adjuvandi episcopos in regiminis potestate, eamque excercendi nomine episcopi.

Demonstratio.

I. Sacerdotes et ministri ad hierarchiam divinam pertinent; est de fide, Trid. s. 23, c. 6.

II. De fide est « esse in novo Testamento sacerdotium visibile et externum; vel esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi. » (*Ibid.* can. 1.) Igitur sacerdotes accipiunt in ordinatione potestatem sacramentorum Eucharistiæ, pœnitentiæ et etiam extremæ unctionis, quæ ad peccatorum remissionem spectat. Hæc vero potestas sicut et character sacerdotalis inamissibilis est; nam

III. De fide est « ordinem, sive sacram ordinationem esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum; ac per sacram ordinationem dari Spiritum sanctum... Et imprimi characterem, quo fit eum qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri non posse. » (*Idem.* can. 3 et 4.) Præterea : « Docet quoque (sancta synodus), etiam sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus sancti in ordinatione collatam, tanquam Christi ministros, functionem remittendi peccata exercere; eosque prave sentire, qui in malis sacerdotibus hanc potestatem non esse contendunt. » (*Trident.* sess. 14, cap. 6; et est de fide, *ibid.* can. 9 et 10.)

IV. De fide est « præter sacerdotium esse in Ecclesia catholica alios ordines, et majores, et minores, per quos, velut per gradus quosdam, in sacerdotium tenditur. » (*Ibid.* sess. 23, can. 2.)

V. Quemadmodum vero episcopi suas proprias potestates et ordinarias absque missione explicare non valent; ita sacerdotes proprias potestates sacramentorum quæ ad animarum regimen pertinent absque potestatis regiminis missione, id est papæ aut episcopi, explicare et valide exercere non valent. Nam de fide est « eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec *missi* sunt, sed aliunde veniunt, legitimos non esse verbi et sacramentorum ministros. » (*Ibid.* sess. 23, can. 7.) Et « quoniam igitur natura et ratio judicii (sacramentalis absolutionis) illud exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut subdelegatam non habet jurisdictionem.... Magnopere vero ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora crimina non a quibusvis, sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur; unde merito pontifices maximi, pro suprema potestate, sibi in Ecclesia universali tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuique diœcesi in ædificationem tamen, non in destructionem liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ auctoritati, non tantum

in externa politia, sed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen pie admodum ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei, custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque adeo omnes sacerdotes, quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. Extra quem articulum sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus, persuadere nitantur, ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absolutionis accedant. » Et reservatio casuum de fide est ex canone 11, sess. ejusdem 14.

Ex quibus patet potestatem sacramentalem in ordinatione collatam sacerdotibus et episcopis, absque ulla controversia, limitari et arctari defectu missionis; non autem defectu potestatis, cum « nulla sit reservatio in articulo mortis, atque adeo omnes sacerdotes (etiam excommunicati, etc.) quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. » Ergo in potestate sacramentali remittendi peccata, omnes sacerdotes essentialiter æquales sunt episcopis et etiam papæ; at nec sacerdotes, nec episcopi hanc potestatem explicare et exercere absque missione valent. De hac igitur potestate idem omnino est ac de potestate episcopali magisterii et imperii; quo plane elucidatur et demonstratur veritas nostræ expositionis de vera notione potestatum, missionis et jurisdictionis divinæ hierarchiæ, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris, et caput monarchamque Petri successorem habet, a quo singularis missio etsi in sua institutione divina procedit, dum e contra potestas sacramentalis, magisterii et imperii ab ipso Christo immediate confertur in sacramento unicuique hierarchiæ gradui.

CAPUT IV.

De hierarchia ecclesiastica ab institutione divina per jus ecclesiasticum promanante.

I. De hierarchia ordinatione divina immediate instituta huc usque disseruimus. Ab ea vero et ad ejusdem instar promanat alia hierarchia jure apostolico, pontificio et ecclesiastico ex divina institutione deducta. Ad episcopatum unum collegii apostolorum successorem et ad Ecclesiæ monarcham Petri successorem etiam solum pertinet coordinare regiminis potestatem quam a Christo acceperunt.

Hinc 1° apostoli Ecclesias particulares instituentes unamquamque peculiarem Ecclesiam coordinarunt ad instar collegii apostolorum et hierarchiæ divinæ universalis ab ipso Christo constitutorum. Etenim quemadmodum Christus instituit Petrum caput et fundamentum universalis Ecclesiæ et collegii apostolorum, apostoli instituerunt episcopum singulum caput et fundamentum secundarium uniuscujusque peculiaris Ecclesiæ et collegii sacerdotum. Nam ut apostoli constituebant collegium, cujus Petrus erat princeps et monarcha, ita presbyteri constituerunt senatum seu presbyterium, collegium sacerdotale cujus episcopus erat princeps et rex. Post et infra apostolos Christus instituit discipulos, in quorum locum successerunt presbyteri; ita in unaquaque peculiari Ecclesia præter episcopum, apostoli constituerunt presbyteros. Ex ordinatione Christi, post ejus ascensionem, apostoli elegerunt et ordinaverunt diaconos seu ministros, in eisque et infra eos sive simul sive postea instituerunt cæteros clericos inferiores. Sic primo ab apostolis constituta fuit Ecclesia Hierosolymitana.

Ex hac apostolica institutione papa habuit collegium presbyterorum, qui ab antiquitate fuerunt viginti quinque ob necessitates et utilitates Ecclesiæ universalis, et in decursu temporis vocati sunt cardinales. Quia vero sedes Romana est sedes vere et proprie apostolica a Christo super orbem universum in beato Petro erecta et fundata, collegium cardinalium repræsentat collegium apostolorum; ideoque vocatur sacrum collegium, collegium apostolicum, et membra ejus possunt esse et sunt plerique episcopi, quod est privilegium sedi apostolicæ reservatum. Igitur ad instar Petri et apostolorum qui efformabant collegium supremum ducens et gubernans omnes Ecclesias ab ipsis sub Petro fundatas, papa ut caput universalis Ecclesiæ habet pro particulari et speciali corpore collegium sacrum et apostolicum cardinalium ex apostolica institutione, ad summum pontificem adjuvandum in totius Ecclesiæ et particularis Romanæ regimine. Itaque cardinales sunt papæ coadjutores, consiliarii ad universam Ecclesiam regendam, et delegati ad aliquam illius potestatis partem exercendam, non in eorum nomine proprio, sed in nomine pontificis, cujus partem gerunt. Ex eoque fit ut post pontificem sint dignitate et auctoritate majores in

Ecclesia, et etiam supra episcopos et patriarchas, quia cum papa sanctam sedem constituunt. Item papa legatos, nuntios, etc., mittit ad suas vices gerendas et personam repræsentandam ad alias Ecclesias. Igitur hi omnes episcopis superiores sunt dignitate et auctoritate, etsi potestate ab ordinatione propria inferiores esse possint. Attamen cardinalium, legatorum, nuntiorum, etc., potestas seu jurisdictio, etsi immediate divina in pontifice a quo illam tenent, est in eis a mero jure pontificio.

Simili ratione et ex eadem apostolica institutione ad instar collegii apostolorum, episcopi singuli habent capitulum canonicorum antiqui et primi presbyterii successor. Et quemadmodum cardinales sunt pro papa, ita canonici sunt episcopi consiliarii nati, cum ea tamen differentia ut, ex jure, canonici sint consiliarii episcopi obligati, ad suam peculiarem Ecclesiam regendam, dum e contra, de sua plenitudine potestatis papa non obligatur habere cardinales consiliarios. Canonici sunt membra corporis cujus est caput episcopus; ideoque sunt dignitate et præeminentia majores cæteris sacerdotibus. Præterea episcopi habent a jure archidiaconos et vicarios generales, et etiam delegatos ad aliquam eorum potestatis partem exercendam, non in eorum nomine proprio, sed in nomine episcopi. Hisque omnibus jurisdictio competit ex mero jure canonico et episcopi voluntate.

Hinc 2° divisio episcopalis potestatis et missionis in patriarchas, primates, metropolitanos et episcopos ab apostolica institutione emanavit, juxta præstantiores auctores. Etenim eodem modo ac apostoli primos episcopos constituerunt, hi primi episcopi alios, ex ordinatione hierarchica et mandatis apostolicis, episcopos elegerunt et consecrarunt; Paulus ad Titum cap. I, 5-7, sic mandat: *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, et constituas per civitates presbyteros* (id est episcopos), *sicut et ego disposui tibi : .... oportet enim episcopum sine crimine esse*, etc. Et I Tim. III, 18; V, 22. Isti primi episcopi qui alios constituerunt ex mandato apostolico, super eos suprematiam aliquam servarunt, et variis nominibus designati sunt. De metropolitis et patriarchis mentio est in canonibus concilii Nicæni I, et a conciliis et antiquis Patribus unanimiter considerantur ut ab apostolis constituti. Ideoque consuetudo invaluit ut duodecim episcopi sedem habentes necessarii essent ad provinciam aliquam sub metropolitano formandam; et hi duodecim episcopi ab antiquo designantur sub nomine concilii, ad instar collegii apostolorum. Supra vero metropolitanos et etiam primates fuerunt patriarchæ. « Primis Ecclesiæ initiis tres fuerunt sedes patriarchales, Romana nimirum, Alexandrina et Antiochena ; quia harum Ecclesiarum episcopi cæteros et potestate et honore superabant; ordine tamen supremo concesso soli Romano. Ipsæ enim Ecclesiæ a beato Petro fundatæ exstiterunt, et præ cæteris sua præsentia illustratæ. Nam Romæ ad palmam usque martyrii pervenit, eamque suo sanguine irrigavit, Ecclesiamque eam fundavit. Antiochiæ fuit ante accessum ad urbem. Et Alexandrinam sedem per beatum Marcum constituit. » (Cardin. Petra, t. IV ad const. 17 Eugenii IV, sect. 3, n. 4.)

Jurisdictio vero et metropolitanorum super suffraganeos et patriarcharum in metropolitanos, et eorumdem suffraganeos et subjectos ab apostolis, Romanis pontificibus et conciliis regulata fuit et habuit præsertim ex apostolicæ sedis concessionibus nunc majorem, nunc minorem extensionem. Sic hierarchia canonica ex hierarchia divina manans apparet ut coordinans omnes divinas potestates et missionem 1° in singulis peculiaribus Ecclesiis, quæ regebantur ab episcoporum collegio presbyterorum et clericorum : 2° in coadunatione plurium Ecclesiarum episcopalium sub quodam metropolitano, quocum episcopi suffraganei efformabant concilium seu collegium regens provinciam; 3° in subjectione plurium provinciarum ecclesiasticarum uni patriarchæ, qui erat princeps et præses majoris concilii ; 4° tandem in omnium patriarcharum et eorumdem subjectorum Romano pontifici subordinatione, submissione et obedientia ; istæque omnes coordinationes e typo collegii apostolici ab ipso Christo efformato emanaverunt, et sic divina constitutio universalis Ecclesiæ imitatur et repræsentatur in unaquaque singularum peculiarium Ecclesiarum, et earumdem sive in provincia sive in patriarchatu coadunationum constitutione ab apostolis promanante. Unde nulla vera et realis mutuatio a regnis et societatibus terrenis facta fuit in Ecclesiæ constitutione hierarchica, ut multi falso jactitarunt.

II. 1° Ad papam vero, tanquam universæ Ecclesiæ ordinarium, pertinet jure divino eligere, confirmare, instituere et consecrare per se aut per suos delegatos omnes quoscunque episcopos, ipsosque aliis alios subordinare; omnes eorumdem causas per se aut per delegatos judicare; limites diœcesium et jurisdictionis episcopalis determinare, et quando opus est ipsam jurisdictionem seu missionem revocare. Potest papa legatos et nuntios ubique mittere, certas Ecclesiæ partes ubique sibi reservare, easdem ab episcoporum jurisdictione eximere easdemque regendas committere prælatis regularibus, ut monasteria eorumque dependentias, aut prælatis nullius diœcesis, aut præfectis apostolicis, qui omnes sunt tantum sacerdotes, et istam quasi episcopalem jurisdictionem exercent non in eorum proprio nomine, nec jure divino ut veri episcopi, sed in nomine pontificis et tamen tanquam ordinarii ex jure ecclesiastico. Potest papa ubique certorum beneficiorum et dignitatum, quas solus primo creat, collationem sibi reservare, etc.

2° Episcopi, tanquam reges suarum peculiarium Ecclesiarum vel diœcesium, potestatem regiminis exercent per vicarios generales et foraneos; potestatem sacramentalem et ministerium verbi in suam plebem per parochos aut rectores, per vice-parochos et omnes sacerdotes, qui episcopi quasi membra sunt ad hierarchiæ potestates extendendas et explicandas ad omnes, omnia et ubique. Itaque sacerdotes, etsi sacramentales potestates eorum gradui hierarchico proprias immediate a Deo per ordinationem accipiant, eas tamen potestates quæ simul ad regimen pertinent absque missione papæ aut episcopi explicare nequeunt.

3° Tandem papa, a quo omnis missio particularis procedit, potest dici facere maxima per episcopos, minima per sacerdotes, et per papam juncta triplici potestate divina et missione generali etiam immediate divina, cum potestate monarchica, Deus omnia facit in Ecclesia, quæ est regnum Christi et Dei.

CAPUT V.

Conclusio. — *De potestate sacerdotii, magisterii et imperii per generationem spiritualem transmissa.*

Si, ex omnibus præcedentibus discussis, nobis sententiam deducere licet, dicemus Christum esse societatis Christianæ Patrem et Regem æternum, sicut prior Adam erat naturæ societatis pater et rex. Secunda in mundo regiminis forma patriarchalis fuit, paterni regiminis vicinior.

Christus spiritualiter et supernaturaliter per sacramenta generat omnia Ecclesiæ universalis membra, quæ filii Dei adoptivi et Christi cohæredes fiunt; generat igitur sibi filios per sacramentorum ministros, qui pro eo et in ejus nomine spiritualiter gignunt. Hocque figurabatur et prophetabatur lege levitica, ex qua sic ratiocinatur sanctus Gregorius Magnus, lib. *De cura pastorali*, cap. 5: « Hinc Moyses ait, ut uxorem fratris sine filiis defuncti superstes frater accipiat atque ad nomen fratris filios gignat. Quam si accipere forte renuerit, huic in faciem mulier exspuat... Frater quippe defunctus ille est, qui post resurrectionis gloriam apparens dixit : *Ite, dicite fratribus meis* (*Matth.* XXVIII, 10); qui quasi sine filiis obiit, quia adhuc electorum suorum numerum non implevit. Hujus scilicet uxorem (Ecclesiam) superstes frater sortiri præcipitur... » ut ad nomen fratris (Christi) filios (Christianos) gignat. Divina vero realitas supra figuram et prophetiam extollitur; nam Christus ipse vere spiritualiter generat omnes baptizatos per ministros qui unam personam cum ipso gerunt baptizando.

Christus est Rex æternus, cui omnes gentes datæ sunt hæreditas; super omnes gentes igitur regiam simulque sacerdotalem potestatem jure æterno proprio et nativo habet. Ad coadunandos omnes homines et populos in uno ovili sub unico pastore, creavit et sacramentaliter generavit reges sacerdotesque suos apostolos sua propria potestate præditos, ex eoque habentes cum ipso et pro ipso omnes populos jure divino, quamvis non immediate de facto, subjectos. Qui credunt et baptizantur, fiunt filii et cohæredes Christi; ideoque in regno Dei, seu Ecclesia, omnes cives regis sunt filii.

Omnes vero subjectos filios Christus generat et regit per certos reges, quos ipse in sacramento ad imaginem suam patres et reges generat. Idem sacramentum facit alios patres tantum, alios patres et reges, alios filios regum capaces adjuvandi eorum patres et sub eis ministrandi. Omnes autem, diverso tamen modo et varia mensura, potestate Christi super omnes gentes et subjectos filios præditi sunt in Christo et sicut Christus, quamvis hanc potestatem non exer-

ceant, quemadmodum Christus ipse non illam semper plene exercet. Ex hoc sacramento tenent omnem eorum ministerii, paternitatis et regiminis potestatem. Quo fit ut regia potestas in Ecclesia sit hæreditaria jure spiritualis generationis. Et quia regia potestas suprema exclusive collata fuit Petro, qui petra fundamentalis factus est, monarcha creatus, rex supremus sacramentaliter generatus a Christo, et ab eo universaliter missus, sequitur quod successores ejus lege a Petro emanata determinati seu electi, et Christi sacramento consecrati, sunt ejusdem Petri legitimi successores ex lege hæreditaria spirituali; ideoque ex perpetua et universali divina missione habent plenitudinem potestatis Christi, cujus sunt veri vicarii supremi, super omnes gentes et super omnes Christi fideles eorumque pastores.

Cæteri vero episcopi reges etiam sunt ex eadem lege, non vero monarchæ supremi; subjiciuntur enim Petri successori in potestatis regiminis eorum exercitio; hæc regia potestas inamissibilis est, sed ejusdem exercitium extendi, coarctari, annulari, postea restitui a supremo monarcha potest ex divina regni Christi constitutione. Episcopi generantur et nascuntur reges per sacramentum; ex ipsamet generatione spirituali habent sicut et Christus et in eo potestatem quæ per missionem explicari potest super omnes gentes et omnem Ecclesiam; sed non semper peculiares subjectos habent. Sicut Christus, etsi rex æternus fuerit, non tamen regnavit in terra nisi quando missus fuit a Patre; sicut apostoli, etsi reges a Christo generati, non regnaverunt, nisi quando missi sunt a Christo post resurrectionem: ita episcopi non regnant super peculiares subjectos, nisi quando a vicario Christi missi sunt. Nihilominus in utrisque casibus Christus, apostoli et episcopi, potestatem regiam, propriam et nativam habent. Id est, potestatem solidariam unici episcopatus in partem tenent.

Ideoque, quia episcoporum corpori missio universalis et perpetua a Christo data fuit sub et cum ejusdem corporis capite, occasione data, v. gr., generalis concilii, omnes episcopi, illi etiam qui peculiares subjectos non habent, suam potestatem et jurisdictionem coæqualiter et collegialiter in omnem Ecclesiam decretis fidei, morum et disciplinæ, judiciis etiam, si necessarium aut utile fuerit, exercent. Ergo ex eo quod sunt episcopi semper habent subjectos, sed non eodem modo; collegialiter sumpti subjectos habent omnes Christi fideles et sicut Christus omnes gentes; uti singuli, nullos habent subjectos nisi ex peculiari missione, habent potestatem et saltem corporis cujus sunt membra jurisdictionem, quamvis eas non exerceant; sicut rex quidam, etsi non faciat leges, nec judicia ferat, nihilque potestatis exerceat, habet tamen potestatem et jurisdictionem, quæcunque sit causa eas non exercendi.

In Ecclesia omnes reges sive episcopi sunt inter se fratres coæquales, sunt etiam fratres Christi, ad nomen ejus filios cum ipso gignentes. Super omnes est Christus, primogenitus æternus perpetuo invisibiliter regnans et regens Ecclesiam, loco Christi et cum eo visibilis vicarius ejus, Petrus primogenitus in constitutione Ecclesiæ, et loco Petri successor ejus legitimus, semper primogenitus regni Dei in terris ex lege hæreditaria spirituali. Hinc pontifex, monarcha Ecclesiæ, plenitudinem potestatis Christi obtinet ab ipso Christo; et sub ejus auctoritate omnes episcopi eamdem, sed subordinatam plenitudini, regiam potestatem ab ipso Christo tenent.

Sub episcopis constant sacerdotes, ab ipsis generati ut coadjutores regiminis et paternitatis. Sacerdotes generare possunt in sacramentis fideles seu Christianos, ex fecunditate et potestate divinitus in sacramento recepta, sed episcopo submissa. Non sunt reges, nec proinde capaces generandi sacerdotes alios; habent tamen aliquid regiminis potestatis, scilicet capacitatem episcopum adjuvandi et reges fieri per plenitudinem sacerdotii.

Tandem sub presbyteris sunt ministri, ad aliquid regiminis et etiam paternitatis ab episcopo spiritualiter per sacramentum generati.

Tribus his gradibus constat hierarchia ecclesiastica ordinatione divina instituta.

Episcopatus unus est, in quo summus pontifex est caput corporis, et episcopi sunt membra. Ille unus episcopatus accepit a Christo plenitudinem potestatis in universam Ecclesiam. Hujusce potestatis plenitudo residet in capite, id est in Romano pontifice qui per se solus illam in universam Ecclesiam exercere potest. Alii vero episcopi, uti

singuli, eorum nativam et propriam potestatem tantum ex missione pontificis exercere possunt in singulis suis ecclesiis, in subordinatione tamen et subjectione vicarii Christi. Sacerdotes omnem suam potestatem ex papæ seu episcoporum missione exercere possunt.

Et per hanc divinam potestatum et missionis hierarchiam Christus supernaturaliter generat Christianos omnes, sanctificat, regit et pascit, gubernat et ducit ad vitam æternam, ut cum eo in divina felicitate facti divinæ consortes naturæ regnant in sæcula sæculorum.

CAPUT VI.

De potestatis ecclesiasticæ, missionis et jurisdictionis divisione practica.

§ I. — De potestatis ecclesiasticæ divisione.

I. 1° Potestas hierarchiæ ecclesiasticæ a Christo collata dividitur in potestate sacerdotii seu sacramentali, magisterii seu doctrinali, imperii seu gubernali. Potest etiam dividi in potestate sacramentorum, et potestate regiminis, sub regiminis nomine magisterium et imperium includendo. Divisio vero in potestate ordinis et jurisdictionis non est omnino vera, siquidem omnes potestates sunt ordinis et omnes etiam in aliquo sensu sunt jurisdictionis.

2° Ad exercendas vero et explicandas potestates necessaria est missio; ex potestatibus et missione procedit jurisdictio, quæ est relatio potestatis ad subjectos ipsi submissos.

A civilibus jurisperitis « jurisdictio definitur *potestas juris dicendi*. Verum in jure canonico nomen jurisdictionis latius accipitur, eoque intelligitur omnis ea imperii potestas, qua Ecclesia regitur et gubernatur. » (Soglia, lib. I, cap. 1, § 4.) Quamvis potestas regiminis exstat radicaliter ex divina ordinatione in aliquo subjecto, ad eam exercendam licite et sæpius valide *missio legitima* necessaria est, Trident. sess. 23, can. 7. Quo fit ut ejus exercitium a legitimo superiore extendi, coarctari, tollique possit. Jurisdictio igitur quæ est potestatum exercitium et explicatio in subjectos, extendi, coarctari, tollique potest in missione et cum ea a legitimo superiore.

II. Jurisdictio dividitur in Ecclesia, in jurisdictionem *fori interni* et *fori externi*, non autem in societatibus civilibus, quæ fori interni jurisdictionem habere nequeunt.

1° *Jurisdictio fori interni* est illa quæ primario et directe refertur ad privatam uniuscujusque fidelis utilitatem. Exercetur autem per sacramenta, per sacramentalia, per orationes publicas pro privatis personis, per reprehensiones, privatas instructiones, et similia. Subdividi potest in jurisdictionem fori interni *pœnitentialis*, quæ exerceri nequit nisi intra ipsum tribunal sacramenti pœnitentiæ; et in jurisdictionem fori *extra-pœnitentialis*, quæ extra prædictum tribunal exercetur, verbi gratia, quando extra tribunal pœnitentiæ superior aliquem dispensat a voto, tollit occultam irregularitatem, et alia hujusmodi exercet. » (Bouix, *De pr.* p. 524.)

2° *Jurisdictio fori externi* est illa quæ primario et directe publicam corporis fidelium utilitatem respicit. (Id. *ibid.*) « Ista est qua jurgiis de dogmatibus fidei, de morum doctrina, de disciplina subortis, lata sententia finis imponitur, leges, edictaque salubria conduntur, legitimisque pœnis rei criminum coercentur. . . . Corollarium est, tantum distingui invicem jurisdictionem fori interni et jurisdictionem fori externi, quantum distinguantur invicem et utilitas publica et privata. Hinc est quod exsistere possint qui habeant jurisdictionem in foro interno, quin habeant in foro externo, quales sunt parochi; et e converso exsistere possint qui habeant jurisdictionem in foro externo, quin habeant in foro interno, quales sunt vicarii generales episcoporum vix clericali tonsura initiati... Maxima opus est prudentia in definiendo quænam ad fori externi, et quænam ad fori interni jurisdictionem pertineant. » (Berardi *Comm. in jus. can.* t. I, p. 12, edit. Taurini 1746; apud Bouix *l. c.* p. 525.)

Ex duplici ecclesiasticæ jurisdictionis foro, sequitur : 1° illam non esse ejusdem conditionis ac jurisdictio civilis, quæ forum internum nullum habet. Sequitur 2° sano modo intelligi oportere vulgare adagium, *Ecclesiam de internis non judicare*. De internis non judicat Ecclesia in foro externo, sed bene in foro interno. Hocque procedit ex eo quod hierarchæ ecclesiastici habeant divinam potestatem tam in animas singulas regenerandas et sanctificandas, quam in societatem publicam Christianorum regendam et gubernandam ad omnium sanctificationem.

3° Dividitur in jurisdictionem *universalem*, quæ nullo arctatur limite, quamque ordina-

rie possedit Petrus et possidet ejus successor pontifex maximus, quamque possedit collegium apostolorum et possidet ejus successor corpus episcoporum cum et sub suo capite, sive dispersum, sive in œcumenico concilio coadunatum, et extraordinarie possederunt singuli apostoli, quia hi omnes missionem universalem ab ipso Christo immediate acceperunt.

Et in jurisdictionem *particularem*, quæ procedit a missione particulari a summo pontifice primario per se aut ejusdem delegatos, et secundario ab episcopis aut prælatis ordinariis per se aut eorumdem delegatos data. Hæc vere particularis jurisdictio « restringitur vel ad certas personas, qualis est jurisdictio prælatorum regularium in suos monachos; vel ad certum locum, qualis est jurisdictio parochi in sua parochia, episcopi in sua diœcesi, metropolitani in sua metropoli, patriarchæ in suo patriarchatu; vel ad certas materias, qualis est omnis jurisdictio concessa cum reservatione aliquorum casuum... (Bouix, *De princip.* p. 526.)

Jurisdictio particularis determinata ad certas personas exerceri potest ubique locorum. At de jurisdictione ad locum limitata enascuntur plura dubia quæ a canonistis et moralistis expenduntur, et quæ suis locis expendemus.

4° Ab aliquibus dividitur jurisdictio, in *legem jurisdictionis* et *legem diœcesanam*; quæ divisio in corpore juris reperitur, et propter varias monasteriorum a jurisdictione episcopali exemptiones introducta fuit XII sæculo. *Lex jurisdictionis* comprehendebat ea omnia in quibus perseverabat episcopi ordinaria jurisdictio; *legi diœcesanæ* ascribebantur omnes monasteriorum exemptiones.

5° Dividitur in *voluntariam* et *contentiosam*. *Voluntaria* ea est quæ exercetur in volentes. « Dicitur voluntaria non ex parte magistratus, qui officium suum imploranti semper impertiri debet, sed ex parte illius qui adit magistratum. » (Reiffenstuel, in l. 1 *Decret.* tit. XXIX, n. 8.)

Contentiosa ea est quæ exercetur in invitum, judicando, puniendo, coercendo, etc.

Hæc vero divisio in sua partitione multum differt apud auctores, et recidit in istam, *judicialis* nempe et *extrajudicialis jurisdictionis*. Quidquid cum forma contentiosa seu judicii statuitur ad jurisdictionem contentiosam referendum est. Quidquid absque illa forma statuitur, erit jurisdictionis extrajudicialis quæ ex usu canonistarum voluntaria vocari solet. (Bouix, *De princip.* p. 529.) Attamen hæc partitio non est semper rigorosa, nam *sententiæ ex informata conscientia*, quæ certe ad contentiosam jurisdictionem pertinent, dicuntur et sunt sententiæ extrajudiciales.

6° Dividitur in *ordinariam*, *delegatam* et *prorogatam*.

« Jurisdictio ordinaria dicitur ea, quæ cuipiam jure proprio, seu ratione officii aut dignitatis suæ ex lege, canone, vel consuetudine competit. » (Reiffenstuel, in l. 1 *Decret.* tit. XXIX, n. 11.)

Ordinarii sunt alii ex jure divino, ut dictum est, alii ex jure canonico; practice vero idem fere dicendum est pro utrisque. Sub nomine *ordinarii* veniunt 1° summus pontifex, qui est jure divino ordinarius ordinariorum; 2° legati summi pontificis; 3° aliquæ congregationes Romanæ, quæ universalem, licet non quoad materias, jurisdictionem exercent; 4° conservatores a papa delegati ad protegenda aliquorum jura; 5° patriarchæ, primates, archiepiscopi et episcopi, pro sua quisque provincia vel diœcesi; 6° vicarius generalis episcopi et capitulum sede vacante; 7° canonicus theologalis, qui officio jurisdictionem habet ad prædicandum seu docendum; 8° canonicus pœnitentialis, qui item ex officio jurisdictionem habet in foro pœnitentiali et externo; 9° quicunque prælatus inferior, habens ex officio jurisdictionem aliquam ordinariam in foro externo. (Reiffenst. in l. *Decret.* tit. XXXI, n. 6.)

Parochi, vicarii perpetui, et rectores parœciarum ad nutum revocabiles, quamvis ordinariam fori interni jurisdictionem habeant, non veniunt sub nomine ordinarii, quia fori externi jurisdictionem non habent.

Sub nomine *episcopi* veniunt patriarchæ, primates et archiepiscopi, non tamen in odiosis. Quoad jurisdictionem, nomine episcopi venit electus et confirmatus, licet nondum consecratus. Prælati inferiores, jurisdictionem habentes quasi episcopalem, sub nomine episcopi aliquando veniunt, aliquando non; quod discernendum erit potissimum ex appositis vel non appositis certis clausulis seu dictionibus, ex ipsa materia,

stylo curiæ Romanæ, aliisque hujusmodi circumstantiis.

Diœcesanus proprie dicitur solus episcopus, non vero prælatus inferior jurisdictionem quasi episcopalem habens.

«*Jurisdictio delegata* e contra est quam quis non habet jure proprio, hoc est, non ratione sui officii aut dignitatis, sed solum ex commissione alterius cujus vice fungitur.» (Reiff. *ubi supra.*)

Differt judex delegatus a *vicario*, in eo quod vicarius gerat vices ordinarii in eodem loco ac tribunali; delegatus vero ab ordinario deputatur ad cognoscendas causas in alio loco; unde appellari potest a delegato ad ordinarium; non autem a vicario ad ordinarium.

Delegatio distinguitur in *universalem*, qua alicui committitur universalitas causarum, vel saltem alicujus generis causarum; et in *particularem*, qua alicui committitur una aut altera tantum causa particularis et determinata. Delegatus ad universalitatem causarum reputatur *quasi ordinarius*, potest subdelegare unam vel alteram causam, non vero totam suam jurisdictionem. Delegatus ad causam particularem, nisi sit delegatus a supremo principe, subdelegare nequit.

Alii sunt delegati *ab homine*, alii *a jure*. Sic in multis episcopi constituti sunt a jure delegati sedis apostolicæ; et in his casibus minime potest appellari ab ipsorum sententia ad metropolitanum, sed ad delegantem tantum, id est summum pontificem.

«Multiplex est discrimen attendendum ordinariam inter et delegatam jurisdictionem: 1° Ordinarius superior jurisdictionem suam regulariter delegare potest: delegatus, sine speciali delegantis concessione, aut nisi sit delegatus ad universalitatem causarum, aut nisi sit delegatus a papa, subdelegare nequit. 2° Citatus a judice ordinario, si dubitetur de jure citantis, tenetur venire et exponere cur jurisdictionem citantis recuset; quia nempe semper præsumitur pro jurisdictione ordinaria donec aliud probetur. E contra citatus a delegato comparere non tenetur nisi sibi de delegatione prius fides fiat. Nam aliquem esse delegatum est quid facti; facta autem non præsumuntur nisi probentur. Unde recepta praxis habet, quod delegati antequam incipiant exercitium suæ commissionis, soleant se *legitimare*, id est, exhibere originales litteras suæ delegationis. 3° Superior ordinarius potest sententiam a se latam exsequi. Econtra an delegatus (nisi sit delegatus a papa) possit exsequi suam sententiam controvertitur. De qua quæstione hæc annotat Reiffenstuel: «Imprimis certum est, quod delegatus papæ possit per se ipsum exsequi sententiam a se latam, nisi malit eam judici ordinario demandare. Deinde etiam alii judices delegati ante sententiæ prolationem, non solum possunt partes citare, sed etiam contumaces punire. Nam quando jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur sine quibus jurisdictio explicari non potest.... Tandem satis probabiliter dici potest quod, spectato jure canonico, etiam delegatus inferioris possit suam sententiam exsequi, quando delegans habet talem potestatem exsequendi, sive hanc eidem expresse concesserit, sive non; quia jam accessorie videtur concedi.» 4° Jurisdictio ordinaria non exstinguitur morte concedentis (modo excipiatur jurisdictio vicarii generalis episcopi); econtra jurisdictio delegata exspirat, si delegans, re integra, id est, processu nondum incœpto, moriatur... 5° Jurisdictio ordinaria est favorabilis, delegata vero, utpote ordinariæ derogans, censetur odiosa, unde est stricte interpretanda. Hinc sequitur prorogari quidem posse ordinariam, non vero delegatam etiamsi consentiant partes. 6° Sub appellatione magistratus venit jurisdictio ordinaria, non vero delegata.» (Bouix, *De princip.* 535, etc.) 7° Qui *ordinariam* jurisdictionem habet, potest illam exercere extra territorium suum, exceptis actibus, qui sunt jurisdictionis *contentiosæ*; jurisdictio *delegata* vero non potest exerceri extra proprium territorium delegantis, etiam in istius subditos proprios. Expresse enim jus canonicum decernit, quod confessarii regulares approbati cum jurisdictione *delegata* tantum, nullatenus audiant confessiones *extra civitatem et diœceses in quibus fuerint deputati*. (Clem. *Dudum* 2, de sepult. et const. *Superna* Clement. X.) Hinc concludunt multi actum esse *illicitum et invalidum*, si is, qui in aliqua parochia habet jurisdictionem mere *delegatam*, puta vicarius parochialis, *proprios* illius loci parochianos audiat in confessione extra parochiam, si matrimonio conjungat. Ita fuisse responsum a congreg. Conc. referunt Barbosa, *De*

offic. episc. alleg. 25; Fagnan. c. *Ne pro dilatione*, de pœnitentiis. Aliter tamen de vicariis parochialibus sentiunt plurimi et etiam Fagnanus alibi, ut in suo loco dicetur,

III. « *Prorogatio jurisdictionis* est extentio jurisdictionis judicis de consensu partium facta ultra limites intra quas cæteroquin est constricta.... Fit quatuor præcipue modis, videlicet de persona ad personam, de re ad rem, de tempore ad tempus, et de loco ad locum.» (Reifenst. in II *decret.* tit. II, n. 122.)

§ II. — De jurisdictionis ecclesiasticæ adeptione.

Cum diversæ jurisdictionis divisiones reducantur ad *delegatam* et *ordinariam*, sufficiet agere de utriusque adeptione.

Propter materiæ connexionem dicemus etiam de ratione adipiscendi quodvis officium, beneficium, ministerium ecclesiasticum, etiam jurisdictionem non importans.

«Ad quamlibet concessionem tria principia concurrere debent : potestas in *concedente*, habilitas in *recipiente*, seu subjecto passivo, et forma requisita in *actu* concessionis. Hæc tria coefficiunt *titulum*, vi cujus habetur et exercetur quodvis officium, quævis potestas, sive *delegata*, sive *ordinaria*.

«Proponemus 1° notiones seu regulas communes circa conditiones generales, quibus gaudere debet quivis titulus, itemque circa vitia, quibus potest fœdari, sub quocunque respectu, dantis, recipientis, formæ.

2° « Ea principia quæ directe spectant ad transmissionem jurisdictionis *delegatæ*.

3° « De eis quæ spectant directe ad jurisdictionis *ordinariæ* jurisdictionem. » (*Manuale compendium juris canonici*, etc., auctore J. E. M. Lequeux; caute legendum, et præsertim sequendum, quia a sacra Indic. cong. damnatum est. t. I, p. 187 et seq.)

I. *De Titulo.* « Titulus *in genere* est id, in quo fundatur quodcunque jus; seu illa ratio, ex qua intelligitur legitimitas alicujus facultatis, quæ homini competit. Hic proinde titulus significat illud, super quo reponitur potestas quævis peragendi munia ecclesiastica. »

II. « Titulus est aut *verus*, aut *falsus*. » (Id. *ibid.*)

Titulus *verus* est, planeque sufficiens, ubi adest *concedentis* libera potestas, *recipientis* seu subjecti habilitas, debita forma in *actu* concessionis.

Titulus *falsus* est, in quo unus ex his tribus deest; dicitur etiam titulus *putativus*, respective ad eos qui ignorant istud vitium, et potest esse *fictus*, *simpliciter nullus*, et *coloratus*.

1° Titulus *fictus* est ille, qui supponitur exsistere, sed non exsistit; quod contingit variis modis, ut quando quis se intrudit in officium absque concessione nullius superioris ecclesiastici; aut exhibet facultates concessas alteri personæ; vel utitur facultatibus ipsimet concessis, sed expresse limitatis ad certum locum vel tempus, etc.; in his omnibus *allegatur falsum*.

2° « Titulus *simpliciter nullus* est ille, qui revera concessus fuit, sed qui omnino ineptus est ad conferendam facultatem, vel propter vitium *fundamentale*, vel propter vitium *manifestum*.

« Vitium *fundamentale* adest quando concessio facta est ab eo ad quem nullo modo pertinet. Unde in ipso deficit *radix* ipsa. v. gr. si archiepiscopus conferret beneficia in diœcesibus suffraganeorum extra eos casus, in quibus a jure tribuitur facultas *supplendi* negligentiam eorumdem, talis concessio laboraret vitio *fundamentali*.

«Vitium *manifestum* est illud quo concessio, licet forte facta ab eo ad quem aliquatenus pertinet concedere, taliter tamen laborat ut hoc ipsum vitium nulla possit tergiversatione celari. Ad id non requiritur ut *omnes* incolæ noverint vitium, sed sufficit ut *multi* sciant. Porro tale vitium potest esse, vel 1° ex parte *concedentis*, si nempe manifeste cognoscatur ipsum, eo tempore quo fit concessio, privatum esse auctoritate per judicium canonicum, aut altera qualibet via; vel 2° ex parte *recipientis*, sive quia *manifestum* est ipsum *ante* concessionem habuisse irregularitatem; sive quia manifestum est post concessionem ipsum spoliatum fuisse titulo; vel 3° ex parte *actus*, ut quando *manifestum* est electionem aliquam factam fuisse per vim.

3° « Titulus *coloratus* ille est, qui de se aptus est ad jurisdictionem conferendam, eo quod revera fuerit concessus a debito superiore, sed qui tamen irritatur propter aliquod vitium *occultum* : unde in eo titulo concurrunt *radix* et *color*. *Occultum* hic dicitur, quod in certo loco aut prorsus ignoratur, aut saltem tam paucis innotescit, ut valeat celari. Vitium illud potest esse vel 1° in *concedente*, si nempe spoliatus sit sua auctoritate per aliquem eventum, qui adhuc ignoratur, puta si mortuus quidem sit epi-

scopus, quem repræsentat vicarius generalis, sed tamen episcopi mors adhuc ignoretur; vel 2° in *recipiente*, sive aliquod vitium præcesserit, puta aliqua irregularitas occulta, sive ipsemet titulo spoliatus sit, id tamen ignoretur; vel 3° in *actu*, ut si intercesserit simonia, ratione cujus actus sit irritus.

« Rursus notandum est, errorem aut ignorantiam, ex quibus vitium tituli est *occultum*, seu a plerisque ignoratum, esse vel circa *factum*, vel circa *jus*, nempe circa ipsam legem. Si sit circa jus, aut agitur de jure *certo*, claro et constanti, vel de jure *obscuro*, de quo etiam docti disputant. Iterum eadem ignorantia vel est *probabilis*, aliquo nempe prætextu velata; vel est *crassa* et *supina*, ad quam depellendam mediocris attentio sufficiat; vel est *affectata*, quando nempe obstinato animo repellitur notitia veritatis. »(*Ibid.*)

III. His positis : 1. « Ubi deest titulus *verus*, Ecclesia supplet jurisdictionem, sive ordinariam, sive delegatam, sive in foro externo, sive in foro interno ; modo tamen concurrant debitæ conditiones. « Ex jure Rom. l. *Barbarius*, 3, ff. *De offic. prætoris* et can. *Infamis* 3, caus. 3, quæst. 7.

2. *Conditiones requisitæ* tres sunt : 1° ut vitium tituli illud sit, cui possit mederi Ecclesia ; 2° ut titulus sit saltem *coloratus* ; ut exsistat *error communis et probabilis* circa *factum* illud, ex quo titulus vitiatur. »

Prima conditio ut vitium tale sit, cui mederi possit Ecclesia. Manifestum est eam non posse mederi impedimento juris naturalis vel divini. Hinc quæcunque gerit rector rationis usu carens, aut potestate ordinis, irrita sunt et nulla, absque remedio.

Secunda conditio est, ut adsit titulus coloratus. Necessitas quidem hujus conditionis negatur a pluribus. At multo probabilius est, et communius affirmant auctores, requiri titulum a vero collatore concessum, et quidem in forma debita.

Hinc 1° non sufficit titulus *fictus*, nec titulus, qui refertur ad alium locum, aliudve ministerium, ex decreto sacræ cong. Concil. in Patavin. relat. Benedict. XIV, institut. 84, n. 22. Quæ interrogata de confessionibus auditis a duobus Capucinis, approbatis, alter in alia diœcesi, alter vero pro loco alio diœcesis et ad annum elapsum, respondit, confessiones *invalide auditas fuisse ; non tamen inquietandos esse eos, qui bona fide confessi sunt ; et si confessi hoc resciverint, teneri iterare.* Sola proinde possessio officii parochialis, alteriusve, etiam accedente errore communi, non sufficit. »

« Nec 2° sufficit titulus simpliciter *nullus*. Si aliquod sit vitium *essentiale*, seu circa radicem et *fundamentum*, ut quando missio datur ab episcopo intruso, nihil est quo niti possit talis titulus. Si vitium sit *manifestum*, non est ratio cur Ecclesia suppleat jurisdictionem. Aliunde tunc non exsisteret *error* ille *communis* quem statim requiremus ; titulus colore careret. »

Tertia conditio est, quod adsit error communis et probabilis circa tituli vitium. Notentur singulæ partes.

« Error debet 1° esse *communis*, alioquin nullitas esset *manifesta* ; non applicaretur lex *Barbarius*. Nec æquum est, ut Ecclesia propter paucorum utilitatem deroget legibus canonicis. Sufficit autem ad errorem *communem*, ut vitium ignoretur in eo loco, pago, seu oppido, ubi exercetur jurisdictio, etiamsi alio in loco notorium esset. Item sufficit, ut præsenti tempore error vigeat, etiamsi factum in eo ipso loco olim fuerit notorium. »

Error 2° debet esse saltem *probabilis*, talis nempe, ut mediocris attentio non sufficiat ad deprehendendum vitium tituli. Nam ignorantia *crassa aut supina* scientiæ æquiparatur. C. *Ut animarum* 2, *De constitut.* in 6. Hinc, præterquam illi intrusi, qui parochias invadebant virtute constitutionis civilis, carebant titulo *colorato*, deerat error *probabilis*. Si aliquo in loco sufficienter innotescat sententia destitutionis lata adversus parochum, revocatio alicujus rectoris amovibilis, alicujusve delegati, etsi obstinato animo populus istis adhæreat, irrita sunt, quæ ab eis geruntur.

Plures auctores volunt insuper quod *error communis et probabilis* versetur tantum circa *factum*, puta quod ignoret populus talem confessarium esse revocatum, contendunt vero non sufficere *errorem*, quantumvis probabilem, circa *jus*. Probant ex *Regula juris* 13, in 6. *Ignorantia facti, non juris, excusat* ; alioquin Ecclesia foveret contemptum legum suarum. Et sane valet quidem hæc ratio, si agatur de jure *certo* ; exempli causa, si vulgus ignorans quod sint casus reservati, credat valere absolutionem collatam a confessario communiter approbato. At multorum est sententia (et ea fundata videtur), quod si error communis fundetur opi-

nione vere *probabili* circa *jus* aliquod obscurum, etsi aliunde adsit causa rationabilis, Ecclesia suppleat jurisdictionem, quando forte illa deest. Nam merito præsumitur ipsa facere id quod requirit bonum animarum. Præterea certum est quod *consuetudine speciali* jurisdictio acquiratur ; ut evidenter supponit C. *Cum contingat*, 13, *De foro compet.* Atqui generalis est consuetudo utendi jurisdictione in dubiis, modo vere probabilis et præsertim probabilior sit sententia ; modo etiam causa justa et rationabilis suppetat. Ita celebriores theologi, Suarez, *De pœnit.* disp. 27, quæst. 4, n. 7 ; Delugo, dist. 19, n. 11 ; Sanchez, *De matrim.* ; S. Liguori, VI, n. 573. Imo ita antiprobabilistæ, ut Collet, Billuart, modo error probabilitate majore notabiliter fulciatur. »

« Igitur positis tribus conditionibus allatis, Ecclesia supplet jurisdictionem, sive agatur de jurisdictione ordinaria, sive de jurisdictione delegata. »

« Ex his principiis solvuntur innumeri casus. Si mors episcopi adhuc ignoretur, perseverant facultates vicarii generalis, valentque ejus actus, quia cognoscitur titulus ejus ut indefinite perseverans, ignoratur vero tituli exstinctio. Ita judicavit Rota Romana... Si sacerdotis delegati ad confessiones audiendas, etc., facultates revocentur, sed illud non cognoscatur, valent interea actus ab eo peracti. »

« IV. *Utrum licitum sit uti titulo colorato?* Resp. Interdum certum est quod illud non liceat. Nam ubi lex vel mandatum superioris directe illud prohibet, certum est quod non liceat. Sic nulla ratio permittere videtur quod confessarius, cui notificata fuit facultatum revocatio, vel qui excommunicatione se devinctum noscit, utatur jurisdictione. Nec in his casibus illi qui privatim illud sciunt, possunt ad eum recurrere : nam absolutio data pœnitenti qui adit talem confessarium esset irrita ob defectum dispositionum. »

« Interdum licitum illud videtur ; nempe quando 1° nulla lex nullumve mandatum directe illud prohibent, et quando 2° suppetunt aliunde motiva gravia ; puta quia notabilia occurrent inconvenientia ; si quis non utatur tali jurisdictione ; si non audiatur pœnitens, super quo confessarius dubitat an jurisdictionem habeat ; si talis dispensatio non concedatur. Nam positis talibus circumstantiis Ecclesia confert jurisdictionem. »

« Sed si deesset *causa rationabilis*, non licitum esset se tali periculo exponere ; nec videtur Ecclesia velle connivere libertati et præsumptioni sacerdotum. » (Confer. S. Liguori, l. VI, n. 573.) — (Le Queux, *ubi supra.*)

Appendix. — De ignorantia quæ sæpius allegatur ad sacros canones, etc., omittendos et etiam contemnendos, tam in jurisdictionis materia quam in aliis.

I. Jurisdictio in Ecclesia et officia quævis ecclesiastica primario procedunt ab ipso Deo, cui proprie pertinent. Itaque nequeunt conferri contra Dei voluntatem, quæ legibus Ecclesiæ et canonibus manifestatur. Ad hoc facit sancti Thomæ dictum *de simonia*, in 2-2, quæst. 100, art. 6, *in corpore*, ibi : « Respondeo dicendum, quod nullus potest licite retinere id, quod contra voluntatem domini acquisivit, puta si aliquis dispensator de rebus domini sui daret aliquid contra voluntatem et ordinationem domini sui, ille qui acciperet, licite retinere non posset : Dominus autem, cujus Ecclesiæ prælati sunt dispensatores, et ministri, ordinavit ut spiritualia gratis darentur, secundum illud Matthæi, X, 8 : *Gratis accepistis, gratis date.* Et ideo qui muneris interventu spiritualia quæcunque assequitur, ea licite retinere non potest. » Hæc ibi : *et in respons. ad tertium* (ad hoc ut aliquis privetur eo, quod accepit non solum est pœna peccati, sed etiam quandoque est effectus acquisitionis injustæ, puta cum aliquis eruit rem aliquam ab eo qui vendere non potest ; et ideo si eo nesciente, nec volente, per alios alicujus promotio simoniace procuratur, tenetur resignare beneficium, quod est consecutus cum fructibus exstantibus, non autem tenetur restituere fructus consumptos, quia bona fide possedit). Apud Fagnan. in 1 part. lib. V, decret., *De simonia*, cap. *Nobis*, n. 50, et 51. Hoc applicandum venit ad omnem jurisdictionem et ad quæcunque officia et etiam ad absolutiones, dispensationes et licentias, etc. Nam de fide est papam esse ordinarium ordinariorum, et consequenter supremum omnis jurisdictionis, officiorum, beneficiorum, etc., dispensatorem ; ideoque ea omnia nequeunt conferri nec concedi contra papæ prohibitiones et sanctiones, cum aliter darentur contra voluntatem et ordinationem Domini, id est Dei, cujus pontifex est verus

vicarius; ille igitur qui acciperet, licite retinere non posset, et in multis casibus nulliter acciperet, proindeque nihil haberet; nam necessaria est in plerisque missio legitima.

His prænotatis, de variis ignorantiæ speciebus ad moralistas remittimus; hicque tantum dicemus de ea ignorantia quæ non excusat nec a peccato, nec a pœna, et qua stante, jurisdictio seu officii possessio in ea fundata, nulla est ac irrita.

II. *De ignorantia vincibili et affectata.* 1° Ignorantia cum sit eorum, quæ quis scire potest et debet, dicitur vincibilis et affectata, quæ æquiparatur scientiæ, ut cap. 16, *Non omnis*, 37 dist. ibi : « Non omnis ignorans immunis est a pœna... » Et dist. 38 per totum, præsertim c. 1. *Ignorantia* « mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt... Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas, et canones, ut omne opus eorum in prædicatione et doctrina consistat : atque ædificent cunctos, tam fidei scientia, quam operum disciplina. » Et cap. 3 : « *Si in laicis* vix tolerabilis videtur inscitia, quanto magis in iis, qui præsunt, nec *excusatione* digna est, nec *venia?* » c. 4 : « *Nulli* sacerdotum liceat canones ignorare nec quidquam facere, quod Patrum possit regulis obviare. » Et cap. 3, tit. III, lib. IV *Decret.* § *Si quis*, « Ignorantia non excusat a pœna, et non expertibus scientiæ æquiparantur *affectatores ignorantiæ.* » Et cap. 2, tit. IX, lib. I, sexti *Decret.* ibi : « Eos, qui clericos parochiæ alienæ absque superioris ordinandorum licentia *scienter*, seu *affectata ignorantia*, vel quocunque alio figmento quæsito præsumpserint ordinare, per annum a collatione ordinum decernimus esse suspensos... »

Ignorantia igitur vincibilis et affectata, æquiparatur scientiæ, ideoque non excusat nec a peccato, nec a pœna, nec a censura : textus clarus in cap. *Eos* supra et optime declarat sanctus Thomas in 1-2, quæst. 76, art. 2. Apud Fagnanum, in I part. decret. I *De constitut.* cap. *Ne innitaris*, n. 80.

2° « Jus ignorare licet indoctis ac rudibus, non autem eis, qui sua prudentia instructi sunt. (L. *Regula*, ff. *De jur. et fact. ignor.*) — (Fagnan. *ibid.* n. 426.)

« Si indoctus dubitat de veritate opinionis, aut habet rationem dubitandi, eo quod audiverit alios aliter opinari; et potest illos consulere, imo et debet, quia, ut inquit sanctus Thomas d. *Quodlibet* 3, art. 10, in dubiis oportet non cito credere : alioquin ex juris ignorantia non excusatur, ut est textus in dist. I. *Regula* et in cap. *Omnis*, 37 dist. *supra.* Id. *ibid.* n. 427. »

« Aut tali indocto nullum occurrit dubium de veritate opinionis; et nihilominus non excusatur ex ignorantia juris, ut est textus clarus, in cap. *Per tuas*, I. III. *De Simonia*, id. *ibid.*, n. 428. In dicto cap. declaratur quod promotus ex promissione, « nec se in hoc illicitum egisse aliquid intellexerit, » tamen arctatus et suspensus sit.

3° Igitur ignorantia juris, etiam nullo occurrente dubio, non excusat a pœna, nec a censura, ideoque episcopi, qui ab hæresi occulta et ab aliis casibus occultis per bullam *In Cœna* et ex bulla Pii V sedi apostolicæ reservatis, auderent absolvere, lethali culpa non vacant; « quinimo non excusandi essent a censuris latis in eadem bulla Cœnæ contra usurpantes jurisdictiones ac jura ad sedem apostolicam pertinentia, ut in his et similibus casibus multoties datæ sunt litteræ ad episcopos. Et in specie, in uno casu, contra sententiam sacræ Congregationis, quæ nitebatur aliquem episcopum excusare ex eo quod pœna suspensionis a jure imposita non videretur latæ sententiæ, sed ferendæ; tum quia super hoc articulo inter primarios doctores maxime dissidetur (in quo erat jus valde dubium). — Tamen Sixtus V in consistorio respondit significandum episcopo ipsum esse suspensum. » Fagn. part. I, lib. I, Decret. *De constit.* cap: *Quoniam*, n. 29 ad 32.)

Patet igitur ignorantiam vincibilem non excusare nec a pœna, nec a censura; et nihil faciunt doctorum opiniones, quibus semper præferendæ sunt leges et decisiones sedis apostolicæ.

4° Multi tamen sese excusare conantur ex ignorantia, ut leges canonicas non observent, jura ac jurisdictiones usurpent, censuras et irregularitates spernant. Dicunt, se non habuisse unde discerent leges canonicas, ideoque nunquam venisse in mentem cogitare, nec dubitari de sanctionibus canonicis. Hanc excusationem non absolute negamus. Attamen omnes theologi, etiam elementarii, loquuntur saltem obiter et transeundo de sanctionibus canonicis, et ex professo de censuris. Esto quod in seminariis Galliarum professores superficialiter percurrant has materias, aut etiam de iis nihil dicant, om-

nes tamen sacerdotes habere et legere libros theologicos tenentur sub gravi, et si non legant, in culpa sunt. Legendo vero rationes dubitandi necessario habent, ideoque ex omnibus moralibus regulis dubia expellere tenentur sive alios libros legendo, sive peritiores consulendo, alioquin ex juris ignorantia non excusantur, ut est textus, *supra*. —Quidquid sit; esto tamen quod in præteritis hujus sæculi annis locus fuisset ignorantiæ invincibili, talis ignorantia fit certe vincibilis ex eo quod jus canonicum de novo saltem ventilatum est apud nos; hodie igitur talis ignorantia est affectata in his omnibus qui nec legere libros, nec peritiores consulere, nec ullum jus discere conantur; cum ad id, ex supra citatis, stricte teneantur.

Allegari solet alia excusatio, scilicet quod superiores, id est episcopi, non præscribant juris observantiam. Quam inanis futilisque sit ista excusatio patet : lex enim generalis canonica est supra episcopos, obligat per se absque episcopi ulla præscriptione, cum de fide sit omnes sive Christi fideles, sive sacerdotes sive episcopos ipsos obedientiam Romano pontifici, ejusdemque legibus et decretis præstare teneri; itaque quamvis episcopi leges canonicas forte (quod absit) non observarent, ex eo tamen easdem observandi obligatione nec sacerdotes, nec Christi fideles eximerentur.

5° Tenentur igitur : 1° episcopi, qui nec theologi, nec canonistæ sunt, si forte sint, habere theologos et canonistas consultores, alioquin ex ignorantia vincibili et affectata excusari nequeunt; 2° sacerdotes omnes curam animarum gerentes, tenentur jus canonicum addiscere in iis saltem quæ eorum officium et ministerium concernunt, aut saltem in dubiis consulere, alioquin ex ignorantia vincibili et affectata excusari nullo modo possunt.

6° Nam « ignorantia affectata et directe voluntaria est, cum quis data opera vult ignorare et non inquirere veritatem, sive ob discendi tædium ac pigritiam, sive ut legis obligatione ignorata vel excusationem aliquam mereatur a transgressione legis, vel liberius sine remorsu conscientiæ peccare possit, de quo regius Psaltes, psal. xxxv, 4, ait : *Noluit intelligere, ut bene ageret;* et Job xxi, 14, legitur : *Qui dixerunt Deo : Recede a nobis, et scientiam viarum tuarum nolumus;* et sanctus Thomas 1-2, quæst. 77, art. 1 in corpore, dicit quod « talis ignorantia videtur augere voluntarium; ex intentione enim voluntatis ad peccandum provenit, quod aliquis vult subire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi. »

7° « Ignorantia non affectata et indirecte tantum voluntaria est, cum quis non quidem vult ipsam ignorantiam in se, sed solum non vult adhibere sufficientem ac debitam diligentiam inquirendi ac cognoscendi veritatem; ideoque eo ipso indirecte velle ignorantiam convincitur. Et hæc ignorantia alia est crassa, seu supina, ad quam superandam veritatemque cognoscendam ulla prorsus diligentia, vel cura adhibita est, qualis plerumque esse solet ignorantia earum rerum quæ communiter ab ejusdem status vel conditionis hominibus cognoscuntur, vel etiam cognosci debent. » (Ferraris, verb. *Ignorantia*, n. 7 et 8.) Ignorantia crassa, seu supina non est tam culpabilis quam affectata; ex quo dum ignorantia crassa non excusat, a fortiori affectata excusare nequit.

8° Qui nec docere, nec discere leges canonicas et earum sanctiones volunt, ut sibi regiminis et administrationis difficultates parcant et facilius arbitrium suum sequantur, evidenter ignorantia affectata laborant; qui vero non quidem curant an sint leges canonicæ, nec ullo modo de iisdem inquirunt, et agunt quasi non essent, cum nequaquam supponere possint non esse saltem aliquas leges in Ecclesia, et aliunde easdem cognoscere debeant ex status obligatione, saltem crassa seu supina ignorantia affecti sunt.

III. Atqui ignorantia crassa et supina neminem excusat : 1° c. *Requisivit*, lib. I *Decret.* tit. 13 *De ordinatis ab episcopo, qui renuntiavit episcopatui...* ibi : « Sane si ab eodem sacros ordines *scienter* quis receperit, quia indignum se fecit, exsecutionem officii non habebit; ubi autem non scienter, poterit (*nisi crassa et supina fuerit ignorantia*) discretus pontifex dispensare. » Igitur ignorantia crassa æquiparatur scientiæ. Et cap. *Apostolicæ* 9, tit. xxvii *De clerico excom.* etc., *ministr.* lib. v *Decretal.* ibi : « Verum quia tempore suspensionis ignari celebrastis divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Cæterum si forte ignorantia crassa et supina aut erronea fuerit, propter quod dispensationis gratia egeatis, eam

vobis de benignitate apostolica indulgemus. »

Ergo ignorantia crassa et supina non excusat a censuris.

2° Ignorantia juris non excusat, regula 13, *De regul. jur.* in 6 ibi : *Ignorantia facti non juris excusat*, præsertim quando lex resistit prohibendo. (Fagnan. I part. lib. III *Decret.*, *De cleric. non resid.* c. *Relatum*, n. 49.) Neque enim potest allegari tolerantia, nec ignorantia, ex quo publice emanavit prohibitio, ut in cap. *Apostolicæ*, supra, et cap. *illud*, *De cleric. excom. ministr.* et cap. 2 *De constit.* in 6, ibi : « Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque ordinariorum prolatis, ligari nolumus (probabiliter) ignorantes : dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. » Igitur ignorantia crassa aut supina non excusat a censuris jure latis. Ita communis apud S. Liguor. l. VII, c. 1, n. 47, ibi : « A graviori censuræ excommunicatione, suspensione et interdicto. ..... ignorantia culpabilis et crassa non excusat, nisi addatur in lege certus modus, v. gr. qui hoc fecerit *scienter, consulto, vel qui præsumpserit ausu temerario violare;* quæ verba utpote in re odiosa, accipienda sunt stricte; talis autem non potest dici temere præsumere, nisi ignorantia esset affectata, formalem dolum includens. »

3° Et n. 48 : « Quæstio est, an si censura sit imposita scienter peccantibus, excuset ignorantia affectata. » — *Prima sententia* communior negat, et hanc tenent Suarez, etc. etc. Ratio, tum quia ignorantia affectata includit dolum formalem; tum quia talis ignorantia æquivalet scientiæ, ut probatur ex c. *Eos qui De temp. ord.* in 6, » supra cit. *Secunda sententia* vero affirmat, eamque tenent Sanchez, etc... Hanc secundam sententiam non audeo dicere improbabilem, sed primæ magis adhærco saltem ut communiori... »

4° Ignorantia vero non excusat in his, quæ quis tenetur ex officio inquirere ; cap. *Ad falsariorum*, 7 *De crim. falsi* l. V *Decret.* ibi : « Ut qui litteris nostris uti voluerint, eas primo diligenter examinent; quoniam si falsis litteris se usos dixerint ignoranter, eorum sera pœnitentia evitare nequibit pœnas inferius annotatas. » Quæ sunt depositio, degradatio, traditio brachio sæculari, et pro laicis excommunicatio.

Atqui clerici ex officio sacros canones addiscere et eorum sanctiones cognoscere, saltem in quantum spectant ad ipsorum officia, tenentur ex canonibus supra citatis ; in his ergo ignorantia crassa non eos excusat a censuris.

5° Confirmatur; quæritur a Fagnano, in II part. lib. I *Decret. De bigam.*, cap. *Super eo*, n. 44 ad 46 : « Ignorantia juris valde dubii, et intricati, an excuset episcopum a pœna ?» et resolvit *negative*, ex responsione Sixti V, supra allata n. 3 ; et alibi id. Fagnanus addit : « Nota primo juris ignorantiam non esse probabilem in juris perito : turpe enim est nobili et patricio ignorare jura, in quibus versatur, l. II, § *Servius* ff. de orig. jur. Sed turpius est episcopo canones ignorare, » cap. *Vel non est compos* 14, tit. XI, l. I *Decret.* ibi : « Vel non est compos sui episcopus Conventren., vel nimis videtur a se scientiam repulisse.... qui contra sacrorum canonum instituta..... et revelata ejus ignominia.... » Et can. 6 *Omnes* 38 dist. et per totum. Et alibi : « Nota ignorantiam (juris) non præsumi, seu non excusare, ubi non præmittitur diligentia quam quis tenetur adhibere... Hic, Innocent. in principio, ibi (tunc non excusat ignorantia, cum non præcessit examinatio; et hoc enim fuit in culpa, cum non examinavit, nec a peritioribus quæsivit.) — Fagnan. in I part. lib. V *Decret.*, *De crimine falsi*, cap. *Ad falsariorum*. n. 10, affectatæ sunt eorum ignorantiæ, qui potuerunt certiorari, et noluerunt; cap. *Cum inhibitio*, § *Si quis*, de clandest. despons. et cap. *Non omnis*, 37, dist. etc.

IV. *In quo differant ignorantia facti et juris?* « Inter has duas ignorantiæ species regulæ constituuntur oppositæ, hoc est ignorantia facti præsumitur, nisi probetur scientia, cap. *Proposuisti* 82 dist.—cap. *Si vero*, 6, *De sent. excom.* et cap. *Præsumitur ignorantia*, *De regul. jur.* in 6. Quem textum loqui de hac specie ignorantiæ communiter ibi affirmant DD. — Rursus facti ignorantia excusat, c. *Ignorantia facti*, *De regul. juris* in 6. »

At per contrarium, juris ignorantia non præsumitur nisi probetur. Communis.—Item juris ignorantia non excusat, cap. *Ignorantia. De reg. jur.* in 6. Ignorare enim jus nemini licet... » Fagnan. in II part. lib. III *Decret.*, *De regular.* cap. *Ex parte.*

V. *De ignorantia juris dubii.* « Post decla-

rationem (Congregationis) super aliquo decreto editam, jus quod ex eo decreto oritur, dicitur clarum; ejus ignorantia amplius allegari non potest : sicut aliquando allegari potuisset ante ipsam declarationem. Manifestum est enim ignorantiam juris dubii, ac difficilis intellectu in aliquibus casibus excusare, quemadmodum docent Innoc.... et propterea male intelligens legem canonicam non peccat mortaliter, nisi post declaratam ejus obscuritatem. » (Fagnan. in I part. lib. I *Decret.*, *De constitut.* cap. *Quoniam*, n. 33, 34.)

« Cum decreta concilii etiam circumscriptis congregationis declarationibus essent a principio intelligenda, et observanda ad eum modum, quo congregatio ipsa interpretata est, defectus publicationis declarationum, et consequenter illarum ignorantia justam excusationem non parit. Qua de re innumera exempla afferri possint... (et citat unum)..... et ignorantia potuit quidem excusare a pœna, sed non validare actum nullum, ut sunt jura aperta in cap. *Si postquam*, cap. *Dudum*, cap. *Si beneficium*, et cap. penultimo, *De præbend.* in 6...Quinimo Sixtus V non excusavit a pœna suspensionis episcopum qui, ignorans declarationem congregationis, dispensavit cum bigamo ad primam tonsuram et beneficia simplicia.... Quod si in decretis concilii aliquid obscurius dictum quid videatur; non tamen propterea ab illius observantia quisquam excusatur, cum super eo possit, ac debeat sedem apostolicam consulere, ut cavetur in Constitutione Pii IV initio relata; certum est enim ignorantiam juris dubii non excusare, cum consuli possunt peritiores... » (Id. *ibid.* n. 48, 49, 50.)

V. Ex præfatis patet, 1° quod ignorantia juris affectata non excuset a pœna, nec etiam a censuris. (Cap. *Non omnis*, cap. *Eos qui* supra cit. 2, n. 1, et cap. *Per tuos*, *ibid.* n. 2 et 3.)

2° Ignorantia crassa et supina juris non excusat a pœna, nec a censuris, textu expresso, cap. *Ut animarum periculis*, cap. *Requisivit*, cap. *Apostolicæ*, supra cit., III, n. 1, 2.

3° « Ignorantia facti aut juris statuentis pœnam, vincibilis et culpabilis quæcunque non crassa vel supina (a fortiori affectata), excusat a pœna per leges decreta;.... communis, textu expresso cap. *Ut animarum periculis*, 2, *De constit.* in 6..... ubi, ut vides, a pœna per legem decreta non excusat ignorantia juris vel facti, crassa vel supina. » (Ferraris, verb. *Ignorantia*, n. 18 et 19.)

4° « Ignorantia sive vincibilis sive invincibilis *solius pœnæ*, et non juris vel facti, non excusat ab ipsa pœna transgressores legis eam statuentis, excepta pœna censurarum ... Dicitur autem notanter « excepta pœna censurarum, » quia, ex communi omnium sententia, ignorantia censurarum excusat ab eis incurrendis, quamvis cæteroquin contra legem agendo gravissime quis peccet. Arg. cap. *Si vero*, 4, de sent. excom.; et cap. *Ut animarum periculis*, 2, de constit. in 6. Ad incurrendum enim censuras requiritur contumacia; hæc autem non adest, ubi ignorantia censurarum habetur, adeoque.... » (Id. *ibid.*, n. 20 et 21.) Notandum est tamen quod ignorantia *solius pœnæ*, quando est crassa et supina et a fortiori affectata, non excusat etiam a pœna censurarum, textu expresso in cap. et can. supra citatis, et communis apud S. Liguor. lib. VII, cap. 1, n. 47 et 48. — « Ratio, tum quia ignorantia includit dolum formalem (qui est contemptus formalis legum Ecclesiæ, ideoque est vera contumacia), tum quia talis ignorantia æquivalet scientiæ, ut probatur ex cap. *Eos qui.* » Ignorantia crassa includit indirectam contumaciam, inobedientiam generalem, et contemptum interpretativum, in hoc consistentem quod, quis sciens quidpiam ab Ecclesia esse prohibitum et forte sub censura, nihil curet et nihilominus illud facere velit.

5° « Ignorantia *invincibilis* sive facti sive juris excusat a gravi censura, excommunicatione, suspensione et interdicto... (S. Liguor. lib. VII, cap. 1, n. 42, 44... n. 47.) « Dixi *invincibilis*, quia ignorantia culpabilis et crassa non excusat, nisi addatur in lege, etc. (Vide supra, III, 2, communis... Suarez, Sanch., Palao, Engl., Reiffenstuel, Lacroix, etc., et habetur aperte cap. fin. *De constit.* in 6.)

VI. *De ignorantia quoad jurisdictionem et actus sive validos sive invalidos.* « Generale est ut ignorantia excludat delictum, tamen non legitimet actum, ut Baldus inquit per illum textum in c. *Innotuit*, n. 8, *De elect.* Et quamvis excuset a pœna, non tamen dat robur actui alias invalido, ut in terminis Simoniæ est textus hic, ubi dicitur ignoranti non imputari ad pœnam vel ad culpam, et nihilominus electio cassatur tanquam simoniaca. (Fagnan. in I part. lib. VI *Decret. de Simonia*, cap. *Nobis*, n. 48, 49.) Et supra cit.:

« Ignorantia potuit quidem excusare a pœna, sed non validare actum nullum, ut sunt jura aperta. » (In capp. 13, 14, 20, 40 *De præbend.* in 6.)

Unde jurisdictio, sive beneficia, officia, etc., nulliter de jure collata, nequeunt validari per ignorantiam concedentis nec recipientis; excepta tamen jurisdictione, quam supplet Ecclesia, ubi adsunt conditiones requisitæ.

Et valde notandum est omnia supra dicta tum de pœnis et censuris, tum de jurisdictionis nullitate, tum de nulliter actis, confirmari per recentem, sub die 6 Maii 1859, sacræ Congregationis episcopor. et regular. declarationem et rescriptum, cujus authenticum originalem penes me habeo. Agitur de confessario ordinario sororum..... et puellarum in conservatorio educandarum, ab episcopo ultra triennium in dicto munere confirmato, *forsan ex ignorantia decretorum*, quæ id reservant sanctæ sedi apostolicæ, sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus pro tali confessario ultra triennium prorogato a solo episcopo, et nullitatis confessionum ab ipso auditarum; et præterea talis confessarius jurisdictionem sanctæ sedi reservatam usurpans, videtur incurrere excommunicationem bullæ *Cœnæ*. Allegabatur ignorantia confessoris ut excusaretur a censuris.

Atqui rescriptum fuit: « Ex audientia Sanctissimi habita ab infra domino secretario sacræ Congr. episc. et regul. sub die 6 Maii 1859, Sanctitas Sua benigne annuit pro petita absolutione, sanatione et confirmatione. » Quod intelligendum est pro 1° absolutione suspensionis et excommunicationis bullæ *Cœnæ*; 2° pro sanatione sive confessionum vel irregularitatis confessarii qui sub censuris ministerio sacro functus erat; 3° pro confirmatione ad alium triennium; de quibus omnibus mentio habebatur in expositione casus et supplicatione. Ex rescripto igitur liquet quod, in casu et similibus, ignorantia juris a censuris et irregularitatibus non excusat, et actus nullos non validat, cum opus fuerit *absolutione* invita ignorantia legis allegata, *sanatione* pro præterito, et confirmatione jurisdictionis pro futuro. Unde quid sentiendum sit de statu Galliarum quoad multos casus similes concluditur.

§ III. — De jurisdictione delegata.

De ejus adeptione. — « Jurisdictio delegata oriri potest vel ab *homine*, vel a *jure*.

1. Accipitur delegatio ab *homine*, quando unus committit alteri ea, quæ ipsemet peragere potest per se aut per alios.

2. « Accipitur a *jure*, quando lex ipsa statuit, ut unus quosdam actus faciat, non tanquam agens vi officii publici et permanentis, sed loco alterius personæ. Cum consuetudo sit quoddam genus *juris*, ad jus referendæ sunt extensiones, quas ex consuetudine interdum recipit jurisdictio delegata. »

1. *A quibus et quomodo possit jurisdictio delegari?* — 1° Certa et generalis regula est eum qui habet jurisdictionem ordinariam posse eam delegare, modo materia sit delegabilis, et delegandus habeat dotes requisitas. Ex multis cap. *jur. canon.* et præsertim *Regula juris* 63, in 6 ibi : « Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum. » Hinc vicarius generalis, et parochus quoad propriam parochiam, delegare possunt ad diversas functiones.

2° Delegatus papæ potest alteri causam subdelegare, nisi papa sufficienter indicasset se velle causam expediri per ipsum delegatum; ut quando specialis ejus fides prudentia, industria, etc., requiruntur et exhibentur ut motivum commissionis. (Cap. *Pastoralis* 28, et cap. *Quoniam* 43, *De offic. jud. deleg.*) Sic quotidie S. Pœnitentiaria delegat confessarium ad dispensandum, etc.

3° Delegatus ad *universalitatem causarum*, qui nempe dicitur habere jurisdictionem *mandatam* censeturque *quasi ordinarius*, potest subdelegare.

4° Delegatus ad *certas causas* ab alio quam a summo pontifice generatim subdelegare non potest. (Cap. *Cum causam* 62, *De appell.*, et cap. *Cum in causis* 2, *De rescr.* in 6.) Dixi *generatim*, quia ex speciali delegantis concessione, delegatus subdelegare potest; puta si parochus expresse permittat matrimonium celebrari coram eo sacerdote, quem talis delegatus admittet.

Hinc decani, seu vicarii foranei, qui deputantur ad quosdam actus jurisdictionis episcopalis, non possunt subdelegare, nisi mandet episcopus.

II. *Quæ facultates delegari possint?* — 1° Nec ordinarius, nec delegatus potest committere jurisdictionem suam sacra-

mentalem ei qui non habet potestatem ordinis requisitam.

2° Nec ordinarius, nec delegatus potest generatim committere totam jurisdictionem suam sine consensu summi pontificis, cui soli pertinet constituere judices ad universa sive per se sive per legem, aut delegatos suos. Et confirmatur cap. *Exstirpandæ*, 30, *De præbend.*

Dixi *generatim*, quia fieri potest ut ex consuetudine, v. gr. parochus possit ad paucos dies totam curam pastoralem committere presbytero ad confessiones approbato. (Sanchez, lib. III, disput. 31, n. 15 et 16.)

4° Delegatus, etiam a summo pontifice, non potest alium subdelegare 1° quando ejus *fides*, *prudentia*, *discretio*, etc., fuerunt in causa delegationis ; 2° quando *nudum ministerium* ei committitur. Cap. *Quoniam*, 43, *De offic. jud. delegat.* ibi : « Is, cui injungitur ut negotium *personaliter* exsequatur, potest hoc delegare, præterquam si inquisitionem fieri, vel Ecclesiis de prælatis providere mandaremus, cum in his omnibus casibus *industriam et fidem* personæ, cui talia committimus, *eligere* videamur. Cæterum nulli, cui commissum fuerit prædicare crucem, excommunicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, liceat hæc de cætero aliis demandare, quia non sibi jurisdictio, sed *nudum ministerium* potius committitur in hac parte. » Citatio, informatio, auditio testium, aliive actus similes sunt actus jurisdictionis, ideoque delegabiles ; verum ipsa exsecutio est nudum ministerium, non delegabile. Hinc qui deputantur a sancta sede pro concedendis dispensationibus matrimonialibus, possunt alteri committere informationem, sed non ipsam concessionem dispensationis.

III. *Quibusnam possit jurisdictio delegari?* — 1° Quædam vitia reddunt aliquem universaliter inhabilem, ut possit delegata jurisdictio ipsimet committi, et quædam dotes requiruntur in delegando. — *De vitiis*, « tria sunt, quibus aliqui impediuntur, ut judices non fiant. » (Cap. *Infamis*, 1, caus. 3, quæst. 7.) 1° *Natura* excluduntur carentes ratione, ut surdus, mutus, furiosus, et impubes ; 2° *Lege* excluduntur, qui censuris aut irregularitate sunt ligati ; 3° moribus seu consuetudine Ecclesiæ, excluduntur non tantum mulieres, sed et quicunque laici arg. c. *Decernimus*, 2, *De judic.* « *Decernimus*, ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant. »

De dotibus generalibus, canones commendant, ut pro gravitate negotii eligatur delegatus *providus*, juris *gnarus*, *discretus* Sic c. *Ex litteris*, 1 *De consang.*

2° Delegandus a papa, vel ab ejus legato subdelegandus, debet esse constitutus in aliqua dignitate ecclesiastica, vel obtinere personatum aut canonicatum Ecclesiæ cathedralis, aut esse officialis seu vicarius generalis episcopi, vel prior conventualis. Cap. *Statutum* 2, *De rescriptis* in 6, et Clement, *Etsi principalis*, *De rescriptis*. Attamen de certa sua scientia aliter agere potest papa et committere simplicem monachum aut clericum.

3° Episcopus potest delegare simplicem clericum cæteroquin discretum et gnarum, item alterius diœcesis. Hic tamen, utpote non subditus, potest delegationem recusare, quod subjectus episcopo nequit.

4° A prælato papæ inferiore, laico delegari nequeunt causæ spirituales, nec criminales clericorum ; an vero laico delegare possit episcopus causam temporalem alicujus clerici judicialiter cognoscendam, controvertitur.

5° « Papa potest non solum civiles et criminales clericorum, sed etiam quasdam alias ecclesiasticas delegare, atque judicandas et terminandas committere cuipiam laico, verbi gratia, regi... Non tamen potest tollere clericorum exemptionem in totum, seu quoad omnes clericos, omnesque causas ipsorum.... Nam ex tali derogatione seu immutatione, decoloraretur universalis status Ecclesiæ, contra quem nequit papa dispensare.... » (Ita Reiffenstuel in 1 *Decret.* tit. 29, n. 93, inde concludens) quod papa non possit sine causa dare potestatem alicui principi sæculari, ut possit judicare inter clericos. Et hoc eo magis est dicendum, quia juxta communiorem et probabiliorem canonistarum sententiam, exemptio est de jure divino. »

IV. *Qualis debeat esse actus delegationis ab homine.* 1° « Requiritur ad jurisdictionem delegatam conferendam actus *positivus*, vel saltem ea agendi ratio, quæ ostendat delegantem positive consentire. »

« Non sufficit proinde agendi ratio *negativa*, qualis est *tolerantia* illius, qui facile reclamare non potest. Nec sufficit *consensus*, qui de *præsenti* præsumitur tantum exsistere

virtualiter, nec a fortiori ratihabitio sperata de *futuro*. Ab eo enim consensu pendet omne jus, quod confert delegatio ; et ideo requiritur, ut præcedat. (Lequeux, *Manuale compendium*, t. I, p. 200, etc.)

« Dico, *ad jurisdictionem delegatam conferendam*, qualis requiritur ad confessiones audiendas, et ad omnes actus qui a regiminis potestate pendent. Sed si opus esset tantum simplici licentia, ut in omnibus simplicis ministerii potestatibus explicandis, sufficeret consensus *de præsenti* merito *præsumptus*, aut etiam *ratihabitio* rationaliter sperata. Tunc requiritur tantum *licentia*, quando quis aliunde habet agendi facultatem, quantum ad *substantiam* actus, sic tamen ut propter *debitum ordinem* non possit ea facultate uti, nisi de consensu alterius. Istud applicatur celebrationi missæ in parochia aliena celebrandæ, baptismo et extremæ unctioni ministrandis in absentia parochi, etc..... Non vero *rationabiliter* præsumitur consensus, quando quis potest facile petere licentiam, et negligit. » (Id. *ibid.*)

2° « Etsi concessio *generalis* et implicita, generatim sufficiat, requiritur ad certos actus delegatio *specialis*... ex Regul. juris 81, *in concessione generali non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.*

3° « Requiritur ad delegationem actus *liber*. — 1. Libertas concedentis prorsus tollitur, quando adest error aut dolus circa *substantiam* concessionis ; v. gr. quando una persona pro altera supponitur, aut unum objectum pro alio ; vel quando vis tanta est ut rationem conturbet. Tunc delegatio evidenter est nulla. 2. Libertas quoad *substantiam* actus non prorsus tollitur, sed minuitur, ut quando vis et metus adhibentur ad extorquendum concessionem ; tunc non licet ea uti ; sed dubitare licet utrum sit *valida*. Plures qui allegant glossam super c. *Abbas*, 2, *De his quæ vi* ; ponunt generale istud principium : *non tenet jurisdictio per metum extorta*. Alii nolunt admittere hanc regulam, eo quod lege canonica non satis clare innitatur. 3. Aliquando libertas vel tollitur, vel minuitur circa *accidentales* circumstantias, motiva, etc., in hac hypothesi, valet delegatio.

« 4° Requiritur, ut delegatio valeat, *manifestatio* externa ex parte delegantis, factaque de ejusdem mandato ei qui delegatur ; nec sufficeret, quod per alium forte declararetur.

« 5° Delegatio debet, saltem implicite, cognosci et acceptari a delegato. »

V. *Quæ sint delegationes a jure concessæ.* — 1° Delegata jurisdictio conceditur *a jure* sacerdotibus quibusvis ad absolvendum a quovis peccato et censuris etiam summo pontifici reservatis in articulo mortis, si desit approbatus. 2° Non pauca juris canonici loca, præsertim in concilio Tridentino, tribuunt *episcopis* potestatem, ut procedant interdum *etiam tanquam deleyati papæ*. Eæ facultates referuntur ad eas materias, quæ sanctæ sedi reservatæ sunt, vel ad personas exemptas a jurisdictione episcoporum, nempe ad regulares. Quando permittitur, ut agant episcopi *tanquam delegati papæ*, ipsis communicatur facultas, quam non habebant. Quando permittitur, ut agant *etiam tanquam delegati papæ*, supponitur eos quidem posse agere vi jurisdictionis suæ, sed tribuitur potestas agendi, si maluerint, tanquam delegati papæ. Quando enim episcopus agit ut delegatus papæ, non potest ab eo appellari ad metropolitanum, sed negotium ad sanctum pontificem est deferendum. (Id. *ibid.*)

§ III. — De jurisdictionis ordinariæ adeptione.

I. Jurisdictio *ordinaria* ea est, quæ alicui competit ratione *officii*. Officia quævis ecclesiastica fuerunt constituta aut *immediate* ab ipso Christo Ecclesiæ conditore, aut sunt tantum originis ecclesiasticæ, proindequo solummodo *mediate* a Christo procedunt. Si vero aliquod officium fuerit immediate a Christo institutum, colligendum est per Christum quoque fuisse determinata jura saltem essentialia hujus officii. Si autem alicujus officii *mediate* tantum ad Christum referenda sit constitutio, patet omnia ejus jura fluere proxime a superiore qui illud potest conferre. Atqui jure naturali et divino omne officium ecclesiasticum jus habet de altari et fidelium oblationibus vivendi. Hæc autem disciplina viguit ut quodlibet officium importans jurisdictionem *ordinariam*, saltem *principalem*, annexum haberet *beneficium*. Beneficium definitur jus perpetuum percipiendi certam partem reddituum ex bonis Ecclesiæ provenientium ratione alicujus officii ecclesiastici. Canonistæ proinde, quoties agunt de jurisdictionis ecclesiasticæ adeptione, loquuntur de viis obtinendi *bene-*

ficia; sed leges quæ ad *beneficiorum* adeptionem referuntur, valent pariter quoad *officia.*

II. Omnes Catholici agnoscunt summi pontificis officium et jurisdictionem a Christo immediate fuisse constituta. Circa episcopale officium, jam vidimus illud fuisse a Christo institutum, sed simul subjectum summi pontificis auctoritati. Cætera officia, quantum ad suam constitutionem, alia sunt juris tantum sive apostolici, sive ecclesiastici, ad instar siquidem institutionis ab ipso Christo emanatæ, veluti sacrum S. R. E. cardinalium collegium, capitula cathedralia, patriarchæ, primates et metropolitani; alia sunt juris tantum ecclesiastici defluxu et necessitate temporum inventi; illud manifestum est de legatis nuntiisque summi pontificis, de vicariis generalibus officialibusque episcoporum, de eorumdem archidiaconis, pœnitentiariis, et de parochis et similibus. Patet proinde id quod habent jurisdictionem illæ dignitates aut officia, ab eo derivari quem repræsentant sive ex jure, sive ex personali concessione.

III. Jure divino et juxta disciplinam ecclesiasticam.

1° Episcopales sedes erigere, dividere, unire, supprimere, ad dignitatemve metropolitanam evehere, ad solum Romanum pontificem pertinet.

2° Ad eumdem in unaquaque diœcesi exclusive pertinet erigere capitula et dignitates proprie dictas et novas.

3° Ad eumdem cumulative cum episcopo pertinet erectio parochiarum aliorumve officiorum cujusmodi in locis, ubi ea erectio necessaria est. (C. *Sicut unire,* et *Trid.* sess. 21, c. 4.)

4° Jure divino collatio omnium beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum ad papam pertinet, et de ejus concessione et ex jure ecclesiastico ab ipso probato et promulgato, pleraque beneficia et officia ad episcopi collationem pertinent, juxta tamen formas a jure statutas.

IV. *De necessitate beneficium ecclesiasticum officiumve per institutionem canonicam obtinendi.* — Institutio canonica nihil aliud est quam *missio* data ab eo ad quem pertinet sive jure divino, sive secundum leges et morem Ecclesiæ catholicæ tum assignare subditos et determinare materiam circa quam unumquodque officium versatur, tum mittere in possessionem officii. *Institutionis* vox sæpius sumitur sensu restricto, pro concessione beneficii facta per legitimum superiorem, ad præsentationem patroni.

Atqui 1° jure divino institutio canonica necessaria est ad adipiscenda ea officia quæ jurisdictionem ecclesiasticam important, imo ad quodvis officium acquirendum. Ex *Trid.* sess. 23, can. 7: *Si quis dixerit..... eos qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi divini et sacramentorum ministros, anathema sit.* Et cap. 4 ejusdem sessionis, sacrosancta synodus... « decernit eos, qui tantummodo a populo, aut sæculari potestate, ac magistratu vocati et instituti, ad hæc ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones, per ostium non ingressos, habendos esse. » Et ex. c. 1. *De regulis juris* in 6. « Beneficium ecclesiasticum non potest sine canonica institutione possideri. »

Et Pius VI, brevi 13 April. 1791, contra electos et consecratos vi constitutionis civilis cleri in Galliis declarat: «Declaramus electiones prædictorum illegitimas, sacrilegas, et prorsus *nullas* fuisse..... Declaramus ac decernimus nefarias eorumdem consecrationes esse omnino illicitas, illegitimas, sacrilegas, et factas contra sanctorum canonum sanctiones; ac proinde eosdem, temere nulloque jure electos, omni ecclesiastica jurisdictione pro animarum regimine carere. »

Hinc proscribuntur *investituræ regaliæ* et omnes collationes laicæ.

2° Eodem jure divino illa auctoritas, quæ institutionem canonicam confert, sola etiam potest *limites assignare,* intra quos valeat exerceri jurisdictio ecclesiastica.

3° Qui promovetur per electionem, nominationemve ad officium jurisdictionis ordinariæ, non potest, antequam fuerit *canonice* institutus, exercere, etiam sub diverso titulo, dicti officii aliquem actum, exceptis tamen casibus a jure determinatis. (C. *Avaritiæ* 5, *De elect. et electi potestate,* in 6; et cap. *Injunctæ* 1, *De elect.*; extrav. com. *Juncto Trident.* c. 1. 6 *De reform.* sess. 24.)

Hinc ii qui electi sunt vel ii qui vi concordatorum per potestatem sæcularem nominati sunt ad sedes episcopales, nequeunt eligi in vicarios capitulares, et si jam sint nequeunt eo titulo administrare easdem diœceses, sub pœna privationis ipso jure,

Hocque constat ex Pii VII brevi 5 Novemb. 1810 ad cardinalem Maury, episcopum Montisfalisci, qui nominatus a Napoleone ad archiepiscopatum Parisiensem se intruderat in administrationem diœcesis, sub titulo vicarii capitularis ; ac plenius ex brevi ejusdem pontificis ad D. d'Astros 18 Decembr. 1810, ubi expresse ait : « Apostolica auctoritate declaramus (firmis semper remanentibus cæteris sanctorum canonum sanctionibus), administrationem ipsam a dicto cardinali, ex capituli deputatione assumptam, fuisse et esse contra sanctissimas Ecclesiæ leges, ejusque vigentem disciplinam ; ac proinde nullam ei facultatem in quibuscunque spiritualibus Ecclesiæ Parisiensis competere, aut per hujusmodi deputationem seu electionem tributam fuisse. » — Idem constat ex alio brevi ejusdem S. P. Pii VII 4 Decembr. 1810 ad archidiaconum Florentinum, qui ipsum consuluerat, an episcopus Nanceiensis, ad sedem Florentiæ per Napoleonem nominatus, posset eligi in vicarium capitularem. Et allegat, tum canonem *Avaritiæ*, tum cap. 16, sess. 24 Trident., ac tandem decretalem *Injunctæ*, supra citat. Addemus his allocutionem solemnem Gregorii XVI, de negotiis Hispaniæ, 1 Mart. 1841, in qua inter cæteros dolores, istum etiam exponit : « Querimur de vacantium ecclesiarum canonicis temere inductis, aut aperta etiam vi adactis, ut munus vicarii capitularis viro a gubernio in episcopum nominato deferrent, contra sanctiones concilii Lugdunensis I (c. *Avaritiæ*), aliis subinde constitutionibus et recenti memoria notissimis Pii VII litteris confirmatas. »

4° Igitur illi titulares, qui indigent confirmatione Romani pontificis, nequeunt se ingerere in exercitium jurisdictionis ordinariæ, quin receperint litteras pontificias seu bullas, prætereaque possessionem sive per se sive per procuratorem cœperint ostendendo easdem litteras capitulo Ecclesiæ ad quam mittuntur.

V. *De diversis viis per quas obtineri potest officium ecclesiasticum.* Tres præcipue viæ numerantur a canonistis per quas obtineri potest beneficium vel officium ecclesiasticum, nempe *electio*, *præsentatio per patronum*, et *collatio*. Propterea beneficia olim dividebantur in *electiva*, *patronata* et *collativa*.

1° *Electio* sæpe accipitur pro quacunque via obtinendi officia ecclesiastica. Sed electio strictius sumpta est canonica vocatio personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem, facta per eos quibus jus eligendi competit, et legitimi superioris auctoritate confirmanda. Hæc definitio proprie competit officio episcopali. Assimilata est etiam abbatialis dignitas, per quam jurisdictio quasi episcopalis in regulares confertur. (C. *Abbates* 3, *De privileg.* in 6.)

Dicitur *per eos quibus competit eligere*, nempe per eos vocales, quibus jus suffragii pro temporum et officiorum diversitate competit : electio proprie dicta est actus multorum. (C. *Nullus* 1, *De elect.*)

Dicitur et *confirmanda legitimi superioris auctoritate*. Requiritur enim illa missio, seu institutio canonica, de qua supra dictum est ; et ubi agitur de officiis *electivis*, hæc institutio proprie dicitur *confirmatio*.

2° *Præsentatio* est exhibitio legitima personæ idoneæ facta per patronum ei cui competit institutio, ut eidem personæ conferatur beneficium vel officium. *Patronus* est qui juxta regulas canonicas potest præsentare clericum ad beneficium vacans. Actus superioris ecclesiastici respondens *præsentationi*, proprie et in sensu restricto dicitur *institutio canonica*. Jus præsentandi proprie jam in Galliis usu tantum non subsistit.

3° *Collatio* est concessio beneficii vel officii vacantis facta directe per eum cui jus illud competit. Sic episcopus dat per collationem parochiales Ecclesias.

4° Ad electionem pertinent *postulatio* et *nominatio*.

Postulatio est petitio facta superiori ut tollat obstaculum, quod impedit ne persona ad dignitatem ecclesiasticam eligatur. Exempli gratia, quando vigebat episcoporum electio proprie dicta et ubi adhuc viget, sæpe contingebat quod persona ligaretur aliquo vinculo, quod jam esset per episcopatum alteri Ecclesiæ devincta, quod non haberet ætatem canonicam, etc. ; tunc proprie ea non poterat *eligi*, sed *postulabatur* ab eo cujus dispensationi subjacent leges canonicæ.

Nominatio solemnis est propositio facta superiori, per eos quibus jus illud competit, duorum vel plurium, ut unum ex illis admittat, eique de beneficio provideat. Unde *nominatio* illa, de qua interdum loquuntur canones, per oppositionem ad electionem semper respicit ad plurium propositionem.

VI. Electionis præcipuæ regulæ sunt sequentes :

1° Vocandi sunt omnes jus habentes suffragii ; si unus contemneretur et repelleretur, posset iste per *oppositionem* suam irritare electionem, etiam unanimi cæterorum consensu factam. *In talibus negotiis plus consuevit obesse unius contemptus, quam multorum contradictio in præsenti.* (C. 36 *Bonæ memoriæ*, tit. VI *De elect.* lib. I *Decret.*) Hinc vocandi sunt omnes vocales, sive sint absentes, sive præsentes ; qui tamen nimis distantes sunt, non sunt de necesse vocandi. Absentes vero, *modo sint legitimo impedimento* detenti, puta tanta ægritudine ut non possint accedere, valent per *procuratorem* suffragari. Ii soli qui sunt in sacris jus habent suffragari. (C. *Cum inter universas* 18 ; *Coram dilecto* 35 ; *Quia propter* 42, *De elect.*)

Requiritur 2° ut electio sit *libera*, ut proinde absit omnis vis aut metus. Notandum est caput *Quisquis* 43, *De elect.* ex concil. Lateran. IV : *Quisquis electioni de se factæ per sæcularis potestatis abusum consentire præsumpserit contra canonicam libertatem, et electionis commodo careat, et ineligibilis fiat ; nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi dignitatem. Qui vero electionem hujusmodi, quam ipso jure irritam esse censemus, præsumpserint celebrare* (*intellige* electores), *ab officiis et beneficiis penitus suspendantur, et per triennium eligendi sint potestate privati.* Pariter requiritur ut absit fraus et dolus, aut subreptio. (Cap. *Cum dilectus* 32, *De elect.*)

Requiritur 3°, ut absit omnis simonia, quia irritatur a jure electio simoniaca.

Requiritur 4°, ut non accedant voti incapaces, utque electio fiat a majori *vocalium* numero.

Requiritur 5°, ut vota ferantur absolute et determinate : vota *conditionata, alternativa*, et *incerta*, censentur non adjecta. (C. 2 *In electionibus*, tit. VI, *De elect.* in 6.)

Requiritur 6°, ut *publicato scrutinio*, non varient electores. (C. *Publicato* 58, *De elect.*)

Requiritur 7°, ut per suffragia *secreta* fiat electio. (C. *Quia propter* 42, *De elect.*) Concilium Tridentinum, sess. 25, c. 6, *De reform. regul.*, sub pœna nullitatis mandat ut electiones omnes regularium fiant per vota secreta.

Pro aliis vero electionibus et præcipue episcoporum tres formas electionis, nempe *scrutinium, compromissum*, et *quasi inspirationem* decernit caput *Quia propter* 42, *De elect.* ex concil. Lateran IV, 1215, in quo capite requiruntur et aliæ conditiones notandæ, ibi : *Quia propter diversas formas electionum multa impedimenta proveniunt, et magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus ut cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus qui debent, et volunt, et possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secrete et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta, mox publicent in communi ; nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto, ut is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel major et sanior pars capituli consentit* (en *scrutinium*) ; *vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium Ecclesiæ viduatæ provideant de pastore* (en *compromissum*). *Aliter electio non valet ; nisi forte communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem absque vitio celebrata. Qui vero contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, justoque impedimento detentus venire non possit : super quo, si opus fuerit, fidem faciat juramento : et tunc si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam. Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, ut quam cito electio fuerit celebrata, solemniter publicetur*

Ex hoc capite et doctoribus communiter : 1° Electio facienda est capitulariter seu collegialiter, alias nulla est. — 2° Vocalibus vocatis, et in unum conventis, sunt ante electionem habendi tractatus consultorii, in quibus discutiuntur qualitates et merita eligendorum. (C. *Cum terra* 14 ; c. *Cum inter Canonicos* 21 ; c. *Cum in veteri lege* 52 ; c. *In genesi* 55, *De electione.*) Ex quibus textibus doctores deducunt electionem esse nullam, vel saltem annullandam, si ante eam non habeantur tractatus consultorii, per quos possint vocales dignoscere quinam sit dignior, ad cujus electionem sub mortali tenentur. (Ex *conc. Trid.* sess. 24, c. 1, *De reform.*) Et Innocentius XI contra aliter sentientes, die 9 Maii 1679, damnavit sequentem propositionem 47 in ordine : « Cum dicit concilium Tridentinum eos alienis pec-

catis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, et Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias promovent; concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit digniores ut excludat indignos non vero dignos, vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus. » Unde mortaliter peccant qui absolute digniores a se notos non eligunt. Et consonant sacri canones et signanter cap. *Metropolitano* 39, dist. 63, ibi : *Optimus ordinetur;* cap. *Licet* 15, caus. 8, quæst. 1, ibi : *Qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligatur ad sacerdotium,* etc.

3° Ut electio sit valida requiritur, ut in ipsam concurrat saltem major pars capituli, ita ut si sint 35 vocales, requiritur ut electus habeat ad minus vota 18, cap. *Cumana* 50, *De elect.* et cap. *Si cui* 23, eod. in 6. *Major* enim pars numero præsumitur *sanior*, ut habetur expresse ex cap. *Ecclesia vestra* 57, *De elect.* cum similibus, et tenet communis doctorum cum Fagnano in cap. *Cum in cunctis* 1, n. 4, *De his quæ fiunt a major. part. capituli.* Unde jam hodie non inquiritur amplius an major pars sit etiam sanior.

4° Necesse est ut vota in communi publicentur, et mox post scrutinium factum; ut incontinenti fiat collatio numeri votorum ad numerum vocalium; ut fiat communis electio verbalis statim post collationem de illo, in quem major pars capituli consentit.

VII. *De electoribus.* 1° De jure communi, jus eligendi prælatum spectat ad capitulum, seu collegium cujus prælatus est eligendus cap. *Nullus* 1; cap. *Cum terra* 14, *De elect.* cap. ult. caus. 16, quæst. 7, etc. Potest tamen jus eligendi, tum ex privilegio, tum ex consuetudine legitime præscripta, acquiri etiam ab aliis clericis extraneis, cap. *Cum dilectus* 8, *De consuetud.;* cap. *Cumana* 50 *De elect.* et communis doctorum. Imo possunt ipsimet capitulares, seu collegiales electores de communi omnium consensu communicare clericis extraneis facultatem eligendi, sive secum coeligendi; possunt enim electores totam potestatem eligendi transferre in compromissarios, etiam extraneos, ut cap. *Causam* 8, cap. *In causis* 30; cap. *Quia propter* 42, *De elect.*, etc.

2° Si unus solus de capitulo, seu collegio remaneat, et aliis mortuis, privatis, suspensis, interdictis, vel excommunicatis, aut a societate recedentibus, poterit eligere alium, non vero semetipsum in prælatum totius collegii. (Glossa in c. *Gratum* 2, *De postulat. prælat.* et communis; et c. *In Scripturis* 9, caus. 8, quæst. 1; c. *Cum ad nostram* 7, *De institut.*, lib. III *Decret.* etc.)

3° Eligere non possunt : 1° pupilli et impuberes, minores 14 annis, si sint masculi, vel 12 annis, si sint feminæ; 2° nec furiosi, mente capti, quandiu durat amentia; 3° nec excommunicati excommunicatione majori, nec suspensi ab officio et beneficio simul, vel etiam ab officio tantum. — Non prohibentur tamen eligere suspensi a beneficio tantum. — 4° Eligere non possunt personaliter interdicti, nec irregulares. Requiritur tamen, quod isti irregulares, sicut et excommunicati, suspensi et interdicti, sint nominatim denuntiati, alioquin eligere poterunt juxta extravag. *Ad evitanda.* — 5° Eligere prohibentur infames infamia juris, dummodo tamen sint infames sententiati, sive declarati. — 6° Electio episcopi per laicos, etiam cum canonicis facta, est nulla. (C. *Massana* 46, *De elect.*) 7° Eligere non possunt in ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis, qui nondum sunt constituti in ordine subdiaconatus. — 8° Qui scienter elegerunt indignum, pro ea vice eligendi potestate privantur, et eorum electio cassatur ipso jure. — 9° Qui per abusum potestatis sæcularis elegerunt, ipso jure privati sunt potestate eligendi. — 10° Eligere pro illa vice non possunt, qui intra tempus statutum eligere neglexerunt. (Ferraris, verb. *Electio*, art. 2, n. 1, ad 20, et communis.)

VIII. *Qui eligi possunt?* 1° Eligi solum possunt, qui habent qualitates a jure requisitas, et præcipue litterarum scientiam, ætatis maturitatem, et morum honestatem. (C. *Cum in cunctis* 7, *De elect.*) Scientia est triplex, scilicet eminens, mediocris et sufficiens. — In eligendis ad prælaturas atque officia ecclesiastica, quamvis desideranda sit scientia eminens, adhuc tamen mediocris, imo et sufficiens toleratur. (C. *Cum nobis* 19, *De elect.* et cap. *Nisi cum pridem* 10, *De renuntiat.*)

2° Eligi non possunt : 1° infames tam juris quam facti infamia. (C. *Qui in aliquo crimine* 5, dist. 51; c. *Infames* 17, caus. 6, quæst. 1.) Ubi postquam dictum fuit, fures,

sacrilegos, incestuosos, homicidas, perjurios, raptores, maleficos, adulteros, et alios ibidem enumeratos de jure infames esse, subjungit textus : *Hi omnes, inquam, non ad sacros gradus debent provehi.* Et cap. *Infamibus* 87, *De regul. jur.* in 6, ibi : *Infamibus portæ non pateant dignitatum.* Hoc tamen procedit solum de infamibus sententiatis, sive declaratis, ut advertunt multi. — 2° Eligi non possunt excommunicati excommunicatione majori. 3° Nec minori excommunicatione ligati, et quamvis electio de tali scienter facta non sit ipso jure irrita, est tamen per sententiam judicis irritanda. 4° Eligi non possunt suspensi, sive a jure, sive ab homine; nec personaliter interdicti, nec irregulares. 5° Qui semel ob vitium personæ sunt rejecti, non possunt amplius eligi, nisi sint specialiter restituti. 6° Eligi non possunt ad dignitates, et prælaturas regulares pœnitentiati a sacro officio, quamvis pœnitentias compleverint. 7° *Hæretici autem, credentes, receptatores, defensores, et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum beneficium, seu officium publicum admittantur : quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane.* (C. *Quicunque* 2, *De hæretic.* in 6.) Sic nec etiam schismatici. (C. *Quia diligentia* 5, *De elect.*) — 8° Nec neophyti, nec spurii et illegitimi, nec laici, nec bigami, servi et hujusmodi. (Ferrar. *ibid.* n. 21 ad 41.)

IX. *De collatione beneficiorum et officiorum a prælaturis diversorum.* — 1° Primus collator beneficiorum et officiorum ecclesiasticorum quorumcunque in universa Ecclesia est jure divino summus pontifex; ideoque potest sibi reservare collationem quorumlibet vult.

2° Post papam collator ordinarius officiorum est episcopus intra suam diœcesim. Cap. *Regenda* 4, causa 10, quæst. 1, ibi : « Regenda est unaquæque parochia sub provisione ac tuitione episcopi per sacerdotes, vel cæteros clericos, quos ipse cum Dei timore providerit. » Idque inculcant innumeri canones. Præter collatorem ordinarium sunt etiam alii ex jure collatores, quorum præcipui sunt :

3° Collator titulo *devolutionis* est ille cui per legem ecclesiasticam attributum est jus supplendi negligentiam collatoris ordinarii. Cap. *Nulla* 2, *De concess. præbend.* ex concil. Lateran. III, ibi : *Cum præbendas ecclesiasticas, seu quælibet officia in aliqua Ecclesia vacare contigerit, non diu maneant in suspenso; sed intra sex menses personis, quæ digne administrare valeant, conferantur. Si autem episcopus, ubi ad eum conferre distulerit, per capitulum ordinetur. Si omnes forte neglexerint, metropolitanus de ipsis secundum Deum absque illorum contradictione disponat.*

4° Collator *ex privilegio* est ille cui vel per privilegium expressum, vel saltem per consuetudines legitimas competit conferre beneficia. Sic multa capitula gaudent jure conferendi, etiam *irrequisito* episcopo, aut partem præbendarum canonialium, aut dignitates quæ capitulo regendo sunt præficiendæ.

Collatio, licet pertinens proprie ad episcopum, potest esse *necessaria*, eo sensu quod episcopus teneatur conferre tali personæ. De jure *præsentandi* patronis concesso, cui respondebat *institutio*, jam diximus. Præterea sequentibus causis respondit collatio *necessaria*.

1° Per *mandata apostolica*, intelligitur rescriptum, seu *indultum* summi pontificis, per quod præcipitur ut beneficium detur tali personæ modo ipsa digna exsistat. Unde episcopus, *visa* signatura apostolica, potest quidem examini subjicere promovendum; sed modo dignus exsistat, non potest ipsi denegare beneficium.

2° *Gratia exspectativa* erat jus competens clericis graduatis in universitate canonice erecta obtinendi a collatore ordinario ea beneficia quæ primo vacarent. Concordatum inter Leonem X et Franciscum I concedebat graduatis in facultatibus, ut possent obtinere ab ordinariis collatoribus beneficia quæ certo anni tempore vacarent.

3° *Resignatio* est actus quo beneficii alicujus titularis ipsum beneficium dimittit in manu superioris, *in favorem* alicujus personæ, ut scilicet ad eam transferatur beneficium. Potest quidem superior denegare assensum, præsertim si dignus non videtur ille de cujus promotione agitur : verum si acceptetur conditio, necessaria est collatio. Ejusdem generis est permutatio reciproca inter duos beneficiarios, quæ probante etiam superiore, necessario habet effectum

4° Tandem Ecclesiarum parochialium col-

latio debet fieri per concursum concilio Tridentino statutum sess. 24, c. 18.

De collationum conditionibus. — 1° Collatio fiat *tempore congruo;* modò protulimus decretum concilii Lateranensis, quo vetatur ne ultra sex menses vacent officia. (C. *Nulla* 2, *De concess. præbend.*)

2° Collatio fiat *pure*, id est absque appositione ullius conditionis, quæ concessionem aliquatenus reddat incertam. (C. *In electionibus* 2, *De elect.* in 6.) Præsertim vero vitetur quælibet pactio simoniaca; omnis collatio simoniaca est *pleno jure* nulla.

3° Collatio fiat *palam*, non occulte. Proinde æquum est ut dentur provisiones, seu *litteræ patentes.* Nihilominus conditio illa in beneficiis collativis non requiritur ad valorem concessionis, sed ad probationem.

4° Collatio fiat *libere;* proinde nec extorqueatur vi aut metu, nec obtineatur per fraudem

5° Collatio fiat *absque diminutione;* id est non fiat dismembratio territorii; non oneris novi impositio, nisi secundum regulas canonicas.

X. *De qualitatibus promovendorum ad jurisdictionem ordinariam.* — Generale principium est quod illi tantum licite promoveantur qui digni sunt; c. *Tales* 4, dist. 23, ibi: *Tales ad ministerium eligantur clerici, qui possint divina tractare sacramenta... Melius est enim domino sacerdoti* (id est episcopo) *paucos habere ministros qui possint digne opus Domini exercere, quam multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.* Et cap. *Cum in cunctis* 7, *De elect.: Cum in cunctis sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis sint ætatis maturitas, gravitas morum, et scientia requirendæ, multo fortius in episcopo hæc oportet requiri.*

Omnia quæ canones requirunt ad quinque revocari possunt.

I. Requiritur *immunitas a vitiis* illis externis, quæ ab officiis excludunt. Vitia hæc sunt, irregularitates, censuræ, aliæve pœnæ ecclesiasticæ.

1° Irregularitas impedit primario ab ordinum receptione, et secundario ab eorumdem exercitio. Unde quisquis est irregularis antecedenter ad susceptionem officii quod requirit exercitium ordinum, promoveri non potest.

2° Censuræ ecclesiasticæ arcent directe contumaces a participatione certorum bonorum Ecclesiæ; et in primis a suscipiendis officiis.

3° Præter censuras proprie dictas, quibusdam criminibus, ut simoniæ, inuritur pœna inhabilitatis ad officia ecclesiastica.

II. Scientia, ad officia ecclesiastica ita necessaria est tam ad sacros ordines recipiendos, quam ad officia obtinenda, ut ejus defectus constituat generalem irregularitatem super qua dispensari nequit. Necessitas scientiæ innumeris canonibus inculcatur. C. *Ignorantia* 1, dist. 38, ibi: *Ignorantia, mater cunctorum errorum, maxime in sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis susceperunt. Sacerdotes enim legere SS. Scripturas frequenter admonet Paulus.* (*I Tim.* IV.) *Sciant igitur sacerdotes SS. Scripturas et canones, ut omne opus eorum in prædicatione et doctrina consistat; atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.* Celebre est item decretum concilii Lateran. IV, c. *Cum sit* 14, *De ætat. et qualit. præficiend.: Cum sit ars artium regimen animarum, districte præcipimus, ut episcopi promovendos diligenter instruant, vel per se, vel per alios idoneos viros, super divinis officiis ecclesiasticisque sacramentis qualiter ea rite valeant celebrare.* Item innumeri fere canones.

Gradus, seu mensura scientiæ pastoralis triplex distinguitur, *eminens*, *mediocris* et *competens.* Scientia *eminens* ea est qua quis potest statim et ex tempore solvere difficultates, quæ occurrunt pro diverso muneris gradu, ut episcopali officio, parochiali, etc. Scientia *mediocris* est illa, per quam quis resolvit quidem casus etiam difficiles, at non statim, et prompte, sed cum tempore, et revolutione librorum. Scientia *competens* est ea, cujus ope quis potest in facilibus et ordinariis respondere, in difficilibus vero dubitare ac peritos consulere, pariterque explere, saltem mediocriter, munia docendi, instruendi, et similia.

Canones tolerant scientiam *competentem*, si per alias dotes compensetur. *Quanquam sit desideranda eminens scientia in pastore, in eo tamen competens est toleranda; quia imperfectum scientiæ potest supplere perfectio charitatis.* (C. *Nisi* 10, *De renun.*) — Illi vero prorsus sunt a muneribus pastoralibus repellendi et deterrendi, qui carent scientia *competenti.*

Media canonica, per quæ diversis temporibus voluit Ecclesia ut constaret de promovendorum scientia, sunt gradus academici et examen.

Scientiæ sacræ adjungenda est aliqua peritia, sufficiens ad tractandum negotia *temporalia* quæ frequenter occurrunt in administratione diœceseon et parœciarum. Celebris est canon *Petrus* 1, dist. 39, ex sancto Gregorio : *Petrus diaconus, quem a vobis electum asseritis, omnino, ut dicitur, simplex est, et nostis, quia talis hoc tempore in regiminis arce debet constitui, qui non solum de salute animarum, verum etiam de extrinseca subjectorum utilitate sciat esse sollicitus.*

Nec minus necessaria est *prudentia*, qua quis noverit pro circumstantia unaquaque discrete agere. Arg. c. *Sit rector* 1, dist. 43, ibi : *Sit rector discretus in silentio, utilis in verbo; ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat*, etc.

III. *Morum probitas*, non ea tantum hic intelligenda est quæ excludat crimina inducentia irregularitates aut censuras, sed quæ talis sit ut promovendus possit utiliter et cum ædificatione fidelium officium exsequi Nec dubium est graviter peccare, tum eos qui promovent *indignos*, tum ipsos *indignos* qui talia officia suscipiunt. Unde hæc decernit concilium Lateran. II, c. *Grave* 29, *De præb.: Grave nimis est et absurdum, quod quidam Ecclesiarum prælati, cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur; unde quanta damna Ecclesiæ proveniant, nemo sanæ mentis ignorat... Præcipimus ut idoneos assumant, qui Deo et Ecclesiis velint et valeant gratum impendere famulatum.*

1. Igitur excludunt omnia vitia, ea potissimum quæ scandalum generant, ut luxuria, ebrietas, violentia.

2. Requiritur vita exterius *ornata*, non fastu, sed modestia et virtutum exemplo.

3. Requiritur *voluntas* adimplendi suum officium. Ideo veteres sæpe inculcant graviter peccare eos qui *beneficia*, etiam simplicia, suscipiunt absque intentione serviendi Ecclesiæ

IV. *Requiritur ætas competens.* Concilium Lateran. III, c. *Cum in cunctis* 7, *De elect.*, statuit : *Ut nullus in episcopum eligeretur, qui non exegisset tricesimum annum... ut nullus suscipiat parochialis Ecclesiæ regimen, nisi qui jam vicesimum quintum annum ætatis attigerit.* Unde colligunt juris interpretes, eum, qui recepit dispensationem ad recipiendum sacerdotium ante vicesimum quintum annum inchoatum, non ideo posse promoveri ad beneficium parochiale.

V. *Ordo competens.* — Et 1° quidem requiritur ad quodvis officium ecclesiasticum saltem tonsura clericalis. *Decernimus, ne laici ecclesiastica negotia tractare præsumant.* (C. *Decernimus* 2, *De judic.*; c. *Quoniam* 21 ; et c. *In nona* 22, caus. 16, quæst. 7.) Hinc a fortiori excluduntur feminæ a quovis officio ecclesiastico et ejusdem exercitio, et a quovis exercitio jurisdictionis. (C. *Nova* 10, *De pœnit. et remiss.*)

Requiritur 2° ut promovendus vivat *clericaliter*, ideoque in cœlibatu remaneat. Beneficia clericis minoribus olim concessa vacabant ipso facto, si forte matrimonium contraherent.

Requiritur 3° in promovendis ad certa officia, ut præter tonsuram, saltem sint ordine *sacro* insigniti. Nemo potest eligi vel nominari in episcopum, nisi saltem sit subdiaconus. (C. *A multis* 9, *De ætate* et Trid. sess. 24, c. 12.) Præficiendi parochiis debent vel actu esse presbyteri, vel recipere presbyteratum intra annum suæ promotionis.

Quæritur I, an promotio indigni sit irrita. Duplici ratione lex canonica potest invalidare quosdam actus, vel statuendo ut per sententiam judicis declarentur invalidi, vel faciendo ut etiam ante sententiam *ipso facto* sint irriti.

1° Certum est quod judex ecclesiasticus possit per sententiam irritare et invalidare promotionem illius qui caret debitis conditionibus. (Arg. *conc. Trid.* sess. 7, cap. 3.) « Inferiora beneficia, præsertim curam animarum habentia, personis dignis et habilibus, et quæ in loco residere, ac per se ipsas curam ipsam exercere valeant, juxta constitutionem Alexandri III in Lateranensi quæ incipit, *Quia nonnulli* (c. 13 *De cler. non resid.*), et aliam Gregorii X in generali Lugdunensi concilio, quæ incipit, *Licet canon* (*De elect.* in 6) editam conferantur, alite. autem facta collatio sive provisio, *omnino irritetur* ; et ordinarius collator pœnas constitutionis concilii generalis, quæ incipit,

Grave nimis 29, *De præb.*, se noverit incursurum. » Ex. c. *Grave*, talis collator culpabilis, a beneficiis conferendis per concilium provinciale suspendatur, instituta in eodem concilio persona provida et honesta, quæ suspensi suppleat defectum in beneficiis conferendis et hujusmodi suspensionis relaxatio reservatur Romano pontifici.

2° Certum est *pleno jure* et ante sententiam promotionem *indigni* esse *irritam*, in casibus a jure statutis. Atqui *ex jure* per canones et constitutiones apostolicas a Ferrario exposito, inhabiles et incapaces ad beneficia ecclesiastica assequenda sunt, et iisdem collatio facta est pleno jure irrita et inanis, ideoque beneficium vacat omnes sequentes : 1. hæretici eorumque fautores, receptores, defensores, necnon filii eorum usque ad secundam generationem ; et schismatici, c. *Quicunque* 2, *De hæret.* in 6; c. *Quia diligentia* 5, *De electione ;* Paulus IV et Pius V, const. *Cum ex apostolatu ;* Gregorius XIII, const. *In Ecclesia.*

2. Qui beneficia obtinent ad preces hæreticorum, c. *Quicunque* supr.

3. Excommunicati excommunicatione majori, suspensi et interdicti, c. *Cum dilectus* 8, *De consuetud.*; c. *Ad hæc* 1, *De postulat.*; c. *Postulasti* 7, *De cleric. excommun.*

4. Irregulares (c. *Henricus* 2, *De cleric. pugnant. in duello ;* c. *Si celebrat* 10, *De cleric. excommun. minist.*, et c. *Ex Litteris* 12, *De cleric. non ordinat. minist.*, etc.), infames. (*Regul.* 87, juris in 6).

5. Furiosi, mente capti, laborantes morbo caduco (decis. Rotæ), spurii, illegitimi.

6. Simoniaci, ex multis cap. tit. *De simonia*, sodomitæ, stupratores, omnesque indigni, inhonesti et hujusmodi. (S. Pius V, const. *Horrendum :* Rota ; concil. Lateran. IV, c. 30, cap. *Grave nimis* 39, *De præb.*; conc. Trident. sess. 22, c. 4, *De reform.*) Pluribus tamen videtur quod hi omnes debeant esse denuntiati et declarati ut collatio iisdem facta sit ipso jure nulla.

7. Inhabiles et incapaces sunt beneficiorum clerici uxorati (tit. *De clericis conjugatis*); pueri ante quartum decimum annum. (*Trident.*, sess. 23, c. 6.)

8. Et beneficii curati est incapax qui non habet annos viginti quinque. (*Ibid.*, c. 12.) Item qui nescit loqui in idiomate illius nationis in qua habere vult curam. (URBAN. III, const. 6 *Sanctissimus*, cap. 20.)

9. Filii illegitimi clericorum sive ante sive post clericatum parentum geniti, in ecclesiis ubi eorum parentes habent beneficia, vel ante habuerunt, quodcunque beneficium obtinere non possunt. (*Conc. Trident.*, sess. 25, *De reform.*, c. 5 ; et sacr. congr. Concil.)

10. Filii etiam legitimi clericorum nequeunt immediate succedere in beneficiis paternis. (C. *Quoniam* 10, c. *Ad exstirpandas* 11 ; c. *Michael* 13, *De filiis presbyter.*) Non prohibentur tamen mediate patri succedere, alia scilicet persona interposita.

11. Filii ac nepotes offendentium cardinales efficiuntur inhabiles ad ecclesiastica beneficia obtinenda. (C. *Felicis* 5, *De pœnis*, in 6.)

12. Clerici bona ecclesiastica usurpantes seu usurpationi consentientes, quibuscunque beneficiis privantur et ad quæcunque alia beneficia inhabiles efficiuntur. (*Conc. Trident.*, sess. 22, c. 11.)

13. Collatio Ecclesiarum parochialium absque concursu facta pleno jure est irrita et nulla. (*Conc. Trident.*, sess. 24, cap. 18.) Ideoque tales Ecclesiæ vacant, et earum collatio ad sedem apostolicam spectat *ex apostolicis Constitutionibus.*

14. Quando requiritur ad promotionem gradus academicus, irrita est promotio illius qui caret eo titulo. (Ita *Conc. Trident.*, sess. 18, *De reform.*, c. 18 ; et sess. 5, c. 1.)

15. Defectus ordinis debiti reddit promotionem invalidam.

Collationes quæ debent irritari per sententiam præcipuæ sunt : 1° collatio facta excommunicato excommunicatione minori. (Cap. *Si celebrat.* 10, *De clericorum excom. ministr.*) 2° Si defectus *scientiæ* talis sit ut constituat irregularitatem proprie dictam, ita ut ad sacros ordines talis illitteratus non debuerit promoveri, promotio est irritanda. (C. *Congregato* 53, *De elect.*) 3° Indignitas ex moribus; si ea quidem diversa sit ab irregularitate, et proinde ab infamia, non irritat pleno jure promotionem.

Ex his variis responsis duo corollaria maximi momenti educuntur.

Corollarium I. — « Qui invalide promotus est *non facit fructus suos*, ac proinde tenetur, non solum ad dimittendum beneficium vel officium, sed etiam ad *restituendum* quæcunque percepit propter officium in quo se ipsum intruserat. »

« Verum, ait Suarez, si quis ratione sui beneficii aliquod ministerium *bona fide* exercuit, juste potest congruam sustentationem pro ratione sui operis ex fructibus percipere ; quia iste re ipsa Ecclesiæ inserviit. Et deinde, si præter congruam sustentationem plures fructus bona fide consumpserit, neque inde factus sit ditior, non tenebitur restituere. Ultra hos casus, manifestum est *bonam fidem* non excusare ab obligatione restituendi. »

« Ea restituendi obligatio non potest spectare nisi ad *fructus* officii. Ea vero quæ recepta sunt ratione *ministerii* mere *personalis*, v. gr. stipendia missarum, etc., non censentur directe fructus officii. » (Lequeux t. I, p. 259 et seqq.)

Corollarium II. — Qui medetur indignitati propriæ post collationem et possessionem inchoatam, obtinendo dispensationem ab irregularitate, absolutionem a censuris, etc., nova nihilominus eget institutione canonica novaque provisione ad beneficium retinendum ; nec possessione sola jus acquiritur. Nam juxta axioma : *Non firmatur tractu temporis quod ab initio non subsistit.* (C. 18, *De regulis* in 6.)

Quæritur II : Quinam censendi sint digniores ? Ex sancto Thoma, *Summa* 2-2, quæst. 63, art. 2 ; ex canonibus *Nec emeritis* 12 ; *Nullus* 13 ; *Obitum* 16, dist. 61, et pluribus aliis :

1° Qui est de gremio Ecclesiæ præfertur alteri, qui non sit de eodem gremio ; et indigena seu oriundus alienigenæ et forensi. (C. *Ne pro defectu* 41, *De elect.*; c. *Bonæ memoriæ* 4, *De postulat.*; et *Regula cancellariæ* 17.)

2° Præfertur ille de cujus bonis fundata est Ecclesia. (C. *Hortamur* 8, dist. 71 ; c. *Cum adeo* 17, *De rescript.* et c. *Cum in officio* 7, *De testament.*)

3° Inserviens Ecclesiæ, et bene meritus ejusdem præfertur inservienti. (Rota sæpius, c. *Quia nonnulli* 3 ; c. *Relatum* 4, *De clericis non residentibus.*)

4° Doctor, seu graduatus præfertur non doctori et non graduato (Rota sæpius, *Regula cancellariæ* 17), nisi gradus doctoratus fuerit assecutus lite pendente. (Rota, p. x, decis. 171, n. 19.)

5° Approbatus ad curam animarum, præfertur non approbato. (Rota sæpius.)

6° Confessarius approbatus ad audiendas confessiones præfertur non approbato. (*Ibid.*)

7° Non beneficiatus præfertur beneficiato ; senior juniori ; præsens in curia absenti. (*Reg. cancellariæ* 17.) Nobilis præfertur minus nobili ; sacerdos non sacerdoti, sacerdos antiquior sacerdoti juniori. (Rota in multis ; apud Ferraris, verb. *Beneficium*, art. 5, n. 43 ad 63.)

« Advertendum est... quod respectu beneficii ecclesiastici obtinendi ille dicitur *indignus*, cui deest aliqua ex qualitatibus ad ministerium beneficiale requisitis, seu qui non potest satisfacere tali muneri. *Dignus* dicitur, qui habet sufficientiam, omnesque qualitates ad ministerium beneficiale requisitas. *Dignior* tandem dicitur, qui comparatione aliorum, majorem sufficientiam, aptitudinemque ad administrandum habere dignoscitur, quique consideratis omnibus dotibus animæ et corporis, aliisque circumstantiis futurus Ecclesiæ utilior creditur. » (Id. *ibid.*, n. 40-42.)

Quæritur III : Utrum stricta sit obligatio promovendi digniores ad officia ecclesiastica ? 1° Omnes, quibus incumbit onus promovendi ad jurisdictionem ecclesiasticam, tenentur non jure positivo tantum, sed etiam naturali et divino, ad promovendos *dignos*, imo *digniores*. Hæc enim obligatio sequitur ex natura jurisdictionis ecclesiasticæ, quæ ad salutem animarum dirigitur. (Ex c. *Gravis nimis* 29, *De præb.*) Imo peccant mortaliter eligentes, seu promoventes ad beneficia ecclesiastica minus dignum prætermisso digniore. (C. *Metropolitano* 19, dist. 63 ; c. *Licet* 15, causa 8, quæst. 1 ; Innocentius III, cap. unico. *Ut ecclesiastica beneficia*, tit. 12, lib. III, *Decret.*)

Et probatur de promovendis ad *episcopatum* conc. Trident. sess. 24, c. 1, *De reform.*; et quantum ad *parochorum* electionem, *ibid.* c. 18; et quoad *inferiora beneficia* præsertim curam animarum habentia, sess. 7, c. 3. Hinc sanctus Pius V in constit. *In conferendis beneficiis*, jus appellationis ad metropolitanum, sedemve apostolicam concedit illi, qui se episcopi judicio et electione læsum existimabit, ut cognita injustitia, electio minus digni annulletur in favorem dignioris. Unde multi, apud Dianam, tract. 4 *Miscell.* resolut. 210, fol. 150, affirmant episcopos illos, qui spectatis omnibus requisitis etiam per examen non conferunt beneficia dignioribus, teneri singulis

annis ad restitutionem eorum fructuum, quibus fruuntur minus digni, cum censeantur dignioribus subrepti, quia jam per concursum jus acquisierant.... Et in foro externo collatio beneficii curati digno facta prætermisso digniori, hoc conquerente et probante solet revocari; et affert Diana, loc. cit. plures declarationes sacræ Rotæ.

Attamen de beneficiis simplicibus, et nullam curam animarum habentibus, non esse peccatum mortale ipsa conferre personis dignis, omissis dignioribus, tenent permulti doctores.

Alii vero tenent «quod promovens *indignum* teneatur ad resarciendum malum Ecclesiæ, quantum est possibile. Imo is qui scienter eligit *minus dignum* prætermisso *digniore* tenetur ad resarciendum damnum quod tulit Ecclesia, et cui ipse ex officio tenebatur providere.

«Id autem fiet, sive procurando ut pastor *minus dignus* cedat, sive alia media procurando, missiones, etc.

«Non autem restitutio proprie dicta debetur *digniori*, quia ipse jus strictum proprie non habet, sed in favorem tantum Ecclesiæ præferendus est.» (Lequeux, t. I, p. 265.)

§ IV. — De cessatione et restrictione jurisdictionis ecclesiasticæ.

Art. I. *De cessatione jurisdictionis delegatæ.* — Multiplici modo cessant sive delegationes, sive cujusvis generis gratiæ: 1° per revocationem; 2° lapsu temporis aut consummatione negotii; 3° morte delegantis aut alia æquivalenti causa; 4° morte delegati, aut alia mutatione æquiparata; 5° recusatione judicis legati; 6° incompetentia ab ipso delegato pronuntiata.

1° *Per revocationem* factam a delegante, aut ejus successore, aut superiore in eodem genere, si sufficienter notificetur delegato, cessant jurisdictio delegata et alia gratia, quæ nondum plenum effectum suum fuerit consecuta. — Dicitur *aut superiore in eodem genere*, sic episcopus revocare potest delegationem factam a vicario generali; sed archiepiscopus, qui non potest exercere jurisdictionem in subditos episcopi nisi in casu appellationis, nequit revocare legationem ab episcopo suffraganeo aut ejus vicario factam. — Dicitur *si sufficienter notificetur delegato*, id est, declaratur de mandato ejus qui revocat, illi qui revocatur. (C. *Audita* 4, *De restit. spoliat.*) Ita ut sententiæ latæ ante talem notificationem, nullatenus revocari possint. Imo etiam postquam delegato notificata fuit revocatio, subsistit interdum *titulus coloratus*. — Observa 1° Nullum requiri actum judicialem, ut revocatio *notificetur*. 2° Non requiritur ut superior alleget motivum. 3° Nec a revocatione ulla datur appellatio.

2° *Lapsu temporis aut consummatione negotii.* Si delegationis aut concessionis limitatum est tempus, nullus tunc requiritur actus superioris, nulla notificatio; adveniente termino, cessat facultas. Et hic non datur locus titulo colorato.

Item si negotium unum alicui commissum fuit, eo expleto cessat facultas. Idem dicendum est de pluribus negotiis numero determinatis. «Ex quo judex per se vel per alium exsecutioni mandavit ejus auctoritas et jurisdictio cessat; quia semel est officio suo functus.» (C. *In litteris* 9, *de offic. jud. deleg.*)

3° *Per mortem, mutationem, cessionem*, etc., *delegantis.* Ut dignoscantur quæ nunc sunt dicenda, varii distinguendi sunt casus. Jurisdictio aliæve facultates spectant forum *contentiosum*, aut forum *gratiosum*. Si agatur de foro *contentioso*, vel res adhuc est *integra*, vel non. Si agatur de foro *gratioso*, vel actus delegationis indicat facultatem pendere *a persona* delegante, vel non. Item concessio delegatiove vel sunt per modum gratiæ *factæ*, vel gratiæ *faciendæ*. Pro casibus istis diversæ sunt regulæ.

I. Jurisdictio delegata fori *contentiosi* cessat per delegantis mortem, translationem, cessionem, aliamve æquivalentem mutationem, si res sit integra; non cessat si negotium sit inceptum. C. *Relatum* 19, *De offic. jud. delegat.*, ibi: *Si lis fuerit ante prædecessoris nostri obitum contestata, mandatum morte mandatoris nullatenus exspiravit. Si vero ante litis contestationem decessit, non est a judicibus, quos delegaverat, ex delegatione hujusmodi procedendum.*

Dicitur *si res sit integra.* In foro contentioso res dicitur *integra*, quando causa non est *introducta* coram judice; introducitur causa, tum per *citationem* partium (c. *Gratum* 20, *De offic. jud. deleg.*), tum per *contestationem litis*, quando judex audit utramque partem.

II. Si in *materia gratiosa* clausula aliqua apposita in concessione gratiæ aut in delega-

tione, aliæve circumstantiæ, indicent facultatem pendere a statu *personæ* delegantis ejusve *personali* affectu, delegatio cessat, quando delegans moritur, aut transfertur, etc. C. *Si gratiose* 5, *De resc. in* 6, ibi : *Si gratiose tibi a rev. pontifice concedatur, ut beneficia posses usque ad suæ voluntatis beneplacitum retinere; hujusmodi gratia, per ejus obitum, per quem ipsius beneplacitum omnino exstinguitur, eo ipso exspirat. Secus autem, si usque ad apostolicæ sedis beneplacitum gratia concedatur prædicta: tunc enim quia sedes ipsa non moritur, durabit perpetuo, nisi a successore fuerit revocata.*

At manifestum est, regulam non extendi ad eas clausulas, per quas delegationes aliæve facultates dicuntur *ad nutum ordinarii revocabiles*, vel valituræ *usque ad revocationem*. Istæ enim clausulæ referuntur non ad *personam*, sed ad auctoritatem episcopi, ad ejus sedem quæ non moritur.

III. In materia *gratiosa* perseverant post mortem concedentis delegationes aliæve concessiones, quæ sunt *gratiæ factæ;* non autem perseverant eæ concessiones, quæ dicuntur gratiæ *faciendæ*.

Interdum superior *per seipsum immediate et directe alicui tribuit* gratiam: ita solent facere episcopi, cum dispensant, cum alicui sacerdoti dant facultatem absolvendi a reservatis, etc.; idem aliquando facit curia Romana pro certis favoribus. Talis concessio est gratia *facta*. Interdum superior *committit alicui personæ a se delegatæ munus concedendi* favorem, sed tali ratione, ut delegatus habendus sit veluti exsecutor *necessarius:* sic solet agere curia Romana in dispensationibus; committit ordinario, officiali, confessario oratoris, ut dispenset, *modo preces veritate nituntur:* conditione tali expleta, orator jus recipit ad gratiam, et ita tales gratiæ reputari etiam debent *gratiæ factæ*. Interdum sedes apostolica sic delegat aliquem ad conferendum gratiam certæ personæ, ut relinquat concessionem *libertati delegati;* tuncque reputatur *gratia facienda*. Hoc ultimum in materia beneficiorum olim erat in usu; nunc vero raram habet applicationem.

Probat. gratias *factas* non exspirare morte concedentis, c. *Decet* 16, *De reg. juris* in 6: *Decet concessum a principe beneficium esse mansurum*; c. *Si cui* 36, *De præb.* in 6 : *Si cui, nulla facta personarum expressione, sit gratiose concessa facultas, ut auctoritate apostolica possit aliquibus personis idoneis... beneficia, quorum collatio est ad sedem apost. devoluta, conferre.... hujusmodi concessio, quam, cum specialem gratiam contineat, decet esse mansuram, non exspirat, etiam re integra, per obitum concedentis. Secus, si super provisione certæ personæ facienda data sit potestas eidem non ob suam, sed ejus, cui providere mandatur, gratiam vel favorem: ista quidem exspirat omnino, si concedens re integra moriatur.* In prima parte capitis, ut notant canonistæ, agitur de *gratia facta*. Potestas conferendi beneficia cui libuerit, *nulla facta personarum expressione*, est favor qui delegato ipsi conceditur, et qui ideo perseverat. Idem a fortiori dicendum de gratiis, quæ directe conceduntur alicui ad proprium usum, puta de facultate legendi libros prohibitos, celebrandi in oratorio privato, absolvendi a casibus reservatis, dispensandi in votis, in impedimentis matrimonii, etc., absque determinatione personarum. — Notandum est tamen quod secundum regulam 14 Cancellariæ Romanæ, novus pontifex soleat expresse revocare *facultates concessas episcopis de dispensando super matrimonio contrahendo vel contracto in gradu prohibito*, etc.

Quod gratiæ *factæ* perseverent post mortem concedentis, etiam quando indigent exsecutore, ut suum effectum sortiantur quodque perseveret talis exsecutoris potestas, probatur specialiter ex capite *Si super gratia* 9, *De Offic. jud. deleg.* in 6: *Si super gratia cuiquam ab apost. sede facta exsecutores fuerunt deputati, puta super dispensatione, æquum esse censemus, ut sicut gratia morte non perimitur concedentis, sic nec, etiam re integra, perimatur exsecutoribus data potestas, quam, velut gratiæ prædictæ accessoriam sequi decet naturam principalis.* Hinc si ante mortem proprii episcopi aliquis receperit litteras dimissorias ad recipiendum ordines ab episcopo alieno, iste potest exsequi talem concessionem post mortem concedentis. A fortiori perseverant gratiæ illæ, quæ non directe conferuntur a superiore, sed quarum concessio committitur delegato, qui censetur exsecutor *necessarius*. Probatur insuper ex usu passim recepto circa dispensationes matrimoniales, quæ, si Romæ datæ fuerint ante obitum pontificis, solent nihilominus mandari exsecutioni per officiales,

confessariosve, ut notant passim auctores.

Quod vero *ea gratiæ, quæ stricte reputandæ sunt faciendæ, pereant ad mortem delegantis*, probatur ex capite *Si cui*, supra cit., secunda parte *Secus*, etc.

IV. *Quatenus jurisdictio delegata cesset per mortem delegati, ejus demissionem, aliamve mutationem æquivalentem.* — Vel delegatio est *personalis*, seu facta *personæ* delegatæ; vel est *realis*, seu facta dignitati. Censetur facta *personæ*, quando in commissione exprimitur nomen talis personæ, aut quando delegans indicat a se cognosci scientiam prudentiamve personæ, aliave præsto sunt indicia æquivalentia. Censetur facta *dignitati*, si solummodo fiat ejusdem dignitatis, non personæ mentio; v. gr. officialis, vicarii generalis, etc.

1° Si delegatio facta fuerit *personæ*, perit per ejus mortem; non perit vero per ejus demissionem a suo munere, nisi aliud indicent circumstantiæ. Etenim volunt non pauci delegationem perire, si propter crimina quis amoveatur officio, si transierit ad statum, in quo non poterat delegari.

2° Si delegatio sit *realis*, post mortem munus gerentis ejusve demissionem, translationem, etc., transit ad successorem. C. *Quoniam* 14; *De offic. Jud. deleg.*, quod sic sumatur: *Delegatio facta dignitati, non expresso nomine proprio, transit ad successorem.* Et supponit multis in locis concil. Trident.

Hinc si commissio dirigitur ad *officialem*, ad *parochum*, mortuo interea aut amoto officiali vel parocho, qui tempore concessionis gerebat, successor exsequi poterit.

Difficultas major est, utrum, si ipse episcopus decessisset, officialis *capituli* posset exsequi breve directum ad officialem episcopi. Plures negant allegantes varias responsiones congregationum Romanarum, Benedict. XIV, *De Syn.* l. II, c. 9, n. 3. Alii minus probabile affirmant.

ART. II. *De cessatione jurisdictionis ordinariæ.* — Jurisdictio ordinaria fundatur officio et tollitur cum officio. Ideoque aliqua præmittenda sunt de effectu vacationis, qua tollitur officium.

« Officium vacare potest diversis rationibus. Vacatio dicitur esse *de jure et de facto simul*, quando jam quis nec officium possidet, nec jus habet ad possidendum. Vacatio est de *jure tantum*, quando aliquis possidet, qui tamen jus non habuit ad possessionem inchoandam, aut saltem non habet jus ad possessionem retinendam. Vacatio est de *facto tantum*, quando quis jus plenum habet ad possidendum, sed non possidet. »

«Quoties beneficia et officia vacant *de jure* et *de facto simul*, patet collatorem statim posse auferre officium, et mittere in ejus possessionem. Quando vacat de *jure tantum*, is, qui possidet, tenetur dimittere, et interea abstinere ab exercitio jurium temporalium et spiritualium; collator vero potest officium alteri dare. Nihilominus ut isti effectus producantur, nonnullæ conditiones requiruntur pro singulis causis sigillatim exponendæ. Quod si indebite retineatur officium, hic applicandæ sunt regulæ propositæ circa titulum, supra . . . Quando vacat de *facto tantum*, non potest officium conferri; sed curandum est, ut legitimi titularis jura sarta tecta serventur. »

Causæ, quæ inducunt vacationem *de jure*, quatuor sunt: 1° dimissio; 2° translatio; 3° privatio seu amotio; 4° certi eventus, qui ipso facto et independentes ab actu sive titularis, sive superioris, privant officio.

I. *De dimissione.* — Dimissio, quæ vocatur etiam *renuntiatio*, *resignatio*, *cessio*, est actus, per quem titularis alicujus officii ecclesiastici ipso cedit sponte sua.

Dimissio est vel *simplex*, quæ fit absque ulla restrictione, vel *qualificata*, quæ fit sub certis conditionibus, quæ sunt sequentes: 1° titularis dimittit beneficium sub conditione quod certæ personæ conferatur, et hoc dicitur *resignare in favorem*; 2° titularis permutat cum alio beneficiario, ea conditione, quod tali pacto consentiat superior; 3° Dimittens sibi reservat jus *regrediendi* in beneficium, positis certis conditionibus, v. gr. quod persona, in favorem cujus resignat, moriatur, vel ipse dimittens a sua infirmitate curetur, etc.; 4° Dimittens sibi reservat pensionem super beneficio.

II. *Effectus* generalis dimissionis est, ut statim ac impletæ sunt conditiones, saltem eæ quæ sunt ad cessionis validitatem necessariæ, conferri valeat alteri officium; utque statim teneatur, qui dedit dimissionem, ipsam exsequi, abstinendo nempe a quibusvis juribus exercendis. Nec datur locus pœnitentiæ, seu mutationi, cap. *Quidam* 12, *De renunt.*, ex conc. Lateran. IV: *Quidam ce-*

dendi licentiam cum instantia postulantes, ea obtenta, cedere prætermittunt. Sed cum in postulatione hujusmodi, aut ecclesiarum commoda, quibus præsunt, aut salutem videantur propriam attendisse, quorum neutrum suasionibus aliquorum quærentium quæ sua sunt seu etiam levitate qualibet volumus impediri, eos ad cedendum decernimus compellendos. Et cap. *Cum illusio* 1, Clement. *De renuntiat.* ibi : *Cum illusio et variatio in personis ecclesiasticis maxime sint vitandæ, sancimus ut, si quis ad cedendum dignitati vel beneficio procuratorem libere constituerit, et ipsum ignorantem postmodum revocandum duxerit, teneat cessio facta per eum* (nempe *procuratorem*), *antequam ad ipsius, vel illius, in cujus manibus cessio fuerat facienda, notitiam revocatio hujusmodi sit deducta, nisi forte per ipsas aut alias malitiose factum fuerit, quominus ad eos, vel eorum alterum, ante cessionem potuerit revocatio pervenire.*

Dicitur *statim ac impletæ sunt conditiones, saltem ad validitatem necessariæ.* Etenim ut dimissio sortiatur effectum, duo requiruntur, nempe libertas dimittentis, et consensus, seu acceptatio superioris.

1° Dimissio debet esse *libera*, non extorta per vim, aut dolum. Si hujus naturæ essent vis aut dolus, ut perimeret omnino liberum arbitrium, si proinde esset *error* substantialis, non adesset actus humanus, nec ullus omnino produceretur. Quoties vero adfuit tantum vis, metus gravis, fraus, remanserunt tamen advertentia et libertas ad actus humanos sufficientes, dimissio non est *pleno jure irrita*, præsertim si fuerit acceptata; sed canones concedunt, ut qui *injustam* vim passus est, habeat facultatem reclamandi et obtinendi irritationem talis actus per judicem ecclesiasticum. (C. *Abbas* 2, *De his qui vi aut metu.*) Non autem vim proprie dictam pati censetur is, qui, criminis cum sit reus, timet, vel cui timor incutitur, ne juridice accusetur, et ut per sententiam ignominiosam privetur.

2° Dimissio, generaliter loquendo, non parit effectum, nisi a superiore legitimo *acceptetur* : imo notificari debet illa acceptatio titulari, ut teneatur dimissionem exsequi. Dimissio episcoporum, etiam electorum et confirmatorum, licet nondum consecratorum, acceptanda est a solo Romano pontifice. (C. *Inter corporalia* 2, *De translat.* Innocent. III.) — Hinc non sufficit, quod episcopus *inter manus regis*, ut aiunt, dimiserit officium suum, antequam dimissio canonice acceptetur; omninoque est reprobanda agendi ratio guberniorum civilium, quæ, statim ac episcopus *dimisit* titulum in manibus regis, volunt ut capitulum administret. Et ideo lugendæ gubernii Gallicani extorsiones dimissionum an. 1812, 1813, 1814, etc., abhorrendæ sunt.

Dimissio parochorum, canonicorum, aliorumve clericorum obtinentium officia in Ecclesia, acceptari debet ab episcopo. C. *Admonet* 4, *De renunt.*: *Universis personis tui episcopatus sub districtione prohibeas, ne Ecclesias tuæ diœcesis, ad tuam ordinationem pertinentes, absque assensu tuo intrare audeant, aut detinere, aut te dimittere inconsulto.*

Nec ipsi vicarii generales possunt *acceptare* dimissionem, nisi *specialiter* id fuerit ipsis commissum, ut probatur C. *Licet.* 2, *De offic. vicar. gen.* in 6. Capitulum, seu vicarius capitularis potest acceptare resignationem, sede vacante ; ubi beneficiorum collatio spectat communiter ad episcopum et capitulum, et ubi beneficia spectant ad collationem tertii. Non autem si spectent ad collationem episcopi tantum. Ita plures apud Ferraris, verb. *Resignatio*, n. 68.

Dictum est, *generaliter loquendo requiri ut acceptetur dimissio.* Sequentes casus excipiendi sunt : 1° Papa, qui non habet superiorem, potest libere cedere. (C. *Quoniam* 1, *De renunt.* in 6.) 2° Qui est tantum *electus*, sed non *confirmatus*, non indiget consensu superioris; nondum enim Ecclesiæ suæ devincitur. 3° Clerici quicunque episcopis inferiores non stricte indigent permissione episcopi ad ingrediendum religionem ; et ideo per professionem solemnem eorum beneficia ipso jure vacant.

Ita requiritur acceptatio superioris, ut, priusquam notificetur, non teneatur dimittens nec possit exsequi.

Observandum est, 1° quod non possunt resignare beneficium clerici intrusi, et alii similes non habentes canonicum titulum; nec clerici qui valide matrimonium contraxerunt; nec qui religionem aliquam solemnem professi sunt; nec qui ad secundum beneficium cum priore incompatibili promoti sunt ; nec clerici criminosi, qui ob crimen commissum ipso jure privati exsistunt et sunt simoniaci ; quia in istis omnibus

casibus officia et beneficia pleno jure vacant. (FERRARIS, verb. *Resignatio*, n. 14 ad 18.) — 2° Clericus, si sit in sacris, nequit resignare beneficium, nisi constito, quod aliunde commode vivere possit ; alias facta resignatio erit nulla. (*Concil. Trident.* sess. 21, cap. 2 ; sanctus PIUS V, const. 58, *Quanta Ecclesiæ.*) Item resignare non possunt beneficia clerici infirmi, intra 20 dies ante suam mortem, nec tenet resignatio illorum, qui, dum sani erant, resignaverunt, et postea casu quodam aut superveniente morbo inopinato intra viginti dies decesserunt. — 3° Beneficia juris patronatus, nec electiva, resignari nequeunt absque patroni et electorum consensu. (FERRAR. *ibid.* n. 19 ad 23.)

Præter supradictas conditiones requiruntur aliæ ut licite fiat cessio.

I. Causa debet esse justa. Et quidem si agatur de episcopo debet esse gravissima. Cæteri ministri Ecclesiæ, maxime parochi, licet non sint eodem vinculo devincti gregi suo, ac episcopi, de omnium consensu indigent causa proportionata. Nam eorum cessio potest detrimentum Ecclesiæ afferre.

Causas cedendi episcopatus, quos doctores dicunt applicari posse cæteris officiis, expendit Innocentius III in celebri capite *Nisi* 10, *De renunt.* ibi : « Hæc sunt, per quæ cedendi episcopus licentiam potest postulare : conscientia criminis, debilitas corporis, defectus scientiæ, malitia plebis, grave scandalum, irregularitasque personæ : sed in his omnibus est observanda cautela..... »

II. Si requirantur dictæ conditiones ad *simplicem* cessionem, requiritur insuper ad cessionem *qualificatam* ut absint quævis *pactiones*, propter Simoniæ periculum prohibitæ. C. *Quæsitum* 5, *De rerum permutatione.* Sic non licet resignare beneficium, seu officium in gratiam alicujus, sub ea conditione quod iste postea pariter dimittet idem officium in gratiam alterius personæ, puta nepotis ejus qui hodie dimittit. Talis pactio est peccatum *confidentiæ*, a quo abhorret Ecclesia.

Imo resignatio *in favorem* alterius personæ multis canonibus, speciatim per decreta concilii Lateran. III, prohibetur, saltem si fiat cum clausula explicita, aut implicita, quod non aliter fiat demissio. — Sanctus Pius V constit. *Quanta Ecclesia*, non tantum prohibet, ut apud episcopum fiat resignatio in favorem, sed etiam, ne verbo, aut nutu, vel signo, successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum significatione et hortatu, designentur, aut de his assumendis promissio aut etiam intentio qualiscunque intercedat.

Resignatio facta *cum facultate regressus* in beneficium, vel cum reservatione pensionis super eo beneficio, et cum aliis conditionibus, nequit acceptari nisi a solo papa. (FERRARIS, verb. *Resignatio*, n. 45 ad 53.)

Permittitur tamen ut beneficiarii mutuo permutent officia, *modo episcopus causam inspiciat necessariam, ut qui uni loco minus sunt utiles alibi se valeant utilius exercere.* (C. *Quæsitum* 5, *De rer. permutat.*) Permutatio aliter facta absque superioris consensu, est simoniaca, et permutantes amittunt sua beneficia. (C. *Quæsitum* et cap. *Cum olim* 7, *De rerum permut.*)

III. Causæ enumeratæ, in cap. *Nisi* supra, non semper obligant ad cessionem faciendam.

1° Quando causa cedendi non est in *persona*, sed est extrinseca, quando verbi gratia causa est *malitia plebis*, vel *scandalum pharisaicum*, obligatio cedendi non æstimari debet, nisi ex regulis charitatis. Si pastor fidelium necessitati aliter providere non potest quam cedendo, tunc tenetur cedere ; at si possit inveniri alia via, puta assumptio vicarii, non tenetur titularis officio cedere.

2° Idem dicendum est de iis *irregularitatibus*, quæ sine culpa post susceptum officium superveniunt, etiamsi impediant, ne titularis expleat functiones officii sui. Patet ex toto titulo *De clerico ægrotante ;* et præsertim c. *Ex parte* v, ibi : *Cum Aurasiensis episcopus gravi morbo et incurabili fere per quadriennium laboret, ita quod pastorale officium non possit ullatenus exercere... cives civitatis ejusdem a te postulant incessanter, ut ipsis, cum sis metropolitanus eorum, studeas providere. Verum, cum ipsum ad cessionem compellere non possis, nec debeas ullo modo, nec afflicto afflictio addenda sit..., mandamus, quatenus illi coadjutorem associes virum providum et honestum, per quem tam episcopo, quam populo utiliter consulatur.*

Idemque dicitur de parochis, cap. *Rectoribus*, 3, *De cleric. ægrot.*, ibi : *De rectoribus Ecclesiarum lepræ macula usque adeo infectis, quod altari servire non possunt, nec sine magno scandalo eorum, qui sani sunt, ecclesias ingredi ; hoc volumus te tenere, quod dandus est eis coadjutor, qui curam habeat animarum et de facultatibus Ecclesiæ ad sus-*

tentationem suam congruam recipiat portionem.

Attamen sæpe melius erit, tam pro semetipso quam pro Ecclesia, ut pastor cedat... sed requiritur, ut cedens possit *honeste* vivere.

3° Si *irregularitas* superveniat ob aliquam culpam, adest obligatio petendi dispensationem. Si autem irregularis vel nolit, vel non possit obtinere hanc dispensationem, tenebitur officio cedere ; quia nemo potest id retinere, quod includit obligationes, quas nequit adimplere. Excipiunt tamen quidam auctores, ut Suarez, ea officia, quæ non requirunt usum ordinum, et quorum actus possunt ab irregulari exerceri ; quod aliis non placet. (Lequeux, t. I, p. 285.)

II. *De translatione.* — 1. Translatio est canonica mutatio illius qui possidet unum officium ad aliud. Translatio stricte non dicitur, nisi de prælatis habentibus Ecclesias, nempe de episcopis et abbatibus. Ejusdem tamen regulæ aliis inferioribus applicari debent.

Translatio communiter fit ad *digniorem* Ecclesiam : *Qui provehitur, de minore ad majus provehitur.* (C. *Legimus* 24, dist, 93 ; et c. *Cum ex illo* 1, *De translat.*) In dignitatibus ecclesiasticis non licet *descendere*, nisi id requirat quædam necessitas extraordinaria. (C. *Ad supplicationem* 9, *De renunt.*)

2. *Effectus.* Generaliter loquendo, translatio ad alium titulum, itemque assecutio alterius officii importare debent vacationem prioris tituli, c. *Si quis* 3, causa 21, Quæst. 2 : *Si quis jam translatus est ab alia Ecclesia in aliam, nihil habeat commune cum priore Ecclesia.* Verum diversæ conditiones requiruntur pro diversis casibus.

Primo, quando episcopus transfertur ab una Ecclesia ad aliam, non censetur vacare prior Ecclesia, nisi postquam in consistorio palam decretum hujusce translationis emisit pontifex, et insuper tale decretum notificatum fuit authentice titulari.

Secundo, si clericus promoveatur ad episcopatum, ejus beneficia censentur vacare ipso facto, quando consecrationem episcopalem accepit, vel quando decursum est *tempus consecrandis episcopis a canonibus definitum*, nempe tribus mensibus elapsis post receptam confirmationem electionis ; tuncque *is, ad quem spectant beneficia, de illis disponendi habeat liberam potestatem.* (C. *Cum in cunctis* 7, *De elect.*) Cardinalatus quoque inducit vacationem officiorum et beneficiorum, etiam sedis episcopalis ; sed solet dari dispensatio.

Tertio, si agatur de cæteris officiis, vel beneficiis, sedulo considerandæ sunt Ecclesiæ leges circa beneficiorum incompatibilitatem. Prisca decreta renovans concilium Tridentinum, declarat, sess. 7, cap. 4, *eum, qui plura curata, aut alia incompatibilia beneficia recipere ac simul retinere præsumpserit ipso jure privatum existere.*

Statim ac novi tituli possessio assumpta est, cessant omnia jura *temporalia* ad priorem pertinentia. Tota difficultas est determinare, quo momento cesset jurisdictio *spiritualis* parochi promoti ad alium titulum. Constans est, quod statim ac ipse novi tituli possessionem assumpsit, possit episcopus priorem titulum alteri conferre, novumque titularem inducere in possessionem, præmonito saltem aliqualiter illo qui translatus fuit ; et tunc evidens est, quod iste nullum jurisdictionis actum possit exercere in priore titulo. Idem dicendum est quando episcopus hanc parochiam tanquam vacantem vicario alicui commisit. At quandiu novus parochus non assumpsit possessionem, aut quandiu vice curatus non significavit jurisdictionem sibi commissam illi qui jam novi tituli possessionem assumpsit, is potest exercere jurisdictionem in priore titulo. Probatur ex c. *Licet* 28, *De præb.* in 6 : *Licet episcopus beneficium, quod cum animarum cura tenebas, postquam aliud recepisti consimile, ac ipsius possessionem pacificam habuisti.... possit alteri de jure conferre, illum tamen, cui contulerit, non debebit, te non vocato (cum tibi forsan jus possit competere retinendi), in possessionem inducere corporalem....* A fortiori hæc certa sunt, si parochus, licet rite ei fuerit collatus novus titulus, nondum possessionem assumpsit. Non enim tunc *retinere* censetur priorem titulum. Ideo hæc omnia notamus quod sæpe, post assumptam novi tituli possessionem (temporalem), aliquot diebus in priori titulo exerceat pastor. (Lequeux, t. I, p. 287 et 288.)

3. *De conditionibus requisitis ad translationem.* Primo, de translationibus episcoporum (*remissive*). Secundo, cæteri ministri inferiores pendent ab episcopis ; nec ullo modo, præsertim hodie in Galliis, absque eorum assensu potest locum habere quorumvis translatio. Nemo dubitat, quin requiratur causa, saltem rationabilis ut parochi trans-

ferantur ad alium titulum. Nam licet multominus arctum sit vinculum, quo parochi suæ Ecclesiæ alligantur, quam vinculum episcopi, nihilominus comparatur etiam matrimonio can. *Sicut* 4, caus. 21, quæst. 2, ex concilio Remensi : *Sicut in unaquaque Ecclesia unus presbyter esse debet, ita ipsa, quæ sponsa vel uxor dicetur, non potest dividi inter plures presbyteros, sed unum duntaxat habebit sacerdotem, qui eam caste et sincere regat.* Experientia docet plura nasci ex frequenti mutatione incommoda. Unde sæpe Patres et auctores ecclesiastici in eos invehuntur, qui de beneficio ad beneficium se transferri postulant, ambitionis aut cupiditatis mundanæ causa. Est vero sufficiens et justissima causa Ecclesiæ utilitas, quæ postulat, ut *digniori officium majoris momenti* conferatur. Et ita urgens potest esse illud motivum *utilitatis*, ut etiam invitus ad alium titulum accipiendum cogatur, qualiter ex canonibus eruitur; et præsertim ex concilio carthagin. IV, veteri codici canonum insert. ibi : *Placuit, ut quicunque clerici vel diaconi, pro necessitatibus Ecclesiarum, non obtemperaverunt episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo, unde recedere noluerunt.*

III. *De privatione juridica et simplici revocatione.* — Duplici modo superior amovere potest aliquem ab officio, vel 1° per *privationem juridicam*, seu *depositionem*, quæ est sententia juridica, qua clericus privatur officio; vel 2° per *revocationem*, seu *destitutionem simplicem*, per quam extra judicium et absque sententia officium tollitur a clerico, ita ut superior nullam teneatur afferre hujusce determinationis rationem, utque statim post ejusdem notificationem subditus teneatur abstinere a quolibet officii exercitio. Manifestum est quod *simplici revocationi* non subjaceant nisi officia ad nutum amovibilia (Lequeux, t. I, p. 290), et non omnia modo absoluto, sed aliqua cum certa restrictione, ut alibi dicetur.

De privatione juridica, seu *depositione*, paucissima hic dicentur; fusius agetur alibi. Quoad præsentem quæstionem duplicis generis sunt officia ecclesiastica : 1° Officia quæ auferri nequeunt nisi per privationem juridicam; 2° Officia ad nutum revocabilia.

1. *Officia inamovibilia* : Primo, constat innumeris Ecclesiæ legibus, episcopos generatim non posse amoveri ab officio sine judicio canonico. At vero tales emergere possunt circumstantiæ, in quibus summa et publica necessitas aliud requirat. Ut enim cum Bossuetio asserunt ipsi Gallicani : *Nihil non potest papa, cum Ecclesiæ necessitas aut evidens utilitas postulaverit.* Alioquin non esset sufficienter provisum Ecclesiæ; et inefficax foret illa potestatis plenitudo, quam in summo pontifice omnes agnoscunt. Hinc Benedictus XIV, *De synodo*, lib. VII, cap. 8 : « Episcoporum jurisdictio, sive sit immediate a Christo, sive a summo pontifice, ita huic subest, ut *consentientibus omnibus Catholicis*, ejusdem auctoritate et imperio limitari atque ex legitima causa omnino auferri possit. » Exemplum talis necessitatis exhibet Concordatum inter Pium VII et Gallias, initum anno 1801..... Licet forte accusari possit gubernii Gallici in eo negotio agendi ratio, ipse tamen pontifex merito laudatus est, eo quod populorum stragibus illud remedium (scilicet omnium episcoporum, qui priscas Gallicanas ecclesias tenebant, amotionem ex exigentia gubernii) attulerit; quod solum in ipsius erat potestate.

Secundo, olim omnia beneficia, proprio nomine exercenda, sic erant perpetua, ut semel legitime adepta non auferri possent absque sententia.

De origine hujus disciplinæ ita disserit Thomassin. *Vetus et nova discipl.* part. II, lib. I, cap. 15 : « Revera primis temporibus non exsistebant tituli ecclesiastici, saltem cum bonis propriis constituti ea ratione quæ postea viguit. Sacerdotes, diaconi aliique clerici simul cum episcopo cooperabantur regimini Ecclesiæ, et de thesauro communi recipiebant quæcunque suæ sustentationi erant necessaria. Nullus ordinabatur *absolute*, id est absque speciali deputatione pro servitio alicujus Ecclesiæ, aut monasterii. Sed post ordinationem neutiquam erat in arbitrio episcopi pro nutu et absque judicio canonico amovere ab officio sacerdotes et diaconos. (Hi enim soli tunc numerabantur inter clericos majores.) Imo a judicio episcopi dabatur appellatio ad concilium provinciale, aut ad metropolitanum. Id probant multa decreta, præsertim conciliorum Carthaginensium, quæ expetunt, ut sententia *definitiva* decernatur contra sacerdotem a sex episcopis, et contra diaconum a tribus. (C. *Si quis* 3, causa 15, quæst. 7.) Et quæ

insuper volunt ut episcopus non audiat causas, nisi in præsentia sacerdotum, etc. In ipso concilio Nicæno vestigia hujus disciplinæ videre est. »

« Postea constitutis parochiis plurimis, sacerdotes ordinati fuerunt ad titulos, in quibus perpetuo ministrarent. *In qua quisque Ecclesia titulatus est, in ea perpetuo perseveret*, ait concilium Placentinum anni 1095.

« Ut ad recentiora sæcula veniamus, concilium Tridentinum præcepit, sess. 24 *De reform.* cap. 13 : *Ut distincto populo in certas parochias, unicuique suum perpetuum ac peculiarem parochum episcopus assignet.* » (LEQUEUX, tom. I, p. 291 seqq.)

2. *Officia ad nutum revocabilia :* Sunt ea quæ conferunt jurisdictionem *ordinariam*, sed *vicariam;* et hodie in Galliis deservitores, ex variis causis et speciali sanctæ sedis responsione, sunt ob justas tantum causas ad nutum episcopi revocabiles, *donec aliter a sede apostolica statutum fuerit.* De his fusius alibi dicemus.

IV. *Certi eventus, qui ipso facto et independenter ab actu sive titularis, sive superioris, privant officio.* — Officium quodvis potest *ipso* facto vacare secundum triplicem circumstantiam.

1° Per mortem naturalem titularis, de qua nulla est difficultas.

Ipso facto etiam cessat jurisdictio illa ordinaria quæ est tantum vicaria, quando scilicet deficit jurisdictio titularis principalis.

2° Propter incompatibilitatem novi officii quod assequitur, aut status in quo semet constituit titularis. Ipso facto et pleno jure vacat officium : per professionem solemnem in ordine religioso. (C. *Beneficium* 4, *De regul.* in 6.) 2. Per matrimonium etiam solum modo attentatum a titulari, tit. tot. *De clerico conjug.* 3. Per adeptionem episcopalis dignitatis. (C. *Cum in cunctis* 7, *De elect.*) 4. Per adeptionem alterius beneficii incompatibilis, v. gr. alterius officii, quod animarum curam annexam habet.

3° Propter admissionem eorum criminum, quibus leges canonicæ hanc pœnam inflictam esse voluerunt. Præter casum in quo titularis in pœnam scelerum *privatur* officio per *sententiam juridicam*, certum est multos canones decernere quod *ipso facto* admissionis quorumdam scelerum beneficia vacatura sint.

Duplici modo hoc ipsum potest intelligi, vel ita ut ad effectum requiratur sententia criminis *declaratoria*, vel ita ut independenter a quavis sententia sequatur effectus. Si requiratur sententia *declaratoria*, effectus, scilicet vacatio, suspenditur usque dum judex declaraverit reum pœnam incurrisse; et talis sententiæ illa vis erit quod effectus retrotrahantur usque ad ipsum tempus in quo crimen est peractum; fructus ab eo momento percepti, erunt restituendi ; actus qui sunt rescindibiles rescinduntur, etc., *si independenter a quavis sententia* lex effectum sortiatur, reus statim tenetur officium dimittere, et nullum ejusdem actum facere ; quamvis propter titulum *coloratum* validi esse possint actus jurisdictionis.

In suis locis enumerabuntur delicta quibus leges ecclesiasticæ *de pleno jure* pœnam amissionis officii annexuerunt.

ART. III. *Quomodo jurisdictio, sive ordinaria, sive delegata restringatur, vel ligetur.*

I. Jurisdictio *restringitur* quando ei aut subducuntur certi subditi, aut subducitur certa materia, quæ alioquin eidem subjecisset. Subducuntur subditi per *exemptiones :* subducitur materia per *reservationes.* Ex ea definitione patet prorsus esse irritos actus jurisdictionis qui contempta ea restrictione fierent.

II. Jurisdictio *ligatur*, sive suspenditur, quando licet minime tollatur officium, vel minime revocetur delegatio, adest tamen impedimentum ne ipsa libere exerceatur, quamdiu aliquid non fuerit sublatum. Hæc autem impedimenta sunt vel *censuræ* ecclesiasticæ, vel *irregularitates;* interdum efficit tale impedimentum ut actus, licet *validi*, tamen liciti non sint : interdum efficit ut ne quidem *valide* fiant actus; puta quando per *sententiam* promulgantur censuræ ... (Lequeux t. I, p. 299.)

Exemptio, est privilegium, quo persona, communitas regularis vel sæcularis, aut locus a jurisdictione episcoporum seu ordinariorum liberantur et subtrahuntur, ac summo pontifici immediate subjiciuntur, est in re communis, arg. cap. *Si papa* 10, *De privileg.* in 6. Olim exemptiones multæ competebant non solum regularibus sed pluribus capitulis quoque canonicorum. Privilegia vero tum regularium, tum capitulorum arctata sunt a concilio Tridentino et constitutionibus apostolicis. Ideoque episcopi seu or-

dinarii in pluribus casibus jurisdictionem habent in regulares sive ordinariam, sive delegatam a jure, tanquam sedis apostolicæ delegati. Ad quam distinctionem valde attendendum est, ut in suis locis dicetur.

Episcopi possunt etiam in suis diœcesibus aliquas personas aut communitates eximere a jurisdictione *parochiali :* sic capellani hospitiorum, v. g., munia pastoralia in dictis hospitiis exercent.

Reservationes.

I. Reservatio, quatenus est jurisdictionis limitatio, est actus per quem legislator sibimet aut alicui superiori privative attribuit ea quæ cæteroquin inferior potuisset peragere.

Dicitur *quatenus est jurisdictionis limitatio.* Non proprie est *reservatio*, si superior velit a se solo tractari quædam negotia ad se directe spectantia, et quæ posset ipsemet committere aliis. Sic parochus potest nolle ut vicarius matrimonio intersit, nec *reservatio* id censetur.

Dicitur *per quem legislator*, etc. Ille enim qui non habet potestatem decernendi leges, non potest permanenter restringere alterius jura.

Dicitur *sibi aut alteri.* Sic summi pontifices metropolitanis, v. gr., quædam negotia possunt reservare.

II. Reservationes admittendæ sunt tanquam consectaria divinæ constitutionis Ecclesiæ, ideoque decrevit concilium Trident. sess. 14, c. 7 : *Merito pontifices maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quando omnia quæ a sunt Deo ordinata sunt, quin hoc idem episcopis omnibus in sua cuilibet diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores sacerdotes auctoritate.*

III. Reservationum tot sunt genera, quot distingui possunt jurisdictionis objecta diversa. Hinc aliæ cadunt in forum *internum pœnitentiale*, aliæ in forum *simpliciter internum ;* aliæ in forum *externum gratiosum ;* aliæ in *contentiosum.*

1° Jurisdictio fori *interni pœnitentialis* restringitur per reservationem certorum peccatorum, a quibus potest absolvere aut solus superior, aut is quem ipse deputaverit. Eidem reservationi subjacet relaxatio censurarum, saltem excommunicationis, siquidem confessarius absolvere nequit a peccatis eum quem prius non solverit ab excommunicatione.

2° Jurisdictio *fori interni* simpliciter dicti restringitur per eas omnes leges quæ summo pontifici privative attribuunt dispensationes plurimas, quæ ad conscientiam privatorum respiciunt circa irregularitates, impedimenta matrimonii, etc.

Notandum est quod absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus bullæ *Cœnæ*, vel ordinariis reservatis, nisi ad id specialem delegationem habeant, incurrant excommunicationem summo pontifici reservatam. Bulla *Cœnæ*, et decret. sac. congr. Episc. et Regul. a Clement. VIII approbatum 1602. (Ferrar. verb. *Excommunicatio*, art. 3.)

3° Jurisdictio *fori externi*, quatenus est *gratiosa*, limitatur per eas leges quæ reservant summo pontifici multa negotia majoris momenti, ad gubernationem externam pertinentia.

4° Ad jurisdictionem *fori externi*, quatenus est *contentiosa*, pertinet reservatio quarumdam causarum, quales sunt judicia episcoporum, etc.

Censuræ sunt excommunicatio, suspensio, et interdictum. Istæ censuræ possunt directe et immediate impedire ne jurisdictio exerceatur. *Irregularitates* vero directe respiciunt ad exercitium sacrorum ordinum, indirecte vero tantum jurisdictionem attingunt, quatenus ipsa annectitur ordinum exercitio, aut istud exercitium requirit. De his fusius alibi dicetur.

§ V. — De prærogativis et obligationibus eorum qui habent jurisdictionem ecclesiasticam.

Ad tironum utilitatem, notiones præcedentes quas fusius in hujus operis decursu tractaturi sumus, complendæ sunt per aliqua consectaria, quibus quasi totius juris ecclesiastici prænotionem habebunt.

I. Duplicis generis effectus morales fluunt ex ipsa jurisdictionis natura, nempe obligationes inferiorum erga superiores, et obligationes superiorum erga inferiores.

Potestas regendi manifeste implicat quod subditi teneantur ad obsequium erga superiores, quorum *prærogativa* seu *majoritas*, ut

dicunt canones, respondet obligationi inferiorum.

Potestas regendi implicat etiam quod superiores teneantur procurare salutem inferiorum : propter inferiores ipsos, non vero directe in gratiam superiorum, collata sunt jura unicuique officio propria. Hinc nascuntur *obligationes superiorum.*

ART. I. *De prærogativis superiorum ecclesiasticorum.* — Omnis jurisdictio importat plures prærogativas. Sed, juxta canones, præter jurisdictionem, numerantur vulgo quinque aliæ causæ præeminentiæ seu *majoritatis* unius personæ super alias : 1° Jurisdictionis dignitas ; 2° Ordo et gradus in ordine ; 3° Consecratio : episcopus consecratus major est non consecrato ; ecclesia consecrata dignior est ecclesia benedicta tantum ; 4° Antiquitas major in eodem gradu jurisdictionis vel ordinis, secundum axioma : *Qui prior est tempore, prior est jure* (*Reg.* 54, in 6) ; 5° Dignitas ordinantis, quia qui ordinatus fuit a papa, censetur superior aliis ejusdem ordinis. (C. *Per tuas* 7, *De majorit.*) Addi potest privilegium certorum insignium, quæ ideo concessa fuerunt, ut *ex majoritate ac decore majori ornatuum majoritas appareat dignitatum*, prout de mitra concessa certis abbatibus dicitur. (C. *Ut apostolicæ* 6, *De privileg.* in 6.) De jurisdictione tantum hic directe dicendum est aliquid, de cæteris in suis locis fusius.

Obligationes subditorum respondentes *majoritati illi, quæ propria est jurisdictioni*, comprehendi solent sub nomine *obedientiæ;* et consistunt in tribus, nempe in reverentia exhibenda superiori, in mandatis ejusdem observandis, et in judicio subeundo : peccata vero adversus hæc officia vocantur in jure *excessus subditorum*

1. *Reverentia* hic sumitur pro honoribus externis, seu signis æstimationis et venerationis, quæ inferiores debent superioribus, puta primum locum ipsis tribuere, coram ipsis assurgere, etc. Pro ea sint regulæ sequentes : 1° Etsi debeatur ordinibus superioribus reverentia ab inferioribus, vel intra eumdem ordinem antiquioribus a recentibus ordinatis, nihilominus qui major est *jurisdictione*, generatim præcedit illum qui ordine superior est. Sic archipresbyteri ipsi archidiaconis subjiciuntur, Sic etiam mandat sexta synodus, ut diaconus, qui repræsentat metropolitanum, præcedat presbyteros, et *ante illos sedeat ; tunc enim sicut illius tenens locum honorabitur.* (C. *Præcipimus* 26, dist. 93.) Item propter connexionem, quam certæ personæ habent cum superiore, licet ipsæ non habeant jurisdictionem, specialiter honorandæ sunt. Sic cardinales propter suas relationes cum summo pontifice, cujus corporis sunt membra, præeminentiam super omnes, etiam patriarchas, habent. Sic canonici cathedrales, membra corporis episcopi, præeminentiam habent super omnes sacerdotes diœcesis.

Dicitur, *generatim*, quia in ritibus sacris et precibus publicis, ii, qui vestibus sacris induti sunt, præcedunt eos, etiam superiores, qui vestes communes gerunt.

2° Jurisdictio *externa* præcedit eam, quæ non exercetur nisi in foro *interno ; ordinaria* præcedit *delegatam*, nisi sit delegata a summo pontifice.

2. Quantum ad *obedientiam*, generatim inferior tenetur suscipere atque exsequi mandata superioris sui in rebus quæ pertinent ad *istius jurisdictionem*, etiamsi aliunde onerosa sint illa mandata. (Cap. *In memoriam* 3, dist. 19.) *In memoriam beati Petri apostoli honoremus sanctam Romanam Ecclesiam : licet vix ferendum ab illa sancta sede imponatur jugum, tamen feramus, et pia devotione toleremus.* (Et cap. *Illud* 5, *De major. et obed.*) : *Non debueras pro temporali incommodo inobedientiæ notam incurrere.* Auctoritas imperandi supponit necessitatem obtemperandi.

Dicitur, *generatim;* nam 1° *Si is, qui præest, quod a Domino prohibitum est facere jusserit, vel quod præceptum est præterire mandaverit, Apostoli sententia* (*Galat.* 1, 8) *ingerenda est : « Etiamsi angelus de cœlo evangelizaverit vobis contra id quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* (C. *Si is, qui præest* 101, caus. 11, quæst. 3.) — 2° Ubi ex duobus superioribus unus præcipit unum, et alius contrarium, in rebus, quæ vere ad utriusque jurisdictionem pertinent, *major potestas minori præponitur.* (C. *Quæ contra* 2, dist. 8.) Sic papa episcopo et episcopus parocho præponitur. Ipsi episcopo contra papæ decreta vel declarationes et contra *jus commune* præcipienti non est obtemperandum. Lex enim communis superior est episcopo particulari. — 3° Si subditus possit prætendere causam rationabilem differendi exsecutionem mandati, eam cum debita reverentia superiori exhi-

beat, ut dicitur. (C. *Si quando* 5, *De rescript.*) Imo si evidenter constaret mandatum esse injustum, non teneretur subditus obsequi.

Dixi, *in rebus, quæ pertinent ad superioris jurisdictionem;* quia in cæteris patet non esse obtemperandi necessitatem. Sic archiepiscopus extra actum visitationis aut similes casus non potest præcipere. Nec in rebus, quæ directe ad temporalia pertinent, prælati possunt præcipere.

3. *Judicium* superioris inferior tenetur subire, et coram ipso comparere rationem redditurus, secundum regulas canonicas. Debet patienter tolerare ejusdem correctionem, licet forte illa correctio sit injusta. « *Contra morem* quippe ecclesiasticum est, si non patientissime toleratur etiam injusta correctio. » (C. *Contra morem* 8, dist. 100, ex sancto Gregorio.)

ART. II. *De obligationibus positivis eorum qui gaudent jurisdictione.* — Hic tantum indicandæ sunt obligationes positivæ *generales* pastorum, quas sic describit concilium Tridentinum, sess. 23, cap. 1, De reform. ibi : *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo pascere; pauperum aliarumque miserabilium personarum curam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis impleri possunt, qui gregi suo nec vigilant, nec assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sanctu synodus eos admonet, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et regant.*

Obligationes hic enumeratæ referuntur ad *residentiam* recte et canonice intellectam. Nam, residere definitur *commorari continuo in loco beneficii, seu officii sui, causa functionum ecclesiasticarum personaliter præstandarum.*

ART. III. *De excessibus, seu de abusu jurisdictionis, et de remediis quæ subditis suppetunt.* — 1. Abusus nomine, *late* intelligitur usus illicitus jurisdictionis; in qua definitione comprehenduntur etiam ii actus, qui pertinent ad jurisdictionem *voluntariam* pastoris, et de quibus soli Deo rationem reddet; puta si episcopus ordines indigno conferat, si revocet delegationem absque causa. *Strictius* vero intelliguntur ii actus, per quos læditur jus alienum, saltem aliqualiter, occasione exercendæ jurisdictionis.

2. Quinque præcipuos abusus in specie notabimus.

Primus abusus est, quod quis sibi vindicet jurisdictionem in subditos alterius : *Nullus alterius terminos usurpet, nec alterius parochianum judicare, vel ordinare, aut excommunicare præsumat; quia talis judicatio aut ordinatio nullas vires habebit; unde et Dominus loquitur* (*Deut.* XIX, 14) : « *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui.* » (Cap. *Nullus*, caus. 9, quæst. 2.)

Secundus abusus est, si extendatur jurisdictio ad *materiam* alienam; quod contingeret, si parochus, potestate fori *interni* tantum gaudens, jurisdictionem fori contentiosi etiam in proprios parochianos vellet exercere: si episcopus negotia mere *sæcularia* propria auctoritate dijudicaret.

Tertius est, si superior, qui non est *immediatus*, sine causa a canonibus probata, ad suum trahat tribunal causam, quæ in prima instantia erat a judice *immediato* dijudicanda. Cap. *Dilecti filii* 66, *De appell.* ibi : *Cum, omisso diœcesano episcopo, fuisset ad archiepiscopum appellatum, in causa ipse de jure procedere non debebat . . .*

Quarto loco esset abusus quod primi superiores sine causa sufficienti injuste auferrent et restringerent ea jura prælatorum inferiorum quæ censentur jure communi firmata, circa jurisdictionem, immunitates, etc. (C. *Ad hæc* 2, *De excessibus prælat.*)

Quintus abusus est quodcunque *novum gravamen*, quod absque causa sufficienti subditis imponitur, ut si novus census exigeretur indebite ; si subditi inhoneste tractarentur; si leges canonicæ in judiciis, in censuris aliisve pœnis decernendis, non observarentur, etc. Cap. *Pervenit* 1, *De excessib. prælat. et subd.* ibi : *Cum presbyteros quasi filios et fratres debeatis benigne ac fraterna charitate fovere, mandamus quatenus in eos tallias et exactiones indebitas exercere nullatenus præsumatis, nec de cætero irrationabiliter gravetis; vel inhoneste tractetis eosdem; nec aliquem excommunicare sine ordine judiciario præsumatis.* Eadem inculcant innumeri canones.

Pariter reputantur in jure *excessus* illi omnes actus, per quos indebite restringuntur privilegia exemptorum.

3. *Remedia quæ canones suppetunt subditis adversus excessus prælatorum.* Pro negotiorum diversitate quatuor remedia possunt indicari : *supplicatio*, *appellatio proprie dicta*, *querela seu appellatio extrajudicialis*, *et recusatio judicis*.

Primum remedium est *supplicatio*, seu humilis repræsentatio exhibita superiori ipsi *excedenti* ; ut re cognita aliud decernat. Leges Romanæ insinuabant, quod pateret recursus a *principe male informato* ad *principem melius informatum*, et, ut dicebant jurisperiti, *ab Alexandro dormiente ad vigilantem*. In monumentis ecclesiasticis hoc ipsum pluries commendatur. « Apostolica sedes, ait sanctus Bernardus (epist. 170), hoc habet præcipuum, ut non pigeat retractare, quod a se forte deprehenderit fraude elicitum. » Igitur si res fiat cum debita reverentia, eoque fine ut *rationes prius incognitæ* adducantur, utiliter fiet ista reclamatio.

Secundum remedium est *appellatio simplex*, seu *proprie dicta*, quæ definitur *actus, quo læsus seu gravatus sententia judicis inferioris, causam defert ad judicem superiorem* Certum est, per innumeros canones, oppressis concedi appellationem.

Plurimæ conditiones requiruntur ut *appellatio simplex* adhiberi possit ; non potest cadere nisi super actibus judicialibus ; deferri debet ad judicem competentem ; in ea certæ formæ adhibendæ sunt ; cavendum est ne ejus effectus extendantur .. .

Tertium remedium est *quærimonia*, seu *appellatio extrajudicialis*, quæ dicitur etiam *recursus*, quo nomine intelligi potest actus quilibet per quem subditus læsus *extrajudicialiter* a judice inferiori recurrit ad superiorem. Hanc facultatem plurimi canones supponunt : *Sacri canones etiam extra judicium passim appellare permittunt ; nec solent hujusmodi dici appellationes, sed provocationes ad causam.* (C. *Cum sit Romana*, 5, *De appell.*)

Quartum remedium est *recusatio* judicis, cujus reus declinat jurisdictionem propter eas causas quæ a canonibus admittuntur. Huic remedio affinis est *oppositio nullitatis sententiæ*. Patet hæc duo remedia locum non habere nisi in judiciis proprie dictis. (Lequeux, t. I, p. 323, seqq. Opus caute legendum, quia a sacra congregat. Indicis damnatum est.)

CAPUT VII.

De regulis juris canonici, et de verborum significatione.

Regulæ juris sunt quasi axiomata generalia quæ sententia quadam generali plurium legum summam paucis complectunt.

Regulæ debite applicatæ vim juris generalis habent in casibus qui non specialiter excipiuntur, juxta axioma : *Qui cum regula ambulat, tuto ambulat.* In dubio potior illius est causa, qui pro se habet regulam ; et adversarii est ostendere exceptionem.

Hic aliquid perutile habemus dicere de Regulis juris quantum ad legis : 1° interpretationem ; 2° effectus directos ; 3° actuum irritationem ; 4° dispensationes et privilegia.

1. *Circa legum interpretationem*, tres sunt præcipuæ regulæ.

Prima regula. Verborum proprietas servanda est, si nihil cogat ab ea recedere. — Proprietas verborum duplex distinguitur : *naturalis*, quæ habetur secundum acceptionem vulgarem et relative ad usus vitæ ordinarios ; et *juridica*, seu *civilis*, quæ oritur ex fictione juris ; et refertur ad effectus legis positivæ. Sic *mors* significat *naturaliter* finem vitæ ; *civiliter* incapacitatem illam ad plurimos actus, quæ oritur ex professione religiosa, pœna, etc. Ex objecto aliisve circumstantiis discernendum est utra proprietas tenenda sit : loquens censetur accommodare verba sua materiæ ; ex hac regula sequuntur corollaria sequentia :

1° Verba clara non admittunt interpretationem.

2° Verba generalia generatim et indistincte sunt intelligenda, nisi per aliud distinguatur : seu *ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Non est enim exceptio admittenda, cum *quis nihil exceperit*, et potuerit excepisse. (C. *Quia circa* 22, *De privileg.*) Dicitur *nisi distinguatur*, quia *generi per speciem derogatur.* (C. 34 *De reg. juris* in 6) Interdum ex usu et *subjecta materia* certæ conditiones in verbis subintelliguntur, et tunc valent perinde ac si expressæ forent. Sic c. *Quemadmodum* 25, *De jur.* dicitur in juramento quod præstat maritus se non dimissurum uxorem, *subintelligi conditionem : si in lege conjugii illa non peccat.* Cæterum *exceptio firmat regulam.* (C. *Dominus* 6, caus. 32, quæst. 7.) *Et quod de uno negatur, consequens intellectus patet quia de*

quibusdam concedatur. (C. *Qualis*, 4, dist. 25.)

3° Verba sunt intelligenda cum effectu (C. *Relatum* 4, *De cleric. non resident.*), ita nempe ut nullum verbum sit superfluum, sed inserviat aut tollendæ omni dubitationi, aut voluntati magis declarandæ.

Regula secunda. Interpretatio potius *menti* legislatoris quam verbis inserviat, ita scilicet ut significatio verborum impropria admittatur potius quam absurdum. (Argum. c. *Propterea* 8, *De signif. verb.* ex sancto Gregorio; etc. *Certum est* 88, *De reg. jur.* in 6.) Mens vero legis præcipue cognoscitur ex *ratione* seu *motivo* legis, ut monet c. *Intelligentia* 6, *De verb. signif: Intelligentia verborum ex causis est assumenda dicendi; quia non sermoni res, sed rei sermo est subjectus.*

Corollaria. Etiamsi casus aliqui non comprehendantur sub verbis legis, lex ad eos extendi debet, quoties non admissa ea extensione sequeretur absurditas, aut injustitia aut legis inutilitas. Talis extensio locum habet præcipue: 1° in *correlativis;* lex nempe quæ eximit virum ab obligatione reddendi debitum mulieri adulteræ, æque liberat mulierem respectu viri adulteri. 2° In *connexis*, quorum unum pendet ab alio, *Quod dicitur de uno necesse est ut de altero intelligatur.* (C. *Translato* 2, *De const.*) *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo.* (C. 39 *De reg. jur.* in 6.)

Regula tertia. Odia restringi, favores convenit ampliari. (C. 15, *De reg. jur.* in 6.)

Prænotanda. Circa notionem odiosi et favorabilis, rejiciendæ sunt ante omnia falsæ imperitorum interpretationes qui credunt illud esse *odiosum*, quod aliquid præcipit aut vetat; *favorabile*, quod permittit. Non potest dici *odiosum* pure et simpliciter illud quod propter bonum commune statuitur; e contra id omne est *sub certo respectu favorabile*, quod præstat homini auxilium ad vitandum malum, ad observandam legem naturalem: sub eo respectu præcepta confessionis annuæ et abstinentiæ sunt *favorabilia.*

Ea dicuntur *favorabilia pure et simpliciter*, quæ concedunt alicui merum beneficium, tum absque læsione aliorum, tum absque læsione juris communis. Talia reputantur ea privilegia quæ dicuntur *præter legem.*

Ea sunt *odiosa pure ac simpliciter* quæ, licet instituantur pro bono communi, tendunt directe ad quosdam gravandum. Quatuor species legum aut præceptorum tales reputantur: 1° Leges *imponentes nova onera*, præsertim non ab omnibus æqualiter portanda, puta nova tributa; 2° leges *irritantes* eos actus qui alioquin essent validi, puta lex quæ per reservationes ligat potestatem confessariorum; 3° leges quæ *pœnas* decernunt; 4° leges *exorbitantes.* Illæ dicuntur exorbitare quæ adversantur juri communi, et aliquibus ea tribuunt quæ cæteris negantur. Tales censentur *privilegia contra jus commune*, puta exemptio a jurisdictione pastorali ordinaria, et *dispensationes* quæcunque. (Arg. c. *Hac* 9, caus. 31, q. 1.; c. *Is qui*, tit. 11, *De filiis presb.* in 6.)

Circa applicationem hujus regulæ: *odia restringi;* non ita sane ipsa intelligi debet, ac si pro libitu liceat detorquere legem ad sensus alienos; manent enim regulæ priores. — Sensus ergo dictæ regulæ hic est, ut quando non per se patet sensus verborum, nec intentio legislatoris satis liquet ex motivo legis, aliisve circumstantiis, tunc lex *favorabilis* ita accipiatur ut quamplurimis personis applicetur, et tam late quam patitur contextus series, utque e contra lex odiosa sive quantum ad personas, sive quantum ad gravamina, minus late intelligatur. Exempli gratia, vox *populus* in odiosis non comprehendit *clerum.* C. *Sententia* 16, *De sent. excom.*, ait, interdicto populo, clerum non subjacere pœnæ. Vox *clerus* non comprehendit episcopos. (C. *Quia periculosum* 4, *De sent. excomm.*) Quotiescunque agitur de de novo gravamine, applicetur c. 30, *De reg. juris* in 6. « In obscuris minimum est sequendum. » In legibus quæ pœnas decernunt, tunc tantum pœna censetur incurri, quando crimen fuerit *consummatum*, in ea specie quam expressit legislator, in gradu item expresso. *Attentatio* non plectitur nisi quando exprimitur; imo si plectatur attentatio, non comprehenditur præparatio. Si lex plectat eum qui *ex temerario ausu, ex audacia, ex contemptu egerit*, peccans ex ignorantia vincibili non subjacet pœnæ. Item *quæ a jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* (C. 28, *De reg. jur.* in 6.) Ideo privilegia *contra* jus, dispensationes, exemptiones, minime abuno casu ad alium, ab una persona ad aliam sunt transferenda. *Quod alicui gratiose conce-*

ditur, non debet ab aliis in exemplum trahi. (C. 74 *De reg. jur.* in 6.)

II. *Regulæ circa effectus legis canonicæ.*— Effectus legum canonicarum possunt reduci ad tres species; *obligare* conscientiam; *irritare* quosdam actus; *pœnas decernere* in delinquentes. Additur interdum *permittere*, quod ad *privilegia* pertinet.

1° De lege in quantum *pœnas decernit*, jam plura diximus supra in tertia regula.

2° *De obligatione.* Nemo sanus dubitabit quin saltem plerumque ecclesiasticæ leges obligent conscientiam subditorum, quando prodeunt a legitimo superiore, circa materiam debitam, et quando vestiuntur formis debitis. Et de fide est; conc. Trident. sess. 7, c. 8, definit: *Si quis dixerit baptizatos liberos esse a præceptis Ecclesiæ, ita ut ea observare non teneantur, anathema sit.*

Quod si deessent evidenter allatæ conditiones, lex non obligaret, ut omnes consentiunt.

Quæritur an quibusdam specialibus legibus conscientia ligetur?

1° Leges quæ dant *merum consilium*, quæ exhortantur ad aliquid, regulariter non obligant. (Arg. c. *Quisquis* 3, caus. 14, quæst. 1.) Excipiuntur 1° consilia dicta *reverentiæ*, eo quod legislator principes vel episcopos alloquens utatur precibus, adhortatione, modo materia sit de se *necessitativa* (C. *Matthæus* 23, *De sim.*; c. *Ad aures* 7, *De ætat.*); 2° quia legis consilium nequit absque peccato contemni. (Arg. c. *Quis autem* 11, dist. 10.)

2° Leges *pœnales*, in genere eæ sunt quæ certa pœna plectunt eos qui aliquem actum commiserint aut omiserint. Differunt a legibus *moralibus*, quæ aliquem actum sic præcipiunt aut prohibent, ut *culpam* supponant a transgressoribus admitti, nullam vero *pœnam* certam decernunt, relinquentes arbitrio judicis qua ratione reus sit plectendus. Leges *pœnales*, aliæ sunt *mistæ*, quæ simul sunt morales et pœnales, obligantque sub *culpa* et *pœna*; aliæ *mere pœnales*, quæ sic pœnam decernunt ut de se non obligent sub *culpa*. Admittunt multi doctores dari posse leges ecclesiasticas quæ sub *pœna* tantum obligent, vel ex dispositione clara legis, vel ex consuetudine. (C. *Sine* 23, *De reg. juris* in 6.) *Sine sua culpa, nisi subsit causa, aliquis est puniendus.* Negant alii, inculcantes illam Augustini sententiam: *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est.* Cæterum, si statuta aliquorum ordinum excipias, de facto tales leges non admittuntur.

3° Leges *præsumptione fundatæ* eæ sunt quæ nituntur conjectura rationabili rei dubiæ. Distinguuntur leges *fundatæ præsumptione facti particularis*, et leges *fundatæ præsumptione periculi generalis.*

Leges *fundatæ præsumptione periculi generalis* obligant in conscientia, etiamsi pro casu *particulari* non reformidandum esset detrimentum. Nam bonum commune postulat ut in eo casu omnes æque obligentur; alioqui facile sibi quisque suadebit non adesse periculum.

Leges *fundatæ præsumptione facti particularis* non obligant, quando certum est factum non esse verum. Tunc valet axioma: *Præsumptio* cedit *veritati.* (Arg. c. *Inquisitioni* 44, de sent. exc.) Ibi: *Si alter conjugum pro certo habet impedimentum conjugii, quamvis apud Ecclesiam illud probare non possit, debet potius excommunicationis sententiam humiliter subire, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.*

4° Si legis, quæ sit mere ecclesiastica, observatio induceret *gravamen*, seu detrimentum notabile alicujus privati, absque compensatione boni publici, tunc non censetur adesse obligatio, estque locus epieikiæ. — Prob. c. *Quod non est* 4, *De reg. juris: Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam Sabbatum custodire præceptum est, et tamen in Sabbato sine culpa pugnabant Machabæi. Sic et hodie, si jejunium frangeret ægrotus, reus voti non haberetur.*

Dicitur *legis quæ sit mere ecclesiastica.* Si enim lex ecclesiastica esset applicatio legis naturalis aut divinæ, detrimentum quod subiret privatus minime posset ipsum absolvere a legis obligatione. Propterea si violatio præcepti directe imperaretur in contemptum auctoritatis ecclesiasticæ, non daretur locus epieikiæ. (Cap. *Sacris* 5, *De his quæ vi.*)

Dicitur *quando non adest compensatio boni publici.* Nam lex ecclesiastica potest urgeri etiam cum gravissimo periculo, si bonum publicum ita requirat. Sic episcopus potest præcipere ut residentia servetur a parocho, etiam cum metu incurrendæ contagionis.

5° Leges canonicæ censentur parere obligationem sub gravi: 1. Ex communi prudentum æstimatione ac consuetudine quæ in hac parte

est *optima legum interpres*. 2. Ex verbis et dispositionibus legis, tum quando legislator utitur verbis quæ implicite comminantur *judicium divinum, mortem æternam*, tum quando indicat se urgere præceptum *secundum totam suam potestatem vi obedientiæ sibi debitæ;* tum quando adjicit comminationem gravis pœnæ, qualis est censura ecclesiastica, excommunicatio, etc.; etiamsi per sententiam tantum incurratur hæc pœna. Pœna enim gravis supponit culpam gravem. 3. Ex ipsa materia; si nempe ipsa de sua natura, vel relative ad scopum legislatoris, sit gravis, et si aliunde legislator explicite vel saltem implicite non indicet se velle tantum sub levi obligare.

III. *De actuum irritatione per legem canonicam.*— 1° Independenter a quavis dispositione juris positivi, multi actus sunt *ipsa sua natura* nulli et irriti. Quando operans caret potestate, capacitate, habilitate, libera voluntate, etc. Aut etiam quando materia ejus auctoritati subducitur, nihil fit, juxta reg. jur. 26, in 6.

2° Lex positiva potest irritare actum duplici modo, videlicet *ipso facto*, ita ut ante sententiam judicis et ab initio actus semper effectu careat; vel *per sententiam*, ita nempe ut valeat actus, donec per judicem *rescindatur* : primæ nullitates dicuntur *pleni juris*, secundæ *rescissionis*.

Certum est legislatorem ecclesiasticum posse propter bonum commune irritare plures actus qui sua natura non sunt *irriti*, ita ut vi legis nullum effectum moralem producant isti actus. Probatur 1. Ex praxi Ecclesiæ; 2. regul. jur. 64 in 6; 3. ex eo quod societas non posset alioquin satis providere bono communi.

3° Plurimi sunt actus illiciti, seu prohibiti a lege qui tamen non sunt *ipso facto* invalidi, sed e contra valent, donec a judice irritentur, seu potius rescindantur. (C. *Cum jam dudum* 18, *De præb.*) Imo sunt nonnulli actus illiciti, qui nequidem a judice possunt irritari, seu *rescindi*, puta sacramenta, quæ si valide fuerint allata, quamvis illicite, nequeunt irritari. (C. *Ad Apostolicam* 16, *De regul.*)

4° Leges canonicæ faciunt ut actus irriti sint *ipso facto* et ante quamvis sententiam quinque modis: 1. Redditur *persona inhabilis* ad certos actus. 2. Lex attingit *substantiam*, seu *materiam* certorum actuum. 3. Præscribit *formas substantiales*. 4. Lex *in pœnam sceleris* voluit interdum ut actus, cujus occasione scelus admissum fuit, foret pleno jure irritus ab initio. 5. Lex canonica in *protectionem eorum qui vim injustam metumve passi sunt*, nec non in odium istius vis, plurimos actus in quibus vis aut metus gravis locum habuit, *de pleno jure* irritat.

5° Lex canonica obligat ad removendos obices, qui obstant ejus exsecutioni.

IV. *De privilegiis et dispensationibus.* — 1° *Privilegium* est concessio prærogativæ permanentis, alicui personæ, vel alicui dignitati, vel alicui rei, facta contra vel præter jus commune. *Privilegia sunt leges privatorum, quasi privatæ leges.* (C. *Privilegia* 3, dist. 3.) Dividuntur : 1 in *personalia* et *realia;* 2. in ea quæ sunt *præter jus*, et *contra jus;* 3. in *temporaria* et *perpetua;* 4. in ea *quæ non sunt jure publico inserta*, et in ea quæ sunt *clausa in corpore juris*, eo quod inter leges canonicas expresse referantur. Triplici via privilegia obtinentur, nempe per communicationem unius ordinis regularis alteri; per consuetudinem (arg. c. *Conquestus* 8, c. 9, quæst. 3), per concessionem legislatoris sufficientem auctoritatem habentis.

2° *Dispensatio* est provida juris communis relaxatio in aliquo casu vel ad aliquem effectum specialem. Supponit dispensatio legem se extendere ad casum de quo dispensatur, et differt ab *epieikia* quæ supponit casum aliquem non comprehendi in lege; et ab *abrogatione* quæ tollit jus commune. Differt etiam a simplici *licentia*, quæ versatur circa res quæ non sunt simpliciter prohibitæ, sed quæ prohibentur fieri absque licentia superioris. Simplex licentia nihil habet odiosi; e contra odiosa est dispensatio. Dicitur *provida*, quia nempe supponitur data de justa causa; aliter non esset nisi dissipatio. Differt a *privilegio*, quod permanenter aliquem eximit; et a *commutatione*, quæ est substitutio unius obligationis obligationi diversæ.

3° Manifestum est eos solos posse dispensationem accipere erga quos exerceri potest auctoritas ecclesiastica, et jurisdictio dispensantis.

Is qui habet potestatem ordinariam dispensandi, sibimet ipsi potest dispensationem concedere : 1. In dispensationibus *generalibus* quæ censentur concessæ omnibus sub-

ditis, puta ad vescendum certis cibis. 2° Circa dispensationes *privatas*, omnes agnoscunt eos prælatos qui jurisdictionem *ordinariam* habent, posse quidem committere confessario suo ut cum ipsis dispensent in iis omnibus in quibus possunt ipsimet cum subditis dispensare. Non enim debent esse deterioris conditionis quam subditi. Ideo a sacra congregatione concil. Trident. responsum fuit episcopum qui incidisset in casus illos occultos et irregularitates, quibus applicatur decretum capitis 6, sess. 24, posse a proprio confessore recipere absolutionem aut dispensationem. (Suarez, *De censuris*, dist. 41.)

Sed 1° non omnes æque conveniunt quod iidem prælati, jurisdictionem ordinariam habentes, possint cum semetipsis directe et immediate dispensare, in præceptis Ecclesiæ, in irregularitatibus, etc., et a fortiori in votis, etiam quando possint alios dispensare et absolvere. Negaverunt quidam veteres, et etiam Collet (*Des dispenses*, n. 57) ; nec dissimulandum est tutiorem esse hanc sententiam. Affirmant e contra, et quidem probabilius, alii.

2° Nec omnes consentiunt utrum is qui potestatem dispensandi *delegatam* tantummodo exercet secum valeat dispensare. Affirmant alii, saltem quando potestas dispensandi delegata est generalis, v. gr. pro tota diœcesi. Alii negant generatim id posse delegatum, quia non ea est concedentis intentio.

Non requiritur ut dispensatio fuerit postulata ab eo qui dispensatur, et sufficit quod eo inscio fuerit petita. Colligitur ex c. *Si motu* 23, *De præb.* in 6. Sed dicunt communius theologi dispensationem *ordinarie* non prodesse, nisi innotescat dispensato, et ab eo acceptetur. Supponitur in jure c. *Si tibi absenti*, *De præb.* in 6.

Dicitur *ordinarie*, quia excipiendæ sunt : *primo* dispensationes circa illa impedimenta matrimonii quæ afficiunt utrumque contrahentem, et in quibus dicunt theologi satis esse quod dispensatio ab uno cognoscatur et acceptetur. Excipiendæ sunt *secundo*, dispensationes illæ quæ dicuntur *a radice*, et quæ interdum insciis partibus effectum producunt.

3° Ut dispensatio sit *licita* et aliquando *valida*, requiritur ordinarie causa proportionata ; et proinde plus minusve graviter peccant qui absque causa concedunt dispensationem, aut ea utuntur.

Semper agnitum fuit illud principium, requiri causam *proportionatam* gravitati legis. « Unanimis consonantia est canonum, conciliorum et interpretum, ut necessitatis vel utilitatis causa in dispensationibus debeat esse *magna*, *major*, *maxima*, *justa*, *evidens*, *urgens* ; quibus tanquam synonymis canones promiscue utuntur. » Fagnan., c. *Nimis*, *De fil. presbyt.*) Et concil. Trident. sess. 25, c. 18, ibi : *Sicut expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius evenientibus casibus et necessitatibus pro communi utilitate satisfiat, sic frequentius legem solvere, exemploque potius quam certo personarum rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud est quam unicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant universi sacratissimos canones exacte ab omnibus, et quoad ejus fieri poterit, indistincte observandos. Quod si urgens justaque ratio, et major quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandum esse ; id causa cognita, atque gratis a quibuscunque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum ; aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.* — Et Benedict. XIV, const. *Ad apostolica*, ait : *Expressio causarum, earumque verificatio ad substantiam dispensationis pertinent, illisque deficientibus, gratia nulla ac irrita est, nullamque executionem meretur.*

Quod si bona fide allegaretur causa quæ reputaretur vera ab oratoribus et a dispensante, sed quæ tamen falsa esset, communior sententia est valere talem dispensationem, quia recta gubernatio postulat ut talis causa sufficiat : alioqui daretur locus anxietatibus infinitis, etiam circa valorem matrimoniorum. (Sanchez, *De matrim.* lib. VII, dist. 17, et alii.)

Vulgo assignant tres causas dispensationum legitimas : necessitatem *urgentem*, utilitatem *communem*, et utilitatem *privatam*, quæ talis sit ut in *communem* redundet. (Ex *Concil. Trid.* supra cit.)

Propter duas priores causas tenetur dispensationem concedere superior. Sic intelligitur celebris canon *Ut constitueretur* 25, dist. 50. Ob damnum notabile et probabile *privati*, admittunt etiam multi dispensationem esse debitam. (Ex can. *Domino* 28, dist. 50.) Si vero non timeatur privati damnum notabile, non tenetur superior dispensare. Communis

Causæ dispensationis debent esse veræ tempore *postulationis*, *concessionis* et *executionis*; in quibus aliquas distinctiones utiles faciunt moralistæ et canonistæ. Hæc tamen sufficiant prænotationes, quas in suis locis explicabimus. Vide etiam quæ de rescriptis dicta sunt pag. 69 *et seqq.*, part. I.

Opportunum ducimus hic adjungere integrum titulum de *regulis juris*.

Decret. Greg. lib. V tit. XL *De regulis juris*.

Cap. I. *Non potest brevius sommari.* Joan. Chrysostomus : « Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur. »

Cap. II. *Dubia in meliorem partem interpretari debent.* — Beda in *Homiliis* : « *Estote misericordes*, etc. Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta, quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim scriptum est, *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, de manifestis dictum est, quæ non possunt bono animo fieri : ut stuprum, blasphemiæ, furta, ebrietas, et similia : de quibus nobis permittitur judicare. »

Cap. III. *Propter scandalum evitandum veritas non est omittenda.* — Idem : « *Qui scandalizaverit*, etc. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur. »

Cap. IV. *Propter necessitatem illicitum efficitur licitum.* — Idem *Super Marc.* : « Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam et Sabbatum custodiri præceptum est ; Machabæi tamen sine culpa in Sabbato pugnabant : sic et hodie, si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur. »

Cap. V. *Illicite factum, obligationem inducit.* — Gregorius VII : « Quod latenter, aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere. »

Cap. VI. *Tormenta indiciis non præcedentibus inferenda non sunt.* — Idem : « Cum in contemplatione, » etc. *Et infra* : « In ipso causæ initio non est a quæstionibus inchoandum. »

Cap. VII. *Sacrilegus est, offendens rem vel personam ecclesiasticam.* — Stephanus Papa : « Quæ multoties, » etc. *Et infra* : « Quidquid in sacratis Deo rebus, et episcopis injuste agitur, pro sacrilegio reputatur : quia sacra sunt, et a quoquam violari non debent. »

Cap. VIII. *Qui facit aliter quam debet, facere non dicitur.* — Sanctus Augustinus : « Qui ex timore facit præceptum, aliter quam debeat facit, et ideo jam non facit. »

Cap. IX. *Committens unum peccatum, reus est omnium, quoad vitam æternam.* — Idem, in libro *De pœnitentia* : « Defleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus. »

Cap. X. *Ignorantia non excusat prælatum in peccatis subditorum.* Hoc dicitur quoad mysticum et moralem intellectum. — Gregorius in *Registro* : « Quamvis causæ, etc. » *Et infra* : « Non *enim* potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit. »

Cap. XI. *Pro spiritualibus homagium non præstatur.* — Lucius III : « Indignum est et a Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur. »

Sexti *Decret.* Lib. V, tit. XII *De regulis juris*.

(Bonifacius VIII, an. 1298, Romæ.)

Regula 1. Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri.

2. Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.

3. Sine possessione præscriptio non procedit.

4. Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

5. Peccati venia non datur nisi correcto.

6. Nemo potest ad impossibile obligari.

7. Privilegium personale personam sequitur et exstinguitur cum persona.

8. Semel malus præsumitur semper esse malus.

9. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

10. *Ratihabitionem* retrotrahi, et mandato non est dubium comparari.

11. Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori.

12. In judiciis non est acceptio personarum habenda.

13. Ignorantia facti, non juris excusat.

14. Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.

15. Odia restringi, et favores convenit ampliari.

16. Decet concessum a principe beneficium esse mansurum.

17. Indultum a jure beneficium non est alicui auferendum.

18. Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.

19. Non est sine culpa qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.

20. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

21. Quod semel placuit amplius displicere non potest.

22. Non debet aliquis alterius odio prægravari.

23. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.

24. Quod quis mandato facit judicis, dolo facere non videtur; cum habeat parere necesse.

25. Mora sua cuilibet est nociva.

26. Ea quæ fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.

27. Scienti et non consentienti non fit injuria, neque dolus.

28. Quæ a jure communi exorbitant nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.

29. Quod omnes tangit debet ab omnibus approbari.

30. In obscuris minimum est sequendum.

31. Eum qui certus est certiorari ulterius non oportet.

32. Non licet actori quod reo licitum non exsistit.

33. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.

34. Generi per speciem derogatur.

35. Plus semper in se continet quod est minus.

36. Pro possessore habetur qui dolo desiit possidere.

37. Utile non debet per inutile vitiari.

38. Ex eo non debet quis fructum consequi quod nisus exstitit impugnare.

39. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quæ sequuntur ex illo.

40. Pluralis locutio duorum numero est contenta.

41. Imputari non debet ei per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum.

42. Accessorium naturam sequi congruit principalis.

43. Qui tacet consentire videtur.

44. Is qui tacet non fatetur; sed nec utique negare videtur.

45. Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

46. Is qui in jus succedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.

47. Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.

48. Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.

49. In pœnis benignior est interpretatio facienda.

50. Actus legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.

51. Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum.

52. Non præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum

53. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.

54. Qui prior est tempore potior est jure.

55. Qui sentit onus sentire debet commodum; et e contra.

56. In re communi potior est conditio prohibentis.

57. Contra eum qui legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda.

58. Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.

59. Dolo facit qui petit quod restituere oportet eumdem.

60. Non est in mora qui potest exceptione legitima se tueri.

61. Quod ob gratiam alicujus conceditur non est ejus dispendium retorquendum.

62. Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.

63. Exceptionem objiciens non videtur de intentione adversarii confiteri.

64. Quæ contra jus fiunt debent utique pro infectis haberi.

65. In pari delicto vel causa, potior est conditio possidentis.

66. Cum non stat per eum ad quem pertinet quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset.

67. Quod alicui suo non licet nomine, nec alieno licebit.

68. Potest quis per alium quod potest facere per seipsum.

69. In malis promissis fidem non expedit observari.

70. In alternativis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.

71. Qui ad agendum admittitur est ad excipiendum multo magis admittendus.

72. Qui facit per alium est perinde ac si faciat per seipsum.

73. Factum legitime retractari non debet,

licet casus postea eveniat a quo non potuit inchoari.

74. Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum.

75. Frustra sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem a se præstitam servare recusat.

76. Delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare.

77. Rationi congruit, ut succedat in onere qui substituitur in honore.

78. In argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa.

79. Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.

80. In toto partem non est dubium contineri.

81 In generali concessione non veniunt ea quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.

82. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.

83. Bona fides non patitur ut semel exactum iterum exigatur.

84. Cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti.

85. Contractus ex conventione legem accipere dignoscuntur.

86. Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare.

87. Infamibus portæ non pateant dignitatum.

88. Certum est, quod is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis nititur voluntatem.

Datæ Romæ apud S. Petrum quinto Nonas Martii, Pontificatus nostri anno quarto, 1298.

PARS TERTIA.

DE PERSONIS.

LIBER II. — DE PAPA ET CURIA ROMANA.

CAPUT PRIMUM.

De monarchia Ecclesiæ.

In præcedenti libro partis II demonstravimus : 1° *de fide* esse quod *forma jurisdictionis*, seu *imperii ecclesiastici, est jure divino monarchica*, et quod *papa est monarcha Ecclesiæ;* 2° Primatum a Christo institutum esse, ut catholicæ Ecclesiæ unitas formaretur, sartaque tecta custodiretur : nunc aliquid de nexu primatus cum Romana sede addere habemus.

De nexu primatus seu monarchiæ cum Romana sede.

Quanquam catholicis omnibus certum exploratumque sit Romanos pontifices divino jure in primatum sancti Petri succedere, quia Christus primatum ipsum perpetuo in successoribus Petri permansurum instituit, quæstio tamen est : Quonam jure, divinone an humano, supremus pontificatus Romanæ sedi adnexus sit, et idcirco an prærogativa primatus ipsius a Romana sede evelli, et in aliam sedem transferri possit? Putant aliqui..... in Petri potestate fuisse quam mallet sedem eligere, et ideo Petri voluntate factum esse ut Romæ potius quam alio loco suam sedem ad mortem usque collocaverit. Quemadmodum ergo (sic enim argumentantur) ex facto Petri, quod humanum est, primatus universæ Ecclesiæ in Romana sede relictus fuit, sic poterit ex dispensatione humana, nempe Ecclesiæ, iterum ab ea sede separari.

Aliqui contra affirmant, Romanam sedem electam et successoribus Petri constitutam fuisse non ex unius Petri, sed etiam ipsius Christi voluntate; ex quo consequitur, primatum eidem sedi divino jure ita adnexum esse, ut nulla auctoritate humana possit ab eadem separari. Ad hanc tuendam sententiam mirifice faciunt illa SS. Patrum et conciliorum dicta, in quibus de sede Romana, adeo præclara prædicantur, ut semper eam asserant ab ipso Salvatore nostro primatum obtinuisse, necnon disponente Domino Ecclesiarum omnium matrem et magistram exstare. Quis enim ignorat celebre illud

Gelasii dictum in concilio Romano : *Sancta Romana Ecclesia nullis synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri primatum obtinuit.* Et ante Gelasium sanctus Leo, epist. 120, ad Theodoretum scripserat de sede Romana his verbis : *Cæteris Dominus statuit præsidere.* Ac denique, ut cætera omittam, in concilio Lateranensi IV sedes Romana prænuntiatur unam eam esse, *quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra.* (Sogelia, *Inst. jur. publ.* lib. II, cap. 1, § 16.)

Petrus universalis Ecclesiæ pastor a Christo Domino renuntiatus potuisset utique, ea suprema totius Ecclesiæ præfectúra retenta, nullius particularis Ecclesiæ regimen capessere, sicuti reipsa nullius specialem administrationem suscepit primis aliquot a Christi Domini in cœlum ascensione annis; potuisset Antiochenam Ecclesiam, quam deinde elegit, pluresque annos episcopus gubernavit, perpetuo retinere : potuisset denique Ecclesiam Romanam, ad quam postmodum suam transtulit sedem, relinquere, alio se conferre, et alterius urbis peculiarem curam seu episcopatum assumere. At cum hæc, quæ fieri potuerunt, minime facta sint, sed Petrus suam sedem Romæ fixerit, per annos viginti quinque firmiter retinuerit, et in ea martyrio coronatus gloriose obierit, sive id evenerit ex divino præcepto, seu expressa revelatione ipsi Petro specialiter a Deo facta, sive ex sola voluntate Petri, licet divinitus inspirata : inde factum est ut supremi pontificatus prærogativa ita insita remanserit Romanæ sedi, ut qui in hac Petro succedit, necessario succedat in totius Ecclesiæ primatu Petro ejusque legitimis successoribus a Christo collato, quemadmodum bene explicant cardinalis Bellarminus, *Controvers.* tom. I, *De Romano pontifice*, l. II, cap. 12; Suarez, in *Defensione fidei adv. Anglicanæ sectæ error.*, lib. I, cap. 5, num. 4 et lib. III, cap. 13, num. 12; Petrus de Marca, in dissert. 1 *De singulari primatu Petri*, n. 20; Marcus Antonius Capellus, in disput. 2 *De successione episcopi Romani in pontificat.*, cap. 1. Quamvis itaque possit in aliquo sensu dici supremam Ecclesiæ monarchiam, jure tantum humano, esse annexam sedi Romanæ, quia nimirum utriusque unionis nexus, et alligatio ortum habuit ex facto Petri; attamen non videtur posse sustineri illorum opinio, qui asseruerunt, præfatam annexionem ita esse de jure humano, ut possit ab Ecclesia dissolvi, et una ab altera separari; etenim posito quod Petrus suam sedem stabiliter Romæ collocaverit, et Romanam regens Ecclesiam obierit, nullus, qui episcopus Romanus non sit, potest dici verus Petri successor ac propterea nunquam ad eum referri possunt verba Christi Domini : *Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17); quibus universalis Ecclesiæ curam Petro, ejusque successoribus commisit. Quare jure ac merito ejusmodi paucorum opinionem refellunt et censura perstringunt Melchior Canus, *De locis theologicis*, lib. VI, cap. 4; Gregorius de Valentia, in *Analysi fidei catholicæ*, lib. VI, cap. 12; aliique non pauci theologi. (Benedict. XIV, *De synodo*, lib. II, cap. 1.)

« In aliis Ecclesiis, ad quas forte transferretur primatus, deficeret apostolicitas, id est, non foret apostolica; tum quia ab apostolis neque fundata, neque a Petro immediate gubernata fuisset, sicque regrediendo a sæculo ad sæculum, usque ad Petrum perveniri non posset, in quo tamen præcipuum argumentum contra hæreticos posuerunt SS. Patres Irenæus, Cyprianus, Augustinus, traditionem apostolicæ doctrinæ per continuam seriem Romanorum pontificum demonstrantes, dum aliæ Ecclesiæ vel incertam, vel saltem non apostolicam habebant originem..... Talis translatio foret causa schismatum, et fomes litium nunquam finiendarum. » (Auctor *Febronii abbreviati cum notis*, tom. I, § 3.)

CAPUT II.

De prærogativis essentialibus monarchiæ Ecclesiæ.

§ I. — Romanus pontifex summum habet in universam Ecclesiam potestatis principatum.

PROPOSITIO.

Papa est monarcha et pastor ordinarius et immediatus totius Ecclesiæ, omnium et singulorum fidelium, etiam episcoporum. (De fide.)

« Eminentem primatus dignitatem nonnulli scriptores imminuere, et propemodum destruere conati sunt, ex cogitata distinctione *mediatæ* et *immediatæ* potestatis : si quidem tradiderunt, potestatem primatus non esse *immediatam* seu ordinariam, ita ut ad Romanum pontificem, tanquam ordinarium pastorem, cura et regimen singularium

ovium pertineat ; sed potestatem eam tantummodo *mediatam* seu *extraordinariam* esse, quatenus tota vis primatus posita est *in supplenda aliorum negligentia*, et aliud nihil potest in aliena diœcesi, nisi *extraordinario casu*, ubi salus et unitas Ecclesiæ periclitetur. » (Soglia *Inst. jur. publ.* lib. II, cap. 1, § 17.) Quæ quidem opinio contraria est fidei doctrinæ.

Probatur 1° Scriptura. Etenim « ab ipso Christo totus grex, hoc est fideles omnes et episcopi, Petro immediate traditi sunt illis verbis Joan. XXI, 15-17 : *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* » (Id. *ibid.*) — Matth. XVI, 19 : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlo...*

Probatur 2° ex sanctis Patribus, « qui Romanum pontificem certatim appellant *pastorem pastorum, episcopum episcoporum, episcopum universalem.* » (Id., *ibid.*)

Probatur 3° ex doctrina catholica de Romani pontificis primatu. Facultas theologica Parisiensis anno 1683 : « Antiquæ suæ in sedem apostolicam reverentiæ esse duxit hic breviter de ea præfari, diserteque repetere, quod olim non semel professa est, Romanum episcopum esse jure divino summum in Ecclesia pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur, et qui immediate a Christo non honoris tantum, sed potestatis et jurisdictionis primatum habeat in tota Ecclesia. » Idque debent Catholici omnes profiteri. Jam vero, « si Romanus episcopus est divino jure summus in Ecclesia pontifex, si immediate a Christo primatum potestatis et jurisdictionis in tota Ecclesia habuit, si omnes Christiani eidem parere tenentur, manifeste falsa, atque etiam catholicæ doctrinæ adversa eorum opinio est, qui docent pontificem nihil in Ecclesia posse, præterquam in casibus extraordinariis ad supplendam aliorum negligentiam. »

Et Natalis Alexander, dissert. 4, in *sæculum* I, schol. 3 : « Romanus pontifex summam habet, eamque ordinariam, in Ecclesia universa potestatem et auctoritatem ; quam non extraordinariis duntaxat casibus, sed semper exercere potest, et in fideles universos, et in ipsos Ecclesiæ totius episcopos, quia pastorum omnium *unus* est pastor. »

« Papa est ordinarius singulorum et universalis Ecclesiæ episcopus, ut est definitum a Pelagio II, in constitutione, quæ incipit, *Manifesto*, in *Bullar.* t. I, p. 7. » (Fagnan. in lib. IV *Decret.*, c. *De illis*, n. 44.)

Probatur 4° ex canonibus et conciliis : cap. 15 *Facta subditorum ;* cap. 17 *Cuncta per mundum*, c. 18 ; cap. 19 *Fratres ;* cap. 20 *Nunc vero ;* cap. 21 *Per principalem*, causa 9, quæst. 3 ; cap. 6 *Quodcunque ligaveris*, causa 24, quæst. 1 ; et multa alia cap. Concil. Lateran. IV : *Romana Ecclesia, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum.* Concil. Florentin. in præcedenti capite citat., et dogmatica extravagant. comm. *Unam sanctam.* Æque in præcedenti cap. citat. ; ex quibus sic loquitur Ferraris :

« Papa tantæ est dignitatis et celsitudinis, ut non sit simplex homo, sed quasi Deus et vicarius Dei, c. *Ita Dominus* 7, dist. 19, ibi : Hunc enim in consortium individuæ unitatis assumptum, id, quod ipse erat Dominus, voluit nominari, dicendo : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* (*Matth.* XVI, 16) ; et ibi explicat *Glossa :* id, quod ipse erat, scilicet petra, voluit eum vocari Petrum... Unde papa adeo summæ et supremæ dignitatis est, ut proprie loquendo non sit in dignitate constitutus, sed potius in ipso culmine dignitatum positus. Hinc papa idem est ac pater patrum... et merito solus papa appellatur nomine *Sanctissimi*, quia solus ipse est vicarius Christi, qui est fons et origo atque plenitudo omnis sanctitatis. Papa præ excellentia suæ supremæ dignitatis vocatur *episcopus episcoporum.* Item appellatur *ordinarius ordinariorum, episcopus* seu *diœcesanus totius orbis, divinus monarcha* ac *imperator supremus*, et *rex regum.* » (Ferraris, verb. *Papa*, art. 7, n. 1 ad 12.)

« Imo Romani pontificis excellentia et potestas, nedum est circa cœlestia, terrestria et infernalia, sed etiam super angelos, quorum ipse major est ; ita ut, si foret possibile quod angeli errarent in fide, vel contra fidem sentirent, per papam judicari, et excommunicari possent. Hinc in materiis fidei, ad eum tanquam ad solem intendere debemus.

« Tantæ enim est dignitatis et potestatis, ut faciat unum et idem tribunal cum Christo, ut per textum in cap. *Quanto. De translatione episcopi*, tenent passim doctores. Adeo ut quidquid facit papa, ab ore Dei videatur

procedere, ut post plurimos doctores, ratiocinatur Rota...

« Deveniendo igitur ad papæ auctoritatem : Papa est quasi Deus in terra, unicus Christi fidelium princeps, regum omnium rex maximus, plenitudinem potestatis continens, cui terreni simul ac cœlestis imperii gubernanda ab omnipotenti Deo credita sunt, prout habetur in cap. *Omnes* 1, dist. 22, ibi : *Qui* (scilicet Christus) *æternæ vitæ clavigero terreni simul, et cœlestis imperii jura commisit ;* et in extravagant. Joannis XXII, cap. *Si fratrum* unic. *Ne sede vacante, aliquid innovetur ;* et in alia celebri extravagant. Bonifacii VIII cap. *Unam sanctam, De majorit. et obedient.* inter communes.

« Unde ad hanc mirabilem auctoritatem, seu potestatem summi pontificis reflectendo, sanctus Cyrillus Alexandrinus in libro *Thesaurorum* admirabundus sic altissime de eo loquitur : Filius Dei, quemadmodum ipse a Patre accepit Ecclesiæ, et gentium sceptrum et potestatem super omnem principatum, et super omne quodcunque est, ut ei genua cuncta curventur, ita eamdem amplissimam potestatem Petro et ejus successoribus plenissime commisit.

« Hinc jam communis docet opinio, quod papa utriusque gladii habeat potestatem, spiritualem scilicet et temporalem, quam jurisdictionem et potestatem Christus ipse commisit Petro, et ejusdem successoribus, Matth. XVI, 19 : *Tibi dabo claves ;... quodcunque ligaveris...*

« Unde principes et reges infideles possunt per sententiam papæ privari in certis casibus dominio quod habent super fideles, ut si terras Christianorum vi occupaverint, vel subditos fideles a fide avertere satagant, et hujusmodi, ut satis aperte demonstrant card. Bellarm., Suarez, Barbosa... etc..... Et inde papa provincias, quæ olim Christianorum erant, ab infidelibus occupatas olim ex principibus Christianis emendas concedit.

« Imo papa in casibus, quibus propter hæresim regis videat periclitari religionem illius regni fidemque aliorum, nec aliter tanto damno succurri possit, tunc potest non solum a rege regnum, sed etiam ab ejus successoribus in totum auferre, et principi Christiano, suisque successoribus, si illud rebellaverit, concedere.

« Unde nil mirum, si Romano pontifici, tanquam vicario ejus, cujus est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui habitant in eo (*Psal.*, XXIII, 1 etc.), non solum spirituali, sed etiam gladio materiali evaginato, attributa sit, justa suadente causa, plenissima auctoritas atque potestas transferendi imperia, sceptra frangendi, coronas auferendi...

« Papa tantæ est auctoritatis et potestatis, ut possit quoque leges divinas modificare, declarare, vel interpretari. (Adnotat. ad decis. 2, part. III. Rota recentior, § 4.) Quod ipse Deus Dominus, et Redemptor dicitur facere, quod facit ejus vicarius ; dummodo non faciat contra fidem. (Ferraris, verbo. *Papa*, n. 14 ad 32.)

Et tandem Thomassinus ex Patrum et theologorum doctrina concludens sic totam thesim paucis verbis resumit : *Tous ces théologiens considéraient avec les yeux d'une foi éclairée le Fils de Dieu même comme le chef invisible résidant très-singulièrement dans le chef visible de son Eglise et déployant successivement dans la révélation des siècles les pouvoirs célestes de son sacerdoce à mesure que, suivant sa divine sagesse et son incompréhensible charité, il le jugeait avantageux à la formation, au progrès et à la consommation de son corps mystique.* (Thomassin, *Discipl. eccles.* édit. Migne, au mot *Pape*, col. 398, tom. II.)

§ II. — De legislativa papæ potestate.

Ex hucusque demonstratis sequitur, ad papam pertinere immediate causas fidei et disciplinæ universalis tractare, de iisdem definitiones et leges ferre, quibus, si velit, per se et antecedenter ad acceptationem obligentur omnes Ecclesiæ, pœnas ecclesiasticas contra violatores decernere, ac tandem aliis, ubi se dederit justa occasio, dispensare. — Singula hujus propositionis sunt de fide aut fidei proxima, ex canonibus et conciliis, et præsertim Lugdunensi II, et Florentino, supra relatis ; et cap. 18 *Si quis dogmata*, causa 25, quæst. 2, ubi Nicolaus papa, universali synodo præsidens, dixit in concilio Romano, c. ult. : *Si quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta pro catholica fidei disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum, a sedis apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.* Et distinct. 19 per totum ; quod

sic Dionysius in cap. 2 ejusdem distinctionis, legat Leo papa omnibus episcopis ait : *Sic omnes Apostolicæ sedis sanctiones accipiendæ sunt ac quam ipsius divini Petri voce firmatæ sint.*

1° Quoad causas fidei et disciplinæ, multi sacræ Scripturæ textus faciunt, et præsertim verba sancti Petri in concilio Hierosolymitano, Act. XV, 7 : *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes et credere.* Non dixit per os meum audire, et Ecclesiæ vel apostolorum consensum exspectare, sed *audire et credere :* et decrevit Petrus, et ejusdem cap. v. 12 : *Tacuit autem omnis multitudo.*

2° Ad fidei causas pertinet jus pravorum librorum lectionis interdicendæ: si Ecclesia catholica, sicut omnes societates, libros religioni ac moribus noxios perpetuo non notaret, eorumque lectionem non interdiceret, depositum fidei et animarum salus in discrimen adduceretur. Ita vero factum esse legimus in Act. apost. XIX, 19, cum Paulus venisset Ephesum, et divinum verbum annuntiaret, *Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus.* Hic autem non commemorabimus judicia, quibus Ecclesia in conciliis generalibus nullo non tempore pravos libros damnavit, eosque legi et retineri vetuit. Quæ quidem judicia, quoniam ad fidem et mores pertinent, sunt omnis erroris expertia. Episcopi etiam, sive seorsum, sive in conciliis provincialibus congregati, libros damnare, eorumque lectionem interdicere consueverunt, qua in re potuerunt errori obnoxii esse; et præterea eorum jurisdictio terminis diœcesium vel provinciarum circumscribebatur. (Soglia, *Inst. jur. publ.* lib. II, cap. 1, § 21.) Concil. Trident. sess. 25. *De indice librorum*, etc., cap. *Sacrosancta*, synodus... de variis censuris, ac libris, vel suspectis, vel perniciosis..... præcipit, ut quidquid ab aliis præstitum est, sanctissimo Romano pontifici exhibeatur, ut ejus judicio atque auctoritate terminetur, et evulgetur.

3° Quoad pœnas contra legis pontificiæ violatores, ad supremum principatum pertinet jus tuendi sacros canones, et curandi ut leges ecclesiasticæ ab omnibus observentur. « Huic juri cohæret jus animadvertendi in eos, qui contra fecerunt. Sunt enim Romani pontifices non modo sacrorum canonum custodes, sed etiam vindices. Quid nimirum ea cura prodesset sine vi ad coercendum idonea? Quapropter Cœlestinus I, in Epist. ad episcopos per Apuliam et Calabriam : « Quisquis, inquit, conatus fuerit tentare prohibita, sentiat censuram apostolicæ sedis minime defuturam. Quæ enim sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus. » Et Leo Magnus in epistola ad episcopos per Campaniam, Picenum, et Tusciam Hæc habet : « Omnia decretalia constituta tam beatæ memoriæ Innocentii, quam omnium decessorum nostrorum, quæ de ecclesiasticis ordinibus, et canonum promulgata sunt disciplinis, ita a vestra dilectione custodiri debere mandamus, ut si quis in illa commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. (Apud Soglia, t. I, lib. II, cap. 1, § 23.) » Et cap. 5 *Nulli fas est*, dist. 19, Gregorius IV; et cap. 3 *In memoriam* ejusdem dist. Quod etiam probatur historia, traditione et praxi universæ Ecclesiæ.

4° De jure dispensandi super generalibus Ecclesiæ legibus. « Generalis regula est, legis vinculum relaxari posse auctoritate eorum, qui aut legem condiderunt, aut parem cum iis potestatem tenent, ex notissimo juris axiomate, « cujus est legem condere, ejus etiam est illius obligationem remittere. » Itaque pontifex super omnibus ecclesiasticis legibus, et canonibus quoque conciliorum generalium ad disciplinam pertinentibus, dispensandi potestate potitur, utpote qui omnem jurisdictionem ecclesiasticam, seu plenitudinem potestatis ab ipso Christo accepit. » (Soglia, t. I, lib. II, cap. 1, § 24.) Concilia œcumenica dispensationes a summo pontifice rogaverunt. Ipsum Basileense concilium hæc habet in Epist. synodica : *Per concilium autem statuta in nullo derogant potestati summi pontificis, quin pro tempore, loco, causisque, et personis, utilitate vel necessitate suadente, moderari dispensareque possit.*

§ III. — De infallibilitate papæ.

PROPOSITIO.

Papa est certa et infallibilis regula veritatis, fidei et morum, et supremus judex controversiarum fidei, ita ut in his publico judicio definiendis errare

non possit, et decreta ejusdem de moribus et universali disciplina nulli errori obnoxia esse possint, et quidem independenter a concilio. (Proxima fidei.)

Ita cum sancto Thoma, 2-2, quæst. 1, art. 10, magno consensu doctores catholici; et probatur :

1° *Scriptura.* Luc. XXII, 32 : *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua;* quibus verbis infallibilitatem Petro, et successoribus ejus promissam sex Romani pontifices et Patres plurimi tradiderunt, ut videre est apud Bellarm. *Sum. pont.* cap. 3. — Matth. XVI, 18 : *Tu es Petrus... et portæ inferi non prævalebunt.* — Joan. XXI, 17 : *Pasce agnos meos..... pasce oves meas.* — Act. apost. XV, 7 seqq. : *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum* (sine apostolis, nec concilio) *audire gentes, et credere.*

2° Ex traditione et sanctis Patribus, quos legere est apud theologos, hanc veritatem ex professo propugnantes.

3° Ex multis canonibus et conciliis, et præsertim concilio Lugdunensi II œcumenico, quod definit : *Si quæ de fide fuerint subortæ quæstiones, suo* (papæ) *debent judicio definiri.* Et ex concilio Florentino jam citato.

4° Ex ratione, quia dum summus pontifex fidelibus veritatem aliquam credendam, regulam morum aut disciplinæ tenendam proponit, isti tenentur consentire, et proposito dogmati assensum præbere; non autem obligari ad hoc posset Ecclesia, si pontifex in dogmate fidei et regula morum et disciplinæ definiendis errare posset : sic enim etiam ipsa errare posset, assentiendo dogmati proposito, quod forte est falsum.

Ad solum papam spectat concilia generalia cogere, moderari, dimittere et confirmare, quod unanimi conciliorum et sæculorum consensu admittitur. Omniaque concilia nullam sibi auctoritatem tribuerunt absque pontificis confirmatione, quam semper expostulaverunt. Ergo ipsamet œcumenica concilia suam a pontifice infallibilitatem tenere agnoverunt.

5° De facto, per decretum dogmatis fidei B. M. V. Immaculatæ Conceptionis a solo pontifice feliciter regnante Pio IX latum, et ab omni Ecclesia exsultanti cum gratitudine veneratum.

Notandum est quod infallibilitas papæ est infallibilitas Christi ipsius, qui cum papa et per papam regit, gubernat et pascit Ecclesiam suam, secundum divinam ipsius promissionem et institutionem.

Ergo papa est certa et infallibilis regula, etc. (*Vid.* l. I, cap. IV, pag. 188, propositio I).

Unde concludendum est cum Fagnano : Papæ sententia prævalet discrepantibus sententiis inter papam et concilium. (FAGNAN., in part. II, lib. III *Decret. de capel. monach.* cap. *Ex parte*, n. 12.) Quia pontifex jurisdictionis et potestatis plenitudinem obtinet tam super omnem Ecclesiam, quam super omnes episcopos, sive collegialiter sumptos, sive uti singulos. Papa igitur est supra concilium et de principiis juris naturalis et divini standum est sententiæ papæ si contradicat Ecclesiæ vel concilio, etiam in materia dogmatum; nam prævalet sententiæ totius mundi. (ID. in part. II, lib. I *Decret. de elect.* cap. 1 *Significasti*, n. 9 ad 80, ubi superabundantius hæc thesis demonstratur.) Propterea, in concilio potest constitutiones facere etiam sine concilio, etiam in materia dogmatum. (ID. *De pactis*, c. *Antigonus*, n. 53, 54.) Potest papa fidei symbolum ordinare etiam sine concilio. (ID. in part. I, lib I *Decret.*, cap. *Firmiter*, n. 38.) Ideoque etiam sponte non potest papa se subjicere concilio, et solius papæ auctoritas in omnibus conciliis censetur excepta. (ID. part. II, lib. I *Decret.*, *de elect.*, c. *Significasti; Concilium Trident.* sess. 25, *De reform.* cap. 21.)

§ IV. — De inspectiva et judiciaria potestate pontificis.

PROPOSITIO.

De suæ potestatis plenitudine libere va et papa legatos seu nuntios tum ordinarios et stabiles, tum extraordinarios ad omnes orbis Ecclesias aut principes Christianos dirigere, inde relationes exigere, causas graviores ad se evocare, appellationesque ex universo orbe Christiano suscipere. (Proxima fidei.)

1° Ratio patet, quia per se munus divinitus impositum regendi, gubernandi et pascendi universam Ecclesiam adimplere ubique nequit pontifex; necesse est igitur ut per alios a se delegatos divinum officium adimpleat.

Probatur *canonibus*, c. *Si quis*, dist. 94 : *Si quis autem legationem impedit, non unius, sed multorum profectum avertit, et sicut multis nocet, ita a multis arguendus est, et bonorum societate privandus; et quia Dei*

... impedit et statum conturbat Ecclesiæ, ideo ab ejus limitibus arceatur. Ab omnibus aquæ talis est cavendus, et non in communionem usque ad satisfactionem recipiendus.

Et multo gravius in cap. *Super gentes, De consuetudine*, inter communes. *Super gentes et regna Romanus pontifex a Domino constitutus, quum singulariter singulas regiones circuire non possit, nec circa gregem sibi creditum curam pastoralis sollicitudinis exercere, necesse habet interdum ex debito impositæ servitutis suos ad diversas mundi partes, prout necessitates emerserint, destinare legatos, qui vices ipsius supplendo errata corrigant, aspera in plana convertant, et commissis sibi populis salutis incrementa ministrent. Verumtamen aliqui hujusmodi officium et potestatem ipsius Rom. pontificis, quam non ab homine, sed a Deo recepit, sub suo arbitrio redigere molientes, legatos ipsos, nisi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum transmissi, sibi terras subjectas, dicentes hoc eis de consuetudine competere, ingredi non permittunt. Nos hujusmodi consuetudinem non tam irrationabilem, quam nonnunquam animarum saluti contrariam, detrahentemque apostolicæ potestati, auctoritate apostolica penitus reprobantes, legatos ipsos ab omnibus cujuscunque proeminentiæ, conditionis aut status fuerint, debere admitti decernimus; nec eos prætextu cujusvis consuetudinis impediri posse a quoquam Christiano nomine gloriante, quominus regna, provincias et terras quaslibet, ad quæ ipsos destinari contigerit, ingrediantur libere, ac commissæ sibi legationis officium exerceant in eisdem. Qui vero de cætero super prædictis dictos legatos, aut etiam nuntios quos ad quascunque partes pro causis quibuslibet sedes ipsa transmiserit, præsumpserint impedire, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, regna, terræ et loca quælibet subjecta eisdem tandiu sint eo ipso ecclesiastico supposita interdicto, quandiu in hujusmodi contumacia duxerint persistendum : non obstantibus quibuslibet indulgentiis, aut privilegiis, imperatoribus aut regibus, seu quibuscunque aliis sub quibuscunque modis, tenoribus et formis a sede ipsa concessis, quæ contra præmissa nullis volumus suffragari.*

De hoc argumento præclarissimum opus scripsit Pius VI, respondens ad iniquas querelas nonnullorum episcoporum Germaniæ *Super nuntiaturis apostolicis.*

Probatur secunda pars, *Relationes exigere, et causas graviores ad se evocare;* illud jus evidenter consequitur ex jure mittendi legatos, quod aliter in vanum abiret.

Probatur canonibus. Concil. Sardicense Epist. ad Jul. I : *Hoc optimum et valde congruentissimum videbitur, si ad caput, id est Petri sedem, de singulis quibusque provinciis referant domini sacerdotes.* Innocentius I, Epist. ad Victricium Rothomagensem : *Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad sedem apostolicam sicut synodus* (Sardicensis nempe) *statuit, et beata consuetudo exigit, post judicium episcopale referuntur.* Bonifacius I, Epist. ad Rufum : *Maximas Orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majori, sedem semper consuluisse Romanam, et quoties usus exigit auxilium postulasse;* cujus asserti deinde multa subjungit exempla. Vigilius epist. 7 : *Si quæ certamina aut de religione, aut de quolibet negotio quod ibi pro sui magnitudine terminari non possit, evenerint, totius veritatis indagine diligenti ratione discussa rationis ad nos seriem destinantes, apostolicæ sedi terminanda servate.* Sanctus Gregorius Magn., ad episcop. Larissensem : *Si quæ mediocris est quæstio, cognoscatur, ve, huc ad apostolicam sedem, si ardua est, deducatur, quatenus nostræ audientiæ sententia decidatur.* Innocentius IV, ad archiep. Arelatensem : *Majores Ecclesiæ causas, præsertim articulos fidei contingentes, ad Petri sedem referendas intelligit qui quærenti Domino quem discipuli dicerent ipsum esse, respondisse narratur : « Tu es Christus Filius Dei vivi* (*Matth.* XVI, 16) ; » *et pro eo Dominum exorasse ne deficiat fides ejus.* (*Luc.* XXII, 32.)

Et hujus antiquissimæ praxis ad sedem apostolicam res graviores fidei et disciplinæ referendi plena est historia ecclesiastica.

Probatur tertia pars, *Appellationes suscipere.* Et hoc est de jure naturali et divino, ut quilibet gravatus ab inferiori judice ad superiorem provocare possit, et in Ecclesia ad supremum monarcham super omnes a Christo institutum. « Appellatur, ait sanctus Bernardus (*De considerat.* ad Eug. papam l. XXXVI, cap. 2), de toto mundo ad te; id quidem in testimonium singularis primatus tui. » Ex *primatu*, proinde ex jure divino, non ex aliquo concilio, deducit sanctus Bernardus jus appellandi ad sedem apostolicam.

Confirmatur canonibus. C. *Omnis oppressus*, causa 2, quæst. 4 : « *Omnis oppressus libere sacerdotum, si voluerit, appellet judicium, et a nullo prohibeatur, sed ab his fulciatur et liberetur. Si autem difficiles causæ, aut majora negotia orta fuerint, ad majorem sedem referantur.* Item c. *Si quis*, ibid. : *Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate, licenter hanc sanctam et apostolicam sedem appellet, et ad eam quasi ad caput suffragium habeat, ne ipse innocens damnetur aut Ecclesia sua detrimentum patiatur.* Item, c. *Ad Romanam : Ad Romanam Ecclesiam ab omnibus, maxime tamen ab oppressis appellandum est, et concurrendum quasi ad matrem ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, et a suis oppressionibus relevantur, quia non potest nec debet mater oblivisci filium suum.* Ad idem faciunt c. *Omnes episcopi*, c. *Si quis putaverit*, et innumeri alii ibidem et passim.

Suppetunt præterea quamplurima exempla Athanasii, Chrysostomi, Theodoreti, etc., quæ per Historias ecclesiasticas legere est. (*Instit. jur. publ. et priv.* R. de M. t. I, pag. 217 et præcedent.)

Ne tamen appellationes temere fierent, variis temporibus caverunt pontifices per canones diversos, v. gr. c. *Cum in Ecclesia, De appellat.*; c. *Licet, De offic. ordin.*; c. *Reprehensibilis, De appellat.*, etc., etc.

§ V. — De administrationis potestate pontificis.

PROPOSITIO.

Jure divino ad summum pontificem, et quidem privative, propria saltem et nativa auctoritate, spectat episcopos canonice instituere, gradus et hierarchiam inter eos assignare, institutos transferre, renuntiantes admittere, indignos exauctorare, novos episcopatus ubicunque judicaverit expedire, erigere, cæteraque omnia quæ generatim ad majorum prælatorum ecclesiasticorum institutionem, et destitutionem quomodocunque pertinent libero jure decernere. (*Instit. jur. can.* R. de M. t. I, p. 218.)

Probatur 1° exemplo Christi et apostolorum. Primos Ecclesiæ pastores elegit et constituit ipse Christus. Dominus ad se vocavit discipulos, inter quos elegit duodecim quos et apostolos nominavit. (*Luc.* VI, 13.) Inter apostolos et super eos constituit Petrum principem et monarcham, illique et in eo successoribus ejus plenitudinem divinæ potestatis Christi in universam Ecclesiam dedit. In Petro fundatur immediate divina suprema primatus Petri ejusque successorum. Quod fecit Christus, potuit et Petrus postea ex ejus auctoritatis plenitudine facere ; collegium apostolicum, cum Petro, æque facere potuit. Ad Petrum igitur pertinebat sibi eligere successorem in primatu ; ad Petrum et apostolos pertinebat sibi eligere successores in episcopatu. Hanc potestatem aut directe, aut per legales formas ab eorum legislativa potestate emanatas exercere poterant. Attamen statim post Christi ascensionem Petrus fratrum multitudini successorem Judæ eligere proponit ; erant circiter centum viginti viri. Statuerunt duos, Josephum Barsabam et Mathiam ; inter quos ad discernendum, Spiritum sanctum rogaverunt, et miserunt sortes. Sors cecidit super Mathiam, et annumeratus est cum undecim. Sic ergo prima nominatio facta fuit per fidelium electionem ; et hoc fuit prudens et sapiens Petri temperamentum, forte de Domini consilio, evidenter vero absque lege. Re enim ipsa, etsi septem diaconi a fidelibus electi sint, statim post eorum dispersionem unusquisque apostolus instituit episcopos in ecclesiis quas ipse format, eodem modo absolute ac ipsosmet Christus elegerat. Attamen Jacobum minorem episcopum Hierosolymitanum instituerant apostoli. Atqui hæc apostolorum potestas ad apostolatum unice pertinebat et ad episcopos non potuit transire ; ad illum solum qui apostolicitatem et primatum Petri hæreditavit, hæc potestas instituendi pastores transire potuit. Hoc principale jus ad monarcham essentialiter pertinet. Hoc ad unitatem episcopatus attinet.

Confirmatur canonibus. 1° C. *Omnes*, dist. 22 : *Omnes sive patriarchii cujuslibet apices, sive metropoleon primatus, aut episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum cujuslibet ordinis dignitates instituit Romana Ecclesia ; illam vero solus ille fundavit et super petram fidei mox nascentis erexit qui beato æternæ vitæ clavigero terreni simul et cœlestis imperii jura commisit.* » Pius VI, in brevi *Super soliditate*, jus illud privativum pontificis Romani canonice instituendi episcopos tum doctrina, cum exemplis multis ostendit, a quo hæc pauca verba placet cum auctore R. de M. exscribere : *Metropolitanorum jus* (in instituendis episcopis) *a sedis apostolicæ jure*

manabat... Hæc porro jurisdictionis potestas ne ad metropolitanos quidem potest ullo modo attinere, utpote quæ illuc reversa unde venerat, unice residet penes apostolicam sedem... adeoque legitima consecratio nulla fiat in Ecclesia catholica universa nisi ex apostolicæ sedis mandato.

Concil. Trident. sess. 23, c. 8 : *Si quis dixerit episcopos qui auctoritate Romani pontificis assumuntur non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum, anathema sit.* Ergo ipso jure divino, proprio et nativo, competit hæc facultas pontifici. Et can. 7 : *Si quis dixerit... eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit.* Atqui solus pontifex Romanus habet plenitudinem potestatis omnes mittendi pastores in Ecclesia, nullus alius habet jurisdictionem in universam Ecclesiam et singulas Ecclesias omnes ; ergo solus ex jure divino potest mittere episcopos qui sunt ex institutione divina.

Probatur secunda pars : *Potestas gradus et hierarchiam inter episcopos instituendi.*

Scholium. « Constat tum ex historia ecclesiastica, tum ex ipsis canonibus ordinem episcoporum multipartitum esse, et diversis jurisdictionis ac hierarchiæ gradibus distinctum. » Cap. *Clerus*, dist. 21 : *Ordo episcoporum quadripartitus est, id est in patriarchis, archiepiscopis (primatibus), metropolitanis atque episcopis. Patriarcha Græca lingua* summus Patrum *interpretatur, quia primum, id est apostolicum retinet locum... Archiepiscopus Græco dicitur vocabulo quod sit* summus episcoporum ; *tenet enim vicem apostolicam et præsidet tam metropolitanis quam cæteris episcopis. Metropolitæ autem a mensura civitatum vocantur ; singulis enim provinciis præeminent, quorum auctoritati et doctrinæ cæteri sacerdotes subjecti sunt, sine quibus nihil reliquos licet agere episcopos ; sollicitudo enim totius provinciæ ipsis commissa est.*

Hæc ordinatio procedit tam a præeminentia Petri a Christo instituta, quam ab ipsius Petri exemplo, ut dicitur a sancto Gregorio Magn. lib. VII, epist. 40, ad Eulog. Alex. : *Cum multi sint apostoli, pro ipso tamen principatu sola apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim (Petrus) sublimavit sedem in qua etiam quiescere, et præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem in quam evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem in qua septem annis quasi discessurus sedit (Antiochenam).* Sanctus Bernardus, epist. 131 : « Potest (papa), si utile judicaverit, novos ordinare episcopatus, ubi hactenus non fuerunt. Potest eos qui sunt alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictaverit, ita ut de episcopis archiepiscopos creare liceat, et e converso si necesse visum fuerit. »

Probatur canonibus. 1° Cap. *Omnes* dist. 22, supra citatum. Eugenius IV, constit. *Non mediocri : Ut sancti attestantur Patres, omnes patriarchales, archiepiscopales, episcopales cathedras, aliasque dignitates Romana fundavit Ecclesia, sicutque libuit uni Ecclesiæ amplam, alii ampliorem, et alii amplissimam prout expedire judicavit, tradidit potestatem. Omnes enim tanquam unius arboris rami, ab una eademque radice, et ut diversi aquarum rivuli ab eodem fonte prodierunt, licet unus alio copiosior et uberior.*

2° Ex ipsamet rerum experientia et ratione canonica. Hierarchia dignitatis et jurisdictionis inter episcopos a solo Romano pontifice procedit et procedere potest ; non est enim jure divino, sed mero jure ecclesiastico. Solus autem pontifex potest ferre leges ecclesiasticas et institutiones canonicas sancire pro universa Ecclesia, cujus est ordinarius et monarcha.

Probatur tertia pars, seu *potestas institutos transferendi, renuntiantes admittendi, indignos exauctorandi.*

1° Canonibus. C. *Inter corporalia, De translatione : Inter corporalia et spiritualia eam cognovimus esse differentiam, quod corporalia facilius destruantur quam construantur ; spiritualia vero facilius construantur quam destruantur... Cum ergo fortius sit spirituale vinculum quam carnale, dubitari non potest quin omnipotens Deus spirituale conjugium quod est inter episcopum et Ecclesiam suo tantum judicio reservaverit dissolvendum. Non enim humana, sed potius divina potestate conjugium spirituale dissolvitur, cum per translationem, depositionem aut cessionem, auctoritate Romani pontificis, episcopus ab Ecclesia removetur ; et ideo tria hæc quæ præmisimus non tam constitutione canonica quam institutione divina soli sunt Romano pontifici reservata.* C. *Quanto*, ibid. *Potesta-*

tem transferendi pontifices ita sibi retinuit Dominus et Magister, quod soli beato Petro vicario suo et per ipsum successoribus suis speciali privilegio tribuit et concessit, sicut testatur antiquitas, cui decreto Patrum sanxerunt reverentiam exhibendam, et evidenter asserunt sacrorum canonum sanctiones. De facultate vero exauctorandi, sanctus Bernardus, *De consider.* ad Eug. IV : « Aliorum potestas certis arctatur limitibus ; tua extenditur et in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nonne, si causa exstiterit, tu episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab episcopatu deponere, etiam et tradere Satanæ potes ? »

2° Ex perpetua praxi Ecclesiæ et ratione canonica ; nam summi pontifices deposuerunt episcopos hæreticos, schismaticos, etc. Et reipsa illius est certe jam sedentem transferre, renuntiantem admittere, enormiter criminosum deponere, cujus est instituere. Inferior nequit mutare aut destituere quod statuit superior.

Probatur quarta pars : *Potestas novos episcopatus creandi, antiquos abrogandi, divisos conjungendi, conjunctos dividendi*, etc.

1° Ratione canonica. Hæc quippe sequela sunt et connaturalis applicatio juris instituendi. Christus enim episcopatum instituit in genere, non autem in specie episcopatus ; reliquit apostolis et præsertim Petro episcopos creare, et Ecclesias sub auctoritate Petri assignare ; et alii apostoli non potuerunt sibi facere episcopatum proprium nisi ex auctoritate Petri, qui et privative creavit episcopatum Hierosolymitanum, Antiochenum, Alexandrinum et Romanum, cui ultimo primatum affixit.

2° Auctoritate. Sanctus Bernardus, ep. 131 : « Potest papa, si utile judicaverit, novos ordinare episcopatus, ubi hactenus non fuerint. » C. *Præcipimus*, causa 16, quæst. 1 : *Præcipimus ut juxta sacrorum canonum statuta, ubi multitudo excrevit fidelium ex vigore apostolicæ sedis debeatis ordinare episcopos.* — Item sanctus Gregorius VII, lib. II, epist. 55, ait licere soli Romano pontifici novas plebes congregare, de canonia abbatiam facere, et e contra divitem episcopatum dividere, et inopes unire.

3° Praxi. Exemplum horum omnium luculentum et recentissimum nobis subministrat nostra Ecclesia Gallicana, cujus, per Concordatum anni 1801, Pius VII pleno jure et effectu secuto simul omnes episcopatus Galliarum abrogavit, moxque ex prædictis plures rursus erexit, alios de novo condidit, tandem restitutos aut de novo conditos univit aut divisit... prout ipsi expedire visum est.

Primis Ecclesiæ sæculis ex Petri ejusdemque successorum concessione et statuto competebat patriarchis, primatibus, archiepiscopis aut concilio provinciali instituere et consecrare episcopos. Hæcque disciplina perduravit usque ad duodecimum sæculum pro diversis regionibus, et pro aliis usque ad concordata cum sæcularibus principibus. Hæc ineundo concordata sancta sedes sibi reservavit jus canonice episcopos instituendi et consecrandi sive per se, sive per metropolitanos aut alios episcopos a se delegatos.

§ VI. — De limitatione pontificiæ potestatis.

PROPOSITIO.

Ad summum pontificem, supremum Ecclesiæ monarcham, privative spectat de auctoritatis suæ gradu et extensione, necnon utilitate, necessitate, opportunitateque illam quomodocunque exercendi supremo judicare. (R. de M. t. I, p. 245.)

Probatur 1° *ratione canonica.* De fide est summum pontificem esse supremum Ecclesiæ monarcham, plenitudinem potestatis et jurisdictionem in universam Ecclesiam habentem. De fide est omnem creaturam de necessitate salutis Romano pontifici subjectam esse. (Extravag. *Unam sanctam.*) Papa habet immediate a Christo potestatem ferendi leges habentes vim obligandi Ecclesiam ad illas acceptandas et observandas... Quæ conclusio est tam certa ut secundum fidem negari non possit, inquit Suarez, *De leg.* c. 16. Et etiam sine concilio præcedente, c. *Cuncta per mundum*, infra. — Atqui si omnes Christi fideles, imo omnes humanæ creaturæ de necessitate salutis tenentur obedire legibus et auctoritati papæ ; prorsus nemo potest de hac potestate discutere nec illam limitare aut judicare. Ergo hoc judicium ad solum pontificem pertinet jure divino.

Probatur 2° auctoritate. « Papa est major Apostolo administratione (Fagnan. in part. I, lib. V, *Decret. De homicid.* c. *De cætero*, n. 22) ; nedum beatus Paulus, sed nec Petrus apostolorum princeps in iis quæ propria (non divina) auctoritate statuerunt, potuisset ipsum (papam) astringere, etsi hoc expressisset : est enim papa successor Petri, et vicarius verbi Dei, nec ab homine potestatem

recipit, sed a Deo, c. *Sacrosancta*, 22 dist.: unde nec ipsum astringunt ulla concilia, cap. *Significasti*, *De elect.*, nec aliqua constitutio, seu regula apostolica, cum non habeat imperium par in parem : sic docet sanctus Thomas, 4 dist. 27, quæst. 3, art. 3 ; et communiter doctores. (Id. in part. II, lib. I *Decret. De bigamis non ordin.* ; c. *Super eo*, n. 17.) Papa non subjicitur canonibus, nec ab eis auctoritatem habet, sed e contra : papa facit jus de eo, quod non erat jus. (Id. *De pactis*, c. *Antigonus*, n. 7 ; c. *Cum pridem*, n. 27.) Papa habet plenitudinem potestatis... papa est omnia et super omnia ; supra jus, et contra jus et extra jus omnia potest. Papa est causa causarum, ideoque non est de ejus potestate inquirendum, cum primæ causæ nulla sit causa, ut ait Baldus in c. *Ecclesia S. Mariæ*... Nemo potest dicere papæ, Cur ita facis ? sola enim potestas est pro causa, et qui de hoc dubitat, dicitur dubitare de fide catholica, ut verbis ipsius Baldi utar... (Id. in part. I, lib. III *Decret. De cler.* etc., c. *Consultationibus* n. 25.) Nec puri hominis, sed veri Dei vicem gerit papa. (Id., in p. II lib. I *Decret. De transl. episc.*, c. *Quanto*, n. 66.) Papa autem dispensat in omni constitutione Ecclesiæ, cum sit supra omne jus humanum positivum. (Id., in part. II lib. I *Decret. De bigamis non ordin.*, c. *Super eo*, n. 14.) Et contra papam, quia circa spiritualem jurisdictionem omnia potest, et plenitudinem potestatis habet, nullus potest quærere possessionem, quæ ei præjudicet, cum illam habeat a Domino tantum ; et ideo est immutabilis. (C. *In novo* et seq., 21 dist., etc.) Contra Ecclesiam Romanam non currere (potest) præscriptio, respectu supremæ potestatis, sicut nec contra Deum, cujus vices gerit. (Id., in part. II, lib. I *Decret. De translat.*, c. *Cum ex illo*, n. 4 a 6.) Præterea summus pontifex nullis subjacet formis juris positivi, sed quod vult, lex est, si de illius scientia appareat, cum legibus sit solutus... Unde non præsumitur excommunicatione ligatus quem papa ad osculum scienter admisit. Posita ergo licentia papæ, et voluntate, excommunicatus intelligitur absolutus, licet non dicat : *Absolvo te*, quoniam papa tribuit potestatem canonibus, ipsique ab eo vigorem sumunt, et non e converso... Quidquid ergo vult pontifex, servetur, constito de illius voluntate, quidquid dicant jura. » (Id., in part. II, lib. V *Decret. De sent. excom.*, c. *Si aliquando*, n. 10 et 11.)

2° Canonibus. C. 17 *Cuncta per mundum*, causa 9, quæst. 3, ubi Gelasius papa : *Cuncta per mundum novit Ecclesia, quod sacrosancta Romana Ecclesia jus de omnibus habeat judicandi ; neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum est ; ab illa autem nemo est appellare permissus ; sed nec illa præterimus, quod apostolica sedes sine ulla synodo præcedente, et solvendi, quos synodus inique damnaverat, et damnandi, nulla existente synodo, quos oportuit, habuit facultatem : et hoc nimirum pro suo principatu, quem beatus Petrus apostolus Domini voce et tenuit semper, et tenebit*. Cap. *Facta subditorum*, causa 9, quæst. 3, ubi Antherus papa : *Facta subditorum judicantur a nobis ; nostra vero judicat Deus*. C. *Aliorum*, causa 9, quæst. 3, ubi papa Symmachus : *Aliorum hominum causas Deus voluit homines terminare ; sed sedis istius præsulis suo sibi quæstionis reservavit arbitrio. Voluit beati Petri successores cœlo tantum debere innocentiam, et sublimissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam*. C. *Norit ille*, de judiciis tit. I, lib. II *Decret.* Gregor., ubi Innocentius III, an. 1200 : *Cum enim non humanæ constitutioni, sed divinæ potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, nullus qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum (etiam reges) : et si correptionem contempserit, per districtionem ecclesiasticam coercere*. Ubi Anchar, n. 8, *Nota*, inquit, *correctionem peccatorum spectare ad papam, et qui negat potestatem papæ, negat se Christianum*. (Extravag. *Unam sanctam, De major. et obed.* ; c. *Sacrosancta*, 21 dist. ; c. *Ad Romanam*, causa 2, quæst. 6 ; c. *Licet* et c. *Qui se scit* ejusdem causæ et quæst. ; c. *Nemini*, caus. 17, quæst. 4, etc.)

Tandem apud Fagnanum in part. I, lib. I, *Decret. De constit.*, c. *Canonum statuta*, n. 102, ex Glossa et doctoribus : « Declaratur quinto regula hujus textus, ut locum non habeat in summo pontifice : ipse enim non ligatur statutis canonum, cum sit supra omne jus humanum positivum, c. *Proposuit*, *De concess. præbend.*, § *His ita* 25, quæst. 1, ubi sic legitur : *Sacrosancta Romana Ecclesia jus et auctoritatem sacris canonibus impertitur, sed*

non eis alligatur. Habet enim jus condendi canones, utpote quæ caput et cardo omnium Ecclesiarum, a cujus regula nemini dissentire licet. Ita ergo canonibus auctoritatem præstat, ut seipsam non subjiciat eis. Et docet sanctus Thomas, quodlibet 4, art. 13... « Et propterea papa potestatem habet dispensandi pro loco et tempore in omnibus statutis Ecclesiæ. »

Ex omnibus istis canonibus et multis aliis definitur quod papa judicat omnes et omnia, et a nemine nec quidem conciliis judicatur nec coarctatur in terris.

Corollarium I. — Nulli proinde, neque etiam principi, aut concilio, etiam generali, licet contra summi pontificis Ecclesiæ monarchæ constitutiones aut mandata in negotio religionis sese contumaciter extollere, ab iis ad principem vel concilium generale appellare, multo minus ipsum pontificem ad eorumdem judicium trahere. (R. de M.)

Corollarium II.—Virtus continens monarchiam Ecclesiæ seu primatum intra terminos suæ potestatis, non est ergo populus, aut princeps Christianus, aut episcopi, tum dispersi, tum in concilio congregati, sed Christus ipse per infallibilem suam assistentiam (R. de M. t. I, p. 249); Christus etenim qui dixit Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum... quodcunque ligaveris*, etc., *Pasce agnos meos... pasce oves meas.* (*Matth.* XVI, 19; *Joan.* XXI, 16, 17.) *Fides tua non deficiet... confirma fatres tuos* (*Luc.* XXII, 32), etc., etc., Christus ipse sedet in cathedra Petri cum ejusdem successore, regit, pascit, gubernat suam Ecclesiam cum pontifice et per pontificem secundum suam divinam promissionem usque ad finem sæculorum duraturam. Ergo qui resistit pontifici, Christo ipsi resistit.

§ VII. — Ex præcedentibus paragraphis corollaria practica quoad pontificis jurisdictionem et potestatem.

I. « In summo pontifice considerari hodie a doctoribus præsertim canonistis solet triplex persona et potestas: 1° episcopi Ecclesiæ universalis; 2° episcopi Romani; 3° principis sæcularis Status ecclesiastici. Ut *princeps sæcularis* est, potestas ejus diffunditur per provincias, et terras dominio illius temporali subjectas, quas etiam, ut alii principes solent, per magistratus a se constitutos gubernat: estque hoc ejus dominium prorsus independens a quocunque alio. » (SCHMALZG. part. IV, tit. XXXI, § 1.) Et electus in papam jurat loca Ecclesiæ Romanæ non infeudare.

« Altera, quam ut *episcopus Romanus* habet, se extendit ad urbem Romanam, et ejus districtum: exercetque illam summus pontifex per cardinalem vicarium, qui proinde jurisdictionem ordinariam episcopalem ibidem obtinet, prout eam obtinent in diœcesi qualibet vicarii generales ab episcopo constituti. » Est etiam metropolitanus Romanæ provinciæ, primas Italiæ, et Occidentis patriarcha. « Prima, quam ut *episcopus Ecclesiæ* universalis habet, omnium maxima, immediate a Christo data est, et extendit sese ad omnes totius orbis Christiani fideles seu baptizatos. Hinc *papa*, id est, *Pater patrum*, *episcopus episcoporum*, et *ordinarius ordinariorum* dicitur. Hac potestate sicut supra cæteros Ecclesiarum prælatos omnes plane excellit, ita plures vi illius prærogativas habet. » (SCHMALZG. *ibid.*)

1° Est certa et infallibilis regula veritatis fidei, morum et disciplinæ universalis. Proindeque « summus pontifex est etiam infallibilis, et nulli errori obnoxius in canonizatione sanctorum. Ita cum sancto Thoma omnes melioris notæ doctores. Ratio est, quia de fide est, quod sancti sint invocandi, et reliquiæ eorum venerandæ: hæc autem fides utilitatem non haberet, si Ecclesia, penes quam solam est decernere, quibus veneratio et invocatio competit, in hoc judicio falli posset; accedit, quia, postquam aliquis solemniter canonizatus est, Ecclesia obligatur ad credendum eum in cœlis esse: credi autem istud non posset, si pontifex in canonizatione sanctorum falli posset; ergo, » etc.

« Dices: Canonizatio sanctorum procedit ex testimoniis de sanctitate vitæ, et miraculis eorum, qui solemni ritu in sanctorum numerum referuntur. Atqui hæc, tanquam mere humana, possunt esse falsa; ergo, etc.

« Resp. Canonizationem his testimoniis non fundari, sed sanctitate vitæ, de qua dum pontifex judicat, ne in judicio suo erret, facit specialis instinctus, et assistentia Spiritus sancti.

« Etiam infallibilis est in approbatione et confirmatione religionum, saltem quoad ea, quæ pertinent ad veritatem doctrinæ, honestatem instituti, et conducentiam hujus ad spiritualem animæ salutem, et perfectionem consequendam. Ita Azor. lib. V,

cap. 7, quæst. 2, cum communi doctorum contra Canum. Ratio est, quia error circa hujusmodi approbationem, et confirmationem secum trahit errorem circa doctrinam fidei et morum, qui secundum dicta in summum pontificem qua talem non cadit. » (SCHMALZG. part. IV, tit. XXXI, *De off. jud. ordin.*)

2° « Idem papa, quatenus est universalis Ecclesiæ episcopus, habet potestatem condendi leges, quæ Ecclesiam totam obligent; e contra leges ecclesiasticas quascunque relaxandi, ac proinde dispensandi in quibuscunque impedimentis ordinum, vel matrimoniorum, quæ jure ecclesiastico introducta sunt. » (ID.)

Ex prædictis sequitur quod papa nulli humano juri subjiciatur. At vero subjicitur juri naturali et divino, decretis fidei et morum. Ita se habet ad legem divinam sicuti quilibet privatus ad legem humanam (FAG. in p. II, l. I *Decret. De pactis*, c. *Cum pridem*, n. 79), et usque ad animam et sanguinem jus divinum, decreta fidei sive sua, sive conciliorum servare debet. C. 6, *Sunt quidam*, caus. 25, q. 1. Jure divino papa post baptismum lapsus tenetur peccata sua confiteri in sacramento pœnitentiæ, et potest ligari a sacerdote, cui se subjicit in confessione. (FAG. in p. II l. V *Dec. De pœnit. et remis.*, c. *Omnis.*)

II. *De potestate pontificis circa jus divinum et naturale.*—1° Papa potestatem divinam habet definiendi quid sit de jure divino et naturali, et etiam illa jura interpretandi. Et quoad sacras Scripturas interpretatio papæ prævalet dictis sanctorum Patrum. (FAGNAN. part. I, lib. I *Decret. de constit.* c. *Ne innitaris*, n. 6.) Et in Scriptura distinguendum est quid sit de jure divino, quid vero de institutione apostolorum; nam in hoc ultimo casu papa potest addere aut minuere. (C. 2 *Præsul*, causa 2, quæst. 5.)

2° Nihil potest contra jus naturale et divinum, nec in his juribus dispensare nisi per modum interpretationis. Papa non potest mutare nec sua de fide decreta, nec conciliorum, nec de his statuere nisi interpretando seu declarando; aliter nec papa nec Ecclesia essent infallibiles.

Numerum sacramentorum novæ legis augere, vel minuere eorumque materiam et formam, cæteraque substantialia a Christo determinata mutare nequit, utpote quæ juris divini sunt. Unde super sigillo confessionis dispensare non potest, nec cum religiosis juste ejectis ab ordine, ut missam celebrent in sæculo, quia repugnat jus divinum, ut sic impœnitentes accedant ad Eucharistiam. (FAGNAN. in part. II, lib. V *Decret. De pœnit. et remission.*, c. *Officiis*, n. 28 et 30; in part. II, lib. III, *De regular.*, c. *Ne religiosi*, n. 10.) Non potest verbo tantum facere sacerdotem, nec episcopum, etc. (ID. in part. I, lib. I *Decret. De constit.*, c. *Canonum statuta*, n. 102.) Nec potest statuere ut sine consensu expresso vel tacito sit matrimonium. (ID. in part. I, lib. V *Decret. De sponsal.*, c. *Is qui fidem*, n. 7.)

Hierarchiam ecclesiasticam ordinatione divina institutam mutare, vel tollere nequit papa, et non potest consequenter facere ut non sint episcopi regentes peculiares Ecclesias. Nec potest tollere clericorum exemptionem a sæculari potestate quoad omnes clericos; et quoad omnes causas in universum, licet possit quoad aliquos clericos et quoad aliquas causas : ita communior sententia, quia exemptio in universum est de jure divino. Non potest ergo papa generaliter concedere, ut judex laicus clericum distringat vel condemnet. (FAGNAN. in lib. II *Decret. De foro compet.*, c. *Nullus*, n. 9.) Non potest cum monacho dispensare ut habeat proprium et uxorem, quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis est de essentia vitæ et regulæ monachalis; quamvis papa possit de monacho facere non monachum, sed non sine magna causa. (ID. in part. II, lib. III *Decret. De regular.*, c. *Monachi*, n. 12; et cap. *Cum ad monasterium*, n. 43.) Papa non potest irritum facere matrimonium consummatum, nec dispensare super eo. Potest tamen recipere probationes contra matrimonium præsumptum. (ID. in part. I, lib. V *Decret. Qui cler.*, etc., c. *Consuluit*, n. 37.)

His exemplis intelligendi sunt alii casus similes.

3° Jus divinum interpretando, « papa qui habet plenitudinem potestatis committere potest non episcopo pertinentia ad episcopalem dignitatem, modo illa non habeant relationem ad corpus Christi verum; ideoque ex ejus commissione sacerdos simplex potest conferre ordines minores et confirmare; non autem non sacerdos, nec sacerdotes majores ordines, qui habent im-

mediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum papa non habet majorem potestatem quam simplex sacerdos.» (S. Thomas, in 4, dist. 25, quæst. 1, art. 1 ad 3; apud Fagnan. in part. I, l. I *Decret. De consuetud.*, c. *Quanto*, n. 4, etc.) Ut papa possit simplici presbytero committere sacramenti confirmationis administrationem definitum fuit a concilio Florentino.

Papa potest concedere privilegium audiendi confessiones alterius diœcesani, etiam invito episcopo, et contraria opinio damnatur uti periculosa in fide. (Fagnan., in part. II, lib. V *Decret. De pœnit. et remiss.*, c. *Omnis*, n. 7.)

4° Quamvis super substantialia sacramentorum nihil possit papa, « habet tamen amplam potestatem quoad cæremonias accidentales illorum, ministrorum qualitates, et eorum, qui illa recipiant, requisita, ita ut si, in divini cultus augmentum, fidelium ædificationem et animarum salutem cedere videatur, possit novos ejusmodi ritus introducere, veteres abrogare, in ministris et suscipientibus alias et alias qualitates exigere. Sequitur ex præcedentibus; hæc enim omnia sunt juris tantum ecclesiastici.» (Schmalz. part. IV, tit. XXXI, § 1, n. 10.) In jure actuali ad solum papam pertinet omnia ritus et liturgiam concernentia decernere, ferias solemnes indicere ob reverentiam Dei. (Fagnan. in lib. II *Decret. De feriis*, c. *Conquestus*, n. 29.)

III. *De duplici potestate papæ.* — 1° Certum est et de fide quod papa « obtinet generalem et supremam clavium in terris potestatem, a Christo datam, eamque duplicem, in foro scilicet interno et externo, vi cujus absolvere a peccatis quibuscunque, relaxare vota et juramenta, censuris ligare fideles, et solvere ligatos possit, ita ut nihil horum eidem sit reservatum.

« Est ordinarius, supremus omnium fidelium judex, ita ut omnes in causis, ad Ecclesiæ forum quomodocunque pertinentibus, ad tribunal ipsius stare teneantur, ipse vero a nemine mortalium judicari possit.

« Denique eidem competit plenissima dispositio de ecclesiis, monasteriis, beneficiis, horumque rebus, seu bonis et juribus, ut proinde disponere liberrime de iis possit, prout vel ad ipsorum privatas, vel ad universalis Ecclesiæ publicas necessitates sublevandas, vel utilitates promovendas judicaverit expedire. » (Schmalz. part. IV, tit. XXXI, § 1, n. 11.)

2° Sed ad intelligendum potestatis pontificiæ exercitium notandum est cum canonistis in papa *duplicem esse potestatem.* Alia est *suprema et absoluta*, quam alio nomine appellamus plenitudinem potestatis, eamque sic definit Baldus in lib. II, n. 45, c. *De servitut. et aqua* : « Plenitudo potestatis est arbitrii plenitudo nulli necessitati subjecta, nullisque juris publici limitata : et secundum hanc in ecclesiasticis legibus juxta unam opinionem papa absolute potest omnia, et sola voluntas habetur pro ratione. Ita Gemin..... quia pro libito suæ voluntatis potest in totum tollere jus positivum... de hoc enim disputare instar sacrilegii obtinet. (Gemin. lib. II, c. *De crimin. sacrileg.*, cap. *Si quis suadente.*) Hac tamen uti non debet sine magna causa, secundum Innocent... abb. (in c. *Innotuit, De elect.*) Hæc potestas papæ intelligitur, ut omnia possit, clave non errante, ut notat Baldus post gloss. 2, in c. *Quanto, De sent. excomm.* Et ibi communiter sequuntur doctores. Graviter enim erraret clavis papæ, si sine causa contra leges injuste ageret, et tunc tenebitur reddere rationem Deo optimo maximo. » Alia vero est *potestas ordinaria a jure regulata ;* et secundum hanc papa non potest sine justa causa quem ab officio vel beneficio amovere (nec contra leges ecclesiasticas agere) ; quia licet princeps sit solutus a legibus, tamen secundum leges vivere debet. (Fagnan. in part. I, lib. III *Decret. De cler.*, etc., c. *Consultationibus*, n. 67 ad 76.)

Ad hoc facit quod ait sanctus Thomas (in 1-2, quæst. 96, art. 5, ad 3) : « Princeps dicitur esse solutus a lege quantum ad vim coactivam legis ; nullus enim proprie cogitur a semetipso. Lex enim non habet vim coactivam, nisi a principis potestate. Sic igitur princeps dicitur esse solutus a lege, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Sed quantum ad vim directivam legis, princeps subditur legi propria voluntate, secundum quod dicitur extravag. (*De const.*, c. *Cum omnes*) : quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet : et sapientis dicit auctoritas : *Patere legem, quam tu ipse tuleris.* Improperatur enim

bis a Domino, *Qui dicunt et non faciunt, et qui aliis onera gravia imponunt, et digito nolunt ea movere*, ut dicitur *Matth.* XXIII, 4. Unde quantum ad Dei judicium princeps non est solutus a lege, quantum ad vim directivam ejus, sed debet voluntarius, non coactus legem implere. » Hæc sanctus Thomas, cui subscribit ibidem Cajetanus, ostendens legem humanam habere vim obligativam principis ab æterna lege, a qua derivatur, et principem suas leges in foro conscientiæ observare debere jure naturali et divino, et sequuntur doctores. Et propterea quamvis papa non constringatur lege positiva, astringitur tamen mente legis, et æquitate naturali determinante aliquid circa peccatum... Unde c. *Omnis utriusque sexus*, *De pœnit. et remiss.* (quoad sacramentalem confessionem et communionem in Paschate) forte astringit papam quoad Deum, et papa male facit, si prædictum canonem non servet, licet in eo non habeat locum pœna ibi statuta (quia est lex ecclesiastica). Ergo princeps ipse tenetur suas et suorum prædecessorum leges custodire ex vi dictaminis rationis naturalis. (FAGNAN. in part. I, lib. I *Decret. De const.* c. *Canonum statuta*, n. 59 ad 61.) Et tamen non astringitur papa constitutionibus prædecessorum etiam in generali concilio editis vi compulsiva, sed vi directiva rationis. (ID. in part. II, lib. V *Decret. De pœnit. et de remiss.*, c. *Omnis*, n. 25.)

Ex præcedentibus sequitur : 1° Quod papa non possit canonicam irregularitatem nec ullas pœnas ecclesiasticas incurrere. (ID. part. I, lib. V *Decret. De homicid.*, c. *De cætero*, n. 22.)

2° De potestate absoluta summus pontifex potest constitutiones facere in universo orbe etiam sine consilio, cum jurisdictio papæ non restringitur ad limites alicujus territorii. (ID. part. I, lib. I *Decret.*, *De const.*, c. *Canonum statuta*, n. 17), et etiam sine cardinalibus, cum « possit ardua explicare sine consensu cardinalium, de potestate absoluta ; sed de honestate non potest ardua tractare sine cardinalibus ; valet tamen consuetudo contraria. » (ID. part. I, lib. III *Decret.*, *De feud.*, c. *Ex parte*, n. 18.)

Hæc de duplici papæ potestate notio semper rememoranda est ad canonistarum intelligentiam et diversos casus resolvendos, eamque in sequentibus applicabimus.

IV. *Quid potest papa supra hierarchiam, concilia, episcopos*, etc. — 1° Papa et omnes alii episcopi sunt cæquales in his, quæ sunt ordinis episcopalis et sacerdotalis. Ita se habet papa et episcopus ad Ecclesiam sicut vir ad uxorem suam. (C. 8, *Sicut viri*, dist. 40; c. 11, *Sicut vir*, caus. 7, quæst. 1.) Sed papa solus est caput visibile et sponsus universalis Ecclesiæ, unde a nemine transferri aut deponi potest, quia immediate a Deo instituitur.

2° Sed etiam immutare statum Ecclesiæ non licet papæ. (C. 3, *Quæ ad perpetuam*, causa 25, quæst. 1.) Contra generalem Ecclesiæ consuetudinem saltem de potestate ordinaria, et sic contra statum generalem Ecclesiæ papa venire non potest nec contra sanctorum Patrum et conciliorum statuta de ordinaria potestate, causa 25, quæst. 1 per totum, quamvis de absoluta possit in iis quæ non sunt de jure divino. Unde in hierarchia ordinatione divina instituta nihil immutare potest.

3° Ad singularem tantummodo summi pontificis auctoritatem spectat generalia concilia indicere, moderari, confirmare et interpretari. Atque in particulari decreta et canones concilii Tridentini nemo potest auctoritative ac per modum legis universalis interpretari, nisi Romanus pontifex. Ac demum quia in individuo ipsummet concilium Tridentinum (sess. 25, *De reform.*, in decret., *De recipiendis*), declarationem eorum, quæ in eodem concilio statuta ac diffinita fuerunt, remisit ad Romanum pontificem, et Pius V interpretationem sibi ac sedi apostolicæ specialiter reservavit, ac cæteris omnibus interdixit, sequitur nemini generalem Tridenti interpretationem etiam speculativam permissam esse. At vero quemadmodum Romanus pontifex potest decreta Tridentini concilii per seipsum auctoritative interpretari, ita et per eos, quibus id munus interpretandi specialiter demandaverit, eorumque interpretatio habebit legis auctoritatem perinde ac interpretatio Papæ. Porro interpretatio, quam facit papa, vel generalem auctoritatem habens ab ipso, habet vim generalis constitutionis, et facit jus quoad omnes, etiamsi non generaliter, et per modum legis, sed in aliquo speciali casu, et ad consultationem alicujus edita fuerit. Tandem hac Tridentini interpretationis prohibitione fulcitur communis do-

ctorum sententia quod contra Tridentini decreta præscribi non possit; cum præscriptio sit aliqua interpretatio : atqui præscriptio contra supremam papæ auctoritatem non valet.

4° Certum est « majores Ecclesiæ causas ad summum pontificem pertinere, non ex vi reservationis apostolicæ, sed ex institutione divina, c. 9, *Dudum*, causa 3, quæst. 6, ibi : *Domino instituente, ad Romanam Ecclesiam quasi ad matrem atque apicem omnes majores causæ et judicia episcoporum recurrant...* Ex quo notabiliter infero, ut hæc auctoritas cognoscendi, aut decidendi majores Ecclesiæ causas ab episcopis, et aliis inferioribus acquiri non possit consuetudine, aut præscriptione etiam immemorabili, quia talis consuetudo, cum sit contra jus divinum, est corruptela, et omnino incomprehensibilis. » (Fagnan. in part. II, lib. I *Decret. De translat. episc.*, c. *Cum ex illo*, n. 2 ad 6.)

« Atqui provisio episcopatuum et aliarum dignitatum olim ad summum pontificem tantum pertinebat... Nunc papa sibi reservat generaliter omnes Ecclesias patriarchales, primatiales, archiepiscopales, episcopales, necnon omnia virorum monasteria valorem annuum ducentorum florenorum communi æstimatione excedentia, et de his papa consistorialiter providet... Quæ quidem provisio habet vim electionis et confirmationis. Similiter in tertia regula Cancellariæ papa generaliter reservat dispositioni suæ omnes dignitates post pontificales in cathedralibus, vel alias quovis modo in collegiatis ecclesiis principalem præeminentiam habentes ; item prioratus, præposituras, et alias dignitates conventuales et præceptorias ordinum quorumcunque, non tamen militarium. Quibus quidem concordata non obstant. » (Fagnan., in part. II, lib. I *Decret.*, *De elect.*, c. *Nullus*, n. 8 et 9.)

Quoad Galliarum Ecclesias, etiam post concordatum anni 1516, vigebat dignitatum cathedralium et collegiatarum insignium atque abbatiarum reservatio papæ. Atqui ex titulis novarum Ecclesiarum erectionis post Concordatum anni 1801, omnia beneficia cum cura et sine cura conferri debent *juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas, salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus*. Ergo jure hodie omnes dignitates post pontificales in cathedralibus et monasteriis dispositioni summi pontificis reservantur in Gallia. Si vero de suo jure non utitur pontifex, tribuendum est temporum difficultatibus et pacis amori.

Omnes vero episcopi sive electi, sive nominati a civili potestate ex concordatis directe a summo pontifice institutionem canonicam hodie accipiunt.

Quæritur an summus pontifex possit episcopum invitum ex una in aliam Ecclesiam transferre.

Resp. 1° Episcopum electum et confirmatum, nondum vero consecratum, non posse invitum transferri, quia non potest invitus consecrari, sed satis est ut dignitati cedat, si consecrari renuit.

2° Quoad episcopum consecratum, qui vinculo obedientiæ erga pontificem ligatur, gravis est difficultas, et doctores in varias opiniones scinduntur. Prima opinio est eorum, qui putant papam absolute non posse episcopum invitum transferre, propter vinculum matrimonii spiritualis inter prælatum et Ecclesiam. Quod falsum demonstratum est in Galliarum Concordato anni 1801 et multis aliis factis ; atqui de factis papæ disputare non licet, ait Fagnanus cum communi doctorum. (In part. II, lib. I *Decret. De translat. episc.*, c. *Quanto*, n. 74.)

Secunda opinio primæ opposita tenet papam posse episcopum absolute transferre pro libitu voluntatis ; quod verum est de absoluta potestate, non vero de ordinaria.

Inter duas has opiniones oppositas est tertia media, quæ nec absolute negat, nec absolute affirmat episcopum invitum posse per summum pontificem ad aliam Ecclesiam transferri, sed ita demum si concurrat causa utilitatis, vel necessitatis Ecclesiæ, alias secus... Porro hæc tertia opinio duo habet membra, primum affirmativum, videlicet papam ex causa posse transferre episcopum invitum. Secundum est negativum, id est, papam sine causa invitum transferre non posse ; de qua multæ rationes adducuntur præcipue : « Dissolvere hujus spiritualis conjugii vinculum ex nuda voluntate, non adminiculante aliqua justa causa, est contra divinam dispositionem, contra apostolorum ordinationem, contra conciliorum auctoritatem, contra Romanorum pontificum sanctiones et contra juris civilis et naturalis rationem. » (Fagnan., ubi supra.)

Ultimo probatur utrumque membrum, quia ubi de translatione jura loquuntur, semper ponderant justam causam necessitatis, vel utilitatis Ecclesiarum, ut patet in decretali *Quanto* 3, *De translat.* l. I, ibi : *Ecclesiarum necessitate; vel utilitate pensata;* item cap. *Mutationes*, et c. *Scias, frater*, et duobus sequent., causa 7, quæst. 1.

Et Fagnanus : « Translationem episcopi inviti pro libitu voluntatis, et sine ulla causa factam non sustineri; licet hic casus fere vix possit contingere; quia sedes apostolica in causis majoribus, quales sunt episcoporum translationes, magna circumspectione et maturitate procedere consuevit. » (Ubi supra, n. 73.)

« Bonorum autem Ecclesiæ principalis administrator et dispensator est Romanus præsul. (S. Thomas, in 2-2, quæst. 100, art. 1, ad 7.) Papa non potest rem uni Ecclesiæ auferre et dare alteri, ex pluribus canonibus citatis, nisi justa causa subsit, ex aliis canonibus; et ratio est, quia papa non est absolute dominus bonorum Ecclesiæ, sed dispensator. (S. Thom. *ibid.*) Ergo non potest Ecclesiam episcopo auferre et dare alteri sine justa causa. » Fagnan. supra, n. 57 et 70; ad hoc c. *Conquerente, De restit. spoliat.*)

« Unde, si præter consuetudinem Romanorum pontificum contingeret hic casus, ut papa rem clerico auferret et daret alteri : aut quem beneficio privaret absque rationabili causa, quamvis judicio Ecclesiæ non esset subjectus, et beneficiato non liceret contradicere, tamen injuste ageret, et quoad Deum non esset a peccato immunis... Sed Romanus dicit non esse verum quod dicunt Glossa et doctores, videlicet papam posse omnia in beneficialibus; quia debet intelligi si justa causa concurrat, alias secus. Ratio prædictorum est, quia summus pontifex constitutus est a Deo non dominus, sed dispensator bonorum Ecclesiæ. Cardinalis a Turrecremata dicit verum non esse, papam sine causa posse quem privare beneficio, vel episcopatu, nempe quia acceptans beneficium sibi collatum videtur ex quasi contractu se obligare ad illius administrationem. (C. *Nisi cum pridem.*) Deinde respondetur ea quæ dicuntur de potestate apostolica in beneficialibus,... posse quidem admitti in beneficiis inferioribus, et in his quæ sunt de jure positivo. . . At secus dicendum est in episcopatibus; quia spirituale conjugium, quod jure divino inter episcopum et Ecclesiam contrahitur, nulla humana potestate dissolvi potest sine justa causa, ut sæpius repetitum est. » (Fagnan., ubi supra, n. 81 ad 83.)

« Si sine justa causa transfertur episcopus, poterit ad eumdem et summum pontificem recurrere, et causas nullitatis vel injustitiæ translationis deducere. (C. *Si quando, De rescript.*) Nam per translationem episcopi solvitur matrimonium spirituale, cujus dissolutio est de jure divino; et ideo ab Ecclesia fieri non potest ut ostensum est supra n. 63.

« Episcopus non potest contradicere translationi, ex quo semel consenserit se fieri episcopum, si ex justa causa transferatur.

« Cum papa episcopum transfert, quia vult eum honorare, . . , absolutum est ad translationem requirere consensum prælati. . . Sed translatio in gratiam solius translati improbatur a sacris canonibus. (C. *Scias, frater*, causa 76, quæst. 1.) Et merito, quia dissolutio spiritualis conjugii, quam Deus suo judicio reservavit, requirit causam gravem, sicut requirit dissolutio matrimonii carnalis non consummati, ut notatur in cap. *Ex publico, De convers. conjug.*, et canones in translatione episcopi ubique mentionem faciunt necessitatis, vel utilitatis Ecclesiarum, ut dictum est . . . Quinimo inevitabilem necessitatem exigit textus c. *Sicut vir*, causa 7, quæst. 1. Et aliter transiens dicitur adulterium committere, ut ibi et c. *Sicut alterius*, ead. causa et quæst. Et quamvis episcopus nonnunquam transferatur ad archiepiscopatum, hoc tamen non fit simpliciter in gratiam personæ, sed ob majorem Ecclesiæ utilitatem. Et hæc est ratio cur dispensatus ut possit transire ad majorem, non possit transire ad parem; quia nimirum in majori consideratur major Ecclesiæ utilitas. » (Fagnan. ubi supra, n. 75, ad 95.)

« Papa potest in uno episcopatu duos episcopos constituere, et uni episcopo concedere duos episcopatus, item plures in unum unire, et unum in plures dividere; sed non potest dividere episcopatum sine justa causa.

« Papa potest episcopum deponere etiam sine causa, licet secus sit, si vellet omnes episcopos deponere; quia hoc esset turbare statum universalis Ecclesiæ. » (*Ibid.* n. 40.) Quo, sicut et ex præcedentibus, manifestum est quam erronea sit illorum opinio qui di-

cunt papam posse omnes ecclesias gubernare per solos vicarios apostolicos.

« Papa igitur solus dissolvit spirituale conjugium, non humana sed divina auctoritate. » (FAGNAN. *ibid.* c. *Cum ex illo*, n. 17.)

Papa ex speciali indulgentia et dispensatione potest tribuere episcopo facultatem, ut in ultimo vitæ spiritu sibi successorem designet. (ID. part. I, lib. III *Decret. De conces. præb.*, c. *Nulla*, n. 4, 78, 82.) Tandem summus pontifex statuit formas sive electionis, sive nominationis episcoporum, quando non assumit eos per semetipsum.

V. *Quid duplici potestate papa potest super canones et constitutiones atque jurisdictionem.* — Jam demonstravimus quod papa non subjicitur canonibus, nec ab eis auctoritatem habet, sed e contra; et quod in omnibus Ecclesiæ statutis dispensare potest. At

1° Papa potest facere ut transactio, quæ nulla est, sit aliqua, ex cap. ultimo, causa 16, quæst. 1, et cap. *Cum apostolica*, *De iis quæ fiunt a prælatis*.

2° Papa potest delegare mero laico causas criminales clericorum secundum communem opinionem. (FAGNAN. in part. II, lib. I *Decret. De offic. ordin.*, c. *Perniciosam*, n. 59.)

3° « Regulariter non solet papa se immiscere in causis ad ordinarios pertinentibus; quanquam enim sit ordinarius singulorum, nec ulli fas sit illius forum declinare,.. tamen causas ab ordinariis locorum ad se non avocat sine justa et rationabili causa. (C. *Per principalem*, causa 9, quæst. 1.) Quemadmodum Deus optimus maximus regit infima per inferiores angelos, media per superiores, et suprema per seipsum, ut docet sanctus Thomas; ita Romanus pontifex, qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, et a quo tanquam a fonte omnis per Ecclesiam jurisdictio diffunditur, minima explet per archidiaconos, plebanos et alios inferiores, media per episcopos qui sunt vocati ab Ecclesia Romana in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis . . majora per seipsum . . . Unde a Tridentina synodo (c. 20, sess. 24) provide cautum est, ut causæ omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes coram ordinariis locorum in prima instantia cognoscantur et terminentur; et si quos Romanus pontifex ex urgenti rationabilique causa duxerit committendos, aut avocandos, id fiat per speciale rescriptum signaturæ Sanctitatis manu subscribendum. » (C. 20, sess. 24; FAGNAN. lib. II *Decret. De foro compet.*, c. *Ex parte*, n. 3, ad 8.)

4° Si papa aliquid faciat de plenitudine potestatis, cum sit absolute dominus, non præjudicat inferioribus, nec adversus eos præscribit, ut declarat Innocentius in c. *Bonæ*, n. 2, in fine *De postul. prælat.*

5° « In concernentibus animam omnes homines de mundo sunt de foro Ecclesiæ; et cum agatur de observantia legis divinæ, et de materia peccati, auctoritas papæ non circumscribitur limitibus alicujus territorii, sed ubique locorum, et in omni foro ejus dispositio servanda est de necessitate præcepti. » (FAGNAN. in part. I, lib. III *Decret.*, *De testam.*, c. *Cum esses*, n. 49.) — Ideoque, ratione criminis ecclesiastici (v. gr. hæresis) papa potest absolvere vassallos laicorum ab omni obligatione, et alios eisdem obnoxios a quocunque pacto quamvis firmitate validato. — Item propter injustitias et alias iniquitates potest judices sæculares dignitate privare. (ID. part. I, lib. V *Decret.*, *De hæretic.*, c. *Absolutos*, n. 2 et 7.) — Item potest abrogare leges imperatoris foventes peccatum; nam omnis anima ratione peccati apostolico subjecta est. (C. *Cum contingat*, *De jurejurand.* et c. *Licet*, eod. tit. lib. II in 6.) In aliis vero casibus ubi peccatum non imminet, papa non potest infringere leges humanas quoad forum civile in locis ubi jurisdictionem temporalem non habet, cum potestates distinctæ sint. (C. *Cum adversum*, 96 dist. et c. *Quoniam*, 10 dist.) Itaque laici, qui non sunt de temporali jurisdictione Ecclesiæ, non tenentur potestati ecclesiasticæ in non concernentibus animam obedire (c. *Novit*, *De judic.*), nec papa super actiones laicorum habet potestatem, nisi prout diriguntur ad beate vivendum. (C. *Per venerabilem.*) — (FAGNAN. part. I, lib. III *Decret.*, *De testam.*, c. *Cum esses*, n. 11 ad 13, et *De præbend.*, c. *Significasti*, n. 18 et 19.)

« Credimus, inquit Innocentius, quod papa, qui est vicarius Jesu Christi, potestatem habeat non tantum super Christianos, sed etiam super infideles. Etenim Christus plenam potestatem recepit, et dedit Petro et successoribus ejus claves regni cœlorum, et dixit : *Quodcunque ligaveris.* (*Matth.* XVI, 18.) Item alibi : *Pasce oves meas.* (*Joan.* XXI, 17.) Omnes autem tam fideles quam infideles oves sunt Christi per creationem, licet non sint de ovili Ecclesiæ, et sic per prædicta apparet,

quod papa super omnes habeat jurisdictionem, et potestatem de jure, licet non de facto. Unde . . . papa potest punire gentiles contra legem naturæ agentes . . . item Judæos, si contra legem Evangelii faciunt in moralibus, si eorum prælati eos non puniant: et eodem modo si hæreses circa suam legem inveniant . . . Et licet aliquando papa omittat pœnas justas et debitas omnibus prædictis inferendas, est vel quia facultatem non habet (de facto), vel propter pericula et scandala, quæ inde obveniunt, vel evenire timerentur; potestas tamen faciendi est apud eum. » (In. part. I, lib. I *Decret.*, *De constit.* c. *Canonum statuta*, n. 64 et seq.)

6° « Disputant theologi et canonistæ an possit papa in hæresim incidere. Sed quidquid sit de hac in abstracto disputatione, quæ nullum habet exemplum de facto, si Romanus pontifex in crimen hæresis notorie et pertinaciter laberetur, desineret esse pontifex, et fieret minor quocunque fideli, ac proinde subesset concilio non ut apostolicus, sed ut quilibet privatus. Unde nulla exsurgit objectio contra primatus privilegia.

Papa simoniace electus non est papa, nec est apostolicus, sed apostaticus, et potest de crimine simoniæ accusari.

« Papa canonice electus non potest committere simoniam quoad pœnas juris positivi.

Quo vero ad culpam et peccatum tres sunt casus distinguendi :

1° « In his, quæ ex sui natura principaliter sunt simoniaca et damnata in Novo aut Veteri Testamento, ut vendere gratiam, sacram manus impositionem, et alia id genus. Et pro his, si papa, quod absit, pecuniam reciperet, procul dubio simoniam committeret sicut quilibet alius, et tanto gravius peccaret, quanto præ altitudine dignitatis cæteris omnibus præeminet.

2° « In his, quæ in se simoniaca sunt, non quidem principaliter, sed per connexionem, ut vendere beneficia, quibus annexa est ordinum exsecutio, seu potestas clavium, et in his similiter concludunt fere omnes papam posse involvi crimine simoniæ.

3° « In canonicatibus et beneficiis simplicibus valde dubius est hic casus : nam plerique ex theologis discrepant a canonistis, nec canonistæ conveniunt inter se; sed probabiliter sententia est quod papa non committit simoniam spiritualem conferendo beneficia ecclesiastica, quorum est dispensator absolutus. Sed quod male faciat pravo exemplo, non est dubium. » (Fagnan. in part. II, lib. I *Decret.*, *De elect.*, c. *Nullus*, n. 16; et *De pactis*, c. *Cum pridem*, n. 54 et seqq.)

VI. *Quid super beneficia ecclesiastica potest summus pontifex.* — Omnium bonorum Ecclesiæ dominium est apud Christum, cujus papa est vicarius, vel apud Ecclesiam catholicam quæ est una, et cujus ipse papa est princeps, ex communissima et saniore sententia. Unde dominium bonorum ecclesiasticorum omnium subest jure divino dispositioni papæ, qui est principalis et supremus administrator et dispensator omnium Ecclesiæ bonorum et beneficiorum. (S. Thomas, 2-2, quæst. 100, art. 1 ad 7, quem sequitur communis doctorum.) Unde in officiis et beneficiis ecclesiasticis Romanus pontifex absolute potest omnia, non vero ordinaria potestate. Et cum omnia beneficia sint libera et manualia papæ, et aliis concesserit jus disponendi, si ad se revocat, neminem lædit, quia quod suum est vindicare potest. (Fagnan. in part. I, lib. III *Decret.*, *De cleric. ægrot.*, c. *Consultationibus*, n. 26 ad 29.)

« Papa non potest contra alias Ecclesias præscribere; nam omnes Ecclesiæ suæ sunt, quia habet plenitudinem potestatis in quamlibet earum. Ergo per præscriptionem nihil acquireret. . . Papa habet plenitudinem potestatis super omnes Ecclesias singulariter et universaliter . . . Potest res et bona omnium Ecclesiarum orbis administrare et disponere pro libito voluntatis, præsertim subsistentibus causis, et quod fit ab eo, videtur procedere ab ore Dei . . . Papa potest facere monachum professum testabilem, et dare illi facultatem donandi bona monasterio acquisita . . . Potest conferre alicui Ecclesiæ dominium rei suæ . . . etc. Et ratio est, quia dominium rerum ecclesiasticarum, proprie loquendo non est apud aliquam ecclesiam particularem, sed apud Christum, cujus papa est vicarius cum omnimoda potestate in terris, eo quia Ecclesia catholica cujus Christus est caput, est una, cujus principatus est apud Ecclesiam Romanam, quæ fuit a Deo immediate instituta; cæteri vero Ecclesiæ tanquam rivuli fuerunt insti-

tutæ ab ipsa Romana Ecclesia : et ideo quidquid juris est apud particulares Ecclesias, est etiam apud papam, qui, ut dixit Joan. Monachus, est Peter patrum, et cum omni prælato in potestate et jurisdictione concurrit : unde quando aufert rem alicui particulari Ecclesiæ, potius dicitur auferre administrationem, quam dominium; quia dominium est potius apud ipsum papam, cum sit apud Christum, cujus est vicarius, vel apud Ecclesiam catholicam, quæ est una, cujus ipse est princeps . . . communiter. » (Fagnan. in part. II, lib. III *Decret.*, *Ne cler. vel monach.*, c. *Relatum* n. 28.) Unde

1° Ecclesiæ omnes ubique papæ subjectæ tenentur subvenire necessitatibus, si requirantur. . . et papa potest ab omnibus subsidium exigere, collectare Ecclesias totius orbis. (Id. in part. I, lib. V *Decret.*, *Ne prælati vices suas*, c. *Præterea*, n. 38 et 59.)

2° Potestas omnia beneficia ecclesiastica totius orbis conferendi competit summo pontifici, si velit ipse ; regulariter vero et ordinarie quædam tantum majora beneficia sibi reservat conferenda.

3° *Beneficia papæ reservata.* — 1. Corpore juris communis clausi reservantur papæ unica beneficia vacantia apud sedem apostolicam, vel in curia Romana ; de quibus excipiuntur, et reservationi huic non subjacent, beneficia manualia, seu ad nutum revocabilia ; beneficia juris patronatus laicalis, beneficia regularia ; beneficia Ecclesiæ non numeratæ seu receptivæ ; beneficia resignata ex causa permutationis; beneficia quæ ex consuetudine conferenda sunt magistris theologiæ aut doctoribus juris canonici. — 2. Reservata sunt per extravagant. *Primo*. Bonifacius VIII, extrav. *Piæ* 1, tit. 2 lib. 3, reservat dignitates, personatus, Ecclesias, aliaque beneficia ecclesiastica, apud eamdem sedem vacantia. *Secundo*, extrav. *Exsecrabilis* 4, eod. tit. et lib. reservat beneficia similia retenta ab iis qui receperint dignitatem, vel personatum, vel officium, aut aliud beneficium curam animarum habens. *Tertio* Benedictus XII, extrav. *Ad regimen* 13 eod. tit. et lib. reservat patriarchales, archiepiscopales, episcopales Ecclesias; item monasteria, prioratus, dignitates, officia, et beneficia quæcunque, etiam consueta conferri per electionem, aut quemvis alium modum, si apud sedem apostolicam vacaverint ; vacantia per depositionem, privationem, translationem, consecrationis susceptionem, electionis aut postulationis cassationem, muneris renuntiationem, auctoritate apostolica inductam ; vacantia per obitum sedis apostolicæ dignitatum et officialium. Vacantia per promotionem ad dignitates majores auctoritate pontificia factam. — 3. Reservationes factæ in Regulis cancellariæ.

In *prima regula* renovantur reservationes extravag. *Ad regimen*, et *Exsecrabilis*, supra. Et extenditur hæc reservatio 1° ad beneficia officialia S. sedis, etiam dimissis ipsis officiis ante obitum ; 2° ad beneficia omnia tam obtenta, quam obtinenda, de quibus ordinarii aliique collatores scienter contra decreta et formam concilii Tridentini disposuerint, vel in posterum disponent, v. gr. si contulerint beneficium carenti legitima ætate, aut non habenti qualitates ab eodem concilio requisitas, etc. Hac regula in Galliis omnes parœciæ curiales (*de Canton*) absque concursu a Tridentino præscripto collatæ, et præbendæ seu officia de quibus præscriptum est a concilio Tridentino ut conferantur *tantum* magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico, sanctæ sedi apostolicæ de jure reservantur.

In *secunda regula* reservantur pontifici omnes ecclesiæ patriarchales, primatiales, archiepiscopales, episcopales et monasteria virorum, si monachis sint destituta, vel commendari solitæ, et valorem ducentorum florenorum auri communi æstimatione non excedant. Beneficia omnia, quæ ad collationem episcoporum vel abbatum, aut aliorum collatorum spectant, et post obitum, resignationem, translationem, privationem illorum, vel alias quomodocunque vocaverint, usque ad provisionem successorum, apostolica auctoritate faciendam, et adeptam ab eisdem successoribus pacificam possessionem. Hæc regula locum non habet in Germania nec in Gallia per concordata.

Tertia regula extendit præcedentes reservationes.

Quarta regula reservantur omnes dignitates majores post pontificales in cathedralibus Ecclesiis, necnon principales in collegiatis, si valorem decem florenorum auri communi æstimatione excedunt. Quod intellige de una tantum in singulis ecclesiis, nempe quæ prima est, seu principalis, quocunque nomine donetur ; excipitur, si in una ecclesia duæ, vel plures sint dignitates æque præci-

quæ; nam tunc affirmandum est omnes reservatas esse. Reservantur prioratus, præposituræ, et aliæ dignitates conventuales, et præceptoriæ generales ordinum quorumcunque, sed non militarium, etc. Quæ reservatio ut locum habeat duo requiruntur, ut dignitates istæ sint perpetuæ, ut regantur per præpositos et priores, quorum electio non sit a religiosis simul congregatis, quales sunt, quæ dari in commendam solent.

Quinta, sexta, septima et octava regulæ ad sanctæ sedis dignitates, et officiales Romanarum basilicarum attinent.

Nona regula, dispositioni papæ reservantur beneficia omnia, mense Januario, Februario, Aprili, Maio, Julio, Augusto, Octobri, et Novembri aliter, quam per resignationem in manus ordinarii, quomodocunque vacantia, ad quorumcunque dispositionem (non tamen cardinalium, aut aliorum, sub certis concordatis comprehensorum) pertinentia, etc. Episcopis tamen, qui resederint in sua Ecclesia, alternativa mensium in collatione indulgetur.

Porro reservationes istæ regularum cancellariæ non extenduntur ultra vitam summi pontificis, qui regulas has curavit promulgari; nam illo mortuo, etiam istarum expirat vis et auctoritas, donec a recens electo pontifice denuo promulgentur. Unde beneficia vi earum alias reservata, si sede apostolica vacante vacent, libere conferunt episcopi ordinaria sua potestate, quæ per mortem pontificis vinculo reservationis soluta est.

Quoad Galliam hodie tantum reservantur summo pontifici regulariter per quartam regulam omnes primæ dignitates capitulorum cathedralium; et per primam regulam ut supra; per Concordatum anni 1516 juncto titulo uniuscujusque cathedralis erectionis, unusquisque papa in suo pontificatu semel duo beneficia conferre potest in unaquaque diœcesi, quia in omnibus Galliæ diœcesibus episcopi sunt ad minus quinquaginta beneficiorum sive canonicatuum sive parœciarum curialium (*de Canton*) collatores. Et quamvis papa illa jura non exerceat, ipsi tamen debentur de potestate ordinaria.

4° In beneficiis conferendis regulas juris observare papa non tenetur, sicut alii collatores; adeoque potest: 1° conferre beneficia non tantum vacantia, sed etiam non vacantia, et dare ad hæc gratias exspectativas; 2° potest illa conferre non tantum absolute, sed etiam sub conditione de futuro et suspensiva, item sub modo, etiam qui de jure non inest, 3° non tantum in perpetuum, ut alii collatores, sed etiam ad tempus; 4° non tantum singula singulis, sed etiam unum duobus, idque vel copulative, vel alternative, prout voluerit; 5° imo arbitratu suo potest uni beneficium adimere, et alteri dare, et quidem valide etiam sine justa causa. » (Schmalz. part. I, tit. V, p. 3, n. 83.)

Attamen papa confert beneficia devoluta potestate speciali, non generali tantum, qua potest omnia beneficia conferre.

Providere potest etiam de beneficiis electionis absoluta potestate.

Si velit papa, potest libere disponere de beneficiis patronatus laicorum, etiam invitis patronis; sed non expedit ut sic disponat, ne laici a fundationibus retrahantur. Ideoque non censetur velle patronatui laicorum derogare, nisi hoc exprimat.

Papa potest jus tribuere in beneficiis vacaturis, non obstante concilio Tridentino, non per viam juris, sed per viam dispensationis; non per viam juris, quia exspectatio futuræ successionis ansam præbet captandi mortem proximi sui, quod repugnat principiis naturæ. Ideoque in specie, et ad instantiam certæ personæ conferre non debet.. et quamvis possit reservare illius contemplatione, hoc tamen fieri debet eo ignorante, ne detur occasio. — Præterea est contra canones et conciliorum decreta Lateranensis et Tridentini. (Fagnan. in part. I, lib. I *Decret.*, *De const.*, c. *Cum accessissent*, n. 2; part. II, lib. III, *De jure patron.*, c. *Quoniam*, n. 9; in part. I, lib. III *De concess. præb.*, c. *Nulla*, n. 7, 15, 45 et 82.)

Saltem de postestate ordinaria non potest papa procedere ad privationem beneficii, parte non citata. (Id. *De cler. ægrot.*, c. *Consultationibus*, n. 68 et seqq.)

Tandem in beneficiis omnia potest papa, clave non errante, ut notat Baldus post gloss. 2, in c. *Quanto*, *De sent. excom.*, et ibi communiter sequuntur doctores. « Graviter enim erraret clavis papæ, si sine causa privaret me beneficio meo, et non daret mihi recompensam... injuste agit, et tenebitur reddere rationem Deo optimo max. » (Id. *ibid.* n. 67 ad 72.) Unde doctores concludunt quod papa, si aufert clerico beneficium sine justa causa, tenetur coram Deo eidem clerico recompen-

sam per aliud beneficium aut aliter præbere.

VII. *Quid super regulares possit papa.* — Regula omnis religionis a Romani pontificis auctoritate vires sumit. Papa potest novum ordinem, seu religionem approbare, et erigere dignitates omnino novas ; sicut religionis substantiam approbat, sic et ipsam tollere potest. In illius potestate est etiam strictiorem vitam indicere quam eorum regula exigat; item primævum rigorem regulæ mitigare ; item de monacho non monachum facere, quod tamen non facit nisi ex gravissima causa. (Fagnan. in part. II, lib I *Decret.*, *De offic. ordin.*, c. *Perniciosam*, n. 70 ; in part. II, lib. III, c. *Cum ad monasterium*, n. 59 et 60 ; c. *Recolentes*, n. 7 et 8 ; c. *Ne religiosi*, n. 11.) — Regulares ab ordinariorum jurisdictione eximit ; sed dum Ecclesiam ab aliis eximit, intelligitur papa eam sibi immediate subjicere ; nunquam enim ita eximit aliquem a jurisdictione, quin ipse possit per se vel delegatos procedere. Unde est judex ordinarius exemptorum. Potest tribuere facultatem testandi de reditibus ecclesiasticis tam clericis sæcularibus, quam regularibus, etc...

VIII. *Quid super fidelium matrimonia possit papa.* — Solus papa inducit impedimenta matrimonium dirimentia, et inhabilitat ad matrimonium contrahendum. (Fagnan. in part. II, lib. I *Decret.*, c. *Perniciosam*, n. 63.) Potest dissolvere matrimonium non consummatum tam per viam statuti, quam dispensationis; et quandoque etiam consummatum, videlicet inter infideles, cum alter conjugum ad fidem convertitur, et alter renuit secum habitare sine contumelia creatoris ; sed tantummodo concurrente gravi causa, qua cessante non dispensat super matrimonio rato. Multi censent summum pontificem non posse statuere ut matrimonium ratum dissolvatur per consummatum. Papa dispensat cum omnibus personis conjunctis, nisi cum patre et matre, ut matrimonium contrahant... Quia, ex div. Thoma et aliis, matrimonium in linea recta non est irritum jure naturæ ultra primum gradum. Solus dispensat super matrimonio puellæ, quæ sufficientem habet discretionem, sed non aptitudinem ad copulam. Item dispensat in aliquibus gradibus prohibitis in Levitico. Sed non videtur jure nostro posse decerni ut professio emissa in domo sæculari absque incorporatione alicui de religionibus approbatis censeatur regularis ad effectum dirimendi matrimonium ratum, non consummatum. Papa vero dispensat in voto continentiæ solemnizato per susceptionem sacri ordinis. (Fagnan. in part. II, lib. III *Decret.*, *De convers. conjug.*, c. Ex parte I, n. 7, 16, 20; — in part. I, lib. V, *De matrim. contrah. contra interd. Eccles.*, c. *Litteræ quas*, n. 7; *De desponsat. impub.*, c. *De illis*, n. 30, 46; — *De consanguinit. et affin.*, c. *Vir qui*, n. 35; in part. II, lib. I *De translat. episc.*, c. *Quanto*, n. 54, 55, 89; cap. *Perniciosam.* n. 61 ad 63.)

IX. *De dispensationis potestate summi pontificis.* — 1° In lege divina et naturali papa non dispensat proprie, sed declarat eam in aliquo casu non obligare. Et in his quæ sunt de jure divino non dispensat in casibus sibi permissis, nisi ex justa et rationabili causa. (Fagnan. in part. II, lib. I *Decret.*, *De pactis*, c. *Cum pridem*, n. 80 ; c. *Quanto*, n. 62.)

2° Dispensat in omnibus statutis Ecclesiæ. (Id. *De filiis presb.*, cap. *Nimis*, n. 15.) — In his quæ sunt juris positivi dispensare potest sine ulla causa, et sic dispensati sunt tuti quoad Deum. (Id. in part. I, lib. V *Decret.*, c. *Henricus*, n. 15.)

3° Dispensat contra apostolorum non divina sed propria auctoritate statuta.

4° Solus papa dispensat in juramento et in voto solemni paupertatis et continentiæ : sed in votis non dispensat proprie, sed declarat et in melius commutat. (Fagnan. in part. II, lib. I *Decret.*, *De offic. ordin.*, c. *Perniciosam*, n. 58; *De renuntiatione*, c. *Dilecti*, n. 21, 22.) Sed dispensatio papæ in votis sine justa causa non prodest in foro animæ. (*Ibid.*)

5° In omnibus irregularitatibus etiam bigamiæ dispensat. (*Ibid.* c. *Cum pridem.*) Potest jure ordinario super bigamia dispensare ad ordines minores, et ex necessitate etiam ad subdiaconatum ; sed non potest dispensare cum bigamo ad ordines sacros de potestate ordinaria. Nam licet papa de potestate absoluta hoc posset facere, non tamen decet eum semper uti plenitudine potestatis, et sic potentiæ non congruit; et hac congruentia, seu decentia considerata dicimus eum non posse cum bigamo dispensare. (Id. in part. II, lib. I *Decret.*, *De bigam.* c. *Super eo*, n. 11 a 34.)

Cum percussore et cum homicida dispensat. (Id. *Sicut dignum.*) Non tamen dispensat

cum homicida voluntario ad ordines suscipiendos, quia de jure divino prohibitum est. Dispensat vero cum jam promotis super homicidio voluntario, aliquando in signatura gratiæ ; aliquando remittit supplicationes ad congregationem concilii. (Id. part. I, lib. v, cap. *Henricus*, n. 27, 34.)

Potest dispensare eum promovendo ad episcopatum, super ætate et aliis qualitatibus, ut litterarum scientia, (dummodo tamen scientia sit sufficiens), nativitatis illegitimitate. (Id. part. II, lib. I *Decret. De elect.* c. *Cum in cunctis*, n. 14.) — Aliquando dispensat super retentione plurium episcopatuum, aut plurium beneficiorum curatorum. (Id. part. I, lib. III, *De cler. non resid.*, c. *Ex parte*, n. 56.)

Dispensat solus papa cum clerico sæculari, qui in excommunicatione recipit ordines, etiamsi ab illa excommunicatione episcopus possit absolvere. Solus etiam dispensat ut laici admittantur cum collegialibus ad eligendum. (Id. l. v, *De sent.*, etc., c. *Cum illorum*, n. 8; in part. II, lib. I, *De elect.* c. *Massana*, n. 5 et 29.)

Faciens actum prohibitum, super quo potestatem habet dispensandi cum inhabili, censetur tacite dispensare. (In part. II, lib. I, *De pactis*, c. 1 *Cum pridem*, n. 145.)

6° Papa solus potest commutare pias dispositiones tam inter vivos quam in ultima voluntate ; item derogare juramento, pactis et privilegiis in limine fundationis.. Potest commutare ultimas voluntates, et de hoc dubitare est sacrilegium. (Id. lib. II *Decret. De testam.* c. *Nos quidem*, n. 40 et 44.) Ut piæ dispositiones non subsint papæ, repugnat juri nedum canonico, sed etiam divino. (*Ibid.* 59, 61.) Papa in signatura nullam habet rationem ultimarum voluntatum prohibentium ne papa possit illas commutare. — Papa de potestate ordinaria non potest fundationibus monasteriorum derogare, et voluntates commutare, nec testamentum, vel contractum aut aliam dispositionem rescindere. (Fagnan. in part. II, lib. I *Decret.* c. *Perniciosam*, n. 67, 68, et c. *Relatum*, n. 22, 23.)

His exemplis facile intelligitur quanta sit et quomodo in reliquis omnibus applicanda pontificis potestas.

§ VIII. — De potestate summi pontificis quoad suum successorem.

I. Papa solus statuere potest leges secundum quas eligendus erit successor ejusdem ; qui vero ad istarum legum formam eligitur est verus et legitimus successor Petri et Christi vicarius. Et hoc procedit ex potestatis plenitudine Petro ejusque successoribus a Christo collata.

II. Quæritur an papa possit sibi successorem substituere ? In duas partes, affirmativam et negativam, scinduntur doctores, quod sic ex Fagnano (in part. II, lib. I *Decret. De pactis*, c. *Accepimus* et seqq. n. 16 ad 32.) brevius exponere ducimus : 1° In partem affirmativam inclinat Petrus episcopus Brixiensis ; hanc opinionem sustineri posse in via disputativa, et de potestate absoluta, firmat Dec. in cap. *Licet de vitanda*, *De elect.*, et ex theologis sequuntur Victor. Martin. Ledesm. Suarez et Vasquez. — Pro qua affertur exemplum Christi, qui arbitrio Petrum sibi successorem instituit .. 2° C. *Si Petrus*, causa 8, quæst. 1 : ubi refertur B. Petrum, apostolorum principem, sibi elegisse successorem sanctum Clementem. — 3° Decretum, quo Bonifacius II in concilio Romano I Vigilium diaconum elegit... S. Gregorius VII hortatus est ut Desiderium pontificem facerent cardinales, aut Origenem Lugdunensem archiepiscopum, aut Othonem Ostiensem episcopum, etc. 4° C. *Si transitus*, 79 dist., ubi innuitur papam posse ante transitum suum de successore decernere et deliberare... 5° c. *Petiisti*, causa 7, quæst. 1, ubi patet papam posse hanc facultatem sibi eligendi successorem alteri tribuere... Ergo etiam potest ipse sibi eligere.. 6° c. 22. *Adrianus*, dist. 63, ubi expressum est hanc potestatem subrogandi successorem in locum Romani pontificis prædefuncti ab Adriano I attributam fuisse Carolo Magno in synodo Romana. 7° c. *In nomine Domini*, 23 dist. c. *Licet de vitanda*, *De elect.* Quæ probant papam posse constitutiones facere circa electionem sui successoris... Quod igitur ei permittitur per viam legis universalis, debet etiam censeri permissum per viam specialis ordinationis seu institutionis. 8° Et ultimo hæc prohibitio sibi eligendi successorem in principatu ecclesiastico videtur esse tantum de jure positivo, et ex constitutione Ecclesiæ, ut innuitur in c. *Apostolica*, causa 8, quæst. 1... Papa autem non ligatur constitutionibus suorum prædecessorum etiam in generali concilio editis, ut est textus apertus in c. *Innotuit*, *De elect.* — Addit Victoria supra citatus *De potest. eccles. relect.* 2,

quæst. 2, n. 23 : «Multa inconvenientia evitari per hujusmodi electionem, tum quia Ecclesia nunquam vacaret, sed suo orbata pastore, illico provideretur ; tum quia schismata, ambitiones, contentiones, et cætera mala cessarent. »

« Sed præmissis minime obstantibus sine trepidatione tenenda est hæc conclusio, videlicet, papa nullatenus potest sibi successorem eligere, ac si eligat, irrita est electio. Ita Glossa quam sequuntur omnes... » — Pro hac conclusione quam plurima adduci possent, sed præcipua fundamenta sunt quinque.

1. Si liceret Romanis pontificibus sibi instituere successores, hoc esset immutare statum Ecclesiæ (scilicet inducendo transmissionem hæreditariam pontificatus), quod non licet papæ, per ea, quæ scribit beatus Leo in cap. *Ad perpetuam*, causa 25, quæst. 1... Quandoquidem... nemo unquam ad apostolatus apicem evectus est nisi per electionem, ut tradit August. Triumphus, *De potest. eccles.* quæst. 2, art. 2.

2. Quia institutio, seu electio successoris confertur a papa in tempus, in quo ipse non est amplius papa, et consequenter non valet defectu potestatis.

3. Quia ejus est potentia cujus est actus. Sed actus electionis papæ simpliciter et absolute non est papæ... Ergo potestas electiva papæ non convenit formaliter papæ, quia potestas electiva papæ est actus, qui facit papam quantum ex se est. Ergo repugnat potestati electivæ ut præsupponat tunc papam, cum id quod fit, non sit. Si enim esset, non fieret. (Ex acutissimo Cajetano.)

4. Quia se habet papa et episcopus ad Ecclesiam sicut vir ad uxorem. Sed vir, licet sit caput uxoris, non tamen potest uxori suæ alium virum relinquere, quia eo mortuo ab illius legibus est soluta. Ergo nec papa licet sit caput Ecclesiæ sponsæ suæ potest eidem Ecclesiæ alium sponsum relinquere, cum, eo mortuo, spirituale conjugium sit solutum, et Ecclesia remaneat viduata.

5. Quia hæc potestas sibi subrogandi successorem non solum est contra jus canonicum..., sed etiam adversari videtur juri divino et naturali, ad quod non pertinet dispensatio... Institutionem summi principis Dominus sibi reservavit, v. gr. Moyses, Josue... Non objicies, Ergo nec cardinalibus licebit eligere apostolicum. Respondeo, Deus est, qui eligit, et cardinales sunt ministri, ac veluti instrumenta divinæ voluntatis.

Ex consectariis, cujus principale verendum esset, ne communiter substituerentur nepotes et consanguinei, quod esset sæpe contra dictamen juris naturalis, ex quo præcipitur quod qui præesse debet multitudini, et illam regere, melior cæteris est eligendus.

Refellit argumenta contraria ad *primum*. Non est de Petro sicut de Christo, cui Ecclesia erat propria. — Ad *secundum :* Clemens non acceptavit, nec primo successit Petro. — Ad *tertium :* Factum illud Bonifacii in concilio revocatum fuit. — Ad *quartum :* Aliud esse de sui successoris electione cum fratribus deliberare, quod ibi permittitur et potest fieri, et aliud ex testamento quasi dignitatis suæ hæredem substituere, quod penitus prohibetur. (C. *Episcopo non*, causa 8, quæst. 1.) — Ad *quintum :* Negat consequentiam ; nam multa sunt quæ aliis indulgemus quæ nobis indulgere non possumus. — Ad *sextum :* Illos canones esse apocryphos et commentitios. — Ad *septimum :* Aliud est facere constitutionem de electione, quod potest papa, aliud successorem eligere, quod ei non licet. — Ad *ultimum :* Hanc prohibitionem sibi eligendi successorem non inniti solum jure canonico, sed etiam jure divino et naturali... Fagnanum sequuntur multi et præsertim L. Ferraris, verb. *Papa ;* et ibi omnes ; Schmalzgrueber (part. II, tit. V, § 10) et fere omnes negant quod papa sibi successorem sufficere possit potestate ordinaria.

§ IX. — De electione papæ.

I. Summus ergo pontifex assumi debet per electionem, quæ in diversis temporibus variis modis a pontificibus præscriptis facta fuit.

1° Christus ipse elegit, instituit et consecravit beatum Petrum in suum vicarium et monarcham Ecclesiæ suæ.

2° Ex Barbosa, post Petrum electio pontificis fuit apud Ecclesiæ Romanæ senatum ex viginti quatuor presbyteris et diaconis Romanæ urbis, quos ipse Petrus tanquam senatores Romanæ Ecclesiæ in locum absentium apostolorum instituit.

3° Post tempora sancti Sylvestri, inter hujusmodi senatores reliquus clerus Ro-

manus ac populus ad præsentiam et corroborationem exhibendam adjunctus est electioni pontificis, ut colligi videtur ex capite *Factus* 5, causa 7, quæst. 1.

4° Progressu autem temporis, ad sedandas contentiones et tumultus imperatores suas manus huic electioni interponere cœperunt; posteaque repetitis vicibus eamdem sibi vindicarunt imperatores, jure, an injuria, non disputavero, ait Schmalzgr. (Part. II, tit. v, § 10, n. 92.)

5° Decreto Nicolai II relato in c. *In nomine Domini* 1, dist. 23, sancitum fuit ut electio papæ a cardinalibus episcopis peragereturl, ac deinde reliqui cardinales, clerus ac populus Romanus ad eam comprobandam accederent, salvo tamen honore et reverentia imperatoris.

6° Alexander III in generali Lateranensi concilio statuit, ut ille demum canonice electus censeretur, in quem duæ ex tribus collegii cardinalium partes consensissent, et sic excluso cleri et populi consensu, tota pontificis electio ad solum cardinalium collegium redacta est. Quod fuit confirmatum et plenius statutum a Gregorio X in concilio Lugdunensi 1274 celebrato, ut habetur c. *Ubi periculum* 3, *De elect.* in 6; et ab aliis pontificibus, qui plura circa electionem papæ statuerunt, ne diuturnæ vacationis incommodis Romana Ecclesia premeretur.

Unde cardinales omnes, quamvis excommunicati, suspensi aut interdicti (Clement. *Ne Romani* 2, *De elect.*, etc.), etiam nuper creati et publicati, vocem habent in electione pontificis, etiamsi nondum insignia cardinalatus acceperint, neque os clausum, aut si clausum fuerit, nondum tamen apertum sit. (S. Pius V, sub die 26 Jan. 1571.) — Cardinales vero nondum ordinati ad diaconatum, in electione pontificis vocem non habent ex constitutione Pii IV *In eligendis*, ab aliis pontificibus confirmata: quibus tamen constitutionibus et cæremoniali quoad hoc hactenus derogare solent summi pontifices, quando cardinales nondum diaconos creant, et de hoc expedire jubent breve particulare.

II. *De conclavi.* — Ante electionem papæ, statim, priore defuncto, cardinales absentes sunt monendi per litteras a secretario sacri collegii subscriptas, ac per decem dies a die mortis pontificis computandos, exspectandi. Si tamen ante dictos decem dies elapsos, ex aliqua justa causa præveniendi, fiat papæ electio a communi cardinalium præsentium vel duarum partium eorum consensu, non exspectatis cardinalibus absentibus, talis electio erit valida. Cardinales præsentes per novem dies debent celebrare exsequias defuncti pontificis.

Per dictos novem dies, singulis diebus cardinales non impediti in basilica Vaticana conveniunt, ut in ejusdem basilicæ sacristia principum oratores, ac etiam officiales et magistratus audiant, aliasque congruas præbeant provisiones pro utriusque principatus regimine, ac etiam pro conclavis ordinatione, quod intra id temporis fabricari debet in palatio pontificio, nullo intermedio pariete.

Decima vero die, celebrata prius in eadem basilica missa de Spiritu sancto, cardinales in urbe exsistentes, et legitime non impediti processionaliter conclave ingrediuntur; legitime autem impediti solent sero privatim ingredi, cardinalibus jam exsistentibus in propriis cellis, quæ per sortem absque aliqua personarum acceptione distribuuntur; per totam illam diem liber patet aditus principum oratoribus ac magnatibus et prælatis aliisque omnibus, tam nobilibus quam popularibus conclave peragrandi, atque benevolos cardinales in cellis visitandi.

Omnibus autem de sero exclusis, præter eos, qui conclavi cum cardinalibus remansuri sunt, illud ad formam rigorosæ clausuræ undique redactum clauditur per ejusdem conclavis custodes, qui duo sunt fixi ac principales, ille scilicet prælatus, qui ab eodem collegio ante ingressum electus fuerit, qui conclavis gubernator dicitur; et alter sæcularis, qui conclavis marescallus nuncupatur; alii vero custodes sunt prælati, ac etiam respective conservatores populi custodientes rotas, per quas victualia, aliaque necessaria transmittuntur, ad formam clausuræ monasteriorum monialium; dictique custodes per turnum deputari soliti singulis diebus invigilant, ne apostolicis constitutionibus contraveniatur circa allocutiones, vel litterarum transmissionem.

In conclavi sub clausura, ultra cardinales, remanent regulariter duo cujuslibet cardinalis familiares, qui vulgo conclavistæ nuncupantur, pro eorum servitio, solum-

que cardinalibus senibus vel infirmis, ac etiam iis qui de principum genere sint, indulgetur tertius familiaris seu conclavista... sed hi debent esse ipsorum cardinalium vere servientes, familiares, domestici et continui commensales, cujusque respective saltem ab anno ante, et adhuc pro tunc tales exsistere

Ultra prædictos familiares cuilibet cardinali specialiter necessarios, remanent in conclavi alii quoque officiales vel ministri pro servitio cardinalium in communi ; scilicet unus sacrista cum clerico coadjutore, duo magistri cæremoniarum qui celebranti ministrent, unus religiosus pro confessionibus audiendis, unus collegii secretarius cum uno tantum famulo; duo medici, unus chirurgus cum uno aut duobus servitoribus ; duo barbitonsores, unus faber lignarius, unus cæmentarius ; item octo, aut decem servientes bajuli publicæ utilitati et commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, et pro aliis hujusmodi ministeriis, qui omnes a collegio cardinalium, non tamen ex familia alicujus cardinalis, eligi debent per secreta suffragia ; ita tamen ut is obtineat qui plura vota tulerit, et eis salaria de publico persolvantur.

Circa cibum et potum intra conclave cardinalibus portandum, Gregorius X, const. *Ubi periculum*, statuit, quod si intra tres dies post ingressum conclavis non fuerit electus papa, per spatium quinque dierum immediate sequentium, singulis diebus, tam in prandio, quam in cœna, uno ferculo solo sint contenti, quibus, provisione non facta, decursis, tunc tantummodo panis, vinum et aqua ministrentur. At Clemens VI, const. *Licet*, præter panem, vinum et aquam in prandio et cœna unum duntaxat ferculum, seu missum carnium utriusque speciei tantummodo ; aut piscium seu ovorum cum uno potagio de carnibus vel piscibus specialiter non confectis et decentibus salsamentis habere permittit, ultra carnes solitas, herbas crudas, caseum et fructus seu electuaria, quibus tamen nullum specialiter ferculum vult confici, nisi ad condimentum fieret vel saporem ; et prohibet ut nullus de alterius ferculo vesci possit. Pius vero IV, const. *In eligendis*, statuit, ut primo ipso die, quo conclave ingressi fuerint, tam in prandio quam in cœna uno ferculo unius speciei tantum, atque moderato, alias juxta constitutionem Clem. VI qualificato contenti esse debeant, et ut quispiam in alterius cella, vel de alterius ferculo vesci non possit.

Ad hujus vigoris observantiam constituuntur exsecutores ex præcipuis magistratibus civitatis, ubi electio celebratur, qui, præstito juramento, curare debent, ut prædictus ordo vigorque servetur. Romæ autem sunt prælati diversorum graduum, qui bis in die, singulis diebus, mane scilicet, et vesperi mutantur ; intimaturque a cursoribus, servato ordine eorum omnium qui in Romana curia reperiuntur, incipiendo a patriarchis, sequentibus archiepiscopis, episcopis, cæterisque prælatis, juxta ordinem eorum promotionis, semperque assistit gubernator burgi, et duo cursores pro occurrentibus necessitatibus ; qui quidem prælati sub perjurii pœna, ac suspensionis a divinis, maxima et exquisita diligentia uti debent in inspiciendis et perscrutandis epulis quæ prandii et cœnæ tempore afferuntur, ac aliis rebus et personis conclave intrantibus et de eo exeuntibus, ne sub earum rerum velamine litteræ aut notæ vel signa aliqua transmittantur : si qui vero reperiantur, qui contra prædicta aliquid commiserint, familiares cardinalium, aut alii delinquentes pœnam privationis officiorum et beneficiorum, ac inhabilitatis ad obtenta et obtinenda incurrunt, et ulterius per gubernatorem carceribus mancipandi erunt, et inde nisi de mandato novi pontificis minime relaxandi, sed ejus arbitrio acrius puniendi, omni facultate cardinalibus, in favorem quorumcunque, qui in præmissis, vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta, prout latius continetur in sæpe citat. Const. Pii IV *In eligendis*.

Si ante factam electionem plurimi cardinales decedant et recedant et nolint electioni intervenire, electio pertinet ad solos superstites electioni interessentes, quamvis duo tantum remaneant, quia unus potest eligere alium, imo quamvis unus solus remaneat, ad ipsum spectabit electio. Non posset tamen ille eligere seipsum.

Si omnes cardinales (quod Deus avertat) morerentur ante factam electionem pontificis, et nullus exstaret, non conveniunt doctores

ad quem spectaret pontificis electio. Multi enim dicunt quod in hoc casu electio spectaret ad canonicos Lateranenses, quorum Ecclesia est propria sedes pontificis super omnes orbis et urbis. Alii vero affirmant quod in hoc casu electio pontificis spectaret ad concilium generale, quia pontifex non solum urbis Romæ, sed totius Ecclesiæ universalis est pastor. Nonnulli tamen dicunt tunc temporis electionem pontificis pertinere ad patriarchas. Hæcque ex L. Ferraris, *Bibliotheca* verb. *Papa*.

III. Ex constitutione Gregorii XV *Æterni Patris*, triplex electionis forma proponitur, *inspirationis*, *scrutinii* et *compromissi*, quarum aliqua servanda est. Electio fit per *inspirationem*, quando, misso cœlitus signo, futurus papa designatur, vel, quod inspirationi æquivalet et pro ipsa præsumitur, quando omnes cardinales uno ore aliquem repente conclamant. Ubi talis non exsistit expressa, vel præsumpta inspiratio, ad scrutinium, quod plerumque obtinet, deveniendum est. Est porro scrutinium modus electionis quo singuli eligentium suffragia sua describunt, quæ deinde suffragia *scrutantur* et referunt certi ex eligentibus ad id deputati. Suffragia cardinalium sic exprimuntur : *Ego N. cardinalis N. eligo in summum pontificem reverendissimum N.* Quod si plusquam duæ tertiæ in unum conveniant, mox ille pontifex renuntiatur ; si vero præcise duæ tertiæ tantum, suffragium electi recensetur, et si appareat electum sibimet suffragium contulisse, nulla est electio, secus vero si aliter appareat. Si e contra duæ tertiæ non concurrant, potest adhuc statim fieri *accessus*, seu potest minor pars ad majorem, quin etiam major ad minorem, vel etiam ad minimam, et ad eum qui non nisi unam vocem consecutus est accedere, ex quo accessu si tandem duæ tertiæ emergant, absoluta est electio et salutatur pontifex.

Si demum ita perseveret suffragiorum divisio ut vix in unum, etiam pro duabus tertiis, electores consentire queant, aut si alias scrutinii moras et vicissitudines fugere velint, tunc negotium electionis uni aut pluribus *compromittunt*, eo pacto ut ille, vel illi quem voluerint eligant, ipsis tamen compromissis exceptis, qui juxta constitutionem Gregorii XV, nequeunt semetipsos eligere.

IV. Electio Romani pontificis ex lege ordinaria in Urbe celebranda est. Si tamen extra Urbem decessisset pontifex, eodemque loco audientia et curia pontificia consisteret, ibidem fieri deberet electio novi pontificis, ex Clement. *Ne Romani*, etc.; electio papæ debet celebrari in conclavi clauso, et uno ex dictis tribus modis, alias nulla est et invalida eo ipso absque ulla declaratione, et tam electus, quam eligentes, ejusque fautores et complices, incurrunt excommunicationem, aliasque censuras et pœnas summo pontifici reservatas, ex const. Gregor. XV, *Æterni patris*.

Vivente vero pontifice, ipsoque inconsulto, districte prohibentur cardinales de successore eligendo tractare, sub pœna *ipso jure, absque ulla ferendæ sententia* excommunicationis soli pontifici reservatæ, simulque *privationis cujusvis dignitatis ecclesiasticæ et sæcularis*.

V. In pontificem potest eligi quicunque vir fidelis catholicus, etiam laicus, et uxoratus, modo habeat ea, quæ jure divino et naturali ad dignitatem requiruntur. Ita communis doctorum, et decisum videtur, c. *Licet*. 6, tit. VI, l. I, *Decret.*, ubi statuitur, *ut sine ulla exceptione ab universali ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus fuerit, et receptus* ; igitur etiam non poterit sic electo opponi exceptio, quod non sit de collegio cardinalium, vel clericus. Dixi *et uxoratus*, intellige, si uxor consentiat, quæ tunc cogi potest, ut convertatur ; alias poterit eumdem revocare.

Jure naturali aut divino inhabiles ad pontificatum redduntur infans, amens, femina, hæreticus, nondum baptizatus.

Etsi nulla ætas præcise determinata sit ad summum pontificatum, eligendus tamen congruit, ut sit maturæ ætatis ; Barbosa et alii plures tenent non posse eligi in summum pontificem minorem triginta annis. Cum enim papa comprehendatur sub nomine episcopi, et de facto ipse se episcopum nominet, debet saltem esse constitutus in illa ætate quæ requiritur pro episcopis, pro quibus ex variis juribus requiritur ætas triginta annorum completorum. Si tamen eligeretur in summum pontificem aliquis nondum in tali ætate constitutus, electio esset valida, ut de facto fuit valida reputata et habita electio Joannis XII vix

nati annos duodeviginti, et electio Benedicti IX, decem annorum pueri, ut refert Ferraris ex Baronio et aliis. Sed forte dicendum est quod tunc temporis nondum lege positiva præfixa erat ætas certa ad episcopatum; cum vero postea ætas triginta annorum statuta fuerit, Barbosæ et aliorum opinio tenenda esse videretur. Attamen juxta plures doctores, cum supradicta ætas solum de congruentia requiratur in summo pontifice, si minor eligatur, dummodo usum rationis habeat, ejus electio non erit invalida. (L. Ferraris, *Bibl.* verb. *Papa.*)

VI. Peracta electione, ut ista effectum suum sortiatur, definitivaque censeatur, requiritur ut electus in eam consenserit. Nec tamen interea integrum est electoribus ad novam procedere, nisi post expressam electi renuntiationem.

« Quæritur vero an pontifex verus statim fiat, qui electionem sui a cardinalibus factam acceptavit? Resp. Distinguendum, an legitime electus fuerit an contra. Si *primum*, statim *obtinet auctoritatem regendi Romanam Ecclesiam, et disponendi omnes facultates illius.* (C. 1 *In nomine Domini*, dist. 23, ex Nicolao II.) *Ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Romanus pontifex habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus fuerit et receptus.* (C. *Licet*, lib. I, tit. VI *De elect.*, ex Alexandro III in concilio Lateranensi, 1178.) Ratio responsionis est, quia confirmatio electionis fieri per superiorem debet, papa autem nullum superiorem habet. Opus tamen est acceptione ejusdem, ut conjugium spirituale, quod inter ipsum et Ecclesiam intercedit, ratificetur. Porro hoc conjugium spirituale consummatur denique per consecrationem et coronationem, ante quam in bullis se episcopum quidem appellat, non tamen absolute, sed cum addito *electum;* tempus vero, quod inter utramque et electionem est medium, non simpliciter *apostolatus sui*, sed *susceptiapostolatus officii* vocat, prout Glossa et plures advertunt. Rursus tunc temporis non bullant bulla integra, sed si quas litteras concedunt, ponunt mediam bullam, id est illam partem, quæ habet capita sculpta, et ex alio latere, quo ponitur nomen, plena est bulla sine nomine. Post coronationem vero scribunt pontificatum in data, non ut prius, datum a nobis *susceptiapostolatus officii* anno, sed datum *pontificatus nostri* anno, etc. Propterea vocant se simpliciter episcopos, et dant bullam cum suo nomine. »

Asserentes tamen papam ante consecrationem non debere se episcopum, sed electum inscribere, sunt eo ipso excommunicati. (Schmalzg. part. II, tit. VI, n. 98. — Fagnan. in part. II, lib. I *Decret.* c. *Licet vitanda*, n. 5 et 6; et part. I, lib. I, *De rescriptis*, c. *In eam*, n. 12.)

« Si *secundum*, electio cardinalium, cum invalida fuerit, jus nullum electo potest tribuere. Hinc exspectanda erit Ecclesiæ universalis acceptatio, quæ si superveniat, defectum electionis invalidæ, per cardinales factæ, si desit tantum conditio jure humano requisita, sanabit, ut adeo fiat verus pontifex. Dixi *conditio jure humano requisita:* nam defectum conditionis requisitæ per jus divinum Ecclesia sanare non potest. Quia vero ex communi theologorum est fide divina credibile, quemlibet summum pontificem postquam ab universali Ecclesia ut talis est acceptatus, esse verum Christi vicarium, et beati Petri successorem, nullum erit periculum, ne Ecclesia consentiat in eum pontificem, qui defectum conditionis jure divino habet. Sed de hoc latius theologi. » (Schmalzg. *Ibid.* n. 98.)

« Certum est impugnari posse electionem etiam omnium consensu celebratam, si electus laboret defectu, quo jure naturali, aut divino inhabilis redditur... »

Opponi eidem potest defectus conditionis jure solum humano reddentis electionem invalidam, si contra objiciuntur defectus, qui tollunt substantiam et libertatem electionis, v. gr. quod sit gravi metu extorta, quod Simoniaca, quod celebrata pauciorum, quam duarum partium suffragiis, vel ab eis, qui potestate eligendi notorie carent. (C. *Licet cit.* c. *Si quis pecunia* 9, dist. 79; et const. Julii II, *Cum tam divino* in concil. Laterau., sess. 5. — Schmalzg. *Ibid.* n. 99.

« An si papa quacunque ex causa fuisset electus invalide, et hoc advertant cardinales, electo invito ad alterius novam electionem possint procedere?

« Resp. Si electus ut papam se gereret, et electioni renuntiare nollet, exspectanda foret sententia concilii generalis de nullitate electionis pronuntiantis, antequam cardinales ad novam electionem possent procedere, prout communiter colligunt doctores, Ex

concil. Constant., sess. 39, ubi de casu, quo electio est metu extorta, expresse habetur.

« Post latam tamen sententiam a concilio de nullitate electionis, electio novi pontificis fieri debebit a solis cardinalibus, ut notat cum aliis Laym. in c. *Licet*, et dat rationem, quia cum ea eligendi potestas cardinalibus data sit a summis pont. approbantibus conciliis generalibus, absque necessitatis causa auferri eisdem illa non potest.

« Necessitas autem, ut Laym. loc. cit. addit, pro ea vice auferendi cardinalibus hanc potestatem foret, si v. gr. ad schisma tollendum, cui plerique eorumdem faverent, expediens esset electionem a concilio generali fieri : et ita a concilii Constantiensis Patribus electus est Martinus V, ut refert Azorius, part. II, lib. IV, cap. 2, quæst. 13. » (SCHMALZG., part. II, tit. VI, n. 100.)

VII. Papa postquam suæ electioni consensum præstitit, aliud nomen sibi imponit ad instar principis apostolorum Petri, qui antea Simon vocabatur. Ad Adrianum III ante vocatum Agapetum, hujus mutationis initium referunt. Non tenetur autem papa nomen proprium mutare.

Papæ consecratio, seu inthronizatio fieri consuevit per card. episcopum Ostiensem, et ei Portuensis et Albanensis cardinales episcopi solent assistere. Et hodie cardinalium decanus, id est primus inter cardinales episcopos, quamvis non esset episcopus Ostiensis, id munus cum duobus aliis senioribus subit. Consecratio autem papæ in episcopum, si non erat episcopus, fit inter missarum solemnia ante hymnum angelicum, et postea ipse missarum solemnia incipit et perficit consecratus, quo tempore potest etiam ordines conferre, si velit; quod ab episcopo in die consecrationis suæ fieri nequit, c. *Quod sicut* 28, *De elect.* Coronatio autem fit per antiquiorem diaconum cardinalem. (BARBOSA, *Jur. eccles.* lib. I, c. 1, *De sum. pontif.* n. 117.)

In die coronationis papæ, ut conditionis humanæ memor sit, ante illum in summitate arundinis comburitur stupa, et ab uno cæremoniarum magistro interim sic inclamatur : « Pater sancte, sic transit gloria mundi. » (BARBOSA. *loc. cit.* cap. 2, n. 23.)

VIII. *Insignia Romani pontificis.* — 1° Papa ordinarie vestitur subtanna alba, pileolo albo aut galero rubro. At præter ornamenta episcopalia, id est rochetto et mozetta coloris purpurei ornata pelliculis herminiæ, etc. *Orario* seu stola semper utitur. Item *tiara*, tribus circumdata coronis, quibus triplex ipsius magistratus, legislatoris et judicis monarchica potestas exprimitur. Baculo vero pastorali papa non utitur *tum propter historiam*, tum propter *rationem mysticam*, ut habetur c. *Unic.* tit 15. *De sacr. unct.* lib. I, *Decret.* Tamen *historia* ad quam alludit citatus canon ab eruditis in dubium adducitur; inter vero rationes mysticas ista potissimum redditur, nempe baculum curvum limitatam, et ab alio participatam potestatem significare, quod certe papæ congruere nequit.

2° Insuper *pallio*, quo patriarchis et archiepiscopis, in solis missarum solemniis, certis tantum diebus, et in suis duntaxat ecclesiis, uti licet, papa semper utitur et ubique. (C. *Ad honorem*, lib. I *Decret.* tit. 8.) Ubi : « Ad honorem Dei, sane solus Romanus pontifex in missarum solemniis pallio semper utitur et ubique : quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium significatur. Alii autem eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus. Quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. »

3° Eadem de causa, papa ubique crucem ante se deferri jubet, qua facultate destituuntur ipsi patriarchæ in urbe et in loco quo præsens est pontifex, aut ejus legatus, insigniis apostolicis utens. Præterea cum longius iter arripit, sacramentum altaris secum deferre consuevit.

4° Nomen Romani pontificis in missa ab omnibus celebrantibus recitandum est, et Domino commendandum, ut habetur in canone Missæ. (*Inst. jur. R. de M.* t. I, p. 262.)

§ X. — De pontificatus amissione.

Triplici modo summus pontifex ab adepta dignitate cadit, scilicet *morte naturali*, *abdicatione*, seu libera renuntiatione, et tandem ipsius pontificis *depositione*. De primo modo, patet. De secundo modo, seu libera *abdicatione* fuit olim dubitatum an summus pontifex posset valide renuntiare papatui. At difficultas evanescit, quia est auctoritate definita, in constitutione sancti Celestini V confirmata a Bonifacio VIII ejusdem renuntiantis successore, c. *Quoniam de renuntiat.*, in 6.

De depositione pontificis major est difficultas, quia nulla est Ecclesiæ definitio. Non agitur hic de pontifice dubio, de quo concilium generale pronuntiare potest quod non sit verus papa ; sed de pontifice certo, an a suo gradu certis in casibus vivens et invitus excidere possit ? Communior et senior canonistarum et theologorum sententia est quod papa ob aliud crimen quam hæreseos pontificatu spoliari Ecclesiæ nequeat.

Verum quod ad hæresim spectat, quæstio est tum inter theologos, tum inter canonistas an summus pontifex, etiam ut privatus, possit incidere in hæresim proprie dictam, nempe scienter et obstinate adhærere errori jam damnato. Negant multi, et eorum sententiam experientia corroborat, quia in Romana sede per ingentem tractum sæculorum ne unum quidem pontificem reperire est qui, private etiam, fuerit hæreticus.

Quia tamen communior opinio est posse pontificem hæreticum fieri, et proinde quia juxta hanc opinionem possibilis est casus allegatus, quid juris circa hanc speculativam opinionem ?

Quæritur ergo in hac opinione an Romanus pontifex in hæresim lapsus ipso jure a pontificatu cadat, vel an sententia judiciaria ab eo sit amovendus ? Porro duæ sunt opiniones, ait Azor. (*Inst. mor.* p. II, l. IV, c. 7) quarum una affirmat esse quidem jure divino privatum pontificatu, sed Ecclesiæ sententia postea declarandum ob crimen hæresis a pontificia dignitate cecidisse.

Secunda opinio negat generatim papam factum hæreticum esse divino jure sua potestate et dignitate jurisdictionis amotum, sed amovendum.

Et hæc sufficiant de hoc speculativo casu, qui nunquam evenit et nunquam, Deo juvante, eveniet.

CAPUT III.

De curia Romana.

§ I. — De sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus.

« Proximum a summo pontifice locum obtinent S. R. E. » cardinales, sic dicti a CARDINE ; *nam sicut super cardinem volvitur ostium domus, ita super hos sedes apostolica, totius Ecclesiæ ostium, quiescit, et sustentatur*, ut const. *Non mediocri* inquit Eugenius IV, et merito quidem, quia sunt præcipui papæ consiliarii, facientes cum ipso unum corpus, et consistorium (SCHMALZ. part. IV, tit. 31, § 2), » et cum papa constituunt sanctam sedem apostolicam.

I. *Cardinalium origo.* — De origine cardinalium « dissident inter se doctores. In concordiam sententiæ illorum revocari possunt si distinguatur inter officium, titulum, nomen, et dignitatem illorum ; nam 1° *officium* videtur esse coævum apostolis; hi enim illud aliqua saltem ex parte gessisse videntur, dum post Ascensionem Domini astitere sancto Petro, eumque consilio et auxilio adjuverunt, donec ipsis per orbem universum dispersis, id munus in alios, quos sanctus Petrus sibi ascivit, coadjutores transiit, ut fuse deducit Barbosa. *Jur. eccl.* lib. I, cap. 3, n. 2 et 3. — 2° *Tituli* officio recentiores sunt ; nam anno primum 304, a sancto Marcello sunt instituti, et quidem numero tantum quindecim, iique presbyteris et diaconis assignati, quorum officium præcipue fuit baptizandorum, et pœnitentium cura, et sepultura martyrum, teste Flam. l. II *De resign.* quæst. 2, n. 34. — 3° *Nomen cardinalis* ante tempora beati Sylvestri exstitisse non constat : unde cum in sexta synodo Romana primum legatur, quæ sub beato Sylvestro post conversionem Constantini celebrata est, ab ipso adinventum creditur, et postea a Gelasio, Gregorio, aliisque pontificibus in usum deductum. (BARBOSA *loc. cit.*, n. 6.) — 4° *Dignitas* initio fuit infra episcoporum, postea vel a Bonifacio VIII, vel a Clemente V etiam supra episcopos evecti sunt, et proximo ad summum pontificem loco positi : in cujus eminentiæ signum Urbanus VIII, in consistorio secreto 10 *Junii* 1630. Ipsis (exclusive) titulum *eminentissimi* dedit, cum prius *illustrissimi* dicerentur. »

II. *Dignitas cardinalium.* — « Ex hoc, cum cardin. Petro de Alliaco, *De auctor. eccles.* cap. *De cardin.*, potest inferri, quod apostoli prius cardinales, quam episcopi fuerunt, etc., prius fuerunt cardinales orbis, quam urbis. » Et infra : « Senatui apostolorum succedit collegium sacrum cardinalium quantum ad illum statum, quo apostoli consistebant Petro, antequam fierent particularium ecclesiarum episcopi. » Cardinales antecedunt patriarchas, archiepiscopos et episcopos, propter pontificis jurisdictionem quam exercent et personam quam repræsentant. » (EUGEN. IV, Const. *Non mediocri.*)

Cardinalatu nulla est major dignitas in

Ecclesia Dei, et in cardinalibus residet tota majestas Christianæ reipublicæ ; cardinalium collegium est honorabilius Ecclesiæ membrum ; et ut legitur in constitutione Sixti V, *Postquam verus*, t. II *Bull.* p. 560 : « Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales repræsentantes personas apostolorum, dum Christo Salvatori regnum Dei prædicanti, atque humanæ salutis mysterium operanti ministrarent, eidem pontifici in exsecutionem sacerdotalis officii, et in dirigenda ipsa Ecclesia catholica, cui præest, consiliarii et coadjutores assistunt. » Quamobrem cum summo pontifice orbem judicant, et disponunt. Quia cardinales sunt membra et pars corporis papæ, ex eadem Sixti V constit. ubi cardinales dicuntur summo pontifici assistere, quasi oculi, et aures, ac nobilissimæ sacri capitis partes, et præcipua illius membra a Spiritu sancto constituta. » Et sic etiam sunt collaterales papæ. (Fagnan. in part. I, lib. III *Decret.* c. *Ex gestis* n. 12, 13, et alibi passim.) Unde cardinalium collegium, quod est verum papæ capitulum, dicitur sacrum collegium, collegium apostolicum, et cardinales æquiparantur regibus. Cardinalium consilio apud Romanum pontificem universalis Ecclesiæ administratio innititur ; eorum instantia est sollicitudo omnium Ecclesiarum; non sunt familiares papæ, sed coadjutores, collaterales et fratres. (*Ibid.* passim.)

III. *Cardinalium diversi gradus.* — « Gradus diversi sunt tres, videlicet cardinales episcopi, cardinales presbyteri, et cardinales diaconi. 1. In his cardinalium episcoporum tituli olim fuere *octo*, videlicet Ostiensis, Veliternus, Silvæ Candidæ, alias S. Ruffinæ, Portuensis, Sabinus, Prænestinus, Tusculanus, Albanus ; nunc vero *sex* tantummodo numerantur, eo quod Ecclesia Veliterna, Ostiensis ab Eugenio III et sanctæ Ruffinæ Portuensi Callixti II tempore conjuncta fuerit. — 2. *Cardinalium presbyterorum* tituli olim fuere *octo et viginti* duntaxat, nunc crevere ad *quinquaginta et unum*. — 3. Diaconiæ sunt *quindecim*, cum olim fuerint primo *quatuordecim*, ac deinde octodecim. Porro hunc cardinalium numerum (septuaginta duorum) summus pontifex liberrime augere, vel minuere potest, et etiam solet, prout res postulaverit, ut notat Azor. part. II, lib. IV, c. 1, quæst. 6. »

Quamvis aliunde episcopi, cardinales sunt tamen cardinales presbyteri seu diaconi ex titulo cui ascribuntur.

IV. *Cardinalium prærogativæ.* — 1. Cardinales etiam non episcopi episcopis, archiepiscopis, et patriarchis propter officium sunt digniores; quia isti unius privatæ Ecclesiæ, illi totius populi Christiani utilitati præsunt, ut declaravit Eugenius IV in bulla cit.

2. Unum corpus, et consistorium efficiunt cum pontifice, quem in universali Ecclesia gubernanda juvant. Hinc selectissimi ad dignitatem hanc assumendi sunt, et quidem ex omni natione, ut unaquæque natio suum habeat in curia Romana patrem tutelarem et patronum. Ex concil. Trident. sess. 24 *De reform.* c. 1, ibi : « Quos (cardinales) sanctissimus Romanus pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, prout idoneus repererit assumet. » Sic etiam Sixtus V in constit. *Postquam*, § 4, ibi : « Inter hos septuaginta cardinales præter egregios utriusque juris, aut decretorum doctores non desint aliquot insignes viri in sacra theologia magistri, præsertim ex regularibus et Mendicantium ordinibus assumendi, saltem quatuor, non tamen pauciores. »

3. « Creantur a solo summo pontifice, ita tamen, ut etiam imperator, aliique reges aliquando aliquos nominare et pontifici possint proponere, quibus deinde hic, si dignos compererit, cardinalitiam dignitatem conferat. »

4. « Utuntur galero, et vestitu rubro quo designatur, quod usque ad mortem, et sanguinis effusionem pro exaltatione sanctæ fidei, et statu Ecclesiæ Romanæ se intrepidos exhibere debeant, ut habetur ex formula cæremoniæ, cum qua cardinali galerus rubeus datur.

5. « Habent titulum *eminentissimi*, quem titulum nemo alius usurpare potest præter ecclesiasticos Romani imperii electores, et magistrum equitum Melitensium ; Wiestner *hic*, n. 26. »

6. « Non tenentur regulariter regulis cancellariæ, nec aliis constitutionibus generalibus odiosis, et pœnalibus.« Barbos. *Jur. eccl.* lib. I, cap. 4, n. 54 *Ex regul.* 67 nunc 68 *cancellariæ*. Nisi in constitutionibus istis de cardinalibus mentio nominatim fiat.

7. E contra privilegia episcopis concessa ratione pontificalis officii competunt etiam cardinalibus. Indeque illis concilio Tibu-

riensi, c. *Concedimus*, dist. 1, *De consecr.*, conceditur, ut in itinere positis, si Ecclesia defuerit, sub dio, sive in tentoriis, ita tamen si tabula altaris consecrata, et altare portatile fuerit, missarum solemnia licet celebrare. Cardinales sicut et episcopi gaudent privilegio sibi eligendi confessorem sacerdotem quemcunque, dummodo fuerit approbatus a suo ordinario, etiamsi extra diœcesim sui ordinarii degerit (FAGNAN. lib. v *Decret.* et alibi passim), et etiam sacerdotem non approbatum, secundum L. FERRARIS v. *Cardinales.*

8. « Ex consuetudine dicuntur habere privilegium ut si reo ad patibulum ducto occurrant, eumque veste aut pileo tegant, dimittatur immunis, nisi reus sit læsæ majestatis, vel alterius atrocis criminis. » (PLETTENBERG, lib. cit. § 9, n. 7.)

9. In testamentis condendis gaudent privilegio militum nec legibus civilibus quæ certam formam præscribunt, obstricti sunt. » (AZOR. part. II, l. IV, cap. 3, quæst. 20, apud quem vide plura alia.) — SCHMALZ. part. IV, tit. XXXI, §2, n. 14.)

V. *Cardinalium potestas et jurisdictio.* — 1° Cardinales in Ecclesiis sui tituli, et aliis, quæ titulis eorum subjectæ sunt, etiamsi presbyteri tantum, vel diaconi sint, exercent jurisdictionem quasi episcopalem. (C. *His quæ* 11, *De major. et obed.*)

2. « In iisdem, saltem si presbyteri sint, possunt subditis et familiaribus suis conferre primam tonsuram, et ordines minores. » (BARBOS. *Jur. eccles.* lib. I, cap. 4, n. 40.)

3. « Si beneficium aliquod in iisdem vacet, ipsi sunt ordinarii collatores, si in urbe sint; nam in absentia solus papa confert. » (BARBOS. loc. cit. n. 36.)

4. « Easdem ecclesias et personas ratione illarum sibi subjectas visitare, et de causis illarum, etiam criminalibus cognoscere possunt, et si ita necessarium sit, censuras ferre : et ideo vicarius urbis non cognoscit de causis sub titulis cardinalium, ut cum Flaminio notat Barbosa, n. 37. »

5. « In iisdem titulis possunt ferre leges in conscientia obligantes, in titularium suorum votis dispensare, subsidium charitativum ab ipsis exigere, commutare ultimas voluntates in iis casibus in quibus episcopi possunt, et alia episcopalia jura exercere etiam ante cœptam possessionem, et litterarum exhibitionem, ut idem Barbosa aliis citt. n. 71 notat. »

VI. *Officium et potestas cardinalium respectu universalis Ecclesiæ.* 1. Ad eos spectat electio summi pontificis, de qua in cap. præced., cardinales initio conclavis jurejurando servare promittunt constitutiones, quæ habentur in cæremoniali electionis papæ.

2. « Assistunt pontifici concilio, et auxilio in Romana et universali Ecclesia gubernanda, in occurrentibus negotiis, præsertim arduis, expediendis, in legibus ecclesiasticis promulgandis, declarandis, etc. (C. *Bonæ* 3. *De postul. prælat.*)

3. « Cum necessitatis aut magnæ utilitatis publicæ causa postulat, egrediuntur extra urbem et curiam ad concilia auctoritate apostolica dirigenda, pacem inter Christianos principes et respublicas componendam, expeditiones et sacra bella contra infideles suscepta, promovenda, gubernandas civitates ac provincias, aliaque hujusmodi negotia pertractanda. »

4. « In schismate, cum duo in discordia electi de pontificatu contendunt, et nescitur quis sit verus pontifex, possunt cogere concilium, cujus auctoritate de certo et universali capite provideatur Ecclesia. » (BARBOSA *Jus eccles.* lib. I, cap. 4, n. 76.)

5. Vacante sede pontificia, etsi jurisdictio papalis ad ipsos non transeat, ea tamen, quæ ad electionem papæ, et tuitionem Ecclesiæ adversus pericula imminentia pertinent, facere et ipsi possunt. (C. *Ubi periculum* 3, *De elect.* in-6; et Clement. *Ne Romani* 2, eod.)

VII. « Vera sententia est papam, in negotiis Ecclesiam universalem spectantibus, quantumcunque illa ardua sint, honestatis potius, quam necessitatis lege astringi ad cardinalium consilium de his exquirendum vel amplectendum. » (SCHMALZ. part. IV, tit. XXXI, § 2, n. 17.)

VIII. *Jus cardinalium in conciliis auctoritate papæ congregatis.* — In his conciliis perinde ut episcopi, licet ipsi non sint episcopi, vocem, seu suffragium habent, non consultativum duntaxat, sed decisivum. Ita communiter, et docet praxis recentiorum conciliorum, præsertim Lateranensis, cujus decretis cardinales cum episcopis, imo ante episcopos subscripserunt. Ratio est, quia etiam ipsi succedunt loco apostolorum;

nam sicut hi, antequam ad prædicandum Evangelium per universum orbem dispergerentur, assistebant beato Petro, ita ipsi ejusdem successoribus. Hinc a sancto Bernardo in epistola ad Eugenium *seniores populi, et orbis judices* appellantur. Accedit, quia eorum auctoritas et officium non tantum propriam sui tituli, vel Romanam, sed vel maxime Ecclesiam universalem spectat.» (Schmalz. part. IV, tit. XXXI, § 2, n. 18.)

IX. *De cardinalium creatione.*— Solus Romanus pontifex creat cardinales, duplici modo, scilicet *De plenitudine potestatis*, omissis regulis et conditionibus mere canonicis, non vero jure naturali aut divino inductis; et *de jure ordinario*, quando pontifex regulas et conditiones canonicas observat. Regulæ autem aliæ concernunt dotes animi et omnes aliæ ad conditionem et statum exteriorem spectant.

1° Mores et dotes animi ita describit Sixtus V, constit. *Postquam : Cæterum, ut non solum honore, sed etiam reipsa cardines sint, statuimus ut lectissimi et præcellentes viri in ipsum collegium ascribantur, et quorum vitæ probitas, morum candor, præstans doctrina et eruditio; eximia pietas et erga salutem animarum ardens studium, et zelus in dandis consiliis, sincera fides et integritas; in rebus gerendis singularis prudentia, constantia et auctoritas, et aliæ qualitates a jure requisitæ, tam ipsi pontifici quam universo collegio cognitæ et probatæ sint.* Et concilium Trident. sess. 24. *De reform.* c. 1, ibi : *Ea vero omnia, et singula, quæ de episcoporum et præficiendorum vita, ætate, doctrina, et cæteris qualitatibus alias in eadem synodo constituta sunt, decrevit eadem etiam in creatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, etiamsi diaconi sint, exigenda.*

2° Quoad conditiones canonicas et statum exteriorem : 1. Ex Sixti V, const. *Postquam*, illegitimi, etiam per sequens matrimonium legitimati, tam eminentis dignitatis penitus inhabiles et incapaces sint et esse censeantur. 2. Ex ead. const. cardinalis eligendus prius debet esse clericus, qui in quatuor minoribus ordinibus per annum saltem habitum et tonsuram gestaverit clericalem. — 3. Filios vel nepotes ex eis habens nequit fieri cardinalis. — 4. Nullus potest esse cardinalis, qui primo aut secundo consanguinitatis gradu alicui cardinali viventi sit conjunctus, sive frater, aut nepos, vel consobrinus, patruus aut avunculus sit.

4. Bigami ad cardinalatum non solent assumi.

5. Ætas pro cardinalibus presbyteris et episcopis requisita est triginta annorum, ut cum plurimis resolvit Barbosa, lib. 1 *Jur. eccles.* c. 3, n. 33, ex decreto Tridentino supra cit. sess. 24 *De reform.* c. 1. — Pro cardinalibus autem diaconis sufficit ætas viginti duorum annorum, ut expresse statuit Sixtus V, const. ead. *Postquam.*

6. Corpore vitiati, aut quomodocunque a sacris ordinibus suscipiendis per canones impediti, postea a cardinalatu removentur, etsi alias ad effectum consequendi ordines super illis defectibus cum eis fuisset dispensatum.(*Ibid.*)

7. Per promotionem ad cardinalatum omnia beneficia et officia in curia Romana vacant, et promotus illa non potest retinere nisi de pontificis dispensatione.

X. *De amissione dignitatis cardinalitiæ.*— Cessat munus cardinalitium 1° *morte naturali;* 2° *renuntiatione* facta in manibus pontificis, ab eoque probata. 3° *Depositione*, ad quam difficile quidem proceditur, et nonnisi ob enormia delicta, propter eminentiam dignitatis et intimam conjunctionem cum pontifice. Cæterum solus pontifex judicat omnes cardinalium causas.

XI. *De cardinalibus prout unum collegium, unumque corpus constituunt.*—Ex cardinalibus constituitur supremus ille *senatus maximus* terræ, qui dicitur *sacrum collegium, collegium apostolicum*, quod *gremium Romanæ Ecclesiæ* in c. *In nomine Domini*, dist. 23, appellatur. Est corpus, cujus papa est caput principale, sicut et totius Ecclesiæ. In se vero sacrum collegium habet pro capite *decanum*, qui olim *prior* dicebatur. Decanus sacri collegii olim erat antiquior ratione suæ ordinationis inter sex cardinales episcopos. Sed Paulus IV, const. *Cum venerabilis*, decrevit decanum fore antiquiorem episcopum cardinalem. Præcedit decanus cæteros omnes in sessionibus, functionibus et actibus publicis. Sacrum collegium habet etiam unum subdecanum. Præterea, ait Pletteuberg (*Notit. congreg. et trib. cur. Rom.* cap. 1) : « Unus e cardinalibus semper est camerarius sacri collegii per annum, quo decedente succedunt alii præsentes in curia ordine antiquitatis, estque distinctus a ca-

merario S. R. E., seu pontificis. Officium illius est curam habere isto anno redituum, sacri collegii, ex quibus donec officio decedat, suam cuique cardinali distribuit portionem. Absentes vero reditus dimidii tantum anni, postquam Roma discesserunt, percipiunt.

« Habet præterea collegium hoc secretarium, clericum nationalem et computistam. Secretarius, qui et clericus Italus dicitur, per fabarum suffragia eligitur nonnisi ex natione italica. Hic curam habet librorum omnium et Scripturarum ad hoc collegium pertinentium, easque conficit ac duplicat, et originalibus in archivio quod est in palatio apostolico repositis duplicatum ad usum quotidianum penes se retinet... Clericus nationalis eligitur quoque per suffragia fabarum (Urbanus VIII, cit. const. 53) ex quatuor nationibus per vices, videlicet Germanica, Hispanica, Gallica et Anglica, quamvis a tempore schismatis et hæresis Anglicanæ ex natione Anglica nemo fuerit. Est substitutus secretarii; hoc enim impedito, ipse supplet... Officium illius durat per annum, quo evoluto succedunt reliqui per ordinem ex dictis nationibus. » (Urban. VIII, loc. cit.)

« Computista rationes init acceptorum et expositorum de reditibus sacri collegii, easque reddit cardinali camerario. »

§ II. — De sacris cardinalium congregationibus.

Præter sacrum collegium, quod est papæ corpus, cardinales constituuntur in variis congregationibus cum prælatis ac inferioribus officialibus ad diversa universalis Ecclesiæ tractanda et resolvenda. Congregationes S. R. E. cardinalium in curia Romana exsistentes, a summis pontificibus creatæ sunt; proindeque ab ipsis pontificibus potestatem acceperunt; eorumque auctoritas in rebus de eorum jurisdictione in multis casibus vim legis obtinet, cum pontificis jurisdictionem exerceant; quod infra nobis expendendum erit. Hic tantum agemus de congregationibus ad regimen universalis Ecclesiæ.

Unaquæque congregatio habet : 1° *præfectum*, qui est aut ipse papa, aut cardinalis quidam; 2° *secretarium*, qui aliquando est cardinalis, aut prælatus non cardinalis, sed episcopus aut inferior prælatus; habet 3° *judices* plures cardinales; 4° *consultores*, qui sunt episcopi aut prælati, præterea que theologi et canonistæ ex regularibus vel sæcularibus.

I. *De consistorio.* — Prima congregatio tum antiquitate, tum dignitate, tum officio longe præstantior inter cæteras, est *consistorium*, quod est consessus seu congregatio totius simul collegii cardinalium quam celebrat pontifex in ejus palatio per modum senatus majoris. Est potius ipsum et totale collegium apostolicum coadunatum, quam congregatio ut aliæ particulares congregationes. Caput seu præfectus hujus consistorii est ipse pontifex, consiliarii vero omnes et soli cardinales; res demum quæ in deliberationem adducuntur, negotia publica et majora Ecclesiæ universalis.

Duplex autem est consistorium, scilicet *privatum*, seu secretum, quod etiam *ordinarium* dicitur, in quo ordinaria negotia intime tractantur, ideoque solos cardinales admittit; *publicum* aliud et extraordinarium quod, præter cardinales coram aliis curiæ prælatis, principum oratoribus cæterisque laicis dignioribus pro prima parte seu audientia; sed pro secunda parte, cum dicta audientia pro papæ placito expleta est, omnes ab aula ejiciuntur, solis cardinalibus cum papa remanentibus.

Consistorium sive publicum, sive secretum ad arbitrium pontificis celebratur, nullo stato fixoque tempore.

« Papa cum solis cardinalibus consistente, tractari incipiunt negotia consistorialia. Olim quidem minores etiam causæ judicialiter et contentiose agitabantur ; hodie vero nullæ præter gratiosas et politicas. Sic in hoc consistorio secreto pontifex creat novos cardinales vel cum publicatione, vel cum reservatione in pectore, creatis os claudit ac deinde aperit, providet ecclesiis tum metropolitanis, tum cathedralibus, tum etiam titularibus, si sint reservatæ, item abbatiis quæ consistoriales dicuntur, seu instituit patriarchas, archiepiscopos, episcopos, etiam titulares, ac abbates; pariter coadjutorias, translationes, renuntiationes episcoporum, novarum ecclesiarum erectiones, divisiones aut uniones ubi expedit, archiepiscopis pallia tribuit, verbo de omnibus sedis apostolicæ et Ecclesiæ universalis gravioribus negotiis agit. » (*Inst. jur.* auct. B. de M. t. I, p. 285.)

Congregatio consistorialis. « Quia vero,

addit cardinalis de Luca (*Relat. Rom. cur. for.* disc. 5), in plerisque ex dictis actibus consistorialibus interessati oppositores adesse solent, adeo ut formam vel disputationem contentiosam habere oporteat, eaque prudenter ob majorem consistorii majestatem ab eo exsulare deceat, hinc proinde erecta fuit particularis congregatio dictorum consistorialium negotiorum præparatoria, *seu consistorii consuetrix* quæ proinde *consistorialis* nuncupatur, constituta ex aliquo competenti numero cardinalium, ac etiam peritorum prælatorum cum proprio secretario; atque in ista congregatione prius formiter examinantur materiæ partibus opponentibus auditis, in forma mere contentiosa, proportionata tamen stylo congregationum cardinalitiarum, circa formalitatem telæ judiciariæ, præsertim vero ubi agatur de ecclesiarum unionibus, novisque erectionibus, an scilicet verificentur justæ causæ vel requisita desuper necessaria... Et in summa ista congregatio consistorialis est ipsius consistorii pars, seu membrum, aut ejusdem consistorii consultor, vel assessor, adeo ut nonnisi de ejus voto negotia consistorialia quæ controversiam pati valeant, explicentur.

« In publico vero consistorio pontifex galerum cardinalitium novis cardinalibus imponit; de canonizandis sanctis vota exquirit; reditum legatorum a latere ab eorum legatione, vel etiam adventum legatorum a principibus Christianis ad se destinatorum celebrat, quæ omnia nonnisi cum ingenti pompa et apparatu peragi solent. » (R. de M. t. I, p. 286.)

II. *Congregatio S. Officii inquisitionis* seu sancta Romana et universalis inquisitio. Hoc sacrum tribunal de Sancto Officio dictum, habet maximam in Ecclesia destinationem vigilare super catholicæ fidei conservationem, et exstirpare hæreses. Constituitur ex una diversorum cardinalium congregatione, qui habent titulum inquisitorum generalium. Ejusdem præsidentiam habet summus pontifex, et unus cardinalium secretarius est. Præter cardinales admittuntur etiam prælati consultores, inter quos de jure decanus sacræ Rotæ, et commissarius unus religiosus dominicanus, advocatus fisci et reorum advocatus. Huic tribunali ascripti sunt qualificatores sive theologi, quibus incumbit pravas propositiones examinare, quæ in libris inveniuntur, hisque propositionibus, quam merentur qualificationem dare. Jurisdictio hujus supremi tribunalis in causis fidei sese extendit ad universum orbem catholicum super quamcunque personam, cujuscunque gradus, conditionis et dignitatis sit.

III. *Congregatio pro Indice librorum prohibitorum.* — Ex concilio Tridentino, sanctus Pius V in adjutorium congregationis Sancti Officii, erexit congregationem Indicis, quæ munus habet examinare libros hæresis veneno infectos, doctrina religioni bonisque moribus noxia aspersos, et horum librorum vulgationem, detentionem lecturamque prohibere, contravenientes excommunicationi subjiciendo. Congregatio hæc constituitur ex tot cardinalibus, quot voluerit pontifex, quorum unus est præses congregationis, cum secretario et duodecim aut plùribus consultoribus. Ex his consultoribus primarius est magister sacri palatii : cæteri ut plurimum eliguntur e religiosis diversorum ordinum Romæ præsentibus, et etiam ex episcopis et prælatis, theologiæ et omnis liberalis doctrinæ omnibus bene peritis. Officium istorum est revidere et examinare libros suspectos, qui inter eos a secretario distribuuntur, ut deinde judicium suum de iis in plena congregatione referant.

Hic utile videtur aliqua de libris prohibitis ad omnes spectantia dicere, 1° Regulæ Indicis legendæ sunt in libro Indicis librorum prohibitorum. 2° Ex his regulis et apostolicis constitutionibus prohibentur : in *prima* classe omnes libri hæreticorum hæresim continentes, vel de religione tractantes sub duplicis excommunicationis pœna; scilicet excommunicationis jure in bulla *Cœna Domini* papæ reservatæ, et excommunicationis jure in Indice et Pii IV constitutione, *Dominici gregis*, latæ sed non reservatæ.—Ad incurrendam excommunicationem papæ reservatam, latam in bulla *Cœnæ* § 1, his verbis : « Excommunicamus, anathematizamus, etc. omnes et singulos hæreticos, quocunque nomine censeantur, etc., ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra, aut sedis apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes. ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, » etc.

Quinque simul conditiones requiruntur, ita ut, una deficiente, excommunicatio non incurratur. . . .

« Prima requisita conditio est, ut liber sit alicujus veri hæretici auctoris, unde excommunicationem bullæ *Cœnæ* non incurrunt, qui legunt libros pagani, Turcæ, Judæi, etc., seu auctoris catholici, quamvis hæreses contineant.

« Secunda conditio est, ut liber hæretici vel expresse contineat hæresim, vel de religione tractet... Unde hanc excommunicationem incurrunt legentes librum hæretici de religione ex professo tractantem, v. gr. de theologia, Scriptura sacra, historia ecclesiastica, legibus ecclesiasticis, quamvis nullam contineat hæresim ; et eamdem incurrunt legentes librum hæretici, si contineat hæresim, etiam in singulari, quamvis de religione non tractet, sed de medicina, philosophia, et hujusmodi.... »

« Tertia conditio est, ut scienter liber legatur, retineatur, etc. Id est sciatur talem librum esse auctoris hæretici, et tractare de religione, vel hæresim continere; unde qui, vel non scit auctorem libri esse hæreticum, vel, si id sciat quidem, ex tenore tamen, vel aliunde deceptus ignorat, illum de religione tractare, vel hæresim continere, excommunicationem bullæ *Cœnæ* non incurrit, etiamsi ignorantia esset crassa, aut supina, ut tenet *communis*..... »

« Quarta conditio est, ut legatur materia notabilis sufficiens ad mortale. Ista vero notabilis materia varie appretiatur a theologis, sed melior sententia est, in hac re attendendam esse materiam, non secundum se, sed secundum finem prohibitionis: unde, cum quis aperit librum hæreticum, et statim incidit in unam vel alteram lineam continentem formalem, et veram apertam hæresim, dicendum est, ipsum peccare mortaliter et incurrere excommunicationem, quamvis legat paucas lineas, quia et periculo se exponit, et agit contra totum finem legis ; secus vero, si incidat in materiam indifferentem, quamvis legat integram paginam talis materiæ indifferentis:.. »

« Quinta conditio requisita est, ut legatur et retineatur sine auctoritate, seu licentia sedis apostolicæ; unde, qui habet licentiam legendi ipsos libros hæreticorum, vel a summo pontifice, vel ab aliis ab ipso ad id deputatis, non incurrit dictam censuram bullæ *Cœnæ*, legendo aut retinendo similes libros prohibitos. »

Per *legentes*, intelligitur non solum qui legit, sed etiam qui sibi legere facit ; per *retinentes* ad incurrendam censuram intelligitur omnis, qui habet apud se librum, sive proprium, sive alienum, quomodocunque illum habeat, sive retineat illum nomine proprio, sive nomine alieno. Hinc tam deponentes librum apud alium, quam depositarii incurrunt censuram.— Item censuram incurrunt vendentes scienter libros hæreticorum, seu asportantes ; item censuram incurrunt librum retinentes ad confutandum; item bibliopolæ, *imprimentes*, sub quo nomine veniunt omnes, qui ad libri impressionem propinque concurrant, ut typographus, aut patronus officinæ, qui humectat seu præparat chartam, imponit atramentum, typos ordinat et componit, chartam madefactam supponit torculari, torcular premit, qui corrigit, transcribit, qui facit impensas pro impressione ; per *defendentes*, ad incurrendam censuram intelliguntur, qui quocunque prætextu, vel causa librum hæretici, quatenus talem, defendunt et tuentur verbis, vel factis... (Ferraris, *Biblioth.* et apud eum *communis* doctorum et theologorum, verb. *Libri prohibiti.*)

Præterea omnes hucusque designati incurrunt etiam Indicis excommunicationem, sed non reservatam papæ

3° In *secunda* classe comprehendimus libros etiam catholicorum auctorum, aut ignotorum auctorum, prohibitos ob aliquam, quam continent hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem. Qui tales libros legunt, retinent, vendunt, asportant, imprimunt, ut supra omnes intellecti, incurrunt tantum excommunicationem Indicis et Pii IV constit. *Dominici gregis*, quæ non est reservata : hic advertendum est quod Alexander VII constit. *Speculatores domus Israel*, omnes pœnas et censuras contra legentes, et retinentes, etc., libros prohibitos ante ipsum latos, exceptis latis in bulla *Cœnæ*, reduxit ad pœnas contentas in constitutione Pii IV, *Dominici gregis*, super Indicis Tridentini confirmatione edita. Præterea multi libri post Alexandrum VII brevibus apostolicis sub excommunicationis reservatæ pœna prohibiti sunt.

4° *In tertia* classe ascribendi sunt omnes libri quorumcunque auctorum prohibiti pro-

pter n'u sanam et moribus fidelium repugnantem doctrinam. Constitutio Pii IV nulla excommunicatione percutit libros catholicorum prohibitos, quia sunt contra bonos mores, pacem et charitatem, et hujusmodi, sed solum declarat ipsos legentes et retinentes incurrere peccati mortalis reatum, et esse severe episcoporum arbitrio puniendos. Isti tamen lectores, etc., ut omnes præcedentes sunt denuntiandi, ut clare patet ex bulla Gregorii XV *Apostolatus officium* 30 Decembris 1621, et innovata ab Urbano VIII 2 Aprilis 1631.

Item libri prohibiti donec expurgentur non possunt retineri, et denuntiandus esset, qui assereret quod tales libri possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur ; sicuti etiam denuntiandi essent retinentes tales libros; Alexander enim VII, die 18 Martii 1666, merito damnavit, inter alias sequentem propositionem 45 in ordine: *Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.*

5° Prohibentur Bibliorum versiones, aut aliæ sacræ Scripturæ tam Novi quam Veteris Testamenti partes, quavis vulgari lingua editæ, nisi fuerint ab apostolica sede approbatæ, aut editæ cum annotationibus desumptis ex sanctis Ecclesiæ Patribus, vel ex doctis catholicisque viris. (*Decret. sacræ congr. Indicis* 13 *Junii* 1757.)

Attamen ex Indicis regula tertia, librorum Veteris et Novi Testamenti versiones ad vulgatam editionem elucidandam utiles, viris tantum doctis et piis, judicio episcopi concedi poterunt.

Ex Indicis regula quarta, « judicio episcopi, aut inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi, vel confessarii Bibliorum a catholicis auctoribus versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant. »

« Qui autem, absque tali facultate ea legere seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit. »

9° « Habentes libros quomodocunque prohibitos, non satisfaciunt illos comburendo, sed necessario eos deferre debent inquisitoribus aut ordinario ; secus, cum id facere possunt sine gravi suo incommodo et periculo, peccant mortaliter, quia faciunt contra præceptum obedientiæ impositum a Julio III, et confirmatum a Pio IV in citat. const. ibi, *In virtute sanctæ obedientiæ*, et sic tenent doctores communiter. »

« Qui vero consignant dictos libros prohibitos aliis habentibus licentiam, seu facultatem illos legendi, abdicando a se dominium, et possessionem, licite faciunt.

7° Omnes libri prohibiti in uno, sunt etiam in alio idiomate vetiti, ex regula a Clemente VII præscripta; item libri etiam manuscripta prohibita censeantur.

8° Licentiæ legendi libros prohibitos non possunt hodie concedi, nisi a summo pontifice, et sacris congregationibus Sancti Officii et Indicis, aut a specialiter deputatis ab ipsis, ex constit. Urbani VIII, 2 April. 1631 ; Julii III, *Cum meditatio cordis ;* Pii IV, *Quia in futurorum eventibus* et alia ejusdem : *Cum pro munere ;* Gregorii XV, *Apostolatus officium.* Unde eas concedere non possunt cardinales, episcopi, aut inquisitores, vel generales ordinum. Imo nec ipsimet possunt tales libros prohibitos legere, nisi a sede apostolica, seu per dictas sacras congregationes sit eis specialis ad id concessa facultas. (Ferraris, *Bibliotheca*, verb. *Libri prohibiti.*)

9° Decreta, quibus Romæ prohibentur libri, obligant omnes omnino fideles. Id liquet ex verbis regulæ Clementis VIII, ubi dicitur libros prohibitos a sede apostol. in quamcunque vertantur linguam, *censeri ab eadem sede ubique gentium sub eisdem pœnis interdictos et damnatos.* Et ex decreto sacræ congreg. Indicis 4 Decemb. 1674 : *Cum decreta hujus congregationis obligent universos Christianos.*

« Si alicubi ex sedis apostolicæ indulgentia, vel tolerantia usu receptæ non sint regulæ Indicis, ac bullæ *Cœnæ*, id unice inferri poterit ; legentes libros non incurrere in censuras in illis expressas. At certum est graviter peccare contra Ecclesiæ præceptum, quæ semper vetuit horum librorum lectionem, quæque eamdem per Romanum pontificem inculcat et renovat. » (Ferraris, verb. *Libri prohib.*)

At dubium moveri potest et debet an regulæ Indicis a concilio Tridentino promulgatæ dici possint non recipi in aliquo loco, cum præsertim istæ regulæ non tantum ad disciplinam sed ad fidem servandam spectent.

Præterea obligatio ex prohibitione librorum per sacram Indicis congreg. exsurgens pro universa Ecclesia, omnibusque fidelibus in dubium revocari nequit post bullam Urbani VIII, 2 April. 1631, quæ est lex pro universali Ecclesia promulgata, ut patet his ejusdem bullæ verbis : *Decernentes, ut præsentes litteræ, postquam in valvis*, etc, *affixæ fuerint infra duos citra montes, ultra vero montes infra quatuor menses ex tunc proximos, omnes, et singulos, ad quos spectant, et afficiant, perinde ac si unicuique personaliter intimatæ fuissent; quodque dictis duobus et respective quatuor mensibus durantibus, ii qui libros prohibitos habuerint, eos ad episcopum, seu inquisitorem, qui illos quantocius comburere debeat, deferre, quique aliquos similes libros prohibitos habere sciverint, eos denuntiare teneantur.*

10° Libri de religione aut rebus sacris tractantes a quocunque auctore scripti nulli licet imprimere, neque illos in futurum vendere, aut etiam, apud se retinere; nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, et sub pœna anathematis et pecuniæ quando isti libri sunt sine nomine auctoris. (*Concil. Trident.* sess. 4, *Decret. de edit. et usu sacr. librorum.*) Hoc autem examen facere et probationem dare gratis et *sine dilatione sub ex communicationis sententia* tenentur ordinarii ex const. Leon. X *Inter sollicitudines* sess. x conc. Lateran. in septim. Decret. l. v, tit. 4, cap. 3. Idem, ex 10 regul. Indicis, dicendum est de quibuscunque libris.

11° Peccant, et quidem graviter, qui suspectos libros legentes, in iisque vel hæreses aut errores alios religioni, pietatique contrarios offendentes, eos denuntiare negligunt sacræ congregationi, vel episcopis, aut inquisitoribus, ut in catalogum prohibitorum referantur. Imo si libri alieni etiam a religione argumenti. . . Tales sint, ut hæreses plures sæpius inculcent, vel unam eamdemque crebro inserant, ac persuadere conentur, ... ii habentur pro libris de religione tractantibus, inquit doctissimus P. Gretserus, ac jam damnati sunt per generalem legem, tum bullæ *Cœnæ Domini*, tum Indicis; illosque tenentes, ac legentes sine necessaria licentia, postquam noverint hujusmodi esse hæresibus infectos, atque ab Ecclesia damnatos hæreticorum libros, in pœnas incidunt illis legibus contentas. » (Ferraris, verb. *Libri prohib.*)

12° Quicunque licentiam libros prohibitos legendi, etc., obtinere desiderat, debet supplicationem ad sanctissimum Patrem papam in scripto directam mittere ad S. C. Indicis secretarium cum sui ordinarii commendatione.

In hac vero formula ordinarie conceditur licentia :

*Ex audientia SS. die *** mensis *** anni ***.* SS. D. N. Pius (v. gr.) P. P. IX *me infra scripto referente benigne annuit pro gratia juxta petita servatis omnibus de jure servandis, exceptisque libris sive de obscenis, sive contra religionem ex professo tractantibus. In quorum fidem*

loco † sigilli.

F. I. V. M. S. C. *Indicis secretarius.*

Clausula, *servatis omnibus de jure servandis*, significat libros prohibitos asservari debere in loco sequestrato, etc., ab his qui licentiam tales libros retinendi obtinent. *Exceptisque libris sive de obscenis, sive contra religionem ex professo tractantibus*, hæc clausula interdicit legere aut retinere tales libros primæ classis sub pœnis et censuris contra ipsos latis. Ad tales libros legendos aut retinendos specialis licentia necessaria est, aut saltem licentia generalis a summo pontifice personaliter concessa.

IV. *De sacra congregatione concilii Tridentini.* Sacra Tridentina synodo celebrata, primo tempore per Pium IV, constit. *Benedictus Deus*, decreta Tridentina interpretandi potestas reservata fuit soli pontifici et prohibitum universim, ne ad decreta concilii edantur commentaria. Subinde instituit idem Pius IV congregationem octo cardinalium, qui dicto concilio interfuerant, ejusque sensum probe noverant, ut decreta synodi per officiales servanda curarent, et si quod dubium, aut difficultas aliqua in exsecutione occurreret, ad pontificem referrent.

2. Hujus congregationis attributiones et potestates a summis pontificibus Pio V, Sixto V, Gregorio XIV auctæ sunt. Unde hodie 1° habet facultatem exsecutionis, vel observantiæ, ut concilii decreta serventur. — 2° Interpretari potest idem concilium quoad decreta morum reformatoria, non vero quoad fidei decreta. — 3° Interpretatur vero non tantum decreta ista in abstracto, sed etiam in concreto ; decidit casus particulares remittendo ad judices ordinarios en quæ in facto consistunt. — 4° Habet facultа-

tem synodos provinciales, et diœcesanas in usum deducendi, ut hæ singulis, illæ tertio quovis anno celebrentur; item facultatem recognoscendi decreta synodorum provincialium, audiendi postulata archiepiscoporum et episcoporum, qui limina Apostolorum visitant, ex his postulatis expediendi ea quæ ipsa congregatio per se potest, relatis ad pontificem rebus gravioribus; ab iisdem episcopis, et archiepiscopis exposcendi statum ecclesiarum, cleri et populi illis subjecti, et discedentibus dandi litteras ex formula præscripta, testantes obitam per eos esse visitationem liminum Apostolorum. — 5° Huic congregationi concessit auctoritatem non solum in urbe et Statu ecclesiastico, sed etiam in universo Christiano orbe ordinandi ea, quæ pertinent ad divinum cultum propagandum, et mores Christiani populi componendos; quibus omnibus Gregorius XIV adjecit facultatem scribendi nomine papæ litteras in forma brevis. (Fagnan. II. 7, cit.; Plettenberg. *Notit. congreg. et tribun. cur. Rom.* c. 18, § 1, n. 9.) — 6° Tractat de residentia clericorum, absentiâ parochorum, perceptione et amissione fructuum, et de quotidianis distributionibus, ad quas dispensantur clerici, secundum diversas causas canonicas, super residentiam ad tempus. Concedit ordinariis facultatem minuendi numerum missarum testamentariis dispositionibus jussarum, quando adest justa causa, v. gr. diminutio fructuum aut redituum; cognoscit causas nullitatis votorum, aut professionis solemnis religiosarum personarum, publicæ irregularitatis, unionis seminariis ecclesiisque beneficiorum, permutationis et resignationis ab ipsis ordinariis admissarum, justarum aut injustarum exclusionum a parochianis, examinatoribus et episcopis factarum concurrentibus; quæstiones jurisdictionis cum prælatis inferioribus, et de multis aliis. Cognoscit et judicat in gradu appellationis, pariter ac tribunal Rotæ sacræ, causas matrimonii nullitatis, decernit in prima instantia de tribunali episcopali; invigilat super rigorosam executionem Ecclesiæ canonum, ecclesiasticorum bonorum alienationem prohibentium, tractando negotia per viam administrationis, assumendo etiam tribunalis functiones, et judicando sine appellatione in materiis suæ competentiæ, quando occurrit appositio.

Porro congregatio hæc constat ex meris cardinalibus, præter unum prælatum, qui secretarii officio fungitur. Ex his cardinalibus unus est præfectus, qui cum secretario subscribit litteras et decreta, ipsiusque congregationis curam habet et directionem.

3. *Auctoritas sacræ congregationis Concilii.* — Plures canonistæ negant declarationes congregationis cardinalium concilii interpretum habere vim et auctoritatem juris, sive legis ecclesiasticæ. Plures alii e contra affirmativam defendunt.

« Tertia verior sententia distinguit inter declarationes : nam hæ duplicis generis sunt, *comprehensivæ* et *extensivæ*.

« *Comprehensivæ* sunt, si sensus sic declaratus a verborum propria, et usu recepta significatione non recedat. *Extensivæ*, si illam egrediantur, et ultra id quod verba proprie, et secundum sensum communem accepta denotant, aliquid concedant, prohibent, dispensent, etc.

« *De extensivis* libenter concedit sententia ista, quod vim et auctoritatem legis non habeant, nisi fiant ex speciali mandato papæ, et legitime promulgentur. *Ratio* solida et perspicua est; quia hoc ipso, quod conciliarium decretorum verbis non contineantur, sunt novæ leges ecclesiasticæ, auctoritatem legislativam in declarante exposcentes; atqui sacra congregatio ex sua institutione auctoritatem istam non habet. Ergo, etc.

« Dixi, *nisi fiant ex speciali mandato papæ, et legitime promulgentur*; nam si ita fiant, et promulgentur, vim legis indubitato obtinent. » Et tales sunt plures declarationes seu decreta ejusdem sacræ congr. jussu pontif. edita.

« De *comprehensivis* autem affirmant, quod vim legis habeant, si papa consulto factæ, a cardinale præfecto et secretario subscriptæ et consueto ipsius congregationis sigillo munitæ sint; idque verum est non tantum respectu eorum, quibus redduntur, sed etiam respectu aliorum, qui de illis ita redditis notitiam certam habent. Ita multi.. et confirmatur ex usu Rotæ Romanæ, quæ dictas declarationes cardin. absque ulla oppositione, et ambiguitate reverenter recipit, atque omnibus modis observat, etiam dimissis ipsius Rotæ decisionibus, quando in contrarium adsunt declarationes sæpe dictæ congregationis. (Schmalz. *Dissert. proœm.* § 9, n. 373 ad 376.)

V. Sunt adhuc duæ aliæ congregationes

auxiliariæ sacræ congregationis concilii et ab ea dependentes, quarum prima dicitur *sacra congregatio ad revisionem conciliorum provincialium* ; altera vero *sacra congregatio de residentia episcoporum.*

VI. *Congregatio super negotiis episcoporum et regularium*, seu *de episcopis et regularibus*, quam instituit Sixtus V. Ad hanc congregationem pertinent duo diversorum negotiorum genera : *Unum* est, quando controversiæ oriuntur inter episcopos, aliosve prælatos, aut vicarios et officiales ex una parte, et inter subditos, vel regulares ex altera parte; si nimirum hi graventur vel a locorum ordinariis, aut ordinariam jurisdictionem ecclesiasticam habentibus, vel a parochis, aliisque clericis sæcularibus. *Alterum*, cum contendunt inter se religiosi : pluribus modis fieri potest : 1° inter religiosos diversi ordinis ; 2° inter religiosos ejusdem ordinis ; 3° inter religiosum et ipsam religionem. Terminantur negotia ista ab hac congregatione absque strepitu et forma judicii, inspecta solum facti veritate, et frequenter etiam sumpta tantummodo extrajudiciali ac secreta informatione.

VII. *Congregatio Jurisdictionis et immunitatis ecclesiasticæ*, instituta ab Urbano VIII ; munus ejusdem proprium et præcipuum est protegere et defendere jurisdictionem et immunitatem ecclesiasticam tam personalem, quam localem et realem, ne hæc violetur aut illa usurpetur a magistratibus vel communitatibus sæcularibus, neve a gabellarum aliorumque onerum localium exactoribus gravetur. Negotia hæc expediuntur in illa gratis, et proceditur in iis extrajudicialiter sine processibus.

VIII. *Congregatio Rituum* erecta est a Sixto V. Videtur esse duplex : *una*, eaque ordinaria, erecta pro decidendis controversiis circa ritus, cæremonias, præcedentias, aliasque præeminentias ; *altera* [extraordinaria pro canonizatione sanctorum, et beatificatione servorum Dei. Ad primam admittuntur tot cardinales, quot pontifex constituerit, et plures prælati, quorum unus secretarii munus obire solet. Proceditur in hac extrajudicialiter, et omnia fiunt gratis.— Decreta hujus congregationis obligant universam Ecclesiam, quamvis tantummodo subscripta sint a sacræ Rit. congr. præfecto et secretario, ac ejusdem sigillo munita ; et tanquam formiter edita et obligatoria habenda sunt decreta, et responsiones in Gardelliniana authentica Collectione insertæ, ut patet ex decreto sequenti : « *Romana.* Quæsitum cum fuerit a sacra Rituum congregatione ut declarare dignaretur sequentia duo dubia, ut in universi Catholici orbis Ecclesiis unisona sit ipsius sacræ congregationis Decretorum et Responsionum observantia, dubia ipsa in ordinariis comitiis ad Vaticanum hodie coadunatis inter cætera per me subscriptum secretarium relata fuerunt.

« 1° Cum in declaratione sacrorum Rituum congregationis lata die 23 Maii 1846, sancitum fuerit Decreta et Responsiones ab ipsa emanatas, dummodo scripto formiter editæ fuerint, eamdem auctoritatem habere, ac si immediate ab ipso summo pontifice promanarent, quæritur an per verba : *Dummodo formiter scripto editæ fuerint*, sufficiat quod sint subscriptæ a sacræ Rituum congregationis præfecto et secretario, ac ejusdem sigillo munitæ, seu potius requiratur, ut sint vel Romæ, vel ab episcopis in suis diœcesibus promulgatæ.

« 2° Et quatenus affirmative ad primam partem, negative ad secundam, an tanquam formiter edita habenda sint decreta, et responsiones in Gardelliniana authentica Collectione insertæ? — Et sacra eadem congregatio post diligens omnium examen, respondere rata est. Ad primum : *Affirmative ad primam partem ; negative ad secundam.* Ad secundum, *affirmative, uti patet ex adjecta declaratione*, die 8 April. 1854. »

Itaque ut Decreta et responsiones S. R. C. obligent, non requiritur ut sint vel Romæ, vel ab episcopis in suis diœcesibus promulgatæ, sed sufficit quod sint subscriptæ a S. R. C. præfecto et secretario ac ejusdem sigillo munitæ, aut in Gardelliniana authentica Collectione insertæ.

Ad alteram extraordinariam spectant iidem cardinales, et secretarius, qui ad priorem, sed non iidem prælati, officiales, et theologi ; nam alii pro hac congregatione constituuntur. Est etiam in ea *promotor fidei*, qui ex consuetudine idem esse solet, qui advocatus fisci. Accedunt quoque ad hanc tres antiquiores Rotæ auditores, veluti canonum periti, qui munus gerunt assessorum : item unus ex protonotariis participantibus, tanquam *promotor causæ*, et demum alii quoque theologi, qui *consultores*, vel *qualificatores* dicuntur ; et

peritissimi quique in omni facultate doctores, etiam medici et philosophi, qui judicent, an operationes, quæ miraculis ascribuntur, vere sint supernaturales. Inquiruntur in hac congregatione, et examinantur omnia, etiam minima, accuratissime... (SCHMALZ. *Dissert. proœm.* § 9, n. 378 ad 380.)

IX. *Congregatio indulgentiis et sanctissimis reliquiis præposita*, cujus munus est invigilare ad authenticitatem sanctissimarum reliquiarum et indulgentiarum, has promulgare, recognoscere, examinare, revocare et falsas reprobare, semper post relationem summo pontifici factam ; per hanc etiam obtinentur indulgentiæ.

X. *Congregatio examinis episcoporum*, ad examinandos episcopos ex libera provisione a papa electos, aut a principibus Italiæ et insularum adjacentium nominatos.

XI. *Congregatio super negotiis extraordinariis*, quæ curam habet exactæ executionis Concordatuum jam exsistentium cum externis potestatibus, et novorum Concordatuum formationis, etc.

XII. *Congregatio disciplinæ regularis*, quæ versatur circa omnia negotia quæ exclusive spectant ad regulares. Cæteras congregationes omittimus, quia fere omnes sunt propriæ et particulares Romæ et Statui ecclesiastico.

XIII. *Sacra congregatio de Propaganda fide.*—Hæc sancta congregatio pro officio habet invigilare ad fidei catholicæ propagationem. Ab ea dependent omnes episcopi et vicarii apostolici residentes in regionibus acatholicis et infidelibus, sicut etiam omnes missionarii. Cardinales hujus sacræ congregationis gubernio præsidentes, omnia ad eorum jurisdictionem pertinentia negotia resolvunt. Inter eos dividuntur præfecturæ studiorum, œconomiæ et aliorum officiorum. Ab hac congregatione dependet collegium seu seminarium *De Propaganda fide* dictum ab Urbano VIII fundatum, in quo educantur multi diversarum nationum alumni, in missionariorum officio instruendi, qui postea ad exercendum in partes infidelium mittuntur.

XIV. *De sacrarum congregationum auctoritate.* « De his ergo congregationibus quæstio est, an declarationes, in quibus jus commune Ecclesiæ explicant, et super jure respondent, vim legis habeant. »

Resp. Cum distinctione. « Nam si declarationes hujusmodi munitæ sunt subscriptione cardinalis præfecti et secretarii, ac sigillo consueto, *comprehensivæ* vim et auctoritatem legis habent, etsi in forma authentica non exhibitæ, modo constet uniformiter, et sæpius super eodem casu, et juris dubii articulo eas redditas, aut secundum illas a Rotæ, aliorumque tribunalium Romanorum judicibus pronuntiatum esse. Ratio præcipua est, quia uniformitas responsorum ac sententiarum super eodem articulo sæpius et uniformiter redditarum, inducit stylum, et praxim curiæ ; stylus autem et praxis curiæ jus facit. » (C. *Quam gravi* 6, *De crim. fals.* et lib. fin. cap. *De legibus.*)

« Contra vero si hujusmodi subscriptione et sigillo sint destitutæ, vim legis per se non obtinent. Patet ex decreto, quod incipit *Cum sacra*, a sacra congregatione 2 Augusti 1632 jussu Urbani VIII edito, ubi mandat pontifex, ejusmodi declarationes Indici librorum prohibitorum inseri, iisque adimit omnem vim et fidem in et extra judicium. Ratio hoc decernendi redditur in ipso decreto, quod ad sacræ congregationis notitiam pervenerit, quam plures ex ejus declarationibus alteratas, diminutas, et forsan omnino conflictas esse.

« Addidi *per se*, nam hoc decreti rigore non obstante, plures magni ponderis canonistæ, declarationibus, quæ a privatis sed probatis auctoribus referuntur, si sensum a verborum proprietate non recedentem, rationi ac communibus juris regulis non repugnantem, et aliis declarationibus non contrarium reddant, sicque de vitio aliquo suspectæ non sint, haud ægre deferunt, et aiunt, ab illis sine gravi ratione in praxi non recedendum ; partim quia Romanæ aliæque curiæ ecclesiasticæ contra eas non solent pronuntiare ; partim vero quia credunt, eas ex ipsis originalibus, aut alio principio authentico depromptas esse ; ex qua ratione ipsi etiam decreto jussu Urbani VIII edito fidem habent. » (SCHMALZ., *Dissert. proœm.*, § 9, n. 378 ad 380.)

At vero quidquid sit de supradictis doctorum sententiis, minime licitum est sustinere declarationes Romanarum congregationum in praxi legitime deseri extra casum extraordinariæ et urgentis causæ, prout docere ausi sunt auctores pestilentis et merito damnatæ doctrinæ.

§ III. — De aliis tribunalibus seu audientiis curiæ Romanæ.

Præter cardinalium congregationes sunt

in curia Romana alia perantiqua tribunalia ad summi pontificis tam internam quam externam jurisdictionem in universa Ecclesia exercendam. In duplici genere distinguuntur, scilicet *signaturæ gratiæ* et *signaturæ justitiæ*. Tribunalia *signaturæ gratiæ* jurisdictionem gratiosam, et *signaturæ justitiæ* contentiosam exercent.

I. *In signatura gratiæ* primum occurrit *sacra Pœnitentiaria*, quæ considerari potest tanquam tribunal tum internum et privatum conscientiæ quod ad peccata remittenda institutum est, tum etiam externum, ex pluribus constans simul judicibus, communi consilio et sententia certas causas cognoscentibus et expedientibus, quatenus nempe supplicationes sibi factas pro absolutionibus et dispensationibus obtinendis audiunt, procurantque litteras dispensatorias in forma debita desuper expediri.

1° Quatenus est tribunal conscientiæ, constituitur ex uno *Pœnitentiario majore*, qui est cardinalis, et per se exercere suum officium debet certis diebus in basilicis Sancti Joannis in Laterano, sanctæ Mariæ Majoris et Sancti Petri in Vaticano, ubi fidelium confessiones in sede ad id constituta excipit, necnon capita pie sese submittentium virga pœnitentiarii tangit, indulgentiam centum dierum ipsis impartiendo ; et ex *pœnitentiariis minoribus* ex diversis religionibus assumptis pro diversis nationibus Christianis, quos ad audiendas confessiones in basilicis et aliis ecclesiis urbis cum facultatibus ipsius arbitrio deputat major pœnitentiarius. Ipsi majori pœnitentiario, certis diebus solemni ritu rem divinam in pontificia capella peragere incumbit ; ad eum pertinet supplere negligentiam tam ordinariorum localium, quam regularium superiorum monialium, in deputationibus confessariorum in casibus a concilio Tridentino præscriptis, aliisque recensitis in constitutione 66, incip. *Pastoralis*. Bened. XIV.

2° Ad eamdem vero *Pœnitentiariam*, prout formam externam judicii habet, pertinent idem pœnitentiarius major, deinde *regens*, qui communius unus est ex auditoribus Rotæ, *theologus sacræ Pœnitentiariæ*, *doctor decretorum* seu canonista, *datarius*, *corrector et sigillator*, præter tres procuratores totidemque scriptores.

Pœnitentiarius major absolvit a peccatis et censuris ; dispensat super irregularitate ; convalidat titulos beneficiorum condonando, seu componendo quoad fructus male perceptos ; remittit seu condonat alia male percepta ; relaxat seu commutat juramenta, vota et onera ; regulares habilitat, absolvit et transitus eisdem concedit de una ad aliam religionem ; et eadem respectu monialium ; dispensat in matrimonialibus super impedimentis impedientibus occultis ; revalidat dispensationes male obtentas, etiam legitimando prolem, etc.

Pœnitentiariæ expeditiones omnes secreto, et gratis fiunt. (Ferraris, *Biblioth.* verb. *Pœnitentiaria apostolica.*)—Unusquisque potest a sacra Pœnitentiaria absolutiones seu dispensationes petere ; id tamen ordinarie fit a confessario. In petitione vero tacentur nomina personæ absolvendæ seu dispensandæ, et tantum exprimuntur casus et rationes petitionis, persona et locus, quo litteræ sunt dirigendæ. Hic refert ad praxim adnotare formulam supplicationis, ex cujus forma aliæ facile scribentur :

Intus scribitur : *Eminentissime et reverendissime domine, NN. cum carnaliter cognovisset quamdam mulierem, dedit fidem de matrimonio contrahendo N N. sorori ejus. Et quoniam impedimentum est occultum et matrimonium si cum præfata sorore non contraheretur, magnum eveniret scandalum, quapropter suppliciter orat Eminentiam Vestram ut ei dispensationem benigne indulgeat. Responsum dignetur mittere* (nomen loci hic exprimitur) *ad Reverendum* (hic exprimitur nomen et cognomen illius ad quem rescribendum erit). Foris autem inscribitur : *Eminentissimo ac reverendissimo domino, domino colendissimo, domino cardinali Pœnitentiario majori Romam ;* quæ subscriptio vulgari sermone inscribi potest.

II. Alia *signaturæ gratiæ* audientia est *dataria*, ita nuncupata ex eo quod *datam*, seu epocham gratiæ concessæ accurate notat et servat.

Amplissimum est istud tribunal ratione negotiorum quæ ad illud referuntur et gratiarum quæ ab eo expediuntur : inde enim procedunt ecclesiarum cathedralium erectiones, uniones, dismembrationes, suppressiones, coadjutoriæ ; item novarum collegiatarum, aut etiam in jam exsistentibus novorum canonicatuum, vel dignitatum creationes, collationes beneficiorum reservatorum, curarum et aliarum præbendarum ecclesiasticarum,

quas confert alternative cum locorum ordinariis, vel beneficiorum affectorum, reservationes pensionum super iisdem, facultates alienandi bona ecclesiastica, etc. Accipit etiam petitiones matrimonialium dispensationum super publicis impedimentis inter cognatos, et expedit concessas; uno verbo ad datariam pertinent gratiæ fere omnes quas pontifex concedere solet.

Dataria constituitur ex *datario* qui ad usurpationes auctoritatis reprimendas ex jam longo tempore tantum *prodatarius* nuncupatur; *subdatario*, pluribusque subalternis officialibus, quos hic per singulos recensere inutile foret.

Cum petitur dispensatio a dataria, exprimendum est nomen, cognomen, diœcesis originis et domicilii tantum, si orator ibi habeat perfectum domicilium; item utraque diœcesis sponsi et sponsæ, si ipsi diversas diœceses habeant.

III. Inter *signaturæ gratiæ* tribunalia eminet *cancellaria*, quæ est tribunal pontificis per quod litteræ apostolicæ conficiuntur, scribuntur et expediuntur.

« Hodie, ait Zalwein, *De cur. Rom. ex div. trib. pontif.*, Cancellarius habet titulum fixum cardinalitium et quidem admodum conspicuum, scilicet ad *S. Laurentium in Damaso*, habitationem quoque commodam et amplam in palatio quod *cancellaria* dicitur, non tamen se nominat cancellarium, sed vicecancellarium, si cardinalis est, ad præcavendas usurpationes ex tanto titulo olim ortas.

« Est officium illud primariæ dignitatis, et cancellarius cæteros omnes aulæ Romanæ ministros præcedit. Primaria et graviora sedis apostolicæ negotia publica et solemnia, qualia sunt consistorialia, aliaque plurima, per illius manus transeunt. Sub illius directione in cancellaria per officialium manus expediuntur litteræ apostolicæ, seu bullæ omnium negotiorum et omnium brevium institutionum ad metropolitanas ac cathedrales ecclesias, ac monasteria consistorialia. Item omnium reservationum super pensionibus motu proprio papæ concessarum, ac demum singulæ aliæ bullæ aliarum provisionum beneficialium, dispensationum, gratiarum cæterorumque negotiorum quæ per organum eminentissimi prodatarii antea transeunt in dataria. Idem cancellarius suscipit juramentum fidelitatis ab illis qui ad episcopatus, prælaturas aliasque dignitates ecclesiasticas promoventur, ab aliisque aulæ pontificiæ et præcipue a cancellariæ ministris et officialibus. Ipse præest protonotariis apostolicis, expeditoribus brevium, officialibus quibus cura archivii est demandata, auditoribus Rotæ, abbreviatoribus, advocatis consistorialibus, secretariis, plumbatoribus, aliisque ministris.

« Plures sub se habet cancellarius officiales, quorum aliqui sunt *prælati majores*, annexam habentes prælaturam, quales sunt *regens cancellariæ* et duo præsidentes de *majore vel minore parco*, ita dicti a loco cancellariæ in quo conveniunt qui vulgo *parco* dicitur. Sunt nempe duo collegia in cancellaria, quorum primum nuncupatur *collegium Abbreviatorum majoris præsidentiæ* seu *de parco majori*, alterum *minoris præsidentiæ* seu *de parco minori*. Utriusque munus est resolvere quæstiones, dubia ac controversias in cancellaria oriri solitas circa positionem clausularum in bullis, et sic sunt judices controversiarum omnium quæ super expeditione et extensione bullarum, potissimum circa curialia, oriri possunt. Præter hos sunt adhuc alii officiales, *summista* cancellariæ, *plumbator custos registri bullarum*, aliique diversorum nominum officiales qui omnes et singuli in bullis revisendis, transcribendis, plumbandis, registrandis, occupantur. » Omnesque gaudent magnis privilegiis.

IV. Inter *signaturæ justitiæ* tribunalia, aliis minoris momenti omissis, omnino præeminet 1° *auditorium pontificium seu palatii*, in quo judicantur causæ ad sanctam sedem delatæ, et 2° supremum tribunal quod *Rota Romana* appellari solitum est. « Est Rota Romana tribunal pontificium ad cognoscendas et decidendas secundum formam juris causas contentiosas ex toto orbe catholico ad curiam pontificis delatas, institutum. Porro causæ illæ, ut recte ad Rotam deferri possint, debent excedere summam 500 aureorum, si sint civiles, aut 24 aureorum, si sint beneficiales, nisi forte privatæ non essent, sed publicæ aut multorum, uti, v. gr., causa præcedentiæ, quæ non tantum modernum litigantem afficit, sed ipsos quos habebit in dignitate successores; tunc enim ad Rotam recte deferri posset.

« Judices ex quibus constituitur illud tribunal sunt duodecim ex diversis partibus Ecclesiæ assumpti, quia ab omnibus par-

tibus causæ Romam deferuntur. Inter hos octo sunt Itali, duo Hispani, unus Gallus et alter Germanus.» Debent esse doctores jurium et quoddam examen secretum subeunt.

«Auditores Rotæ dividuntur in tres classes æqualis numeri, et in qualibet classe unus vocatur *ponens*, seu proponens, cæteri *correspondentes*. Factum et species causæ elaborantur a *procuratoribus;* ejusdem momenta expendunt advocati, qui deinde auditores informant aut scripto, aut verbo super facto et jure. Isti informati in ædibus privatis vota sua ferunt, momentis suis munita, quæ in scripturam redacta ponenti traduntur. Tunc vero si conveniant vota, ponens efformat sententiam suis momentis etiam et motivis munitam. Quod si contra non convenerint vota, ponens pronuntiat rem esse indecisam, his verbis: *Non liquet*, quo casu novam rei agitationem deliberationemque modo quo supra dictum est, denuo aggrediuntur, ex qua iterata deliberatione si tandem suffragia conveniant, profertur a ponente sententia; si vero nedum convenerint, tunc ipse ponens exprimit suffragium suum, quod antea ei non licebat, et ex collatione horum suffragiorum tandem effertur sententia. De cætero datur appellatio ab una classe ad aliam, eo pacto quod si quis se per sententiam unius præsumat gravatum, potest ab illa ad sententiam classis sequentis, et rursus tertiæ etiam, si in ista succumbat, provocare.» (*Inst. jur.* auct. R. de M. t. I. p. 303 seqq.)

Decisiones autem Rotæ magnam utique, minorem tamen quam declarationes sacræ congregationis auctoritatem habent.

§ IV. — De prælatis curiæ Romanæ.

Jam sæpe mentio fuit de prælatis, et hic pauca de iis dicenda videntur. *Prælatus* dicitur *quasi præ aliis latus;* prælati proprie dicuntur illi tantum qui habent jurisdictionem fori contentiosi. Sed lata appellatione prælatura dicitur omnis honor qui propter administrationem alicui tribuitur. Unde distinguitur inter prælatos majores et minores.

Sed prælati titulus multipliciter in curia Romana sumitur: 1° Prælati de majori parco cancellariæ quoddam quasi tribunal constituunt; 2° prælati vero de minori parco cancellariæ exiguam habent jurisdictionem. Omnes tamen dicuntur *participantes*, quia participant in iisdem juribus et emolumentis quæ taxæ cancellariæ communiter dicuntur. Quidam prælati vocantur etiam *protonotarii apostolici*, adjecto de *numero participantium*, ut ita distinguantur ab aliis simplicibus, et quia præ aliis participant et habent quotidie panem honoris, et vestes in coronatione et morte pontificis, et locum in cavalcatis pontificalibus. — Dicti protonotarii fuerunt, numero septem, instituti a primordiis Ecclesiæ, a sanctissimis Clemente I, Anthero I et Julio I, ad res martyrum, et quæcunque ad Ecclesiam pertinerent fideliter describenda, et descripta scriniis Ecclesiæ recondenda. Ideoque præcipuum eorum munus versatur in processibus, qui fiunt super canonizationibus, seu beatificationibus servorum Dei, et in registrando acta pontificum et Ecclesiæ. Istud collegium septem notariorum sedis apostolicæ fuit ampliatum ad numerum duodecim a Sixto V, const. *Romanus pontifex*, et ab eodem pontifice maximis privilegiis fuit decoratum; et in primis doctorandi facultatem concedit et notarios creandi, et spurios legitimandi ad successionem bonorum etiam ecclesiasticorum; et statuta pro collegio condendi, et familiares papæ et prælati domestici declarantur. Eos eximit et totaliter liberat a quacunque alia jurisdictione quam sedis apostolicæ; et facultatem concedit creandi quolibet anno unum notarium seu protonotarium titularem, non participantem; utuntur pontificalibus, altarique portatili, induunt vestem et mantellettam violaceam cum usu rochetti in publicis functionibus, et habent in pileo privative quoad alios prælatos, floccum rosacei coloris, necnon pileum prælatitium nigrum cordulis violaceis circumdatum cum floccis dicti coloris rosacei. In capella pontificia protonotarii participantes utuntur cappis juxta morem aliorum prælatorum. Multis aliis privilegiis et honoribus gaudent protonotarii participantes. Pius papa IX, per Brev. *Quamvis peculiares*, 9 Februar. 1853, mandavit ut quatuor duntaxat personis in facultate theologica, ac quatuor itidem in alterutro vel utroque jure in urbe tamen præsentibus, doctoris gradum quotannis deferre valeat protonotariorum collegium, utque de hujusmodi personis doctoris gradum petentibus antea ad papam referre de-

beant, secus concessio doctoralis laureæ nulla atque irrita sit. Id. Pontifex per eumd. brev. ademit eidem protonot. collegio facultatem creandi notarios; et protonotarios titulares subjecit ordinariorum jurisdictioni.

3° Sunt etiam protonotarii ad instar participantium, qui fere iisdem honoribus gaudent.

4° Protonotarii titulares, seu extra numerum creari possunt non solum a papa, sed et a legatis *de latere*, aliisque quos recenset Rigaut. in *Commentar. ad regulas cancellar.* Protonotarius titularis non potest prohiberi deferre habitum prælatitium, nempe rochettum cum mantelletta coloris violacei, et in ecclesiis, et functionibus ecclesiasticis cum eodem habitu incedere, et sedere juxta dispositionem Cæremonialis lib. I, cap. 13. Præcedit canonicis cathedralium, uti singulis, non autem collegialiter; potest apponere pileum super insigniis, et habere annulum, dum celebrat, dummodo non cum gemma, etc.

5° Familia pontificis constituitur pluribus cardinalibus, et prælatis, quorum unus est majordomus, alter magister cameræ, tertius auditor, quartus magister sacri palatii apostolici; veniunt postea prælati, camerarii secreti Suæ Sanctitatis, deinde prælati domestici, inter quos numerantur episcopi ad thronum pontificalem assistentes; sunt etiam camerarii secreti supranumerarii et camerarii honoris intra et extra urbem, etc., etc.

6° Capella pontificia constat dignitatibus, collegiis prælatorum, superioribus regularium, officiis, locum habentibus in sacris functionibus; et sunt : 1° Sacrum collegium cardinalium; 2° Patriarchæ, Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus; 3° archiepiscopi et episcopi ad thronum pontificium assistentes; 4° varii prælati et principes; 5° protonotarii participantes et protonotarii supranumerarii non participantes; 6° abbates generales, et superiores generales ordinum regularium; 7° auditores Rotæ; 8° clerici cameræ apostolicæ; 9° prælati de parco majore; 10° prælati alii familiares pontificis; 11° camerarii secreti et supranumerarii et honoris, etc., etc. Qui omnes certis privilegiis et honoribus gaudent.

§ V. — De legatis apostolicis.

Ad alteram nunc venimus curiæ pontificiæ partem quæ extra urbem per diversas orbis Christiani partes ad quas dirigitur, exercet, et de qua exstat integer titulus in decretalibus, *De officio legati.*

De fide est pontificem posse suam potestatis plenitudinem in universa Ecclesia exercere, proindeque legatos quocunque terrarum mittere. Porro quacunque ætate Romani pontifices ea facultate usi sunt. Missi vero a pontifice varia nomina *legatorum missorum, apocrisiariorum, responsalium vicariorum* secundum tempora habuerunt. Nunc triplicis speciei sunt, *legati a latere, legati nati* et *nuntii apostolici.*

I. *De legatis pontificiis in genere.* « Omnes legati pontificii in provincia suæ legationis habent jurisdictionem ordinariam quæ proinde morte pontificis non exspirat, cum sit injure fundata, ut habetur ex c. *Legatos, De off. legati* in 6. »

Omnibus legatis incumbit invigilare in provincia suæ legationis super moribus populi Christiani, necnon ipsorum episcoporum et archiepiscoporum officio, eosdem in reverentia erga sedem apostolicam et debita obedientia continere, constitutionum pontificiarum et juris ecclesiastici observantiam promovere, verbo omnes abusus et excessus qui in ipsis commissa provincia contingunt corrigere, si id facultates eorum non excedat, vel, si excedat, papam desuper informare. (*Ex citat. can.*) Idcirco in potestate habent statuta condendi quæ valeant in tota provincia sibi legata, et stabilia sint, perseverentque post legationem, donec per eosdem legatos, aut alios æqualem saltem auctoritatem habentes revocentur, c. 11 *De off. legat.* his verbis : *Nemini dubium esse volumus quia legatorum sedis apostolicæ statuta edita in provincia sibi commissa durent tanquam perpetua, licet eamdem postmodum sint egressi.* Præterea ipsorum est informationes super electis episcopis habere, et inde ad pontificem transmittere.

« Jure decretalium legati causas ecclesiasticas in sua provincia in prima instantia cognoscere poterant. (C. 1 *De off. legat.*) Hanc facultatem sustulit Tridentinum, sess. 24, *De reform.* c. 20, statuens postmodum primam instantiam reservandam esse. » (R. de M. t. I, p. 306.)

Cessat legatio quadrupliciter : 1° lapsu temporis præfixi; 2° cessatione ipsiusmet negotii; 3° revocatione legati facta a delegante; 4° discessu libero legati a provincia suæ legationis, si facultatem habeat lega-

tionem suam pro judicio terminandi; 5° tandem morte ipsius legati. (C. *Legatos*, *De off. leg.* in 6.

Notandum est legatos a pontifice mitti posse sine jurisdictione : hinc eorum aliqui sunt *mere nuntii et non judices*, alii vero *legati judices*.

II. *De legatis a latere.* — Legatus a latere est, si cardinalis mittatur; quia hic quasi e latere pontificis, cui in consiliis et negotiis arduis assistit, mittitur. Legati a latere non mittuntur, nisi casibus extraordinariis et causis majoribus. Plerumque mittuntur, ut intersint pontificis nomine conciliis generalibus, vel particularibus, et aliquando etiam ad imperatorem, reges et alios magnos principes pro pace inter eos reducenda, juribus Romanæ Ecclesiæ defendendis, etc. Personam pontificis gerunt et excellentiorem et ampliorem jurisdictionem præ aliis legatis habent.

Specialia ipsis insignia competunt, videlicet vestis purpurea cum veste linea, seu byssina superiore, palafredus, sive equus albus phaleratus, frenum et calcaria deaurata. His insignibus utitur, quamprimum egreditur territorium civitatis, ubi pontifex residet; et ab eo tempore jurisdictionem voluntariam exercere potest. Cum iisdem insignibus ingreditur civitates, et oppida, sub baldachino, clero et populo solemniter ipsum deducente. (Barbosa, *Jur. eccles.* lib. 1, cap. 5, n. 18 et 23.)

Legato a latere præsente, alii legati non possunt uti legationis suæ insignibus, nec officio suo fungi, ut statuitur c. *Valentes* 8, tit. xxx, *De offic. legat.* Ipso præsente, episcopus non potest benedicere populo, nec uti mozzetta, vel rochetto discooperto; intra vero propriam ecclesiam potest, si ibi non sit præsens legatus, vel eo annuente. (Sacra congr. Conc. in Perusina 2 octob. 1601.)

Jurisdictionem ordinariam in exemptos, et sedi apostolicæ immediate subjectos habet, exceptis casibus pontifici specialiter reservatis; potest episcoporum et aliorum prælatorum exemptorum electiones confirmare, causas cognoscere, nisi specialiter sit reservatum pontifici. (C. 1, vers. *Universas*, tit. xxx, c. *Si abbatem* 36, *De elect.* in 6.) — Potest absolvere quoscunque percussores clericorum ab excommunicatione. Circa dispensationes, absolutiones, matrimonii solemnizationes habet concurrentem jurisdictionem cum quolibet ordinario suæ provinciæ. Potest conferre generatim beneficia, exceptis tamen capitulorum dignitatibus, beneficiis electivis aut patronatus laici, vacantibus in curia aut per concordata exceptis. (C. 4, 6, *De offic. legat.* in 6, et c. 27 *De præbend.*) Resignationes beneficiorum admittere, verbo quidquid generatim est voluntariæ jurisdictionis exercere potest. Hodie vero non potest, ex c. *Nisi specialis*, episcopatus novos erigere, antiquos abolere, plures in unum conjungere, unum in plures dividere, episcopos transferre, etc. Legati et nuntii apostolici possunt subditis suæ legationis, et nuntiaturæ pro quocunque opere pio concedere centum et plurium dierum indulgentiam, attamen semper minus quam annum. Pro templo autem, seu capella, possunt concedere indulgentiam septem annorum, et septem quadragenarum pro illis qui confessi communicaverint, et in eo loco de more oraverint ad intentionem Ecclesiæ, et tales indulgentiæ sunt perpetuæ. (Barbosa, lib. 1, *Jur. eccles.* c. 5, n. 86); tandem omnia potest quæ nuntii possunt.

III. *De nuntio apostolico.* — Hujus tota potestas potissimum desumenda est ex ejusdem commissione, vel privilegio; nam jure communi aliam potestatem non habet quam quod provinciæ suæ sit ordinarius. (C. *Legatos*, *De offic. legat.* in 6.)

Ex ista ordinaria potestate in sua tantum provincia potest statuta perpetua condere, causas provincialium ad se devolutas audire, de iis cognoscere, easque, sicut quivis alius ordinarius, alteri delegare; super causa electionis episcopi examen instituere, quod deinde cum informationibus ad papam mittere debet, et interim causæ cognitione ulteriori abstinere. Denique generatim in provincia sibi commissa regulariter potest ex vi muneris sui, quod potest ordinarius in sua diœcesi aut archiepiscopus in provincia. (C. *Legatos* 2, *De offic. leg.* in 6.) Imo omnia potest, quæ ipse summus pontifex potest, præter illa, quæ in signum singularis prærogativæ sunt reservata summo pontifici; hæc enim speciali mandato indigent. (C. *Quod translationem* 4, tit. xxx l. 1 *Decret.*; Schmalz. part. iv, tit. xxx, n. 2.) — Absolvere possunt ab excommunicatione ob percussionem clerici, sed solum in provincia et in subditos suos provinciales.

Non possunt episcopos transferre, episco-

patus unire nec dividere, nec ad se trahere causas a summo pontifice specialiter delegatas alteri ; nec admittere appellationem a sententia delegati papæ ; nec se intromittere in causam ad sedis apostolicæ examen translatum ; nec adiri in prima instantia, nisi pro causis eis specialiter delegatis ; nec delegare causas, nisi iis, qui qualitates habent ad judicem delegatum requisitas. (C. *Nisi specialis* 3 ; c. *Quod translationem* 4 ; c. *Studuisti* 2, tit. XXX, l. 1. *Decret.* can. fin. dist. 95; et c. *Sane* 11, *De offic. deleg.*; c. *Licet* 5, tit. XXX ; sess. 24, c. 20 *De reform. Trident.*)

De stylo curiæ Romanæ clausula *cum potestate legati a latere* solet addi quibusdam nuntiis ; sed vi clausulæ istius majorem potestatem ultra cæteros nuntios non habent, nisi quantum ipsis a pontifice speciali mandato concessum est. Ita communiter.

Cæterum de nuntiorum jurisdictione magis ex stylo commissionis acceptæ et litterarum apostolicarum tenore quam ex jure aliquo fixo et constanti æstimandum est.

In minimis regnis et principatibus, et quando propter peculiares circumstantias non licet destinare nuntium, deputantur internuntii vel residentes, qui eadem fere negotia tractant

IV. *Legati nati* sunt primates aliqui aut archiepiscopi quorum dignitati vel sedi adhærent sanctæ sedis privilegio perpetuo titulus et potestas legati. Hodie est fere semper titulus honorificus, nam de jure communi legati nati potestatem aliam non habent quam quantam habent archiepiscopi. Sed ex privilegio speciali major plerumque ipsis potestas competit, quæ æstimanda est ex concessionis tenore.

V. Delegati sanctæ sedis multum differunt a legatis et nuntiis ; nam sunt tantum delegati ad unam causam aut ad certas causas, ultra quas non extenditur eorum jurisdictio.

§ VI. — De vicariis et præfectis apostolicis.

Ad plenitudinem potestatis papæ pertinet, ut, quando opus est, vicarios episcopis deputare possit ; sunt etiam in missionum regionibus episcopi dicti vicarii apostolici, et tandem sacerdotes dicti præfecti apostolici aut alia denominatione designati.

I. Vicarius apostolicus ad aliquam diœcesim administrandam, mittitur a summo pontifice cum brevi, vel a sacra congregatione episcoporum et regularium ex aliqua legitima causa cum litteris ejusdem. Et hic vicarius apostolicus mitti solet aliquando sede episcopali plena, aliquando sede vacante.

Causæ autem præcipuæ, propter quas solet mitti seu deputari, sunt sequentes : 1° si episcopus male gubernet ; 2° si sit sordidus ; 3° senex ; 4° suspensus a jurisdictione ; 5° si non expedivit bullas per multos annos ; 6° si sit morosus in pensione solvenda : 7° si sit processandus ; 8° vocatus ad urbem ; 9° si non resideat ; 10° si non vult recipere vicarium missum ab urbe ; 11° si moriatur morte violenta ; 12° si capitulum in electione vicarii capitularis non concordavit ; 13° si capitulum eligit indoctum ; 14° si vicarius capitularis vocetur ad urbem ; 15° si Ecclesia diu vacavit ; 16° si interesse cameræ apostolicæ ita requirit ; 17° si negligit episcopus exsequi decreta visitationis apostolicæ ; 18° propter utilitatem Ecclesiæ ; 19° propter aliquos gravissimos respectus ; 20° propter inhabilitatem vel impedimentum episcopi.

Ejus facultas modo amplior, modo strictior est ; cum pro sacræ congregationis libito aliquando amplietur, aliquando limitetur, prout exigunt rerum circumstantiæ, in quibus constituitur ; unde ne erret in ministerio, debet facultates sibi concessas accurate perpendere. Potest et debet sine episcopo Ecclesiæ, cui præfectus est jurisdictionem sibi competentem exercere. Potest omnia facere, quæ potest episcopus, exceptis pontificalibus ; et episcopus nullam habet jurisdictionem et auctoritatem in vicarium apostolicum. Neque potest episcopus tenere vicarium generalem tempore quo adest vicarius apostolicus, nec aliquo modo se intromittere valet in negotiis jurisdictionem tangentibus, etc. Adhuc mortuo episcopo vicarius apostolicus in eodem munere permanet, et capitulum non potest eligere vicarium capitularem.

Causæ vero, propter quas vicarius apostolicus solet removeri, sunt præsertim sequentes : 1° si episcopus non sit solvendo ; 2° si Ecclesia fuit provisa de pastore ; 3° si episcopo restituatur jurisdictio, etc., etc. (Qui plura videre desiderat, adeat L. Ferraris, *Biblioth.* verb. *Vicarius apostolicus* ; Benedict. XIV, *De synodo diœc.* lib. XI, cap. 9, n. 7, et alios.)

II. *Episcopi vicarii apostolici in missionum regionibus.* — Horum jurisdictionis ex-

tensio a tenore litterarum apostolicarum pendet ; habent ordinariam jurisdictionem in sibi assignata regione ; sed possunt arbitrio pontificis transferri, removeri, etc., quia sunt tantum vicarii, non vero proprio nomine episcopi regionis in quam mittuntur.

Non habentes episcopum cum futura successione, tenentur assumere vicarium generalem. Et eidem assumpto vicario generali conceduntur omnes et singulæ facultates competentes vicariis capitularibus cathedralium sede vacante. Eidemque post apostolici vicarii obitum conceditur usus et exercitium earum facultatum quibus gaudebat, dum viveret defunctus apostolicus vicarius episcopus, iis duntaxat exceptis, quæ requirunt ordinem et characterem episcopalem, vel non sine unctione sacrorum oleorum exercentur ; et quandocunque necessitas urgeat, eidem conceditur facultas consecrandi calices, patenas et altaria portatilia, cum sacris oleis omnino ab episcopo benedictis (Benedict. XIV, const. *Quam ex sublimi*, pro vicariis apost. Indiarum orientalium.)

III. *Vicarii seu præfecti apostolici*, qui non sunt episcopi, jurisdictionem quasi episcopalem exercent in regione missionis eisdem a sancta sede assignata. Eorumdem vero jurisdictionis extensio a tenore litterarum apostolicarum æstimanda est. Tenentur sibi provicarium seu propræfectum eligere, ex const. Bened. XIV : *Quam ex sublimi.*

Cæterum tam vicarii apostolici episcopi, quam non episcopi seu præfecti apostolici debent juxta juris canonici regulas et sanctiones suam exercere jurisdictionem ; omnes, sicut et missionarii a sacra congregatione de *fide propaganda* dependunt.

§ VII. De diœcesi et provincia Romana.

Hucusque de suprema pontificis potestate in universa Ecclesia catholica diximus ; nunc vero aliquid de ejusdem pontificis, ut est Romanus urbis episcopus, jurisdictione dicendum habemus. In libro VIII, *De potestatibus civilibus*, dicemus de principatu papæ civili.

1. Papa ut *episcopus Romanus* habet potestatem, quæ se extendit ad urbem Romam et ejus districtum : exercetque illam summus pontifex per cardinalem vicarium, qui proinde jurisdictionem ordinariam episcopalem ibidem obtinet, prout eam obtinent in diœcesi qualibet vicarii generales ab episcopo constituti. Cardinalis vicarius non tantum papæ jurisdictionem, sed etiam functiones episcopales exercet in urbe nomine pontificis, et præsertim in Lateranensi basilica, quæ est omnium Ecclesiarum urbis et orbis et caput et mater.

2. Cardinalis vicarius habet vicem gerentem episcopum, qui illi supplet in ejusdem muneribus.

3. Præterea tribunal eminentissimi vicarii constituitur : 1° vicem gerente ; 2° locum tenente civili ; 3° deputato ad monasteria ; 4° et duobus assessoribus ; 5° locum tenente criminali ; 6° secretario tribunalis ; 7° promotore fiscali pro materiis ecclesiasticis ; 8° deputato ad matrimonia ; 9° defensore professionum religiosarum et matrimoniorum ; 10° custode sacrarum reliquiarum ; 11° tandem substituto secretario.

4. Veniunt deinde, in administratione eminentissimi vicarii, reverendissimi examinatores apostolici cleri Romani.

5. Ad diœcesis Romæ visitationem instituitur *congregatio Visitationis apostolicæ*, quæ vicem gerit visitationis pastoralis quam tenentur episcopi facere in suis diœcesibus. Ista congregatio invigilat super omnia negotia ecclesiastica diœcesis Romæ. Habet præfectum hodie ipsum summum pontificem, et cardinalem vicarium præsidentem ; constat pluribus cardinalibus ; secretario ; pro assessore et ejusdem substituto ; cancellario ; procuratore collegii, fiscali et commissario et ejusdem coadjutore.

Secretarius hujus congregationis elevat tribunal privatum ad cognoscendum omnes quæstiones quæ possunt exsurgere circa materias sub congregationis vigilantiam positas.

6. Vicariatum habet etiam suum tribunal criminale, constans locum tenente, ejusdem substituto, et notario.

7. Tandem cum tenentur concursus Romæ ad parochias, interveniunt eminentissimus vicarius, ejus vicemgerens, etc., etc.

Hæc mera nomenclatura sufficit ad demonstrandum nihil Romæ fieri nisi secundum jus, constitutiones pontificias et sanctum concilium Tridentinum, nihilque ad arbitrium relinqui ; unde omnia sibi constant, et aliis orbis catholici ecclesiis exemplum legibus ecclesiasticis obedientiæ et observantiæ præbent ; quo oritur et perseverat pax, omnium securitas et harmonia.

LIBER III. — DE EPISCOPIS ET CURIA EPISCOPALI.

SECTIO I. — De episcopis generatim.

Hierarchia Ecclesiæ divina ordinatione instituta constat episcopis, presbyteris et ministris, ut fides docet; « Sacrosancta synodus Tridentina, sess. 23, c. 4, declarat præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu sancto, *regere Ecclesiam Dei* (*Act.* xx, 28) : eosque presbyteris superiores esse, quod est de fide, can. 7, sess. 23 ejusdem concilii. Episcopatus a Christo institutus in apostolis, unus est, cujus pars in solidum a singulis tenetur, c. 18 *Loquitur*, causa 24, quæst. 1; at super apostolatum et episcopatum ejusdem apostolatus successorem Christus Dominus instituit et constituit primatum principatum monarchiam Petri et ejusdem successoris pontificis Romani, veri Christi vicarii. Proinde ex divina institutione summus pontifex est caput episcopatus sicut et totius Ecclesiæ, et hujus capitis membra corporis sunt episcopi. De capite seu de monarcha Ecclesiæ in libro præcedenti tractavimus; in hoc vero tertio libro de episcopis tractaturi sumus. Jam de episcoporum divina institutione et de eorum divina potestate seu jurisdictione auctoritati summi pontificis subjecta, diximus libro primo; nunc vero de episcopis secundum jus sive divinum, sive canonicum practice dicendum est. Primo igitur de episcopis eorumque diversis gradibus disseremus, et secundo de iis qui ad episcopalem hierarchiam reducuntur.

CAPUT PRIMUM.

De diversa graduum seu dignitatum potestate, a summo pontifice episcopis tributa.

Jure divino omnes episcopi quoad ordinem sacramentalem sunt coæquales; sub hoc respectu episcopi sunt coæquales papæ, pari potestate et dignitate præditi. Jure adhuc divino omnes episcopi parem jurisdictionem, seu divinam potestatem regendi Ecclesiam accipiunt; eodem vero jure divino solus pontifex Romanus obtinet primatum et plenitudinem potestatis ac jurisdictionis in universam Ecclesiam, tam in episcopos quam in omnes Christi fideles; jure igitur divino jurisdictio seu regia episcoporum potestas subjicitur auctoritati summi pontificis, qui hanc jurisdictionem et potestatem episcoporum limitare, coarctare, suspendere, etc., potest. Proindeque ad constituendam et gubernandam Ecclesiam sicut aciem bene ordinatam, pontifex supremus, ad quem hoc pertinet munus, diversos gradus inter episcopos distribuit eisque majorem aut minorem sollicitudinis et potestatis partem impertivit. Hæc vero ordinatio ab apostolis initium habuit.

Etenim ordo episcopalis, quamvis quoad rem seu essentiam sit unus solus, ex Anacleto papa c. *Episcop.* 3, et c. *Novatianus* 6, *causa* 7, quæst. 1; tamen quoad nomen et gradum est quadripartitus, c. *Cleros* 1, dist. 21, ibi : *Ordo vero episcoporum quadripartitus est, id est in patriarchis, archiepiscopis, metropolitis atque episcopis.* Patriarcha est nomen Græcum idem importans ac Latine *summus* seu *princeps patrum*, id est episcoporum, c. *Cleros*, dist. 21. In principio duo tantum fuerunt veri patriarchæ, videlicet Antiochenus a Petro ipso, et Alexandrinus ab ejusdem Petri discipulo Marco fundatus. Tertius patriarcha fuit postea Hierosolymitanus ex episcopi Hierosolymitani apostolica institutione suam dignitatem deducens. Quartus tandem, qui fuit et primus ex sanctæ sedis et conciliorum concessione fuit Constantinopolitanus patriarcha. Quod sic expresse scribit, extravag. *Sacrosancta Romana Ecclesia De elect.* inter communes, Benedictus XI : *Sacrosuncta Romana Ecclesia quæ, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum a Deo, utpote mater omnium Christi fidelium et magistra, quatuor patriarchales sedes instituit, inter quas post ipsam Romanam Ecclesiam Constantinopolitanam primum, Alexandrinam secundum, Antiochenam tertium, et Hierosolymitanam quartum locum voluit obtinere, ipsasque multis prærogativis, et honoribus ac privilegiis decoravit.*

Præter dictos quatuor primarios reperiun-

tur etiam alii patriarchæ non ita principales; isti patriarchæ minores et primates idem sunt, licet differant nomine, ex cap. 1, *Provinciæ*, dist. 99, et c. 2 ejusdem dist. ibi: *Primatia et patriarchatus una tantum dignitas est, licet nomina sint diversa.* Non vero ita est de supradictis quatuor primariis patriarchis qui vere et realiter distinguuntur.

Aliqua tamen distinctio est inter patriarchas minores et primates. Unde primates, rigorose loquendo, dicuntur nonnulli metropolitani, qui primarias tenent civitates et majores regunt metropoles. Sic olim in Galliæ provinciis, se primates appellabant archiepiscopi Bituricensis, Rhemensis, Lugdunensis, Arelatensis, Viennensis et Burdigalensis; at ex nova Galliarum Ecclesiæ creatione per Concordatum 1801, non sunt amplius in Galliis primates.

Metropolitanus sic dictus a *metros*, quod idem sonat ac *mater*, et *polis*, quod idem sonat ac *civitas*, est ille qui residet, et episcopatum gerit in metropoli, seu civitate præcipua, quæ est veluti mater, seu matrix aliarum Ecclesiarum totius provinciæ, quarum episcopi dicuntur suffraganei ejusdem metropolitani. Hodie metropolitani constituuntur a sancta sede, prout magis expedire videtur.

Archiepiscopus sic dicitur tanquam primus, seu princeps omnium episcoporum suæ provinciæ, et sic captus idem est ac metropolitanus, ut innuit *Ordo Romanus*, tit. *Qualiter episcopus in Romana Ecclesia ordinetur.* Non tamen omnis archiepiscopus est semper metropolitanus, sicuti omnis metropolitanus est semper archiepiscopus; dantur enim varii archiepiscopi, qui nullos suffraganeos habent, licet sint vere et realiter archiepiscopi, ut inter alios sunt Rossanensis et Lancianensis archiepiscopi, ut notavit Barbosa lib. 1 *Jur. Eccles. univers.* cap. 7, n. 6.

Episcopus est nomen Græcum idem importans ac Latine *Speculator.* C. *Cleros* dist. 21; c. *Qui episcopatum*, causa 8, quæst. 1; cap. *Legimus*, dist. 93. Præcipuum enim episcopi munus est gregis sibi commissi mores et vitam explorare et inspicere. Episcopus vocatur *summus sacerdos* ratione ordinis, ad differentiam simplicium sacerdotum, c. *Deus ergo*, causa 3, quæst. 1, quia ultra suum ordinem nullus est alius ordo; dicitur *præsul*, quia concilio præsidet cap. *Quod translationem*, *De temp. ordin.* Dicitur *antistes*, quia ante alios stans, præeminet populo, et est primus templi, et diœcesis sacerdos; dicitur *pontifex*, cap. *Pontifices*, causa 7, quæst. 1, a *posse* et *facere*, quia jus illi erat sacrificandi; facere enim apud veteres sacrificare est; sed nobis videtur sic vocari a *pontem facere*, quod ad summum pontificem apud Romanos pontes reficere pertinebat, et in Christiano sensu mystico episcopus pontem facit inter Deum et homines. Vocatur propriissime *pastor* ab officio quod habet pascendi oves, ac sacramentorum administratione. Vocatur etiam *preco*, *lucerna*, *angelus*, *sanctissimus*, quæ nomina facile intelliguntur. Episcopus appellatur *ordinarius*, quia ordinariam et nativam in sua diœcesi habet jurisdictionem; *diœcesanus* respectu suæ diœcesis; *suffraganeus* respectu metropolitani, cui subditur.

Ad episcopos referri debent chorepiscopi, ex quibus olim alii erant sacerdotes vicarii episcoporum, alii vero ordine episcopali prædditi, et sic vice episcoporum ministrabant, sicut faciunt hodie episcopi titulares, seu coadjutores.

Episcopi sunt legitimi propriique pastores plebis ipsis subjectæ (*Cardin.* Soglia. *Inst. jur. publ. eccles.* lib. II, cap. 2, § 43), seu Ecclesiæ particularis quam proprio nomine regunt, quia matrimonium spirituale cum hac Ecclesia contrahunt, et se habent ad illam sicut vir ad uxorem. (C. *Sicut vir* 11, causa 7, quæst. 1; c. *Sicut viri*, dist. 40.)— « Episcopi principes sunt Ecclesiæ suæ proprio et non vicario nomine, veri itidem judices nec consiliarii tantum.» (Wirceburgenses, *De principiis directivis*, c. 3, art. 1, n. 162.) « Nihil autem monarchiæ detrahit potestas episcoporum quæ, etiamsi non precaria, sed propria et nativa sit, tamen cum pendeat a summo pontifice, non hujus certe monarchica potestas ex illorum potestate imminuitur.» (Devoti *Inst. canonic.* Proleg. c. 2, § 20.) Cui, in nota, addit Pius papa VIII (5): « Cæterum utut immediate a Deo episcoporum potestas repetatur, nihil id detrahit monarchico Ecclesiæ imperio, quoniam ea subjecta et obnoxia est summo pontifici, a quo arctari amplificari ac tolli

(b) Notæ ad Devoti *Institut. can.* additæ sunt a Pio VIII, ut quisque scit.

etiam potest . . . Ita etiamsi a summo pontifice in episcopos jurisdictionem derivemus, non inde efficitur, eos meros esse ipsius vicarios, cum ipsa potestas quoad originem suam a Deo sit instituta. » Et hæc sufficiant ad repellendam periculosam, nostro sensu, opinationem quæ contendit episcopos esse meros papæ vicarios, aut esse ad papam sicut sacerdotes simplices sunt ad episcopum; quandoquidem jam fusius hanc quæstionem tractavimus, lib. I, cap. III.

Hodie episcopi tripliciter distinguuntur: 1° Episcopi propriam Ecclesiam habentes, ad quam vinculo spirituali sunt conjuncti; 2° episcopi titulares, qui creantur episcopi alicujus Ecclesiæ in partibus infidelium sitæ, quæ neque populum Christianum, neque clerum habet. Ex his alii sunt vicarii apostolici in missionum regionibus, alii munera et officia in curia Romana aut apud principes sæculares implent; alii adjuvant aut supplent quosdam episcopos diœcesanos ut suffraganei; 3° episcopi coadjutores aliorum episcoporum cum aut sine futura successione.

His prælibatis, primo tractabimus de patriarchis, primatibus, metropolitanis seu archiepiscopis, ut tales; deinde de episcopis, ubi etiam de patriarchis, primatibus et archiepiscopis ut sunt episcopi communia dicemus.

CAPUT II.

De patriarchis.

Patriarchæ sunt post papam primi ordinarii judices, qui totius regni, vel imperii episcopis, et ipsis etiam archiepiscopis præpositi sunt, ut ab his graviorum negotiorum summa ad ipsos deferatur. (Can. 1 *Urbes*, dist. 80.)

Proprium est et privatum Romani pontificis tum patriarchas assumere et creare, tum patriarchatus ubi non sunt erigere; constat ex historia ecclesiastica et sacris canonibus, præsertim c. *Antiqua*, *De privileg.*

Hodie quatuor, ex c. *Antiqua*, observanda sunt in patriarchæ creatione: confirmatio electionis, ubi procedit electio; præstatio juramenti et obedientiæ Romano pontifici; receptio ab eodem pallii, quibus addidit Tridentinum professionem fidei emittendam juxta formulam quam Pius IV consentanee ad hoc decretum edidit; quæ omnia confirmavit Benedictus XIV, const. *Nuper ad nos* pro orientalibus edita, veluti norma observanda in patriarcharum assumptione.

Quatuor tantum sunt nunc in Ecclesia patriarchatus quos Innocentius III c. *Antiqua* in concilio Lateranensi IV, sic recenset: *Antiqua patriarchalium sedium privilegia renovantes, sancta universali synodo approbante, sancimus ut post Rom. Ecclesiam quæ, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum utpote mater universorum Christi fidelium et magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat, servata cuilibet propria dignitate.*

Orientales autem ad schisma mox post concilium relapsi sunt, in eoque etiamnum sordent. Ne tamen patriarchatuum memoria obliteretur, solent pontifices hos titulos sine jurisdictione conferre. « Sic in curia exsistunt generatim patriarchæ Constantinopolitanus, Antiochenus, et cæteri, sed omni jurisdictione patriarchali vacui, præter Hierosolymitanum qui recentissime per Pium IX, in suam Ecclesiam, maximo cum fructu, transmissus est. Præterea in pluribus ipsis orientalibus patriarchatibus exsistunt proprii etiam patriarchæ Antiochenus Melchitarum, Antiochenus Maronitarum, Antiochenus Syrorum, Babylonensis Chaldæorum, qui omnes catholici sunt, et iisdem fere juribus quibus olim antiqui patriarchæ, de quibus modo gaudebant.

« In Ecclesia Latina alii proprie non fuere patriarchæ quam Romanus pontifex qui sibi patriarchatum totius occidentis reservatum voluit. Tamen ad patriarchales honores accessere nonnullæ sedes principaliores, veluti Aquileensis, seu hodie Venetensis, Ulyssiponensis, et Indica, quæ nomen et honores patriarchatus obtinuerunt, minime vero jurisdictionem, quæ metropoliticam vix superat, quamobrem patriarchæ *minores*, seu *minorum gentium* nuncupantur, per oppositionem ad præcedentes qui *majores* seu *majorum gentium* audiunt. *Inst. jur. can. R.* de M. t. I, p. 314.

Patriarcharum majorum potestatem sic exponit C. *Antiqua*, supra cit. ibi: *Sancta universali synodo approbante, sancimus ut... ita quod postquam antistites earum (sedium), a Rom. pontifice receperint pallium quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis et obedientiæ juramento*

licenter et ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, et pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem. Dominicæ vero crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana, et ubicunque summus pontifex præsens exstiterit, aut ejus legatus utens insigniis apostolicæ dignitatis. In omnibus autem provinciis eorumdem jurisdictioni subjectis ad eos, cum necesse fuerit, provocetur, salvis appellationibus ad sedem apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum.

Amittitur patriarchalis dignitas : 1° morte naturali ; 2° libera abdicatione, probante papa, sine quo nulla major prælatura dimitti potest ; 3° depositione ; non cessat per translationem quæ non fit de majori ad minorem.

CAPUT III.

De primatibus.

Primates officio, et potestate a minoribus patriarchis non distinguuntur : sed tantum nomine et titulo ; communis. Creantur a pontifice. Potestas primatum, et patriarcharum minorum in quatuor maxime rebus consistit : 1° confirmat episcopos sedi apostolicæ non immediate subjectos ; 2° ad ipsos ab archiepiscopis datur appellatio (can. *Provincia* 1, dist. 99) ; 3° ad eosdem ab iisdem archiepiscopis fit devolutio beneficiorum ecclesiasticorum ob eorum negligentiam in collatione ; 4° ad eos deferuntur querelæ adversus archiepiscopos non exemptos. (Can. *Si clericus* 46, causa 11, quæst. 1. — Schmalz. part. IV, tit. XXXI, § 3, n. 20.)

« Nullum primati jus competit nisi quod expresse ipsi a jure concessum reperitur, aut legitime præscripta consuetudine fuit acquisitum ; constat epistol. Nicolai I ad Rodolphum archiep. Bituricensem.

Quoad Galliam : 1° « Certum est per Concordatum anni 1801 exstinctam in Galliis fuisse quamlibet primatialem jurisdictionem, si quam sibi antea jure vindicare potuerint aliquæ hujus regionis sedes. 2° Certum est nulli Galliarum sedi hodie competere primatialem jurisdictionem. 3° Neque mere honorificum primatis titulum ullus Galliæ antistes sibi vindicare potest, nisi a tempore Concordati anni 1801, id ei sedes apostolica indulserit. » — Nulla enim suppressarum et exstinctarum per dictum Concordatum episcopalium Galliæ sedium jura permanserunt : exstinctæ scilicet fuerunt sedes illæ cum omnibus suis juribus et privilegiis . . . Hinc ex actis primæ ex recentibus provinciæ Rhemensis synodis Em. card. Gousset archiepiscopo tributam *primatis* appellationem expungendam duxit sacra cong. Concilii, et videtur a Pio IX fel. reg. rescriptum fuisse Em. card. de Bonald Lugdunensi arch., ut in actis Romam transmittendis ab hac denominatione esset ipsi abstinendum. (Apud Bouix, tract. *De episcopo*, t. I, p. 443, etc.)

CAPUT IV.

De archiepiscopis seu metropolitanis.

Archiepiscopi alicujus provinciæ episcopis omnibus præsunt. Isti vero suffraganei eorum appellantur ; quia archiepiscopo in conciliis, consecrationibus, et aliis negotiis suffragantur. In hos archiepiscopus habet jurisdictionem ordinariam, cum sit immediatus, et ordinarius illorum superior et judex. Maxima fuit olim archiepiscoporum jurisdictio in suffraganeos, sed diminutiones posterioribus sæculis et præsertim ex jure Tridentini passa est.

I. *De creatione archiepiscopi et insignibus ejusdem.* — Archiepiscopus seu metropolitanus creatur sicut et episcopus, ad cujus creationem remittimus. Sed, tanquam archiepiscopus, jurisdictionem a jure canonico et lege pontificia habet, quam tamen exercere nequit priusquam a summo pontifice obtinuerit *pallium*.

Atqui insignia patriarcharum, primatum et metropolitarum sunt *crux*, quæ ipsis præfertur, et *pallium* quod super vestes pontificales defertur : 1° De more præferendæ crucis disserit Thomassinus, *De vet. et nov. Eccl. discipl.* part. I, lib. II, cap. 8, et denique concludit, « Prælatas esse cruces pontificibus primum Romanis, inde legatis pontificiis, ac denique archiepiscopis, quod nemini non persuasissimum esset, nusquam eos procedere, nusquam progredi, nisi ad Christi crucem imperiumque aut constabiliendum aut propagandum. » Archiepiscopi possunt elevare crucem in tota sua provincia, ex Clementina 2, *De privilegiis* : « Archiepiscopo per quævis loca exempta suæ provinciæ facienti transitum, aut ad ea forsan declinanti, ut crucem ante se libere portare faciat ... sacro probante concilio, præsentis

constitutionis serie duximus concedendum.» — « Ipsa crux immediate ante archiepiscopum per aliquem capellanum defertur, imagine Crucifixi ad archiepiscopum conversa, inter quam et archiepiscopum nullus omnino incedat ; est enim insigne ipsius. » (*Cæremonialis episcop.* lib. I, cap. 15.) — In benedictione solemni in Vesperis tenetur a capellano genuflexo ante archiepiscopum. (*Ibid.* lib. II, cap. 2.) In processione ad missam solemnem crux per subdiaconum paratum defertur ante canonicos paratos tantum, non autem ante alios de clero. (*Ibid.* lib. II, c. 8), etc. Præsente legato apostolico, aut nuntio, cum facultate legati a latere, cruce non utuntur nec patriarchæ, nec primates, nec archiepiscopi.

2° Origo pallii est antiquissima, sed incerta. Pallium nihil aliud est quam exigua quædam fascia, ad quatuor ferme digitos, lata, ex candida lana contexta, circulum humeros constringentem habens desuper, duasque fascias, vel lineas ejusdem materiei ab utraque parte in pectus et dorsum pendentes, sex cruces præterea gerens, quatuor scilicet per circuitum intertextas et unam in medio utriusque lineæ. Longum esset enarrare per singula ritus quibus conficitur et præparatur pallium. Sufficiat dicere illud per canonicos basilicæ vaticanæ principis apostolorum poni super corpora beatorum Petri et Pauli sub altari majori : ubi fiunt ex more vigiliæ : qua ratione a corpore sancti Petri desumptum dicitur, et a summo pontifice benedicitur. Pallium intra tres a consecratione menses petendum est a summo pontifice cap. *Quoniam*, dist. 100, in consistorio cardinalium, personaliter nempe, si præsens sit in urbe, per procuratorem si absens, et quidem quasi importune juxta consuetam formulam *Instanter, instantius, instantissime*, c. *Prisca*, dist. 100. Electus præsens in urbe pallium a primo diacono cardinali accipit, absens vero ab aliquo archiepiscopo ad id specialiter delegato, et quantum fieri potest in sua metropolitana ecclesia aut in alia suæ provinciæ, utrobique prius præstito pontifici fidelitatis et obedientiæ jurejurando. (C. *Optatum* dist. 100 ; C. *Significasti, De elect.*)

Pallium est argumentum *plenitudinis potestatis*, ad cujus participationem relative ad episcopos suffraganeos assumuntur archiepiscopi, uti tradit c. *Ad honorem de auct. et usu pallii*, sic : *Sane Romanus pontifex in missarum solemniis pallio semper utitur et ubique ; quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticæ potestatis quæ per pallium significatur. Alii autem eo nec semper, nec ubique, sed in Ecclesia sua, in qua jurisdictionem ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus ; quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.*

In archiepiscopis illud est peculiare, inquit Benedictus XIV, *De synod. diœces.* lib. II, cap. 5, quod ne per consecrationem quidem assequantur plenitudinem officii sui, nisi pallium receperunt a Romano pontifice, ex cap. *Nisi specialis, De auctoritate et usu palii ;* » non quod pallium aliquid superaddat consecrationi quoad ordinis potestatem, sed quia liberum præbet accepti ordinis exercitium, et archiepiscopalis muneris quamdam veluti perfectionem offert et complementum. » Itaque metropolita ante pallii receptionem neque se archiepiscopum nominare, neque synodum provincialem indicere potest, neque chrisma conficere, neque dedicare basilicas, neque ordinare clericos, neque episcopos consecrare. (C. 28 *Quod sicut*, § 1 *Super eo, De elect. decret.* lib. I, tit. VI ; c. 3 *De auctorit. et usu pallii.*

Solus Romanus pontifex semper et ubique pallio uti potest ; cæteri nonnisi intra fines suæ jurisdictionis, nec quidem cum aliorum archiepiscoporum permissione, et tantum in Missa solemni intra, non vero extra ecclesiam (C. *Ad honorem* supra cit. ; c. 6. *Pallium* et c. 8 *Contra*, dist. 100 ; c. *Cum super, De auct. et usu Pal*) statis certisque diebus, de quibus Pontificale Romanum part. I, tit. *De pallio*, et *Cæremonial. episcop.* lib. I, c. 16, nisi in privilegiis Ecclesiæ metropolitanæ alii dies exprimantur. Pallium semel acceptum personæ sic inhæret, ut alteri commodari non possit, nec transit ad hæredes dignitatis, c. *Ad hoc* 2, *De auctor. et usu pallii ;* neque archiepiscopus ab una ad aliam sedem translatus pallium secum defert, sed novum semper petendum est c. *Bonæ memoriæ*, 4, *De postulat. prælatorum ;* et ubi archiepiscopus obierit, debet cum pallio sepeliri, c. *Adhuc* supra., siquidem sepeliatur in provincia sua, circa humeros supra planetam : si vero extra provinciam, ponendum erit pallium plicatum sub ejus capite. (*Cæremon. episc.* lib. I, cap.

16, n. 7.) Et si duo archiepiscopatus habuerit et consequenter duo pallia, mortuus vestiatur pallio posterius accepto pro secunda Ecclesia, et alterum pallium pro prima Ecclesia supponatur capiti ejus, ut docent Innocent., Hostiens. abbas, in cit. cap. *Ad hoc* 4 supra. Archiepiscopus qui renuntiavit archiepiscopatui, nullibi potest amplius uti pallio, cap. *Ad supplicationem, De renuntiatione*, et sacra cong. Rituum in *Majoricen.* 16 Octob. 1604. Archiepiscopus vero, si perdat pallium a papa acceptum... poterit absque illo pontificalia munia exercere, donec aliud obtineat pallium, sicuti in tali casu petere tenetur ; *communis.*

II. *De metropolitani obligationibus.* — Ad multas obligationes metropolitanus tenetur, et quidem sub gravi, et aliquando sub pœnis canonicis : 1° per solemne juramentum in pallii receptione, sese obligat ad obedientiam et reverentiam, et erga summum pontificem et Romanam Ecclesiam ; ad sacrorum canonum et legum ecclesiasticarum observantiam, his verbis : « Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, promissiones, et mandata apostolica, *totis viribus* observabo, et faciam ab aliis observari. »

Hoc vero juramentum non mera formalitas est, sed veram et strictam obligationem parit.

§ I. — Metropolitano concilium provinciale convocandi necessitas.

I. Prima quidem generalis obligatio metropolitani est *concilium provinciale quolibet saltem triennio* celebrare. Ita enim rigorose statuit sanctum concilium Tridentinum sess. 24, cap. II, *De reform. Provincialia concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque, ex sacris canonibus permissis, renoventur. Quare metropolitani per seipsos, seu illis legitime impeditis, coepiscopus antiquior intra annum ad minus a fine præsentis concilii, et deinde quolibet saltem triennio post octavam Paschæ Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, seu alio commodiori tempore pro more provinciæ non prætermittat synodum in provincia sua cogere : quo episcopi omnes, et alii, qui de jure, vel consuetudine interesse debent, exceptis iis, quibuscum imminenti periculo transfretandum esset, convenire omnino teneantur. — Itidem episcopi qui nulli archiepiscopo subjiciuntur, aliquem vicinum metropolitanum semel eligant, in cujus synodo provinciali cum aliis interesse debeant ; et quæ ibi ordinata fuerint, observent, ac observari faciant. Quod si in his tam metropolitani, quam episcopi et alii supra scripti negligentes fuerint ; pœnas a sacris canonibus sancitas, incurrant.*

Idem sancitum fuerat in concilio Lateranensi v sub Leone X, anno 1517 sess. 10.

Unde « Metropolitanus omittens, et negligens celebrare concilium provinciale infra triennium subjacet pœnis canonicis, ex cap. *Quoniam quidem*, dist. 18 : et incurrit pœnam suspensionis a sui exsecutione officii, ut expresse statuitur in c. 25 *Sicut olim, De accusationibus*, lib. v *Decret.* tit. 2. Quæ tamen pœna suspensionis non est latæ sententiæ, sed ferendæ secundum Hostiens., Andrea, in hoc cap. et ut intellexit sacra congr. Concilii relat. a Fagnano in hoc cap. *Sicut olim.* — Metropolitanus, qui ex aliqua causa concilium hoc ad præscriptum tempus celebrare non potest, a summo pontifice solet dispensari. (Declaratio ad c. 2, sess. 24. *Concil. Trident.* edit. Coloniæ Agripp.)

Absente, vel impedito, seu mortuo archiepiscopo spectat ad antiquiorem ex suffraganeis concilium provinciale convocare sub iisdem obligationibus et pœnis ; non autem ad exemptum eligentem, etiamsi antiquiorem ; sic teste cardin. Petra tom. I Commentar. ad constit. unic. Honorii II, sect. 1, n. 31, resolvit sacra congr. Concil. *in una Burgen.* die 17 April. 1649.)

Audiamus eminent. card. Gousset. *Exposition des principes du droit canonique :*

Les évêques sont obligés de tenir des conciles dans leurs provinces, en se conformant au décret du concile de Trente. (P. 248.) *Dans le cas où un archevêque ne peut ni physiquement ni moralement s'occuper de la tenue d'un concile, le plus ancien évêque de sa province est obligé de le remplacer et de l'indiquer lui-même comme le ferait le métropolitain qui ne serait point empêché :* « Coepiscopus antiquior non prætermittat synodum cogere. » *Il y serait encore obligé*, consuetudine quacunque contraria non obstante, *si le métropolitain, empêché ou non, ne croyait pas pouvoir réunir les évêques de sa province, ou si, étant respectueusement prié de les réunir, il négligeait de le faire, quoiqu'il fût constant que le concile pourrait se célébrer librement..*

Le défaut d'indiction de la part du métropolitain ne pourrait dispenser les suffragants d'observer une loi qui intéresse tous les évêques de la province, d'une loi qui n'est pas moins obligatoire pour les suffragants que pour l'archevêque, p. 262

Quinam vocandi sunt ? — Ad concilium provinciale vocandi sunt et admittendi : 1° omnes episcopi suffraganei, etiam solummodo electi et confirmati, et episcopi exempti eligentes, omnes cum voto decisivo. (Ex cap. 5, 6, 7, 10, 13, 14 distinct. 18, et cap. 25 *Sicut olim*, *De accusationibus*, supra, et *Concil. Trident.* supra, et *Lateranensi*, supra. — 2° Vocanda sunt capitula cathedralia sede episcopali vacante, et possunt mittere suum vicarium capitularem cum speciali mandato dandi vocem decisivam. Ita multi apud Ferraris, *Biblioth.* verb. *Concil. provinciale.* — 3° Vocanda sunt etiam, sua sede vacante, capitula collegiatarum quasi episcopalem jurisdictionem habentia, sacra congr. Concil. 19 Decemb. 1597 ; et multi apud Ferraris supra. — 4° Vocandi sunt abbates et alii prælati habentes proprium territorium et jurisdictionem quasi episcopalem... et habent votum decisivum. — 5° Procuratores episcoporum, omniumque supradictorum quasi episcopalem jurisdictionem habentium, principalibus legitime impeditis, habent votum decisivum, si concilio placuerit, ex decisione papæ cum voto sacr. congr. Concil. in Rothomagen. 1581. — 6° Capitula cathedralium et capitula collegiatarum jurisdictionem quasi episcopalem habentia, etiam viventibus eorum prælatis, vocanda sunt et admittenda, aut eorum nuntii ad concilia provincialia, ad omnia, et præsertim ad ea tractanda, quæ spectant ad ipsa capitula, textu expresso in cap. *Etsi membra* 10, *De his quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli*, et ita multi. Non sunt tamen conjudices, nec habent votum decisivum, sed solum consultativum, in quantum scilicet sicut unusquisque episcopus seu consimilis prælatus cum consilio sui capituli expedire debet gravia, et non aliter, ut in cap. 1 *De excessibus prælat.* Ita omnes episcopi, et consimiles prælati provinciæ ibi exsistentes cum consilio suorum capitulorum expedire debent ea quæ in concilio provinciali aguntur; argum. cap. *Humiles*, *De majorit. et obedient.* — 7° Sic etiam abbates commendatarii in conciliis provincialibus habent duntaxat votum consultativum, ut decisum fuisse a sacr. cong. Concil. refert Fagnan. in cap. *Si membra*, n. 33. — 8° Vocandi sunt etiam, ut videbitur infra, examinatores synodales ad parochialium ecclesiarum concursum.

Omnes qui de jure, vel consuetudine interesse tenentur conciliis provincialibus, si vocati non compareant, cessante legitimo impedimento, puniuntur ; pœna autem contra ipsos, vel contra illicentiatos discedentes, est excommunicatio a communione solummodo aliorum episcoporum usque ad futurum concilium, ex unica monitione. (Capit. 1, 6, 7, 9, 10, 12, 13, 14 dist. 18, et *Concil. Lateranen.* IV, sess. 10 ; *Trident.* sess. 24, c. 2, supra.) Poterunt tamen tales non interessentes contumaces insuper a communione fidelium segregari, et aliis pœnis canonicis per metropolitanum affici, sed prævia trina monitione ; cum ad incurrendam veram excommunicationem, tribus vicibus debeat quis citari. (Cap. *De sent. excom.* in 6.)

III. *Quinam accedere possunt ad conc. provincialia ?* — Generaliter loquendo ad concilia provincialia accedere possunt pro justitia assequenda omnes, qui se gravatos existimant, textu expresso in cap. *Propter ecclesiasticos* 1, dist. 18, ibi : « In ipsis autem conciliis, et presbyteros, et diaconos præsentes esse oportet, et omnes quotquot se læsos existimant. » Laici autem non permittuntur interesse conciliis provincialibus, nisi ad justitiam petendam, aut defendendam; in ecclesiasticis enim negotiis et ubi tractatur de clericorum correctionibus, non sunt vocandi laici, imo omnino sunt excludendi, argum. ex cap. 56 *Mussana*, *De elect.*, et sacra cong. Concilii non approbat dictam vocationem, ut *in Oriolen.* 27 Mart. 1632.

IV. *Locus concilii prov.* — Locus autem eligendus arbitrio archiepiscopi pro congregando concilio, debet esse commodus quantum fieri potest omnibus, qui intervenire debent, ut non fatigentur propter discrimina itinerum. (*Quoniam quidem* 7, dist. 18.) Cessantibus tamen justis impedimentis, metropolitanam Ecclesiam relinquere non debet archiepiscopus. Sic censuit sac. congr. Conc. ut refert Fagnan. in c. *Sicut olim* n. 27.

V. *Quis præsit ?* — Sicut indicere, convocare, ita etiam in eo præesse et celebrare concilium provinciale spectat ad metropolitanum, ex jure cap. *Multis*, dist 18, *Sicut*

olim, De accusat. Trident. sess. 24, c. 2. Metropolitano absente, spectat hoc ad episcopum suffraganeum antiquiorem. (*Trident.* sess. 24, can. 2.) Nam ex Tridentina synodo, eodem cap. cessavit potestas capituli metropolitani sede vacante celebrandi concilium ac suffraganeos convocandi.

Si forte aliquis S. R. E. cardinalis esset episcopus suffraganeus, haberet præcedentiam super omnes, etiam super metropolitanum non cardinalem, absque tamen præjudicio functionum præsidentiæ, quæ ad metropolitanum pertinet ; ideoque thurificandus est prius ipse cardinalis ob reverentiam dignitatis cardinalitiæ; et alia servanda sunt ut in *Cæremoniali episcop.* præscripta sunt.

VI. *Tempus concilii, et præcipua ejusdem acta.* — Concilium provinciale, postquam in loco indicto est congregatum, solet celebrari per spatium trium, vel quatuor dierum ; nec potest ultra hebdomadam protrahi, nisi id exigentibus negotiis imminentibus. (Ita doctores.)

1° *Litteræ indictionis* diriguntur ad omnes suffraganeos, qui easdem capitulis et aliis suæ diœcesis in ipsis litteris designatis notificabunt.

2° Patres in loco concilii celebrandi perventi coadunantur, formantque præparatoriam congregationem, in qua eligunt officiales concilii, scilicet : Promotorem, secretarium , notarium , cæremoniarum magistrum, judices excusationum absentium et rationum eorum qui abire vellent ante absolutum concilium. In hac etiam præparatoria congregatione præparantur decreta *de modo vivendi in concilio, de non præjudicando, de professione fidei et obedientiæ Romano pontifici.* In eadem congregatione, formantur, si ita placet, peculiares congregationes, quarum unaquaque constat certo numero canonicorum, theologorum et canonistarum, cuique præest aliquis episcoporum. Ad istas congregationes incumbit, per concilii tempus, examinare decreta projecta ipsarum examini ab episcopis proposita.

3° Omnia vero decreta sic examinata vel præparata sive ab episcopis sive a peculiaribus congregationibus, legenda, examinanda et discutienda sunt in congregatione generali, in qua assistunt omnes ad concilium convocati, et Patres audiunt et recolligunt observationes eorum qui habent tantum consultativam vocem aut etiam decisivam. Necesse est ut omnes gaudeant plena libertate suam mentem, opinionem et argumenta emittendi. Postea Patres et qui decisivam vocem habent, vota decisiva emittunt, et totam rem definiunt. Attamen ut omnia regulariter conciliariterque fiant, satis est ut Patres nullam definiant quæstionem , nisi auditis in generali congregatione eorum qui quocunque titulo membra concilii sunt, observationibus et rationibus.

4° In prima de solemniter aperiendo concilio sessione leguntur ordinaria decreta, et Patres aliique de concilio juxta Pii IV formulam fidei professionem emittunt.

5° Eliguntur quatuor ad minus judices synodales pro unaquaque diœcesi, nisi in synodo diœcesana jam electi fuerint.

6° In ultima sessione nomina testium synodalium a Patribus nominatorum proclamantur.

De testibus synodalibus sic statuit concilium Lateranense 1215 :

Sicut olim a sanctis Patribus noscitur institutum, metropolitani singulis annis (hodie quolibet saltem triennio) cum suis suffraganeis provincialia non omittant concilia celebrare. In quibus de corrigendis excessibus, et moribus reformandis, præsertim in clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas, et maxime quæ statutæ sunt in hoc generali concilio relegentes, ut eas faciant observari, debitam pœnam transgressoribus infligendo. Ut autem id valeant efficacius adimplere , per singulas diœceses statuant idoneas personas, providas videlicet et honestas, quæ per totum annum (seu triennium) simpliciter et de plano, absque ulla jurisdictione sollicite investigent quæ correctione vel reformatione sint digna, et ea fideliter perferant ad metropolitanum et suffraganeos et alios in concilio subsequenti : ut super his et aliis, prout utilitati et honestati congruerit, provida deliberatione proceedant ; et quæ statuerint, faciant observari

In quarto provinciali concilio sanctus Carolus Borromæus, an. 1576, statuit plura notanda de testibus synodalibus; ibi :

« Primo viri ecclesiastici ætate, moribusque graves, prudentes, ac virtutum Christianarum studiosi, et spiritualis vitæ amantes, in concilio provinciali a metropolitano ex unaquaque diœcesi duo saltem, in synodo diœcesana ab episcopo e diœcesi sua septem

pluresve, prout expedire viderit, testes synodales deligantur.

« Quo in officio meminerit et metropolitanus, et episcopus pœnæ, in concilio Lateranensi ab Innocentio III sancitæ, si vel ille in concilio provinciali, vel hic in diœcesana synodo nullos synodales testes nominarit. »

Pœna contra hoc negligentes sancita in Lateran. Conc. ab Innocent. III *est suspensio a sui exsecutione officii*, c. *Sicut olim*, 25, tit. I, lib. V *Decret.*

« Qui (ut pergit sanctus Carolus Borromæus) a metropolitano delecti et nominati sunt in eodem provinciali concilio, qui ab episcopo in ipsa diœcesana synodo jurati, allatis sanctorum pignoribus, sancte spondeant, ex formula verborum infra præscripta, muneris sui partes, infra constitutas, se exsecuturos esse.

« Si vero a concilio provinciali abest, qui a metropolitano nominatus est, tum episcopus pro cujus civitate, vel diœcesi ille electus est, unius mensis a fine concilii spatio, cum ad se litteris accersat; eumdemque in ipsa præscripta formula jurejurando obstringat, ac jurisjurandi præstiti testimonium publica auctoritate munitum, intra alium mensem, ad metropolitanum omnino mittat.

« Quicunque, sive absit, si præsens adsit, testis nominatus, id vel officium suscipere, vel jusjurandum præstare recusarit, id ut præstet, si provincialis synodi testis est, a metropolitano; si diœcesanæ, ab episcopo compellatur, ac propterea si opus videbitur, cum eo mulctis etiam, et pœnis censurisve agatur.

« Jurisjurandi autem formula, ex antiquo canone excerpta, quam præstabunt, hæc est:

« *Ego N. testis synodalis a reverendissimo metropolitano;* vel si in diœcesana synodo electus est, *a reverendissimo episcopo nominatus, promitto, spondeo, et juro, quod quidquid novi, aut audivi, aut postmodum inquisiturus sum, quod contra voluntatem Dei, et rectam Christianitatem in diœcesi, vel regione mihi commissa factum sit, vel futurum, si in diebus meis evenerit, tantum ut ad meam cognitionem, quocunque modo, si scivero, aut indicatum fuerit mihi, synodalem causam esse, et ad ministerium reverendissimi metropolitani*, aut si diœcesanæ synodi est, *reverendissimi episcopi pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam ullatenus celabo reverendissimo metropolitano*, aut si synodi est, *reverendissimo episcopo, aut ejus misso, cui hoc inquirere jusserit, quandocunque ex hoc me interrogaverit; sic me Deus adjuvet, et hæ sanctorum reliquiæ.*

« Jurati testes hoc perpetuo meminerint, se non amore, non odio, non invidia, non spe, non metu, non pœna, non præmio, non cognatione, non ulla denique re commoveri, aut impediri debere, quominus libere et integre munus suum pro ratione infra præscripta præstent.

« Quo igitur tempore hoc munus gesserint, personas discretas interrogando simpliciter, et de plano, absque ulla jurisdictione sollicite investigent hæc quæ sequuntur; idque singuli, aut in universa civitate et diœcesi, aut in regione, unicuique eorum potissimum nominatimque commissa :

« An parochi, canonici, et alii quicunque ecclesiastici homines, quos residere oportet, præsentes in Ecclesiis suis adsint; anque rursus si præsentes in parochialibus vel canonicalibus, clericalibusque ædibus habitent.

« An parochi præterea, aliique animarum curatores sollicite, ut debent, fidelium sibi commissorum saluti invigilent.

« An in sacramentis sancte ministrandis, in verbi Dei prædicatione, in salutaribus monitis, in rudium et puerorum ad doctrinam Christianam institutione, et in cæteris omnibus curæ parochialis officiis, diligentis muneris partes præstent.

« An reliqui, quicunque sint, ecclesiastici ordinis homines Ecclesiæ, si quam obtinent, aut in qua dignitatem vel canonicatum, vel capellam, vel ecclesiasticum aliquod munus habent, aut in qua ascripti sunt, omnibus satisfaciant, et præscriptas sibi functiones obeant.

« An Ecclesiæ sartæ tectæ sint; an ornamentis et suppellectili ecclesiastica necessaria et congrua instructæ; an in illis, aut earum cœmeteriis atriisque aliquid inculcum sit, quodque sordibus obsolescat, anve aliquid a religioso cultu et pietate alienum.

« Videant item an populus in via Domini ambulet frequensque adsit divinis officiis et sacris concionibus, et in Ecclesia pie religioseque versetur, atque dies festos colat.

« An jejunium Quadragesimæ, quatuor

temporum, stataque reliqua Ecclesiæ jejunia observet.

« An eisdem decimas, primitias, aliaque debita emolumenta, adjumentave præstare, aut solvere recuset.

« An in populo sacrilegi, blasphemi, concubinarii, adulteri, incestuosi, virginum raptores, an excommunicati, an hæresis et magiæ, superstitionumve nomine suspecti sint.

« An denique aliæ in eodem morum corruptelæ, quæ correctionem, emendationemve requirant.

« Dispiciant, an quæ Romanorum pontificum constitutionibus, œcumenicis, provincialibus, diœcesanisque synodis episcoporumque edictis, quovis de genere decreta, sancitave sunt, ab iis serventur, quorum interest sive ecclesiastici, sive laici homines sint.

« Quæcunque vero animadverterint, quæ jam decreta sancitave nullam adhuc, aut non perfectam exsecutionem habuerint; tum quæ rursus depravata, correctionem vel reformationem desiderent : ea omnia et singula ordine ad metropolitanum in concilio provinciali, si vero diœcesanæ synodi testes sunt, ad episcopum in ipsa synodo referant. » Hucusque sanctus Carolus Borromæus.

Benedictus XIV, *De syn. diœc.* lib. IV, cap. 3, n. 8, addit : « In eorumque (testium synodalium) locum suffecti sunt fiscales episcoporum et decani, hoc est vicarii foranei, qui utique, si doctrina, pietate, prudentia et zelo præstarent ac munus suum diligenter obirent, synodalium testium defectum supplerent et compensarent. » Quod est verum de testibus synodi diœcesanæ, ubi exstant vicarii foranei, sed pro concilio provinciali et diœcesibus, quæ foraneos vicarios non habent, necessarii sunt testes synodales, cap. *Sicut olim* supra. De quo sic ait eminent. card. Gousset, *Exposition des principes du droit can.* p. 294 : *Quant aux provinces, aux diocèses où il n'y a ni archiprêtres, ni doyens ou vicaires forains, les évêques sont obligés de nommer en concile ou en synode des témoins synodaux; le bien spirituel des fidèles le demande, les besoins du clergé le réclament, les conciles l'ordonnent.*

VII. *De ordine sedendi in concil. provinciali.* — Episcopus secundum ordinationis suæ tempus sive ad consedendum in concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re sua attendere loca decrevit Gregorius, ut in cap. *Fin.* 17 dist. conservato metropolitani primatu, ut in cap. *Placuit* 18 dist.

Deinde veniunt capitula cathedralium capitulariter procedentia, postea capitula collegiatorum quasi episcopalem jurisdictionem habentia, si capitulariter incedant. Utrisque vero non capitulariter procedentibus,

Sacra congregatio censuit in conciliis provincialibus commendatorios monasteriorum, sive abbatiarum, inter abbates esse recipiendos, quando capitulariter procedunt. Extra hunc casum abbates titulares, vel habentes usus mitræ debere præcedere commendatorios. Post hos locum tenere dignitates collocandi sunt procuratores ecclesiarum cathedralium. » (FAGNAN. in part. I, lib. III. *Decret.*, *De his quæ fiunt a prælat.* c.) *Etsi membra* n. 47.

De ordine autem ad celebrandum provinciale concilium vide *Pontificale Romanum* sub hoc tit. et *Ceremonial. episcop.* lib. I, cap. 22.

VIII. *De votis in concilio.* — Quando in concilio provinciali metropolitanus est unius sententiæ, suffraganei autem omnes sunt alterius, prævalet sententia suffraganeorum, quia habent votum decisivum et sunt conjudices, et quia doctores dicunt quod debet metropolitanus statuere de consilio et assensu eorum, seu majoris partis, ut refert Fagnan. in c. *Sicut olim;* et colligitur ex c. *Nec episcopi, De temp. ordinat.*

IX. — Sententia tamen debet nihilominus pronuntiari nomine archiepiscopi de consilio, et consensu suffraganeorum. Si vero archiepiscopus dissentiat pronuntiare sententiam ab ipso non approbatam, tunc recurrendum est ad summum Pontificem. Ita doctores apud FERRARIS, verb. *Concilium provinc.*

X. *De dissolutione concilii.* — Concilium provinciale nequit dissolvi ab archiepiscopo solo sine consilio et assensu, seu voto suffraganeorum. Ita decisum est a sacra congr. Concil. Apud Fagnan. in c. *Sicut olim, De Accus.* n. 98. Completo, et dissoluto concilio provinciali de communi consensu, tenentur episcopi intra sex menses publicare in suis diœcesibus consiliaria statuta textu expresso in cap. *Decernimus* 17, dist. 18. Debent tamen concilia provincialia prius recognosci, et approbari a summo pontifice seu a sacra

congregatione Concilii, ut est dispositum a Sixto V in constit. *Immensæ*, *De institutione sacræ congregationis Concilii.*

XI. *De obligatione decretorum.* — Decreta concilii provincialis sic a sancta sede approbata obligant omnes et solos subditos provinciæ, et contra inobedientes juris remediis est procedendum. (*Trident.* sess. 24, c. 2, supra.) Ligant etiam episcopos successores, licet sit elapsum decennium ab ultima synodo provinciali, ut fuit decisum *in una Marsicana.* Non tamen hæc decreta obligant ad culpam, sed ad pœnam, nisi specialiter ad culpam obligare declaraverit ipsum concilium. (Ferrar. *Bibliotheca*, verbo *Concilium provinciale.*)

XII. *De quibus decernere potest concilium provinciale?* 1. Concilia provincialia nihil possunt statuere de rebus fidei et disciplinæ generalis, nisi ad promulganda summi pontificis et conciliorum generalium decreta. Nihil statuere possunt contra generalem disciplinam, ut patet. Possunt tamen ventilare causas novas fidei quæ obvenirent, sed relinquendo ultimum judicium sedi apostolicæ. Contra jam damnatas hæreses et errores sevire possunt et debent.

2. Tridentina session. 25, cap. 2 : *Præcipit igitur sancta synodus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, et omnibus aliis, qui de jure, vel consuetudine in concilio provinciali interesse debent, ut in ipsa prima synodo provinciali, post finem præsentis concilii habenda, ea omnia, et singula, quæ ab hac sancta synodo definita et statuta sunt, palam recipiant; necnon veram obedientiam summo Romano pontifici spondeant et profiteantur, simulque hæreses omnes a sacris canonibus, et generalibus conciliis, præsertimque ab hac eadem synodo damnatas, publice detestentur et anathematizent. Idemque in posterum, quicunque in patriarchas, primates, archiepiscopos, episcoposque promovendi, in prima synodo provinciali in qua ipsi interfuerint, omnino observent. Quod si quis, ex supradictis omnibus, quod absit, renuerit, episcopi comprovinciales statim summum Romanum pontificem admonere sub pœna divinæ indignationis teneantur; interimque ab ejusdem communione abstineant.*

3. Post adimpletionem prædictorum præceptorum, in concilio provinciali agetur de moderandis moribus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis. (*Trident.* sess. 24, cap. 2.)

His præpositis, nihil melius facere ducimus quam transcribere solutionem Fagnani in part. 1, lib. v *Decret. de accusatione*, cap. *Sicut olim*, n. 35 et seqq. « Quæro, quæ sint tractanda et statuenda in synodo provinciali, et quæ sit illius auctoritas et jurisdictio. »

4. « *Solutio.* Exsequendum est ante omnia, quod sanctum concilium Tridentinum ad populorum ædificationem, et catholicæ fidei præsidium præcepit cap. 2, sess. 25. Nempe ut in prima synodo provinciali omnes palam recipiant omnia; et singula, quæ in eodem concilio Tridentino definita et statuta sunt : nec non veram obedientiam summo Romano pontifici spondeant, et profiteantur, simulque hæreses omnes in sacris canonibus, et generalibus conciliis, et præsertim ab eodem concilio Tridentino damnatas publice detestentur, et anathematizent : si qua in provincia adhuc factum non est, omnino quamprimum fiat, et in singulis habendis synodis iteretur, repetita saltem fidei professione juxta formulam a sede apostolica præscriptam. » Id est, professio fidei a Pio IV redacta et præscripta.

5. « Hoc primum peracto, ad corrigendos excessus, et controversias componendas animum advertere oportebit, secundum ea, quæ dicta sunt supra *in prima quæstione* (id est auditis visitatoribus seu denuntiatoribus a præcedenti concilio deputatis per singulas diœceses ut de notoriis, et de manifestis investigent de plano interrogando seniores et honestiores) ut justitia viam præparante omnes unanimi consensu ad alia exsequenda expeditius procedant. Quapropter expostulantium quærelæ, et accusationes non modo contra inferioris ordinis clericos, sed potissimum contra episcopos, ipsumque metropolitanum æquis auribus excipientur, et, prout justitia evaserit, terminabuntur. (Cap. *De conciliis*, 18 dist.) Quod si pleniores probationes, et exactiorem cognitionem postulent, quam ut brevi illo tempore expediri possint ; judicibus a synodo provinciali deputatis cognoscendæ ac definiendæ committentur, ad præscriptum concilii Tridentini cap. 5, sess. 24 : *Minores vero criminales causæ episcoporum, in concilio tantum provinciali cognoscantur, et terminentur, vel a deputandis per concilium provin-*

ciale. Nec solum ad petitionem aliorum, sed etiam ex officio synodus provincialis inquiret contra episcopos in universum, *Trident.* sess. 25, cap. 1. Quomodo se habeant erga suos consanguineos, et familiares, et quomodo se gerant erga subditos : specialiter autem cognoscet an deliquerint circa residentiam; et si absentiæ causas, licentiasque a metropolitano, vel suffraganeo antiquiori obtentas prætenderint, de iisdem causis et licentiis judicabit, ne quis ex jure abutatur, et ut pœnis canonicis errantes puniantur, ut sess. 23, cap. 1. An decreto concilii de visitationibus, et procuratione visitationis causa accipienda fraudem fecerint, ut si id compertum fuerit, canonicis pœnis, aliisque arbitrio synodi absque ulla spe veniæ mulctentur sess. 24, cap. 3. An concubinas, vel alias suspectas mulieres domi aut extra teneant, aut cum illis ullam habeant consuetudinem : si autem innotuerit aliquem ex episcopis ab hujusmodi crimine non abstinere, a synodo provinciali admonebitur, ut si admonitus se non emendaverit, ipso facto suspensionem incurrat, et contra eum ad ulteriora procedatur, juxta concilii Tridentini decretum sess. 25, cap. 14.

« De gravioribus tamen causis criminalibus episcoporum, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, synodus provincialis cognoscere non potest; poterit tamen de his contra aliquem ex episcopis suspectum, vel accusatum capere summariam informationem, et formare processum ad effectum transmittendi ad summum pontificem Romanum. Minores autem eorumdem causæ, et ipsiusmet archiepiscopi, quia alibi, quam in concilio provinciali cognosci, et terminari non possunt, si delatæ fuerint, recipientur, sed non ita passim, ut levioribus quibuscunque querelis aures faciles accommodentur, ut sess. 24, cap. 5. Has tamen non solum ipsum concilium, etiamsi non adsit numerus duodecim episcoporum a jure (antiquo pro gravioribus causis, quæ post Tridentinum ad papam remittuntur) requisitus, sed etiam ab ipso deputati cognoscere poterunt, qui regulariter ob reverentiam pontificalis officii ex sacræ congregationis sententia nonnisi episcopi erunt, si ex causa concilium aliter non judicaverit. Et advertendum tam concilium, quam dictos deputatos non ad majorem, quam ad charitativam correctionem procedere debere, sed tantum pronuntiare etiam aliqua informatione extrajudicialiter sumpta, et deputati id præstare poterunt etiam post terminatum et finitum concilium. Quæ omnia locum habent etiam in causis criminalibus contra ipsummet archiepiscopum, non item in civilibus.

Porro judicibus, et personis particularibus negotia, quæ indefinita remanent tempore dissolutionis, aut finis concilii, ut illa ipsi determinent post finem impositum concilio, committi non poterunt, nisi in causis in concilio Tridentino, et in jure expressis : et a judicibus prædictis, qui de proximo dictis negotiis, seu causis cognoverint, appellari debet ad primatem, patriarcham, vel papam.

6. « Similiter cognoscet contra negligentes episcopos in iis, quæ eorum muneris sunt, explendis, et quæ specialiter in postremo concilio generali ipsis mandata sunt, sess. 23, cap. 3, cum seq. maxime circa ordinationes clericorum, seminariorum institutiones, eadem sess. cap. 18. Et ecclesiarum curatarum provisiones, quæ nonnisi per concursum fieri possunt. (Sess. 24, cap. 18.)

7. « Ab examinatoribus præterea, qui in synodo diœcesana eligi debent, ut de qualitatibus eorum, qui parochialibus ecclesiis præficiendi sunt renuntient muneris, officiique eorum ratio exposci poterit, sess. 24, d. c. 18. » Ex quo inferri potest ut examinatores synodales vocandi sint ad concilium provinciale, cum ad istud pertineat de hac re *providere*, eod. cap. 18.

8. « Causæ vero, et controversiæ inter clericos inferiores, qui ab eorum ordinariis facile definiri possunt, minus proprie ad provinciale concilium pertinere noscuntur.

« Omnes vero causas vertentes in prima instantia coram episcopis suffraganeis ex sententia sacræ Congregationis poterit concilium cognoscere; et non solum illas, quæ specialiter ejus judicio a jure, et concilio reservatæ sunt, sed de omnibus tam civilibus, quam criminalibus, quæ dubiæ non sint, quæque brevi tempore possunt expediri, et alioqui juxta canonicas sanctiones in eo tractari, et deferri possunt. Si tamen in prima instantia coram locorum ordinariis illæ introductæ reperiantur, non poterunt avocari, nisi in casibus a jure permissis. Item nec causas pendentes coram archiepiscopo poterit ad se avocare.

« Appellari etiam poterit ad ipsummet

concilium in causis pendentibus coram episcopo, vel ejus vicario, omisso archiepiscopo ad concilium, sicuti ad papam : a concilio vero ad archiepiscopum, vel ejus officialem appellari non poterit.

« Visitationem autem omnium episcoporum suffraganeorum, quam episcopi legitime impediti per suos generales vicarios faciunt, suspendere donec concilium diffinitum fuerit, minime potest.

« Contra provisores, seu vicarios generales etiam ipsiusmet archiepiscopi in causis criminalibus procedet.

9. « Generaliter autem erit procedendum, ut quæ de vita, honestate, cultu, eorum officiis, et functionibus a sacris canonibus maxime in postremo generali concilio decreta sunt, observentur, contra eos, qui talium decretorum contemptores, transgressoresque delati, repertique fuerint, severe ad relinquendum exemplum animadvertendo. (Sess. 23, cap. 1.)

10. « Pauperum insuper querelas contra quoscunque judices, et potentiores tam ecclesiasticos quam laicos, in synodis provincialibus admissas fuisse veterum conciliorum testimonio, et ratione comprobatur; maxime enim pertinet ad episcoporum curam pauperum defensionem adversus potentes suscipere, ut oppressores prius sacerdotali admonitione redarguant, et si contempserint emendari, eorum insolentia regis auribus intimetur. Quare causam hanc vexationis pauperum synodus provincialis negligere non debebit, ex concilio Carthaginensi v, cap. 9, et Toletano iv, cap. 13.

« Ubi vero privatorum querelis, et debitæ inquisitioni satisfactum fuerit, et delatis controversiis compositis, vel commissis, proferent episcopi ea, quæ correctione, vel reformatione digna compererint per testes synodales in eorum diœcesibus ut super his et aliis ab ipsis proponendis, prout utilitati vel honestati congruerit, synodus provincialis provida deliberatione procedat, et statuat observanda.

11. « Nihil autem synodo provinciali erit antiquius, quam ut ea, quæ specialiter Patres concilii Tridentini fidei, et diligentiæ illius crediderunt, sedulo exsequatur; proinde in eam curam incumbet, ut seminaria in qualibet diœcesi instituantur et conserventur. (Sess. 23, cap. 18, ad finem.) Quod si ob paupertatem aliquarum Ecclesiarum, ejusmodi collegia intelliget erigi non posse, curabit ex fructibus duarum, aut plurium talium ecclesiarum in metropolitana, aut in alia provincia commodiori unum, aut plura collegia erigenda. Et præterea si in his, quæ de seminario in concilio Tridentino ordinata sunt, difficultates, aut impedimenta contigerint, synodus pro regionis more, pro ecclesiarum, et beneficiorum qualitate etiam quæ ad felicem seminarii profectum necessaria, et opportuna videbuntur, decernet et providebit.

12. « Præscribet propriam examinationis seu inquisitionis aut instructionis faciendæ formulam de promovendis ad ecclesias cathedrales sanctissimi Romani pontificis arbitrio approbandam. (Sess. 24, cap. 1.)

13. « Cognoscet et probabit causas, ob quas cathedrales Ecclesiæ et diœceses suffraganeorum a metropolitano visitari debeant. » (Eadem sess. c. 3.) — Quam visitationem hodie facere absque concilii provincialis approbatione nequit metropolitanus. « De his, quæ ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi, et permanendi, simulque de omnibus Ecclesiæ ministris, quæ necessaria erunt, et si qua hujusmodi pro cujusque provinciæ utilitate, et moribus certam cuique formulam præscribet. (Sess. 24, cap. 12, in fine.) Unde synodus provincialis potest de unitate cæremonialis, rituum, cantus, catechismi, etc., decernere pro provincia.

14. « Formam a concilio Tridentino in provisionibus Ecclesiarum parochialium præscriptam, et Pii V constitutione firmius sancitam observandam promulgabit, sciens facultatem sibi a concilio Tridentino tributam, sess. 23, cap. 18, circa prædictam examinationis formam, addendi scilicet, aut remittendi quæ censuisset, eadem Pii V constitutione ademptam fuisse.

15. « Examinabit, vocatis his, quorum interest, et diligenter expendet, si quas Ecclesias cathedrales propter earum angustiam tenuitatem que vicinis unire, vel novis proventibus augere expediat, confecta de præmissis instrumenta ad sum. Rom. pontificem remittet. (Sess. 24, c. 13.) Iisdem formis, ubi expedire compererit, novarum cathedralium erectiones summo pontifici expostulare poterit.

16. « De imaginibus, et reliquiis sanctorum si quis dubius, aut difficilis abusus sit exstirpandus, vel aliqua de ipsis gravior quæstio incidat, synodus provincialis judicabit, ita tamen ut nihil inconsulto Romano pontifice novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur. (Sess. 15, *De invocatione sanctorum*, in fine.)

17. « In exsequendis decretis reformationis regularium supplebit, et coercebit, et in defectum capitulorum generalium eadem synodus per deputationem aliquorum ejusdem ordinis providebit. (Sess. 25, *De regul.* c. ult.)

18. « Abusus indulgentiarum, quas episcopi in suis ecclesiis collegerint, in synodo provinciali referuntur, ut aliorum quoque episcoporum sententia cognita, statim ad summum pontificem deferantur, cujus auctoritate quod universali Ecclesiæ expedit, statuatur. (Sess. 25, in decreto *De indulgent.*)

19. « Publicanda quoque erunt in synodo provinciali specialiter quæ in concilio Tridentino de residentia sub Paulo III et Pio IV statuta sunt, et si quæ alia ejusdem concilii decreta in primis necessaria atque utilia censebuntur. (Sess. 6, cap. 1 et 2; et sess. 23, cap. 1.)

20. « Cum decretum concilii Tridentini *de clandestinis matrimoniis*, tam in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primo publicationis in eadem ecclesia parochiali factæ numerandos, nec hujusmodi publicationis requisitæ a concilio Tridentino æquivaleat publicatio, quæ fit in synodo provinciali, ut sacra congregatio declaravit: et præcipiendum erit omnibus episcopis, et aliis, ad quos talis executio spectare potest, ut dictum decretum de clandestinis matrimoniis, ita ut edictum est, nihil addendo, detrahendo, aut immutando, in singulis parochiis quam primum publicetur. (Sess. 24, cap. 1 *De reform. matrim.*)

21. « Designabuntur in synodo judices, quibus alioqui ad id aptis causæ ecclesiasticæ, ac spirituales, et ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandæ committi possint. (Sess. 25, c. 10.) Qui possunt in synodo judices designari? C. *Statutum* est in 6 tit. *De scriptis* sic: ***Sancimus igitur, ut nullis nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu ecclesiarum cathedralium canonicis, causæ auctoritate litterarum sedis apostolicæ, vel legatorum ejus de cætero committantur; nec audiantur alibi quam in civitatibus vel locis insignibus, ubi possit commode copia peritorum haberi.*** Ex jure vero et etiam concilio Tridentino dignitates personatum obtinentes et dimidia pars canonicorum cathedralium, debent esse doctores in sacra theologia aut jure canonico. Ex eoque exsurgit difficultas an dignitates et canonici non doctores possint designari ut judices synodales? Si menti legis attendatur, videtur quod non; et quia in Galliis fere nulli sunt doctores, sequeretur judices synodales haberi non posse. De hac difficultate sacra congregatio Concilii consulenda esset.

22. « Deputabunt item judices, qui de locationibus rerum ecclesiasticarum etiam auctoritate apostolica confirmati judicare valeant, juxta Tridentini concilii decretum, ut quas a triginta annis citra ad damnum Ecclesiæ, et contra canonicas sanctiones contractas fuisse judicaverint, irritas declarent, de quibus sess. 25, cap. 1.

23. « Atque hæc fere sunt, quæ synodus provincialis ex concilio Tridentino præstare debet, super quibus amplior est illius potestas quam jure communi eidem competat (c. *Episcoporum* 18 dist.), cum in præmissis non propria, sed concilii universalis auctoritate nitetur. In cæteris enim causis et negotiis meminisse oportebit episcoporum concilia non habere vim constituendi, sed auctoritatem imponendi, et inducendi quod alias statutum, et generaliter, seu specialiter observari præceptum: multoque minus in hujusmodi consiliis de rebus fidei, et majoribus causis tractari, aut quidquam definiri posse (C. *Majores*, *De baptismo*.) Non tamen horum potestas adeo restringitur, quin multa statuere possint, circa ea quæ totam provinciam concernunt præter jus commune, et quandoque etiam contra illud ex causa urgenti verisimiliter a canone non prævisa, secundum ea, quæ fuse adnotavi in c. *Dilectus*, supra, *De tempor. ordinat.*, et in cap. *Quod super his, de major. et obedient.*; suisque decretis jus commune adjuvare addendo novas pœnas, vel antiquas augendo.

« Cæterum ad evitandam omnem ambitionis et præsumptionis suspicionem, abstinendum erit a promulgandis variis decretis, quæ jure communi, et pontificiis constitutionibus minus consonant, etiam in casibus alias permissis. (Doctores, in dicto cap. *Quod super his*, *De major. et obed.*) Et ubi per antiquos canones, vel ultimum generale con-

cilium, aut summorum pontificum constitutiones provisum non fuerit, vel minus sufficienter, supplebit synodus provincialis suis constitutionibus, ut ecclesiastica disciplina restituatur prout melius et facilius videbitur.

24. « In rebus dubiis, et de jure controversis non facile definitiones fiant, præsertim ubi grave aliquod præjudicium parari potest, veluti in materia sacramentorum enodanda, aut explicandis casibus usurarum, et aliorum vitiorum, quibus timoratæ conscientiæ irretiri possunt.

25. « Si circa judicia, illorumque expeditiones fuerit decernendum, meminisse oportebit non posse episcopos, nec synodum provincialem causam, quæ sui natura, aut ex juris dispositione summaria non sit, summariam efficere, neque breviorem reddere instantiam, aut ea, quæ de jure communi in causis summariis servanda sunt, præcidere, minusque appellationes in casibus, in quibus alias permittuntur, prohibere : nec prætermittere modum, et ordinem a jure, et concilio Tridentino, præcipue in puniendis corrigendisque excessibus, præscriptum.

26. « In materia jurisdictionis ecclesiasticæ et sæcularis consultius erit nihil statuere, quam ut appareat ex juribus Ecclesiæ aliquid esse imminutum, vel usurpatum : videtur etiam abstinendum a mentione legum sæcularium, præsertim si affines sint illis, quæ a sede apostolica improbatæ fuerunt.

27. « Noverint etiam exemptos decretis concilii provincialis non obligari, nisi in casibus, in quibus a jure communi, concilio Tridentino, et summorum pontificum constitutionibus specialiter episcopis, aut concilio provinciali in ipsos potestas tributa est, ut sacra congregatio censuit.

« Quid observandum sit cum capitulis exemptis, et episcoporum jurisdictioni non subjectis aperte statuitur in concilio Tridentino, sess. 6, cap. 4, et sess. 25, cap. 6. Quod si illius exsecutio quoad hoc habitura sit impedimenta, vel difficultates, quæ superari non possint, satis erit nihil decernere, quam aliquid statuere, quod ipsius concilii decretis non consentiat.

« Cum regularibus quomodo synodus provincialis procedere possit, aut debeat, edisсere poterit ex concilio Tridentino, sess. 25 *De regular.*, et ex posterioribus Rom. pontif. ea de re constitutionibus, præsertim Gregorii XV, quæ incipit: *Inscrutabili Dei providentia:* quorum auctoritate nisi specialiter nitantur decreta synodalia, utique arctabunt illa tantum monasteria, quæ ipsis ordinariis sunt subjecta. In aliis autem monasteriis episcopi scire debent se a concilio Tridentino datos esse exsecutores eorum, quæ in decretis dict. sess. 25 *De regul.* continentur : in quibus provinciale concilium episcoporum negligentiam supplere, et coercere debet, eo tamen modo, et forma, prout in ipso concilio Tridentino dispositum est, ead. sess. cap. ult.

« Et quia non omnia constitutionibus præcise et sub pœnis comprehendi possunt, aut expedit; nec omnes, quibus usui esse possunt decreta synodi, subjiciuntur illius jurisdictioni : advertendum erit ne decreta ipsa videantur minus considerate concepta, seu scripta, aut exsecutione frustrentur.

28. « Quoniam vero prælati minus est docere ac doceri, cap. *Non oportet*, 18 dist., suscipiet synodus hanc quoque partem erudiendi tam episcopos, qui ad synodum accedunt, ut doceant et doceantur, quam inferiores, maxime sacerdotes, quorum ignorantia valde periculosa est in his quæ animarum curam et salutem concernunt. De sacramentis igitur eorumque administratione explicabit quæ scitu sunt necessaria, eaque accuratius edisci mandabit. De singulis clericorum functionibus diligenter edocebit; et quæ in materia morum solent frequenter scrupulum injicere timoratis conscientiis, elucidabit adhærendo probatis auctoritatibus, et receptis in Ecclesia catholica sententiis.

29. « Interseret etiam synodus provincialis frequentes exhortationes de rebus quæ opportune occurrent, et sub jurisdictione et coercitione illius non cadunt, nec pœnis sanciri possunt : et cum sermo dirigatur ad personas, quæ non ligantur provincialibus decretis, sane in quibusvis generibus causarum, et negotiorum, si exhortationes hujusmodi fuerint plenæ paternæ charitatis, non minus efficaces esse poterunt ad persuadendum, quam si ea legibus præciperentur.

« Porro ipsa synodi decreta puro et ecclesiastico stylo conscribuntur, ut Christianam pietatem non rudem simplicitatem potius quam exquisitam Latinitatem redoleant. Usitata igitur a sanctis Patribus, et sum. pontif. verba in rebus præcipue eccle-

siasticis usurpentur, nec nova vocabula in Ecclesia ex profanis ethnicorum scriptis invehantur, quæ rebus obscuritatem offendere, et catholicum stomachum movere possunt.

30. « Demum cum provinciale concilium absolvendum erit, quæcunque in eo constituta fuerint, coram Patribus concilii relegentur; quibus sub judicio et correctione sanctæ sedis apostolicæ cum metropolitano reliqui comprovinciales episcopi subscribent.

« Illa in unum volumen redacta ante quam publicentur ad S. D. N. cum litteris metropolitani, vel totius synodi transmittentur, ut a sede apostolica revideantur, corrigantur, atque approbentur, itaque correctæ executioni demandentur. His etiam subjici poterunt ea, quæ ad promovendum provinciæ profectum in ecclesiastica disciplina, vel ad occurrendum impedimentis atque periculis synodus provincialis S. D. N. proponenda judicaverit.

31. « Decimo quæro, quæ sit metropolitani auctoritas in synodo provinciali. Solutio patebit ex subjectis declarationibus sacræ congr. Concilii.

« Cum quæreretur, an archiepiscopus solus justis de causis posset absque aliis episcopis dissolvere concilium, sacra congregatio censuit non posse, nisi de consilio et assensu coepiscoporum. Archiepiscopus ex sacra congregatione, licet sit caput concilii, et præsidens, non nisi consilio et assensu coepiscoporum poterit cuipiam silentium indicere, vel jubere aliquod scriptum aut libellum legi, vel tunc non legi, seu mandare aliquem tunc exire a concilio, vel intrare, etiamsi accedat, ut aliquis ex episcopis impediat, aut perturbet, aut cum archiepiscopo minus urbane se gerat. Cum tamen ipsius sit concilium dirigere, poterit ex se mandare ne quis loquatur extra locum, neve perturbetur concilium.

« An metropolitanus possit cognoscere de causis civilibus episcoporum, necnon eorum qui dictis episcopis sunt subditi: sacra congregatio censuit posse, etiam quando episcopus agit contra episcopum, cæteroqui non posse nisi in casibus in jure expressis.

« An archiepiscopus possit procedere per censuras, et alias pœnas contra episcopos illos, qui usurpant archiepiscopi jurisdictionem in concilio, sive extra illud, volentes cognoscere de aliquibus causis ad tribunal, et curiam ipsius archiepiscopi pertinentibus. Sacra congregatio censuit non posse, nisi extra concilium provinciale juxta canonicas sanctiones.

« Et cum ex concilio Tridentino caveatur, ut archiepiscopus possit visitare suffraganeos causa cognita, et probata in concilio provinciali: an necessarium erit facere informationem de causis urgentibus, ut debeant visitari, et primitus episcopum vocari, et audiri in concilio provinciali, ut videatur quid respondeat antequam concilium provinciale ordinet, et declaret an sit locus, ut archiepiscopus visitet : sacra congregatio censuit episcopum audiendum, nec sufficere ut concilium provinciale declaret quod dictus archiepiscopus potest visitare suffraganeos, eo quod adsit querela, et libellus, seu memoriale contra dictos episcopos, et personas suarum diœcesum, absque eo quod dictus episcopus et reliquæ personæ sint præsentes, nisi causæ visitationis decernendæ cognoscantur et probentur.

« Verum cum hæc omnia in concilio provinciali ex suffraganeorum et metropolitani sententia peragi debeant, si metropolitanus est unius sententiæ, suffraganei autem alterius: S. D. N. dixit sententiam prævalere suffraganeorum, et hoc quia habent votum decisivum, et sunt conjudices; et quia doctores dicunt quod debet metropolitanus statuere de concilio, et assensu eorum, seu majoris partis, ut plenius dictum est supra in octava quæstione.

32. Qui hanc probatissimam ex Fagnano solutionem attente legerit, facile comperiet quantum ad Ecclesiæ profectum ac ædificationem utilia sunt concilia provincialia. In his enim episcopi sese mutuo exhortantur et etiam, si opus fuerit, canonicis pœnis contra delinquentes animadvertendo, ad reverentiam et obedientiam erga sanctam sedem apostolicam, ad sacrorum canonum et legum ecclesiasticarum observantiam ; hoc mirabili exemplo melius quam omnibus præceptis et mandatis protrahuntur subjecti sacerdotes ad auctoritatem episcoporum venerandam legesque ecclesiasticas servandas. Absentibus e contra conciliis provincialibus, omnes facile dilabuntur in sacrorum canonum oblivionem, in arbitrarium a capitibus usque ad infima membra sacræ hierarchiæ;

quo exsurgit auctoritatis depreciatio et annihilatio, omnium insubordinatio ; nam episcopis sacris canonibus non obedientibus sacerdotes et clerici non obediunt, frustraque omnes lamentantur ; nam una et unica est solida auctoritatis vis, scilicet observatio legum justitiam et reverentiam parens.

33. *Notandum quoad valorem approbationis Romæ decretorum synodi provincialis :* « Ex eo quod a sacra congregatione Concilii approbata fuerint statuta synodi provincialis, vel diœcesanæ (si hæc approbari contingeret), non sequitur sanari defectus juris, si qui forte in iis relicti fuerint, nisi intervenerit pontificia confirmatio in forma specifica, » quæstio illa aliqua utilitate non caret quoad provincialia concilia. « Si nempe decretum aliquod provincialis synodi nullitate laboraret, utpote (verbi gratia) juri communi contrarium, et sacra congregatio illud non corrigeret, sed tale quale remitteret, num censenda foret dicta nullitas, vi ejusmodi recognitionis seu approbationis, sanata ? »

1° Præmittitur quid sit approbatio seu confirmatio *in forma communi* et *in forma specifica*. « In forma *specifica* fieri dicitur (confirmatio), cui præmittitur causæ cognitio, et singula statuta diligenter expenduntur, ac deinde, nulla adjecta conditione, auctoritate apostolica cum clausula *motu proprio atque ex certa scientia*, confirmatur. In forma *communi* confirmari dicuntur statuta, quæ non singulatim examinantur neque approbantur a pontifice *motu proprio et ex certa scientia*, atque apostolicæ auctoritatis robur illis non adjicitur absolute, sed solum conditionate, videlicet, *si juste, canonice aut provide facta sint ; et dummodo sacris canonibus, Tridentini concilii decretis, et constitutionibus apostolicis non adversentur :* quam postremam conditionem omnibus statutorum confirmationibus *in forma communi* hodie exprimi atque apponi solere idem Fagnanus in cap. *Si quis*, n. 12, *De confirmatione utili vel inutili*, testatur. » Ita Benedictus XIV, *De syn. diœces.* lib. XIII, cap. 5, n. 11.)

2° *Confirmatio pontificia in forma communi non reddit validum aliquid statutum quod per se foret nullum.* Nam talis confirmatio sub communi forma, nihil novi tribuit, cap. *Cum delicta, De confirmatione utili vel inutili ;* cap. *Quia diversitatem, De concess. præb.* Sed dices : Ad quid igitur hujusmodi confirmatio membrana occupat ? Respondet Baldus : Confirmatio facit de aliquo validius, ut non possit revocari per statuentes ; sed de nullo non facit aliquid, nisi papa apponeret clausulam, *Non obstantibus*, et ex certa scientia scriberet... Et est ratio, secundum eum, quia illud quod non est confirmabile de jure, non præsumitur per incuriam confirmatum. » (Fagnan. in cap. *Ex parte, De constitut.* n. 4.)

« Duplex est confirmatio... una dicitur simplex confirmatio, seu in forma communi et ordinaria. Altera in forma speciali, seu ex certa scientia... Porro hæ duæ species confirmationum in eo potissimum inter se differunt, quod illa quæ fit *in forma communi*, nullum novum jus, neque valorem tribuit actui cui accedit, sed supponit actum esse validum ; ideoque approbat actum quatenus subsistit seu de jure validus est... quare non innovat actum seu de novo eum validum facit qui prius erat invalidus... At vero confirmatio quæ fit *in forma speciali*... novum jus tribuit actui qui confirmatur ; eumque, si forte prius invalidus erat, firmum facit et validum, supplendo defectus illius. » (Pirhing. in titul. *De confirmatione utili vel inutili*, n. 2, 3 et 4.)

« Præmittendum... confirmationes in forma communi, illas intelligi, quæ nec novum jus tribuunt, nec firmant, ea quæ alias sunt ex se invalida » (Fagnan. in cap. *Si quis, De confir. utili vel inutili.*)

Atque eam doctrinam reperies a canonistis concorditer receptam. In quo sequi solent Glossam, quæ sic habet in caput *Si quis, De confirmatione utili vel inutili*, verbo *Confirmationem :*

Nota, quod confirmatio impetrata sub forma communi, sive etiam innovatio, nihil novi juris tribuit, sed solummodo vetus conservat... Unde per talem confirmationem vel innovationem non impeditur petitio alterius vel judicis cognitio.. ; quia hoc facit papa sine præjudicio alicujus... Quid ergo valent hujusmodi confirmationes ? Parum valent.

« Unde revera pontificia confirmatio seu approbatio in forma communi, nequaquam valida redderet statuta synodalia, quæ alias forent nulla. Ad supplendum valorem quo carerent, opus foret confirmatione in forma speciali.

« 3° Sola statutorum synodalium recognitio et approbatio a sacra congregatione

Concilii facta, non est pontificia confirmatio, saltem in forma specifica. Id aperte docet Benedictus XIV *De synod. diœces.* lib. III, cap. 3, n. 3, ubi agens de provincialium conciliorum statutis, sic adnotat : *Ea, antequam promulgentur, transmitti jussit Sixtus V ad sacram congregationem Concilii ; non quidem ut postea confirmationem a sede apostolica reportent, sed ut corrigantur, si quid fortasse in iisdem aut nimis rigidum, aut minus rationi congruum deprehendatur.. Non semel tamen accidit provincialia concilia non solum a sacra congregatione Concilii recognosci, et si opus fuerit, emendari, verum etiam a summo pontifice, ita petentibus metropolitanis, a quibus sunt celebrata, per apostolicas litteras confirmari.*

« Ergo revera sola recognitio quæ a sacra congregatione peragitur, etsi aliquatenus dici valeat approbatio, non est tamen *pontificia confirmatio* ; et a fortiori non est confirmatio *in forma specifica*... Imo neque est confirmatio *in forma communi*, sed simplex revisio et recognitio.

4° Ergo concludendum est statutum provincialis synodi si forte sit per se invalidum, nequaquam validum fieri, ex eo quod a sacra congregatione non corrigatur, sed tale quale, facta recognitione, remittatur.

5° « Ergo dari potest appellatio ab aliquo statuto provincialis synodi, licet a sacra congregatione recognito, et absque correctione remisso : quæ tamen appellatio non suspensivum, sed devolutivum duntaxat effectum habebit. Nam ex dictis fieri potest ut ejusmodi statutum, etiam post dictam recognitionem Romæ factam, invalidum remanserit, sitque alicujus tertii læsivum. Quo casu pars læsa bene poterit ad sacram congregationem Concilii recurrere, et petere ut declaretur hujusce statuti nullitas. Cum autem jure Tridentino cautum fuerit ne possit cum effectu suspensivo appellari a statutis synodalibus, et quando agitur de correctione morum, dicta appellatio devolutivum duntaxat effectum habebit, ac proinde tenebuntur omnes statuto parere, donec a superiori tribunali declarata fuerit nullitas. » (Ita Bouix, *De episcopo* tom. II, p. 392 ad 395.)

Concordat sententia eminentissimi cardinalis Gousset in suo libro, *Exposition des principes du droit canonique*, pag. 157, ibi : *Quant au jugement de la congrégation du concile de Trente sur les décrets d'un concile provincial, il n'a point pour effet de les rendre par lui-même obligatoires. Quoiqu'elle ne se prononce qu'après avoir consulté le souverain pontife, ce n'est point précisément en vertu de ce jugement que le concile provincial oblige, mais bien en vertu de l'autorité des évêques de la province : seulement, il ne devient obligatoire, comme concile, qu'après avoir été examiné, revu, et, au besoin, corrigé par la congrégation. On peut dire, il est vrai, que le jugement des cardinaux est une approbation ; mais cette approbation est plutôt* négative *que* positive ; *c'est la déclaration qu'un concile ne renferme rien de répréhensible, rien qui soit digne de censure,* nihil censura dignum, *quoiqu'il arrive quelquefois que ce concile contienne, même après avoir été corrigé, certains règlements que la congrégation* tolère *plutôt qu'elle ne les* approuve. *Le Saint-Siége garde le silence, quand il ne croit pas opportun de réclamer, attendant que le temps et les circonstances lui permettent de le faire sans inconvénient. Il ne faudrait donc pas être étonné que la sacrée congrégation du Concile se montrât plus sévère à l'avenir, à l'égard de quelques décrets en matière de discipline, qu'elle a cru devoir* laisser passer *sans faire aucune observation.*

Tandem, statuta synodi provincialis, quæ contra jus commune seu leges Ecclesiæ universales, disponunt, sunt irrita. « Nihil magis vulgatum est quam quod synodalis constitutio contra jus commune et apostolicas sanctiones, nullius sit roboris et firmitatis. » (Bened. XIV, *De synod. diœces.* lib. XII, cap. 1.)

§ II. — De aliis obligationibus et juribus metropolitani.

1. Potest archiepiscopus suam exercere jurisdictionem cogendo suos suffraganeos episcopos ad observandum eumdem modum in divinis officiis celebrandis. (Cap. *De iis* 13, dist. 12.)

2. Potest et debet vel per se, vel per vicarium, aut a se delegatum, suam exercere jurisdictionem quando, et solummodo causa per appellationem ad ipsum defertur, scilicet quando a sententia, vel gravamine episcopi legitime appellatur ad archiepiscopum, sive appellatio facta sit in causa spirituali, sive temporali, civili, vel criminali. (C. *Romana* 3, *De appellat.* in 6.) — cap. 1, *Cum non ignoretis, De offic. legati ;* cap. 9 *Duo simul, De offic. iudicis ordinarii.*) Si tamen suffra-

ganeus cognoscat de causa ex delegatione speciali pontificis, ad hunc appellari debet ; si vero ut delegatus, ex vi decretorum Tridentini, in causis quæ sub ejus ordinaria jurisdictione comprehenduntur, ad archiepiscopum potest appellari, in causis vero sub ejus ordinaria jurisdictione non comprehensis ad solum papam est appellandum, sic censuit sacra congregatio Concilii, apud Fagnan. c. *Ad audientiam*, *De Eccles. ædificand.* n. 45 ad 49.

3. A sententiis episcoporum *ex informata conscientia* non datur appellatio ad metropolitanum, sed tantum ad sanctam sedem ex concil. Trident. sess. 14, c. 1, *De reform.*, et ex decreto sacræ congregationis Concilii 22 Maii 1848, a sanctiss. pontifice approbato et confirmato ad reverendiss. episcopum Luconensem (Luçon).

4. Archiepiscopus potest injungere episcopis suffraganeis ut observent sacros canones in materia simoniæ ; alias ipse archiepiscopus pœnam poterit infligere. (Cap. *Dilectus filius*, 30, *De simonia.*)

5. Suffraganeos cogere pœnis forte pecuniariis tantum, ad erigendum seminarium. (*Trident.* sess. 23, c. 18.)

6. Ipsos compellere ad faciendum synodum quotannis. (*Trident.* sess. 24, c. 2)

7. Ipsos cogere ad constituendum archipresbyterum ruralem. (Cap. *Ut singulæ plebis* 4, *De offic. archipres.*)

8. Eos cogere ad residendum apud suas Ecclesias ; et, illis sine legitima causa non residentibus, applicare fructus fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci, et crescente contumacia, denuntiare summ. Pontifici. *Trident.* sess. 23, c. 1, et Pius IV, const. *De salute gregis.*)

9. Potest deputare vicarium in Ecclesia suffraganea, si infra octo dies post mortem episcopi, capitulum non providerit, vel non idoneum elegerit. (*Trident.* sess. 24, c. 16.)

10. Potest vocare et compellere suffraganeos pro consecratione alterius suffraganei, sed tamen in provincia. (C. 2 *Non debet*, et c. 3 *Episcopus*, dist. 65.

11. Potest, interveniente causa, suffraganeos suspendere, interdicere et excommunicare. (Cap. *Venerabili. De senten. excom.* et cap. *Romana Ecclesia* 1, *De offic. ordinar.* in 6.) Et archiepiscopo absente et a sua provincia distante, etiam ejus vicarius poterit ipsos suffraganeos suspendere, interdicere, excommunicare, in cit. cap. *Romana*, etc.

12. Potest excommunicare vicarium vel officialem suffraganei, causa rationabili existente (eod. cap. *Romana*); causæ autem rationabiles sunt, quando vicarius impedit causam appellationis ad archiepiscopum, vel si deliquerit circa officium commissum, vel si peccaret in his quæ sunt jurisdictionis, vel si uteretur jurisdictione episcopi excommunicati, vel si non servet privilegia sedis apostolicæ, vel si sit criminosus et incorrigibilis. (Ita Glossa et canonistæ.) Exceptis tamen his et similibus casibus, si vicarius delinquat extra officium, non subjacet jurisdictioni metropolitani, sed suo episcopo. (Cap. *Ei qui appellat.* causa 2, quæst. 6, et Barbosa, *De offic. et potest. episc.* p. I, tit. IV, n. 18)

13. Potest archiepiscopus cognoscere de injustitia excommunicationis suffraganei. (Cap. *Sollicitudinem*, *De appell.*)

14. Absolvere subditum suffraganei quem ipse non vult absolvere, sed tantum in appellatione. (Cap. *Ad reprimendam* 8, *De offic. jud. ordinar.*)

15. Potest dispensare in subditis suffraganei quando ipse denegat dispensationem, et dispensatio est debita ratione personæ, loci, ætatis, temporis, pietatis, necessitatis et utilitatis Ecclesiæ ; et exsequi ultimas voluntates subditorum episcopi, ipso episcopo negligente. (Ita communiter.)

16. Potest conferre beneficia vacantia per negligentiam suffraganei ; si enim suffraganeus sit negligens ad conferenda beneficia intra semestre, tunc collatio devolvitur ad archiepiscopum. (Cap. *Licet* 3, *De suppleud. neglig. prælat.*)

17. Potest in visitando provinciam compellere suffraganeos et subditos eorum ad solvendam procurationem. (Cap. *Cum ex officii sui debito* 16, *De præscriptionibus* : c. *Sopitæ* 14, *De censibus*, et cap. *Romana Ecclesia* 1, *De censibus* in 6.) « Potest etiam idem archiepiscopus, dum visitat, confessiones subditorum suffraganeorum audire, ac absolvere confitentes, et ipsis injungere pœnitentias salutares. » (Cap. *Perpetuo declaramus* 5, *De censibus*, in 6.) Imo, nedum per se, sed etiam per alios, potest subditos suffraganeorum absolvere etiam a casibus suis respective episcopis reservatis, quia eo tempore quo archiepiscopus diœceses suffraganeorum

visitat, quælibet diœcesis actu visitata censetur tanquam sua, et ipse habere in ea jurisdictionem quasi episcopalem episcopo superiorem. (Ita multi, apud FERRARIS verb. *Archiepiscopus*.) Sed nequit hanc visitationem adimplere nisi prius causa cognita et approbata a concilio provinciali, ut dictum est supra.

18. Potest concedere indulgentiam per totam suam provinciam, etiamsi non sit in actu visitationis, dummodo statutum generalis concilii non excedat. (Cap. *Nostro* 15, *De pœnit. et remis.*)

19 Potest procedere contra canonicos suffraganeorum in casu inobservantiæ censurarum ab episcopis latarum ; et cognoscere ipsorum excessus in cessatione a divinis. (Cap. *Irrefragabili* 13, *De offic. jud. ordin.*)

20. Potest exercere jurisdictionem in subditos suffraganeorum in concernentibus totam provinciam, ut in tollendo pravam consuetudinem. (Cap. *Ad extirpandas* 11, et cap. *Nimis* 18, *De filiis* ; et c. *Ex frequentibus* 3, *De institutionibus*.)

21. Et cum in provincia sua jurisdictionem exercet, punire notorios injuriantes sibi, nuntiis et familiæ suæ ; sive suam jurisdictionem impediant, sive non. (Cap. *Romana* 1, *De pœnis*.)

22. Interdicere prædicationis officium aliquibus per totam suam provinciam.

23. Exsules facere a tota sua provincia delinquentes in sua diœcesi. (Cap. *Non sine* 2, *De arbitris* ; et c. *Tuarum* 11, *De privilegiis*.)

24. Potest mittere quæstores eleemosynarum per totam provinciam pro fabrica Ecclesiæ metropolitanæ. (C. *Romana* 1, *De pœnit. et remis*.)

25. Mittere edicta per totam provinciam in casibus ad suam jurisdictionem pertinentibus.

26. Compellere abbates et regulares prælatos negligentes, ut prædicatio Evangelii fiat in ecclesiis parochialibus subjectis monasteriis in nulla diœcesi consistentibus. (*Concil. Trident.* sess. 5, cap. 3.)

27. « Ad ipsum pertinet confirmare electiones suffraganeorum, nisi horum confirmatio specialiter sit reservata summo pontifici, prout, paucis exceptis, reservata est hodie. Idem eosdem de jure communi consecrat, vel consecrandi munus alii, cui vult, mandat ; *de jure communi*, inquam : nam hodierno episcopos consecrandi munus vel licentiam concedit papa. » (SCHMALZ. part. IV, tit. XXXI, n. 22.)

§ III. — Casus in quibus metropolitanus non habet jurisdictionem.

Præter casus supra relatos in quibus archiepiscopus non habet jurisdictionem, sunt adhuc multi alii :

1. Non potest procedere contra suffraganeos in causis criminalibus ; nam in delictis majoribus depositione aut privatione dignis, cognoscit jure divino solus papa, et de minoribus concilium provinciale aut deputandi per ipsum. (*Trident.* sess. 24, c. 5.)

2. Multi etiam in causis civilibus nullam archiepiscopo in suffraganeos invitos competere jurisdictionem præter quam in casibus a jure expressis, tenent. Non potest se ingerere in causis quæ agitantur coram suffraganeis in prima instantia, et, si se ingerat, sperni potest ejus inhibitio. (*Trident.* sess. 13, c. 1 ; sess. 24, c. 20 ; sacra congr. Episcop. 29 April. 1697.) Nec præcipere suffraganeo ut expediat aliquam causam intra certum terminum, puta triginta dierum. (Sac. cong. Episcop. in una Murana 25 April. 1612.) Si tamen causa in curia suffraganei non finiatur intra biennium, liberum est partibus, et uni etiam parti, metropolitanum tribunal adire. (Cap. 20, sess. 24 Trident.)

3. Nec exsequi sententias civiles, nec exigere pœnas criminales, ex eo quod ipse confirmavit sententiam suffraganei. (Sacra congr. Episcop. in una *Squillacen.* 6 Martii 1618.)

4. Nec absolvere excommunicatos a suffraganeis vel officialibus eorum, nisi in casu appellationis. (C. *Venerabilibus*, *De sent. excom.* in 6.) Sed non potest statim et simpliciter absolvere illum qui de excommunicatione appellavit ad ipsum, sed eum remittere debet ad episcopum qui excommunicavit ; qui si noluerit ipsum absolvere, tunc solum, recepta juratoria cautione, poterit ipsum absolvere. (Cap. *Ad reprimendam* 8. *De offic. judic. ordin.*)

5. Non potest revocare censuram latam a proprio ordinario contra appellantem. (Cap. *Romana*, *De appell.* in 6.)

6. Non potest citare in causa appellationis ab episcopo nisi causa appellationis fuerit sufficiens et legitima. (Cap. eod.)

7. Nec eximere ab episcopo cum qui ad

ipsum appellavit in aliis causis quam in illa appellationis. (Cap. eod.)

8. Non potest statuere ut causæ quæ per appellationem ad ipsum deferuntur agitentur alibi quam in sua civitate vel diœcesi, aut in eis in quibus fuit appellatum, vel causæ ipsæ consistunt; nisi aliud sibi competat de consuetudine. (Cap. *Ut litigantes* 5, *De offic. ordin.* in 6.)

9. Non potest in diœcesi suffraganeorum sibi facere officiales pro causis futuris : quod si per consuetudinem tale jus habeat, non possunt officiales inhibere ante appellationem. (Cap. 1, *De offic. jud. ordin.* in 6.)

10. Nec cogere subditos suffraganeorum, ut suam delegationem accipiant vel exsequantur sententias. (C. *Romana Ecclesia* 1, *De foro compet.* in 6.) Nec esse judex competens pro salariis advocatorum et procuratorum sui fori contra subditos suffraganeorum. (Cap. eod.)

11. Nec ferre censuram contra officiales suffraganei, ex eo quia citati noluerint comparere coram eo. (Cap. eod.)

12. Non potest populos suffraganeorum excommunicare. (C. *Nullus* 7, causa 9, quæst. 3.) Nihil potest facere in diœcesibus suffraganeorum nisi quatenus reperiatur in jure expressum. (Cap. *Pastorali*, *De offic. jud. ordin.*; c. *Romana* 5, cap. *Venerabilibus* 7, *De sent. excom.* in 6 ; cap. *Romana Eccles.* 1, *De supplend. neglig. prælat.* in 6); vel quatenus de consensu suffraganeorum ipsi permittitur. (Cap. 2, 6, 9, 10, causa 9, quæst. 3.)

13. Non potest ad visitata loca suffraganei redire denuo, antequam visitet totam provinciam, nisi a diœcesanis locorum requiratur; nec recipere procurationem in pecunia, nec munera a subditis suffraganeorum ; et si recipit, tenetur restituere in duplo. (Cap. *Romana* 1, *De censibus*, in 6.)

14. Non potest inhibere suffraganeis in materia observationis festorum. (Sacra congr. episcop. in una Beneventana 11 Januar. 1622); nec ipsis inhibere, nec se ingerere in causis immunitatis ecclesiasticæ, sed remittere ad sedem apostolicam eos qui recurrunt ad ipsum. (Sacra congr. Episcop. in una Angl. 23 Septembr. 1624.)

15. In casu quo ordinarius nolit supplicantibus ordines conferre, non poterit ab archiepiscopo cujus est suffraganeus compelli ad allegandas causas cur renuat, sed ad sedem apostolicam, seu sacram congregationem Concilii erit recurrendum, ut dicta congregatio respondit, in Rhemensi 21 April. 1668, et alibi.

16. Non potest archiep. publicare monitoria excommunicationis ad finem revelationis in forma *significavit*, in diœcesi suffraganei. (C. *Romana* 1, *De offic. ordin.* in 6, et sac. congr. episc. 15 Sept. 1603.)

17. Nec expedire commissarium contra suffraganeos sine licentia sacr. congregationis Episcop. (Sic dicta congr. 25 Maii 1629.)

18. Nec concedere dimissorias subditis suffraganeorum, dum visitat provinciam, quia non reperitur hoc in jure permissum.

19. Nec sine licentia suffraganei vel superioris loci exempti ordinare, chrismate inungere, degradare, et alia similia, quæ dicunt jurisdictionem. (Ita multi.)

20. Nec exercere pontificalia in ecclesiis suffraganeorum absque licentia episcopi ordinarii. (Sacra congr. Episc. et Regul. 18 April. 1599.)

21. Non potest vocare episcopos suffraganeos ad præstandum ei obedientiam, etiamsi eos non cogat, neque per se neque per alios, seu per procuratores ad comparendum. (Sacra congr. Concil. in Surrentina, 11 Septembr. 1694.) Et hæc omnia et alia similia confirmantur multis sacrarum congregationum decretis.

Notandum est : 1° In eo quod ad censuras attinet, licet eas in suffraganeos infligendi de jure communi, ut dictum est, potestatem habeant archiepiscopi, tamen id agendum cum magna consideratione, et nonnisi consulta sacr. congreg. Concilii docent doctores. « Quia ejusmodi pœnæ et censuræ ecclesiasticæ non dictantur, nisi præcedat culpa et delictum; cognitio vero de delicto suffraganeorum ad archiepiscopum haud spectat ; ideo prætactum jus archiepiscopi non aliter in usum deducere poterunt, quam cum provinciali concilio, prout textum in c. *Venerabilis* post Emmanuelem Gonzalez interpretatur Petra, aut saltem in ea hypothesi, qua suffraganeus delinquit in officio, et actu qui spectat ad jus metropolitanum, per ea quæ tradit Petra, etc.; aut denique in casu quo archiepiscopus procedit ad declarationem censuræ latæ ab ipso jure ; hanc enim declarationem etiam contra exemptos fieri posse satis innuit card. de Luca, etc. »

Secus vero dicendum est de censuris ab archiepiscopo latis in vicarium sui suffraganei; nam eas sustinuit Rota 3 Februar. 1747.

2° Jurisdictio archiepiscopi in subditos et diœceses suffraganeorum restricta est ad casus in jure expressos. (Cap. *Duo simul* 9, *De officio judic. ordinarii*, et cap. *Per singulos* 2, causa 7, quæst. 3, et multi alii can.)

Cum vero certum sit a Tridentina synodo reservatas fuisse causas criminales omnes episcoporum, majores scilicet sedi apostolicæ, et minores concilio provinciali; et cum illa autem reservatione stare non possit ullius episcopi potestas censuris alium episcopum innodandi, videtur pluribus quod archiepiscopus non possit etiam contra suffraganeos ferre censuras etiam de jure ferendas nisi in concilio provinciali; argum. ex cap. 1, *De reform.* sess. 23 *Trident.*)

3° Archiepiscopus nihil omnino potest, quoad alias (præter suam) provinciæ suæ diœceses, nisi de cæterorum episcoporum sententia. (C. *Pastoralis*, 11, *De off. jud. ordin.*; c. *Venerabilibus*, 7, *De sent. excom.* in 6; c. *Romana* 1, *De suppl. negl. præl.* in 6; c. *Per singulos* 2; c. *Archiepiscopus* 5, causa 9, quæst. 3.) Quod si archiepiscopus aliter fecerit, coerceatur a fratribus (suffraganeis). (C. *Salvo* 4, causa 9, quæst. 3.) Si vero incorrigibilis eisque inobediens apparuerit, ad sedem apostolicam ejus contumacia referatur, ut vindicta de eo fiat, et cæteri timorem habeant. (Cap. *Si autem* 6, causa 9, quæst. 3.) Synodo provinciali, id est suffraganeis in synodo coadunatis subjicitur archiepiscopus quoad ea in jure expressa, ita ut corripi possit ab ipsis suffraganeis; arg. ex cap. supra cit. et cap. 18, sess. 23 Trident. ibi : *Archiepiscopum et superiores synodus provincialis acriter corripere, eosque ad omnia (de seminariis) supra dicta cogere debet.*

De amissione dignitatis et muneris archiepiscopi, et aliis ad ipsum spectantibus, est sicut de episcopo, de quo nunc habemus tractare.

—

Sectio II. — De episcopis.

—

CAPUT I.

De creatione episcopi.

« Episcoporum universorum collegium seu corpus successit apostolorum collegio; proindeque episcopatus jure divino in apostolis institutus et fundatus fuit : est de fide. Atqui Romanus pontifex est caput et fundamentum principale totius Ecclesiæ Christi et episcopatus, sicut Petrus fuit caput et fundamentum apostolatus. Ex jure igitur divino episcopi, uti et omnes infra Rom. pontificem majores prælati, una prædicti Rom. pontificis auctoritate aut immediata aut mediata, aut explicita aut implicita legitime assumi atque institui possunt. Hæc omnia ad fidem pertinent, sicut supra demonstratum est. Nunc vero ad juris ejusdem exercitium, formasque varias quas subiit, potissimum autem ad eam quæ nostris diebus obtinet, breviter exponendum devenimus.

Tria porro requiruntur ad rectam et legitimam episcopi institutionem, nempe *electio*, *confirmatio* et *consecratio*, seu primum eligendus est episcopus, electus confirmandus est, confirmatus tandem consecrandus, et ad ordinem sacramentalem episcoporum proprium promovendus. » (*Inst. jur.* R. de M. t. I, p. 322.)

§ I. — De electione episcopi.

I. « Ipse Christus misit duodecim apostolos in universum mundum, sicut eum miserat Pater suus. Apostoli vero (cum fidelibus) primum omnium sanctum Mathiam ad vacantem episcopatum ex suspendio Judæ proditoris elegere in prima synodo Hierosolymitana. In electione hac turbam hominum fere 120 adfuisse eruitur ex sacro textu. » (Ferraris, *Bibliothec.* verb. *Episcopus.*)

« Porro et Hierosolymitanus primus archiepiscopus beatus Jacobus ... a Petro, Jacobo et Joanne apostolis est ordinatus. » (C. 2, *Porro*, dist. 66.

II. « Profecti apostoli in diversas regiones consueverunt ad episcopale ministerium attollere primos cujusque urbis viros amplexos fidem evangelicam. Ab apostolis vero creati, eorumque successores episcopi alios similiter constituerunt. Principio plebs vix præsentiam ac testimonium præstabat, episcopi eligebant, populus assentiebat; at postmodum Christianus populus numerosior

factus, paulatim præsentiam ac testimonium extendit ad suffragium.

Attamen canon 75 apostolicus reprimit electiones in consanguineorum favorem ab episcopis factas : *Quod non oportet episcopum fratri, vel filio, vel alii cognato gratificantem, humana affectione ad episcopatus dignitatem, quem vult eligere; episcopatus enim hæredes facere justum non est, ea quæ Dei sunt largientem.*

« A sæculo IV ad sæculum IX usque synodus provincialis consuevit episcopos ordinare, nonnisi a clero et populo, vel postulatos, vel electos unanimiter. Quod si in duas pluresve personas eligentium suffragia scinderentur, præferebat metropolitanus digniorem et ornatum majoribus suffragiis ac meritis. » (FERRAR., ubi supra.)

Zozimus papa suis decretis damnavit episcopos ignotos et alienigenas, qui plebe cleroque contradicente, intra Gallias sacerdotia usurpaverant. (Epist. 3.) Bonifacius I (Epist. 3) arguit episcopos Galliarum, qui, spreto suffragio cleri et plebis, Lutubensem episcopum elegerant : *Lutubensis Ecclesiæ clerus, ordo vel plebs preces suas et lacrymas ad nos miserunt.* Iisdem Galliarum episcopis præcepit papa Cœlestinus : *Nullus invitis detur episcopus; cleri, plebis et ordinis consensus ac desiderium requiratur.* (Epist. 2.)

Gratiani decretum, dist. 62 et 63, paparum et conciliorum decreta multa quæ episcoporum electionem clero et plebi tribuunt, includit.

III. « Frequentia electionum dissidia in causa fuere ut populi jura principes tandem usurparent. Hi vero IX sæculo ad XII sæculum usque adorti sunt vetustum electionibus assentiendi jus in novam vertere formam investiendi per annulum, et virgam, seu instituendi episcopos auctoritate sua absque ullo decreto, judicioque synodorum provincialium, et sine metropolitarum confirmatione. At eodemmet sæculo IX, octava synodus œcumenica reprimere studuit recentem invasionem, sanxitque ne quis principum laicorum et potentium se episcoporum electioni ingereret. Gliscentibus autem in dies laicalibus investituris, Leo IX, Victor II, Stephanus X, Nicolaus II, Alexander II, Beatus Gregorius VII aliique successores ecclesiasticam in ea re libertatem tueri novis conciliorum sanctionibus sategerunt, nullus ut auderet clericorum, aut monachorum accipere de manu laici investituram Ecclesiæ vel beneficii. Sæculo demum XII, abolendis reapse investituris consentire principes orsi sunt, pactis cum sancta sede conventis, quæ dicimus concordata.

IV. « Tunc itaque omnino desierunt suffragia laicorum, relictæque clero fuere canonicæ electiones. Cleri vero nomine venit capitulum ecclesiæ cathedralis.

V. « Ineunte sæculo XIV, abrogatum est jus capitulorum cathedralium pontificiis collationibus et reservationibus, idque ex frequentissimis discordiis ad supremum judicium sedis apostolicæ deferri solitis, ac turbis laicorum libertatem eligentium ut plurimum opprimentibus. In Germania vero capitula retinuerunt jus eligendi episcopos. Sunt et reges, quibus jus nominandi episcopos competit. » (FERRARIS, *Bibliothec.*, verb. *Episcopus.*)

Quoad Gallias, ex reservationibus pontificiis, etiam ad regum preces in suarum creaturarum favorem factis, et ex interminabilibus processibus ortum habuit Concordatum anni 1516; forte etiam protestantium reformatio, quæ omnes Ecclesias reformatas cum earum bonis et beneficiis inter politicarum potestatum manus reponebat, non fuit non in causa in principum catholicorum exigentiis et sanctæ sedis propter pressionem facilioribus concessionibus. Utut sit, suam exsistentiæ rationem habuit Concordatum 1516; malis enim realibus remedium afferebat. Nonne vero his aliter subveniri potuisset?

Credere est quod, si sedes apostolica suæ plenæ inspirationi, absque regiæ potestatis pressione relicta fuisset, necessaria reformatio in strictiori juris Ecclesiæ communis conformitate effecta fuisset.

Interea anni 1516 Concordatum vivam obstinatamque repulsionem passum fuit, quam hic enarrare longius foret. Satis sit afferre modificationem dicti concordati per ordinationem statuum Aurelianensium Januarii 1560, promulgatam subtrium ordinum deputatorum remonstrantiis et doleantiis. Sic igitur statuit rex Carolus IX :

ART. I. *Tous archevêques et évêques seront désormais, sitôt que vacation adviendra, élus et nommés : à savoir, les archevêques par les évêques de la province, et chapitre de l'église archiépiscopale. Les évêques par*

l'archevêque et évêques de la province, et chanoines de l'église épiscopale, appelés avec eux douze gentilshommes, qui seront élus par la noblesse du diocèse, et douze notables bourgeois, qui seront aussi élus en l'hôtel de la ville archiépiscopale ou épiscopale. Tous lesquels convoqués à certain jour par le chapitre du siége vacant, et assemblés comme dit est, s'accorderont de trois personnes de suffisance, et qualités requises par les saints décrets et conciles, âgés au moins de 30 ans, qu'ils nous présenteront : pour par nous faire élection de celui des trois, que voudrons nommer à l'archevêché ou évêché vacant.

Eodem tempore in concilio Tridentino magna fuit de electione episcoporum conquisitio. Galli præsertim episcopi improbaverunt nominationem principum ; Lotharingus cardinalis, dux episcoporum Galliæ, Scotorum reginæ non pepercit, ratiocinatus : « Si vetantur mulieres in Ecclesia loqui, quanto magis præfectos Ecclesiæ destinare ! Nec se ob reverentiam in suum regem cohibuit, ne pronuntiaret se, tametsi veterem regis consiliarium, et ab eo summis beneficiis affectum, a conscientia compelli, ut fateretur, in episcopatuum distributione plurimum erratum fuisse. Et quo in hac eadem confessione laudi verteretur ipsi id quod in aliorum exprobratione poterat ipsum perstringere, inter illa errata connumeravit, sibi decimum quartum annum agenti concessas infulas. Neque pariter sibi probari habitam a populo electionem, sed exquirendam esse formam quamdam, accedentem, quoad fieri posset, ad formam a Christo et apostolis traditam. » (Pallavicin. *Histor. concilii Trident.* l. xx, c. 16, n. 10.)

Multi alii Patres de hac re disseruerunt, et tandem Lainius societatis Jesu superior generalis ac sanctæ sedis theologus hanc quæstionem expendit, reprobando electionem vel a clericis, vel a laicis factam, et sic progressus est :

« Inter electiones a laicis pendentes, optimam esse quæ a principibus habetur : inter electiones ab ecclesiasticis profectas, optimam esse, quæ fit a supremo pontifice, et per cardinales . . . . . restituendas non esse suffraganeis electiones . . . Illos qui contendebant hujusmodi antiquos usus revocare, moveri mali dæmonis impulsu, et idcirco non agi ab ipsis, ut veteris Ecclesiæ jejunia et afflictiones corporis reponerentur, quæ carnem edomant, sed hoc electionis genus, quod carni favet... » *Ibid.* lib. xxi, cap. 6, n. 10 et 11.)

Attamen in Galliis invasio protestantismi mentes præoccupavit, et nihilominus reluctatio Concordati muta serpit et crevit usque ad nationale *conventum* anni 1790, in qua horrenda cleri constitutio civilis tanquam contra regiam potestatem et Concordatum 1516 reactio statuta fuit. Adversus hanc schismaticam et dolendam constitutionem cum maxima sapientia reclamavere episcopi deputati, et cum eis multitudo cleri Gallici ex omni ordine, per forte clarissimum documentum a clero Gallicano emanatum, cui titulus : *Exposition des principes sur la constitution du clergé, par les évêques députés à l'assemblée nationale.* Nihil de Concordato dicunt isti episcopi, sed post historicam canonicarum electionum expositionem, sic concludunt :

Il est de l'intérêt commun de l'Eglise comme de l'Etat de prendre des moyens qui rétablissent les droits des ministres et des fidèles. Quand les états d'Orléans voulurent rétablir les élections, ils appelèrent des citoyens élus à concourir avec les conciles des provinces pour nommer les évêques ; et leur soigneuse attention sut concilier par des formes paisibles la représentation du peuple et du clergé. Ce sont ces moyens sur lesquels l'Eglise doit être consultée ; et si l'on craint de semer le trouble et la division parmi les citoyens, il est juste que l'Eglise, en rappelant les principes qui peuvent rendre les élections canoniques, concoure à l'établissement des règles sages qui peuvent maintenir la tranquillité publique.

Præterea dicti episcopi juramentum et professionem fidei catholicæ in electoribus expostulabant. Hæc *expositio* laudata approbataque fuit a Pio VI ; vana autem fuit, nam Ecclesia Galliarum eradicata fuit per constitutionem cleri civilem, quæ fuit fons et quasi matrix multorum malorum adhuc vigentium.

VI. Hodie vero episcopos in Galliis nominat dux status (*le chef de l'Etat*) ex Concordato anni 1801.

VII. Quando episcopi per electionem assumuntur, electio facienda non est ante diem tertium a morte episcopi. (C. *Nullus* 7, dist.

79.) De regulis in electione servandis actum fuit supra, ubi de electione part. II, lib. I, cap. 6, § 3, n. 6, p. 299.) — Electus in episcopum debet intra mensem a præsentatione electionis præstare consensum; alias mense elapso, redditur nulla electio. (C. *Quam sit*, de elect. in 6.) Idem dicendum videtur de nominato a principibus. « Cæterum quivis electus infra tres menses post consensum electioni de se celebratæ præstitum, confirmationem electionis petere non omittat. Quod si justo impedimento cessante infra hujusmodi trimestre tempus omiserit, electio eadem eo ipso viribus vacuetur. » (C. *Quam sit*, supra.) Sufficeret tamen ad evadendam talem pœnam, quod electi amicus ejus nomine confirmationem peteret, quamvis sine mandato, dummodo tamen electus ratam haberet illam amici petitionem intra illos tres menses. (*Glossa* in cap. cit., et ita communiter.)

§ II. — De confirmatione episcopi.

I. Confirmatio episcoporum olim ex concessione sedis apostolicæ poterat fieri a suis respective metropolitanis. Hodie tamen non ab alio quam a Romano pontifice fieri potest, ex regul. 2, alias 3, cancellariæ, quæ sedi apostolicæ reservat provisiones omnium cathedralium. Hæc reservatio cum concordatis incipit esse quasi generalis. Pro hujusmodi electione et confirmatione facienda servatur in curia, seu per nuntios apostolicos in aliis regionibus, sequens praxis :

1° *Informationes.* — Formato processu de vita, doctrina, ætate, et moribus promovendi, ac de statu Ecclesiæ juxta interrogatoria in particulari interrogatione tradita a Barbosa, lib. I *Jur. eccles.* c. 8, n. 141, fit ab ipso professio fidei juxta formulam præscriptam a Pio IV, constit. *In sacrosancta*, et deinde fit instrumentum dictæ professionis fidei a notario subscriptum ; hæ fiunt præsentibus duobus testibus ad præmissa vocatis et habitis specialiter atque rogatis. Informatione facta, in instrumentum redacta, hæc cum voto Nuntii Romam mittenda est ad consistorium cardinalium, ubi fit nova informatio novusque processus, per cardinalem qui ex hoc *relator* dicitur. Et subscribitur idem processus a tribus cardinalibus ordinum capitibus, scilicet a primo cardinali episcopo, a primo cardinali presbytero, a primo cardinali diacono.

2° *Præconizatio.* — Hoc facto, præconizatio fit in primo consistorio, quæ vicem electionis habet, et in qua refertur status Ecclesiæ et promovendi juxta formam institutionis prædictæ.

3° *Confirmatio.* — Fit positura in secundo consistorio, et transmittitur schedula pro reassumptione posituræ, transmissa in prima præconizatione, et hæc secunda præconizatio habet vim confirmationis, et demum transmittitur fides provisionis apostolicæ a cardinali poscente ad cardinalem vice-cancellarium, ut per ejus curam conficiantur bullæ.

II. Hodie vero supra relata mutata sunt, et fieri solent in consistorio episcoporum promotiones, ut sequitur :

1° Propositiones pro consistorio concinnantur a substituto et notario ejusdem consistorii. Postea typis mandantur, et toti sacro cardinalium collegio distribuuntur.

2° In consistorio proponitur promovendus, non jam ab aliquo cardinali ut antea, sed ab ipsomet summo pontifice.

3° Formula qua utitur summus pontifex (mutatis quæ pro variis casibus mutanda sunt) est hujuscemodi :

Per obitum bonæ memoriæ Antonii Begni, ultimi illius episcopi pastoris solatio viduata est Ecclesia Feretrana. Illius Ecclesiæ statum in propositionibus cognovistis. Ad dictam Ecclesiam promovere intendimus dilectum filium Antonium Antonucci, presbyterum Ecclesiæ Sublacencis canonicum, juris utriusque, ac sacræ theologiæ doctorem, qui deputatus est a nobis ad ecclesiasticas res obeundas in missionibus Hollandiæ uti vicepræses. Ibi charitatis, zeli et religionis eximia præbuit testimonia. — Quid vobis videtur? — Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, providemus præfatæ Ecclesiæ de persona dicti Antonii, præficientes eum in episcopum et pastorem, cum decreto vacationis canonicatus quem ut supra obtinet, ac indulto retinendi beneficia omnia compatibilia, quibus gaudet, atque etiam decreto emittendi professionem fidei; illamque sic emissam ad urbem intra præfixum tempus transmittendi, prout in decreto et schedula consistorialibus exprimetur. In nomine Patris, etc.

4° Notetur verba, *Quid vobis videtur?* hodie esse mere cæremonialia. Non enim sententiam dant cardinales in ipso consistorio.

Item, conferri episcopalem missionem per hæc verba summi pontificis, *Auctoritate om-*

nipotentis, etc. Tandem notetur, propositionem sic factam a summo Pontifice, et decretum, *Auctoritate Omnipotentis*, etc., vim habere electionis et confirmationis.

III. *De nonnullis quæ pronuntiatam a papa promotionem consequuntur.* — 1. *De schedula et de bullis.* « Postquam summus pontifex legit *folia consistorialia* (in quibus scilicet descriptæ sunt promotiones juxta formulam superiori paragrapho traditam), a cardinali vice-cancellario fiunt *schedulæ*, quibus idem cardinalis fidem facit de singulis promotionibus; quæ schedulæ pro norma habentur ad conficiendas postea in cancellaria provisionis bullas.

« 2° Expeditur authenticum de facta promotione testimonium ad unumquemque promotum episcopum.

« 3° Quando episcopus unius diœcesis ad aliam fuit promotus, testimonium de hac promotione, quod ipsi mittitur, effectum habet valde notabilem : statim nempe ac ejusmodi testimonium ad notitiam episcopi translati pervenit, cessat ejus in priori diœcesi jurisdictio, et ad cathedrale capitulum transit; prout dicimus infra, agendo de episcoporum translationibus.

« 4° Postmodum in cancellaria extenduntur et expediuntur provisionis bullæ, sine quibus receptis et cathedrali capitulo ostensis, nequit novus episcopus diœcesis suæ possessionem capere, aut ullum in ea jurisdictionis aut administrationis actum valide exercere.

2. *De præstando sedi apostolicæ juramento fidelitatis et obedientiæ.* — 1° Diximus supra emittendam esse a promovendis professionem fidei, in manibus illius ad quem pertinet processum informatorium circa promovendos facere. Si nempe promovendus Romæ sit, ad summi pontificis auditorem pertinet dictum processum facere; ac proinde, in ejus manibus emittenda etiam est fidei professio. Si vero in alia regione sit promovendus, fit processus et recipitur fidei professio, a Nuntio apostolico, aut, eo deficiente, ab alio, juxta Urbani VIII instructionem.

« 2° At præter hanc fidei professionem, tenetur adhuc novus episcopus post suam in consistorio promotionem, Romano pontifici fidelitatis et obedientiæ juramentum præstare. Nimirum, si Romæ fuerit, debet illud juramentum præstare coram cardinali vice-cancellario, et iterum coram primo e cardinalibus diaconis. » (*Vide* apud Moroni, tom. XV, p. 226, edit. Venet. 1842.) « Si alibi fuerit, illud præstare debet in manibus episcopi consecratoris, intra ipsiusmet episcopalis consecrationis functionem.

« 3° Formula juxta quam juramentum emittendum est inseritur in ipsismet provisionis bullis, quæ novis episcopis expediuntur. Varia autem est hæc formula, pro variis regnis aut regionibus in quibus exstant sedes episcopales quibus providetur. (*Vide* Moroni, *Dizionario*, verb. *Consistorio*, § 2, tom. XV, pag. 226, edit. Venet. 1842.)

« 4° Tenentur insuper, ex præcepto Tridentini concilii (sess. 25, c. 2), episcopi, archiepiscopi, primates, et patriarchæ, professionem fidei emittere in primo concilio *provinciali* cui intererunt. Et adhibenda est formula Pii IV, prout habetur in *Pontificali*, sub titulo *Ordo ad synodum*. Non tenentur eam emittere in prima synodo *diœcesana*, quamvis id laudabiliter nonnulli faciant. (Benedictus XIV, *De syn. diœces.* l. v, c. 2, n. 4.)

« Si quis (quod avertat Deus) dicto præcepto Tridentino obsequi renueret, decernunt Tridentini Patres in hunc modum : *Episcopi comprovinciales statim summum Romanum pontificem admonere sub pœna divinæ indignationis teneantur, interimque ab ejusdem communione abstineant.* » (Sess. 25, c. 2 *De reform.* — (Apud Bouix, *De episcopo*, tom. I, p. 238 seqq.)

§ LI. — De jurisdictione confirmati et ejusdem obligationibus.

1. Episcopus simpliciter electus aut a civili potestate nominatus ex concordatis, nullam habet potestatem vel jurisdictionem nec sese episcopum dicere potest, nec sibi ulla jura episcopolia tribuere. Et, si sese ingereret in quacunque administratione, etiam rerum temporalium Ecclesiæ, ad quam est sive electus, sive nominatus, habendus esset tanquam intrusus, et schismaticus, omni jurisdictione destitutus, cum non possit eam accipere et tenere nisi a papa. Propterea, si forte a potestate civili manutentus, nihilominus de facto administrare inciperet, tenentur, et quidem sub gravi, capitulum et vicarius capitularis populum universum diœcesis certiorem facere, ne talem ut pastorem recipiant; talemque statim sedi apostolicæ denuntiare debent.

2. Electus, seu nominatus ante confirmationem administrare non debet per se, vel

per alium, in totum, vel in partem, sub quocunque colore, nec ut œconomus, nec ut procurator, nec ut vicarius capitularis, etc. : qui contra fecerint, ipso jure privati sunt jure ex electione quæsito, ex cap. 5, *Avaritiæ* Sexti Decret. lib. I, tit. VI, *De electione et potest. electi*, ibi Gregorius X in generali conc. Lugdun. 1273 : *Hac generali constitutione sancimus, ut nullus de cætero administrationem dignitatis, ad quam electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub œconomatus, vel procurationis nomine, aut alio de novo quæsito colore, in spiritualibus, vel in temporalibus, per se vel per alium, pro parte vel in totum, gerere vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. Omnes illos, qui secus fecerint, jure, si quod eis per electionem quæsitum fuerit, decernentes eo ipso privatos.* Omnis consuetudo contraria est corruptela. Ab hac lege excipiuntur, qui electi in concordia et valde remoti ob Ecclesiæ necessitatem dispensative administrant ante obtentam confirmationem ; illi vero sic tamen debent administrare, ut de rebus ecclesiasticis nihil penitus alienent. (Cap. 44 *Nihil est*, lib. I *Decret.* tit. VI *De elect. et potest. electi.*)

3. Confirmatus a Romano pontifice et institutus, litteris super hoc rite expeditis, ipso facto, etiam ante consecrationem, potestatem jurisdictionis nanciscitur, ac proinde gradum hierarchicum conscendit, ejusque jurium et honorum, necnon privilegiorum statim particeps exsistit. (C. *Qualiter, De elect.*) — Attamen, ex extravagant. Bonifacii VIII, cap. *Injunctæ, De elect.* promoti, vel etiam confirmati in curia ad cathedrales, vel regulares Ecclesias non modo non debent se immiscere administrationi prælaturæ ; sed nec per Ecclesiam recipi tanquam prælati, nisi litteras promotionis, vel confirmationis ostendant : alioquin recipientes, et recepti, *tandiu sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc ejusdem* (sanctæ) *sedis gratiam meruerint obtinere.* Et quod per prædictos prælatos actum fuerit, irritum habeatur. Similiter quoque prælati regimina exercentes, solito fidelitatis et obedientiæ juramento non præstito ; idem dicendum est de archiepiscopis, qui nondum litteras traditionis ipsius pallii obtinuerint et ostenderint capitulo. (C. *Injunctæ*, supra.)

Nullam ergo ante ostensas capitulo litteras confirmationis ac institutionis jurisdictionem confirmatus episcopus exercere potest. Sic igitur episcopi « bullas apostolicas ostendere tenentur capitulo, ut possessionem episcopatus capere possint ; non ad effectum petendi licentiam a capitulo, sed ut ei notificent collationem in sui personam factam. » Sic legitur in *Tarraconensi* 11 Dec. 1702 (in Appendice decisionum selectarum Monacelli, decisio 46).

Ut possessionem episcopatus capere possit episcopus confirmatus, nihil aliud opus est quam « actuali ostensione et præsentatione per se aut per alium dictarum litterarum, sive brevis loco ipsarum, facta capitulo.

4. Prædictis addendum est, « quod Alexander V, const. *Exinjuncto* innovata a Julio II in sua constit. 4 *Romani pontifices* § 2 et 5 in *Bullar.* tom. I, p. 405, decrevit ut de cætero promoti auctoritate apostolica ad cathedrales, vel regulares ecclesias, infra annum a die provisionis computandum teneantur litteras expedire sub pœna privationis earumdem ecclesiarum, et omnis juris ex provisionibus prædictis quomodolibet eis acquisiti, quam negligentes incurrere voluit eo ipso, earumque sic vacantium dispositionem sedi apostolicæ reservavit : et interim absque litteris provisionis in forma sub eadem pœna in illarum regimine et administratione in spiritualibus, vel temporalibus nullatenus se ingerere præsumant, quamobrem pœna privationis statuta contra electos administrantes ante obtentam confirmationem hodie locum habet etiam in provisis, qui administrant litteris non expeditis, aut infra annum illas non expediunt. » (Fagnan. in part. II, lib. I *Decret. De elect.*, c. *Dudum.*)

5. Addendum est tandem quod strictiores obligationes imposuerunt plures pontifices. « Super residentia episcoporum edita est die 12 Decemb. 1634 ab Urbano VIII, constit. *Sancta synodus*, in qua multa scitu digna statuuntur, et hic prout sunt a Fagnano in cap. *Qualiter* 9, *De clericis non residentibus* a n. 11 ad 27 summarie transcripta traduntur : 1° igitur Sanctitas sua innovat decreta concilii Trident., constitutiones apostolicas, et decreta consistorialia super residentia episcoporum. Multæ enim constit. super hoc ante prodierunt, ut Pii IV, et Pii V ; item multa decreta consistorialia, et in specie Gregorius XIII declaravit decreta concilii et pœnas ejusdem habere locum etiam in

S. R. E. cardinalibus; et Clemens VIII, suo decreto consistoriali addidit pœnam inhabilitatis episcoporum non residentium ad majores dignitates ecclesiasticas obtinendas. — 2° (Quod ad præsentem quæstionem facit) Jubet jam præfectos (id est confirmatos) cathedralibus, et majoribus Ecclesiis etiam S. R. E. cardinales se itineri committere, et ad residentiam conferre infra unum mensem, si in urbe exsistant; infra duos, si extra urbem in Italia; si extra Italiam, infra quatuor computandos a die publicationis bullæ. Nondum autem præfectos (id est, tantum electos), infra terminos superius expressos computandos a die eorum promotionis. Indeque nec supradictos, nec alios jam residentes abscedere absque licentia per breve, vel litteras missivas sub pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ, amissionis fructuum, et facultatum testandi ipso jure incurrenda, nec non privationis a regimine, et administratione ecclesiarum, aliisque pœnis arbitrio Sanctitatis suæ infligendis. Quoad pœnas, Pius IV, in constit. *In suprema*, edita post concilii publicationem similiter præcipit episcopis ut in suis Ecclesiis personaliter resideant sub pœna privationis a regimine et administratione Ecclesiarum suarum, ac aliis suo arbitrio imponendis pœnis, et bona decedentium extra residentiam decernit tanquam spolia ad cameram apostolicam pertinere, etiamsi facultatem specialem de illis testandi obtinuerint; et pœnam interdicti ab ingressu ecclesiæ imponit in alia ejus constitutione edita ante publicationem concilii, quæ incipit : *De salute gregis*.

6. Episcopus confirmatus qui possessionem rite cœpit, licet nondum consecratus, potest excommunicare, suspendere, interdicere, visitare, corrigere, punire, synodum convocare, beneficia conferre, Ecclesias minores conjungere, annectere, dividere, voti et jurisjurandi vincula solvere, quorumdam peccatorum absolutionem sibi reservare, et hujusmodi. (Cap. *Transmissam* 15, *De elect.* et Glossa et doctores.) Potest concedere indulgentias; communis cum divo Thoma. Ante consecrationem vero non potest episcopus exercere ea, quæ sunt ordinis. (C. *Transmissam*, supra, etc.)

§ IV. — De episcopi consecratione.

I. Electus et canonice confirmatus tenetur intra tres menses a die confirmationis munus consecrationis suæ suscipere, sub pœnis sequentibus. (C. *Quoniam* 2, dist. 75; c. *Quoniam* 1, dist. 100; et concil. Trident. sess. 7, c. 9; et sess. 23, c. 2, ibi : *Ecclesiis cathedralibus, seu superioribus, quocunque nomine, ac titulo præfecti, etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales sint, si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur; et si intra totidem menses id facere neglexerint, ecclesiis ipso jure sint privati.* Dictum trimestre tempus, infra quod episcopus confirmatus debet munus consecrationis accipere, incipit currere a tempore habitæ notitiæ confirmationis de sua electione factæ. (Glossa, in cap. *Cum in cunctis*, *De elect.*, et ita doctores.)

II. Hodie summus pontifex consecrationem electi in episcopum quibus vult episcopis committit; aut ipsemet electo licentiam a quo vult episcopo consecrationem accipiendi concedit.

III. Concilium Trident. sess. 23, c. 2, *De reform.* optat ut : *Si consecratio extra curiam Romanam fiat, in ecclesia ad quam promoti fuerint (episcopi), aut in provincia, si commode fieri poterit, celebretur.* Decens quidem esset, ut episcopus consecraretur in ecclesia cathedrali, ad quam est promotus; si tamen hoc commode fieri nequeat, consecrari potest etiam in alia ecclesia, præsertim si sit intra provinciam, vel diœcesim sita. (Can. fin. dist. 51.)

IV. Consecratio episcopi debet fieri die Dominica, cap. *Qui in aliquo* 5, dist. 51; cap. *Ordinationes* 1; et cap. *Quod die Dominica* 5, dist. 75. Vel Natalitium apostolorum, vel etiam festiva, si summus pontifex hoc specialiter indulserit. (*Pontifical. De consecr. electi in episc.*) Consecratio episcopi fit inter missarum solemnia, ubi episcopus consecrandus concelebrat episcopo consecratori, et principaliter celebranti; consecratur inter Epistolam et Evangelium, secundum formam *pontificalis Romani*, nec debet tunc ordines celebrare; nam hoc privilegium soli Romano pontifici pertinet. (C. *Quod sicut*, § *Super eos*, lib. I *Decret.* tit. VI, *De elect.*)

V. Consecratio episcopi non debet fieri a minori numero, quam trium episcoporum saltem necessitate præcepti. (C. 7, dist. 23; cap. 1, 4, 7, dist. 64; cap. 2, dist. 66; et cap. *Si archiepiscopus* 6; *Nec episcopi* 7; *De temporibus ordinationum.*)

— Valida tamen est consecratio episcopi facta ab uno solo episcopo ex dispensatione apostolica, assistentibus duobus sacerdotibus. Ita praxis et communis doctorum.

VI. « Consecrandus in episcopum debet necessario prius esse sacerdos, adeo ut si sacerdotium non præcesserit, invalida sit ordinis episcopalis collatio. » Ita Ferraris, et communior doctorum et theologorum. Ratio est, quia actus principalis episcopi est ordinare sacerdotes. (C. *Cleros* 1, dist. 21, c. *Quamvis* 4, dist. 66.) Et nequit alteri conferre ordinem sacerdotalem, quem non habet. — Aliqui tamen tenent validam esse collationem ordinis episcopalis, licet ordinatus non sit sacerdos. (Ferraris, *Bibliotheca*, verb. *Episcopus*, n. 31.)

VII. Potestas, quæ confertur episcopo per consecrationem, est indelebilis. Nec potest ab Ecclesia auferri, unde remanet in episcopo etiam excommunicato, hæretico, deposito et degradato. (Cap. *Ordinationes*, causa 9, quæst. 1; cap. *Quod quidem*, causa 1, quæst. 1, etc.) Unde consecrationes ab hac divina et indelebili potestate factæ per episcopum etiam excommunicatum, etc., validæ sunt et tenent, quamvis irregularis fiat, et pœnas ipse et ab eo consecrati seu ordinati incurrant.

Episcopi appellatione venit tantum consecratus in concernentibus exercitium et decorem ordinis episcopalis. C. *Transmissam* 15, *De elect.* In concernentibus autem jurisdictionem episcopalem venit etiam electus, confirmatus, vel provisus per papam. (In cap. eod.)

Conjugium spirituale inter prælatum et Ecclesiam, quod per electionem fuit inchoatum, confirmatione ratum, consecratione perficitur et consummatur, et sine illius auctoritate solvi non potest, qui successor est Petri, et vicarius Jesu Christi. (C. *Licet in tantum* 7, *De translat. episc.*)

VIII. Ex can. *Episcopus* 7, dist. 23; can. *Ordinationes* 1, dist. 75; c. unic. *De sacra unctione*, ad substantiam consecrationis pertinet sola manuum impositio, ut cum communi notat Gloss. in c. *Episcopus* cit. verb. *Codicem*. Forma autem est: *Accipe Spiritum sanctum*, etc

Cum consecratur episcopus, inungitur chrismate in capite et manibus, quod si fuerit omissum, per tres episcopos est supplendum, textu expresso in c. *Cum venisset* 1, *De sacr. unctione*. Ungitur autem episcopus in capite, ut declaretur eum esse caput et principem Ecclesiæ suæ. (*Ibid.*) — Ungitur in manibus, ut sciat dignitatem non propter otium, sed propter negotium suscipere, et ut ostendatur accipere potestatem benedicendi et consecrandi. (*Ibid.*)— Annulus sacer novo episcopo traditur, ut sanctam Ecclesiam sponsam suam intemerata fide custodiat. Mitra deinde tanquam bicorni galea armatur, ut intelligat duo illius cornua duo designare Testamenta, anterius novum, posterius vetus, quæ duo episcopus debet memoriter scire, et illis tanquam duplici cornu fidei inimicos ferire... (Barbosa, *De offic. et potest. episc.* part. I, tit. I, c. 5.) Traditur in manibus novi episcopi baculus, quo non utitur summus pontifex, ut sciat episcopus suam jurisdictionem esse limitatam et pontifici subjectam, et sit « in corrigendis vitiis pie sæviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animas demulcens, in tranquillitate severitatis censuram non deserens. » (*Pontificale.*)

IX. Post consecrationem episcopus vocatur absolute *episcopus*, cum ante illam, etsi confirmatus esset, tantum appellaretur cum addito *episcopus electus*.

Postquam electus in episcopum confirmatus, consecratus, et bonorum ecclesiasticorum administrationem adeptus est, tum demum ipso jure, absque alia sententia vacant omnia ejus beneficia, quæ habebat, etiam simplicia, imo et pensiones, ita ut libere ab eo conferri possint, qui de iis disponendi facultatem habet. (C. *Cum in cunctis* 7, tit. VI, lib. I *Decret.*) Aliud dicendum, si consecratus quidem, sed bonorum Ecclesiæ suæ administrationem nondum adeptus est, uti sunt episcopi titulares; nam isti beneficia antea possessa retinere, et nova, modo sint compatibilia obtinere possunt, ut aliis *citt.* advertit Pirh. hic., n. 163. Quia ecclesiarum suarum, ad quas consecrati sunt, possessionem non habent. (Schmalzgr., part. II, tit. VI, § 8, n. 83.)

§ V. — De dotibus requisitis ad episcopatum, ex præsenti jure, et de jure naturali et divino.

I. Ex constitutione 15 (*Inclytum*, tom. IV, Benedicti XIV bull. § 6 et 7) episcopatu indignus est, qui illum petit, vel appetit; neque enim quispiam ignorare debet a peccati labe immune non esse desiderium episcopatus; et dicit pontifex hujusmodi

desiderium esse semper vitiosum juxta Angelici doctoris doctrinam 2-2 quæst. 183, art. 1.

II. « Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere. Non vinolentum, non percussorem, sed modestum : non superbum, non iracundum, non litigiosum, non turpis lucri cupidum, sed benignum, justum, sanctum, continentem. Sed suæ domui bene præpositum..., non neophytum, ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. Oportet autem illum et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, et in laqueum diaboli. » (*Epistola I* beati Pauli apost. *ad Timoth.*, cap. III, 2-7. — *Ad Titum*, c. I, 7-9.)

III. *Ætas* matura quæ ad episcopatum requiritur ex jure, intra tricesimum annum completum, nec tantum inchoatum non desendit. (C. *Cum in cunctis, De elect.*; Trid. sess. 7 *De reform.* c. 1; Gregorii XIV const. *Onus apostolicæ.*

IV. *Gravitas morum*, vita commendabilis : irreprehensibiles enim esse convenit, quos præesse necesse est corrigendis ; et episcopus præcepto divino tenetur oves suas pascere non tantum verbi Dei prædicatione, sed etiam bonorum omnium operum exemplo, ut habetur in decreto concilii Trident. c. 1, sess, 23... Vita enim est veluti quoddam prædicandi genus, ut in cap. 1, *Circa princ.* sess. 25. Unde integritas præsidentium dicitur esse salus subditorum, in cap. 1. sess. 6. Itaque criminosus ineligibilis est, cap. 1, supr. cit. proximo. Imo nec sufficit vitæ integritas tempore electionis ; sed, ut ait Hormisdas papa, cap. *In sacerdotibus*, 61 dist., longa debet vitam suam probatione monstrare, cui gubernacula committuntur Ecclesiæ; concordat cap. *Priusquam*, 28 dist., et concilium Trident. in cap. 1, sess. 6, ibi : *Ad Ecclesiarum regimen, onus quippe angelicis humeris formidandum, qui maxime digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis ætas a puerilibus exordiis usque ad perfectiores annos per disciplinæ stipendia ecclesiasticæ laudabiliter acta testimonium præbeat secundum venerabiles beatorum Patrum sanctiones, assumantur.* (Fagnan. in c. *Cum in cunctis, De elect.*)

V. Tertium requisitum, est Litterarum scientia. « Præmittendum est scientiam esse in triplici differentia, juxta doctores. Alia enim est scientia eminens, alia mediocris, alia sufficiens. Eminentem scientiam habet, qui subtiles et difficiles quæstiones discutere novit, et in promptu sine revolutione librorum respondet, præsertim de fide interroganti. Mediocrem habet, qui cum deliberatione et revolutione librorum veritatem scit invenire. Sufficientem habet, qui per se sufficit ad ea, quæ sibi imminent expendenda.

« Quibus præhabitis dicendum est scientiam æstimandam et requirendam esse secundum dignitatem, locum et ordinem... et præcipue qualitatem Ecclesiæ, ad quam quis assumitur.

« In specie autem in assumendo ad dignitatem episcopalem requiritur scientia eminens secundum omnes. Debet enim episcopus habere notitiam scrutabiliter Novi et Veteris Testamenti, cum sit judex et pastor animarum ; et reddere de fide rationem omni poscenti. » (C. *Omnes*, dist. 38, c. *Qui episcopus*, dist. 23; c. *Cognovimus*, causa 18, quæst. 2.)

« Rursus secundum eos episcopi habere debent scientiam juris, cum secundum illud debeant judicare. » (C. *Conquerente, De offic. ordin.*; c. *De persona*, causa 11, quæst. 1.)

« Cæterum, etsi in episcopo, ut prædiximus, desideretur scientia eminens, competens tamen toleratur. » (C. *Cum nobis olim*, 19, *de elect.* et c. *Nisi cum pridem*, *De renunt.*) Quod intellige ex causa, et dispensative secundum doctores. Porro qualitatem scientiæ requisitam in eo qui ad cathedralem ecclesiam erit assumendus, concilium Trid., c. 2, sess. 22, paucis perstrinxit dicens : *Scientia vero ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere.* (Fagnan. in cap. *Cum in cunctis, De elect.*) Et addit sanctum concil. Trident. ibid.: *Ideoque antea in universitate studiorum magister sive doctor, aut licentiatus in sacra theologia, vel jure canonico merito sit promotus, aut publico alicujus academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si religiosus fuerit, a superioribus suæ religionis similem fidem habeat.*

Requiritur ergo ut promovendus in epicia non possit dispensari. Unde qui tali

scopum sit doctor aut licentiatus in sacra theologia, vel jure canonico ; et hæc conditio ita necessaria est, ut ea deficiente opus sit papæ super ea dispensatione, sicut ex Pii VII brevi ad card. Caprara, diei 29 Novembris 1801 eruitur, ibi : *Nous donnons... à notre cher fils J.-B. Caprara, cardinal-prêtre..., la faculté et le pouvoir de préposer respectivement en notre nom auxdites églises archiépiscopales et épiscopales, et d'instituer pour les gouverner des personnes ecclésiastiques même n'ayant pas le titre de docteur.*

Melius esset ut promovendus foret simul doctor in sacra theologia et in jure ; sed ex communi doctorum opinione in regionibus ubi incolunt hæretici præferendus est in sacra theologia doctoratus, in aliis vero doctoratus in jure pro episcopo.

Præterea Gregorius XIV decernit diligens examen circa doctrinam promovendi institui, nisi de ea aliquo publico munere, quo feliciter functus antea fuisset, satis constaret. Tandem Urbanus VIII sancivit episcopos promovendos intra fines Italiæ, aut insularum adjacentium debere coram ipso pontifice et speciali cardinalium aliorumque gravium prælatorum, vel doctorum congregatione examen subire, extra vero Italiam idem examen celebrari debere coram S. R. E. legatis vel nuntiis, patriarchis, primatibus, archiepiscopis et episcopis, aliisque de speciali mandato papæ assistentibus viris peritis.

VI. Quartum requisitum ut promovendus sit de legitimo matrimonio natus. (C. 7 *Cum in cunctis*, et c. 20 *Innotuit*, *De elect.* et Trident. sess. 7, c. 1 ; et sess. 22, c. 2 ; et sess. 24, c. 1.) Id est, de matrimonio in Ecclesia catholica rite celebrato, et de parentibus catholicis oriundus sit. (Gregor. XIV, const. *Onus apostolicæ*.)

VII. Quintum ex concil. Trident., sess. 22, c. 2 : *Quicunque posthac ad ecclesias cathedrales erit assumendus, is non solum natalibus, ætate, moribus, vita, ac aliis quæ a sacris canonibus requiruntur, plane sit præditus, verum etiam in sacro ordine antea saltem sex mensium spatio constitutus.* Istam dispositionem extendisse videtur Gregorius XIV, const. *Onus apostolicæ*, initiationem requirens non jam *sacro ordini*, ut Trident., sed *sacris ordinibus*, proindeque omnibus, ut concludunt passim doctores.

Ex prædictis igitur ut quis rite et legitime possit eligi, præsentari, postulari, aut nominari in episcopum, necesse est de jure, ut expleverit tricesimum annum completum, sit vita moribusque commendabilis, doctor in sacra theologia vel jure canonico, sed melius in utroque, aut saltem licentiatus in alterutro, natus sit de legitimo matrimonio et parentibus catholicis, ut antea saltem sex mensium spatio constitutus sit in sacris ordinibus, id est in sacerdotio, ut videtur ex const. *Onus apostolicæ*. Qui his qualitatibus et dotibus non sunt præditi, debent a papa dispensationem obtinere.

Notandum est « scientiam in episcopo esse necessariam ad regimen tam spiritualium, quam temporalium. De scientia in spiritualibus habetur dist. 38 *Per totum* ; de scientia vero in temporalibus habetur in c. *Fratrem nostrum*, 86 dist. in c. *Petrus*, 39 dist. Et utramque esse necessariam in episcopo, notat hic Gloss. in verb. *Temporalium*, quia, inquit, in his alios docere debet episcopus ; et ideo aliorum doctrina indigere non debet. (C. *Convenientibus*, causa 1, quæst. 7.) Unde defectus scientiæ promotum dejicit invitum. (C. 15 *Quamvis*, *De ætate et qualitate*.) Itaque, ut verbis Baldi utar, n. 6, in episcopo requiritur scientia eminens, tamen toleratur scientia competens, sed nihil sciens, etiamsi sit episcopus, debet deepiscopari. » (Fagnan. c. *Nisi cum pridem*, *De renunt.* n. 58 ad 60.) Et episcopi præsertim sacram theologiam et jus ecclesiasticum scire tenentur, « quia ad canonum observationem, quæ censetur regula omnium, et ipsi, et omnes Catholici astringuntur, ut c. 1 supra *De constit.* Non est ergo modicum periculum suam regulam ignorare, et inniti prudentiæ suæ contra canonicas sanctiones, ut c. *Ne innitaris*, eod. tit. ibi : *Ne innitaris prudentiæ tuæ*. Prudentiæ suæ innititur, qui ea, quæ sibi agenda vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit, quod sic summatur : *Constitutiones decretorum singularibus sunt opinionibus præferendæ*. Et religiosi, qui canones ignorant, reputandi sunt idiotæ, ut legitur et notatur in cap. *Ex multa*, *De voto*. Ergo debent tales esse gnari divinæ legis, et exercitati in ecclesiasticis sanctionibus. (Fagnan. in c. *Cum sit ars*, *De ætate et qualit.* n. 11 et 12.)

Atqui cum scientia saltem competens sit necessaria de jure naturali, sunt unanimes doctores quod super hujusmodi scientiæ defe-

defectu laborarent, renuntiare tenerentur, propter innumera mala quæ ex eorum ignorantia ad Ecclesiam Dei afferuntur.

VIII. « Clerici sane, si contra formam istam quemquam elegerint, id est, prædictis dotibus destitutum, eligendi potestate pro hac vice, jure privati sunt, et ab ecclesiasticis beneficiis triennio privati: » (C. *Cum in cunctis, De elect.* « Extenditur pœna hæc privationis etiam ad eos, qui dignitatem vel prælaturam indigno conferunt, in ea constituunt vel confirmant. » (Arg. c. *Nihil* 44.) Et cum aliis notat Azor. part. II, lib. VI, cap. 26, quæst. 13; apud SCHMALZ. part. II, tit. VI, n. 20.)

§ VI. — Quinam sint ineligibiles.

I. *Ob impedimenta naturæ* ineligibiles sunt: 1° Furiosi, amentes, infantes, pueri, et qui requisitam nondum ætatem sunt assecuti. (C. *Indecorum* 3, *De ætate et qualit.*); 2° qui vitio corporis laborant, ob quod suo munere honeste et decenter fungi non possunt, et irregulares fiunt. (C. *Hinc etenim* 1, dist. 49, et totum tit. *De corp. vitiat.*)

II. *Illegitime nati* (c. *Innotuit* 20, tit. VI, l. I. *Decret.*), etsi postulari possint, si morum probitas, et litterarum scientia eluerint maculam natalium, ut ibidem notatur. Potest tamen pontifex dispensare, « qui nati sunt ex genere maculato circa fidem, seu qui descendunt ex hæreticis, et horum receptatoribus, fautoribus, defensoribus; nam de his c. *Quicunque* 2, § *Hæretici*, et c. *Statutum, De hæretic.* in 6, constitutum est ne usque ad secundam generationem in linea paterna, et primam in materna ad ullum beneficium ecclesiasticum, seu officium publicum admittantur, nisi eorum parentes emendati, et Ecclesiæ ante mortem reconciliati sint: quæ tamen dispositio in Germania nostra, aliisque partibus septentrionalibus non obtinet : et conseq. ex his nati, si probi, et alias idonei sint, ibidem sine dispensatione, uti ad SS. ordines, ita etiam ad prælaturas promoveri poterunt, ut cum aliis advertit König. hic n. 29. » (SCHMALZ. part. I, tit. VI *De electis*, § 2, n. 16.)

III. *Ob crimen, vel defectum morum* prohibeantur eligi : 1° sacrilegi, quia ab aliis legitimis actibus repelluntur. (C. *Nulli* 11, causa 3, quæst. 4); — 2° Falsarii litterarum apostolicarum. (C. *Ad fals.* 7, *De crim. fals.*); — 3° Usurarii manifesti et notorii; quia nec ordinantur. (C. 4 *De Petro*, dist. 47; c. *Inter dilectos* 11, *De exces. præl.*) — 4° Perjuri. (C. *Querelam* 10, *De jurejur.*) — 5° Publici aleatores. (C. *Inter dilectos* cit.) — 6° Ambitiosus sive qui in electionem sui, tanquam jam factam, ante formatum et publicatum electionis decretum consensit; estque talis electio ipso jure irrita. (C. *Cum post* 46, tit. VI, l. I *Decret.*) — 7° Reus criminis sodomiæ frequentati; cum enim istius frequentatione clericus privetur dignitate, beneficio, etc., jam acquisitis per const. sancti Pii V *Horrendum*, 3 Septemb. 1568.) — 8° Qui plura beneficia curata, vel plures personatus, aut dignitates tempore electionis absque dispensatione papæ simul retinent. (c. *Dudum* 54, tit. VI, l. I *Decret.*) — 9° Qui electioni de se factæ per sæcularis potestatis abusum consentire præsumpserint, contra canonicam libertatem. (C. *Quisquis* 43, tit. VI.) — 10° Hæretici, etiam postquam ab hæresi sunt absoluti, eorumque credentes, fautores, defensores, receptatores. (C. *Quicunque* 2, et c. *Statutum, De hæretic.* in 6.) — 11° Schismatici seu qui in schisma aliquando inciderunt, etsi postea illud abjecerint, nisi papa cum illis dispensaverit. (C. *Quia diligentia* 5, tit. VI, l. I *Decret.*) — 12° Qui ob defectum animi, seu crimen semel repulsi sunt a prælatura. (C. *Super eo* 12, tit. VI, l. I *Decret.*) — 13° Simoniaci, hoc est, a quibus vel pro quibus pecunia, vel quid simile datum, seu promissum fuit, ut eligerentur. (C. *Cavendum* 3, causa 1, quæst. 7; c. *Super eo* 12, et c. *Si alicujus* 59, tit. VI, l. I *Decret.*, et c. *Matthæus* 23, *De simon.*) — 14° Infames infamia juris, donec per judicem relaxetur infamiæ pœna, et infames infamia facti, qui tamen sufficienter emendati, postea admitti possunt. (C. *Inter dilectos* 11, *De excess. prælat.*)

IV. *Ob censuras vel alias pœnas canonicas* eligi nequeunt: 1° Excommunicati excommunicatione majori et etiam minori. (C. *Postulastis* 7, et c. fin. *De cleric. excomm.*; — 2° Suspensi ab officio (c. fin. citat.) et a beneficio. (C. *Cum bonæ* 8, *De ætat. et qual.*; c. *Cupientes* 16, tit. VI *De elect.*, in 6.) — 3° Personaliter interdicti. (Argum. c. *Cum dilectus* 8, *De consuet.*, et c. fin. *De cleric. excom.*) Quod extenditur etiam ad violatores interdicti sive localis, sive personalis: nam hi jure electionis tam activæ quam passivæ privati sunt. (C. *Adhuc* 1, *De postul. prælat.*; c. *Is qui* 18, *De sent. excom.* in 6.) Neque

opus est ut sic censurati sint denuntiati; nam ineligibilitas ista extenditur etiam ad interdictos, suspensos, excommunicatos non denuntiatos et toleratos. — 4° Omnes irregulares sive ex delicto, sive ex alio quocunque defectu, ut communis. (SCHMALZ. part. II, tit. VI, § 2.)

§ VII. — Quibus casibus irrita fit electio episcopi.

I. Invalida est electio indigni, seu prohibiti eligi ipso jure aut est per sententiam tantum irritanda : 1° Si repellatur ob impedimentum naturæ, electio irrita est ipso jure. — 2° Si ob crimen, ob quod incurrerit infamiam juris, electio ipso jure est nulla absolute. Si ob crimen occultum, aut ob quod incurrerit infamiam facti, solum irrita electio censenda est, spectato foro externo; quia in foro conscientiæ potest prælaturam ad quam electus est, recipere et retinere, si nemo ipsi defectum infamiæ objiciat, et speret, se intra breve tempus per publicam vitæ emendationem notam infamiæ abolere posse; tunc enim revalidatione tituli vel dispensatione non est opus.

Speciale quid constitutum est de electione simoniaca; nam ita facta, si pretio dato et accepto completa sit simonia, ipso jure irrita. (Extravag. 2, vers. *Per electiones*, et vers. *Statuentes*, *De simon.*) Ita ut sic electus, etiam ignorans, ad eamdem prælaturam, donec vitium simoniæ per interpositam personam aliam purgatum sit, eligi nequeat. (C. *Si alicujus* 59, tit. VI *De elect.*)

II. Denique ob censuram vel irregularitatem conveniunt 1° doctores ipso jure irritam esse electionem innodati interdicto, suspensione, et excommunicatione majore ob claros textus juris. Conveniunt 2° electionem factam de irretito excommunicatione minore mero jure non esse irritam, sed irritandam. Circa irregulares, affirmant non pauci esse irritam horum electionem ipso jure. Alii volunt ex capite irregularitatis tantum esse irritandam. Irritanda tamen semper erit. (SCHMALZ. *ibid.*)

De pœna eligentium indignum, seu prohibitum eligi, vel postulari, diximus supra. Et in casu potestas eligendi pro ea vice devolvitur ad papam. (C. *Quanquam* 18, tit. VI *De elect.*, in 6.)

CAPUT II.

De episcopo quoad ea quæ concernunt ejus insignia, præcedentiam, sedem, celebrationem et pontificalia.

I. *De insigniis episcopi.* — 1° Electus in consistorio, non vero a principe sæculari nominatus, utitur veste talari coloris violacei, etc., galero pontificali cordulis ac floccis sericis coloris viridis ornato. Et cum sit confirmatus et postea, super vestem talarem inferiorem, cum extra domum exibit, induet aliam vestem breviorem, mantellettum dictum. Vestes hujusmodi erunt, vel ex lana, vel ex camelloto coloris violacei, nullo autem modo sericæ. His vestibus ubique, etiam in urbe uti possunt, et etiam rochetto sub mantelletto, quando adeunt summum pontificem, aut S. R. E. cardinales, aut etiam dignitates ubique. Episcopi vero in sua diœcesi, et archiepiscopi in sua provincia, cum de eorum promotione certum nuntium habuerint, et postea, utantur domi et foris, loco mantelletti, mozetta ejusdem coloris supra rochettum, et, cum opus fuerit, galero supra dicto. Uti vero mozetta extra diœcesim aut provinciam nequeunt. Et hæc de vestibus usualibus seu ordinariis, quibus consecratus episcopus addit crucem pectoralem et annulum.

Galerus duplicis formæ habendus est, alter, quo in solemnioribus equitationibus utuntur ejusdem formæ (præter colorem) quo eminentes cardinales pontificaliter equitantes uti consueverunt; alter simplicior; uterque ex lana ac serica viridi exornati. Galerus pontificialis solemnior formæ cardinalitiæ est satis amplus, cum duobus cordulis pariter et floccis sericis viridibus, ab eo pendentibus et terminatis quinque floccis seu glandulis ejusdem coloris. Galerus episcopalibus armis supereminens est satis fidelis imago.

2° In sacris functionibus simpliciter assistens episcopus utitur cappa pontificali violacei coloris super rochettum et cum ea birreto in cujus superiori parte tres elevantur anguli : birretum episcopale est nigri coloris seu violacei, ubi adest consuetudo.

3° Si vero in sacris functionibus pontificaliter assistit episcopus, tunc induitur rochetto, amictu, alba, cingulo cum stola, pluviali et mitra cum baculo, cruce pectorali, chirothecis cum annulo.

4° Si missam pontificaliter celebret, detractis prius per scutiferum ordinariis calceis induit sandalia et caligas coloris tempori et officio missæ convenientis, sicut alia paramenta. Deinde exuitur cappa et super rochettum induitur amictu, alba, cingulo, stola, pluviali et mitra; et tempore

opportuno, deposito pluviali, super cætera induitur tunicella, dalmatica et planeta, cum mitra et baculo, cruce, chirothecis cum annulo. (Ex *Cæremoniali episcop.* et *Pontifical.*, in quibus fusius legere est.

H. *De præcedentia.* — 1° Episcopus ubique gentium habeat locum a protonotariis apostolicis, et quod in episcopis sancitum est, ad ecclesiarum cathedralium auctoritate apostolica electos pariter et confirmatos extendit Pius II const. *Cum servare.*

2° Episcopus, licet titularis, qui retinet canonicatum, vel dignitatem in aliqua cathedrali, debet præcedere omnibus aliis dignitatibus et canonicis etiam ipso antiquioribus, ex pluribus decret. S. C. R.

3° Episcopus prius promotus, seu electus ad episcopatum debet præcedere alteri episcopo post ipsum promoto, vel electo, etiamsi sit ipso dignior vel illustrior. (S. C. R.) Idem est inter episcopos Latinos et Græcos, cæteris paribus. (S. C. de Propagand. 16 Febr. 1630.) Præcedentia episcoporum in conciliis provincialibus statuenda est juxta tempus ordinationis, non autem secundum dignitatem ecclesiarum. (Sacra congreg. Concil. 10 April. 1596.)

4° Episcopus diœcesanus in sua Ecclesia, et diœcesi in functionibus episcopalibus præferendus est omnibus archiepiscopis et episcopis, etiam ipso antiquioribus et dignioribus, metropolitano suo tamen excepto. (S. C. R.). Sed ex urbanitate debet honorare in sua diœcesi alios episcopos advenas et extraneos. (Ead. congr. 10 Januar. 1609.)

5° At si junior ad archiepiscopatum promoveatur, indubie præcedentiam supra antiquiorem obtinere debet. Quod si postmodum ad archiepiscopatum et ipse promoveatur antiquior, adhuc præcedentia debetur episcopo juniori prius ad archiepiscopatum promoto. (Ita commun.)

6° Episcopus debet habere pacis osculum ante præsidem, et consiliarios regios, et omnes alios (S. C. R. 9 Maii 1606), et præcedere quoscunque etiam principes sæculares in sua ecclesia et diœcesi. Et solide probat Pignatelli ex juribus et conciliis, præsertim Trident. sess. 25, c. 17, ibi: *Non potest sancta synodus non graviter dolere, audiens episcopos aliquos, sui status oblitos, pontificiam dignitatem non leviter dehonestare; qui cum regum ministris, regulis, et baronibus in ecclesia, et extra, indecenti quadam demissione se gerunt, et veluti inferiores ministri altaris, nimis indigne non solum loco cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare hæc et similia detestatur sancta synodus, sacros canones omnes, conciliaque generalia, atque alias apostolicas sanctiones ad dignitatis episcopalis decorem et gravitatem pertinentes renovando, præcipit, ut ab hujusmodi in posterum episcopi se abstineant; mandans eisdem, ut tam in ecclesia, quam foris suum gradum et ordinem præ oculis habentes, ubique se patres et pastores esse meminerint; reliquis vero tam principibus quam cæteris omnibus, ut eos paterno honore ac debita reverentia prosequantur.*

III. *Sedes episcopalis.* — Episcopus in ecclesia debet in sublimiori loco sedere. (C. *Episcopus* 10, dist. 95.) Et in omnibus suæ diœcesis ecclesiis quantumvis exemptis et privilegiatis est honorandus, eique in choro, in capitulo, in processionibus, ac in aliis actibus publicis primus locus, et prima sedes, quam ipse elegerit, danda est. (S. C. R. 7 Decemb. 1613.) Debet habere sedem pulchriorem et majorem, quam gubernator civitatis, non tamen coloris rubei. (S. C. R. 3 Octob. 1615.) Episcopi sedes debet esse fixa et immobilis. (S. C. R. 23 Maii 1603.) A latere Evangelii aut alibi secundum dispositionem locorum et tribus gradibus ad eam ascendatur, qui pannis, aut tapetibus tegantur... et super eum baldachinum. Si forte aliquis S. R. E. cardinalis legatus *a latere*, vel non legatus, rei divinæ interesset, convenit ei sedes episcopalis supradicta; episcopus vero, si celebret, in faldistorio in cornu Epistolæ; si non celebret, sedebit in digniori parte chori. Extra hunc casum nullus alius sedet in sede prima Episcopali nisi diœcesanus et metropolitanus; nuntii sedent in sede simili in cornu epistolæ, alii vero episcopi hospites sedebunt in digniori loco post episcopum diœcesanum supra omnes canonicos. Sedes autem pro nobilibus atque illustribus viris laicis, magistratibus ac principibus, quantumlibet magnis, et primariæ nobilitatis, plus minusve, pro cujuscunque dignitate et gradu ornatæ, debent extra chorum collocari juxta sacrorum canonum præscriptum, etc. (*Cærem. episc.* lib. 1, c. 13.) Episcopi sedes apud parietem contra altare constituenda et locanda est cum decenti ornatu coloris paramentis diei conformis, quantum fieri potest, et aoud se-

lem episcopi hinc inde sedes, seu stallæ pro dignitatibus et canonicis deponi debent. (*Cærem. episc.* et S. C. R. 9 Octob. 1610.) Potest tamen episcopus sibi sedem in ecclesia extra chorum, ubicunque voluerit, parare, dummodo etiam pro canonicis locus paretur. (S. C. R. 9 Maii 1606.) Sedes episcopi in ecclesia exempta, ubi abbas usum mitræ habens etiam sedem tenet, quando illuc accedit, est in cornu dextro chori, sive ecclesiæ collocanda uno gradu eminentiori, cum ornatu congruo, et situ aliquatenus superiori respectu sedis abbatis, quæ in sinistro ponenda est uno gradu humilior absque ornatu, et loco aliquatenus inferiori, adeo ut non sit opposita sedi episcopali. (S. C. R. plur. decret.)

IV. *Celebratio et pontificalia.* — Episcopus tantum, et non alius, dum privative celebrat, potest accipere paramenta in ipso altari, et duos habere ministros superpelliceis indutos, præter alium ministrum clericum, sive laicum communi veste indutum. (S. C. R. 7 Jul. 1608.) Episcopus potest de jure in omnibus ecclesiis suæ diœcesis quantumvis exemptis, et privilegiatis missas, et divina officia etiam in pontificalibus celebrare, sive ab aliis, sine tamen pontificalibus, celebrari facere, et in eis habere circulos canonicorum suorum, baldachinum, et ad ipsum pertinet confessionem facere, incensum ponere, et benedicere, ac benedictionem post Vesperas vel post Missam dare, contradictores per censuras cogendo. (S. C. R. 29 Jul. 1600; 6 Decemb. 1613; 7 Februar. 1604; S. C. Episc. et Regul. 10 Jun. 1603.) Non possunt tamen episcopi in regularium ecclesiis, invitis ipsis regularibus, exercere illas functiones episcopales, quæ habent mistam considerationem honoris et jurisdictionis, ut ordinare, degradare, chrismare, vel similia facere, quia hæc in litteris non exprimuntur. (Ita com. apud Ferraris, verb. *Episcopus.*) Hæc etiam tamen possunt exercere in ecclesiis regularibus exemptis et simul parochialibus. (*Ibid.*)

Episcopus qui celebrat tempore Quadragesimæ singulis diebus, quando non celebrat solemniter, debet uti habitu quotidiano cum stola. (S. C. R. 23 Novemb. 1612.) Episcopum celebrantem non decet, ut prælatos, canonicos, et alios quoscunque thurificet, et aqua benedicta aspergat. (S. C. R. 2 Martii 1613.) Episcopo celebranti sive faciat ordinationes, sive non, tenentur assistere quinque personæ juxta formam libri *Pontificalis* (S. C. R. 5 Januar. 1606), ex quibus prima dignitas in ordine presbyterali constituta quocunque nomine appelletur (S. C. R. 7 August. 1610.) Quotiescunque episcopus sacris paramentis indutus in sacrario, vel alibi ad missam solemnem, vel ad processionem iturus, dignitates et canonici debent circa illum stare, dum paramenta capit... In missa quoque solemni, quæ non ab episcopo, sed coram eo celebratur, quater circuli dignitatum et canonicorum ante episcopi faciem fiunt : 1° ad introitum, *Kyrie eleison*, et *Gloria in excelsis*; 2° *Credo*; 3° *Sanctus*; 4° *Agnus Dei*; intra quos circulos omnes duo et duo simul recitantes, omnia dicunt cum episcopo. (*Cæremon. episc.* lib. I, cap. 21, *et praxis.*) Episcopus volens exercere pontificalia extra ecclesiam cathedralem, potest secum aliquos de capitulo ducere, qui sibi assistant et administrent (S. C. R. 3 August. 1602); et in quacunque ecclesia sive parochiali, sive collegiata, sive regulari et exempta celebranti ei assistere spectat ad canonicos cathedralis ante omnes alios, si non adsint ad canonicos collegiatæ; etiamsi in illis ecclesiis sufficiens sit alioquin numerus presbyterorum. (S. C. R. 15 Jul. 1617; 1 Jun. 1601; et 11 April. 1601.) Episcopus non debet cum cappa Vesperas celebrare. (S. C. R. 23 Mart. 1608.) Et assistens divinis officiis cum cappa non debet singulos canonicos ante ipsum salutare detegendo caput, sed satis est illis manu benedicere. (S. C. R. 10 Januar. 1604.) Et in isto casu non debent canonici ponere et deponere birretum in ejus capite, nec ei assistere tenentur. (S. C. R. 22 Decemb. 1609.) Sed tamen convenit ut aliqui saltem duo ei assistant ad sedem episcopalem. Canonici vero tenentur in eorum habitu canonicali accedere ad domum episcopi, et illum associare ad ecclesiam celebraturum, vel divina officia auditurum cum cappa accedentem, et finito officio in reditu associare. (*Cærem. episc.* lib. I, cap. 15; et ex debito S. C. R. plur. decret.) Quando vero episcopus private, sine cappa, ad ecclesiam accedit, non tenentur, nisi ex voluntate et urbanitate hæc obsequia ei præstare, et satis est, si aliqui ex canonicis et dignitatibus ad ostium ecclesiæ occurrant, cui dignior aspersorium cum aqua benedicta ministrare debet, et abeuntem similiter usque ad ostium comitentur. (S. C. R. multis decret.; apud

Ferraris, verb. *Canonicatus*, n. 19.) « Tunc dici archiepiscopum (seu episcopum), privatim ad ecclesiam accedere, cum sine cappa pontificali accedit. » (S. C. R. apud Ferrar. verb. *Canonicatus*, n. 67.) Episcopus rochetto et mozetta tantum indutus veniens ad ecclesiam, accedit privative nullusque comitatus, nulla assistentia ei debentur. Attamen canonici tenentur episcopum associare et reducere, etiamsi cappa non utatur, quando pro loci aut provinciæ consuetudine, aut alias, cappa uti non solet, aut ejus loco alium habitum ferre solet. (S. C. R. 8 Martii 1600.) Episcopus in publicis processionibus cum cappa et birreto, non inter dignitates, sed solus incedere debet. Quod si deferatur aliqua imago, seu reliquiæ, ipse cum cappa et birreto incedere debet post imaginem seu reliquiam, nisi adsit consuetudo in contrarium. (S. C. R. 20 Novemb. 1620.)

CAPUT III.

De episcopo quoad papam et leges canonicas.

I. *Quoad papam*, episcopi summo Romano pontifici jure divino subjiciuntur, eique reverentiam et obedientiam in omnibus debent. Propterea in eorum consecratione jurant beato Petro, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, summo pontifici, suisque successoribus canonice intrantibus, fidelitatem, obedientiam, omnimodam devotionem, adjutorium et defensionem, honorificentiam erga legatos apostolicæ sedis; jura, honores, privilegia, et auctoritatem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, papæ et successorum, conservare, defendere, augere et promovere. Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, provisiones, et mandata apostolica, totis viribus observare, et facere ab aliis observari jurant; item hæreticos, schismaticos, etc., persequi et impugnare; vocati ad synodum, venire; apostolorum limina singulis trienniis personaliter per se ipsos visitare, summoque pontifici rationem reddere de toto eorum pastorali officio, etc. Aut, si legitimo impedimento detenti fuerint, per certum nuntium præfata omnia adimplere, item possessiones ad mensam suam pertinentes non vendere, nec donare, neque impignorare, nec de novo infeudare, vel aliquo modo alienare, etiam cum consensu capituli ecclesiæ suæ, inconsulto Romano pontifice, sub pœnis in quadam super hoc edita constitutione contentis, eo ipso incurrendis. (Hanc constitutionem *Ambitiosæ* inter *Extravagantes communes*, referemus in capite 33, lib. III, infr. *De capitulis.*) Ad has obligationes juramento sese obstringunt electi in episcopum ante consecrationem, quam non licet eis dare ante hoc solemne jusjurandum.

Postea sic interrogatur consecrandus a consecratore :

Vis traditiones orthodoxorum Patrum, ac Decretales sanctæ et apostolicæ sedis constitutiones veneranter suscipere, docere, ac servare? — R. *Volo.*

Vis beato Petro apostolo, cui a Deo data est potestas ligandi ac solvendi, ejusque vicario domino nostro, domino N. papæ N. suisque successoribus, Romanis pontificibus, fidem, subjectionem, et obedientiam, secundum canonicam auctoritatem, per omnia exhibere? — R. *Volo.*

Ex quo sequitur quod non possint episcopi sedis apostolicæ decreta in totum vel in partem convellere, vel mutare. (Fagnan. in cap. *Responso*, *De sent. excom.* n. 83; ex constit. Bonifacii IX et Martini V, a Benedict. XIV citatis *De syn. diœc.* lib. IX, cap. I, n. 2.) Episcopis fas non est apostolicas litteras examini ac judicio suo subjicere aut necessarium ejusmodi prævium examen et judicium decernere, ut dictæ litteræ exsecutionem sortiri valeant. — Item graviter delinqueret episcopus, qui apostolicarum litterarum exsecutionem quovis prætextu impediret, aut impedientibus juvamen præstaret : imo excommunicationem sanctæ sedi reservatam ipso facto incurreret, ex Clement. VII constit. 47; *Bull.* t. IV, part. I, et bulla *Cœnæ;* — Benedict. XIV, *De synod. diœc.* lib. IX, cap. 1, n. 4.

Legato præsente in civitate, episcopus non potest populo benedicere, nec uti mozetta, vel rochetto discooperto; intra vero propriam ecclesiam potest, si ibi non sit præsens legatus, vel eo annuente. (S. C. Concilii 2 Octob. 1604.)

Obligationes per juramentum episcoporum strictius susceptæ per se patent, solum hic aliquid de liminum apostolorum visitatione addere utile duximus.

II. 1° Ad limina apostolorum visitatio perantiqua est, sed a Sixto V const. *Romanus pontifex*, strictius sancita fuit ac ordinata, in qua constitutione sic statuitur :

Hac perpetua constit. sancimus, decernimus,

et mandamus ut omnes patriarchæ, primates, archiepiscopi, episcopi, per universum orbem constituti a nobis deinceps ordinandi, etiamsi cardinalatus honore præfulgeant, antequam munus consecrationis suscipiant... ..... jurent juxta formulam..... se beatissimorum apostolorum Petri et Pauli limina statutis in hac nostra constitutione temporibus personaliter, ac per se ipsos visituturos, ac nobis, et successoribus nostris pro tempore exsistentibus Romanis pontificibus rationem reddituros de toto eorum pastorali officio, deque rebus omnibus et ipsarum, quibus præsunt, Ecclesiarum statu, ad cleri et populi disciplinam, animarum denique, quæ illorum fidei creditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus, et vicissim mandata apostolica humiliter recepturos, et quam diligentissime exsecuturos.

Quod si legitimo impedimento detenti fuerint, jurent se prædicta omnia adimpleturos per certum nuntium ad illa speciale mandatum habentem de gremio suorum capitulorum, aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem, aut si hujusmodi hominem ecclesiastica dignitate, et personatu præditum non habeant, per diœcesanum sacerdotem, et si clero careant omnino, per aliquem alium presbyterum sæcularem, vel regularem spectatæ probitatis et religionis, de supradictis omnibus plene instructum. De hujusmodi autem impedimento docere debeant per legitimas probationes ad dictum primum diaconum cardinalem per supradictum nuntium transmittendas.

Ad hoc autem debitum visitationis officium commode explendum supradicti omnes patriarchæ, etc., *Itali videlicet, vel ex Italis insulis... veluti Siculi, Sardi, Corsi, et alii adjacentium provinciarum Italiæ, ac etiam Dalmatiæ et Græcarum, quæ e regione ipsis Italiæ et Siciliæ oris sunt, tertio anno : Germani vero, Galli Hispani, Belgæ, Bohemi, Hungari, Poloni, Angli, Scoti, Hiberni, et cæteri omnes, qui in Europa sunt citra mare Germanicum, et Balticum, ac omnium insularum maris Mediterranei, quarto anno, et qui intra Europæ fines sunt his provinciis remotiores; ac etiam Africani littoribus nostris adversi, ac insularum maris Oceani septentrionalis, et occidentalis Europæ, et Africæ citra continentem novi orbis, tam qui nunc sunt, quam qui ad catholicum fidem per misericordiam Dei aliquando redierint, quinto anno. Asiatici vero, et qui extra Asiam et in aliis novis terris orientalibus et meridionalibus, et septentrionalibus, tam in insulis, quam in continentibus et denique in quibuslibet mundi partibus, decimo anno iter suscipiant, et Deo concedente perficiant, idemque institutum certo quoque quarto, quinto, et decimo anno repetant et observent. Hæc autem annorum spatia a tempore suscepti muneris consecrationis, vel pallii traditionis, aut translationis, ut præfertur, incipiant. Quæ ne longius differatur, volumus quod tempus qualecunque excursum aliqui ex supradictis præsulibus, qui sive morte præventus, sive alia quacunque de causa ob non finitum tempus ei præscriptum dicta limina non visitaverit, ita illius successori effluxisse, et excurrisse intelligatur, ut termino ipso juxta prædecessoris sui jusjurandum completo, debitam tunc visitationem quam primum conficere tenentur.*

Hi vero ex supradictis antistitibus, qui hactenus ab hac sancta sede ordinati sunt, etc., *ad supradicta omnia observanda a die publicationis præsentis constitutionis omnino teneantur.*

Jubemus igitur in virtute sanctæ obedientiæ supradictis omnibus antistitibus præsentibus et futuris, ut visitationem prædictam sibi, suisque Ecclesiis adeo utilem ac necessariam, juxta præscriptam formulam omnino conficiant. Si vero, quod absit, non egerint, eos ab ingressu ecclesiæ ac etiam ab administratione tam spiritualium quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, a capitulis eorum, omni exceptione et mora cessante, interim libere exigendorum, et in opus fabricæ, seu ornamentorum Ecclesiæ emptionem, prout major exegerit necessitas insumendorum, ipso facto tandiu suspensos esse volumus, donec a contumacia resipiscentes, relaxationem suspensionis hujusmodi a sede prædicta meruerint obtinere. Non obstantibus, etc.

2° « Limina apostolorum visitare tenentur etiam episcopi titulares, ut declaravit sacra congr. Concilii, teste Fagnano, lib. II *Decret.*, cap. *Ego N. episcopus* 4, *De jurejurando*, n. 82. — Coadjutor autem episcopi non tenetur, sed coadjutus. (S. congr. Concil. 4 August. 1609.) Sufficit autem ut fiat ab alterutro. (Bened. XIV, *De syn. diœces.* lib. XIII, cap. 6, n. 5.)

3° « Munus visitationis in tribus actibus

potissimum consistit ; scilicet in materiali sacrorum liminum visitatione, in exhibitione debitæ obedientiæ ac reverentiæ Romano pontifici, et in relatione status Ecclesiæ. Quos tres actus complectitur cit. bulla Sixti V, § *Quocirca ;* et eorumdem meminit sacra congr. Concil in Litteris patentibus, quas tribuere solet episcopis post peractam visitationem, quarum formulam tradit Fagnan. loc. cit. n. 61 ; et novissime Benedictus XIII, in concilio Romano celebrato anno 1725, tit. XIII, cap. 1, et *Appendice*, instruct. 12.

4° « Episcopi pro visitandis liminibus possunt abesse a residentia suæ Ecclesiæ, seu diœcesis per septem menses, si sint ultra montes, et per quatuor, si sint citra montes : dummodo eo tempore ad alios actus non divertant ; sic expresse Urban. VIII, const. *Sancta synodus.* — Episcopus tamen, qui limina visitavit, v. gr. in fine unius triennii, non potest immediate in principio sequentis triennii iterum visitare, ac proinde visitationis titulo nequit per octo menses continuos abesse a sua Ecclesia, seu diœcesi. (S. congr. *Super residentia episc.* 17 Julii 1657.)

5° « Tempus præfixum ad visitanda limina apostolorum incipit currere a die publicationis dictæ constitutionis Sixti V incip. *Romanus pont.;* sic declaravit etiam sacra congregatio Concil. 12 August. 1628. — Talis autem publicatio facta fuit die 20 Decemb. 1585. Unde a tali die cœpit currere primum triennium pro episcopis Italis, primum quadriennium pro episcopis Germanis, Gallis, Hispanis, etc.; primum quinquenninm pro episcopis Africanis, et primum decennium pro episcopis Asiaticis. Et hæc triennia, quadriennia, quinquennia et decennia durant usque ad diem 20 Decembris sui respective elapsi triennii, quadriennii, quinquennii et decennii ; et a tali die 20 Decemb. sui respective elapsi triennii, quadriennii, quinquennii et decennii integra elapsa, semper incipiunt nova triennia, etc., aliis jam respective elapsis et ipsa die completis. » (Fagnan. loc. cit., n. 43, et alii passim.)

« Hinc est advertendum quod triennia, quadriennia, quinquennia et decennia respective currunt perpetuis temporibus pro omnibus successoribus episcopis. Unde si quis episcopus Italiæ consecretur, v. gr. prima die Junii tertii anni triennii, quod currebat suo præmortuo, vel translato antecessori, qui pro illo triennio non visitavit, tenetur ipse limina visitare eodem ipso anno ante elapsam totam diem vicesimam Decemb. ejusdem anni : et si hoc spatium temporis nimis breve videatur ipsi episcopo ad perfecte conficiendam relationem suæ recenter adeptæ Ecclesiæ et limina visitanda, poterit prorogationem ad hoc munus obeundum impetrare a sacra congr. Concil. quæ in similibus casibus solet ipsam concedere. Si autem suus antecessor pro tali currenti triennio jam limina visitaverit, ipse episcopus successor poterit differre visitationem liminum spatio trium annorum et sex mensium et viginti dierum a die prima Junii suæ consecrationis usque ad diem 20 Decemb. ultimi anni sui primi respective currentis triennii. » (*Communis* per text. dict. const. Sixti V.)

« Liminum visitatio fieri debet in ultimo anno triennii, quadriennii, quinquennii et respective decennii. Unde episcopi, præsertim Italiæ, non consueverunt in primo anno triennii admitti ad visitationem liminum, in secundo autem anno nonnisi raro, et ex aliqua rationabili causa. » (S. congr. *Super residentia episc.* 17 Jul. 1657.) Hinc ad limina visitanda non admittuntur episcopi nuper creati priusquam se ad residentiam conferant, nisi in casu, quo consecrentur in curia paulo ante finem triennii sui antecessoris. » (Fagnan. loc. cit., n. 49 et alii.)

Limina apostolorum ibi esse dicuntur, ubi est papa ; sic ex multis, cum multis probat Fagnan. loc. cit., n. 69.

6° Canonicus, qui accedit Romam pro servitio episcopi, qui venit ad visitanda limina apostolorum, et canonici missi ab ipsorum episcopis ad limina apostolorum visitanda eorum nomine, lucrantur distributiones quotidianas. (S. congr. Concil. 9 Septemb. 1623, et 28 August. 1688. Huc usque ex L. Ferrar. *Biblioth.* verb. *Limina.*)

« Quando episcopus per se limina apostolorum visitare nequit, deputare debet aut dignitatem aut personatum habentem, vel canonicum suæ cathedralis ecclesiæ ; et si tales deficiant, sacerdotem sæcularem suæ diœcesis, et tandem solummodo, omnibus supradictis deficientibus, sacerdotem regularem, omnes tamen præditos dotibus, quas requirit const. *Romanus pontifex* supra cit.

7° Nihilominus « in hoc rerum genere, inquit Benedictus XIV, jamdudum facilius atque remissius agi cœpit, et pristinus rigor progressu temporis valde temperatus est, habita ratione gravium expensarum quæ ad Romanum iter conficiendum episcopis subeundæ sunt, graviorumque onerum quibus episcopales mensæ, vel temporum calamitate, vel aliis de causis, subjiciuntur. Unde, si episcopus, justo quolibet impedimento detentus, a sacra congregatione licentiam petat visitandi limina per procuratorem, atque etiam in eum finem deputandi canonicum aliquem aut sacerdotem diœcesis suæ jam in urbe exsistentem et privatis suis rebus vacantem, vel etiam ordinarium suum negotiorum gestorem seu agentem dummodo ecclesiastico charactere sit insignitus; facta Romano pontifici per secretarium ipsius congregationis instantiæ illius relatione, non ita frequenter rejici solet, ut olim evenisse constat; sed petita licentia et facultas passim benigne conceditur. De regulari tamen sacerdote, cum mentio quidem fiat in citata Sixti V constitutione § 4, sed pro eo tantum casu quo clerus in diœcesi deficiat... » (Bened. XIV, *De synod. diœc.*, lib. XIII, cap. 6, § 3.)

Hic ad utilitatem transcribimus *Instructionem* sacræ congr. Concil. a Benedicto XIII præscriptam, et a Benedicto XIV, qui tunc in minoribus constitutus munere interpretis sacrorum canonum in concilio Romano 1725, fungebatur, efformatam.

INSTRUCTIO SACRÆ CONGREGATIONIS CONCILII, PRO EPISCOPIS, PRIMATIBUS ET PATRIARCHIS,

Super modo conficiendi relationes statuum suarum Ecclesiarum, quas, occasione visitationis sacrorum liminum, eidem sacræ congregationi exhibere tenentur.

§ I. — De primo relationis capite, pertinente ad statum Ecclesiæ materialem.

In hoc primo relationis capite sequentia erunt exponenda :

I. Institutio (episcopatus et episcopi).

II. Confinia (diœcesis).

III. Privilegia et prærogativæ episcopatus, archiepiscopatus aut patriarchatus.

IV. Numerus civitatum, oppidorum, aut locorum, qui episcopatui, archiepiscopatui, aut patriarchatui subjecti sunt.

V. Status cathedralis, metropolitanæ, aut patriarchalis ecclesiæ, una cum numero canonicorum, et aliorum servitio chori addictorum; et an erectæ fuerint præbendæ pœnitentiaria et theologalis.

VI. Status ecclesiarum collegiatarum, una cum numero pariter canonicorum et cæterorum, qui choris earum intersunt, et an in collegiatis erecta sit præbenda theologalis.

VII. Status et numerus ecclesiarum parochialium, necnon aliarum ecclesiarum et oratoriorum in episcopatu, archiepiscopatu, aut patriarchatu exsistentium; referendo signanter, an cathedralis, metropolitana, aut patriarchalis et collegiatæ, oratoria, necnon parochiales, cæteræque ecclesiæ sint sacris supellectilibus instructæ, et quænam ex eis habeant redditus pro fabrica assignatos.

VIII. Numerus monasteriorum tam virorum quam mulierum; exprimendo an aliqua ex monasteriis virorum sint subjecta suæ jurisdictioni : et an, et quæ mulierum monasteria sibi subjecta sint, vel prælatis regularibus.

IX. An adsit in diœcesi seminarium clericorum, quot clerici in eodem alantur, an fuerit statuta taxa, et in qua quantitate, et an aliqua beneficia fuerint eidem unita, et in universum quinam, et quot sint redditus prædicti seminarii. (Taxa pro seminariis statui debet juxta decretum sancti concil. Trident., sess. 23, cap. 18, *De reform.* ut videbimus infra *de seminariis*.) Taxam seminario solvere tenentur parochi, beneficiati, confraternitates cæterique omnes... (Sacra congr. Concil. 11 Maii 1720.)

X. Numerus hospitalium, collegiorum, confraternitatum et aliorum locorum piorum, quæ sunt in episcopatu, archiepiscopatu, aut patriarchatu, et quinam sint eorum redditus.

XI. An adsint montes pietatis, et quot sint, una cum aliis consimilibus ad statum materialem Ecclesiæ spectantibus; cum advertentia tamen, ut plena status materialis relatio in prima relatione tantum, quæ fit ab episcopo, archiepiscopo, aut patriarcha, exhibeatur : in subsequentibus enim relationibus, satis erit, quod ipsi se referant ad primum, nisi aliquid novi, pertinens ad dictum statum materialem, contigisset, quod referens notificandum sacræ congregationi existimaret.

§ II. — De secundo relationis capite, pertinente ad ipsum episcopum, archiepiscopum, primatem, et patriarcham.

In hoc capite exponi debebit :

I. An residentiæ præceptum, a sacris canonibus, concilio Tridentino, et constitutione Urbana præscriptum, adimpleverit ; et an aliquo, et quo tempore abfuerit, et an ultra menses conciliares, et an cum, vel sine sedis apostolicæ licentia.

II. An et quoties diœcesis sibi commissæ visitationem expleverit.

III. An per se, vel per alium episcopum sacras ordinationes expleverit, et sacramentum confirmationis administraverit.

IV. An, et quoties synodum diœcesanam coegerit : et si episcopus nulli archiepiscopo subjectus sit, an ad synodum provincialem ejus archiepiscopi, quem ad tramites Tridentini eligere tenetur, ut ejus synodo provinciali intersit, accesserit ; et si archiepiscopus, an synodum provincialem habuerit, et quinam suffraganei eidem interfuerint.

V. An verbum Dei per se ipsum prædicaverit, et an, legitimo concurrente impedimento, viros idoneos assumpserit ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exsequendum.

VI. An habeat depositarium pœnarum et mulctarum pecuniarium, et an eædem fuerint piis usibus applicatæ. (*Vide* infra.)

VII. Quænam taxa, et an Innocentiana in sua cancellaria observetur. (*Vide* infra.)

VIII. An aliquod habeat, quod sibi obstet circa exercitium episcopalis officii, jurisdictionis ecclesiasticæ, necnon tuendæ libertatis et immunitatis ecclesiarum.

IX. An aliquod pium opus peregerit pro Ecclesia, pro populo, aut pro clero.

§ III. — De tertio capite, ad clerum sæcularem pertinente.

In hoc capite exponendum erit :

I. An canonici cæterique choro addicti cathedralis, metropolitanæ, aut patriarchalis Ecclesiæ, necnon collegiatarum, choro jugiter intersint.

II. An ultra matutinum, laudes, cæterasque alias horas canonicas, quolibet die celebrent missam conventualem.

III. An quolibet die eam applicent pro benefactoribus.

IV. An suas habeant constitutiones, et eas punctualiter observent.

V. An qui obtinent præbendam pœnitentiariam aut theologalem, adimpleant, quæ adimplenda sunt, et quomodo.

VI. An parochi in suis parochiis resideant

VII. An librum matrimonii et baptizatorum aliosque libros, quos ad normam Ritualis Romani retinere debent, retineant.

VIII. An aliqui ipsorum indigeant aliorum sacerdotum opera, ut sacramenta populo administrent.

IX. An iidem per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, juxta monitum Tridentini et concilii Romani.

X. An saltem Dominicis et aliis festis diebus, in suis parochiis, fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes, pueros, cæterosque hoc adjutorio indigentes doceant ; et an, et qui eis operam præstent in hoc opere adimplendo, et an fructuose hoc opus adeo necessarium in singulis parochiis proficiat.

XI. An singuli parochi, cæterique curam animarum exercentes, singulis Dominicis, festisque de præcepto, missam applicent pro populo eorum curæ commisso.

XII. An et quæ præmittantur, antequam quis ad primam tonsuram et minores ordines admittatur, et an sacris ordinibus initiandi, ante cujuscunque ordinis sacri receptionem, piis meditationibus, vulgo spiritualibus exercitiis, vacent per aliquot dies in aliqua domo religiosa.

XIII. An omnes prædicti vestes jugiter deferant clericales, et an, quoad fori privilegium, serventur disposita a sacrosancta synodo Tridentina, sess. 23, c. 6, *De reform.* et a constitutione sanctissimi nostri Benedicti papæ XIII in eodem concilio Romano emanata.

XIV. An habeantur conferentiæ theologiæ moralis, seu casuum conscientiæ et etiam sacrorum rituum, et quot vicibus habeantur, et qui illis intersint, et quinam profectus ex illis habeatur.

XV. Quinam sint mores cleri sæcularis, et an aliquod in eo adsit scandalum, quod remedio indigeat potentiori.

§ IV. — De quarto capite ad clerum regularem pertinente.

In hoc capite exponendum erit :

I. An regulares curam animarum exercen-

tes qui episcopali jurisdictioni, visitationi et correctioni subsunt in iis, quæ ad curam pertinent, et administrationem sacramentorum, munus sibi commissum fideliter adimpleant, juxta ea quæ in præcedenti capite dicta sunt de parochis sæcularibus.

II. An aliquis regularis extra monasterium degat : an aliqui adsint in diœcesi, a suis superioribus, servatis servandis, ejecti, vel aliquis fuerit regularis intra claustra monasterii degens, sed qui extra ea ita notorie deliquerit ut populo scandalo fuerit ; et quomodo in hisce casibus in sic delinquentes animadvertit.

III. An sua jurisdictione delegata usus sit in explenda visitatione conventuum et grangiarum monasteriorum, in quibus religiosi non aluntur in numero a sacris constitutionibus præfixo ; et quinam sunt religiosorum mores, in dictis conventibus, et grangiis degentium.

IV. Denique an aliquod habeat cum regularibus offendiculum in exercitio jurisdictionis delegatæ in illis casibus, in quibus eadem ipsi tributa est a sacro concilio Tridentino, vel a summorum pontificum constitutionibus, et signanter a bulla Clementis papæ X quæ incipit *Superna*. (*Vide* infra.)

§ V. — De quinto relationis capite ad moniales pertinente.

In hoc capite exponendum erit :

I. An moniales, episcopo subjectæ, suas servent constitutiones.

II. An clausura in earum monasteriis inviolate custodiatur.

III. An aliqui abusus in iisdem monasteriis irrepserint, qui consilio, aut auxilio sacræ congregationis indigeant.

IV. An, præter ordinarium confessorem, alius extraordinarius ab ipso bis aut ter in anno fuerit oblatus.

V. An dictorum monasteriorum redditus fideliter administrentur, et monialium dotes fuerint persolutæ, et quomodo erogatæ.

VI. An in monasteriis monialium, quæ sunt prælatis regularibus subjecta, curaverit ut claustra dictarum sanctimonialium fuerit exacte observata ; et an contra inobedientes et contradictores, per censuras ecclesiasticas et alia juris remedia processerit.

VII. An harum monialium confessarii regulares, sive ordinarii, sive extraordinarii, fuerint ab ipso approbati, antequam earum confessiones exceperint.

VIII. An, adhibitis superioribus regularibus, singulis annis exegerit rationem administrationis ab his, qui administrarunt bona pertinentia ad hæc monialium monasteria regularibus subjecta : et an fideliter eorum redditus administrentur, et alia fuerint adimpleta, quæ præscribuntur in bulla Gregorii XV quæ incipit *Inscrutabili*.

§ VI. — De sexto relationis capite pertinente ad seminarium.

In hoc capite exponendum erit :

I. Quot sint in seminario alumni.

II. An in ecclesiastica disciplina recte instruantur.

III. Quibusnam studiis vacent ; et quo profectu.

IV. An cathedrali, et aliis locis ecclesiæ diebus festis inserviant.

V. An cum consilio duorum canonicorum seniorum, a se electorum, necessaria pro recto regimine statuerit.

VI. An illud aliquando visitet, et operam det ut constitutiones adimpleantur.

VII. An statuta sit taxa ad tramites concilii Tridentini, eademque exigatur ; et an aliqui sint morosi in ejus solutione.

§ VII. — De septimo capite ad ecclesias, confraternitates et loca pia pertinente.

In hoc capite exponendum erit :

I. An in sacristiis omnium, et singularum ecclesiarum exposita sit tabella onerum missarum et anniversariorum, ad tramites decretorum sanc. mem. Urbani VIII, et an eis punctualiter satisfactum sit.

II. An in confraternitatibus, scholis, aliisque locis piis, punctualiter exsecutioni mandentur pia opera a testatoribus injuncta.

III. An quolibet anno sibi fecerit reddi rationes ab horum locorum administratoribus.

IV. An montem pietatis, sive charitatis visitaverit : et an idem habeat redditus, qui superabundent sustentationi ministrorum, aliisque necessariis expensis, et in quas causas redditus illi erogentur ; et si quid exigatur ab illis qui pecuniam, aut frumentum, si agatur de monte frumentario, ab eo recipiunt.

V. An infirmorum hospitalia visitaverit, reddituum rationes ab administratoribus exegerit, et an infirmis necessaria, quoad

salutem animæ, et corporis, in eis subministrentur.

§ VIII. — De octavo relationis capite ad populum pertinente.

In hoc capite exponendum erit :

I. Quinam sint populi mores, et an in pietate proficiant.

II. An aliquis irrepserit abusus, aut prava quædam in eodem inoleverit consuetudo, quæ consilio indigeat, et sedis apostolicæ adjutorio.

§ IX. — De ultimo capite ad postulata pertinente.

Ultimo loco episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchæ, qui suarum ecclesiarum relationes ad sacram transmittunt congregationem, si quæ habent postulata proponenda pro suarum regimine Ecclesiarum, proponere poterunt, cum clara facti et omnium circumstantiarum expressione; et quatenus postulata spectent ad negotia forensia, exponant, an ea sint in aliis tribunalibus introducta, an adsint super iisdem aliorum tribunalium sententiæ, ut, omnibus mature pensatis, possit sacra congregatio congruum suppeditare prædictis postulatis responsum.

Et hæc sunt, quæ opportuna visa fuerunt, ut in hac instructione inserantur. Quod si aliqua fuerint, quæ episcopi, archiepiscopi, primates et patriarchæ pro suarum indigentia Ecclesiarum atque diœcesium, addenda existimaverint, sciant, ibi liberum esse addere, quæ ipsis addenda videbuntur et ad notitiam sacræ congregationis deferre, quæ ex charitatis et justitiæ norma perse expediet, quæ poterit, et majora ad summum pontificem deferet, qui fratribus suis episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari semper exoptabit.

C. Card. Origus præfectus.

Loco † sigilli.

P. archiepisc. Theodosiæ secret.

Præterea episcopi quando visitant limina apostolorum, referre debent se paruisse constitutioni 195 Urbani VIII *Salvatoris*, editæ 3 Februar. 1634, in qua præcipit, quod locorum ordinarii, et verbi Dei concionatores, ad minus duabus vicibus quolibet anno adventus, et quadragesimæ temporibus, necessitates locorum terræ sanctæ commendari curent. Sic statuit Innocentius X, const. 10 *Salvatoris*, et confirmavit Clemens V, const. 39, *Salvatoris*. Cæterum super diversa relationis Ecclesiarum capita consulendus est Benedictus XIV, *De synodo diœces.* l. XIII.

III. 1° *Quoad leges canonicas.* — Ut supra, in juramento et examine electi in episcopum, legimus, « sese episcopi obstringunt ad stricte servandas leges canonicas seu constitutiones et decreta Romanorum pontificum et ad eadem observare faciendum. »

Præterea c. *Canonum statuta* lib. I *Decretal.* obligat omnes sive episcopos, sive alios, « ita ut canones tam juris divini quam juris positivi ecclesiastici, sive sint generales, sive locales respective ab omnibus sint servandi . . . et nemini licet in ecclesiasticis negotiis vel judiciis transgredi canones, et proprium sensum sequi, . . . intelligendo cum doctoribus verbum, *negotiis*, large pro quibuscunque actibus tam extrajudicialibus, quam judicialibus, juxta textum in c. *Chorus*, § *Negotium*, infra, *De verborum significatione*..

« Et hinc sumi potest . . . verbum *actionibus*, adhuc in latiori significatione, non solum pro actibus humanis extrajudicialibus externis, sed etiam pro actibus internis, ita ut constitutiones ecclesiasticæ obligent etiam ad culpam (ut ex multis cap. probat Fagnanus); et merito, quia legum ecclesiasticarum præcipuus finis esse debet ad æternam felicitatem et salutem dirigere, ut per D. Thomam. in 1-2, quæst. 90, art. 2 et alios, quos sequitur Rota decis. 107, n. 16, part. VII, *recent.* Et secundum hunc intellectum textus hoc intendit : Constitutiones canonicæ ab omnibus sunt servandæ tam in foro externo, quam in foro conscientiæ.

« Secundo nota canones omnes esse in præcepto, ut hic probatur, ponderando verbum imperativum, *custodiantur*, nam quod imperatur, præcipitur; et quod præcipitur, imperatur ex multis capitibus. Unde infertur, ut canones obligent non tantum ad pœnam, sed etiam ad culpam. In quo tamen sic potest distingui... nam aut quis venit contra canones ex contemptu, credens Ecclesiam non habere condendi potestatem : et punietur ut hæreticus. (C. *Nulli fas*, 19 dist. et melius c. 1, 22 pist.) Aut quis venit contra canones præcipientes, vel prohibentes, quia non curat se legi subjicere : et tunc est proprie contemptus, et inobedientia, et mortale peccatum : et talis dicitur transgressor, et punitur pœna depositionis. (C. *Dudum* 54, *De elect.*

et § ult. 4 dist.) Subdunt tamen, collectar. et Bellam. hujusmodi contemptum non convinci de æquitate nisi post monitionem, secundum ea, quæ colligit idem collect. in c. *Novit. de judic.* Aut denique venit quis contra canones, propter concupiscentiam, vel iram, aut negligentiam, et non dicitur transgressio, nec per consequens peccatum mortale, ut post D. Thomam notat archid. in c. *Quicunque*, 18 dist... Quod qui canones non habet, redarguendus est de neglectu: qui habet, et non servat, de temeritate increpandus est. (C. *Si decreta*, 20 dist.) — (Confer quæ supra dicta sunt de scientia episcopo necessaria.) Qui vero in contemptum Ecclesiæ Romanæ non servat canones, hæreticus est censendus. (C. *De libellis*, ead. dist.) — (FAGNAN. in part. 1, lib. 1 *Decret. de constit.* c. *Canonum statuta*, n. 6 ad 48.)

« Tenendum est ordinariis et episcopis nullatenus licere jura transgrediendi, aut contra constitutiones canonum dispensare, nisi a jure reperiatur illis expresse permissum, ut est textus in c. *Dilectus*, infra, *De tempor. ordin.*.. Episcopi enim sunt custodes canonum et magistri (c. *Cum quibus* 24, causa 9, quæst. 3), et debitores sacras regulas custodire. (C. *Cum simus*, *causa* 9, *quæst.* 3.) Ad idem jurejurando se astringunt. (C. *Ego N. De jurejurando.*) Unde nulli pontificum licet sedis apostolicæ decreta in totum, vel in partem qualibet occasione convellere, vel mutare, ut legitur in c. *Institutionis*, causa 35, quæst. 2, et ex multis, cum multis probat FAGNAN. *ibid.* n. 121; et conc. Trident. sess. 25, cap. 18, 20, 21. Unde nequit episcopus aliquid statuere contra jus commune quando nondum contra jus illud legitime præscriptum fuit. Quando autem in aliqua diœcesi contra juris communis dispositionem per contrariam consuetudinem legitime præscriptum est, potest tunc episcopus contra illam juris communis dispositionem agere : non vero quidquam per formam statuti aut legis decernere.» (BENED. XIV, *De syn. diœc.* lib. XII, c. 8, n. 8.)

An episcopus aliquando possit contra canones dispensare? — « Decisio autem Rotæ *De jure patr. in nov.* quod episcopus ex magna causa necessitatis et utilitatis possit contra canones generalis concilii dispensare; an, et quando procedat? ista decisio Rotæ salvari potest octo infra scriptis declarationibus.

1° « Ut procedat (episcopus), quando oriretur aliqua causa urgens de novo, et incognitæ verisimiliter per concilium (aut papam) tempore editæ constitutionis... »

2° Declaratur prædicta Rotæ decisio, « ut habeat locum, dummodo super casu opinato emergenti non possit consuli superior. Alias enim episcopo ex causa quamvis gravi et urgenti non licet dispensare contra legem superioris; sed ad eumdem superiorem debet haberi recursus. Ita communis.

3° Declaratur decisio Rotæ, « ut procedat dummodo periculum sit in mora : nam magna causa de novo emergens cum impedimento recursus ad superiorem non sufficeret ad dispensandum, etiam in remotissimis regionibus, si res dilationem pateretur... Constitutio permittens aliquid propter periculum cessat eo cessante... »

4° Declaratur, « ut habeat locum, dummodo episcopus procedat per viam dispensationis in aliquo speciali casu, prout loquitur decisio Rotæ, non autem per viam statuti, » ut probatur in cap. *Priscis*, 55 dist.

5° « Ut quoad dispensationem in gradibus prohibitis procedat, dummodo matrimonium sit jam publice contractum, impedimentum sit occultum, et separatio sine magno scandalo fieri non possit, prout requirunt doctores.

6° Declaratur, « ut prædicta facultas dispensandi in impedimentis dirimentibus, ubi matrimonium est publicum, et impedimentum occultum, procedat in foro conscientiæ tantum, non autem in foro externo, prout observat sacra pœnitentiaria exemplo concilii Tridentini, in cap. 6, sess. 24. Quod tribuit episcopis facultatem dispensandi in irregularitatibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, non tamen deductis ad forum contentiosum, et absolvendi a casibus occultis etiam sedi apostolicæ reservatis pro solo conscientiæ foro.

7° Declaratur, « ut eadem facultas locum habeat, dummodo qui petunt dispensationem contraxerint matrimonium bona fide, id est, cum probabili ignorantia impedimenti, alias enim indigni essent dispensatione. »

8° Declaratur, « ut procedat, dummodo sic dispensati ab episcopo, cum primum dabitur facultas, recurrant ad sedem apostoli-

cam pro nova dispensatione per text. in cap. *Eos qui*, *De sent. excom.* lib. VI, ubi absolutus propter mortis periculum, vel aliud impedimentum, a quo alias absolvi non poterat, cessante impedimento cum commode poterit, tenetur se præsentare ei, a quo alias absolvi debebat, alioquin ne sic censuræ illudat ecclesiasticæ, in eamdem sententiam recidit ipso jure.

«His plane omnibus concurrentibus videtur non esse inconveniens, ut juxta prædictam decisionem doctorum de Rota episcopus ex magna causa dispenset contra canones etiam concilii.» (FAGNAN. in part. II, lib. I *Decret. De filiis presbyter.* c. *Nimis* n. 24 ad 42.)

CAPUT IV.

Episcopus quoad diœcesim in genere, ubi de visitatione et de synodo diœcesana.

1. « *In quo consistat jus et potestas episcopi?* Resp. Hæc tota consistit in duplici lege, quarum una vocatur *jurisdictionis*, altera *diœcesana*. Sumitur autem hic *jurisdictio* late, prout etiam ea, quæ ordinis sunt, comprehendit, quatenus nimirum istos, episcopus propriis tantum subditis, non alienis regulariter impertiri potest. *Prima* tenentur omnes ecclesiæ, tam sæculares, quam regulares, quæ sitæ sunt in diœcesi ejusdem, et non specialiter sunt exemptæ. (C. *Monasteria* 17, causa 18, quæst. 2.) A *secunda* ipso jure eximuntur Ecclesiæ regulares, seu monasteria, et si alias jurisdictioni ordinarii subjecta sint, et hoc in favorem religionis. (Causa 10, can. 1 *Si ex laicis*, quæst. 1; c. 8 *Inter cætera*, quæst. 3; c. 34 *Cum pro utilitate*, causa 16, quæst. 1, etc.; c. *Dilectus* 18, *De lege jurisd.*)

« Dixi *ecclesiæ regulares et monasteria*; nam capellæ, et parochiæ sæculares non exemptæ, incorporatæ monasteriis, tam diœcesanæ quam jurisdictionali legi episcopi subjiciuntur... Proceditque hoc, etsi monasteria ipsa alias quoad se exempta sint; nam adhuc episcopo quoad legem utramque ratione hujusmodi capellarum et parochiarum subsunt, nisi etiam quoad istas exempta sint; vel nisi alias ex privilegio sedis apostolicæ, aut legitima consuetudine acquisivissent jura episcopalia in illis ecclesiis, ut cum aliis Abb. in c. *Conquerente* 16, notat. »

II. *Ex lege diœcesana* sunt fere ea, quæ ex parte episcopi in recipiendo consistunt: ut est, c. *Conquerente* 16, tit. XXXI *Decret.*

1. « *Cathedraticum* seu *synodaticum* duorum solidorum annuorum. Cathedraticum dicitur, quia ob honorem cathedræ seu dignitatis episcopalis datur; *synodaticum*, quia solvi debet a clericis in synodo episcopali, quotannis celebranda. » (SCHMALZ. part. V, tit, XXXI, n. 27 et 28.)

In concilio Romano 1725 a Benedicto XIII sancitum fuit, cap. 4, tit. VIII: «Ipso communi jure est cautum, ut episcopis cathedraticum a clericis debeatur, quod est duorum solidorum, vigiati scilicet Juliorum census cathedralis ecclesiæ solvendus in signum honoris, et subjectionis cathedræ pontificali. Jus sane inter cætera episcopalia ita privilegiatum, ut neque ab episcopis remitti, nec a quoquam valeat quocunque titulo, vel immemorabili consuetudine præscribi... et cathedraticum duntaxat summam non excedens prædictam ab ecclesiis (non tamen regularium) et a beneficiatis sibi subjectis tali etiam volumus moderatione exigatur, videlicet:

I. « Quibus sunt redditus infra scuta decem (in Gallia hodie, 54 fr. circiter; idem de ducatis monetæ Neapolitanæ intelligatur), duo Julii (in Gallia 2 fr., 50 c.).

II. « Quibus scuta infra quinquaginta (in Gallia 260 fr.) Julii quinque (in Gallia 6 fr. 25 c.).

III. « Quibus infra centum (in Gallia, 540 francs), Julii decem (in Gallia, 12 fr. 50).

IV. « Quibus ultra centum, vel quacunque in alia majori summa (in Gallia ultra 540 fr.), Julii quindecim (in Gallia 18 fr. 70 c.).

V. « Ab ecclesiis vero, ubi plures de massa participant, ab omnibus in communi, Julii viginti (in Gallia 25 fr.): salvis tamen consuetudinibus, ecclesiis et episcopis magis favorabilibus. »

Cathedraticum non debetur a toto clero, sed tantum ab ecclesiis, capellis et beneficiatis, si ad eorum favorem non concurrat privilegium exemptionis, vel immemorabilis. Sacra congr. conc. 3 Dec. 1645, et aliis decret. ejusdem. sacr. cong.

2. *Subsidium charitativum.* — Quo nomine venit moderatum auxilium, seu præstatio, quam episcopus ex causa rationabili, pensatis ecclesiarum facultatibus, exigere a clericis sibi subjectis potest. — « Non potest exigi sine consilio capituli, sed ad solvendum qui debent compelli possunt etiam per

censuras ecclesiasticas. — In specie sufficienter rationabiles et manifestæ pro exigendo charitativo censentur a doctoribus : 1° Expensæ necessariæ pro promotione, confirmatione et consecratione ipsius episcopi. 2° Expensæ necessariæ pro solvendis debitis ab ipso vel suo antecessore contractis pro bono communi aut necessitate Ecclesiæ. 3° Expensæ necessariæ ad visitanda limina apostolorum. 4° Expensæ necessariæ pro itinere ad concilium generale vel provinciale, ad papam, imperatorem vel regem ob bonum commune diœcesis vel Ecclesiæ universalis. 5° Expensæ necessariæ pro adventu imperatoris, regis aut magni principis, præsertim si episcopus ab eo habeat regalia. 6° Expensæ necessariæ pro tuendis seu recuperandis juribus, actionibus ac bonis Ecclesiæ cathedralis, seu pro bono communi totius diœcesis. Sic Reiffenstuel . . . cum multis ; qui tamen communiter notant prædictas causas esse solummodo sufficientes in casu, quo episcopi redditus ad satisfaciendum eis non sufficiant, quia, si episcopi redditus in casibus prædictis sufficiunt absque subsidio charitativo, illud exigere nequaquam potest, cum deficiat necessitatis ratio, utpote conditio necessario requisita. (Cap. *Cum apostolus*, *De censibus*. — Quantitas subsidii charitativi determinari potest et debet ab episcopo cum consilio capituli.

« De jure communi, quoties exsistit rationabilis et manifesta causa, et redditus non sufficiunt, potest episcopus subsidium exigere. (Communis.) — Jure tamen novo taxæ Innocentianæ per viam legis universalis saltem in Italia promulgatæ, exigi potest solum unica vice in primo ingressu episcopi ; et non potest exigi, ubi non est solitum exigi, ut patet ex dictis taxæ Innocentianæ expressis verbis.

« Ad solvendum subsidium charitativum tenentur soli clerici beneficiati, et minime clerici beneficio carentes, et laici. » (Communis.) — (Ferraris, *Bibliotheca*, verb. *Subsidium charit.*)

3. « *Quarta decimationum*, quæ de jure communi ab Ecclesiis parochialibus, ad quas decimæ spectant, episcopo præstanda esset ; nunc vero in pluribus locis per desuetudinem abolita est, quod episcopi jam aliunde sustentationem congruam habeant. »

4. « *Quarta mortuariorum* seu *funeralis* ; sive etiam, ut vocatur, *portio canonica* episcopo debita ex legatis et oblationibus funeralibus, quæ factæ sunt ecclesiis, vel aliis locis intra diœcesim sitis. » (Schmalz. *ibid.*)

Quarta funeralis debetur de iis quæ ratione funeris præbentur ab hæredibus defuncti. (C. *Inter cunctas* 1, *De privileg.* extravag. comm.) Item de omnibus intortitiis et candelis, quibus defuncti cadaver in itinere ad ecclesiam tumulantem associatur, et de iis quæ in eadem ecclesia circa cadaver, vel etiam in altaribus in die funeris accendentur. Benedict. XIII, const. *Romanus pontifex*. Quarta autem non debetur in intortitiis et candelis, quas sacerdotes, etiam regulares, vel piarum sodalitatum confratres funus associantes manualiter per viam deferunt, nec de missis, legatis anniversariis, hisque similibus piis relictis ad favorem ecclesiæ tumulantis vel exponentis a defuncto depositis. (Id. ead. const. et sac. congr. Concil. in *Anglonen.* 30 Januar. 1723 apud Ferrar. verb. *Quarta funeralis*, n. 40.) Quarta funeralis solvi debet ab ecclesia tumulante, non vero ab hæredibus defuncti. »(Sacra congr. Episc. et Regular. 14 April. 1615 ; Monacell. t. II, tit. XIV, formul. 1, n. 14.)

Not. Quoad quantitatem quartæ funerariæ standum consuetudini. (Ferrar. v. *Quarta funeralis*, n. 2.) Quarta funeralis seu portio canonica usque ad quartam exclusive potest præscribi spatio decem annorum absque titulo ; ad hoc autem ut præscribatur infra quartam, vel ut nihil solvatur, requiritur consuetudo 40 annorum cum titulo, aut immemorabilis. (Id. *ibid.* n. 3.)

Quarta parochialis debetur Ecclesiæ cathedrali, vel præscriptione, vel ex eo, quod illam sibi reservavit, quando parochiæ fuerunt erectæ in signum superioritatis. (Rota, *ibid.* n. 14.)

5. « *Procurationes*, sive moderata victualia, præstari solita ab ecclesiis, dum episcopus eas vel per se, vel per alium visitat : hæ præstandæ sunt etiam a monasteriis non exemptis : quia visitationi annexæ sunt. » (Cap. *Procurationes* 23, *De censibus*, et conc. Trid. sess. 24 *De reform.* c. 3. — Sub procuratione comprehenduntur omnia, quæ sunt necessaria pro victu, nempe cibus, potus, et habitatio ipsius visitatoris et honesti comitatus ejusdem. Idem pabulum pro equis et jumentis necesssariis. (Communis.) — Non potest tamen visitator ordinarius exigere

procurationem pro equitaturis et vecturis, neque pro aliis expensis faciendis extra victum, quia ad ista et alia tenetur de suo. (Sacra congr. Episc. et Regul. 21 August. 1606 ; 20 Martii 1615 ; et sacra cong. Concil. 12 Apr. 1698 ; et 18 Jul. 1699.) — Non potest episcopus procurationem exigere pro visitatione parvorum conventuum. (Sacra cong. *Super statu regul.* 25 Junii 1665.) Nec oratorii privati (communis) ; nec ecclesiarum et beneficiorum pauperum (communis); nec hospitalium, leprosarium et aliorum piorum locorum pro pauperibus (Clement. *Quia contingit*) ; nec ab ecclesia sua cathedrali, aut aliis ecclesiis seu locis piis et clero civitatis, in qua sedem habet. (Communis post Tridentinum et sic pluries sacra cong. Concil. ex c. 3, sess. 24.) — Episcopus, quando vadit per diœcesim extra visitationis occasionem, licet ad consecrandam vel reconciliandam ecclesiam, vel sacramentum confirmationis administrandum, neminem cogere potest ad subministrandas expensas, neque pro equis, neque pro victualibus. (Sacra cong. Episc. et Regul. 14 Novemb. 1581 ; 18 Januar. et 25 Jun. 1627.—S. congr. Concil. 18 Jul. 1699 ; apud Monacell. t. I, tit. v, form. 1, a n. 2. ad 25.) Visitatores contenti esse debent modesto equitatu, famulatuque, ne scilicet inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint. (Communis per text. in c. *Cum Apostolus* 6, c. *Procurationes* 23, *De censib.* c. *Conquerente* 19, *De offic. ordin.* et *Trident.* sess. 24, c. 3.) Unde non debet episcopus secum ducere plus quam ad summum octo personas, ut observabat sanctus Carolus, qui etiam pro sua mensa uno ferculo contentus erat. (Sacra cong. Episc. 26 August. 1575.) — Visitator amplius quam una die per unamquamque basilicam remorandi licentiam habeat. (C. *Procurationes.*) Adjicientes, quod non licet visitanti, nisi unam procurationem recipere una die, sive unum locum solum visitaverit, sive plura... (Cap. *Felicis* 3, *De censibus* in 6. — et in tali casu illæ plures Ecclesiæ, una die visitatæ debent inter se proportionaliter, solas expensas, necessarias pro tali unica procuratione. (Communis.) Visitator non potest prætendere victualia in pecunia præcise, sed si visitati malint solvere in pecunia, possunt visitatores accipere pro sumptibus moderatis faciendis in victualibus. (C. *Felicis.*) Intuitu procurationis non potest visitator, sive ejus secretarius, sive quis alius de suo comitatu aliquod munus, etiam gratis oblatum, accipere, etiam quovis prætextu, seu quæsito colore, puta pro equis ferrandis, seu pro xeniis famulorum, seu qualitercunque ; et hoc sub pœna maledictionis, a quo non liberetur, nisi duplum restituat. Insuper si duplum intra mensem non restituerit, si sit episcopus vel superior, est ipso facto interdictus ab ingressu Ecclesiæ ; si vero sit inferior, ipso facto est suspensus ab officio et beneficio, quousque de duplo hujusmodi gravatis ecclesiis plenariam satisfactionem impendat, nulla ei in hoc dantium remissione, liberalitate seu gratia valitura. Et præterea aliis pœnis absque ulla spe veniæ arbitrio synodi provincialis puniri debet. (C. *Romana* 1, *De censib.* in 6, et c. *Exigit* 2, *ibid*, et *Conc. Trident.* sess. 24, c. 3, *De reform.*) Procuratio ex consuetudine præscribi et tolli potest ex Trident. sess. 24. (Schmalz. tit. *De censib*, n. 104.)

6. « Tandem ad diœcesanam pertinet, *convocatio ad synodum*, saltem in quantum est convocatio ; nam quatenus in ea judicatur, vel aliquid statuitur, ad legem jurisdictionis pertinet ; et hinc quamvis ipsa monasteria sint exempta a lege diœcesana, tamen abbates eorum non sunt exempti quoad synodum, quominus ad illas venire teneantur. » (Schmalz. part. IV, tit. XXXI, n. 28.) « Hæc, si quæ alia jure expressa sint, petere potest episcopus ; extra illa autem non potest aliquid exigere ab ecclesiis sibi subjectis, nec a clericis subditis petere servitia in jure non expressa, aut collectas ipsis imponere. » (Can. *Quia cognovimus*, 6, causa 10, quæst. 3.)

III. *Ex jurisdictionis lege :* 1° Post diœcesis possessionem captam novus episcopus debet rationem administrationis officii exigere a vicario capitulari tempore sedis vacantis constituto, et si reus reperiatur, punire, ut declaravit sacra congr. Concil. 8 April. 1595 ad cap. 16, sess. 24. Trident. Concilium episcopo, ut recipiat rationem administrationis officii a vicario, et aliis officialibus capituli, præcipit et imperat illis verbis *rationem exigat*, et per consequens episcopus scienter omittens id facere contra præceptum concilii non est immunis a culpa mortali, per text. satis clarum in cap. *Nulli fas*, 19 dist., et ex aliis juribus ad hoc probandum adductis a Fagnan. in cap. *Quoniam*, n. 22, *De constit.*, et in cap. *A crapula*,

n. 21, *De vit. et honest. cleric.* Episcopus non debet aliis delegare facultatem vicarium capituli syndicandi, sed per seipsum rationem administrationis officii exigere debet, ut ex declaratione sacræ congr. Concilii monet Gallemart supra dicto c. 16, sess. 24, n. 4, et comprobant etiam multi alii apud Monacell. t. IV, p. 128 edit. Roman. in fol.

Ad syndicatum faciendum, notificatio syndicatus dirigitur ad omnes diœcesanos, ut possint suas ad episcopum reclamationes contra vicarium transmittere. Hæc notificatio fit per cancellarium episcopi. — Ratio administrationis peti debet non solum a vicario capituli, sed etiam ab œconomo et aliis officialibus et ab ipsomet capitulo, ex Trident. sess. 24, c. 16.

In specie ad episcopum ex lege jurisdictionali pertinet :

1. Cognoscere, et decidere omnes causas ad forum ecclesiasticum externum spectantes. (C. *Conquerente* 16, tit. XXXI, l. 1 *Decret.*) Concurritque in hoc episcopus cumulative cum aliis judicibus inferioribus, jurisdictionem ecclesiasticam fori externi ordinariam ipsi subordinatam obtinentibus, ita ut inter eos sit locus prœventioni, nisi isti jurisdictionem hanc suam ex privilegio, vel præscriptione obtinuerint privative, et excluso episcopo.

2. Potest in diœcesi sua inquirere, punire et corrigere crimina subditorum suorum, nec clericorum tantum, sed etiam laicorum, saltem quoad illa, quæ ad forum ecclesiasticum spectant, ut sunt hæresis, simonia, adulterium, quando de eo agitur ad divortium. (C. *Perniciosam* 1, tit., XXXII. 1 *Decret.*) Quoad regulares jurisdictioni suæ subjectos distinguendum est inter ea, quæ concernunt disciplinam, et observantiam regularem, et inter illa, quæ spectant ad disciplinam ecclesiasticam, et punitionem graviorum criminum : quoad priora correctionem, et punitionem episcopus melius relinquit prælato regulari ; quoad posteriora rectius eam ipse exsequitur, ut cum aliis notat Sylv. verb. *Obedientia* q. 8 et 10.

3. Potest in contumaces, et jurium episcopalium violatores vel aliter delinquentes ferre pœnas, nec ecclesiasticas tantum excommunicationis, suspensionis, degradationis, etc., sed etiam corporales carceris, triremium, verberum, etc. (C. *Cum episcopus* 7, tit. XXXI, l. 1, in 6.) Ratio est, quia merum et mistum imperium habet. Excipitur pœna sanguinis ; nam hanc si clericus sit commeritus, degradare eum debet, et curiæ seculari puniendum tradere. (C. *In archiepiscopatu* 4, *De raptor.*)

4. Potest adversus inobedientes, et contumaces, si spirituali et ecclesiastica potestate nihil efficiat, officiales et ministros asciscere : eorumque opera latas in eos sententias exsequi invocato etiam, si ita opus sit, vel expedire videbitur, auxilio brachii sæcularis ; quod si indebite judex sæcularis neget, ad id exhibendum episcopus eumdem poterit per censuras compellere. (C. *Perniciosum* cit. c. *Licet* 12; c. *Quoniam* 14, tit. XXXI, l. 1 *Decret.*)

5. Potest et debet visitare diœcesim, et ecclesias, ac alia pia loca sibi subjecta, et ita quidem, ut quotannis totam, vel si propter latitudinem diœcesis non possit, singulis bienniis per se, vel per alios visitatores idoneos a se constitutos percurrat, prout decretum est a Trident. sess. 24, c. 3 *De reform.*

6. « Potest conferre beneficia, destituere et deponere a beneficiis. (C. *Conquerente* 16, tit. XXXI, l. 1 *Decret.*) Item inquirere, num beneficiati fuerint canonice instituti. » (C. *Ordinarii* 3, tit. XVI, lib. 1 in 6)

7. « Potest condere statuta, seu leges diœcesanas, et in his cum subditis suis dispensare, in universalibus vero totius Ecclesiæ solum in casibus certis, qui referuntur infra. » Episcopus potest constitutiones seu statuta condere, tum in diœcesana synodo, tum extra synodum, et etiam sub pœnis et censuris. (BENEDICT. XIV, *De synod. diœc.* lib. XIII, cap. 4, n. 5.) Statuta episcopalia facta in diœcesana synodo non exspirant morte conditoris. An autem exspirent facta extra synodum, disputatur. (*Vide* BENED. XIV, *De synod. diœc.* lib. V, cap. 4, n. 3.)

8. Potest relaxare pœnas a se vel inferiore latas ; in latis ipso jure distinguendum est ; nam vindicativas, qualis est irregularitas ex delicto, relaxare solum potest in casibus a jure, vel superiore concessis ; medicinales autem, secuta ejus, qui eam patitur, correctione, nisi specialiter sint reservatæ summo pontifici. (C. *At si clerici* 4, *De judic.* l. II *Decret.*)

9. In administratione sacramentorum concurrit cum omnibus parochis, aliis curatis ecclesiarum non exemptarum cumulative, cum tota diœcesis sit ipsius parochia ; ideoque potest sibi aliquos graviores casus reservare. Reliqua, quæ sunt ordinis episcopalis, ut est collatio ordinum, consecratio

ecclesiarum, benedictio abbatum, administratio sacramenti confirmationis, in diœcesi sua exercet privative ad quemvis episcopum extraneum.

10. Ad legem jurisdictionalem episcopi pertinet prædicare verbum Dei vel per se ipsum, vel, si impeditus sit, per alios ad hoc idoneos. (C. *Inter cætera* 15, tit. XXXI, l. 1 *Decret.; Trident.* sess. 5, c. 2, et sess. 24.)—In parochialibus ecclesiis, et aliis suæ diœcesis ex eadem lege prædicatores constituendi munus ad ipsum pertinet, nisi jus illud per consuetudinem immemorialem acquisiverint inferiores alii, sicut est casus in Gallia, ubi parochi prædicatores eligunt. (Arg. c. *Irrefragabili* 13, tit. XXXI, l. 1 *Decret. Trident.* loc. cit. juncta declaratione card. *ibid.*)

11. Denique ex lege jurisdictionis concedit indulgentias, profuturas etiam exemptis. (C. *Cum ex eo* 14, *De pœnit. et remiss.* Et imponit pœnitentias publicas, non tamen nisi ob publica et majora crimina. (C. fin. *Causa* 26, quæst. 6 ; Trident. sess. 24, c. 8 *De reform.*) — (Huc usque SCHMALZ. part. IV, tit. XXXI, n. 29.

12. Tandem, præter jurisdictionem propriam, habet aliam jurisdictionem delegatam episcopus tanquam sedis apostolicæ delegatus, in casibus a jure concessis ex Trident. et pontificum constitutionibus.

IV. *De visitatione diœcesis.* — 1° Visitare nihil aliud est quam excessus ac defectus inquirere, inventosque castigare, et convenientibus remediis emendare, atque observantiam obligationum juxta cujusvis personæ, ac rei exigentiam, ubi adhuc viget, conservare, et ubi deficit, in pristinum restituere. (BARBOSA, *De offic. et potest. episc.* part. III, al. 73, n. 1 ; et alii communiter per text. Trident. sess. 24 *De reform.* c. 3.) « Patriarchæ, primates, metropolitani et episcopi propriam diœcesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum vicarium generalem, aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterunt, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se vel per visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant. » (*Trident.* sess. 24, c. 3 *De reform.*) Unde episcopi aliique superiores tenentur per se ipsos, aut si legitime fuerint impediti, per vicarios suos vel visitatores, qui presbyteri sint vel diaconi, singulis annis, aut si ob latitudinem fieri nequeat, saltem quolibet biennio, totam diœcesim et ecclesias ejusdem visitare. (*Communis*, c. *Decrevimus* 10, causa 10, quæst. 1, c. *Episcopum* 11 ead. causa et quæst.) Dicto jure communi attingi etiam videntur hodierni Galliæ episcopi : nec proinde ipsis liberum est, secluso pontificio Indulto, integram diœcesis visitationem, id est singularum parochiarum et ecclesiarum ultra biennium protrahere. « Non valet ratio impossibilitatis. Cum enim episcopo concessa fuerit a jure facultas, ut, si totam diœcesim per se ipsum visitare nequeat, per alios ab ipso delegatos id peragat, tot adhibere et delegare visitatores poterit quot necessarii erunt ad complendam intra præscriptum tempus visitationem. » (BOUIX, *De episcopo*, t. II, p. 24.)

Vicarius tamen generalis hoc jus visitandi non habet, nisi specialiter ei committat episcopus. (BARBOSA, in *Conc. Trid.* sess. 24, cap. 3, cum plurib. ibi citatis, et aliis passim.)

Episcopus visitare debet non solum ecclesias et loca pia, sed etiam personas illarum, capitula et canonicos, omnes clericos, etc., et plebem.

2° Item tanquam sedis apostolicæ delegatus potest visitare omnes ecclesias sæculares exemptas, intra fines diœcesis, non obstantibus privilegiis et consuetudinibus, et etiam immemorabili tempore præscriptis, (Trident. sess. 6 *De reform.* c. 4.) Etiamsi ad regulares pertineant et ab eis dependeant, dum tamen per sæculares eis deservietur. (Trident. sess. 7, *De reform.* c. 8.) Secus autem ecclesias regulares nullius diœcesis, ut ex Trident. et decret. sacræ congr. ad longum probat Fagnan., item visitare potest omnes ecclesias curatas monasteriis regularium unitas. (Trident. sess. 7 *De reform.* c. 7 et sess. 25 *De regul.* c. 11.) Dummodo tamen ecclesia parochialis non sit illius conventus in quo generalis ordinis habet residentiam ordinariam. (Trident. sess. 25, *De regul.* c. 11.)

Episcopus potest visitare hospitalia etiam privata, et exigere ab administratoribus rationes et computa, tam in visitatione quam extra, etiam per suum delegatum, non obstantibus quibuscunque privilegiis ; et etiam confraternitates laicorum et ab earumdem administratoribus rationem administrationis exigere. (S. congr. Conc. 2 Mart. 1697, et 20 Maii 1700.)

Episcopus in visitatione debet celeriter, quantum res postulat, se expedire, et ad

actus extraneos non se divertere, ne visitati graventur expensis. (Sic pluries sacra cong. Concil.)

3° Pro visitatione facienda eligi solent ab episcopo duo convisitatores satis experti, et in rebus ecclesiasticis versati. (C. *In singulis*, *De statu monach.* et extravag. *Debent*, *De offic. ordin.* inter com. Non est tamen necessaria talis electio convisitatorum, cum possit episcopus sine illis visitare etiam capitula cathedralium, etc. (Ex Trident. sess. 7, *De reform.* c. 4.)

4° Si episcopus visitare velit totum capitulum, debet accedere ad locum ordinarium capituli, si id commode fieri potest, sin minus ad locum congruum et communem. Sed non tenetur accedere ad locum capituli, quoties prosequi velit visitationem alicujus personæ de capitulo. (Sacra congr. Conc. apud Barbosa in *Summa apostolic. decis.* collectan. 717, n. 9.) In visitatione generali episcopus solus sine conjudicibus procedere potest contra canonicos, eisque pœnam imponere extraordinariam, quæ magis morum emendationem, quam correctionem respiciat. (Sacra congr. Conc. 27 Martii 1632; apud Barbosa loc. cit. n. 11.)

5° Tenetur episcopus in visitatione prædicare verbum Dei, per se aut saltem per alios; alias nisi legitima causa excusetur, ipsum peccare mortaliter, ex canonibus cum multis firmat Monacelli, t. I, tit. v, n. 51, ubi addit: «Quomodo autem se excusent coram Deo tot episcopi, qui nihil prorsus curant de hoc in visitando, ipse Deus scit.»

6° Impedientes visitatorem a munere visitationis excommunicationem ipso jure incurrunt, si moniti non resipiscunt, et statim post monitionem ipso facto, textu expresso in Clement. *Attendentes* 2, *De statu monach.*

7° Ante visitationem episcopus debet illam notificare ad visitandos; et præmittere duos sacerdotes missionarios, qui per prædicationes, confessiones, et alia exercitia spiritualia disponant populum ad fructum sanctæ visitationis recipiendum. Habet secum duos convisitatores, secretarium, etc. (Quomodo formula edicti pro denuntianda futura visitatione poterit conscribi, vide apud Monacelli et Bouix *De episcop.* t. II, p. 41.)

8° In locis visitandis deligantur viri probi, bonæ existimationis et graves, quatuor, aut quinque, pluresve, pro cleri et plebis multitudine, qui *vitam ac mores*, tam *laicorum*, quam *clericorum*, probe noverint, iique etiam jurejurando astringantur, ut libere, omnique humano affectu remoto, ea indicent: et nisi probent ea, quæ referant, rejiciantur. (Cardin. Reginal. Polus, *De refor. Angliæ*, dec. 11.)—Hi quatuor delecti habent titulum scrutatorum secretorum.

9° Ex Giuseppe Crispino, *Trattato della visita pastorale* sequentia: « In visitatione secum defert episcopus: 1° librum *Pastorale* in quo describuntur status cleri civitatis et diœcesis, et in quaque pagina unus clericus cum nota suæ vitæ, ætatis, gradus, indolis, morum, doctrinæ, etc.; 2° tot quinterna, quot sunt loca visitanda, ad statum uniuscujusque Ecclesiæ describendum.

«Episcopo ad visitationem advenienti, obviam ordine prodeant clerus et populus, ac statis hymnorum, psalmorumque precibus, et cum gaudio, timore, summaque reverentia illum, tanquam vicem Christi agentem, excipiant.» (*Concil. Rothomag.*)

Unusquisque parochus faciat animarum status ad exhibendum episcopo; talis status fiet per familias, cum distinctione regionis et viarum habitationis eorum. In unaquaque pagina relinquuntur margines magnæ ad notandum uniuscujusque ætatem, primam communionem et confirmationem, etc. Sacrista debet præparare omnia aut consecranda, aut benedicenda ab episcopo.

10° In ingressu visitationis, fiet super eam sermo ab episcopo; episcopus visitabit SS. Sacramentum; audiet et videbit, per se aut convisitatores, missas omnium sacerdotum sæcularium, et defectus notabit; sacramentum confirmationis administrabit, interveniet, saltem una vice, ad doctrinam Christianam; communicabit omnem populum propria manu; visitabit monasteria monialium; faciet collationem casuum, post quam aliqua monita notabilia confessoribus dabit. Remedia procurabit omnibus scandalis, de quibus monitus fuerit. Omnes clericos personaliter visitabit, etc., etc. De ingressu et receptione episcopi visitantis, vide in *Pontificali* et *Cæremoniali episcoporum*.

In ecclesia dat benedictionem, de causa visitationis sermonem facit ad clerum et populum; deinde fit confessio generalis, et episcopus indulgentias publicare facit, dat absolutionem generalem, et defunctorum absolutionem perficit. Sequitur in *Pontificali* quomodo facienda sit visitatio. Huc usque Cri-

spinus. Nunc ex Ferraris *Bibliotheca*, verb. *Visitare*, etc., perutilia quæ de Monacelli formul. sunt excerpta, transcribimus. Sequens catalogus singularium regionum diœcesibus aptandus est; seu potius a singulis episcopis ad instar sequentis alius concinnandus est.

Advertenda in visitatione.

Cancellarius. — An scripturæ tam actorum civilium, quam criminalium integre, et distincte in locis, ac armariis aptis fideliter retineantur.

An retineatur liber bene compactus, in quo registrentur nomina et cognomina illorum, qui professionem fidei ad formam constitutionis Pii IV, 89, emiserunt, et an in dicto actu adhibeantur testes cum expressione diei et anni prout adhibendi sunt.

An retineatur liber pariter bene compactus, in quo adnotentur, et registrentur supplices libelli, decreta et rescripta gratiosa, provisiones, et permissiones episcopales, in quibus non conficiuntur processus.

An retineatur liber bene compactus, et cartulatus in quo adnotantur ea omnia, quæ pertinent ad moniales.

An retineatur liber in quo adnotentur ordinationes, generales et particulares, aliæve episcopi pontificiales functiones.

An acta ordinandorum distincte, ac ordinate serventur et custodientur.

An adsit inventarium omnium scripturarum, et processuum.

An supradicti libri retinendi habeant in frontispicio seu titulo subscriptionem, et approbationem episcopi, vel vicarii generalis, et cancellarii illius temporis, quo fuerunt compacti, et a principio inscripti; prout illam continere deberent, ut illis major fides præstari possit.

Capitulum et canonici. — An officium divinum, missæ, et horæ canonicæ in ecclesia et choro statutis horis recitentur, et cæteræ functiones expleantur.

An cum veste talari, et habitu canonicali, devote, modeste et attente, et cum silentio.

An punctatores fideliter officium exerceant et juramentum præstiterint.

An capitulum determinata die convocetur, et a quo. An resolutiones capitulares fiant per vota secreta, et in libro fideliter registrentur per capituli secretarium.

An officiales capituli singulis annis per vota secreta eligantur, et in fine anni suæ administrationis rationes reddant et de ratione reddita in libris capituli legitime appareat.

An adsit archivium scripturarum in quo inventarium bonorum omnium capituli custodiatur una cum cæteris scripturis ad usum pertinentibus.

An adsint statuta ecclesiæ, seu constitutiones capituli, et an sint ab ordinariis vel a sede apostolica approbatæ.

An adsint distributiones quotidianæ.

An adsint præbendæ theologalis, et pœnitentialis.

An dignitates, et canonici sint ordine distincti.

An adsint mansionarii, et beneficiati, vel capellani servitio chori addicti.

An in choro adsint Psalteria, Antiphonaria, et cæteri libri necessarii.

An adsit tabella horaria.

An celebretur quotidie Missa conventualis pro benefactoribus.

An canonici inserviant per se ipsos, vel per substitutum.

An canonici sint promoti ad ordines sacros eorum præbendis annexos

Parochus. — An retineat quinque libros parochiales bene compactos, videlicet status animarum, baptizatorum, matrimoniorum, confirmationum, defunctorum.

An habeat archivium, in quo scripturas ad Ecclesiam spectantes custodiat sub clavi.

An continuo resideat in parochia, vel potius ab ea discedat absque licentia.

An diebus Dominicis pueros et puellas doceat doctrinam Christianam, et habeat sermonem ad populum, festa et jejunia denuntiet.

An diebus Dominicis et festis de præcepto sacrificium pro populo applicet.

An testamenta parochianorum confecerit, et ubi, et quomodo illa retineat, et an ad cancellariam episcopalem, ut in publicam scripturam releventur, transmiserit.

An retineat coadjutorem.

An admittat exteros et vagos sacerdotes ad sacrum faciendum absque licentia curiæ episcopalis.

An publicet indulgentias absque approbatione episcopi, vel vicarii generalis.

An incidat arbores frugiferas et infrugiferas in bonis Ecclesiæ, aut alia bona ejus-

dem distrahat absque beneplacito apostolico, vel episcopi.

An sacramenta ministret superpelliceo, stola et veste talari indutus, et feriis diebus etiam non vocatus, confessionali de mane insideat.

An domi cohabitet cum mulieribus, et quæ sint.

An habeat sacram Bibliam, aliosque libros pertinentes ad suum officium.

An sacramenta et sacramentalia sub seris et clavibus custodiat.

An visitet infirmos etiam non vocatus, eisque debito tempore sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ et extremæ unctionis ministret.

An in sua ecclesia, de mane, in meridie et sero detur cum campana signum *Salutationis angelicæ*, et prima hora noctis detur signum precum : *De profundis*.

Vicarius foraneus. — An in morte parochorum inventarium rerum ecclesiæ conficiat et scripturas omnes et libros parochiales ab hæredibus defuncti recuperare invigilet, testibus adhibitis.

An dispositiones et legata relicta locorum piorum vicario generali communicet, ut exsecutioni mandentur.

An clericos et sacerdotes scandalosos, vel indevote missam celebrantes episcopo denuntiet.

An parochos et alios curam exercentes desides, et eorum munia negligentes ad episcopum deferat, ut corrigantur.

An peccata publica et scandala, quæ emergunt, pariter episcopo denuntiet.

An exigat pœnas contra facientes opera servilia sine licentia diebus festis.

An concedat licentias alloquendi moniales sine scriptis, et tempore divinorum officiorum.

An concedat licentias parochis et curatis se absentandi a residentia.

An interponat decreta in contractibus minorum et mulierum.

Clericus. — An habeat penes se Testamentum Vetus et Novum Latinum Vulgatæ editionis, *Concilium Tridentinum*, *Catechismum*, *Rituale*, et Summam aliquam theologiæ moralis et librum aliquem spiritualem.

An semper incedat cum veste clericali, rasura et tonsura decenti, missam audiat quotidie, ecclesiæ cui est ascriptus, saltem diebus festis inserviat, doctrinam Christianam doceat, et communionem frequentet et scholam. (Trident., sess. 23, cap. 11, 13 et 14, *De reform.*)

An aleis, aliisque ludis incumbat, aut venationi, spectaculis et choreis intersit, et in profanis comœdiis fiat actor, et an cum mulieribus cohabitet, et quæ sint.

An implicet se negotiis sæcularibus, mercaturam exercendo, prædia, aut vectigalia laicorum conducendo, aut laicis pro factore, seu magistro domus inserviendo.

An habeat superpelliceum et biretum mundum.

Presbyter. — An et quos libros retineat, et studeat.

An, et quibus ludis det operam, aut venationibus.

An quotidie sacrum faciat.

An celebret, recitato matutino cum laudibus, cum paramentis integris et mundis.

An ante celebrationem missæ tabacum sumat, et quoties in hebdomada confiteatur peccata et ante missam præparationem faciat.

An in civitate, et locis populosis celebret cum veste talari.

An quotidie recitet divinum officium statutis horis, et in quo loco.

An habeat superpelliceum et biretum decens proprium.

An interveniat processionibus et aliis functionibus ecclesiasticis publicis locis, in quibus permanet.

An semper incedat cum veste talari in civitate, et locis parvis decenti cum corona et tonsura capillorum.

An intersit, aut ducat choreas, in comœdiis fiat actor, et in comessationibus, et conviviis tempus insumat.

An cohabitet cum mulieribus, et quæ sint.

An implicet se negotiis sæcularibus, mercaturam exercendo, aut vectigalia laicorum conducendo, aut negotia tanquam factor, et minister eorumdem laicorum agendo, vel procuram exercendo.

Si visitator in hac speciali clericorum visitatione adverteret illos veritatem non dicere, posset ab eis exigere juramentum postea quam eos audivit, ut dicit Graff., *Decis. aur.*, part. II, lib. III, cap. 27, n. 6 et 63.

Regulares. — An adsint in numero sufficienti, et habeant qualitates præscriptas a constitutionibus apostolicis.

An servent, et servari faciant ab eorum

famulis dies festos, necnon censuras, et interdicta ab episcopali curia emanata.

An admittant in eorum ecclesiis presbyteros sæculares exteros ad celebrandas missas absque episcopi aut ejus vicarii licentia. (S. congr. Concil. *in Neapolitana* 17 Augusti 1617.)

An publice exponant sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sine licentia ordinarii.

An habeant conservatorem legitime electum ad formam const. Gregorii XV.

An eleemosynas quærant, licet non indigeant.

An incedant per loca sine socio, et vadant de nocte.

An se ingerant in administratione bonorum spectantium ad societates laicorum in eorumdem ecclesiis erectas.

An sacramenta infirmis ministrent, inscio, aut parocho invito.

An celebrent missas horis inconsuetis, vel sermones habeant in ecclesiis sine licentia episcopi, vel miracula prædicent non authentica.

An accedant ad monasteria monialium absque licentia præter formam præscriptam a decretis apostolicis.

Moniales. — An muri clausuræ habeant prospectum activum, vel passivum in domos, vel e domo sæcularium.

An mansiones confessarii monialium exemptarum sint penitus disjunctæ a monasterio.

An moniales scribant epistolas extra clausuram absque licentia abbatissæ.

An moniales utantur fenestrella, ubi audiantur confessiones, ad colloquendum cum exteris.

An adsit in monasterio capsa communis, in qua deponantur omnes pecuniæ provenientes a monialibus particularibus.

An admittantur exteri ad colloquendum cum monialibus absque licentia in scriptis episcopi, vel vicarii generalis.

An introducantur in clausuram catuli, pueri, vel puellæ cujuscunque ætatis.

An recipiantur electæ et deputatæ auscultatrices, rotariæ et ostiariæ.

An retineantur ab abbatissa libri bene compacti et chartulati, in quorum primo describantur dietim data et accepta, introitus, exitus, quo possit legaliter in fine officii rationem reddere episcopo suæ administrationis ; in altero per modum inventarii descripta sint bona stabilia, census et credita monasterii cum indicatione rogituum instrumentorum ; in tertio registrentur resolutiones capituli monialium, acceptationes puellarum ad habitum et professiones cum expressione diei, mensis et anni : quos libros, si inveniat visitator non retineri, omnino provideat.

An in monasterio adsit locus separatus pro educandis et novitiis.

An omnes moniales sumant cibum in refectorio tempore mensæ, ex culina et ærario communi paratum.

An moniales parent cibos exteris, vel dona eisdem mittant, aut recipiant absque licentia et scientia abbatissæ et monasterii.

An admittantur regulares, ad celebrandum sacrificium in ecclesia absque licentia episcopi seu vicarii generalis.

An omnes moniales saltem semel in mense confiteantur et sumant Eucharistiam.

An omnes intersint choro ad recitandum hora debita divinum officium, et orationibus et aliis pietatis exercitiis communibus.

An omnes quotidie audiant sanctum sacrificium Missæ.

Quos libros retineant et legant, et an tempore Missæ fiat lectio alicujus libri spiritualis, et servetur silentium.

Visitet dormitorium seu cellas, et observet, an unaquæque monialis habeat lectum separatum.

An habitus monialium sit uniformis et ad præscriptum regulæ. (Sacra congr. *In Cæsenaten.* 28 Septembris 1692.)

Eremita. — An in ecclesiis civitatis, suburbiorum, vel diœcesis permaneat aliquis eremita absque approbatione episcopi.

An incedat in habitu a constitutionibus apostolicis præscripto.

Hospitalia et montes. — An adsint erectiones, statuta, et an legitima, an honesta et licita.

An infirmis subministrentur corporalia, et spiritualia. Revideantur computa et administrationes.

Confraternitates laicorum. — An sint legitime erectæ auctoritate apostolica, vel ordinaria, et habeant statuta approbata.

An bona et eleemosynas fideliter administrentur, et officiales a plena confratrum congregatione singulo anno eligantur per vota secreta, computa revideantur, et solidentur.

An habeant inventarium omnium et sin-

gulorum bonorum, capellanum et depositarium ab episcopo approbatos.

An retineant libros distinctos, in quorum primo resolutiones societatis legitime congregatæ registrentur; in secundo nomina et cognomina confratrum; in tertio revisiones computorum et sententiæ absolutoriæ, seu condemnatoriæ administratorum et aliorum officialium societatis, necnon decreta visitationum.

An habeant archivium scripturarum.

An sint aggregatæ archiconfraternitatibus urbis, vel habeant alia indulta et privilegia.

An confratres debitores societatis, bona et introitus ejusdem administrent.

An bona stabilia societatis locentur absque prævio edicto, et ultra triennium.

An intersint processionibus publicis.

Seminarium. — An adsint deputati electi ad formam concilii.

An adsint magistri, et quot, et rector.

An alumni sint omnes civitatis, vel diœcesis, et omnes sint clerici et pauperes.

An omnes alumni habeant requisita concilii.

An admissi præstiterint fidejussionem in actis curiæ, impensas victus reddituri quatenus ad statum laicalem redierint.

An redditus fideliter administrentur.

An adsint regulæ ab alumnis servandæ.

An alumni interveniant ecclesiæ cathedrali diebus festis ad formam concilii.

An incedant per urbem soli sine veste.

Ecclesia. — An ædificentur ecclesiæ, capellæ, oratoria publica absque licentia episcopi, et dote, et quæ jam ædificatæ fuere, sint collapsæ, et indigeant reparatione. (Can. *Nemo ecclesiam;* can. *Nullus presbyter*, dist. 1 *De consecrat.*)

An altaria habeant in medio saltem lapidem sacrum debitæ latitudinis coopertum tela cerata, gradum ligneum, vel lapideum cum duobus candelabris, et cruce cum imagine Crucifixi. (Can. *Si motum*, dist. 1 *De consecrat.*)

An dicta altaria habeant icones integras decenter depictas cum imaginibus sacris ab episcopo benedictis.

An sint mensæ eorumdem altarium tectæ cum tribus mappis albis et mundis, quarum superior ab utroque latere usque ad suppedaneum descendat.

An habeant suppedanea lignea cum repagulo, pulvinaribus, vel legili, et tabellas sacri convivii, *lavabo*, et *In principio*.

An altaria sint proportionatæ altitudinis, latitudinis et longitudinis, muro undique pleno, et incrustato, ac signo crucis in facie munita cum pallio.

An muri, tectum, pavimentum, valvæ, campanæ et campanile indigeant reparatione.

An in sacrario adsint supellectilia omnium colorum integra et munda; an armaria, in quibus custodiantur; an calices et patenæ deauratæ; an corporalia, pallæ, purificatoria, manutergia, bursæ, bireta, vela, missalia, omniaque decentia et expolita. (Can. *In sancta*, et can. *Vestimenta. De consecrat.*, dist. 1.)

An adsint sedilia, vel scamna, quæ sacerdotes celebrantes aut functiones ecclesiasticas perturbent et impediant.

An aqua lustralis sit in vase expolito, et renoventur singulo octavo die.

An adsit inventarium bonorum, et sacrarum supellectilium.

An pro sacrificio Missæ pelviculæ mundæ, ampullæ, campanulæ, manutergia, hostiæ albæ et instrumenta pro illis, necnon particulis retundendis.

An sit libera, vel patronata.

An habeat portam habentem aditum immediatum in domum laicorum, quæ debet claudi, si inveniatur habere.

An campana, seu campanæ sint ab episcopo benedictæ.

Funus. — An in funeribus adsint abusus, puta quod cadavera associentur sine cruce, sine lumine et sine parocho, vel cum ululatu consanguineorum; mulieres evellant sibi crines, aut aliquid agant gentilium more.

An cadavera defunctorum processionaliter ad ecclesiam ferantur ante ortum, vel post occasum solis absque licentia.

An tradantur sepulturæ ante lapsum temporis viginti ad minus horarum, postquam animam a corpore exhalasse pro certo habeatur; eos vero, qui repentina morte, ante lapsum viginti quatuor horarum.

An parochus aliive sepulturam denegent aut differant prætextu non solutæ eleemosynæ, et an pauperes gratis sepeliantur. *Ritual. Rom.* De exseq.)

An in Ecclesia parochiali adsit sepulchrum separatum pro parvulis decedentibus cum baptismo ante septennium, prout construi debet.

An in Ecclesia cathedrali adsit sepulcrum separatum pro canonicis, et aliud pro clericis.

An cadavera infantium decedentium sine baptismo sepeliantur prope ecclesiam in loco non sacro ad id constituto.

An cœmeteria, quæ religiosa loca sunt, undique muro sint circumdata et in medio signum crucis elevetur.

An sepulturæ constructæ et effossæ reperiantur subtus altaria, vel prope et illarum ora suppedanea pertingant : hæ etenim obstruendæ omnino sunt, alias altaria interdicantur.

An in ecclesiis monialium sine licentia sacræ congregationis tumulentur cadavera laicorum, sive marium sive mulierum. Si hoc enim fieret, interdicatur, dummodo non sint patroni ecclesiæ, qui in fundatione hoc jus sibi et hæredibus reservassent, vel cum licentia sacræ congregationis, et monialium sepulcrum ab antiquo tempore haberent constructum.

An parochus præter quartam pro cadaveribus extra parochiam tumulandis aliquid aliud exigat ab hæredibus defuncti. Id enim vetitum est, non obstante contraria consuetudine. (Sacra congr. Episc. *In civitatis vetulæ* 2 Junii 1690 ; et sacra congr. Concil. *In Mantuana* Januarii et 3 Aprilis 1694.)

Hortentur sacerdotes, ut sibi ipsis decedentibus suffragiorum vicem retribuant.

Reliquiæ. — An decenter custodiantur in thecis saltem ex ligno deaurato et cristallo, seu vitro integro contectis, cum suis inscriptionibus.

An retineantur in armario ornato loco fixo sub sera et clavi cum epigraphe : ***Reliquiæ sanctorum.***

An adsit catalogus omnium reliquiarum, et an sint authenticæ, vel ignotæ, aut dubiæ fidei.

An asportentur ad infirmos. Si enim hoc fieret, prohibeatur.

An in illarum publica expositione accendantur lumina, et si subtus altaria sint deposita corpora integra sanctorum, an retineatur lampas accensa.

Indulgentiæ. — An publicentur absque licentia et approbatione episcopi.

An adsint brevia et concessiones authenticæ.

An fiant mercimonia et quæstus prætextu et occasione indulgentiarum.

Imagines sacræ. — An imagines sanctorum exponantur in ecclesiis adorandæ priusquam ad episcopo fuerint benedictæ et approbatæ.

An imagines sacræ sint depictæ in locis sordidis, aut locis irreverentiæ obnoxiis, an deformatæ et deturpatæ. Inde enim tollendæ sunt, vel restaurandæ, et, si fieri nequit, dealbandæ. (Leg. *Unica*, cod. *Nemin. lic. lign. Salvator.*, etc., sac. congr. Episc., *in Veneta* 22 Maii 1696.)

Signum crucis si in pavimento sculptum inveniatur, inde tollatur, ne pedibus conculcetur. (Lib. 1, c. *Nemin. lic. lign. Salvator.*, etc.)

An imagines Jesu Christi, beatæ Mariæ Virginis, apostolorum, ac evangelistarum reperiantur depictæ, cum habitu, vel forma ab ecclesia non usitata, vel cum habitu regularium. Si enim taliter depictæ inveniantur etiam in ecclesiis exemptis, debent deleri et reformari. (Urban. VIII, in *Appendic.* 2, const. 51.)

Baptismus. — An fons sit lapideus, vel ex alia materia solida cum cooperculo ex metallo sine rimulis, propeque adsit sacrarium.

An fonti affixum sit tabernaculum, seu, ut appellant, ciborium saltem ligneum decore fabrefactum, in quo sit contignatio, ubi vascula argentea, seu stannea oleorum chrismatis, et catechumenorum reponantur cum suis inscriptionibus.

An ibi retineatur coclear argenteum, seu saltem stanneum ad fundendam aquam in caput baptizandi, vas cum sale benedicto, et linteamina munda.

An ciborium decenti conopeo vestiatur, ne sordes superne decidant, et illud commaculent, et firmissima sera claudatur. An obstetrices sint examinatæ et approbatæ.

An admittantur patrini minores 14 annis, et matrinæ minores 12, et an regulares, vel clerici in sacris constituti sine licentia. (*Act. Eccl. Mediol.*, part. 1; *synod. diœc.* III, decret. 17.)

An baptismus infantium protrahatur, et differatur ultra tres dies, et nomina ethnicorum imponantur. (Clement. unic. *De baptism.*)

An baptizati eodem die a parocho, vel alio, qui de ejus licentia, aut episcopi sacramentum ministravit, describantur in libro baptizatorum.

An hoc sacramentum extra casum necessitatis conferatur domi.

Confirmatio. — An in officio patrini admittantur non confirmati, vel ignorantes rudimenta fidei, an regulares, an in ordinibus sacris constituti.

An admittantur ad recipiendum hoc sacramentum minores septennio, qui non fuerunt instructi, ac adulti non confessi.

An qui fuerunt patrini in baptismo, admittantur, et fiant patrini ejusdem pueri in sacramento confirmationis.

An pueri vel puellæ ducantur ad recipiendum hoc sacramentum extra diœcesim.

Eucharistia. — An retineatur in tabernaculo affabre facto, et extra majori ex parte deaurato, et interius undequaque serico panno decentis coloris vestito; in pyxide argentea orbiculata et auro intus illita, cum suo cooperculo, et conopeo super corporali mundo.

An ostiolum tabernaculi sit firmissima sera et clavi argentea, aut deaurata clausum, quam parochus apud se diligenti custodia retineat.

An tabernaculum sit tectum decenti conopeo, et de illis provisum omnium colorum.

An particulæ consecratæ hieme saltem quindecim, æstate octo diebus renoventur.

An ante altare tabernaculi diu noctuque colluceat saltem una expolita lampas.

An in tabernaculo præter pyxidem, aliquid aliud quantumvis sacrum asservetur. Quod si fiat, removeatur. (Cap. *Reliqui*, *De custod. Euch.*)

An delatio Eucharistiæ ad infirmos fiat cum debita associatione luminum cum baldachino, seu umbella in locis parvis, pluviali, in civitate et oppidis nota dignis. An mulieres accedant modeste ad sumendam sacram Eucharistiam, vel potius irreverenter, mammis et brachiis denudatis.

An non communicantes in Paschate moniti fuerint, et illorum nomina transmissa ad curiam episcopalem.

An, et quoties in anno fiant processiones cum delatione Eucharistiæ et expositione publica.

Pœnitentia. — An hoc sacramentum ministretur in ecclesia in sede confessionali cum superpelliceo et stola.

An sedes confessionales habeant crates saltem ligneas, seu potius laminas ferreas, crebris foraminibus terebratas, ac bene undequaque hærentes, cum asserculo versatili, cujus objectu facies sacerdotis populo occultetur, nec non piam aliquam imaginem ex parte pœnitentis, et an sint in loco visibili.

An confessarii audiant confessiones extra sedem confessionalem, præsertim mulierum et puerorum e conspectu nulla interposita crate. Nam si talis abusus inveniretur, pœna suspensionis ab audiendis confessionibus esset puniendus.

An in sede confessionali sit affixa tabella casuum reservatorum, et summariorum bullæ in *Cœna Domini*.

An admittantur confessarii tam sæculares quam regulares exteri, et de aliena diœcesi ad audiendas confessiones sine episcopi licentia.

Oleum infirmorum. — An retineatur in ecclesia in fenestrella a cornu Evangelii altaris majoris, intus panno serico obducta in vasculo argenteo, seu saltem stanneo, atque id in ampliori capsula lignea undequaque gossipio circumposito cum sera et clavi, inscripto supra ostiolum : *Oleum infirmorum.*

An parochus illud deferens ad infirmos sit indutus superpelliceo et stola; an in serica bursa violacei coloris inclusum et cordulis item sericis collo appensa reverenter ferat.

An conferatur pueris usum rationis et malitiam peccandi non habentibus, furiosis lucido intervallo carentibus, et impœnitenter decedentibus. (Cap. *Erga eum*, causa 26, quæst. 7.)

Matrimonium. — An parochi matrimonia denuntient, antequam semotis arbitris consensum mutuum contrahere volentium receperint.

An parochi antequam matrimonia denuntient, recognoscant, an contrahere volentes sint legitimæ ætatis, confirmati, in mysteriis fidei edocti, an consanguinei.

An sponsi, antequam matrimonium contrahant, invicem conversentur absque interventu parentum et consanguineorum.

An parochus saltem bis in anno in missis parochialibus populo impedimenta matrimonii denuntiet.

An parochi exteros, vel eos qui a diœcesi diu fuerunt absentes, absque licentia episcopi in matrimonio conjungant.

An parochi dispensent unam vel alteram ex denuntiationibus faciendis, auctoritate

propria absque permissione episcopi vel vicarii generalis.

An denuntiationes fiant semper diebus festis de præcepto interpolatis.

An parochus vel alter, qui, de ejus licentia vel episcopi, contrahentes matrimonio conjunxit, matrimonium describat in libro eadem die, vel differat descriptionem.

An matrimonia contrahantur semper in ecclesia, vel aliquando domi sine licentia episcopi vel vicarii generalis.

An temporibus ab ecclesia prohibitis absque episcopi licentia.

Missæ sacrificium. — An ad sacrum faciendum admittantur exteri absque litteris dimissoriis, seu commendatitiis recognitis, et approbatis ab episcopo vel ejus delegato.

An adsint in loco sacerdotes, qui indevote, propere et irreverenter sacrificium celebrent.

An sacrista, seu rector ecclesiæ permittat et admittat ad celebrandum presbyteros, qui coronam et vestem clericalem decentem, et ab edictis seu constitutionibus synodalibus præscriptam non deferant.

An in missis votivis fiant quæstus, et an sacerdos novellus admittat laicos ad altare ad osculum manus: nam si iste abusus inveniatur, tolli debet, cum pacis instrumentum, seu crucem ad osculum exhibere debeat, et non manus, et oblationes, si quæ offerri contingat, hoc fiat in medio altaris, sacerdote populo obverso. (Sacra congr. Concil. apud Zerol. in *Praxi*, verb. *Missa*.)

An in celebratione missarum sacerdotes utantur calicibus et patenis desauratis, planetis attritis et corrosis, albis et amictis immundis, cingulis fractis, corporalibus commaculatis, ac missalibus laceratis, vino acido vel mucido, et an parati sint urceoli mundi cum pelvicula saltem testacea.

An tabella onerum missarum in qualibet ecclesia in sacristia appensa in loco patenti retineatur.

An in eadem sacristia retineantur libri, non folia, quæ vento rapiuntur, in quibus eadem die, qua celebratæ fuerunt, per eosdem sacerdotes adnotentur missæ celebratæ; et an servetur silentium, vel potius indecentia committatur.

Mandet quod sacerdotes exteri, ut vagi, qui cogniti non sunt, quoties cum licentia episcopi vel vicarii admissi fuerint ad sacrum faciendum, in libro scribant se tali die celebrasse, ad hoc, ut si forte falsos et fictos sacerdotes esse compertum fuerit, constare possit de corpore delicti per propriam confessionem.

Qui sint ministri et quæ personæ admittantur ad inserviendum missis.

An celebrentur missæ de mane ante auroram vel post meridiem.

Legata pia. — An in loco visitato præter onera, et legata missarum adsint alia legata pia adimplenda.

An de illis habeatur et retineatur nota in cancellaria episcopali ac in libris ecclesiæ, seu alterius loci pii visitati.

Doctrina Christiana. — An in cathedrali aliisve ecclesiis parochialibus reperiantur erectæ sodalitates doctrinæ Christianæ.

An adsint peccatores publici, puta concubinarii, sortilegi, usurarii, blasphemi, lamiæ, conjuges separati absque judicio Ecclesiæ, retinentes et legentes libros prohibitos absque licentia, evulgantes erroneas et falsas propositiones ac damnatas ab Ecclesia doctrinas.

Confessarii tam sæculares, quam regulares absolventes a reservatis absque episcopi expressa facultate, hæretici, aut de hæresi suspecti.

An in ecclesiis parochialibus, et aliis, in quibus sodalitates sunt erectæ, edoceantur pueri, et puellæ in his, quæ pertinent ad mysteria fidei et bonos mores.

Hæc, inquam, regulariter et substantialiter advertenda erunt in visitatione, quæ omitti non debent. Cæterum juxta locorum et ecclesiarum qualitatem, et exigentiam arbitrio prudentis visitatoris, etiam alia plura erunt consideranda et providenda : quæ videri ad saturitatem possunt apud Fusch., Restam, Crispinum et alios, qui de visitatione absolutos tractatus ediderunt.

11° Potest episcopus visitans generalem inquisitionem de delictis facere, non tantum paterne, sed etiam judicialiter. — Nequit tamen in visitatione specialem inquisitionem facere contra aliquem, nisi hujus delictum delatum ei fuerit, vel per famam publicam, vel per denuntiationem ipsi tanquam judici factam.)

Episcopus inquisitionem generalem faciens, sive paterne, sive judicialiter eam faciat, nequit exigere ut sibi manifestentur delicta occulta. — Nequit episcopus visi-

tans sub pœna excommunicationis exigere, utsubditi ei revelent quæ noverint. (Ex sac. cong. FERRAR., verb. *Visitare*, n. 82.) — Quando episcopus visitans procedit contra aliquem ad ipsius correctionem, seu pro emendandis ejus moribus, non potest recusari ut suspectus; neque potest suspendi exsecutio episcopalis sententiæ per ullam appellationem, ullumve recursum, etiam ad sedem apostolicam. (Constat cap. 10, sess. 24 *Trident.* et decisionibus sacr. congregationis Concil. apud FAGNAN. et FERRAR. verb. *Visitare*, n. 97.) Sed si non datur appellatio suspensiva exsecutionis, datur tamen appellatio quoad effectum devolutivum. (Argum. ex cap. 1, sess. 22, et cap. 10 sess. 24 *Trident.* et decisionibus sac. congr. Conc., prout refert Leurenius, *Forum eccles.* in tit. XXVIII, lib. II *Decret.* quæst. 1087.)

Quando episcopus in visitatione procedit contra aliquem, formando processum in scriptis, et non ad simplicem delinquentis emendationem, sed ipsi applicando pœnam ordinariam, potest recusari ut suspectus, et ab ipsius sententia definitiva appellari potest ad metropolitanum etiam cum effectu suspensivo. (Argum. ex cap. 10 sess. 24 *Trident.* et resolutione sacræ congregationis Conc., apud FERRARIS, verb. *Visitare*, n. 97.) In qua addita est limitatio hæc : *Dummodo (episcopus visitans) sine strepitu et figura judicii procedens, pœnas non imponat delictorum ordinarias, sed eas tantum quæ morum correctionem respiciunt, et modum corrigendi non excedat.* — Ergo si episcopus in visitatione pronuntiet pœnam depositionis seu privationis, vel perpetuæ suspensionis, non censendus erit egisse *per modum visitationis*, et dabitur appellatio cum effectu etiam suspensivo, et poterit recusari ut suspectus. Quia nempe talis pœna non est ad simplicem correctionem seu emendationem.

De variis decretis in visitatione. — « Præcipua vis et efficacia visitationis ab iis sane decretis pendet, quibus visitator (adepta jam, per locorum inspectionem et personarum interrogationem, abusuum et negligentiarum plena cognitione), suum cuique malo remedium admovet, et ad firmandam augendamque jam exsistentem morum integritatem ac Christianæ vitæ studium opportuna præscribit adhibenda remedia. Hinc solent episcopi, antequam uniuscujusque loci visitationem absolvant, ejusmodi varia decreta edere, ac etiam scripta relinquere.» (in Regestis parochiarum seu ecclesiarum.)

« Porro in eis edendis, varia episcopus, habita personarum et circumstantiarum ratione, methodo utitur. Nam quædam verbo duntaxat, alia vero scriptis etiam decernit ac præcipit. Item alia secreto, alia publice. Si agatur, verbi gratia, de infligenda correctione alicui parocho, raro expediet ut fiat publice, ne illius parochi auctoritas apud parochianos vilescat. Et idem dicendum de superiorissa monialium relative ad ipsius conventum. Insuper alia sunt quæ post visitationem exsequenda, infra determinatum temporis spatium, decernit, alia vero quæ decernit simul et exsequitur. Si reperiat, verbi gratia, episcopus nimium detrita corporalia, vel purificatoria, et alia hujusmodi, non solum decernit ea non esse in posterum adhibenda, sed statim ea lacerari jubet. Quæ autem statim exsecutionem habere possunt, haud expedit ad aliud tempus exsequenda decerni. » (Apud BOUIX, *De episcopo*, tom. II, p. 32 ad 37.)

12° Omnia vero, quæ visitator ordinaverit, decreverit et adnotanda esse censuerit, per secretarium, sive notarium visitationis fideliter et integre in libro referenda erunt ; quia libri hujusmodi plene probant, ut dixit Rota in plurib. decis. » L. Ferraris, v. *Visitare, visitatio.*

« Etsi autem variis modis ejusmodi scripturæ recte confici ac disponi valeant, abs re non erit aliquem determinatum ordinem hic indigitare, quem possint visitationum cancellarii, sin minus adamussim sequi, saltem pro directione quadam præ oculis habere.

1° « Scribat celeriter notarius in foliis, nihil omittendo, præsertim decretorum, quæ cursim quandoque fiunt a visitatore. Quæ folia pro ejus memoria tantum erunt.

2° « Accurate postea referat in volumen bene compactum, quod inscribi poterit *liber visitationis.*

3° « Librum dividat in duas partes, cum his titulis : *Visitatio civitatis, visitatio diœcesis.*

4° « Quamlibet partem subdividere poterit in sectiones, singulis locis visitatis correspondentes ; verbi gratia : *Sectio prima :* Visitatio cathedralis ecclesiæ ejusque cleri ac populi. — *Sectio secunda*, Visitatio paro-

chiæ N... ejusque cleri ac populi. — *Sectio tertia*, Visitatio monasterii N... etc.

5° « Sub qualibet sectione totidem capitibus describet: *Primo*, visitationem localem; *secundo*, visitationem personarum; *tertio* decreta in hujus loci visitatione lata, sive quoad res, sive quoad personas; *quarto*, ea quæ respiciunt administrationem temporalem, de qua reddita est ratio; *quinto*, acta judicialia, si intervenerint. »

6° « Sub capite de visitatione locali describet : quo die, mense et anno visitator accesserit : quibus comitibus : quomodo receptus : quasnam res visitaverit : quæ decreta ore tenus tulerit et statim exsecutioni mandaverit. Adjiciet, alia decreta in scriptis relicta fuisse, quorum tenor infra capite 3 reperietur. Tandem notabit num visitator sacramentum confirmationis ministraverit, orationes ad populum habuerit, vasa sacra consecraverit, et alia hujusmodi. »

« Ex his paucis quæ adnotamus facile poterit notarius quisque cætera apte concinnare. Meminerit autem subscribere, quia ab ejus subscriptione dependet tota vis ejusmodi instrumentorum ad faciendam publicam fidem. » (Bouix, *De episcopo*, tom. II, p. 39.)

Decretorum, quæ in scriptis relinquuntur, intimatio aut etiam publicatio (si quæ publicari jusserit visitator,) fieri potest, vel in ipsa visitatione, vel etiam post visitationem a parocho vel vicario foraneo, quibus etiam mandari potest, ut eorumdem exsecutionem procurent.

13° Visitatio absolvitur per decreta a visitatore lata, et hic transcribimus formularum exemplaria, ex quibus alia confici possunt.

Formula decretorum in fine visitationis locorum.

Nos N. N. ecclesiam S. M. visitantes, mandamus, ut infra. *Quod tabernaculum sanctissimæ Eucharistiæ vestiatur intus serico panno, quod*, etc.

Supradicta fiant intra spatium mensium duorum, vel sex, etc., *sub pœna*, etc.

Ita pronuntiamus, et declaramus nos N. N. data die, etc. *gratis; etiam quoad scripturam. N. Notarius.*

Formula decretorum in fine visitationis personarum.

Nos N. N. visitato clero loci N. decernimus, ut infra.

Quod N. N. ob ejus notabilem ignorantiam abstineat ab altaris sacrificio, donec instruatur.

Quod N. N., qui duo habet beneficia sub eodem tecto in Ecclesia S. N. infra duos menses peremptorie, a die publicationis hujus decreti, debeat obtinuisse dispensationem a sancta sede apostolica, et præsentasse in curia episcopali; alias, elapso dicto termino, possunt dicta beneficia aliis conferri. Et sic de aliis.

Subscribat visitator, et notarius, qui, adhibitis duobus testibus, unicuique prædictorum ad se vocato evulget, vel si sit absens, ad valvas ecclesiæ affigat.

Idem fiat cum debitoribus locorum piorum, et administratoribus non absolutis. (Ex Crispino, *Della visita pastorale;* ubi aliæ formulæ reperiuntur.

14° Post cleri visitationem, episcopus aut visitator adimplet visitationem plebis, ad corrigenda et extirpanda vitia.

Tandem decreta publicat, particularem instructionem clero, publicam populo distribuit juxta eorum necessitates; tandem benedicit et proficiscitur ad alium locum visitandum.

15° Quando visitator non est ipse episcopus, sed presbyter ab ipso deputatus : 1. Dantur ab episcopo patentes litteræ, quibus eum in visitatorem deputet. Formula hujus deputationis reperitur in Gavanto, *Manuale episc. Praxis visitationis;* apud *Monacelli*, et Bouix, *De episcopo*, tom. II, p. 43.

2. In unoquoque loco visitando, antequam visitatio inchoetur, publice legendæ sunt dictæ patentes litteræ.

3. Dictus visitator omittere debet quæ spectant ad pontificalem dignitatem, cum illa careat.

4. Stola supra cottam indutus facit absolutionem defunctorum, visitat sanctissimam Eucharistiam, olea sacra, reliquias et baptisterium.

5. Cætera eodem modo fiunt ac si visitaret episcopus (Bouix *De episcopo*, tom. II, p. 43.)

V. *De synodo diœcesana :* 1° Non est ordinarie convocanda synodus, nisi prius expleta fuerit visitatio generalis diœcesis; ipsa enim prævia visitatio videtur necessaria, ut opportuna remedia malis et pravis consuetudinibus, ac corruptelis, quæ in diœcesi sunt, possint applicari. (Crispin. *Della visit. past.* p. 3, et alii passim.) — Debet autem synodus fieri ante visitationem, quando habita non fuit a multo tempore. (S. congr.

Episc. 24 Octobr. 1586, apud NICOL. *in Flosculis*, verb. *Synodus*, n 2.)

Synodus diœcesana est celebranda singulis annis ab unoquoque episcopo in sua diœcesi, ex præcepto sacrosancti concilii Tridentini (Sess. 24 *De reform.* c. 2), ibi : *Synodi quoque diœcesanæ quotannis celebrentur.* (BENEDICT. XIV t. I, constit. 32, *Singularis;* et *De synodo diœces.* lib. I, cap. 2.) Hinc ad synodorum et conciliorum celebrationem pro injuncta sibi omnium ecclesiarum sollicitudine, archiepiscopos et episcopos jugiter hortatur, obstestaturque pontifex, ut sublatis quibusvis impedimentis sicubi omissa sit, quam primum haberi curent. (Idem Const. 28 *Quamvis paternæ vigilantiæ.*) Non esse autem omnino et absolute necessariam synodorum celebrationem tradit idem cit. n. 5. cum episcopis, qui ob aliquod impedimentum suas synodos cogere juxta Tridentini decretum nequeunt, alii suppetant modi diœceses administrandi, et synodi defectus supplendi, iterum, iterumque tamen synodorum celebrationem commendans, et inculcans.

Episcopus non celebrans singulis annis synodum diœcesanam incurrit pœnas a jure statutas, concil. Trident. sess. 24 *De reform.*, c. 2, ubi contra contumaces huic decreto parere recusantes, pœnas a sacris canonibus sancitas renovat, iterumque infligit : *Quod si in his tam metropolitani, quam episcopi, et alii suprascripti negligentes fuerint, pœnas a sacris canonibus sancitas incurrant.* Benedict. XIV, const. ibid., n. 4 et 5, acriter improbat sententiam doctorum asserentium contrarium, reprehendendo illos episcopos, qui ex sola socordia et negligentia synodum celebrare prætermittunt, eosque insuper magis redarguendo, qui cum plures annos diœcesim gubernaverint, nec de cogenda quidem synodo unquam cogitarunt. Hi enim, sequitur ipse, cæterique, qui ex mera incuria, et inertia præfato Trident. præcepto non parent, et sine ulla causa synodum celebrare omittunt, meminisse deberent, se præter reatum inobedientiæ pœnam incurrere suspensionis ab officio statutam in cap. *Sicut olim, De accusat.* « Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, a sui exsecutione officii suspendatur. » Licet pœna hujusmodi, ut ipsa indicat vox *Suspendatur*, non sit latæ, sed ferendæ sententiæ, ut ibidem adnotarunt doctores. Et hanc pœnam etiam declaravit sacra congr. Concil, 26 Junii 1621 ; 21 Mart. 1590 et sic communiter doctores.

2° Episcopus justo aliquo impedimento detentus potest synodum congregare per alium. Sic decisum fuisse a sacra congr. Concilii referunt Ugolinus *De offic. episc.* c. 48, n. 3, et alii. Episcopus legitime impeditus potest celebrari facere synodum diœcesanam in suo episcopatu per procuratorem aut vicarium generalem, cum sufficienti mandato, cum hic concilium loquatur impersonaliter. (*Adnot. ad Trident.*) Unde nihil excusat episcopum ab annua celebratione synodi; quia, impeditus, eam celebrare potest per alium. Vicarius capitularis, sede vacante, potest, imo debet synodum congregare; in illum enim transfertur jurisdictio episcopalis. (Sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. referunt GARCIAS et alii, apud FERRARIS, *Bibliothec.* verb. *Concilium*, art. 3, n. 11.)

3° Episcopus in convocatione synodi non tenetur consilium capituli requirere, nec in aliis actionibus præparatoriis; id enim sola sua auctoritate facere potest. (Sic declaravit sacra congreg. Concil. in *Oriolen.* 22 Martii 1631, apud BARBOSAM, etc.) Alii tamen, et apud ipsos Rota, dicunt quod episcopus, antequam indicet synodum, teneatur requirere saltem consilium capituli juxta regulam cap. *Quanto, De his quæ fiunt a prælat. sine consensu capituli.* apud FERRARIS, *ibid.* n. 18.)

4° Episcopus debet in publicatione decretorum synodi, sub pœna nullitatis, capituli consilium exquirere, licet sequi non teneatur; episcopus enim prudens, antequam decreta synodi promulget, debet prius in privatis congressibus a viris doctrina, prudentia et pietate præstantibus, et deinde ex obligatione a capitulo collegialiter coadunato consilium exquirere : licet solus potestatem legislativam statuendi habeat, et consilium sequi non teneatur. Unde valde expedit quod dicta requisitio facta capitulo congregato registretur in actibus synodi, ut sic evitentur omnes recursus, qui non semel in sacr. congr. audiuntur adversus hunc defectum. (S. congr. Concil. 26 Nov. 1689, et pluries, signanter 10 Maii 1666 ; 17 Febr. 1680 apud Ferraris, *Biblioth.* verb. *Concilium episcopal.* n. 19-21.)

5° Si autem canonici et dignitates nollent coram episcopo die ipsis indicta congregari, tunc sufficeret requisitio facta per edictum

affixum in loco capituli, seu ad valvas sacristiæ, aut ecclesiæ cathedralis, protestando in eodem edicto, quod sic habeantur pro requisitis, et ad celebrationem synodi velle procedere, quod in tali casu sufficiet ad ejus validitatem, prout declaravit sacr. congr. Conc. *in Astunen.* synodi 15 Decemb. 1696.

« Et in casu quo totum capitulum congregatum, seu aliqua ejus pars contradiceret desiderio aut propositioni episcopi, et protestaretur, et appellationem interponeret, posset episcopus, his protestationibus, et appellationibus non obstantibus, suam synodum libere celebrare, cum synodi celebratio impediri, vel retardari nequaquam possit, etiam prætextu cujuscunque appellationis, ut expresse sacr. congr. Concil. *in Oriolen.* 27 Mart. 1632; apud Barbos. in *Summa apostolicar. decis.*, verb. *Synodus* n. 8. Quia episcopus tenetur solummodo capituli consilium petere, non tamen sequi, ut declaravit sacra congr. Concil. *in Oriolen.* apud Barbosam, loc. cit. n. 7, et pluries.

II. *De vocandis ad synodum.* — 1° Capitulum cathedralis debet necessario expresse in specie, et nominatim ad synodum invitari juxta dispositionem textus in cap. ult. *De his quæ fiunt a prælat. sine consensu capituli* et juxta doctores. — Si autem canonici, et capitulum synodo interesse recusent, cogi possunt ab episcopo etiam per censuras ecclesiasticas. (Sacr. congr. conc. *in Oriolen.* 27 Mart. 1632, apud Barbosam.)

2° Ad synodum accedere tenentur, et admitti debent solum curati omnes, sive sæculares, sive regulares et beneficiati, nisi esset consuetudo quod interveniret totus clerus. (S. congr. Episc. 31 Maii 1589; 13 August. 1650; 17 Jan. 1654.) In casu autem, quo in synodo agendum sit de reformatione morum, vel de alia re, quæ clerum universum tangat, omnes presbyteri, et clerici interesse debent, ut declaravit sacr. congr. Concil. 12 Aug. 1650. Tunc tamen si episcopus acturus sit super aliquo ex præmissis, debet facere mentionem verbis specificis in edicto convocationis. S. Congr. conc. 7 Jan. 1654.)

3° Ex dictis videtur quod in Gallia omnes curati, rectores (*desservants*), eleemosynarii curam animarum habentes, ad synodum accedere teneantur; alii vero clerici solummodo in casu supradicto. Episcopus tamen non tenetur eos nominatim convocare; sed sufficit convocatio generalis eorum omnium qui jure tenentur accedere. Unde nova Galliarum praxis vocandi omnes curatos (*curés de canton*) et aliquos tantum deservitores (*desservants*) et nullos unquam vicarios, non videtur secundum recta juris præscripta. Attamen ob parochiarum necessitates, probanda videretur praxis vocandi omnes sive curatos, sive rectores deservitores vicarios habentes, alios vero vicarios non habentes ad turnum quolibet biennio, et, in casu rerum quæ clerum universum tangant, omnes vicarios et clericos non ad parochias necessarios, seu etiam ad turnum quolibet biennio.

Notandum est episcopum non teneri convocare omnes clericos, sed tantum nominatim capitulum, et generaliter curatos et beneficiatos, nisi agatur de re, quæ tangat omnem clerum. Sed in omnibus casibus potest omnes convocare.

4° Exempti omnes, qui alias cessante exemptione synodo interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, ad synodum accedere tenentur, textu expresso in conc. Trident, sess. 24 *De reform.* c. 2. Item abbates, aliique superiores regulares et prælati inferiores exempti, si per se ipsos curam parochialium exerceant. Secus autem, si ipsam curam per alium ab ipsis eligendum exerceant, quia tunc onus accedendi isti soli incumbit, et non abbati, seu alteri superiori regulari, aut prælato inferiori exempto. (S. congr. Concil. ex multis.) Accedere tamen ad synodum diœcesanam non tenentur abbates regulares nullam animarum curam gerentes; ut ex decretis sacr. congr. Bened. XIV, *De synodo diœc.* lib. III, cap. 2, § 3; et lib. VII, c. 65, § 2.

5° Rectores parochialium nullius diœcesis, etiamsi sint abbates, tenentur accedere ad synodum illius episcopi, qui tanquam vicinior potest eos visitare, ex multis decision. sacr. congr. Conc. apud Ferraris, *Biblioth.* verb. *Concilium episcopale*, n. 35.

6° Abbates regulares, priores, rectores, guardiani aliique superiores parvorum conventuum, qui vigore decreti Innocentii X, *Ut in parvis*, subjiciuntur jurisdictioni ordinarii, tenentur accedere ad synodum, quatenus vocati fuerint ab episcopo tanquam sedis apostolicæ delegato, prout declaravit Alexander VII, suo decreto 30 Martii 1611. Et si non interveniant, potest episcopus suo arbitrio illos mulctare, excepta mulcta pecuniaria. (S. congr. Concil. 16 Jun. 1703.) —

Sub hac tamen obligatione non comprehenduntur conventus qui subduntur capitulis generalibus, ex concil. Trident. sess. 24, c. 2.

7° Episcopus potest juris remediis etiam per censuras ecclesiasticas compellere ad interessendum synodo omnes supradictos obligatos synodo intervenire. (S. congr. Concil. 27 Mart. 1532; 9 Septemb. 1684; 17 Jun. 1703, et sæpe alibi.)

8° Laici, quamvis sit in facultate episcopi eos invitare, non tamen possunt de jure prætendere quod teneatur eos invitare ad synodum; at suffragium non ferunt, nec consuluntur. (Ex multis decr. sacr. congr. Concil. apud Ferraris, loc. cit. n. 26 et 100.) Laici tamen possunt sermoni adesse (*Ibid.*) Sed attendenda declaratio sacr. congregationis Concilii, quam refert Benedictus XIV, *De syn. diœc.* lib. III, cap. 9, n. 8, ad dubium nempe : *An episcopus possit ad synodum vocare laicos, si eorum consilio uti velit;* respondit : *Episcopum non posse.* Nihilominus putat laudatus Benedictus XIV id episcopo licere, *ex aliqua gravi urgentique causa.*

Qui legitimo detinetur impedimento, causam cur non accedit debet episcopo significare, a judicibus ad id deputatis absoluta synodo examinandam. (Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. III, cap. 12, n. 4.)

III. *De synodo coadunata.* — 1° Quoad ordinem sedendi in synodo et cæremonias observandas tum ante, tum coadunata synodo, etc., videre est *Cæremoniale episcoporum,* lib. I, cap. 31, et *Pontificale.* Et quoad modum sese gerendi in synodo et alia in concilio servanda, ea omnia serventur, quæ concilium Tridentinum in sessione secunda salubri decreto statuit. (*Vide* etiam Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. III, cap. 10, 11.)

2° *Habitus episcopi et aliorum.* — « Ante synodum aliquot congregationes pro ejusdem directione fieri solent in ædibus episcopalibus, quibus episcopus præsidet indutus habitu prælatitio, rochetto scilicet et mozetta. Cum ad ecclesiam accedit, synodum incœpturus vel prosecuturus, incedit indutus cappa. Priusquam preces recitet, quæ cujusque sessionis initio dicendæ sunt, præter superpelliceum, amictum et stolam, induit pluviale rubeum. In solemni supplicatione, quæ cum universo clero, in synodi initio et fine, per urbem institui solet, pergit indutus alba, stola, pluviali rubei coloris, mitram pretiosam et pastorale baculum deferens : easdemque vestes in sessionibus synodalibus retinet. » (Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. III, cap. 11, n. 3.)

3° « Vicarius episcopi, si est protonotarius, induat rochettum et mantelletum; si non est, induat habitum quem per urbem defert, non pluviale. Si vicarius est canonicus, ad missam et processionem induitur ut canonicus; ad sessionem synodalem ut vicarius. » (Gavantus, *Praxis synodi diœces.* part. I, cap. 13, n. 11.)

4° « Dignitates et canonici cathedralis servant habitum quem in choro deferre solent, nisi dum episcopus solemniter celebrat. Tunc enim vestes sacras assumunt : omnes scilicet dignitates et canonici induunt pluvialia, si facta non sit præbendarum divisio ad normam decreti Tridentini. (Sess. 24. cap. 12, *De reform.*) Si vero divisio hæc facta sit, dignitates pluvialia induunt : canonici ex ordine sacerdotali, casulas seu planetas : canonici ex ordine diaconali et subdiaconali, dalmaticas. » (*Vide* Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. III, cap. 11, n. 9.)

5° « Coadjutores canonicorum ecclesiæ cathedralis, et canonici ecclesiarum collegiatarum, vestes adhibent, quas in choro ferre consueverunt. Vicarii foranei et archipresbyteri rurales, in aliquibus diœcesibus, aut pluviale aut aliud ornamentum assumunt, quo a cæteris distinguantur : in aliis autem nullum obtinent speciale insigne. Rectores quoque ecclesiarum parochialium alicubi, præter superpelliceum seu cottam, gestant caputium; alibi stolam. Cæteri de clero solum induunt superpelliceum. » (Ita Bened. XIV, loc. cit., qui cum Gavanto adnotat multum in hac re deferri locorum consuetudini.)

IV. *De solitis synodi ministris et officialibus.* — *Cæremoniale episcop.* lib. I, cap. 31, n. 18 : 1° *De promotore.* Promotoris synodi officium est procurare et requirere, ut emittatur professio fidei ab iis qui eam emittere tenentur; ut vocentur nominatim singuli qui interesse debent, et notentur absentes; ut eligantur examinatores et judices synodales; ut publicentur decreta; ut pœnis contra absentes animadvertatur; ut notarius gesta synodi in instrumentum publicum redigat. Aliquando unus, aliquando duo deputantur. Nihil enim est quod hac in re arbitrium episcopi restringat. Procurat autem promotor fieri hæc quæ supra diximus

et alia hujusmodi, postulando ab episcopo ut jubeat idipsum quod postulatur. Instantiæ autem promotoris respondere solet episcopus : *Ita volumus ac decernimus ;* et sic obtinet promotor, ut peragatur quod petiit. Ex quo satis introspici potest quanti momenti sit promotoris synodi munus. Ipsi nempe incumbit præcavere, ne quidquam prætermittatur eorum quæ in synodo peragenda sunt, et procurare ut opportuno tempore singula proponantur.

Promotoris seu promotorum synodi electio et deputatio ad solum episcopum pertinet; quod fit ordinarie in præviis congregationibus, quas episcopus habet cum suis consultoribus.

Asserit Gavantus (*Praxis synod.* part. I, cap. 7) promotores synodi debere esse juris utriusque doctores. Etsi hoc nullo jure præscribatur, inferri debet ex hujusmodi munere et officio, quæ vix adimpleri possunt nisi a doctoribus.

Si duo promotores deputentur, unus urbanus esse debet, foraneus alter. (Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. IV, cap. 1.)

2° *De secretario synodi.* — Ad episcopum pertinet secretarium unum vel duos eligere ac deputare. Ad secretarium spectat curare, ut pridie quam synodus inchoetur futuræ sessionis edictum valvis Ecclesiæ affigatur : vocare nominatim singulos qui adesse tenentur; quod ante primam sessionem fieri debet : decreta legere, post promotoris instantiam : varias schedulas seu tabellas affigere, in quibus describatur ordo processionis, scrutinii, acclamationum, et alia hujusmodi, de quibus omnes præmoneri expedit. Secretarii potissimum et magistri cæremoniarum partes sunt, ut tota synodalis actio debite peragatur. Quapropter secretario suadet Gavantus ut brevem sibi conficiat indicem, in quo totius actionis et peragendorum series describatur.

3° *De notario synodi.* — Ad episcopum pertinet notarium synodi eligere ac deputare; solet autem ad id muneris eligi cancellarius episcopalis. Ad ipsum spectat synodi acta conscribere. Solet autem in fine cujuscumque sessionis promotor notarium rogare, ut gesta in instrumentum publicum redigat. Respondet notarius, se facturum; idque exsequitur adhibitis duobus testibus de clero, quorum nomina in actis sunt scribenda. Ad notarium synodi pariter spectat ut instrumentum publicum conficiat super emissis in synodo professionibus fidei : pro quo expedit ut libro speciali utatur, in quo scribantur omnia hæc authentica de emissis fidei professionibus testimonia. »

4° *De magistris cæremoniarum.* — Expedit ut duo saltem constituantur, quorum alter episcopo inserviat, alter promotoribus et secretario. Uterque autem procuret recte omnia in synodo quoad cæremonialia expediri. Proderit autem ut habeat uterque indicem eorum quæ peragenda sunt, cum supra memorato secretarii indice concordem. Ita suadet Gavantus, *Praxis synodi*, part. I, c. 28.

5° *De judicibus querelarum et excusationum.* — « Ex antiqua disciplina ortum habuit ut episcopus in synodo duos vel tres una cum suo vicario generali, deputet judices qui criminales querelas excipiant et civiles lites audiant, ac summario judicio de utrisque causis sententiam proferant. Ad eosdem judices pertinet quæstiones circa ordinem sedendi seu præcedendi inter congregatos forte excitatas, brevi manu (ut dici solet) ita componere, ut nulli præjudicium inferatur. Ad eos pariter deferendæ sunt excusationes eorum qui ad synodum non accesserunt, finita synodo deinde examinandæ, an scilicet legitimæ fuerint. » (Bened. XIV, *De synod.* lib. IV, cap. 2, n. 3.)

6° *De procuratore cleri.* — « Ut quiete et sine tumultu agantur omnia, solet alicubi deputari ab episcopo procurator cleri, quem adeat clerus, ut ejus nomine cum episcopo communi nomine agat in synodo, si quæ forte decernantur difficiliora... Quæcumque petierit nomine cleri, petat in scriptis, secretario dandis. » (Gavant. loc. cit. cap. 25.)

7° *De præfectis disciplinæ et scrutinii.* — Præfecti disciplinæ vocantur aliquot presbyteri, ad hoc ab episcopo deputati, ut procurent observari varia munia, quæ affigi solent circa modum sese gerendi synodi tempore, verbi gratia, de silentio certis in locis et horis servando, etc. Debent autem si necesse sit, delinquentes commonere, et nisi resipiscant superiori denuntiare. *Præfectorum* autem *scrutinii* officium est ut singulos de clero scrutentur, id est, interrogent, circa ea quæ ad uniuscujusque munia spectant; et ad episcopum quæ notatu digna existimabunt referant. Singulis autem scru-

tinii præfectis, quo citius rem expediant, certa cleri pars scrutanda assignatur. Formulam interrogationum quæ ab ejusmodi scrutinii præfectis utiliter fieri possunt, exhibet Gavantus, loc. cit., part. IV, formula 5.

8° Inter synodi officiales enumerant insuper Gavantus et Benedictus XIV (*De synod.* lib. IV, cap. 1) œconomum pro exigenda cathedratici solutione constitutum; confessarios, concionatores, ostiarios. Ex enumeratis officialibus necessario constituendi videntur promotor, notarius, secretarius et magister cæremoniarum; his enim deficientibus haud posset plerumque synodus recte et decenter celebrari.

V. *De quibus statui possit et debeat in synodo.* — 1° Quod nequit statuere concilium provinciale, a fortiori statui non potest in synodo diœcesana. (*Vide* sup. p. 455 et seqq.; et etiam BENED. XIV, *De synodo diœcesana.*)

2° In synodo diœcesana potest episcopus facere constitutiones, et decreta absque consensu, et approbatione capituli, et cleri. Licet enim teneatur ad id consilium capituli exquirere, non tamen tenetur illud sequi, ut multoties declaravit sacr. congr. Concil.; solus enim episcopus in synodo diœcesana votum decisivum habet; sacr. congr. Concil. 13 Januar. 1504. — Decreta tamen, seu constitutiones synodales, antequam usu recipiantur, debent ostendi capitulo, et aliis interessatis, eisque duorum mensium præfigi terminus, ut si se senserint gravatos, recurrere possint ad ipsum episcopum, vel ad sedem apostolicam. (S. congr. Episc. 4 Decemb. 1592.) Quare melius convenit proponere statuenda clero, eamdemque libertatem plenam loquendi concedere in synodo, quæ secus non esset vera synodus.

3° Non tenetur autem episcopus synodum ostendere civitati vel laicis, antequam imprimatur, vel promulgetur. (Sacr. congr. Episc. 14 April. 1615.)

4° Dum Romæ revidentur decreta synodalia, non convenit quod episcopus procedat ad eorum exsecutionem. (Sacr. congr. Episc. 21 August. 1666.)

Non tenetur tamen episcopus ante synodi publicationem ejus decreta Romam mittere. (Communis.)

5° Ut diximus, certum est posse ab episcopo edi constitutiones in diœcesana synodo, absque consensu capituli; excipiendus est tamen, 1° casus, quo episcopus in hujusmodi constitutione de iis materiis statueret, pro quibus capituli consensus expresse a jure requiritur; 2° casus contrariæ consuetudinis legitime præscriptæ, ut non possent ullæ synodales constitutiones edi absque prævio capituli consensu.

Tenetur autem episcopus capituli consilium exquirere, non vero illud sequi: « Quod si episcopus, inconsulto capitulo, novas constitutiones ediderit, atque in synodo promulgaverit, illæ profecto, utpote deficientes a norma a jure præscripta, firmitate carebunt; quamvis, si justæ et rationabiles deprehendantur, sanari queant a sacra congregatione Concilii. » (BENED. XIV, *De synod.* lib. XIII, cap. 1.) Excipiendus est casus, quo vigeret alicubi consuetudo legitime præscripta, ut episcopus absque ullo capituli consilio synodales constitutiones edere posset. Omnia hujus n. 5° dicta certa sunt ex multis declarationibus sacræ congregationis Concilii relatis a Benedicto XIV, *De synod. diœc.* lib. XIII, cap. 1. Capituli consilium quod de jure requiritur, petendum et dandum est a capitulo congregato, non autem a singulis membris seorsim interrogatis: alias non valeret. (Communis apud FERRARIS, verb. *Synodus diœcesana*, n. 20.)

6° A constitutionibus synodalibus non datur appellatio cum effectu suspensivo, sed tantum cum effectu devolutivo. (BENED. XIV, *De synod. diœc.* lib. XIII, cap. 5, n. 12.)

Statuta synodalia, quæ contra jus commune seu leges Ecclesiæ universales vel etiam contra provincialis synodi decreta disponunt, sunt irrita. Nihil magis vulgatum est, quam quod synodalis constitutio contra jus commune et apostolicas sanctiones nullius sit roboris et firmitatis. (BENED. XIV, *De synod. diœces.* lib. XII, c. 1.)

7° Constitutiones seu ordinationes factæ in synodo diœcesana sunt perpetuæ, et non exspirant morte conditoris; ligantque clericos et laicos episcopo subjectos. (Ita omnes doctores.)

In fine synodi non interrogatur clerus per verba: *Placetne vobis?* (Sacr. congr. Concil. 27 April. 1592.) Ad solum episcopum, alterumve qui ejus loco præsit, constitutiones synodales sua subscriptione firmare pertinet.

Non licet episcopo cogere etiam mulctis singulos presbyteros et clericos ad synodum impressam retinendam. (Sacr. congr.

Concil. 14 Decemb. 1658, et sacr. congr. Episcop. 11 Mart. 1728, etc.)

In diœcesana synodo notificanda sunt recentia decreta summorum pontificum, et sacrarum urbis congregationum, et aliquo modo addenda in Appendice ad synodum. (Item, Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. v, cap. 2, n. 2.) Constituenda sunt, quæ ad vitia coercenda, virtutem promovendam, mores reformandos, disciplinam ecclesiasticam restituendam, vel fovenda utilia et necessaria existimantur, et alia juxta diœcesium circumstantias et indigentias. (Id. *ibid.* lib. vi, cap. 1 et seq.)

In synodis abstinendum est a quocunque verbo quo videatur approbari opinio inter catholicos controversa. (Id. *ibid.* lib. vii, cap. 27, n. 1.)

8° Constitutiones synodales, aliæque sanctiones extra synodum consulto capitulo latæ, episcopo moriente, vel diœcesim relinquente, in suo robore perpetuo durant (Id. lib. viii, cap. 5, n. 2), nisi ab eodem episcopo ejusque successore revocentur, aut posteriorum synodorum constitutiones iis adversentur. (*Ibid.* n. 2.) Non persistunt tamen, si nunquam moribus recipiantur, tolerante episcopo, aut receptas diœcesani contraria consuetudine conditiones a jure requisitas habente, excusserint. Ad utrumque probabiliter sufficit spatium decem annorum. (*Ibid.* n. 3 et 4.) Potest tamen aliquis a constitutionibus synodalibus eximi per dispensationem a superiore, aut ab episcopo, ejusve successore obtentam, etiam inconsulto capitulo; sed ut licita sit, requiritur justa causa. (*Ibid.* n. 7.) Constitutiones vero synodi provincialis, nec episcopus, nec archiepiscopus relaxare possunt. (*Ibid.* n. 8.)

9° Præcipua res in synodo diœcesana quotannis facienda est electio examinatorum synodalium ad parochias vacaturas. Sic de illis statuit sanctum concilium Tridentinum, sess. 24, c. 18 : *Examinatores autem singulis annis in diœcesana synodo ab episcopo, vel ejus vicario ad minus sex proponantur; qui synodo satisfaciant, et ab ea probentur... Sint vero hi examinatores, magistri, seu doctores, aut licentiati in theologia aut jure canonico, vel alii clerici, seu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad sancta Dei Evangelia, se quacunque humana affectione postposita, fideliter munus exsecuturos...* Hæc obligatio gravissima; nam omnes ecclesiarum parochialium provisiones, seu institutiones, contra formam istius decreti factas irritas et inanes fore nuntiavit Benedict. XIV, *De synod. diœc.* lib. vii, c. 7, n. 1.

Examinatores synodales in synodo *ad minus sex* et ad summum viginti eligi posse tenent Barbosa et alii, attestantes ita fuisse decisum a sacra congr. Concil. 13 Mart. 1623. Necessario eligi debent, qui sint magistri seu doctores, aut licentiati in theologia vel jure canonico, si exstent, textu Trident. expresso... Unde sacra congr. Concil. censuit *In una Senonensi* sub die 19 Februarii 1628, « episcopum non posse eligere examinatores synodales, qui non sunt doctores, seu magistri, aut licentiati in theologia, aut jure canonico, si exstent; alioquin alios clericos esse eligendos, qui ad id magis idonei videbuntur. Et fere in iisdem verbis idem censuit sacra congr. Concil. 10 Martii 1629; 18 Novembr. 1615.

Examinatores debent necessario synodo satisfacere et ab ea probari, et ad sacra Dei Evangelia jurare sive intra sive extra synodum se fideliter munus suum exsecuturos; hoc juramentum est de forma substantiali, eoque deficiente examinatores non dicuntur legitimi, et concursus factus coram eis ante præstitum juramentum, est nullus. (Sacr. congr. Concil. 2 Decem. 1628.) Sufficit tamen quod hoc juramentum sit semel præstitum. Ab electis examinatoribus synodalibus ejusmodi juramentum in ipsa synodo emittendum est, si illi synodo adsint; sin minus, coram episcopo, aut ejus vicario. (Benedict. XIV, *De synod. diœces.* lib. iv, c. 7, n. 6.)

Formulam ejusmodi juramenti sic tradit Monacelli tit. vii, 1° In synodo : *Ego N. deputatus in præsenti synodo examinator eorum, qui eligentur ad parochiales Ecclesias, juro me fideliter hoc examinandi munus perfuncturum, rejecto omni humano respectu. Ita me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.* 2° Extra synodum : *Ego N. examinator in synodo electus promitto, spondeo, ac juro munus et officium mihi demandatum me fideliter, quacunque humana affectione postposita, et sincere, quantum in me est, exsecuturum. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.*

Examinatorum synodalium electio fieri debet nomine et cognomine, non vero titulo

officii seu dignitatis tantum expresso, et clero synodoque formali congregato nominatim, non autem in genere proponendi sunt, ut ab eodem approbentur, alias illorum deputatio nulla esset. (Sacr. congr. Concil. 14 Febr. 1693, et 3 Decemb. 1644 ; 8 Maii 1684, et Rota 4 Maii 1693 ; apud FERRARIS, verb. *Concursus* et *Examinatores*.) Qui ab episcopo propositi fuerint, possunt probari a synodo tam per vota secreta quam aperta, et episcopus eum modum in probatione potest facere servari, quem magis expedire judicaverit. (Sac. congr. Concil. 3 Decemb. 1644.) Necesse est ut major pars eorum, qui synodo intersunt, in illos consentiat ; secus, alii ab episcopo erunt proponendi, qui a majori parte acceptentur. (BENED. XIV, *De syn. diœces.* lib. IV, cap. 7, n. 3.)

Synodalium examinatorum officium durat usque ad novam synodum, quæ intra unius anni spatium ad Tridentini normam esset celebranda, et in qua aut iidem aut alii de novo deputandi forent, sicut idem Trident. sess. 24 *De reform.* c. 18 præcepit. Si autem vel omnes vel aliqui ex designatis in ultima synodo, decurrente anno moriantur, aut e diœcesi se subducant, tunc si sex saltem ex designatis remaneant... istorum opera episcopus utetur. Si vero sex non supersint, tunc Clementis VIII decreto... facultas data est episcopis alios subrogandi, modo iis qualitatibus præstent quas Tridentinum requirit, a capitulo approbentur, et una simul cum superstitibus, ex electis in synodo non excedant. Si vero, anno elapso, synodus non celebretur, tunc 1° statim ac effluxit annus ab ultima synodo cessat officium examinatorum, qui intra ejusdem anni intervallum, in demortuorum seu absentium locum forte fuerint ab episcopo suffecti ex decreto Clementis VIII. 2° Quoad alios, in ultima synodo electos, hoc censuit sacra congregatio Concilii : quamdiu sex illorum superstites sunt, omnes perseverant in munere, et episcopus in concursibus ad ecclesias parochiales illis uti poterit ; sed, si vel unus ex illis decesserit, ita ut ex electis in synodo sex non remaneant, omnium officium exspirat, neque post annum datum est episcopo in demortui locum quemquam sufficere. (BENED. XIV, *De synod. diœc.* lib. IV, cap. 7, n. 7 et 8.) Et tunc necesse est ut episcopus vel novam synodum cogat, vel facultatem petat a sacra congregatione Concilii novos examinatores extra synodum deputandi. (*Ibid.* n. 9.)

10° « Inter graviora negotia in diœcesana synodo ab episcopo tractanda et expedienda recenseri debet deputatio judicum synodalium, quorum nomina ad sedem apostolicam subinde transmittantur. (Ex *Trident.* sess. 25, c. 10, *De reform.*) Non est tamen necesse ut in præfatos judices, ab episcopo in synodo deputatos, ipsa synodus consentiat, quoniam non dixit Tridentinum eos designandos a synodo, sed in synodo ; quapropter Tridentini decreto satisfaciet episcopus, si synodi consilium exposcat, etsi ex causis sibi notis illud amplecti postea noluerit ; quemadmodum, cum aliquem ex deputatis in synodo mori contingit, debet quidem episcopus, priusquam alium in ejus locum substituat, exquirere capituli consilium, sed non tenetur illud sequi ; quia non consensum, sed consilium duntaxat capituli Tridentinum exigit... Nulla tamen episcopis potestas facta est novos judices deputandi, cum aut nulli in synodo deputati sunt, aut nulla habita est synodus in qua deputari potuerint, aut effluxit jam tempus intra quod juxta Tridentinum decretum nova synodus fuisset habenda. Verum, ne diœceses suis synodalibus judicibus diu careant, etiam in his eventibus modus suppetit episcopis illos nominandi ; si enim potestatem, quam cæteroquin non haberent, a sacra congregatione Concilii petant, eique simul causas exponant propter quas synodum celebrare nequeunt, hæc facultatem iisdem impertietur judices synodales cum consilio capituli designandi, sicuti factum... constat ex Actis sacr. congr. » (BENEDICT. XIV, *De synod. diœces.* lib. IV, c. 2, n. 5 et 7.)

Judicibus synodalibus a Romana curia committuntur judicandæ causæ in gradu appellationis in partibus a curia remotis. Hi vero judices, ex capit. *Statutum* Bonifacii VIII, *De rescriptis*, in 6., designari debent personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, quæ sive personatum, sive canonicatum in aliqua cathedrali ecclesia obtineant... Designatorum vero sive in synodis, sive extra, nomina secretario supplicum libellorum pontificis (Romæ) deferantur Designentur vero saltem quatuor in quacunque diœcesi, vel plures, si amplitudo ejusdem postulet. (BENEDICT. XIV, tom. I *Bull* const. 28 *Quamvis fraternæ* ; cardin. DE

Luca. discurs. 46 ad *Concil. Trident.*; Ferraris, verb. *Judex*, n. 66.)

11° *De judicibus conservatoribus.* — « Regularium ordines, pleræque universitates ac nonnulla quoque canonicorum collegia, inter cætera privilegia quibus a sede apostolica sunt exornata, hoc etiam gaudent, ut judices eligant eorumdem privilegiorum conservatores. Non deputantur ejusmodi judices in synodo ; et nihilominus connexionem habent cum synodo, quia desumendi sunt e cœtu judicum synodalium, de quibus in præcedenti capite actum est juxta constitutionem 9 Gregorii XV, *Bull.* tom. III, pag. 440... » (Benedict. XIV, *De synod. diœces.* lib. IV, c. 6, n. 1.)

Nemo non videt quam necesse sit ut judices synodales ad suum munus implendum sint juris periti ; proindeque quam optandum foret ut ad normam sacrorum canonum canonici et dignitates essent doctores in jure canonico, saltem ex iisdem plures, aut si non doctores, sicut melius docti, sive in jure, sive in sacra theologia. Ex quo, sicut et ex multis aliis, manifestum est capitula præsertim cathedralia non esse refugium quietis, inactivitatis, et remunerationis ad arbitrium obsequentiæ, ut vulgus male existimatur.

12° *Punctatores*, quibus onus incumbit accurate annotandi quotquot in choro aliisque sacris functionibus desiderantur, et quibus nominatim diebus ; aut a qua speciatim divini officii parte hic aut ille se subducat, jurant in synodo, ubi adest talis consuetudo. « Cæterum ubi ea consuetudo non viget, nullo jure tenentur punctatores juramentum, quod semel præstiterunt, iterum in synodo emittere. » (Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. IV, c. 4.)

13° *De testibus synodalibus.* Testes synodales, homines scilicet probatæ fidei, ab episcopo in synodo designantur, « ut custodes quodammodo sint decretorum quæ a synodo eduntur. Eorum quippe officium est diœcesim subinde perlustrare, atque animadvertere an quidquam alicubi contra synodi decreta fiat, et omnia in futura synodo episcopo referre. » Ut porro sine mendacio et dolo munus suum expleant, antequam illud assumant, jurisjurandi religione electi testes obstringuntur, ad omnia, quæ resciverint, et emendanda existimaverint, ingenue et sincere episcopo renuntianda juxta juramenti formas statutas in pluribus synodis... » (Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. IV, c. 3.) *Vide supra* de synodo provinciali, ubi fusius de testibus synodalibus et de eorum juramento diximus.

14° In synodo etiam eligendi sunt consiliarii pro seminarii administratione; quamvis possint extra synodum eligi, sed minus commode.

VI. *De professione fidei in synodo emittenda.* —1° Non tenentur episcopi professionem fidei emittere in prima quam celebrant diœcesana synodo. Attamen maxime decet ut in hoc religionis actu præstando, etiam in sua diœcesana synodo cæteris exemplo præeat episcopus ; maxime ubi non solent provincialia concilia celebrari. (*Vide* Benedict. XIV, *De synod. diœc.* lib. V, c. 2 ; ita Bouix, *De episcopo*, t. II, p. 376.)

2° *Quinam tenentur fidei professionem in diœcesana synodo emittere.* Tridentina synodus (sess. 25, c. 2, *De reform.*), postquam decrevit omnes episcopos teneri fidei professionem emittere in primo provinciali concilio, cui adsunt, sic addit : *Cæteri vero omnes, sive in præsenti sive in futurum beneficia ecclesiastica habituri, et qui in synodo diœcesana convenire debent, idem ut supra (id est ut episcopi in synodo provinciali), in ea synodo quæ primo quoque tempore celebrabitur, faciant et observent.* Jam antea, sess. 24, c. 12 statuerant Tridentini Patres in hunc modum : *Provisi etiam de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses, in manibus ipsius episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus vicario seu officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem; et in Romanæ Ecclesiæ obedientia se permansuros spondeant ac jurent. Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus, non solum coram episcopo seu ejus officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur.* Hisce attentis decretis, solet proposita quæstio solvi ut sequitur, ait Bouix, *De episcopo*, t. II, p. 377 ; et concludit quod nec parochi, nec beneficiarii curati, nec canonici cathedralis, qui intra duos menses in manibus episcopi seu ejus vicarii professionem illam emiserunt, tenentur de novo eamdem in synodo emittere. Cæteri autem beneficiati, si de iis sint qui de jure vel consuetudine synodo diœcesanæ interesse debent, tenentur professionem fidei emittere, in

prima quæ celebratur post adeptum beneficium diœcesana synodo. Unde hi non tenentur dictam professionem *intra duos menses* emittere; sed primam illam synodum exspectare possunt.

Hæc docti canonistæ sententia non videtur fundata; etenim sacrosancta synodus Tridentina postquam in capite 1, sess. 24 *De reform.*, decrevit ut professio fidei emitteretur in examine ab electo in episcopum, in capite 2, sess. 25 *De reform.* de novo decernit, ut recentes episcopi eamdem professionem in prima synodo provinciali, in qua ipsi interfuerint, iterum emittant. Idem decrevit sacrosancta synodus pro omnibus beneficiatis curatis, scilicet 1° in cap. 12, sess. 24, ut fidei professionem a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses faciant; 2° in cap. 2, sess. 25 ut iidem et omnes beneficiati qui in synodo convenire debent, eamdem professionem fidei emittant in prima synodo post beneficium adeptum. Eodem igitur modo sacrosancta synodus decrevit duas fidei professiones emittendas pariter ab episcopis et ab aliis beneficiatis curatis. Unde si verum esset quod beneficiati curati, qui jam *intra duos menses* fidei professionem emiserunt, non teneantur eamdem iterum emittere in prima synodo, dicendum etiam foret quod episcopi qui haud professionem emiserunt in suis informationibus et in consecratione, non teneantur illam de novo emittere in synodo provinciali; quod a nullo admitti potest, nec admittitur. Et hæc nostra sententia confirmatur a Benedicto XIV, in *Syn. diœc.* lib. v, cap. 2, n. 6, ibi : « Dubitarunt quidem nonnulli an ejusmodi decretum sess. 25 referendum sit ad decretum sess. 24, et de illis duntaxat beneficiariis accipiendum, de quibus, c. 12, fuerat sermo; sed unde hæc dubitatio oriri queat, plane non videmus. In priori quippe decreto soli nominantur curati et cathedralium ecclesiarum canonici; posterioris vero decreti verba generalia sunt, et omnes omnino beneficiarios complectuntur; nec ullam involvunt particulam quæ vel leviter innuat hæc intra limites prioris decreti esse restringenda : quapropter sine ulla hæsitatione concludendum est, postremi decreti virtute omnes et singulos qui beneficium ecclesiasticum possident, in prima synodo diœcesana, cui alias obstringuntur adesse, debere fidei professionem emittere. »

Verior igitur sententia est ut omnes beneficiati tam ii qui jam in adeptione beneficii fidei professionem emiserunt, quam ii qui in adeptione beneficii non tenentur eamdem emittere, teneantur professionem fidei emittere, in prima quæ celebratur post adeptum beneficium diœcesana synodo.

3° Beneficiati et alii, qui de jure aut consuetudine synodo interesse non tenentur, nec astricti censendi sunt ad emittendam professionem fidei; quia tunc sub decreto Tridentino non comprehenduntur.

4° Formula fidei professionis a Pio IV edita omnino adhibenda est. Non tamen necesse est ut singuli formulam separatim recitent, sed satis est ut omnes simul illam recitent post secretarium; aut ut secretarius vel unus professionem eamdem solus recitet; et postea in quocunque casu, singuli, bini vel terni, coram episcopo genuflexi, et extensa super libro Evangeliorum dextera manu, recitabunt hæc ultima verba : *Ego N., spondeo, voveo ac juro; sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia.* (*Vide* Benedict. XIV, *De synod.* lib. v, c. 3; et Gavantum, *Praxis synodi*, part. IV, lib. v.)

5° Qui tenentur ad fidei professionem, intra duos menses a die adeptæ possessionis, et non emittunt, jam non faciunt fructus suos. (*Trident.* sess. 24, c. 12.) Qui tenentur synodo interesse, et in ea professionem fidei facere, si non emittant, non quidem amissionem fructuum ipso facto incurrunt, cum id non fuerit statutum; sed contra ipsos judicialiter procedi potest et debita pœna animadverti. (*Trident.* sess. 25, c. 2.)

VII. *De sessionibus et congregationibus.* — 1° Ex *Pontificali*, solet synodus celebrari tribus sessionibus et totidem diebus. Sed liberum est episcopo plures aut pauciores adhibere; sed saltem per totum diem, ut a mente et scopo Tridentini præcepti non aberret.

2° *Pontificale* et *Cæremoniale* non loquuntur nisi de solemnibus sessionibus. Hæ solæ necessariæ sunt. Inducitur tamen usus, ut præter solemnes sessiones, in quibus statuta promulgantur, habeantur sub congregationum nomine aliæ adunationes, tum generales seu totius synodi, tum particulares, quæ et commissiones vocantur, et aliquibus duntaxat constant synodi membris. Congregationibus particularibus committitur, ut unaquæque deliberet de quæstione

aliqua, sensumque suum aperiat. In congregationibus generalibus, exquirit episcopus, si ita ipsi videbitur, sensum totius synodi: *L'évêque communique aux membres du synode, réunis en congrégation générale, les divers projets de statuts qu'il se propose de publier; les invite à faire leurs observations, à donner leur avis, chacun parlant à son tour: après quoi il prononce, juge et statue.* (Em. card. Gousset, *Exposition des principes du droit can.* p. 320.) In iisdem congregationibus præterea salutaria monita et hortationes ad clerum suum universum dirigit, statutorumve mox promulgandorum necessitatem aut utilitatem aperit. (Bouix, *De episcopo*, t. II, p. 380.)

3° Aliqui episcopi in Gallia quæstiones in synodo solvendas clero diœcesis committunt satis temporis ante synodum, ut de his unaquaque conferentia ecclesiastica studeat, deliberet, sensumque suum aperiat. Quamvis præter jus, iste modus multa utilia et commoda inducere potest; sic enim clerici jus canonicum, liturgiam, et cæremonias addiscere possunt, usus et consuetudines diœcesis melius comparare cum jure et de eorum legitimitate dijudicare; atque ita bene disponuntur ad recipienda et observanda statuta, ad corruptelas consuetudines rejiciendas, et unitatem uniformitatemque in omnibus servandam.

4° At vero « statuta in synodo publicanda debet episcopus, aliquanto saltem ante synodum tempore, præparare ac capitulo communicare. Sequitur ex eo quod teneatur episcopus capituli consilium quoad statuta requirere. » (Bouix, *De episcopo*, t. II, p. 401.)

Congregationes ante synodum de quibus loquitur Gavantus non sunt de jure necessariæ; sed valde utiles esse possunt; in iis autem liberum est episcopo quos maluerit consiliarios adhibere, et quo voluerit modo procedere.

5° De processione, missa, allocutionibus, sermonibus et acclamationibus, vide *Pontificale* et *Cæremoniale* episcoporum, et Benedictum XIV *De synod. diœc.* lib. v, cap. 1; et Gavantum, *Praxis diœc. synod.*

VIII. *Ordo synodi.* De ordine primæ diei synodi, vide *Cæremoniale* et *Pontificale*. In prima sessione statim post episcopi allocutionem et concionatoris prædicationem, secretarius ascendit pulpitum, et legit sequentia decreta : 1° Decretum de synodo incœpta ; 2° De modo vivendi synodi tempore; 3° De ministris et officialibus synodalibus; 4° De non præjudicando, per assignatum cuique in synodo sedendi et præcedendi locum; 5° De non discedendo; 6° De constitutis commissionibus seu congregationibus particularibus. Hisce decretis alta voce lectis, descendit secretarius de pulpito.

Postea instat promotor, ut fidei professionem emittant ii omnes, qui de jure ad id tenentur. Respondet episcopus : *Ita fieri decernimus et mandamus.*

Tunc secretarius de pulpito legit decretum de emittenda professione fidei. Postea accedunt qui professionem fidei emissuri sunt. Et recedendo sese sistunt coram notario, ut is eorum nomina adnotet, ut de facta ab ipsis professione publicum instrumentum conficere possit.

Instat promotor ut vocentur omnes qui synodo interesse tenentur, et absentes notentur : et mandat episcopus. Quia his peractis tarda jam hora esse solet, instat promotor, si ita placuerit episcopo, ut primæ sessioni finis imponatur, etc. Instabit promotor ut notarius de omnibus in sessione peractis authenticum instrumentum conficiat. Respondebit notarius se facturum.

Ordo secundæ diei. — Post missam, precationes et concionatoris orationem, si habenda sit, promotor instat ut designentur judices synodales, ad quorum nominationem proceditur, nisi jam in provinciali concilio nominati fuerint. Postea instat promotor pro nominandis examinatoribus synodalibus. Respondet episcopus : *Ita volumus ac mandamus.* Tunc secretarius legit caput 18 sessionis 24 Tridentinæ synodi. Postea enuntiat examinatores propositos ab episcopo. Cumque non tantum consilium, sed etiam majoris partis synodi consensus requiratur, addit secretarius de singulis, *Placetne vobis ?* Quod si quis a synodo rejiciatur, alium episcopus substituet. Et ubi constat de consensu synodi, pronuntiat secretarius nominationem per verba, *Nominamus et deputamus examinatores.*

Instat promotor ut examinatores synodales juramentum præstent; quod peragitur.

Instat promotor ut legantur et promulgentur statuta synodalia, si quæ sint promulganda.

Ordo tertiæ diei. — Post missam et preca-

tiones, et allocutionem episcopi, leguntur statuta synodalia, si quæ legenda supersint; et absolvitur synodus ut in *Pontificali*.

Hæc pauca excerpsimus e *Tractatu de episcopo* D. Bouix, p. VI, in qua de synodo et ejusdem ordine fusius tractatur, et reperiuntur omnes formulæ in usu pro diœcesana synodo.

CAPUT V.

Episcopus quoad capitulum.

I. Capitulum Ecclesiæ cathedralis est corpus mysticum episcopi, illique in adjutorium datum, et de regimine ecclesiastico participans. Pro varietate negotiorum debent episcopi aliquando consilium, aliquando consensum capitulorum exquirere. Illud sat est, quod episcopi exquirant, cum non obliget: hunc autem episcopi et exquirere et sequi regulariter debent.

Consensus vero locum sibi vindicat, si vel in jure canonico, vel in capitulationibus expresse exigatur. In aliis negotiis gravioribus sufficit consilium, nisi consuetudo ab hac etiam necessitate episcopum absolverit; nam non esse improbandam hanc consuetudinem dicitur in c. *De consuetud.* in 6.

II. Episcopus potest congregare capitulum pro casibus in quibus, juxta canones sacros, tenetur exquirere ejus votum, vel consilium, et in aliis casibus spectantibus ad sui dignitatem. (Fagnan. c. *Cum ex injuncto*, n. 26, et Trident. sess. 25, c. 6, *De reform.*) — Non potest tamen episcopus convocare capitulum pro actibus capitularibus, qui spectant ad capitulum, uti capitulum, quia pro rebus spectantibus ad ipsum solum remanet illæsa, et intacta sua jurisdictio. (Ex eodem capite 6, sess. 25 *Trident.*) — Nec episcopus potest domui suæ capitulum convocare, sed ad aulam capitularem, ubi antea solitum fuit convenire. (S. congr. Concil. *in Placentina*, ut refert Fagnan. in cap. *Cum ex injuncto.*)

Episcopus, in casibus in quibus convocat capitulum, debet in eo præsidere cum omnibus prærogativis; cum enim sit in capitulo uti caput, debet ipse retinere primam sedem et præeminentiam horologii, vota recipere, negotia proponere, ac alia peragere quæ necessaria sunt.» (*Trident.* sess. 25, c. 6 *De reform.* —Caput autem est episcopus, et membra sunt canonici, cap. *Novit.* 4, *De his quæ fiunt a præl.*, ibi: «Novit tua discretionis prudentia qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, et illi membra esse probentur, unde non decet te omissis membris aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti.»

III. *De his in quibus requiritur consensus capituli.* — Capituli consensus requiritur:

1° In alienatione rerum ecclesiasticarum quæ ad cathedralem ecclesiam pertinent. (Cap. *Sine exceptione* 52, causa 12, quæst. 2; cap. *Ut super, De rebus eccles. non alien.*; cap. 1. *De his quæ fiunt a prælat.*) Secus irrita sit alienatio.

2° In administratione bonorum et reddituum Ecclesiæ. Si enim hæc omnia sunt communia inter prælatum et capitulum, ad eos simul spectare debet administratio. (*Cap. Novit* 4, cap. *Quanto* 5, cap. *Ea noscitur* 5, *De his quæ fiunt a prælat. sine consensu capituli.*

3° In suppressione canonicatuum et beneficiorum, quæ non permittitur episcopo absque tali consensu, et sine legitima causa. (C. *Cum accessissent, De constit.*)

4° In unione unius Ecclesiæ alteri Ecclesiæ, seu dignitati vel præbendæ per episcopum facienda. (Cap. *Si episcopus* 72, caus. 12, quæst. 2, cap. *Tua nuper*, *De his quæ fiunt a præl.*; Clement. *Si una, De rebus eccles. non alien.*)

5° In casu quo diminueretur Ecclesiæ auctoritas. (Cap. *Dilecti* 13, *De major. et obed.*)

6° In omni negotio quod concernat præjudicium Ecclesiæ cathedralis. (Cap. *Humilis doctrina* 17, *De major. et obed.*)

7° Ut erigatur seminarium in ædibus canonicalibus; seminarium enim ibi erigi non potest, nisi de consensu canonicorum, et ita separatum, ut presbyteri vel clerici nullam communicationem habeant cum seminaristis. (S. congr. Concil. *in Mutensi*, 3 Febr. 1604.)

8° In creatione canonicorum supranumerariorum; nec enim potest episcopus auctoritate ordinaria in sua ecclesia creare canonicos supranumerarios absque consensu capituli et canonicorum. (S. congr. Concil. 25 Febr. 1639.)

9° Ut vigore concil. cap. 7, sess. 7, *De reform.*, curam animarum toti capitulo cathedralis incumbentem, per viam unionis perpetuæ in certam personam, seu dignitatem ejusdem Ecclesiæ adnectere possit episcopus. (S. congr. Concil. 1 Julii 1647.)

10° Consensus omnium canonicorum requiritur in actibus capituli voluntariis, et ubi agitur de Ecclesiæ præjudicio, nec sufficit consensus majoris partis. (Rota part. VI, recent. decis. 20, n. 5; part. XVI, decis. 244, n. 25.) Secus vero in actibus necessariis, et ubi agitur de ejusdem Ecclesiæ utilitate. (Rota, part. VI, decis. 20, n. 7 et sequent.; p. XVI, decis. 244, n. 25; p. 19. t. I, decis. 171, n. 7.)

11° Consensus majoris partis capituli requiritur in quolibet actu capitulari... Unde advertendum est quod consensus majoris partis sufficit in iis quæ sunt communia pluribus, uti universis, non autem uti singulis; cap. 1. *De iis quæ fiunt a majori parte cap.* (Rot. part. XVII, decis. 263, n. 5.)

12° Et pariter advertendum est quod ubicunque requiritur consensus capituli, debet præstari collegialiter, et capitulo ad id legitime congregato. (Rota, part. II, decis. 382, n. 3.) Et circa hoc est ultimo advertendum, quod in omnibus casibus ubi requiritur consensus capituli, id quod ab episcopo sine tali consensu capituli factum fuerit, nullius erit roboris et momenti. (BARBOSA, *de canonicis*, cap. 42, n. 15, et alii passim.)

IV. *De his in quibus requiritur consilium capituli.* — Quamvis episcopus non semper teneatur sequi consilium capituli, tenetur tamen illud consilium sequi, quando in jure exprimitur ut agat *secundum consilium, vel juxta consilium capituli.* (SCHMALZ. p. I, tit. 10, n. 14.) Consilium capituli requiritur :

1° In institutionibus et destitutionibus beneficiorum. (Cap. *Novit* 4, *De his quæ fiunt a præl. sine consensu capit.*)

2° In clericorum ordinationibus, cap. *Episcopus sine consil.* 6, dist. 24, ibi : « Episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet. » Quod tamen immutavit Tridentina synodus.

3° In dispensationibus et confirmationibus. Cap. *Præsentium* 3, caus. 1, quæst. 25, et cap. *Quanto* 5, *De iis quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli.*)

4° In inquisitionibus et condemnationibus clericorum et sacerdotum. (Cap. *Si quid vero* 23, dist. 86.) Nisi adsit contraria consuetudo legitime præscripta.

5° In processionibus edicendis, decernendis, dirigendis atque deducendis consilium capituli est requirendum, non autem consensus exigendus. (S. congr. Rituum *in Elboren.* 28 Mart. 1628, et *in Cennen.* 7 febr. 1632.)

6° Consilium capituli requirere tenetur episcopus casu quo canonicatus et portiones omnes suæ ecclesiæ cathedralis ex fundatione, aut antiqua consuetudine aut statuto aliquem ordinem presbyteratus vel diaconatus annexum non habent, ut scilicet cum prædicti sui capituli consilio designare et distribuere valeat, quibus quisque ordo in posterum debeat esse annexus, ita ut saltem pro dimidia parte sint presbyteri, cæteri vero diaconi vel subdiaconi. (*Trident.* sess. 24, *De reform.* c. 12.)

7° Episcopus antequam synodum indicet, et publicet, requirere debet saltem consilium capituli juxta regulam (Cap. *Quanto* 5, *De iis quæ fiunt a præl. sine consensu capit.* Vide supra de synodo diœces.)

8° De primo ad ultimum capituli consilium requiri debet in omnibus arduis Ecclesiæ negotiis; cap. *Novit* 4, c. *Quanto* 5, c *Pastoralis* 9, *De iis quæ fiunt a præl. sine consensu*, cap. *Ecclesia habet senatum* 7, caus. 16, quæst. 1.) Et facit ad hoc concilium Trident. sess. 24, c. 12, *de reform.* circa finem ibi : *Ut merito Ecclesiæ senatus dici possit.*—Episcopus non debet contra subditum in criminalibus procedere, nisi adhibitis secum canonicis ecclesiæ cathedralis. (FAGNAN. in cap. *Qualiter, et quando*, in secundo *De accusat.* n. 12.) In causis criminalibus non tenetur sequi consilium capituli, sed satis est ut illud requirat. (*Ibid.* n. 13.) — At vero fere ubique habetur in pluribus consuetudo contraria, qua legitime exstante, non amplius requiritur ipsius capituli consilium. (Textu expresso in cap. *Non est* 3, *De consuetud.*, in 6.) Sicut in aliis quoque quæ supra diximus, contraria prævalet consuetudo. (Cap. *Ea nascitur* 6, *De iis quæ fiunt a prælat. sine consensu cap.*) — Et de facto, quod capitulum cathedralis subjiciatur constitutionibus synodalibus, aliisque legibus, etiam per edicta panditis sine consilio capituli, respondit sacra congr. Concil. *in Gerunden.* 19 Decemb. 1739 ad 3.)

V. 1° Episcopus tenetur instituere canonicum theologalem, ex Trident. sess. 5, c. 1; et canonicum pœnitentiarium, in cathedrali ex Trident sess. 24 *De reform.* c. 8. Et eos compellere ad munus suum adimplendum juxta sacrorum canonum sanctiones. Episcopus non potest conferre canonicatus pœni-

tentiarii et theologalis, nisi per viam concursus, ex dispositione Benedicti XIII, const. *Pastoralis*.

2° Episcopus debet approbare statuta particularia capitulorum et ea observare facere, illis sanctionem etiam per pœnas ecclesiasticas imponendo. Nequit vero episcopus statuta capituli condere, nec illi nova dare, absque summi pontificis delegatione. (Communis ; vide apud FERRARIS, *Biblioth.* verb. *Capitulum*, art. 2; et eruitur ex bullis Pii VII et decretis ad Concordata Galliæ ann. 1801, 1817 et 1822, et ex cap. *Constitut.* vers. *Statutum* 2, *De verb. signif.* in 6; cap. *Cum accessissent* 9, *De constit.*, et cap. *significatum* 12, *De præbend.*, et sacr. congr. Concil. 31 Martii 1607.)

3° Episcopus per seipsum solum, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, capitula et canonicos visitare, corrigere et emendare, etiam auctoritate apostolica, potest et valet (*Trident.* sess. 6, c. 4), non tamen ad pœnam ordinariam, sed eam pœnam, quæ magis emendationem morum respiciat. (Sacra congr. Concil. 6 Jun. 1587.)

4° Sed « in capitulum exemptum cum extra visitationem processerit, infra scripta omnia locum habeant : videlicet, ut capitulum initio cujuslibet anni eligat ex capitulo duos, de quorum consilio et assensu, episcopus vel ejus vicarius, tam informando processum, quam in cæteris omnibus actibus usque ad finem causæ inclusive, coram notario tamen ipsius episcopi, et in ejus domo, aut consueto tribunali, procedere teneatur. Unum autem tantum sit utriusque votum, possitque alter episcopo accedere. Quod si ambo ab episcopo discordes in aliquo actu, seu interlocutoria, vel definitiva sententia fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum episcopo tertium eligant; et si in electione tertii etiam discordent, ad viciniorem episcopum electio devolvatur; et juxta eam partem, cum qua tertius conveniet, articulus in quo erat discordia terminetur : alias processus, et inde secuta nulla sint, nullosque producant juris effectus. — In criminibus tamen ex incontinentia provenientibus, de qua in decreto de concubinariis (sess. 25, c. 14, et sess. 24, c. 8) et in atrocioribus delictis, depositionem aut degradationem requirentibus, ubi fuga timetur, ne judicium eludatur, et ideo opus sit personali detentione, possit initio solus episcopus ad summariam informationem, et necessariam detentionem procedere : servato tamen in reliquis ordine præmisso. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut juxta qualitatem delicti ac personarum, delinquentes ipsi in loco decenti custodiantur. » Trident. sess. 25, c. 6, *De reform.*) Hinc sequitur episcopum contra canonicos exemptos censuras et alias pœnas ferre non posse, nisi de consilio et assensu duorum ex capitulo; alias sententia episcopi nulla foret, nullasque produceret juris effectus; excipiuntur emendationis pœnæ in visitatione. (Cum supradicto decreto Trident. confer. c. 6 *Episcopus nullius*, et c. 71 *Episcopus sacerdotibus*, causa 15, quæst. 7; et c. 4 *Novit*, c. 5 *Quanto*, tit. 10, lib. III *Decret. de his quæ fiunt a prælat. sine consensu capit.*)

VI. Episcopus potest et debet rationem administrationis officii exigere a vicario capitulari et aliis administratoribus tempore sedis vacantis constitutis, et si rei reperiantur, punire. (*Trident.* sess. 24, c. 16; et sacr. congr. Concil. 8 Aprilis 1595.) Episcopus omittens id facere contra præceptum concilii non est immunis a culpa mortali, per textum satis clarum in cap. *Nulli fas*, 19 dist., et ex aliis juribus ad hoc probandum allatis a FAGNAN. in cap. *Quoniam*, n. 22, *De constit.*, et in cap. *A crapula*, n. 21, *De vit. et honest. cleric.* MONACELLI part. III, tit. 1, form. 40 et 41.

Congregatio concilii censuit episcopum per se rationem administrationis officii gesti a vicario capituli, sede vacante constituto, exigere, atque alicujus delicti reum compertum punire auctoritate sibi tributa decreto conc. 16, sess. 24, nec cum adjunctis procedere contra officiales ex gremio capituli etiam exempti deputatos, sede vacante, ex forma, c. 6, sess. 25, teneri, nisi vellet criminaliter ad eorum punitionem et correctionem procedere. (Sacr. congr. Concil. 8 April. 1595 et 22, 1599.)

VII. Episcopus potest 1° ordinare ut canonici sedeant in sedibus chori, vel in scamnis apud altare hinc inde juxta usum introductum, prout sibi melius videbitur. (Sacra congr. Concil. 25 Mart. 1608.)

2° Decretum edere, ne canonici et alij de capitulo discedant ab ecclesia tempore concionis, et quod illi intersint quotidie sub pœna amissionis distributionum illius diei,

in qua defecerint. (Sacra congr. Episc. 10 Maii 1589; 20 August. 1602; et sacra congr. Concil. 18 Novemb. 1628; 9 April. 1707.)

3° Reducere consuetudinem longioris vacationis canonicorum a servitio Ecclesiæ ad tempus præscriptum a sacro concil. Trident. (Sacr. congr. Concil. 22 Novembr. 1602.)

4° Auctoritate ordinaria, et etiam apostolica sibi delegata a sacra congregatione prohibere decano, et aliis quibuscunque dignitatibus, et canonicis, ne audeant, vel præsumant quidquam statuere, vel determinare, quod ad ecclesiæ commodum, vel incommodum pertineat extra locum capitularem, et non vocatis omnibus. (Sacr. congr. Rituum 7 Octob. 1606.)

5° Ex aliqua rationabili causa convocationem capituli canonicorum habere et suspendere. (S. congr. Episc. 4 Jun. 1604; sacr. congr. Concil. 6 Febr. 1700.)

6° Intervenire in actionibus capitularibus, dummodo non agatur de interesse suo, non obstante quacunque consuetudine in contrarium. (Sacr. congr. Concil. 2 Mart. 1619.)

7° Cogere canonicos ad præstandum juramentum de fideliter punctando in choro. (Sacr. congr. Concil. 17 Mart. 1619.)

8° Retinere penes se unum vel duos canonicos, qui fructus præbendæ, non tamen quotidianas distributiones percipiant, ac si in choro præsentes essent, etiam stante consuetudine in ecclesia cathedrali, quod canonici non interessentes divinis non percipiant fructus præbendæ. (S. congr. Concil., teste Nicolao Garcia, *De benefic.* part. III, cap. 2, n. 347.)

9° Debet providere juxta formam cap. 12 in fin., sess. 24, *De reform.*, ne una pars chori aliquando vacua remaneat per absentiam canonicorum, dum canonici habentes assignatas sedes in alia parte, sedes suas egredi renuunt. (S. congr. Concil. 7 Septemb. 1595.)

10° Potest concedere, ut canonici ob aeris intemperiem valeant horam matutini protrahere. (S. congr. 14 Febr. et 14 Nov. 1699.)

11° De consensu capituli erigere potest dignitatem (a jure canonizatam, sed non novam) etiam in cathedrali. (S. congr. Conc. 5 Jul. 1608; 20 Febr. 1677; 20 Septemb. 1692; 14 April. 1696; apud FERRARIS, verb. *Episcopus*, art. 6, n. 24.

12° Non potest episcopus de novo concedere canonicis insignia sine privilegio et expressa licentia sedis apostolicæ. (S. congr. Rit. 16 Januar. 1620 et 1604; 10 Decemb. 1612, etc.)

13° Episcopus sicuti et capitulum non potest amissas distributiones ob non residentiam remittere, aut condonare illi ipsi, qui eas amisit. (*Trident.*, sess. 24, c. 12, *De reform.* et Sacra congr. Concil. 24 April. et 25 Septemb. 1700.)

14° Non potest concedere licentiam a residentia absentandi ultra tres menses, nisi ex causis expressis in jure, et juxta formam c. *Unici*, *De cleric. non resid.* in 6. (S. congr. Concil. apud multos et FERRARIS, verb. *Episcopus*, art. 6, n. 87.)

15° Episcopus non potest prohibere quod judices synodales, aut capitulum non valeant uti opera alterius notarii quam cancellarii episcopalis, præterquam in visitatione. (S. congr. Episc. 15 Octob. 1613.)

16° Si episcopus in administratione justitiæ, vel officii negligens sit, non superest aliud remedium nisi ut capitulum recurrat ad archiepiscopum, vel ad papam, et hunc imploret, ut episcopum compellat ad præstandum officium suum. (SCHMALZGR., p. II, tit. X, n. 7.)

Si episcopus impediatur exercere officium suum pastorale, ex culpa ejusdem, v. gr. quia est excommunicatus, suspensus, etc., ad papam recurrendum erit per capitulum. Si impeditus sit ex captivitate, aut ejus amentia, vel alia causa perpetua et durabili, jurisdictionem in ejus Ecclesiam et diœcesim exercet capitulum. (C. *Si episcopus* 3, tit. X, *De supplenda neglig. in justitia*, in 6.) Quia tunc censeri debet ac si sedes vacaret. (*Ibid.*, n. 8.)

Vide alia infra, ubi de capitulis tractabimus.

CAPUT VI.

Episcopus quoad seminarium.

I. Seminaria erigenda sunt in qualibet ecclesia metropolitana vel cathedrali... seminaria plura fieri possunt in diœcesi ampla, omnia tamen ab eo, quod est in cathedrali, dependere debent. (*Trident.*, sess. 23, *De reform.*, c. 18.)

II. Pro administratione et regimine seminarii faciendæ statuuntur tres species deputatorum et consultorum. *Prima* species est duorum canonicorum seniorum et graviorum ab episcopo eligendorum, quorum consilium adhibere debet episcopus tam in constituendis regulis seminarii, quam in ele-

ctione, admissione et expulsione puèrorum, in deputatione rectoris, magistrorum et librorum legendorum, in visitatione et rerum temporalium administratione. (*Ibid.*, c. 18; S. congr. Concil.) — *Secunda* species deputatorum est duorum etiam de capitulo, quorum alter ab episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur. — *Tertia* species, « item duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum, alterius vero ad clerum pertineat. » Et horum deputatorum secundæ et tertiæ speciei consilium tenetur episcopus requirere circa ea quæ concernunt taxationes, portiones detrahendas ex singulis beneficiis pro sustentatione seminarii, et uniones beneficiorum illi faciendas. (Sic expresse *Trident.* cit. c. 18.)

Horum sex consultatorum consilium exquirere ad valorem actuum, sed non sequi tenetur episcopus. (S. congr. Concil. 1620.) Consultorum prædictorum deputatio, quamvis possit fieri extra synodum, nihilominus regulariter fieri debet in synodo, in qua jam totus clerus congregatus reperitur. (Carrad. *Praxis beneficior.*, lib. IV, cap. 8, n. 28; Monacelli, *Formular.*, part. I, tit. XII, form. 2, et alii.)

Hi sex consultatores sunt perpetui, nec amovibiles absque legitimis causis. (S. congr. Concil. *in Solernitana*, et 7 Jul. 1591, et sæpius.)

III. Præter duas præcedentes commissiones, singulis annis administrationis seminarii ratio reddenda est episcopo, præsentibus duobus a capitulo et totidem a clero civitatis deputatis ; et cum his quatuor assistere etiam debet commissio pro temporali administratione, de qua supra.

IV. Nequit episcopus seminarii regimen congregationi religiosæ committere, nisi derogando juri communi ; ac proinde necessario intervenire debet sedis apostolicæ auctoritas.

CAPUT VII.

Episcopus quoad parochos.

I. Sub nomine parochi etiam episcopi olim in Ecclesia non per extensionem metaphoricam, seu analogicam, prout hodie, sed nuncupatione propria gubernacula tenebant, ut habetur ex can. 6 concilii Vernensis sub Stephano III, an. 756, et ex can. 42 et 45 concil. Parisiens. sub Gregorio IV, an. 829 celebrati. (Monacelli, *Formulare*, t. I, tit. X, formul. 1, n. 1.)

Parochias erigere et dividere, præter papam, solus potest et debet episcopus. (Cap. *Nullus omnino* 11, causa 16, quæst. 7 et communis ; et dispositio *Trident.*, c. 4, *De reform.*, sess. 21 et c. 13, sess. 24.)

Ad episcopum primo et principaliter spectat omnes parochias suæ diœcesis regere et parochos ad sacrorum canonum sanctiones et statuta diœcesana observanda etiam sub juris pœnis ac censuris obligare et cogere.

II. 1° Omnes parochiæ, quæ ad collatorem ecclesiasticum spectant, conferri nequeunt absque forma concursus a Tridentina synodo et Pio V, const. *In conferendis* statuta, sub pœna nullitatis, etc. Et quia contra Tridentina decreta præscribi nequit, et aliunde beneficia in Galliis, *juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas* (tit. Eccl. Paris. et aliar. card. Caprara) conferri debeant ; jus istud semper etiam in Galliis obligat, salvis salvandis.

2° Parochiales ecclesiæ dignioribus sub mortali, et juxta plurimos sub restitutionis obligatione pro episcopo si secus fiat, sunt conferendæ... et earum collatio, prævio concursu et examine fieri debet... In electione dignioris in parochialium provisione potest episcopus procedere ex informata conscientia... Si autem appellatum fuerit, causas sibi notas significabit judici superiori per litteras familiares, vel cardinali præfecto congregationis Concilii. (Benedict. XIV, const. 68, *Cum illud ;* apud Ferraris, verb. *Parochia.*)

3° Omnes parochi seu rectores, etiam sine concursu promovendi, et amovibiles, examinari debent ab examinatoribus synodalibus, et nonnisi idonei reperti fuerint, admitti, ex Trident., c. 18, sess. 24 ; nam parochus pro cura animarum non potest deputari, nisi de consensu episcopi et prævio examine. (S. congr. Concil. *In Pictavien.* (Galliarum) 4 Junii 1627 ; Ferraris, verb. *Parochia.*)

Quamvis parochiam de novo erectam, in qua forma concursus adhibenda non est, et pro prima vice conferat libere episcopus, adhuc super idoneitate, seu approbatione personæ provisæ examen faciendum erit per episcopum una cum examinatoribus synodalibus, ut advertit cardinalis de Luca, *De paroch.* disc. 37, et disc. 11, ibi : « In omnibus autem casibus prædictis, in quibus concursum servare non oportet..., tunc, licet provisio libera sit ordinarii, etc., etc.; adhuc approbatio fieri debet prævio examine eorumdem examinatorum synodalium

cum eadem forma collegiativæ discussionis, an ille, qui examini se exposuit, electus, vel nominatus, seu præsentatus, ut supra idoneus sit, necne, adeo ut non ab unius judicio hæc approbatio pendeat. » (Monacelli, t. I, tit. II, form. 2, n. 9.)

4° Ex principali et primaria cura pastorali « manat, probabilius esse, ut facilius istos vicarios perpetuos, vel temporales (et rectores amovibiles) absque forma concursus præpositos ; quandoque autem etiam ipsosmet principales curatos, qui cum dicta solemnitate concursus, tanquam per speciem doctoratus approbati sint, possit ordinarius occasione visitationis ac etiam extra eam ex suspicione ab aliquo justo motivo concepta (ad cujus formalem justificationem non tenetur), examinare ac etiam, ubi non bene versatos comperierit, suspendere, donec profecerint, vicarium, vel coadjutorem interim provisionaliter, non autem in titulum deputando ; ex alias assignata ratione, quod etiam docti ac litterati, tractu temporis, desertis studiis, desertaque applicatione, indocti, minusque idonei effici possint. » (Card. De Luc., tit. *De parocho*, dist. 16.)

« Sed si agatur de parocho examinato et approbato in concursu ab eodem episcopo, tunc imperitia illius nonnisi ex noviter supervenientibus, etiam extrajudicialibus indiciis per novum examen detegi poterit : si vero agatur de parocho approbato ab antecessore episcopo, poterit absque alio indicio et diffamatione, illius inhabilitas recognosci per examen, cui quatenus parochus subjici renuat, poterit episcopus eum suspendere, et coadjutorem deputare, ut probant multi cum *Rota* in decis. 257 et 258, part. XVIII, recent... Verum tamen est, quod episcopus ad praxim sententiam hanc non debet deducere, nisi raro, cum magna cautela et nonnisi præcedente diffamatione seu conjectura imperitiæ parochi. » (Monacelli, t. I, tit. X, form. 15.)

« Et quod possit idem episcopus iterum examinare a se ipso jam examinatos et approbatos, quos probabiliter judicaverit insufficientes, eo quod non vacaverint studio, et scientiam quam prius habebant, deperdiderint, colligitur aperte ex concil. Trident., sess. 21, c. 5. Utque id constet, non debet attendi attestatio ejusdem episcopi, sed requiruntur necessario diligentes investigationes, in scriptis reducendæ, quæ licet fuerint extrajudiciales, attamen ex iis apparere poterit, an constet de illitteratura et imperitia ; idque, ut possint superiores dignoscere, an episcopus jure meritoque processerit, secundum Rotam, part. II, recent. decis. 25. Esto itaque, quod causa substiterit, ea deberet probari. » (Ferraris, verb. *Parochus*, art. 1, n. 25, 28 ; et sic resolvit sacra congr. Concil. apud eumdem, *ibid.* et n. 31.)

5° Episcopus igitur in prædictis casibus deputat coadjutorem parocho imperito, et in aliis casibus parocho ob infirmitatem inutili et in utrisque etiam in parochiali exempta.

Præterea, vicarium sive œconomum deputare in Ecclesiis parochialibus vacantibus tam sæcularibus quam regularibus pertinet privative ad episcopum.... quamvis alteri, quam episcopo collatio competeret beneficii. Ita omnes doctores. Si vero agatur de substituto sive œconomo deputando propter absentiam parochi, tunc illius nominatio regulariter ad ipsum parochum spectat, quamvis inquisitum, dummodo eligat idoneum, qui ab episcopo, ad quem approbatio pertinet, non valeat aliqua rationabili causa rejici. Sed in omnibus casibus per episcopum fit congrua assignatio. (S. congr. Concil. 7 Junii 1692 ; et sacra congr. Episcop. 7 Decemb. 1691 ; apud Monacel. t. I, tit. VI, form. 1 et tit. X, form. 14.)

Vicarius sive œconomus semel constitutus cum congrua assignatione, non potest sine causa removeri, ut dicit Barbosa, supra concil. dict. cap. 18, sess. 24, n. 44. (Monacelli, *ibid.*)

6° Si autem parochia esset populosa et unus rector, et parochus non posset sufficere sacramentis diligenter ministrandis, episcopus illum cogat sibi alium vel alios adjungere sacerdotes, quot ad hoc munus peragendum judicaverit necessarios, juxta concil. Trident. dispositionem, c. 4, sess. 21, *De reform.* — Ab hac enim provisione non datur appellatio, neque aliqua inhibitio attendenda est, sed decretum de coadjutore adjungendo exsequendum venit, ut sacra congr. Concil. rescripsit 5 Junii 1589. (Monacelli, t. II, tit. XIII, form. 1, n. 41, et tit. II, form. 3, n. 3.) Si tamen parochus existimet necessarium non esse vicarium aut vicariorum numerum qui ipsi imponitur, poterit a gravamine ad superiorem auctoritatem appellare. Hujusmodi tamen vicarii se-

mel constituti non possunt sine causa removeri ex supra citata sententia Barbosæ et Monacelli.

7° Aliquando, si utilitas, vel necessitas Ecclesiæ ita suadeat, episcopus vel alius superior ecclesiasticus clericum potest motu proprio ab una ecclesia transferre ad aliam, vel illum cogere ad faciendam permutationem ; v. gr., quia minus idoneus est ad administrandum, vel quia causavit scandalum in populo, inimicitias et persecutiones patitur, etc. (Abb., in c. *Quæsitum* 5, tit. XIX, *De rerum permutatione*, n. 7, et alii apud Schmalz., part. II, tit. XIX, n. 77.)

III. 1° Debet episcopus cogere parochos et rectores animarum ad residentiam, etiam tempore pestis ; et potest præscribere ut non se absentent, nisi de sua licentia. Potest prohibere parochis sub pœna pecuniaria arbitraria, quæ tamen dimidiam non excedat, ne ultra biduum ab ecclesia sua possint abesse. Non tamen id prohibere potest sub pœna excommunicationis latæ sententiæ : sic declaravit sac. congr. Concil. apud Ferraris, verb. *Parochus*, art. *De resident.* n. 31.

2° Ordinarii possunt concedere parochis licentiam abessendi ad bimestre tempus ob quamcunque justam causam, velut recreationis, aut visendi amicos et hujusmodi. Ultra bimestre autem non possunt illam concedere nisi ob aliquam gravem causam. Colligitur ex concil. Trident. cap. 1, sess. 23. Id. *ibid.* n. 37.

3° Est ad arbitrium episcopi, qua via et quomodo uti voluerit contra parochos non residentes, nempe vel censuris, vel sequestratione et substractione fructuum, vel privatione beneficii. (Sacr. cong. Concil., et ex concil. Trident. c. 1, sess. 23, et ita etiam Rota declaravit intelligendum cap. 12, sess. 24.)

Quando igitur parochi residentiam continuam non faciunt, et episcopus ad formam cap. 1, sess. 23 Trident., vult contra illos procedere, et mulctis et pœnis cogere ; non potest ad sequestrationem fructuum parochiæ procedere, nisi parocho citato, et si substractio fieret sine citatione, nulliter ageret, et fructus restituendi essent, ut declaravit sacr. cong. Concil. 2 Septembr. 1581.—Ex quo id concludendum est de aliis pœnis. Si vero parochus sine licentia residentiam intermiserit ultra duos menses, tunc potest et debet compelli per episcopum ad restitutionem fructuum pro rata temporis absentiæ juxta prædictum decretum conc. Trident. c. 1, § *Si quis autem*, sess. 23. (Monacel. t. II, tit. XVI, form. 2, n. 25, etc.)

4° Episcopus potest obligare parochos super applicatione sacrificii pro populo omnibus Dominicis et festis diebus, ut pluries decrevit sacr. congr. Concil. (Monacel. t. I, tit. II, form. 2, n. 4 et 56.)

5° Non obstante quacunque contraria consuetudine poterit episcopus prohibere, ne in ecclesiis et oratoriis publicis canatur musica lingua vernacula, quantumvis cantiunculæ et verba spiritualia sint. (Sacr. congr. Rit. 3 Sept. 1659 et 24 Nov. 1696.)

Non potest vero prohibere quod in ecclesiis non fiat musica (exceptis monialibus), quia est de jure permissa ; sed bene poterit musicis præcipere quod non canant, nisi verba sacra, et quod musica nihil immodestum aut turpe sapiat, et tota sit devota et ecclesiastica. (Extravag. dicta *De vit. et honest. cler.*, et communiter. ; item Alexandri VII bulla 23 April. 1657, et innovavit Innocent. XII 29 August. 1692, apud Monacel. tom. I, tit. v, form. 8, n. 17-19.)

6° Episcopus potest suo arbitrio moderari scamna et loca laicorum in ecclesia. (Sacr. congr. Rit. 10 Decemb. 1604, et sæpius.) Item prohibere debet ne sedes laicorum, etiam præfecti, et commendatarii locorum, locentur in presbyterio apud altare non obstante quacunque consuetudine in contrarium. Item removere indecentia et scandalosa in ecclesiis arbitrio suo. (Sac. cong. Rit. 10 Junii 1602.)

IV. Episcopus potest extrahere parochum a propria domo parochiali, et conjicere in carceres, ad correctionem tantum. (Sac. cong. 27 Maii 1640 et 15 nov. 1689.) Item datur facultas episcopo carcerandi in ecclesia, et quocunque loco immuni parochum pravæ, incorrigibilis et scandalosæ qualitatis. (Sac. cong. 26 Sept. 1679.)

Vicarius vero generalis ordinans carcerationem parochi in loco immuni, suspenditur, arbitrio sacræ congr. Immunit. 12 sept. 1684.

Quoad alia vide caput sequens de clericis.

CAPUT VIII.

Episcopus quoad clericos omnes.

I. *Erga clericos ordinandos.* 1° « Premitur episcopus obligatione examini ordinandorum præsentialiter interessendi, et a perso-

narum acceptione cavendi: *Gloss.* in cap. *Ad hæc, De offic. archid.* et communis apud Monacelli, tit. I, form. 1; et eruitur ex sess. *Trident.* 23, cap. VII, ibi: « Episcopus autem sacerdotibus, etc., sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet; » et cap. XII: « Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur: privilegiis quibuscunque, quoad hoc, penitus exclusis. » Et hæc est praxis Romæ, ubi cardinalis vicarius præsidet omnibus ordinandorum examinibus. Quadruplici modo potest episcopus relative ad ordinandos esse proprius eorum episcopus, videlicet ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficii, et ratione triennalis commensalitatis. Cap. *Cum nullus* 3, *De temp. ordin.*; cap. 9, sess. 23 *De ref.* Trident.; constit. *Speculatores* Innocentii XII, 4 Nov. 1694.

2° Ordinarius debet dare licentiam beneficiariis et a fortiori non beneficiariis, quando ad studia theologiæ vel juris canonici in celebri gymnasio adire volunt, atque insuper, pro beneficiariis, 30 annis sint minores. Imo in beneficiariis *non curatis*, et a fortiori in non beneficiariis, nequidem requiritur licentia episcopi, vel prælati, si quinquennio tantum studiorum causa abesse velint; cum ea facultas seu privilegium a papa jure communi concessum sit, ut proinde tam studentes, quam docentes eadem uti sine alia licentia ab episcopo impetrata possint, ut tradit *glossa* in cap. fin. *De magistr.* v. *Licentia;* Lotter., quæst. 27 n. 151 et seq.; Leuv. *For. benef.* p. 1, q. 380. n. 2; Pirh. hic, n. 34; apud Schmalzg. p. I, tit. 4, n. 64.

3° Nequit episcopus alicui ordinationem absque justa causa recusare; et a recusatione patet semper ad papam recursus. Etenim Fagnanus in cap. *Ad aures, De tempore ordinat.* n. 22 ex quadam declaratione Gregorii XIII tradit, quod ordinario recusante quem ordinare, et causam legitimam recusationis non allegante, committi soleat per datariam metropolitano, vel viciniori episcopo facultas recusatum ordinandi: ex motivo, quod ordines absque legitima causa nemini denegari debeant; sic Fagn.: « Cum olim de hoc ipso dubitatum esset quoad episcopos (*nempe, an illi quem episcopus ordinare recusat, pateat ad sedem apostolicam recursus*), sacra congregatio, re ad Gregorium XIII delata, edidit decisionem, quæ postea perpetuo obtinuit in dataria, videlicet: quotiescunque ordinarius recusaverit quemquam ordinare, committendum esse metropolitano vel viciniori episcopo, ut ab eodem ordinario prius requirat, cur recusaverit; quo causam legitimam non allegante, liceat illi eumdem recusatum ordinare. » Et cum Fagnano concordant Nicol. *Lucubr. can.* l. I, tit. 11, *De temp. ordin.* n. 12, vers. *praxis*, et Tundut. *Quæst. benef.* tom. II, cap. 127, *n.* 1, et Passerin. in cap. *Cum nullus*, n. 138, in fin. *De temp. ordin.* in 6. De prædicta sacræ congregationis decisione a Gregorio XIII approbata mentionem etiam facit Benedictus XIV *De synod. diœc.* l. VII, c. 71, n. 4.

Et sacra congreg. Episcop. et Regul. recursui Nicolai Resta laici Brundusini præsentati ad beneficium juris patronatus, adversus archiepiscopum, qui ad primam clericalem tonsuram eum promovere recusabat 31 Aug. 1691 rescripsit « ad archiepiscopum, ut initiet oratorem in casu de quo agitur intra mensem, et quatenus non initiaverit, initiètur a quocunque servatis servandis. » Apud Monacelli t. I. tit. IV for. II est factum Romæ notorium, quod documentis probare foret supervacaneum, perpetuo Romam venire recursus a denegatione ordinum, etiam a non arctatis interjectos, eosque recursus recipi, et episcopum denegantem rogari ut non gravetur rationes denegationis transmittere, et nisi eæ rationes justæ reperiantur, fieri recurrenti facultatem ut a quocunque ordinari possit. Imo hujus praxis testimonia reperies in collectione *Actes du clergé de France* (*Assemblée de* 1660, § 13, tom. IV, pag. 691, Paris. 1770; apud Bouix, tract. *De judiciis*, part. II, p. 353.

Præterea sancta Trident. synodus, cap. 11 sess. 23, statuit « minores ordines iis, qui saltem... conferantur... cumque hinc ad altiores gradus, et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat. » Ex hoc textu sequitur quod clerici ad minores ordines promoti jus naturale et etiam canonicum saltem in sacrosanctæ synodi mente fundatum, ad majores ordines acquisiverunt, dummodo aliis canonicis impedimentis non arceantur. Proindeque non esse ad arbitrium episcopi eos absque legitima causa nec ab ordinibus, nec a seminario repellere. A fortiori recto-

res et professores seminarii, qui nullam in hac re jurisdictionem habent, nequeunt seminarios nec expellere, nec ab ordinibus repellere ex propria eorum auctoritate. (*Vide* supra *De seminario.*)

4° Premitur adhuc episcopus obligatione sacramentum ordinis sine labe, et suspicione simoniæ aut spe munerum et tantum dignis conferendi. (C. *Sacerdotes*, 49 dist.; c. *Presbyter*, causa 1, quæst. 1; c. *Per tuas*, *De simon.*; Monacel. t. I, tit. I, form. 1.)

5° Litteras testimoniales de vita et moribus ordinandorum (ab alio episcopo) debent subscribi ab episcopo: nam testimonium vicarii generalis, nisi habeat speciale mandatum concedendi dimissorias, non suffragatur, ut declaravit sacr. cong. Concil. supra cap. 8, sess. 23 *De reform.* Non potest episcopus, nisi adsit aliquod canonicum impedimentum, illas denegare, nec testimoniales ad datariam pro beneficio obtinendo, juxta mentem sacr. congr. Conc. 27 Jun. 1639 et 19 Febr. 1701, et sacr. congr. Episc. et Regul. 13 Maii 1701. Et ratio convincens est, quia aliter esset in facultate episcopi attestari debentis, ordinationes de jure ad episcopum beneficii spectantes impedire vel brevia apostolica, quæ quotidie expediuntur pro ordinandis extra tempora, et clausula a quocunque (commendationem morum proprii ordinarii exigentia, ut declaravit sacr. congr. Concil. 28 April. 1575)suspendere et elusoria reddere. (Monacel. tit. IV, form. 8.)

6° « Episcopus non potest nec debet ordinare eos qui non habent beneficium aut patrimonium, etc., nec exteros sine dimissoriis, nec irregulares, nec eos qui aliqua ecclesiastica censura irretiti sunt. » (cap. *Sæpe*, *De temp. ordin.*; cap. *Cum illorum*, *De sent. excom.* in 6.) Nec regulares qui scienter nulliter aut non professi sunt. (*Trident.* cap. 2, sess. 21; et Pii V const. 75.)

« Imo si episcopus ante ordinationem protestaret se non habere intentionem tales exceptuatos et monitos ordinandi, jure faceret, et si protestatione neglecta hi accederent, ordinem non reciperent, quia protestatio in hoc casu non est generica (quæ prohibetur), sed cadit supra subjectos particulares nominatim expressos.» (Monacel. t. II, tit. XIII, form. 3, n. 41.)

« Episcopus scienter ordinans aliquem ad sacros ordines sine titulo sustentationis, ultra grave peccatum, quod committit agendo contra justam prohibitionem Ecclesiæ, in materia gravi, tenetur sic ordinato providere de necessariis alimentis, donec beneficium ecclesiasticum consequatur.» (Communis apud Ferraris verb. *Ordo*, art. 6, n. 29; textu expresso in cap. *Episcopus* 4, et c. *Cum secundum* 16, *De præbendis.*) « Et ipso episcopo jam mortuo, tenetur sic ordinato providere de necessariis alimentis capitulum, sede vacante, et deinde novus episcopus. (Textu expresso in cit. cap. *Cum secundum.*) Imo si clericus sine titulo fuerit scienter ordinatus a pluribus episcopis, recipiendo v. gr. diaconatum ab episcopo originis et ab episcopo domicilii presbyteratum, tunc quilibet ipsorum tenetur in solidum sic ordinato providere de necessariis alimentis. » (Fagnan. in cit. c. *Cum secundum* 16, *De præbend.* n. 24; Ferraris *ibid.*)

« Quinimo nedum episcopus sic scienter ordinans, sed etiam episcopus sic scienter dans licentiam alteri episcopo promovendi vel certis et determinatis promovendis ad sacros ordines, sine titulo, tenetur ipsis alimenta præstare. Si vero episcopus alienus ex generali commissione, et licentia episcopi diœcesani ordinationes habeat et scienter ordinet aliquem sine titulo, tunc non tenetur proprius episcopus utpote sine culpa, sed alienus episcopus, utpote qui in culpa fuit, alimenta præstare sic ordinato. (Cap. *Si episcopus* 37, *De præbend.* in 6.)» Jure antiquo « talis obligatio providendi de necessariis alimentis sic ordinatis scienter sine titulo, incumbit episcopis solummodo, quando tales ordinati aliunde non habent, nec habere possunt suam sustentationem; sic enim expresse limitatur in cit. cap. 4 *Episcopus*, *De præbend.* ibi: « Nisi talis ordinatus de sua paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.» (Ferrar. *ibid.*)

Jure autem novo, concil. Trident. sess. 21, cap. 2, et ex bulla Pii V, edita anno V, Idib. Octob. « Hac pœna, per quam episcopus clero sine titulo ordinato alimenta præstare cogitur, eum tantum liberari, si ipse clericus obtineat beneficium, non item, si ex bonis patrimonialibus obtineat, unde vivere honeste possit, secundum jus novissimum conc. Tridentini, ostendit Rigant. ad Regulam 24, n. 192.»(In nota Pii VIII ad § 9, sect. II, t. I, p. 246 ad 249. Devoti. *Instit.*)

« Si vero ordinatus solus est in culpa « ex-

narum acceptione cavendi: *Gloss.* in cap. *Ad hæc, De offic. archid.* et communis apud Monacelli, tit. I, form. 1; et eruitur ex sess. *Trident.* 23, cap. VII, ibi: « Episcopus autem sacerdotibus, etc., sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet; » et cap. XII: « Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur: privilegiis quibuscunque, quoad hoc, penitus exclusis. » Et hæc est praxis Romæ, ubi cardinalis vicarius præsidet omnibus ordinandorum examinibus. Quadruplici modo potest episcopus relative ad ordinandos esse proprius eorum episcopus, videlicet ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficii, et ratione triennalis commensalitatis. Cap. *Cum nullus* 3, *De temp. ordin.*; cap. 9, sess. 23 *De ref.* Trident.; constit. *Speculatores* Innocentii XII, 4 Nov. 1694.

2° Ordinarius debet dare licentiam beneficiariis et a fortiori non beneficiariis, quando ad studia theologiæ vel juris canonici in celebri gymnasio adire volunt, atque insuper, pro beneficiariis, 30 annis sint minores. Imo in beneficiariis *non curatis*, et a fortiori in non beneficiariis, nequidem requiritur licentia episcopi, vel prælati, si quinquennio tantum studiorum causa abesse velint; cum ea facultas seu privilegium a papa jure communi concessum sit, ut proinde tam studentes, quam docentes eadem uti sine alia licentia ab episcopo impetrata possint, ut tradit *glossa* in cap. fin. *De magistr.* v. *Licentia;* Lotter., quæst. 27 n. 151 et seq.; Leuv. *For. benef.* p. 1, q. 380. n. 2; Pirh. hic, n. 34; apud Schmalzg. p. I, tit. 4, n. 64.

3° Nequit episcopus alicui ordinationem absque justa causa recusare; et a recusatione patet semper ad papam recursus. Etenim Fagnanus in cap. *Ad aures, De tempore ordinat.* n. 22 ex quadam declaratione Gregorii XIII tradit, quod ordinario recusante quem ordinare, et causam legitimam recusationis non allegante, committi soleat per datariam metropolitano, vel viciniori episcopo facultas recusatum ordinandi: ex motivo, quod ordines absque legitima causa nemini denegari debeant; sic Fagn.: « Cum olim de hoc ipso dubitatum esset quoad episcopos (*nempe, an illi quem episcopus ordinare recusat, pateat ad sedem apostolicam recursus*), sacra congregatio, re ad Gregorium XIII delata, edidit decisionem, quæ postea perpetuo obtinuit in dataria, videlicet: quotiescunque ordinarius recusaverit quemquam ordinare, committendum esse metropolitano vel viciniori episcopo, ut ab eodem ordinario prius requirat, cur recusaverit; quo causam legitimam non allegante, liceat illi eumdem recusatum ordinare. » Et cum Fagnano concordant Nicol. *Lucubr. can.* l. I, tit. 11, *De temp. ordin.* n. 12, vers. *praxis*, et Tundut. *Quæst. benef.* tom. II, cap. 127, *n.* 1, et Passerin. in cap. *Cum nullus*, n. 138, in fin. *De temp. ordin.* in 6. De prædicta sacræ congregationis decisione a Gregorio XIII approbata mentionem etiam facit Benedictus XIV *De synod. diœc.* l. VII, c. 71, n. 4.

Et sacra congreg. Episcop. et Regul. recursui Nicolai Resta laici Brundusini præsentati ad beneficium juris patronatus, adversus archiepiscopum, qui ad primam clericalem tonsuram eum promovere recusabat 31 Aug. 1691 rescripsit « ad archiepiscopum, ut initiet oratorem in casu de quo agitur intra mensem, et quatenus non initiaverit, initiètur a quocunque servatis servandis. » Apud Monacelli t. I. tit. IV for. II est factum Romæ notorium, quod documentis probare foret supervacaneum, perpetuo Romam venire recursus a denegatione ordinum, etiam a non arctatis interjectos, eosque recursus recipi, et episcopum denegantem rogari ut non gravetur rationes denegationis transmittere, et nisi eæ rationes justæ reperiantur, fieri recurrenti facultatem ut a quocunque ordinari possit. Imo hujus praxis testimonia reperies in collectione *Actes du clergé de France* (*Assemblée de* 1660, § 13, tom. IV, pag. 691, Paris. 1770; apud Bouix, tract. *De judiciis*, part. II, p. 353.

Præterea sancta Trident. synodus, cap. 11 sess. 23, statuit « minores ordines iis, qui saltem... conferantur... cumque hinc ad altiores gradus, et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat. » Ex hoc textu sequitur quod clerici ad minores ordines promoti jus naturale et etiam canonicum saltem in sacrosanctæ synodi mente fundatum, ad majores ordines acquisiverunt, dummodo aliis canonicis impedimentis non arceantur. Proindeque non esse ad arbitrium episcopi eos absque legitima causa nec ab ordinibus, nec a seminario repellere. A fortiori recto-

res et professores seminarii, qui nullam in hac re jurisdictionem habent, nequeunt seminarios nec expellere, nec ab ordinibus repellere ex propria eorum auctoritate. (*Vide* supra *De seminario.*)

4° Premitur adhuc episcopus obligatione sacramentum ordinis sine labe, et suspicione simoniæ aut spe munerum et tantum dignis conferendi. (C. *Sacerdotes*, 49 dist.; c. *Presbyter*, causa 1, quæst. 1; c. *Per tuas*, *De simon.*; Monacel. t. I, tit. I, form. 1.)

5° Litteras testimoniales de vita et moribus ordinandorum (ab alio episcopo) debent subscribi ab episcopo: nam testimonium vicarii generalis, nisi habeat speciale mandatum concedendi dimissorias, non suffragatur, ut declaravit sacr. cong. Concil. supra cap. 8, sess. 23 *De reform.* Non potest episcopus, nisi adsit aliquod canonicum impedimentum, illas denegare, nec testimoniales ad datariam pro beneficio obtinendo, juxta mentem sacr. congr. Conc. 27 Jun. 1639 et 19 Febr. 1701, et sacr. congr. Episc. et Regul. 13 Maii 1701. Et ratio convincens est, quia aliter esset in facultate episcopi attestari debentis, ordinationes de jure ad episcopum beneficii spectantes impedire vel brevia apostolica, quæ quotidie expediuntur pro ordinandis extra tempora, et clausula a quocunque (commendationem morum proprii ordinarii exigentia, ut declaravit sacr. congr. Concil. 28 April. 1575)suspendere et elusoria reddere. (Monacel. tit. IV, form. 8.)

6° « Episcopus non potest nec debet ordinare eos qui non habent beneficium aut patrimonium, etc., nec exteros sine dimissoriis, nec irregulares, nec eos qui aliqua ecclesiastica censura irretiti sunt. » (cap. *Sæpe*, *De temp. ordin.*; cap. *Cum illorum*, *De sent. excom.* in 6.) Nec regulares qui scienter nulliter aut non professi sunt. (*Trident.* cap. 2, sess. 21; et Pii V const. 75.)

« Imo si episcopus ante ordinationem protestaret se non habere intentionem tales exceptuatos et monitos ordinandi, jure faceret, et si protestatione neglecta hi accederent, ordinem non reciperent, quia protestatio in hoc casu non est generica (quæ prohibetur), sed cadit supra subjectos particulares nominatim expressos.» (Monacel. t. II, tit. XIII, form. 3, n. 41.)

« Episcopus scienter ordinans aliquem ad sacros ordines sine titulo sustentationis, ultra grave peccatum, quod committit agendo contra justam prohibitionem Ecclesiæ, in materia gravi, tenetur sic ordinato providere de necessariis alimentis, donec beneficium ecclesiasticum consequatur.» (Communis apud Ferraris verb. *Ordo*, art. 6, n. 29; textu expresso in cap. *Episcopus* 4, et c. *Cum secundum* 16, *De præbendis.*) « Et ipso episcopo jam mortuo, tenetur sic ordinato providere de necessariis alimentis capitulum, sede vacante, et deinde novus episcopus. (Textu expresso in cit. cap. *Cum secundum.*) Imo si clericus sine titulo fuerit scienter ordinatus a pluribus episcopis, recipiendo v. gr. diaconatum ab episcopo originis et ab episcopo domicilii presbyteratum, tunc quilibet ipsorum tenetur in solidum sic ordinato providere de necessariis alimentis.» (Fagnan. in cit. c. *Cum secundum* 16, *De præbend.* n. 24; Ferraris *ibid.*)

« Quinimo nedum episcopus sic scienter ordinans, sed etiam episcopus sic scienter dans licentiam alteri episcopo promovendi vel certis et determinatis promovendis ad sacros ordines, sine titulo, tenetur ipsis alimenta præstare. Si vero episcopus alienus ex generali commissione, et licentia episcopi diœcesani ordinationes habeat et scienter ordinet aliquem sine titulo, tunc non tenetur proprius episcopus utpote sine culpa, sed alienus episcopus, utpote qui in culpa fuit, alimenta præstare sic ordinato. (Cap. *Si episcopus* 37, *De præbend.* in 6.)» Jure antiquo « talis obligatio providendi de necessariis alimentis sic ordinatis scienter sine titulo, incumbit episcopis solummodo, quando tales ordinati aliunde non habent, nec habere possunt suam sustentationem; sic enim expresse limitatur in cit. cap. 4 *Episcopus*, *De præbend.* ibi: « Nisi talis ordinatus de sua paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.» (Ferrar. *ibid.*)

Jure autem novo, concil. Trident. sess. 21, cap. 2, et ex bulla Pii V, edita anno V, Idib. Octob. « Hac pœna, per quam episcopus clero sine titulo ordinato alimenta præstare cogitur, eum tantum liberari, si ipse clericus obtineat beneficium, non item, si ex bonis patrimonialibus obtineat, unde vivere honeste possit, secundum jus novissimum conc. Tridentini, ostendit Rigant. ad Regulam 24, n. 192.»(In nota Pii VIII ad § 9, sect. II, t. I, p. 246 ad 249. Devoti. *Instit.*)

« Si vero ordinatus solus est in culpa « ex-

ponendo beneficium, sive patrimonium falsis probationibus in totum, vel in parte non verum, et fictitium, tunc ipse solus pœnas incurrit, nimirum suspensionis per canones *Neminem* et *Sanctorum* dist. 70 inflictæ et per concilium Trident. sess. 21, cap. 2 *De reform.*, et pluries sacr. congr. Episc. et Regul., et sacr. congr. Concil. et de stylo curiæ et praxi pœnitentiariæ, et Pirhing. lib. I, tit. 11, n. 122. (Monacel. tom. II, tit. 13, form. 3, n. 4.) Et tunc episcopi non tenentur alimenta præstare sic ordinatis.» (Ferrar. verb. *Ordo.*)

« Si episcopus aliquem ordinet sine titulo, sub pacto et provisione, quod ordinatus non possit ex post ab ipso petere alimenta, tunc episcopus ordinans ipso jure et facto suspenditur a collatione ordinum per triennium, et sic ordinatus est perpetuo suspensus ab ordine recepto, donec a summo pontifice dispensetur; textu expresso in cap. *Si quis ordinaverit* 45, *De simonia.* » (Ferrar. *ibid.*)

In Galliis autem, cum ex Concordato 1801, non sint amplius alia beneficia quam parochiæ et canonicatus, et tamen multo plures sacerdotes necessarii sint ad curam animarum et sacramenta, etc., ministranda; sequitur ut episcopi ex necessitate quæ est prima lex, clericos omnes sine titulo ordinare obligentur; et hæc est praxis generalis in Gallia. Ista quidem necessitas impulit cardinalem Caprara, legatum a latere, ad reclamandum contra articulum 26 organicum quo obligatio tituli clericalis 300 francorum ordinandis imponebatur, his verbis: *Cependant tous les diocèses se plaignent de la disette de prêtres; peut-on espérer qu'ils en obtiennent, quand on exigera pour les ordinands un titre clérical de* 300 *francs de revenu? Il est indubitable que cette clause fera déserter partout les ordinations et les séminaires. (Protestations du Saint-Siége, lettre du cardinal Caprara à Mr de Talleyrand, ministre des affaires étrangères, Paris,* 18 *août* 1803.) Unde, ex isto Ecclesiæ Gallicanæ statu necessitatis, episcopi Galliarum omnes clericos ad sacros ordines sine titulo ordinantes nullum peccatum committere videntur, cum aliter agere nequeant. At vero ex responsione sacræ congregationis Concilii die 24 Augusti 1850 de hac re ad episcopum Brugensem, videtur quod episcopi nequeant propria auctoritate cum ordinandis dispensare super tituli defectu, sed teneantur ad sanctam sedem recurrere ut in casibus particularibus provideat. (Apud Bouix, *De episcopo*, t. II, n. 172 ad 182.) Semper tamen tenentur episcopi obligatione alimenta necessaria præstandi omnibus clericis ab ipsis ordinatis, quibus parochiam, aut vicariatum, vel aliud officium ad sustentationem sufficiens non conferunt. Eo quidem sensu hæc Gallicorum episcoporum obligatio intelligitur Romæ, ita ut Galliarum clerici in urbe non ordinentur, nisi sub ipsorum episcoporum promissione in se talium clericorum sustentationem suscipiendi.

7° Sancta synodus Tridentina, inhærendo vestigiis Chalcedonensis concilii, statuit: Ut nullus in posterum ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non ascribatur ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus. » (Sess. 23, c. 16 *De reform.*) « Ab hac regula non immerito excipiuntur in universitate aut seminario degentes; hi enim præterquam quod in oratoriis collegiorum aut seminariorum functiones ordinum obire soleant, etiam studiis aliisque exercitiis se ad altiores ordines, et majores functiones obeundas ex voto Ecclesiæ præparant. » (Ferrar. verb. *Clericus.*, Additiones novissimæ.) Clerici vero post tres annos in seminario transactos, incertis vagantes sedibus, dimitti nequeunt, usquedum ad ordinationes vocentur.

8° Non debet episcopus præcipere, ut clerici minoribus ordinibus initiati, vel etiam majoribus subdiaconatus, etc., ad sacros ordines ascendant, si tamen clerici nullum obtineant beneficium ecclesiasticum, cui annexum sit onus suscipiendi sacros ordines. (Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. XII, c. 4; Ferrar. v. *Clericus*, art. 1, n. 69.)

« Sicut episcopus non potest cogere clericos minorum ordinum ad suscipiendos sacros ordines (S. congr. Immunit. 23 August. 1662); ita nec in ordinibus conferendis promissiones sacros ordines suscipiendi ab ordinatis recipere, et ob inobservantiam promissionis eos privilegiis clericalibus privare.» (Ead. sacr. congr. 12 August. 1642.) — Monacel. tit. XIII, form. 3, n. 45.)

9° Ex capite primo *Cum honestius*, sess. 14 Tridentini concilii, *De reform.*, clericos ne ad sacros, et ulteriores ordines ascendant prohibere potest episcopus de occulto eorum

crimine ex informata tantum conscientia conscius, sicut eo modo suspendere clericos sæculares, etiam parochos, a divinis. (S. congr. Concil. sæpe sæpius.) Quod adeo verum est ut nullo jure obstringi possit ad causam ejus suspensionis manifestandam. Fas est tamen reo querelas tantummodo suas, non appellationem sedi apostolicæ exponere, ut ex responso Congr. traditur. Ex quo fit ut, etsi reus appellationem interposuerit, si interim ordinem suum solemniter exercuerit continuo irregularitatem incurrat. (Bened. XIV, *De synod. diœces.* lib. VII, c. 71; Ferrar. verb. *Clericus.* art. 8, n. 28-31.) Quoties igitur ordinarius nolit supplicantibus ordines conferre, non poterit ab archiepiscopo cujus est suffraganeus compelli ad allegandas causas cur renuat, sed ad sedem apostolicam, seu sacram congregationem concilii erit recurrendum, ut dicta congr. respondit *in Rhemensi* 21 April. 1668, confirmata *in Calaguritana gravaminum* 16 Julii 1695 et pluries. (Monacel. tit. XIII, form. 3, n. 45.) Cum vero sit recursus ad sacram congregationem, non potest episcopus clericis ad ordines ascensum prohibere, nec eos suspendere, ex informata conscientia, absque motivis et probationibus, quæ a sacra congregatione admitti possint; secus enim episcopi sententia reformaretur.

10° Clerici antequam ordinentur in sacris, studium saltem theologiæ moralis præmittere tenentur : ita enim intelligenda est sanctio Tridentini, sess. 24, c. 14, injungens ut ordinandi « ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac administranda sacramenta comprobentur ; » atque hoc injunctum esse a Benedicto XIII, confirmando bullam *Apostolici ministerii*, datam pro reformatione cleri Hispani, et tanquam normam pro aliis episcopatibus firmatur, *Instit. eccles.* II, § 4 et 5. Sacerdotum penuria non satis est causæ, ut clerici illitterati ad sacros ordines promoveantur, ut a sac. congr. Conc. decisum refert Fagnan. in cap. *Quæris* n. 18, *De ætate et qualit. præficiend.*

11° Clerici ordinandi in sacris cogendi sunt ad præmittenda exercitia spiritualia decem dierum, ut olim episcopis Italiæ, et insularum adjacentium mandavit in Encyclica Innocentius XI, et alia encyclica innovavit Clem. XI, *Instit. eccles.* 104, § 5 ; Ferrar. v. *Clericus*, art. 1, n. 66 ad 68. Episcopus in interstitiis dispensare potest, quæ facultas extenditur etiam ad vicarium generalem episcopi, necnon ad vicarium capitularem sede vacante.

12° *Monita ad episcopos collatores ordinum.* (Ex. Monacelli *Formular.* instruct. VIII, tom. III, appendix, pag. 330.) — « Examen ordinandorum non committatur, sed fiat semper coram, et præsente episcopo.

« Ante ordinationem promulgetur edictum immediate, juxta formam a me traditam part. II.

« Excludantur a clericatu hi, quorum spes non affulget posse, aut debere ascendere ad superiores ordines.

« Non admittantur ad exorcistatus, et acolythatus minores ordines, qui in ostiariatu, et lectoratu, ecclesiæ, saltem diebus festis, non inservierunt, nisi fuerint° absentes studii, vel alia legitima causa. »

« Qui scholam, doctrinam Christianam, et sacramenta non frequentant.

« Qui non incesserunt assidue in habitu, et tonsura clericali.

« Omnes minores ordines uni una die non conferantur, sed per temporum interstitia, nisi aliqua rationabilis, et justa causa intercedat. » — Alia est in Gallia praxis et vituperanda non videtur ex multis causis legitimis.

« In collatione minorum ordinum non exigantur, neque recipiantur promissiones ordinandorum ascendendi ad ordines sacros.

« Excluduntur a sacris ordinibus hi clerici :

« Qui munia clericorum minorum ordinum vel nunquam, vel raro exercuerunt, et Ecclesiæ non inservierunt, dummodo, ut supra, absentes non fuerint ;

« Qui non fuerunt soliti habitum clericalem, et decentem tonsuram, et coronam deferre assidue ;

« Qui sine necessitate fuerunt soliti, calamistrati, et cum coma fictitia incedere ;

« Qui nesciunt probe ordinare, et recitare divinum officium ;

« Qui non habent breviarium bene compactum, superpelliceum, et biretum presbyterale proprium ;

« Qui nullum librum habent, quo possint edoceri de obligationibus proprii status, de administratione, et receptione sacramentorum, et ritibus ecclesiasticis ;

« Qui vexationibus, ludis et comessationibus sunt dediti et inclinati ;

« Qui negotiis, et officiis sæcularibus illicitis se immiscent;

« Qui solent deferre arma, et spectacula aut tabernas frequentare;

« Qui per malum habitum verba obscœna, vel nomen Dei, aut sanctorum irreverenter pronuntiant, et impudenter;

« Qui habitant cum mulieribus, præsertim juvenibus, non consanguineis, vel cum aliis suspectis conversantur.

« Ubi adest penuria presbyterorum, non est subtiliter inquirenda doctrina et sufficientia promovendorum, nisi ad curam animarum essent deputandi.

« Qui habet beneficium, vel pensionem sufficientem non debet ordinari ad titulum patrimonii.

« Qui ordinantur ad titulum beneficii residentialis non possunt illud relinquere inconsulto episcopo. (Cap. *Admonet*, ibique doctores. *De renunt.*)

« Providendum, ne in assignatione tituli beneficii, pensionis, sive patrimonii, intercedant collusiones, deceptiones et fraudes.

« Clerici alieni domicilii, originis, et familiares, non admittantur ad ordines, nisi servata forma bullæ Innocentii XII, *Speculatores*.

« Non admittantur ad ordines, qui fuerunt damnati ad triremes, qui, si non remigassent, licet possint ab episcopo habilitari, non debent tamen promoveri, nisi aliqua urgens causa contrarium suadeat, quia remanent vestigia infamiæ facti; si autem essent jam promoti in sacris et pariter non remigassent, poterit episcopus illos rehabilitare ad exercitium ordinum, si post lapsum notabilem temporis, vitam laudabilem duxerint.

« Ordinati in sacris, qui matrimonium cum unica, et virgine [contraxerunt, et consummarunt, et sic bigami bigamia similitudinaria effecti fuerunt, quanquam ab episcopo dispensari possint (postquam pœnam, quam tribunal S. Officii imposuit, persolverint), ut ad presbyteratum valeant ascendere, tamen hæc dispensatio concedi non debet, nisi cum maxima cautela, et extra locum contracti matrimonii, et nisi hoc contigisset in aliqua magna civitate: in qua ratio scandali cessaret.

« Regulares non admittantur nisi exhibeant litteras dimissorias eorum superiorum cum requisitis contentis in decreto Clementis VIII, juxta per me notata tomo II *Formular.* tit. XIII, form. 4, per totum.

« Si quis ex clericis minorum ordinum vellet sponte renuntiare clericatui, et privilegiis ejus, posset hoc facere, dummodo renuntiatio ab episcopo esset acceptata, et admissa, ut pluries, sacræ congregationes episcoporum, et regularium, ac immunitatis ecclesiasticæ responderunt, quarum declarationes referunt Nicol. *Lucubr. can.* lib. V, tit. XXXIX, *De sent. excom.* n. 103, limit. 12; Pignatell. consult. 69, n. 11, tom. II.

« Imo, quod hujusmodi renuntiationes sponte factas, debeat episcopus acceptare, ad hoc ut clerici renuntiantes, admittantur ad officia publica laicorum, rescripsit sacr. congr. Immunit. 15 Junii 1658 et 30 Januar. 1703.

« In hac clericatus renuntiatione duo sunt advertenda. Primo quod si clericus, qui clericatui renuntiavit, haberet et possideret aliquod beneficium (quod vacat ipso jure), non poterit conferri ab ordinario: quia hæc non dicitur proprie vacatio, sed potius tacita renuntiatio, quæ cadit sub dispositione bullæ Pii V, prohibentis collationes beneficiorum, tam directe, quam indirecte resignatorum in manibus ordinariorum, nisi concurrat aliqua ex causis in eadem bulla expressis.

« Secundo, quod quando renuntiatio clericatus fuit ab episcopo admissa cum declaratione, quod renuntians non possit amplius habitum clericalem reassumere absque sua licentia, si clericus illum propria auctoritate reassumeret, ei non suffragaretur, ut declaravit olim sacr. congr. Immunit. 16 Decemb. 1642, et sacr. congr. Concil. 20 Decemb. 1698.

II. *De correctione clericorum, quid possit, quid non possit episcopus.* — 1° Clerici omnes, imo et laici quantumcunque potentes tenentur episcopo præstare canonicam obedientiam, cap. *Si autem nobis* 11, causa 11, quæst. 2; cap. *Omnes principes* 4, et cap. *Dilecta* 12, *De majorit. et obedient.* Premitur autem episcopus obligatione delicta clericorum, præsertim publica puniendi, et mores reformandi, cap. *Nemo quippe*, et cap. *Si quis episcopus*, dist. 83; cap. *Quid autem*, causa 8, quæst. 1, cap. *Est injusta*, causa 33, quæst. 4; cap. [fin. *De excessu prælat.* c. 1, § *Sane de cens.* in 6. —

Episcopus, qui dissimulat peccata clericorum, et illos punire negligit, tenetur reddere rationem Deo, in die ultionis, ut habetur expresse ex multis capit. et concil. Trident. sess. 6. c. 3, et sess. 24, c. 4 *De reform.*; Monacelli, *Formular.* t. I, tit. v, form. 9, n. 1. — Odio tamen habeantur peccata, non homines, corripiantur tumidi et obstinati, tolerentur infirmi, et quod in delictis severius castigari necesse est, non sævientis plectatur animo, sed medentis, juxta monitum cap. *Odio*, 86 dist. ut cum episcopus hæc fecerit possit cum antistite Tarsio Domino, dicere : « Mundus sum a sanguine eorum, qui transgrediuntur canonicas sanctiones, » cujus epistolæ tenor habetur post. c. *Eos qui*, causa 1, quæst. 1; Monacel. tit. v, f. 9, n. 38.

« In puniendis autem ecclesiasticorum excessibus, duo advertere debent ordinarii. Primo quod non erit imponenda pœnitentia publica, nisi pro delicto, quod mereatur depositionem. (Ita Fagnan., Pirhing. et sac. congreg. apud Monacel. t. I *Litter. sac. cong. ad episcopos*, n. 22.) Delicta autem, quæ de jure merentur depositionem, enumerantur in cap. *Unum orarium*, § *Alios*, dist. 25. Et hinc evenit quod, cum episcopus Senogalliensis pœnitentiam publicam vellet imponere duobus presbyteris curatis, qui in synodo adversus illius decreta (quæ munia parochialia per se ipsos adimplere parochos arctabant) reclamaverant, et alta voce protulerant hæc verba : « Tu quoque prædicare teneris, et non prædicas, » Sacr. congr. Episc. et Regul. bis causa proposita, et episcopo informante sub diebus 29 Februar. et 27 Martii 1692, eidem injunxit, *ut petita per eos venia, et imposita pœnitentia salutari illos reciperet privatim.*

Alterum, quod licet judex nec mitior, nec severior lege esse debeat; nihilominus episcopus magis ad pietatem, quam ad severitatem et justitiæ rigorem inclinare debeat; « præsertim cum illis, qui per fragilitatem lapsi sunt, vel impetum involuntarium, vel gravem causam, et occasionem habuerunt errandi, vel in præteritum virtuosi, pacifici, et morigerati fuerunt, et tanquam homines fragiles sine malitia deliquerunt, maxime si delictum contra Deum, vel religionem non est. (Ut monet Ribadeneira in tract. *Religionis*, lib. II, c. 12; Monacel. t. I, ad *Litter. sac. congr. ad episcopos.*)

2° « Potestas animadvertendi in crimina clericorum oritur ex imperio et jurisdictione, quam Ecclesia, tanquam perfecta ac distincta respublica, in suos subditos habet. Clericorum vero crimina omnia coercet Ecclesia, sive ecclesiastica, sive civilia sunt. » (Devoti, *Instit.* t. II, p. 223 et 225.) Atqui tres sunt ex jure species judiciorum in foro Ecclesiæ; scilicet, 1° judicium ordinarium quod proceditur cum omnibus a jure determinatis solemnitatibus ; 2° judicium summarium, in quo omitti possunt, et de facto omittuntur, ad citius expediendam causam, certæ quædam, a jure determinatæ, ordinarii judicii solemnitates; 3° tandem sententiæ episcoporum ex informata conscientia, absque ullis solemnitatibus. Duobus prioribus modis omnes judices sive ordinarii sive delegati procedere possunt; at vero nulli judices alii ne quidem vicarii generales, sed tantum episcopi et, ut videtur, prælati regulares sententias ex informata conscientia ferre possunt et solummodo in quibusdam causis a jure determinatis.

Ex jure naturali, divino et canonico, nec episcopi, nec alii judices possunt omittere et præterire formas judiciorum canonicas in clericis corrigendis. Inter formalitatum vero omissiones, aliæ illicitam, aliæ injustam, sed non invalidam, aliæ injustam simul et invalidam sententiam reddunt.

Et sententia invalida nullum parit effectum, et sperni potest. Unde multum interest judicibus ut sese juris formalitatibus astringant et conforment in suis judiciis et sententiis.

3° *De præcipuis judiciorum formalitatibus hic advertendis.* — 1° Omnia judicia a citatione inchoanda sunt, neque ea omissa, ulla judicii vis et auctoritas est. (Can. 3 et 4, caus. 3, quæst. 9, ibi c. 4 : « Omnia quæ adversus absentes in omni negotio aut loco aguntur, aut judicantur, omnino evacuentur : quoniam absentem nullus addicit, nec ulla lex damnat. » Et Clement. lib. II, tit. XI, c. 2, ibi : « Dicine ergo sententia meruit, quæ a judice, qui ... tute adiri non potuit ... in absentem, non citatum legitime ac inauditum per consequens, et indefensum, non maturo fuit judicio, sed præcipitio, et de tanto præsertim crimine promulgata? ... Sententiam et processus omnes prædictos, et quidquid ex eis secutum est vel occasione ipsorum, de fratrum nostro-

rum consilio declaramus fuisse et esse omnino irritos et inanes, nullumque debere aut debuisse sortiri effectum seu nocumentum, vel notam afferre cuiquam, vel quomodolibet attulisse; » ergo omnino necesse est accusatum citare, audire et illi defensiorem præbere, secus sententia irrita est et nullius effectus.

2° Exprimenda est etiam causa, propter quam reus vocatur, ut is suam meditetur defensionem.

3° Ordo judiciarius servari debet; secus sententia invalida est.

4° Judici, non cognita rei veritate, sententiam ferre non licet, can. 10, causa 30, quæst. 5.

4° In certis causis testimonium ferre nequeunt feminæ; in causis criminalibus decretales omnes universe feminas repellunt, nisi plane alius desit veritatis ostendendæ locus, ac nisi agatur de gravioribus criminibus Simoniæ et læsæ majestatis, in quibus etiam minus idonei testes recipiuntur. (Can. 3 et 4, causa 15, quæst. 3.)

5° Sententia vero ferenda est in scripto, et quæ sine scripto lata est, ne nomen quidem sententiæ meretur. (Can. 7, causa 2, quæst. 1, et cap. 5, tit. XIV, lib. II, in 6.) Bonifacius VIII in dicto capite sancivit ut episcopi sententias suas scriptas per alios proferant.

6° Porro sententia debet esse cum jure consentiens, certis et probatis congruens, ut si juri expresso repugnet nulla sit. Cap. 1, tit. XIV, lib. II, in 6; et regul. 64 juris in 6, ibi : « Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. » Unde si episcopus contra clericos sententiam a canonibus prohibitam ferret, nulla esset.

7° Ipse Paulus episcopum docet, quemadmodum accipere debeat accusationes, quæ contra presbyterum deferuntur. Ad Timoth. I, v, 19.

III. His prænotatis de censuris in genere aliquid dicendum est.

1° *De censuris.* « Censura *injusta* et *invalida* ea est, quæ substantialem defectum habet, videlicet si eam inferens non habeat potestatem sufficientem, si ferat ob causam non legitimam, si non servato ordine judiciario, etc. » (SCHMALZ. part. IV, tit. XXXIX *De sent.* etc., n. 8.) — Ex parte ferentis censuram requiritur *primo*, potestas ordinaria, vel delegata; *secundo*, ut exsistat intra proprium territorium. » (*Ibid.* 22 et 24.)

3° « Finis judicis censuram ferentis debet esse, ut fideles a contumaci et rebélli inobedientia reducat ad promptam et obsequiosam Ecclesiæ obedientiam. (Arg. c. *Cum medicinalis* 1, *De sent. excom.* in 6, ibi : « Caute provideat judex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi, quod corrigentis fuerit et medentis. »

3° « Ad validitatem censuræ requiritur culpa gravis, et in suo genere completa, cum contumacia, seu inobedientia delinquentis. » (Cap. *Corripiantur* 17, causa 24, quæst. 3.) — « Attamen excommunicatio minor potest imponi non solum ob peccatum mortale, sed etiam ob veniale . . . et sic etiam suspensio ab uno actu electionis aut Missa celebranda per unum aut alterum diem, ut notat Pirhing. lib. V, tit. XXXIX, n. 207.

4° « Ad validitatem censuræ ferendæ ab homine requiritur etiam monitio; ratio est, quia censura fertur ob contumaciam et inobedientiam actualem; at qui monitus non est a ferente censuram, non est illi rebellis et inobediens. Ista monitio debet esse trina, vel una tribus æquivalens, sive complèctens intervalla temporis, inter monitiones interponi solita, nisi facti necessitas aliter suasuerit. Ex defectu tamen trinæ monitionis (modo monitio adsit) censura non redditur nulla, sed injusta, prout colligitur ex cap. *Romana*, lib. V, tit. XI, in 6. — Hæc monitio debet fieri in scriptis, quæ continere debent causam pro qua censura imponitur, et tradi reo, cui illa imponitur. Quod si judex (nisi fuerit episcopus) absque urgenti causa solo verbo, et non scripto excommunicationem intulerit (seu interdictum et suspensionem) ab ingressu ecclesiæ, et divinis officiis, ipso jure suspenditur per mensem, et si illo tempore se divinis ingesserit, fit irregularis, et super irregularitate, *nonnisi per summum pontificem poterit dispensari*; prout habetur c. *Cum medicinalis* 5, tit. XI in 6; dixi *nisi fuerit episcopus*, nam episcopus sub prædicto decreto non continetur, cum illius non fuerit mentio expresse facta, juxta textum cap. *Quia periculosum*, tit. XI, in 6. Contrariam tamen sententiam in hoc casu tenet Monacellus cum aliis, de quo fusius dicemus in suo loco *De censuris*, infra. Ita universaliter apud Ferraris, v. *Censura*, et Schmalzgrueber part. IV, tit. XXXIX, n. 26 ad 28, et collatis canonibus *Cum medicinalis*, 1, *Statuimus* 3, *Romana* 5, *Constitutionem* 9, *Statum* 13, lib. V, tit. XI,

in 6, cap. *Sacro* 48, lib. v, tit. XXXIX, c. *Reprehensibilis* 26, *De appell.* Sententiæ excommunicationis, suspensionis et interdicti absque prævia monitione in scripto latæ et reo traditæ nullæ sunt, juxta c. cit. *Statutum*, ibi : « Decernentes easdem sententias non tenere aliter promulgatas. »

5° Tamen censuræ suspensionis et interdicti aliquando non ut meræ censuræ, sed ut pœnæ vindicativæ imponuntur, et imponi possunt, nulla comminatione præmissa. (Arg. cap. *Cum in cunctis* 7, *De elect.* c. *Sacro*, c. *Cum medicinalis* supra citat.) Excommunicatio autem nunquam infligitur, nisi ut vera censura, ac proinde cum ab homine per sententiam specialem ferenda est, et causa ejus notoria non est, monitio ipsi præmitti debet. (C. *Reprehensibilis* 16, *De appell.*) Et quidem saltem bina monitio ex concil. Trident. sess. 25, c. 3, *De reform.*

6° « Ad validitatem censuræ tamen latæ sententiæ a jure statutæ non requiritur monitio, quia ipsum jus præcedens, seu lex, et commune præceptum est continua monitio, adeoque alia monitione opus non est. (Arg. cap. *Reprehensibilis* 26, *De appell.* c. *Conquesti* 22, *De sent. excom.*)

« Nec etiam opus est monitione speciali, si delictum, et ipsa etiam delinquentis non resipiscentis contumacia publica et notoria foret; cum enim excessus notorius excusatione, examinatione et probatione non indigeat. (Can. *Manifesta* 15, causa 2, quæst. 1; c. *Bonæ* 23, *De elect.*) Et cap. *Evidentia* 9, *De accusat.* ibi : « Evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris. »

Ex iisdem capitibus :

« Si quis commisit delictum, cui ipso jure annexa censura est, latæ sententiæ, judex eumdem absque prævia monitione declarare et denuntiare potest, tanquam ligatum censura, modo delictum sit publicum et notorium, neque delinquens ejusdem pœnituerit. Debet tamen delictum esse notorium vel præsentia, vel ipso facto, ita ut nulla tergiversatione celari possit, aut excusationem admittere; alias ea declaratio illicita esset contra jus naturæ, et judicium ordinem procedendi. Præterea requiritur ut reus non pœnituerit; nam si absolutionem a censura postulaverit reus, vel satisfactionem obtulerit, non est denuntiandus, sed potius absolvendus juxta textum cap. *Qua fronte* 25, *De appell.* cum finis censuræ obtentus sit, quia est delinquentis correctio et emendatio. »

« Quando quis excusatur in foro interno et externo, aut quando culpa in foro externo non est probata, censura nulla est et non timenda. (C. *Solet* 2, et c. *Venerabilibus* 7, lib. v, tit. XI, in 6.) Quia censuram judex ferre non potest ob scientiam privatam, sed publicam, utpote quæ est actus publici et forensis judicii; alias nulla erit sententia; intellige autem quando censura fertur ab homine; nam censura ex jure incurritur in foro conscientiæ, etiamsi culpa in foro externo non fuerit probata. » (SCHMALZ. part. IV, tit. XXXIX, n. 31 ad 34 et 80.)

« Lex pœnalis latæ sententiæ in iis, quæ aliam exsecutionem externam non requirunt (v. gr. in censuris latæ sententiæ, in irregularitatibus, impedimentis matrimonii, et hujusmodi) obligat in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis. » (Sic fere omnes apud FERRARIS, v. *Lex*, art. 3, n. 37.)

« Qui sciens quidpiam ab Ecclesia esse prohibitum sub censura, nihilominus illud facere vult, est contumax saltem interpretative, quod sufficit ad censuram ferendam. » (*Ibid.* v. *Censura* n. 20.)

7° Appellatio legitima ad superiorem, aut recusatio judicis antequam censuram comminatam ferat, ab incurrenda censura excusant, quia suspendunt jurisdictionem judicis. (Cap. *Romana* 3, et cap. *Si a judice* 10, *De appell.* in 6 et c. *Quoties episcopi* 16, causa 2, quæst. 6.) Hoc tamen non verificatur, quando appellatio fit post latam sententiam. (Cap. *Ad reprimendam* 8, *De offic. judic. ordinar.*)

« Innocens censuratus secundum allegata, et probata in foro externo, pro tali habere se debet; quamvis coram Deo ab ea immunis sit, et in secreto contra eam agere possit. » (*Communis*, et colligitur, ex cap. *Sententia* 1, causa 11, quæst. 3, et c. *Inquisitioni tuæ*, De sent excom.) — (FERRAR. v. *Censura*, n. 31, 33.)

« Parere autem excommunicationi, etiam injustæ, quæ tamen a legitima potestate lata sit, Christiani omnes debent; quoniam subjectorum est obedire legibus, quæ a præpositis feruntur, neque ipsis de earum justitia agere licet. » (DEVOTI. *Institut.* tit. 18, *De excom.* § 13.) Intellige etiam « secundum allegata, et probata in foro externo. »

IV. 1° *De excommunicatione.* — « Quoniam autem excommunicatio gravissima est inter pœnas ecclesiasticas, nonnisi ob grande

crimen irrogari debet... Hinc cum ferenda est excommunicatio, primum expendere oportet genus criminis, ut noscatur, num illud tam gravi pœna sit dignum. (Can. 41, 42, 43, causa 11, quæst. 3.) Deinde monendus est criminosus, ut se colligat atque a pravo instituto removeatur. » (*Trident.* sess. 25, c. 3, *De reform.* et can. 42, causa 11, quæst. 3.) — (Devoti. *ibid.* § 14). Ad excommunicationem deveniri non debet, nisi postquam alia media ac leviores pœnæ et censuræ frustra sint adhibitæ juxta monitum Trident. sess. 25, c. 5, *De reform.*; sententia excommunicationis majoris lata per judicem debet ferri in scriptis, et exprimi causa propter quam feratur, ex præscripto canonis in cap. *Cum medicinalis* 1, *De sent. excom.* in 6. Alias lator procedens ad excommunicationem contra formam ibidem traditam, præter suspensionem a divinis, et ab ingressu ecclesiæ (quam incurreret per mensem) debet condemnari ad expensas, et ad omne interesse partis, et etiam aliis pœnis arbitrariis superiori suo puniri, ut habetur expresse in dict. can. 1 *De sent. excom.* in 6. (Pirhing. lib. v, tit. xxxix, n. 12.) Generaliter excommunicatio ferri non debet nisi in casibus, pro causis et delictis in jure expressis.

2° Etenim « arbitrium episcopi, de quo loquuntur canones, in imponendis pœnis, debet esse regulatum a jure, et moderatum (ita ut sit in arbitrio episcopi aliam aut alteram a canonibus sancitam pœnam imponere, non vero a se inventam et novam), et nunquam debet extendi ad excommunicationem, nisi in gravissimis causis, ut respondit sacr. congr. Episc. episcopo Cavæ 10 Decembr. 1617. Sed pœnis sacrorum canonum se conformare, nisi gravitas criminis, conditio inquisiti, loci qualitas, frequentia et occasio delinquendi contrarium non suadeant. » (S. congr. Episc. 5 Februar. 1616.)

« Pœna excommunicationis (ut mox dixi) pro gravissimis, carceris vero nonnisi pro delictis gravibus in tribunali episcopi regulariter imponenda non est. »

3° « At si periculum est in mora, et adest suspicio fugæ, arbitrium est judici a captura incipere, etiam antequam constet de delicto ... Quod maxime procedit in foro ecclesiastico, si agatur de crimine incontinentiæ; nam vigore decreti concilii Trident. sess. 25, c. 6 et 14, *De reform. poterit episcopus contra eos procedere, etiam in carcerando, quando timetur de fuga, juxta traditam formam in cap.* 6, *hujus sess., absque monitione, sive strepitu, et figura judicii, et sola facti veritate inspecta*; sunt verba concilii.

« Hoc mandatum exsequi non debet contra clericos, quando incedunt processionaliter cum cotta parati, vel alias induti sint paramentis sacris pro alia functione, quia tunc gaudent immunitate, etiam extra ecclesiam, aut alium locum immunem, nec capi possunt, neque de mandato episcopi. » (Monacel. t. I, tit. v, form. 9, n. 25 ad 33.)

4° Denuntiatio excommunicationis a jure latæ fieri a judice non debet, nisi prius citato reo, ut possit, si aliqua ei competit defensio, illam deducere. Sed unica monitio est competens et canonica pro declaratione, nec requiritur trina. Hanc vero unicam monitionem si judex amitteret, declaratoria esset nulla per text. in cap. *Cum secundum, De hæret.* in 6, nisi forte excessus esset notorius, tunc enim non oportet quod hæc monitio procedat. (Monacel. part. iii, tit. i, form. 2.)

5° Episcopus tamen potest de facto absque judiciali monitione excommunicare clericos, sive laicos, qui se opponunt visitationi, et cæteros qui solita obsequia injuriose denegant. (S. congr. Concil. pluries apud Ferrar. verb. *Clericus* et Monacel. tit. xvi, form. 10.)

V. *De interdicto.* — Interdictum pronuntiare nequit episcopus absque monitione prævia, et aliis formalitatibus juris. Hæque censura uti non debet, nisi raro, pro culpa gravi, et cum maturitate consilii. (Monacel. t. I, tit. xii, form. 17.)

VI. 1° *De suspensione.* — Suspensio scripto ferenda est regulariter. (Cap. *De sent. excom.* in 6.) Debet præcedere suspensionem monitio, quando ab homine ferenda est ob contumaciam : quamvis non requiratur, quando infligitur in pœnam. (Pirhing. lib. v, tit. xxxix, n. 205, apud Monacel. part. iii, *Præludium, De suspens.*) Quando episcopus aut alius judex censuris supponit aliquem, « causa necessario exprimenda est : judex enim qui excommunicat, suspendit, vel interdicit, si illum in scriptis non referat, et parti exemplar sententiæ requisitus non concedat infra mensem, ab ingressu ecclesiæ, et a divinis remanet suspensus juxta

litteralem dispositionem text. in c. *Cum medicinalis, De sent. excom.* in 6.

2° « Licet censura suspensionis, quando fertur in pœnam criminis probati, possit infligi absque monitione, ut ex Innocent. in cap. 1, *De excess. prælat.*, docent plures, clerici tamen beneficiati vel in sacris constituti (ordinarie) debent non solum citari antequam proferatur sententia suspensionis, sed conveniens quoque est (non quidem ex necessitate, sed urbanitate, et judicis lenitate) quod antequam instruatur processus, moneantur scripto : « Ad se abstinendum, et cessandum, etc., sub pœna suspensionis a divinis, officii, et beneficii, et aliis arbitrariis gravioribus, quoniam, » etc., prout faciendum esse consulit Turrecrem. in dict. cap. *Clericus victum*, 91 dist., n. 3. (Monacel. part. III, form. 7, n. 21.)

3° « Quamvis judex in ferendis censuris debeat servare formam præscriptam in c. *Cum medicinalis, De sent. excom.* in 6, id est, ut præcedat monitio, et feratur in scriptis cum expressione causæ, sub pœnis ibi comminatis : hoc tamen non habet locum nisi quando judex ecclesiasticus suspendit ab actu, qui suo jure competit suspenso (ut subdiaconum et diaconum a sacris functionibus, sacerdotem a missa celebranda, etc.); at quando suspendit ab actu, qui illi competit ex commissione ipsius suspendentis, tunc judex non peccat, neque pœnas incurrit, si has solemnitates prætermittat, et ideo simplex sacerdos non habens curam animarum, qui jure suo confessiones audire non valet, potest sine scripto, et sine monitione suspendi, quia suspensio hæc non est proprie suspensio quæ est censura, sed inhibitio et revocatio concessionis jam factæ. Quare sicut episcopus a principio simplici verbo, facultatem audiendi confessiones committere potuit, ita etiam potest simplici verbo illam revocare, utendo nomine suspensionis, ut in his terminis docet Sayr. *De censur.* lib. IV, cap. 2, n. 18. »

4° « Verumtamen si episcopus parochum ab audiendis confessionibus suspenderet sine scriptis, et sine expressione causæ, peccaret, et pœnas in dict. cap. *Cum medicinalis* inflictas, id est suspensionis ab ingressu ecclesiæ, et a divinis per mensem incurreret, quia in eo est vera, et proprie dicta suspensio, cum eis competat ex officio. (Sayr. loc. cit. n. 19; Monacel part. III, form. 9, n. 8 et 9.) Hic citati auctores, contra Schmalzgrueber supra episcopum censuram canonis *Cum medicinalis* incurrere existimant; et sic dividuntur doctores alii, unde remanet supra hac quæstione dubium de quo dicemus infra : *De censur.*

5° Utrum sine scriptis, etc., parochorum vicarios seu coadjutores Galliarum, quibus per consuetudinem et praxim generalem jus competit *ex officio* confessiones audiendi, et ex necessitatis lege nullum aliud beneficium habentes, suspendere possit episcopus absque formalitatibus, dubium moveri potest; idemque dicendum ac de parochis videtur, ob speciales circumstantias Galliarum.

6° « Intimatio decreti suspensionis, sive alterius censuræ, tripliciter fieri potest. Primo, modo et forma ordinaria, nempe per publicum nuntium, dimissa copia decreti in manibus suspensi, vel interdicti, cum relatione exsecutionis in actis facienda. Secundo, per cancellarium sive auctuarium curiæ coram testibus. Tertio, per subscriptionem ipsius suspensi, sive interdicti, acceptando decretum in mansionibus judicis, ne evadat publicum, et hic ultimus modus solet practicari in delictis occultis, ad evitandam diffamationem suspensi, v. g., in clerico de adulterio, vel stupro imputato, qui apparenter potest de adulterio aut stupro absolvi, secreto tamen, et in camera in pœnam pecuniariam, et suspensionis a divinis condemnatur, juxta nota per D. Rayn. *Observ. crim.* Supplem. ad cap. 28, supplem. 1, n. 30.

7° « Advertere hic debent episcopi, eorumque vicarii, quod si pro hujusmodi vel aliis delictis velint delinquentes clericos carcere punire, constructo processu, non debent eis præceptum injungere ut compareant, et se constituant in carceribus sub pœna pecuniaria, et in subsidium censurarum, nec minus, si contumaces fiant præcepto, mulctam exigere, quia tale præceptum tanquam nullum, injustum, et iniquum, non obligat, et sperni potest, cum nemo carnem suam odio habere debeat, nec se ipsum prodere, et in carceribus constituere ut de communi volunt Cyriac. const. 101, n. 65; Tandut. *De prævent.* part. II, cap. 43, n. 1 et 2, et per consequens nec pœna in præcepto comminata poterunt mulctari... quia contraria praxis tum a jure, tum a doctoribus supra allegatis improbatur, et

aliis concordantibus citatis fusius reprobat D. Raynald. *De observ. crim.* suppl. ad c. 2, an. 135, ad num. 147 et 172. Et ad summum ex vi præcepti ad informandam curiam, et aliorum similium, delinquentes poterunt solum effici et reddi contumaces ad effectum, ut habeantur pro confessis, et convictis, aliis exstantibus indiciis et probationibus, et ut tanquam tales condemnari possint in pœnam patrati delicti, non vero ut valeant condemnari in pœnam comminatam in præcepto, seu citatione, ut D. Raynald. observat. ibid. n. 143. » (MONACEL. part. III, tit. II, form. 6, n. 20 et 21.)

8° « Ordinarius si clericos carcere punire decernat, servare meminerit dispositionem text. in cap. *Si clericos* 15, *De sent. excom.* in 6, ubi hæc habentur : « Eosdem quoque clericos, si de parendo juri tibi fidejussoriam dederint cautionem, detinere non debes nisi excessus enormitas, vel alia causa rationabilis, eos suaserit detinendos.

« Episcopus duarum cathedralium æque et principaliter unitarum, potest unum tantum vicarium generalem pro utraque constituere, et carceratos clericos unius diœcesis ad carceres, ubi residet transmittere valet. (Rota 5 Maii 1660; MONACEL. tom. II, tit. XVI, form. 10.)

9° « Si episcopus ad clerici capturam et carcerationem deveniet absque probatione, et exsistentia, vel saltem vehementibus indiciis, et juridicis præsumptionibus delicti, non solum peccaret mortaliter, sed censuram canonis, *Si quis suadente*, non evaderet ... imo teneretur ad damna, et expensa per clericum carceratum passa ut plurimum doctorum auctoritate probat Gazzin. Jun. *Ad defens. animar.* lib. II, defens. 2, cap. 19, n. 9. Quorum sententiam, quæ communis est, amplexa est etiam sacr. congr. Concilii *in una Comen.* 9 Septemb. 1702, et *Messanen.* 18 Januar. 1589. » (MONACEL. t. II, tit. XV, form. 3, n. 11.)

10° *De degradatione et depositione.* — Degradatio gravissimum pœnæ genus est, et ideo non infligitur ex omnibus criminibus, sed tantum ex gravioribus, quorum causa reus sæculari curiæ puniendus traditur, et quæ sunt a jure specialiter determinata. « Cætera graviora crimina eidem pœnæ subjici possunt, cum eorum rei plane emendari nequeunt, et postquam alios gradatim sustinuerunt pœnas, per quas moniti resipiscere et aliud sequi vitæ institutum possent; quæ communis est sententia omnium, qui hanc materiam scriptis illustrarunt. » (DEVOTI, *Institut.* t. I, tit. VIII, § 23, et nota.) Verum est tamen, quod ordinarius, pro delictis qualificatis quantumvis gravibus in jure non expressis, ad degradationem actualem clerici delinquentis devenire non debet, nisi prius consulta sede apostolica, ut monent multi doctores apud Monacel. tom. II, tit. 15, form. 11.

11° Depositio, quæ est quasi minor degradatio, nequit etiam infligi nisi pro delictis et causis in jure expressis.

12° *De probatione delicti.* « Advertendum est quod ad probandum crimen non solum sunt idonei testes clerici, et presbyteri, sed etiam laici extranei, qui observare, audire et videre possunt actiones prohibitas. » (MONACEL. part. III, tit. II, form. 7.) Sed feminæ ut testes a decretalibus repelluntur, nisi in quibusdam casibus determinatis. (*Vide supra.*)

13° *De brachio sæculari et immunitatibus Ecclesiæ.* — « Episcopus in locis in quibus clerici frequenter delinquunt, vel abusus aliter removeri non possunt, et ipse careat familia armata, potest concedere facultatem ministris curiæ laicæ eosdem clericos capiendi, ita tamen, ut ea qua decet decentia capiantur, et recto tramite ad carceres curiæ ecclesiasticæ ducantur, ex decreto sacr. congr. sub 3 Febr. 1633, lib. XV, decis. p. 162 juxta dispositionem concilii cap. 3, sess. 25 *De reform.* (MONACEL. tit. 15, form. 8, n. 4.)

« Tenentur episcopi immunitates fori ecclesiastici defendere contra curias laicales secundum juris requisitionem et formas, sed cum maturitate et non festinanter declarantes judicem laicum qui jurisdictionem ecclesiasticam usurpat, excommunicationem a jure in bulla *Cœna* latam incurrere eo ipso, ut tradunt doctores. »

« Advertant episcopi, quod hujusmodi requisitio, cum monitionibus gradatim, et modo, vel simili, quo supra, faciendis, non debet omitti, quotiescunque judices et principes sæculares quicunque sint, de facto procedunt ad carcerationem ecclesiasticorum : nam si potentiam creaturæ mortalis pertimescendo, captum clericum ab his non requirerent, et immunitatem ac jurisdictionem Ecclesiæ non defenderent, culpam gravem mortalem incurrerent, et possint puniri

usque ad depositionem, ut tradunt multi. » (Apud MONACEL. tit. XV, ead. form., n. 6 et 7.)

« Communior sententia est quod brachium sæculare possit implorari, quoties judex ecclesiasticus prudenter agnoscit pro executione suæ sententiæ illo indigere, absque eo quod contra reum præcesserint censuræ. Ita graviores doctores. » (*Ibid.* form. 9, n. 3.)

14° « Episcopus confugas a loco immuni extrahere facere nequit, nisi justis de causis et absque facultate sacræ congregationis Immunitatis. Porro dum confuga monitioni non paret, et episcopus facultate sibi a sacr. congr. tributa vult uti, et a loco immuni illum vi extrahi facere, et ad carceres deduci, constare debebit in actis de abusu confugii, id est de causis propter quas reus meruerit inde abstrahi, et postea processum transmittere ad eamdem congregationem, quam ulterius reddet instructam de delicto, seu delictis, de quo seu quibus ipse confuga reperitur inquisitus, gravatus, vel condemnatus, et illius oraculum exspectare. » (MONACEL. t. II, tit. XV, form. 13.)

VII. *De sententiis ex informata conscientia.* — 1° Vix quidquam in tota ecclesiasticæ disciplinæ historia magis insolitum occurret, quam episcoporum ex informata conscientia procedendi potestas. « Unicum huic episcopali potestati assignatur fundamentum : caput nempe primum, *De reform.* sess. 14 Trident. concil. ; quo textu, tanquam cardine vertitur pertractanda nunc judiciorum *ex informata conscientia* gravissima quæstio. Ita scilicet decreverunt Tridentini Patres :— « Cum honestius ac tutius sit subjecto, debitam præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quam cum præpositorum scandalo graduum altiorum appetere dignitatem ; ei, cui ascensus ad sacros ordines a suo prælato, ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen, quomodo libet, etiam extrajudicialiter fuerit interdictus ;

« Aut qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus ;

« Nulla contra ipsius prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus, et dignitates, sive honores, restitutio suffragetur. » C. 1, sess. 14, *De ref.*

« Duplex ibi tributa episcopis potestas : *primo*, scilicet ascensum ad sacros ordines interdicendi, ita ut sic ab episcopo suo prohibitus, ex nulla sibi aliunde (nisi a sancta sede) concessa licentia possit ordinari. *Secundo*, suspendendi ab ordinibus jam susceptis, atque insuper ab ecclesiasticis gradibus, dignitatibus et honoribus ; ita ut sic ab episcopo suo suspensus, nequeat a superiori prælato (nisi a sancta sede) absolvi et restitui. » Bouix, tract. *De judiciis.* (t. II, p. 311 ad 312.) Et sic textum esse intelligendum pluries a sacra congr. Concil. decisum est.

« Illæ voces *ex informata conscientia*, præcipue sonant ferri sententiam, non in vim ullius juridicæ informationis, juridicive processus, sed duntaxat ex causis ab ipsa episcopi conscientia perpensis et cognitis. » — « Ex eo vero... non sequitur id episcopos posse, antequam ipsis certo (seu ex sufficientibus probationibus) constet de delicto clerici contra quem suspensio ex informata conscientia pronuntiatur... Sed probationes illæ tales esse debent, quæ ipsi episcopo delictum certum faciant, prout ex ipso juris naturalis dictamine patet.

« Imo.. tales esse debent, quæ sedi apostolicæ, seu sacræ congregationi Concilii (si forte recursus a suspenso instituatur) justæ et sufficientes videri possint. (Secus, sacra congregatio sententiam non confirmaret.)

2° « Certa est episcoporum potestas ex informata conscientia sententias ferendi, quibus et a suscipiendis sacris ordinibus arceant, et a susceptis, necnon a dignitatibus ecclesiasticis suspendant. » Probatur : 1° E textu ipso Tridentini concilii. 2° E canonistis, præsertim Fagnano, in cap. *Ad aures*, *De temp. ordin.* n. 7. 3° Ex sacræ congregationis Concilii decisionibus, 24 Novembr. 1637, 21 Martii 1643, 14 nov. 1654, et sæpe sæpius, apud Bouix, *ibid.* p. 320 ad 324. 4° Ex communi doctorum sententia. 5° Ex bulla *Auctorem fidei*, quæ « non tantum thesim hic propugnatam omnino certam facit, sed et contrariam opinionem inter damnatas in perpetuum ablegavit. » (ID. *ibid.*)

3° *De episcopalis potestatis, sententias ex informata conscientia ferendi, extensione ad certos casus.* 1° Potestas episcopalis suspendendi extrajudicialiter, seu ex informata conscientia, locum habere videtur, solummodo quando crimen est occultum. Primus illustrissimus Lucionensis episcopus, in erudito ipsius tractatu, *De sententiis ex informata conscientia*, et post eumdem doctis-

simus Bouix in tractatu *De judiciis*, part. II, sect. 4, subsect. 3, cap. 3, censuerunt *hanc potestatem locum habere, etiam quando crimen est publicum.*

Quid vero sentiendum videatur?

1. D. Bouix prænotat : « Positæ conclusioni adversari vigentem hodie apud Romanos canonistas persuasionem, mihi Romæ degenti aperte innotuit. Ipsi nempe existimant non posse episcopum ex informata conscientia procedere, quando delictum est fama vulgatum ; sed necessario tunc adhibendam ordinarii judicii formam. Cumque nonnullis eorum patefecerim, mihi esse in proposito contrariam sententiam tueri, acriter obstitere, et ne ut probabilem quidem meam opinionem admiserunt ; utpote quæ ipsis, a sensu et mente Tridentinorum, circa sententias ex informata conscientia, decretorum, aperte aberrare videretur. » Et hæc firmissima Romanorum canonistarum, qui fere omnes sunt sacrarum congregationum consultores, sententia jam ad evertendam novam D. Bouix opinionem sufficeret.

Attamen D. Bouix suam propugnat opinionem ex eo quod nec apud ullum detexit expressam in contrarium conclusionem ; neque in collectione, quæ *Thesaurus resolutionum* inscribitur. Fatetur tamen nonnullas causas, in quibus vitium nullitatis objicitur quod crimen fuerit fama vulgatum, a sacra congregatione annullatas fuisse ; at inquit : « Nullibi tamen eminentissimi Patres dicunt ideo præcise annullari, quod crimen fuerit publicum ; et potuerunt multis aliis de causis hanc annullationem decernere. Nec attendendum est ad id, quod in relatione causæ.. deducitur ; quia id auctoritatem non habet, sed tantum responsio ipsa eminentissimorum Patrum ad dubia proposita. »

Ad hanc argumentationem responderi posse videtur, 1° Quod relatio causæ, etsi auctoritatem non habeat per se, magnam tamen præsumptionem ex responsione conformi Patrum trahit ; nam ista relatio est ad instar motivorum legis alicujus expositionis, ad quam sese semper referunt jurisperiti ; 2° De aliis causis annullationem decernendi nullo modo patet, dum e contra de vitio publicitatis patet in relatione ad quam responsionem annullationis fecerunt eminentissimi Patres. 3° Romani canonistæ, consultores eminentissimorum Patrum fuerunt, et cum iisdem in responsione præparanda adlaborarunt, hoc vitium publicitatis, de confesso D. Bouix, tanquam annullationis sententiæ ex informata conscientia causam afferunt.

2. D. Bouix contra canonistas Romanos sic pergit : « Argumentantur ex certissima, ut asserunt, Romanarum congregationum (congregationis Concilii præsertim) sententia et praxi. Pro certo nempe habent, non admitti a dictis congregationibus episcoporum extrajudicialiter seu ex informata conscientia suspendendi facultatem, nisi in casu *occulti* criminis. Quæ quidem Romanarum congregationum sententia et praxis, si de ea plene constaret, rem omnino evinceret. Sed cum documenta saltem aliqua, quæ ejusmodi praxim probent, a Romanis canonistis, eam mihi asserentibus, expostulaverim et quæsierim, nullum prorsus mihi comparare potui : unde non obstante dictorum virorum auctoritate, fateor me dubium hæsisse. »

Respondendum videtur : 1° Rarissime motivos decisionum suarum affert sacra congregatio ; 2° D. Bouix fatetur plures sacr. congr. causarum annullationes vidisse, in quarum relatione vitium publicitatis criminis objiciebatur, et Romani canonistæ illi affirmarunt hoc vitium publicitatis in annullationis causa fuisse. Hæc, nobis quidem, ad sacræ congr. mentem aperiendam satis esse videntur. 3° Sibi objicit D. Bouix decisionem sacræ congregationis Concilii, in causa sanctæ Agathæ Gothorum, 26 Februarii 1853, in qua 1° Criminis publicitas ; 2° Suspensio ad tempus indeterminatum in criminosi defensionem afferuntur.. ad dubium, *an constet de validitate suspensionis in casu*, responsum est : *Negative, salvo jure episcopi procedendi prout de jure.* Qua sententia videntur eminentissimi Patres priorem rationem approbasse ; non posse scilicet episcopum ex informata conscientia procedere, nisi crimen sit occultum. »

« *Respondeo*, ait D. Bouix : Sacra congregatio id unum pronuntiavit *non constare de validitate* dictæ suspensionis ; sed nullatenus declaravit qua de causa ita judicaverit. Unde gratis assereretur causam hujus decisionis fuisse, quod delictum non fuerit occultum.

At e contra sacra congregatio aperte declaravit qua de causa ita judicaverit, addendo : *Salvo jure episcopi procedendi prout de jure.* Etenim 1° suspensio ad tempus indeterminatum non fuit declarationis causa,

cum scilicet ex aliis declarationibus ejusdem congregationis constat episcopum sententiam suspensionis in perpetuum ex informata conscientia ferre posse. (Sacr. congr. Conc. 14 Julii 1583. — 2° Sacra congr. causam sanctæ Agathæ Gothorum non annullavit absolute in se, et ex defectu probationum, aut aliis de causis ; sed admisit criminosi culpabilitatem, cum jus *episcopi procedendi prout de jure* reservavit ; his verbis, *salvo jure episcopi procedendi prout de jure*, vitium sententiæ et remedium apertissime indicavit sac. cong. Atqui reprobata sententia ex informata conscientia, jus aliud procedendi non est quam ordo judiciarius cum formalitatibus a jure expressis. Ergo ex sententia Romanorum canonistarum, ex mente et praxi sacrarum congregationum, præsertim in causa sanctæ Agathæ, non licet episcopis sententias ex informata conscientia ferre nisi in occultis criminibus.

3. D. Bouix fatetur non deesse auctores qui sustineant restringi ad occulta crimina potestatem episcopalem ex informata conscientia suspendendi, verbi gratia, Benedictum XIV. (*De synod. diœces.* lib. x, cap. 8.) Aliunde nullos canonistas ad publica crimina hanc potestatem extendentes reperit. Forte praxi et præsenti Ecclesiarum Galliæ statu motus suam opinionem tutavit D. Bouix ex quam maxime laudabili intentione ; sed cum ex ejusdem auctoris confesso fere omne jus canonicum in Galliis ignotum et inobservatum sit, necessitatem illud jus in sua veritate rehabilitandi et propugnandi imponunt prudentia et justitia, sicut et bonum Ecclesiæ regimen.

4. Ex mente Tridentini concilii, quam patefaciunt collata invicem nonnulla ipsius decreta, *extra casum occulti criminis videtur episcopum ex informata conscientia procedere non posse.* « Nam verum quidem est in capite 1, sess. 14, a Tridentinis Patribus conferri episcopo facultatem clericos ex informata conscientia suspendendi... At simul verum est voluisse eosdem Patres, tanquam jus ordinarium et commune permanere legem Innocentii III, judiciorum ecclesiasticorum formas præscribentem. Capite enim 5, sess. 24, hanc dicti pontificis decretalem innovant et ab omnibus observari mandant : *Constitutio sub Innocentio III in concilio generali, quæ incipit* Qualiter et quando, *quam sancta synodus in præsenti innovat, ab omnibus observetur.* Porro a dicto capite *Qualiter et quando* (*De accusat.*), sententiæ ex informata conscientia prorsus excluduntur, et formæ ordinariæ in judiciis adhibendæ præscribuntur. Cum ergo hæc duo Tridentina decreta inter se pugnent (si, cum D. Bouix, sententiæ ex informata conscientia etiam ad publica crimina extendantur), ad concordiam reducenda sunt. Facile autem cohærere reperientur, si dicatur, voluisse Tridentinos Patres ut jus decretalis Innocentianæ tanquam *regula* (*pro criminibus fama divulgatis*) firmum remaneret ; jus vero ab ipsis inductum suspensionum ex informata conscientia, tanquam *exceptio* (seu potius tanquam complementum decretalis Innocentianæ ad occulta crimina quæ ejusdem decretalis formis attingi nequeunt, corrigenda). Et hoc, ut puto, omnes libenter concedent. Jam vero quo sensu *exceptionem hanc* (seu complementum) voluisse Tridentini Patres censendi sunt ? An eo sensu quod exceptio latius quam ipsa regula pateret, et sic jus commune quatenus tale, per exceptionem subverteretur ? Id si intendissent, dictam Innocentii decretalem non expresse innovassent, nec generaliter ab omnibus servari mandassent. Ergo ita exceptionem hanc intellexerunt et induxerunt, ut semper *exceptionales* remanerent (et remedia quoad occulta crimina) sententiæ ex informata conscientia et nunquam in *ordinariam* justitiæ reddendæ formam transirent. At vero, si episcopi pro libitu et absque ullo motivo, possint per viam informatæ conscientiæ in clericos procedere, non tantum in casu occulti, sed in casu etiam vulgati per famam publicam criminis, hanc viam, utpote faciliorem, minusque sibi incommodam, ordinarie eligent ; et sic judiciorum ecclesiasticorum pars maxima exceptionali hac via expedientur (ut in Galliis de facto est universalis praxis non tantum episcoporum, sed etiam vicariorum generalium, imo et, inauditum a sæculis, aliquorum parochorum erga suos vicarios in quibusdam diœcesibus).

« Jam vero quod episcopi, absque ulla necessitate aut causa rationabili, subditos suos judicent cum rigore, quo major in judiciis excogitari non potest, est quid per se publico Ecclesiæ bono summe noxium, evangelicis monitis contrarium perpetuisque sacrorum canonum et sanctorum Patrum monitis adversum. Atque imprimis hoc

ipsum aperte repellit Tridentina synodus, dum sessionis 13 cap. 1, episcopos admonet, ut se pastores esse meminerint ; ut proinde antequam justitiæ gladium exserant, cætera exhauriant charitatis et paternæ sollicitudinis ad corrigendos delinquentes media ; et tandem *si virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum misericordia judicium, cum lenitate severitas* adhibeatur. Ubi, quæso, est mansuetudo et lenitas, quando episcopus, *absque ulla necessitate aut rationabili causa*, ut supponitur, reo denegat sese defendendi facultatem, eumque suspensione percellit, ne indicta quidem condemnationis causa ?

« Hinc merito Benedictus XIV (*De synod. diœc.*, lib. XII, c. 8, n. 6) advertit, reprehensibilem fore episcopum, qui in synodo declararet, se deinceps ex privata tantum scientia, pœna suspensionis animadversurum in clericos ; eo quod nempe talis declaratio redoleret tyrannidem. Sed si tyrannicum sit hoc declarare, tyrannicum utique erit illud idem facere.

« Videtur ergo concludendum episcopis concessam fuisse ex informata conscientia procedendi potestatem, tanquam *remedium extraordinarium ;* ad quod proinde recurrere non debent in casu publici criminis, » quod juridice probari potest, sed tantum in casu *occulti* criminis. Hæc paucis additis et mutatis, verba sunt doctoris Bouix, tract. *De judiciis*, part. II, sect. 4, subsec. 3, cap. 4, pag. 343, 344, 345.

Extensio vero sententiarum ex informata conscientia ea est ut : 1° Ita competit episcopis dicta facultas extrajudicialiter clericos suspendendi, ut non teneantur eos prævie monere, nec suspensionis causam ipsis manifestare. (Ex cap. 1, sess. 14, *Trident.* et sacra congr. Concil. 21 Mart. 1643 et pluries.) 2° A dictis sententiis ex informata conscientia non datur appellatio, nequidem ad papam, sed tantum recursus ad sanctam sedem seu ad congregationem Concilii. (Ex eod. cap., sess. 14 *Trident.* et sacr. congr. Concil. decisionibus 14 Novemb. 1654 ; 22 Jun. 1582 ; BENEDICT. XIV, constit. *Ad militantis* 1 Aprilis 1742.) 3° Olim valebant dictæ suspensiones ex informata conscientia, sive episcopus suspendat ad tempus indeterminatum, sive determinate ad tale tempus, sive expresse in perpetuum ; probatur ex sacræ congr. Concil. decisione in libro VII *Decretorum*, fol. 89 ; ex libro XXII, *Memorialium*, pag. 24, ubi sub die 22 Junii 1582 ; 27 Jan. 1583 ; 14 Julii 1583, sic sacra congr. Concilii declaravit, apud Bouix, tract. *De judiciis*, sess. 4, subsec. 3, cap. 3, pag. 334-336. Hodie vero magnum super hunc valorem in perpetuum exsurrexit dubium. « Etsi olim sacra congregatio Concilii præfato modo declaraverit, jamdudum tamen in oppositam sententiam abiit ; prout in causa Lucionensi (8 Aprilis 1848), expositionis paragrapho penultimo) annotatur his verbis : « Sacra autem congregatio, etsi olim censuerit caput primum concilii Tridentini, sessionis 14, (*De reform.*) *habere locum in prohibitionibus et suspensionibus tam temporaneis quam perpetuis, recentiori tamen ævo ab illa sententia recedere consuevit, aliamque constanter secuta est, qua id velle videtur, ut hujusmodi suspensiones* (præsertim perpetuæ, *seu indefinitæ, quæ idem valent ac perpetuæ, et sunt meræ privationes*), *haud unquam in posterum ferendæ sint, nisi præmissis monitionibus aliisque solemnitatibus, ad præscriptum ejusdem synodi Tridentinæ, sessionis* 21, cap. 6, *latas repererit.* Ad quod probandum citantur ibidem duæ aliæ causæ, a sacra congregatione Concilii judicatæ. Unde, quidquid contra hanc in sacra congregatione expositionem factam dicat doctor Bouix, eadem subtili argumentatione fere utendo qua supra, remanet dubium et auctoritas relatoris adversus suspensiones perpetuas ex informata conscientia. Et in tali dubio securiter non agerent episcopi has sententias perpetuas ferendo.

4. Certum non est, posse episcopum ex informata conscientia suspendere a beneficio et privare beneficii fructibus ; contrarium, scilicet episcopum non posse, videtur magis assertum a canonistis.

5. « Potestas episcopi ascensum ad sacros ordines ex informata conscientia interdicendi, intelligenda etiam est de ordine superiori, relative ad eum qui ordinem inferiorem jam recepit ; verbi gratia, de diaconatu et presbyteratu relative ad subdiaconum et de presbyteratu relative ad diaconum. » Id fuse probat Fagnanus in caput *Ex tenore*, *De temp. ordin.*, n. 13.

6. « In ferendis sententiis ex informata conscientia, licitum est episcopo omittere etiam formalitates in summario judicio necessarias

7. « In sententiis ex informata conscientia,

potest episcopus, si velit formalitates ordinarii vel summarii judicii ex toto vel ex parte adhibere, modo in ferenda sententia exprimat, se agere vigore capitis 1 sessionis 14 Tridentini concilii,» et causam taceat. (Monacel., part. III, tit. II, form. 6.)

4° « *Potestatis quam habent episcopi ex informata conscientia procedendi limites.* — 1° « Dicta potestas tota concluditur in his duobus : interdicere ascensum ad sacros ordines; et suspendere ab iisdem ordinibus, necnon a dignitatibus, officiis, gradibus et honoribus ecclesiasticis. » (Textu expresso, cap. 1, sess. 14 *Trident.*)— « Hinc vehementer erraret episcopus, qui licitum sibi existimaret, ex informata conscientia, seu vigore memorati decreti Tridentini, quemquam excommunicare (a fortiori deponere et degradare clericum); vel interdicto aliquam communitatem aut terram percellere ; vel pecuniariam pœnam alicui clerico infligere ; vel eum, tanquam criminis reum, ad commorandum aliquanto tempore in aliqua religiosa domo et ad vacandum spiritualibus exercitiis adigere ; vel tandem quidquam aliud facere, præter hæc duo, *interdicere ab ascensu ad ordines et suspendere ab ordinibus, officiis, dignitatibus, gradibus et honoribus ecclesiasticis.* In cæteris enim dictum Tridentinum decretum nihil immutavit; et in eis sese gerere debet episcopus prout de jure, perinde ac si non exstaret præfata Tridentina dispositio. » (Bouix, *ibid.*, cap. 3 et 4.)

2° Episcopi prædictam suspendendi potestatem non habent, nisi procedant in clericos tanquam delinquentes. (Ex cap. 1 sess. 14 Trident. et decis. sacræ congr. Concil. supra allatis, *ob occultum crimen.*) Hinc episcopus clericum a sacrorum ordinum exercitio ob causam incapacitatis ex informata conscientia suspendere nequit, quia ita declaravit sacra congregatio Concilii, prout refert Giraldi *Summa constitutionum apost.* part. II, sect. 43, et *In Calaguritana*, 10 Maii 1625.

3° « *Extra casum occulti criminis, videtur episcopum ex informata conscientia*, si non invalide, certum *illicite procedere* ut supra expositum est.

4° « Non sufficiunt probationes quæ soli episcopo crimen probare valeant ; sed requiruntur eæ quæ aptæ sint ad probandum crimen apud sacram congregationem Concilii. Arguitur : 1° ex eo quod nunquam judici liceat scientia privata uti ad condemnandum reum ; 2° ex eo quod a suspensionibus extrajudicialiter prolatis, certum sit dari ad papam recursum.

5° « Nequit episcopus ordinationem absque justa causa recusare, et a recusatione patet semper ad papam recursus; prout probatum est supra de ordinandis.

6° « Potestas episcopalis clericos ex informata conscientia suspendendi, probabiliter non extenditur ad privationem beneficii vel fructuum beneficii, sed tantum ad privationem officii cui annectitur beneficium... » (Bouix, *ibid.*, part. IV, pag. 340 ad 355 ; adnotator ad Ferrar. voce *Suspensio*, art. 1, n. 8 et seqq.)

7° Nec officiales, seu vicarii generales episcoporum, nec vicarii foranei, sed solummodo episcopi per se ipsos possunt ferre sententias ex informata conscientia. (Monacelli, part. III, form. 6, tit. II.)

8° Quamvis episcopus, absque monitione, nec citatione, nec discussione, nec delicti reo manifestatione, nec uno verbo ulla judiciaria forma, sententias ex informata conscientia ferre possit, non expedit quidem semper absque ullis formis procedere. Itaque Bolgenius, in opere posthumo cui titulus, *Dei limiti delle due potestà ecclesiastica e secolare*, edito Florentiæ anno 1849, part. CXXXVII. n. 164, his verbis restrictam hanc potestatem quoad licitatem et decentiam, non vero quoad validitatem profert : « Episcopis ex informata conscientia procedendi facultatem fecit Tridentina synodus : inde autem inferendum nequaquam est, ut nonnulli existimant, episcopo id potestatis concedi, ut in reum valeat privatim et ex causis sibi notis pronuntiare sive pœnam spiritualibus exercitiis vacandi, sive mulctam, sive censuram ; absit. Hoc enim abusus auctoritatis foret. Debet ante omnia episcopus plenam de delicto certitudinem sibi comparare, nec facile secretis accusationibus, certarum præsertim personarum, fidem adhibere. Tum vocato secrete reo, ipsi delictum manifestare ; circumstantias, quatenus prudenter fieri potest, indicare; et patienter audire quidquid idem reus pro sui defensione proponenda habebit : quæ omnia ex rigorosa et naturali justitia debentur. » (Et hæc doctrina confirmatur apud Monacell., part. III, tit. II, form. 6, infra citanda.)

Ex mente sacr. congregationis Conc. in

epistola ad Venetum nuntium, « episcopus auctoritate sua abutitur, procedendo videlicet modo prædicto ad pœnam suspensionis, sine gravi causa, adversus sacrorum canonum præscripta, et in animæ propriæ perniciem ; » sunt verba sacr. congr. apud Ferrar. verb. *Suspensio*, n. 15.

9. *Correctionis exempla et casus.* — 1° Alearum ludus est clericis vetitus... et a sacris conciliis constanter damnatus (concil. Constantinop. III, cap. 50, can. 1, dist. 35 ; Concil. Trident. sess. 22, c. 1 ; sess. 24, c. 12), et tanta exsecratione, quod possint clerici beneficiati si tali ludo publice incumbant, privari beneficiis, et aliis etiam pœnis affici. (Monacel. tit. V, form. 9, n. 6.)

« In criminibus occultis quæ in foro externo probari non possunt, v. gr. ludus alearum, sive chartarum, etc., episcopus moneat pro prima vice paternaliter clericos, ut abstineant ; si non pareant, secunda vice moneat judicialiter. Monitione exsecuta, et in actis curiæ reproducta, si clericus non desinat ludere, examinandi erunt super transgressione monitionis testes, qui si illam probent, proceditur ad suspensionem, prout in formula (form. 6, tit. II, part. III), pro tempore judici bene viso, habito respectu ad circumstantias plus vel minus transgressionem aggravantes. Quod si per testes transgressio probari non possit, prout sæpe contingit ob versutiam ludentium, et fidem datam sociorum ludi, si judici de ea certo constet aliunde, poterit ad hanc pœnam, extrajudicialiter procedendo ex sola informata conscientia devenire, decretum ita formando :

« *Constito nobis, presbyterum N. esse reum criminis, cum ob causas, quæ animum nostrum digne movent, et de quibus Deo, et sedi apostolicæ cum habuerimus in mandatis, rationem reddere debemus, et ex informata conscientia, a divinis suspendimus per sex menses, et suspensum declaramus, ac ei decretum suspensionis intimari mandamus.*

N. Episcopus. — N. Actuarius.

« Hoc enim casu episcopus (qui subscribere debet decretum, et non vicarius) relicta via judiciali procedit contra reum ex informata conscientia extrajudicialiter, et illum punit pro crimine occulto sibi noto, nulla facta mentione delicti, in specie, quod commisit, et in foro externo probari non potuit, ne detur ei ansa appellandi, et de nullitate, seu injustitia reclamandi, ob defectum processus. Et hoc remedio uti poterit in aliis casibus difficilis probationis, mali exempli, ne delicta et excessus remaneant impunita, juxta sibi traditam facultatem a conc. Trident. cap. 1, sess. 14, *De reform.*, et prout facere posse jam declaravit sacr. congr. Conc. *in Bononien.* 14 Novembr. 1654. » (Monacelli, t. III, part. III, tit. II, form. 6.) Ex hac formula, sicut etiam de recursu ad sanctam sedem erui videtur quod sententia ex informata conscientia debeat proferri in scripto et reo tradi juxta jus commune pro omnibus sententiis, et forte etiam sub pœnis de jure pro latore.

VIII. *De potestate gratiam faciendi.* — Cum episcopi habeant in propria diœcesi merum et mixtum imperium, ac ad instar principum possint gratiam facere de delictis, saltem de consuetudine, ut communiter firmant multi, et non solum respectu ad clericos, sed etiam ad laicos in delictis mixti fori quoties prævenerint, et non solum ante sententiam, sed etiam post latam sententiam, etiamsi in ea non sit reservata facultas aggratiandi, non ambigitur, quod valide et licite valeant reos ad compositiones admittere, ut aiunt mox citati : nam cum Ecclesia sanguinem abhorreat, et semper mitius agat cum delinquente, compositio dicitur potius commutatio pœnæ quam remissio. Est tamen verum, quod est unum de reservatis episcopo : adeo ut vicarius generalis sola sua potestate ordinaria, non potest reos ad compositionem admittere, ut probat Sperell. decis. 1, 6, n. 84 et seqq.; sed exigitur specialis delegatio. »

« Has tamen compositiones non possunt episcopi sibi ipsis applicare, sed in pauperes, et pios usus erogare tenentur, et est adeo verum, quod si non faciant, etiam post eorum mortem detrahuntur ex spolio, ut sub die 7 April. 1618 sacr. congr. declaravit. » (Monacel. t. II, tit. XV, form. 3, n. 8.)

IX. *Quæ jubere aut prohibere clericis possit episcopus.* — 1° *Vestis.* Potest et debet episcopus de jure clericis vestem talarem præscribere, ipsique eam tenentur deferre, ex text. in cap. penultim. 23 dist. c. *Episcopi*, et c. *Sine ornatu*, causa 21, quæst. 4 ; Clement. 1, *De vit. et honest. cleric.*; Concil. Trident. sess. 14, c. 6 ; et sess. 22, c. 1, *De reform.* : et præsertim sacerdotibus commorantibus in civitate, qui continuo illam gestare debent, ut probavit sacr. congr. Con-

cil. 8 Jul. 1690, et multis aliis declarationibus citatis apud Bouix, *De episcopo*, t. II, p. 334, etc ; aliis autem quibuscunque clericis hoc idem injungere in functionibus ecclesiasticis, non obstante exiguitate seu paupertate locorum ; sic respondit ead. sacr. congreg. 4 April. 1693 ; 20 Maii 1699; et sacr. congr. Episc. 22 Maii 1699. »

« Præcipuum requisitum clericorum est, tonsuram et coronam deferre in signum regni quod in Christo exspectatur, de quo passim canones loquuntur. (C. *Prohibete*, cap. penult. 23 dist. ; c. *Duo sunt*, causa 12. quæst. 1, etc. — Monacell. t. I, tit. v, form. 9, n. 2 et 4.)

« Clericalis habitus est ille, qui præscribitur ab episcopo juxta dispositionem concilii cap. 6, sess. 14. Si vero ab episcopo non præscriberetur, debet esse talis ut clerici distinguantur a laicis... Hodie tamen, attenta constitutione Sixti V, vestis talaris est proprie habitus clericorum... (Monacel. t. II, tit xv, form. 4.) Quod si ad pedes contingat, nullatenus tamen per terram trahatur, humum verrens ; cum hæc, non honestas, sed superfluitas et indecentia censeatur. » (Can. 16, cap. 15, *De vit. et honest. cleric.* et *concil. Toletanum* 1324, c. 2 ; apud Benedict. XIV, *De synod. diœces.* lib. xi, cap. 8, § 2.)

Episcopus non potest præscribere ut clerici « pectoralibus... aut aliam superfluitatem gerentibus utantur ; neque fibulis, neque corrigiis auri vel argenti ornatum habentibus ; » quia istæ superfluitates lege universali interdicuntur. (Cap. *Clerici officiali*, *De vit. et honest. cleric.*, et Clement. cap. *Quoniam* 2, *ibid.* et cap. *Clerici* 22, dist. 23.)

Attamen quamvis c. *Clerici* cit. dicat : *Clerici fibulas omnino non ferant*, Benedictus XIV, *De synod. diœc.* lib. xi, cap. 4, prohibitionem fibularum, quæ hodie ad calceos colligandos sunt in usu, ut nimium severam existimat neque his temporibus aptari dicit laudatam Innocentii III decretalem. Quo videtur episcopum nec jubere nec prohibere talia debere, nisi aliquam præ se ferant vanitatem laicis offensivam. Quod possit episcopus juxta caput 6, sess. 14 Trident. adigere clericos ad servandas suas circa clericalem habitum ordinationes, nullum est dubium ; cavendum tamen ipsi est a nimio in hisce pœnis decernendis rigore ; præsertim a censuris *ipso facto* incurrendis. Eas enim sacra congregatio Concilii non approbat, et moderari solet, ut adnotatur a relatore in causa *Spoletana* 14 Januarii 1764. (Apud Bouix, *De episcopo*, t. II, p. 336.)

« Clerici primæ tonsuræ et minorum ordinum non beneficiati, qui cum de jure communi non cogantur deferre habitum clericalem, nisi causative, quatenus velint gaudere privilegiis clericalibus, *ut notant multi* ; monendi sunt ut illum deferant, ut possint illis privati declarari, quatenus non obediant. Cæteri enim beneficiati, et in ordinibus sacris constituti, etiamsi habitum non deferant, adhuc gaudent privilegio clericali, licet peccent mortaliter, et plecti debeant, et beneficiis ipso jure privati sint. (Const. 92 Sixti V. — Monacel. tit. 15, form. 4.)

« Ex multis sacr. congr. Immunit. resolutionibus edocetur episcopus, non solum quid agere debeat contra non deferentes habitum, sed admonetur, quod procedendo ad privationem privilegiorum exemptionis, debet servare ordinem juris, et quod non sufficit edictum generale quo monentur clerici ad gestandum habitum, et inserviendum ecclesiis. Nam requiritur trina monitio et decretum privationis, aliter gaudeant privilegiis. » (S. congr. Immunit., sæpe sæpius apud Monacel. *ibid.* form. 4, n. 7, 9 et 10.)

« Possunt clerici habitum clericalem dimissum reassumere non obstante prohibitione episcopi, quamvis emanasset in synodo. (Communis, et card. De Luca supra *Trident.* disc. 24, n. 36 ; sacr. cong. Conc. 29 Novembr. 1692 ; apud Monacel. Suppl. tom. II, tit. 15, form. 7, n. 1.) Intellige, dummodo non sint degradati, aut clerici minores non canonice coram episcopo renuntiassent clericatui.

2° *Armorum et venationis prohibitio.* — « Clerici arma non deferant propter periculum, cui se exponunt, evadendi ex illorum usu irregulares, et quia hujusmodi delatio est contra spiritum lenitatis. » (Cap. 1, cap. *Cum a Judæis*, c. *Non pila*, c. *Clerici*, c. *Quicunque*, causa 23, quæst. 8 ; c. 2 *De vit. et honest. cleric.* ; c. *In audientia*, *De sent. excom.* ; Clement. 1, *De vit. et honest. cleric.* Quibus interdicitur etiam venatio.)

« Episcopus concedere potest licentiam venandi reti, vel laqueo, non autem armis : ita omnes ; primo, quia episcopus non dispensat in jure communi, ut in puncto delationis armorum communiter tradunt glossa in c. 2 *De vit. et honest. cleric.* et multi doctores. Se-

cundo, quia episcopus astringitur servare canones, alias illos voluntarie violando graviter peccat, *Glossa* in extravag. *Sancta Romana* et sac. congr. Concil. : « Idcirco edicimus, ne clerici arma cujusvis generis ferant. Quod si episcopus probabili justaque de causa id eis permittendum judicaverit, tunc scripto impetrata venia ipsis uti liceat, non tamen publice, nisi rei, aut facti necessitas postulet. Omnino balistis, hastis, et sclopetto, aliisque hujus generis instrumentis ipsis interdicimus. » (Prout etiam censuit ead. sacr. congr. *in Ostuen.* 6 Julii 1697. — MONACEL. tit. 6, form. 5.)

« Prohibente statuto sive edicto delationem armorum, judex potest procedere contra illa frequenter portantem per inquisitionem, etiamsi non sit captus in flagranti. Dixi frequenter sclopo venatorio utens, cohærendo decreto sacr. congr., nam si bis, terque, quaterque in anno clericus etiam in sacris constitutus, moderatione et modestia servata, *nec nunquam habitu clericali dimisso*, in saltu, vel agro ad necandas aves, recreationis gratia, sclopo venatorio uteretur, non esset processandus, nec puniendus, sed cum eo connivendum, et dissimulandum. (*Glossa* in cap. 1 *De cleric. ven.*) Nunquam tamen *licentia explicita* dispensandum.» (MONACEL. t. II, tit. 15, form. 4, n. 21 et 23.)

In his vero et aliis hujusmodi, si episcopus procedat, admonitio debet esse trina, neque sufficit una pro tribus. (Text. expres. in c. *In audientia* et c. *Contingit* 2, *De sententia excom. clem.*) Sufficeret tamen unica in duobus casibus ; primo in locis in quibus ex dispositione statuti a sede apostolica approbati, unica monitio (quando quis monendus est) sufficit ; secundo quando monitio jam facta esset in synodo ; nam generaliter quod constitutio synodalis habeat vim triplicis monitionis, tradunt communiter doctores (ID. *ibid.* form. 5.)

3° « Non debent clerici incedere cum larva ; choreas ducere, nec in loco ubi ducuntur, sive aliis profanis spectaculis interesse. (Cap. *His igitur* 23, dist.; cap. *Non oportet*, *De consecrat.* dist. 5; sac. congr. Episcop. 5 Februar. 1585.)

4° Debet episcopus punire eos qui non celebrarent secundum sacros canones, saltem ter vel quater in anno.

5° Prohibere, ut non se implicent negotiis sæcularibus a sacr. canonibus vetitis. (MONACEL. t. I, tit. v, form. 9, n. 7 ad 16.) Clerici negotiatores puniendi erunt ad præscriptum sacr. canonum, nempe cap. *Secundum ; Sed nec; Ne clerici vel monachi*; c. fin. *De vit. et honest. cleric.* cap. *Consequens*, 88 dist.) Quæ autem sint negotia etiam clericis licita, pro quibus non debeant molestari, referunt et enumerant Barbosa, *De jur. eccles.* lib. I, c. 40, num. 119 cum seqq. ; Possevin. *De stat. hodiern.* t. II, quæst. 287, n. 153 et seqq., ubi decreta sacr. congr. refert per extensum.

6° « Clerici peregrinari non debent, nisi de licentia episcopi. (Cap. *Non oportet*, *De consecr.* dist. 5; cap. *Magnæ* vers. *Cum enim*, *De vot.*) Concurrente tamen honesta causa absentiæ, licentia hujusmodi non potest ab episcopo denegari, alias datur recursus ad superiorem, qui licentiam ordinarii supplendo ipse concedat, vel ut prælatum compellat ad illam dandam, ut docet Abb. in cap. *Relatum* n. 6, *De cler. non resid.*) Clericis edendi, et bibendi causa tabernas, nisi itineris causa, ingredi prohibere potest. (C. *Non oportet* 2 ; cap. *Nulli cler.* 3, et cap. *Clerici* 4, distinct. 44, et cap. *Clerici officia* 15, *De vita et honestate cleric.*)

7° Episcopus potest sub pœna pecuniaria compellere omnes sacerdotes sæculares confessarios, etiamsi canonici sint, cæteros autem hortari tantum, ut accedant ad congregationem casuum conscientiæ in loco ab episcopo arbitrando et designando (S. congr. Concil. 15 Mart. 1629 ; Januar. 1696, et 6 Jul. 1697 ; 20 Maii 1699.)

8° « Clerici non possunt cogi ab episcopo ad præstandum aliquod servitium non expressum in jure (C. *Quia cognovimus* 6, causa 10, quæst. 3.) Et alias responsum est clericos non habentes officium, vel beneficium ecclesiasticum in civitate vel diœcesi cogi non posse ab episcopo ad publicas processiones accedere. (Sacr. congr. Conc. 9 Maii 1597, et communis.) Sic etiam simplices sacerdotes non habentes officium neque beneficium in ecclesia cathedrali, non possunt per episcopum cogi ad idem, et canonicis inserviendum in functionibus ecclesiasticis, seu munere diaconi, vel subdiaconi in missis cantatis, non obstante exiguo numero canonicorum, ut pluries declaravit sacr. congr. Concil., nisi adesset contraria consuetudo. (Ead. sacr. congr. 15 Nov. 1670 ; 21 August. 1706 ; 20 Septembr. 1704.) Vel nisi ageretur de clericis pro necessitate et utilitate ca-

thedralis ad titulum patrimonii ordinatis, quæ cum eis indigeat, possunt cogi ad inserviendum, dato illis assignamento competenti pro servitio, ut respondit sacr. congr. Episc. et Regul. 5 April. 1593 et sacr. congr. Concil. 22 Augusti 1631. Vel nisi recurrat ad sacr. cong. Conc., quæ solet indulgere ut possint cogi presbyteri, qui habent beneficia, vel capellanias in cathedrali, ad inserviendum missis solemnibus pro diacono et subdiacono, assignata illis aliqua emolumentorum portione. » (Ferrar. verb. Clericus, art. 8, n. 1-3.) Sed mansionario adscripto cathedrali, qui locum inconsulto episcopo desereret, interdicendum erit tantummodo sacrorum exercitium, juxta Trident. cap. 16, sess. 23 *De reform.*, sacr. congr. Concil. 21 Junii 1631, et pluries.

9° « Episcopus non potest clericis beneficiatis addere nova onera in fundatione beneficiorum a fundatoribus non apposita, aut a sacris canonibus non imposita, nec etiam de consensu patronorum, et etiamsi consensus canonicorum seu beneficiatorum antecessorum intercessisset. (S. congr. Concil. sæpe sæpius.)

10° « Episcopus non potest a clericis exigere charitativum subsidium, nisi sit pauper, nec etiamsi pauper a clericis non beneficiatis. » (S. congr. episc. 19 April. 1697, et doctores; Ferrar. verb. *Clericus*, art. 8, n. 13 et 18.) Nec ulla alia subsidia a clericis exigere potest.

11° « Nequit episcopus exsecutione suorum mandatorum uti opera clericorum . . . quia honestas ipsa clericalis non patitur, quod clerici exerceant officium satellitum, quod est infame. » Si enim episcopus mitteret clericos armatos ad capiendum reos, vel pignora, esset res pessimi exempli, pluries a sacr. congr. damnata, ut testantur Nicol., Pignatell., Pellegr., apud Monacel. part. III, tit. I, form. 10, n. 10.

12° « Clerici sæculares transire possunt ad religionem non petita episcopi licentia, imo ipso contradicente, » textu expresso in cap. *Duæ sunt* 2, causa 19, quæst. 3; et sic statuit expresse Bened. XIV, const. *Ex quo*. At clericus, animarum curam gerens, de suo in religionem secedendi proposito episcopum suum certiorem facere tenetur ex ipso jure naturali, prout tradit Benedictus XIV cit. brev. *Ex quo*. — « Facultas quam habent clerici religionem ingrediendi absque licentia episcopi, intelligenda etiam est de ingressu in congregationes cum votis simplicibus perpetuis approbatis. » — Attamen « casu quo Ecclesia grave damnum pateretur ex transitu clerici ad religionem, posset eum episcopus repetere, etiam post professionem; » id docet Benedictus XIV, bul. *Ex quo* 14 Januarii 1747. (*Vide* Bouix, tract. *De regularibus*, tom. I, p. 542 ad 553.)

13° Episcopus permittere debet, ut presbyteri pro causis civilibus in foro sæculari examinentur tanquam testes, dummodo ex eo aliquo modo criminalitas oriri non possit, et juramentum in tribunali episcopi præstetur. (S. congr. Episc. 16 April. 1616, et 19 Jul. 1619.) Et licentia gratis expedienda est. (S. congr. Immunit. 5 Maii 1637.) — Ferrar. v. *Clericus*, art. 8, n. 25.)

14° Ex eo quod clericus episcopi sui sententiam, in quæstionibus a theologis et canonistis controversis, non teneat, nec in praxi sequatur, haud licet episcopo ullatenus in eum animadvertere. « Neque fas erit episcopo . . . quidquam de ejusmodi controversia in sua synodo decernere, ne videatur sibi arrogare partes judicis inter gravissimos hac super re inter se contendentes theologos. » (Benedict. XIV, *De synod. diœces.* lib. VII, c. 11, n. 2.)

15° Tum ex veteri disciplina de qua loquitur Benedictus XIV, *De syn. diœc.* lib. XI, cap. 2, n. 4, tum ex concilio Tridentino, sess. 16, c. 23 et alibi, certum est clericum non posse locum cui adscriptus est, inconsulto episcopo, et sine ejus licentia, deserere; secus « ei sacrorum exercitium interdicatur. » Ita Fagnan. in cap. *Admonet*, de renuntiatione, 15; et ita decisum est a sacr. congr. Concil. 8 Maii 1705.

Ab eadem sacra congr. Concil. in causa *Ariminensi* 5 Decembris 1574, expresse decisum est in hunc modum: « Clericus, qui certo loco non est ascriptus, ab episcopo suo invitus retineri non potest, ne a sua diœcesi recedat, et alibi parochialem accipiat; ascriptus vero retineri potest invitus. »

Beneficiatus nequit beneficium suum dimittere absque consensu prælati sui, et contra faciens potest excommunicari. (C. *Admonet* 4, *De renuntiatione*.)

Attamen beneficiatus, si eligatur ad aliud beneficium, etiam in alia diœcesi, potest electioni consentire : quo casu, si episcopus sine justa causa renuat concedere petitam

licentiam dimittendi prius beneficium, ad eam concedendam cogi potest per superiorem. (FAGNAN. in cap. *Admonet*, 4, *De renuntiat.*)

Clerici quorum beneficia sunt simplicia, et simul nec residentiam, nec ullum personale servitium exigunt, beneficia ista dimittere seu resignare possunt, etiam invito episcopo suo. (FAGNAN. *ibid.* n. 25.)

Episcopus suos presbyteros seu clericos in sua diœcesi retinere potest, quamvis nullius Ecclesiæ fuerint ascripti, et nullum habeant residentiale beneficium; dummodo tamen de convenienti sustentatione ipsis provideat. Si vero eisdem de congrua ab episcopo non provideatur, ipsi possunt invito episcopo e diœcesi discedere, et alibi commorari; et episcopus tenetur « per se loquendo hujusmodi clericis dare litteras commendatitias, si has ex peregrinationis, aut etiam domicilii vel diœcesis mutandæ causa petant. » Ita breviter concludendum est ex communi doctorum, et præsertim Schmalzgrueber, Barbosa, Monacello, Pirhing, Castropalao, Ferraris, Fagnano, item ex multis sacr. congr. Concilii declarationibus inter se collatis, apud Bouix, *De episcopo*, t. II, pag. 277 ad 287.)

16° Non tantum potest, sed debet episcopus prohibere, ne in sua diœcesi ad celebrandam missam admittantur presbyteri peregrini, qui commendatitias sui ordinarii litteras non habent, necnon vagi et ignoti. (*Trident.* c. 16, sess. 23 *De reform.* et sess. 22, decret. *De observand. et evitand. in sacrificio missæ.*)

Potest episcopus prohibere, ne rectores ecclesiarum prædictos extraneos ad celebrandam missam admittant, nisi munitos licentia, quam ipse vel vicarius generalis in scriptis dederit. Sub nomine *peregrini* hic veniunt tantum ii qui vagi et ignoti sunt, ex mente Tridentini, sess. 23, c. 13, ibi: *Incertis vagentur sedibus;* non autem extranei bene noti; nam si clericus est notus, non indiget litteris commendatiis sui episcopi, ut admittatur ad celebrandum.

Imo si presbyter peregrinus commendatitias litteras amiserit, et per testes aut alio modo sufficienter probet se esse sacerdotem commendabilem, potest episcopus ad celebrandum missam eum admittere: at solum juramentum non supplet commendatitias litteras. Ita communis apud Bouix *De episcopo*, t. II, p. 294.

« Si sacerdos peregrinus non habeat litteras commendatitias, et ideo ad celebrationem missæ non admittatur, tenent doctores eum nihilominus posse secreto celebrare, dummodo absit scandalum. » (ID. *ibid.*)

« Nequit episcopus extraneos sacerdotes arcere a celebranda missa, ob solam rationem quod extranei sint. » Nam sacerdos jus habet ad celebrandum, dummodo non sit arctatus per censuras aut per leges Ecclesiæ. Atqui soli vagi et ignoti prohibentur admitti ad celebrandum per legem Tridentinam. Qui vero bene sunt noti, et qui commendatitias litteras habent, nec aliunde ligantur censuris, jus suum servant et a celebranda missa prohiberi non possunt. Ita communis apud Bouix, *ibid.* p. 294 ad 297.

17° Non potest episcopus exteris sacerdotibus, qui jus aut licentiam sui episcopi habent, injungere, ut ab ipsius diœcesi abeant et renuentes a celebratione missæ arcere, pœnisque plectere. (ID. *ibid.* p. 299.)

CAPUT IX.

Episcopus quoad beneficia ecclesiastica, alienationes et ultimas voluntates.

I. 1° Episcopis jure communi data est potestas conferendi beneficia suæ diœcesis, nisi specialiter excepta sint, ut patet ex can. *Regenda* 4, causa 10, quæst. 1; can. *Omnes basilicæ* 10; can. *Nullus* 11, causa 16, quæst. 7; cap. *In ecclesiis* 1, *De cappell. monach.*, et c. *Cum ex injuncto* 12, *De hæret.*

2° Quoad collationem præbendarum, canonicatuum, et dignitatum, etc., ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, attendenda sunt specialia certarum ecclesiarum, vel personarum privilegia, statuta, consuetudines, fundationes, etc. — De jure communi, et præscindendo a contraria consuetudine collatio canonicatuum et præbendarum ecclesiæ cathedralis pertinet ad episcopum et capitulum simul, ita ut episcopus æqualem vocem cum capitulo habeat. (C. *Un.*, § *Cum vero, ne sede vacante*, et c. *Postulasti* 15, *De concess. præb.*, et communis doctorum apud Schmalzgr. part. I, tit. V, n. 46 ad 50.)

II. 1° Episcopi auctoritas est necessaria in fundatione, dotatione, aut erectione ecclesiæ, vel beneficii. (SCHMALZ. part. IV, tit. XXXVIII, n. 36.)

2° Episcopo jure communi potestas com-

petit perpetuo, citra præjudicium tamen, uniendi ecclesias, et beneficia omnia suædiœcesis, non exempta ab ejus jurisdictione. (C. *Sicut* 8, *De excess. prælat.*, et communis doctorum.) Quod extenditur 1. Etiam ad beneficia reservata, modo reservata non sint perpetuo ; hæc enim ab episcopo alteri beneficio uniri non possunt. 2. Extenditur ad beneficia, ob negligentiam, vel ignorantiam prædecessorum devoluta ad papam. 3. Ut unire possit non tantum sæcularem alteri sæculari, sed etiam regulari, aut alteri loco religioso, quamvis exempto; ex Clem. 2, *De reb. eccles. non alien.* c. *Constitutionibus* 4, *De donat.* — Dixi *citra præjudicium tamen;* nam episcopus unione sua jus suum alteri quæsitum eidem auferre non potest. Hinc si uniatur beneficium viventis , vel provisi a papa per exspectationis gratiam, aliterve, effectum unio non habebit nisi post eorum decessum aut demissionem. (Schmalz. part. I, tit. V, n. 172 et 173.)

3° Translatio bonorum, vel reddituum unius ecclesiæ particularis ad aliam ecclesiam potest ab episcopo, vel ab alio simili prælato, qui jurisdictionem quasi episcopalem habeat, fieri tribus his concurrentibus: 1. Ut fiat ex justa causa. 2. Ut prius rectori, et ministris, item fabricæ ecclesiæ, de cujus bonis translatio facienda est, ex ejusdem redditibus provideatur, quod necessarium ipsis est. 3. Ut interveniat consensus capituli.

4° Idem dicendum est de permutatione; nam hæc cum consensu clericorum utriusque ecclesiæ fieri ab episcopo duntaxat potest. (Schmalz. part. I, tit. XIII, n. 22 et 23.) Nam episcopus auctoritatem permutationi beneficiorum justis de causis præstare potest. (Schmalz. part. II, tit. XIX, n. 65 et seq., dummodo permutationes canonicis sanctionibus, et apostolicis constitutionibus permittantur. (Id. *ibid.* n. 78.)

5° Episcopus cum consensu capituli numerum præbendarum diminuere, aut beneficia ecclesiastica omnino exstinguere potest, quando ob tenuitatem reddituum sustentationem congruam jam beneficiato non præbent. Excipitur triplex casus : 1. Cum agitur de exstinguenda aliqua dignitate, quæ secundum jus commune in ecclesia esse debet, tunc enim requiritur insuper auctoritas papæ. 2. Si beneficium de cujus exstinctione agitur, non ab episcopo vel capitulo, sed ab alio fundatum sit; tunc enim opus est consensu patroni. Si tamen patronus irrationabiliter renueret, etiam eo invito diminutio fieri posset. 3. Si diminutio numeri præbendarum cederet in commodum episcopi et capituli; tunc enim ad superiorem, v. gr. archiepiscopum, vel papam recurrendum esset, ut is consentiat, ne episcopus vel capitulum facto proprio auctoritatem præstet. (Schmalzg. part. I, tit. XII, n. 48 ad 54.)

6° Episcopus potest redditus beneficii vacantis, vel partem eorum reservare ex duplici causa. *Prima* est, ut solvat debita, contracta non suo privato, sed ecclesiæ, seu episcopatus nomine. *Altera* est si reparanda sit fabrica ecclesiæ cathedralis. (Schmalz. *ibid.*) Sed in ultimo casu, dubitandum est an in Gallia possit episcopus pro fabrica cathedralis reparanda reservare redditus beneficii vacantis, quia gubernium contendit cathedrales esse suam proprietatem, et consequenter eas reparandas in se recipere debet; et redditus beneficii sic ab episcopo destinati essent boni ecclesiastici alienatio.

In aliis casibus nequit episcopus absque privilegio pontificio sibi reservare aut capitulo redditus quoscunque beneficiorum ecclesiasticorum. (Schmalz. *ibid.*)

III. *De alienationibus bonorum ecclesiasticorum.* — 1° Res ecclesiarum immobiles, res mobiles pretiosæ, ususfructus longi temporis, census, seu reditus, et pensiones annuæ ex re immobili provenientes, aliaque jura incorporalia, actiones rerum immobilium, et mobilium pretiosarum, reliquiæ sanctorum insignes, bibliotheca saltem copiosa, ab episcopis, prælatis, et aliis ecclesiarum rectoribus libere alienari nequeunt absque solemnitatibus juris. (C. *Nulli* 5, *De rebus eccles. non alienand.*; c. *Quisque* 19; c. *Episcopi* 34; c. *Placuit* 51 ; c. *Sine exceptione* 52, causa 12, quæst. 2.) Item c. 1, 7 et 8 *De his quæ a prælatis ;* c. 1, 5, 6, tit. XIII *De rebus eccles. non alien.* et c. 1 et 2, eod. in 6; Clem. 1 et 2, et extrav. *Ambitiosæ inter com.* eod. tit., in qua excommunicantur tam alienantes quam recipientes bona ecclesiastica, et episcopi, etc., alienantes interdicuntur. (*Vide* decretalem *Ambitiosæ*, infra, lib. III, *De capitulis*, cap. 23 Idem decrevit Trident. sess. 22, c. 11, *De reform.* ; Leo X, 8 idus Maii 1517; Julius III, 23 Maii 1552; Paulus IV, pridie Idus Julii 1562; Pius V,

Kalend. Januar. 1569; Clemens VIII 1592; Urbanus VIII 7 Septembr. 1624.) Ratio hujus tam multiplicis prohibitionis est necessitas et utilitas ecclesiarum ac locorum piorum, contra quam prælati aliique administratores facile alienationes fecissent nisi adeo multiplici et stricta lege fuissent prohibitæ. (Schmalz. part. I, tit. XIII, *De rebus eccles.* n. 26 et seq.)

2° Præter causam justam, ut alienatio rerum immobilium, et mobilium pretiosarum fieri possit, etiam opus est, ut ea fiat cum requisitis a jure solemnitatibus, quarum quinque enumerantur : 1. Tractatus, quo prælatus cum capitulo deliberet; debet autem tractatus iste præcedere actum alienationis et de illo habito rite constare per instrumentum. (Rota decis. 716, n. 2, part. I. divers.) — 2. Requiritur *consensus majoris partis capituli.* (Can. *Sine exceptione*, 52, caus. 12, quæst. 2, c. *Irrita*, 1; cap. *Cum nos* 3, etc. *Tuo nuper* 8, *De iis quæ a prælat.*) — 3. Requiritur *subscriptio* a capitulo facta, *iisdem can.* — 4. Requiritur *auctoritas* sive *consensus superioris*, hoc est ejus, qui ex munere publico ecclesiæ præest, ut habetur in iisdem canonibus, et præsertim in c. *Sine exceptione*, supra.

3° Denique præcedentibus solemnitatibus jure novo accessit *consensus apostolicus*, quem ad alienationem rerum ecclesiæ immobilium, vel mobilium pretiosarum requisivit Gregorius X. (C. *Huc consultissime* 2, tit. XIII. *De rebus eccles. non alien.* in 6; et Paulus II, extrav. *Ambitiosæ*, eod. tit. inter com.)

Juxta Schmalzgrueber, cum multis ab ipso allatis, part. I, tit. XIII, n. 116 ad 118, pro valida habenda est alienatio, quæ facta est sine præscriptis a jure solemnitatibus, interveniente tamen causa justa, et consensu pontificis absoluto legitime, et absque ob vel subreptione impetrato. Et confirmatur praxi sanctæ sedis, quæ pluries et præsertim in Gallia, omnium ecclesiasticorum bonorum alienationem, quamvis illegitime et injuste factam, legitimavit et sancivit.

Apud eumdem Schmalzgrueber, ibid., n. 122 et seqq., dubitatur an extravag. *Ambitiosæ* cit. sit usu recepta? Resp. doctores hic admodum variare... Rectissime monet Sayr. et alii consulendam esse praxin, et consuetudinem locorum; atque ea standum... Vagn. in extrav. cit. verb. *Inconsulto*, putat in multis locis Germaniæ validas videri alienationes, quæ sine summi pontificis consensu fiunt, præsertim a principibus ecclesiasticis, qui propter hanc causam alicubi, saltem in magni præjudicii alienationibus ad papam recurrere non solent. (Schmalzgr. *ibid.* n. 123.)

Idem dicendum est de Gallia, ubi episcopi in alienationibus ad papam recurrere non solent. Si igitur horum doctorum sententiæ standum sit, restat ut episcopi tantum solemnitates juris supra enumeratas stricte observent in alienationibus bonorum ecclesiasticorum; secus alienationes irritæ et invalidæ sunt.

« In alienatione rerum pertinentium ad ecclesias cathedrali inferiores, quæ non habent capitulum nec conventum, distinguunt : 1° Si rem talis ecclesiæ alienat ipse episcopus, consensus capituli cathedralis est necessarius. 2° Si vero ejus ecclesiæ rector, vel beneficiatus alienat, sufficit, si hanc alienationem faciat auctoritate episcopi, quamvis melius foret etiam habere capituli consensum. (Schmalzg. cum pluribus ab ipso allatis, part. I, tit. XIII, n. 82 et 83.)

IV. *De ultimarum voluntatum commutationibus.* — Commutare ultimas voluntates etiam possunt episcopi certis in casibus; nam, argumentis adversariorum non obstantibus, « Communior, et in praxi apud episcopos sententia est, quæ iisdem rerum ad certos usus pios relictarum, a testatore in alios similes usus conversionem, ex justa causa, et ad instantiam hæredum, vel saltem de consensu illorum permittit. Ostenditur 1° ex can. *Præter hoc* 6, dist. 32, ubi asseritur quod *oblationes vivorum et mortuorum in episcoporum dispositione sint.* — 2° Ex Trident. quod sess. 22, c. 6, *De reform.*, episcopis non tantum præscribit modum, quem observare debent in commutationibus ultimarum voluntatum, sed etiam commutationes istas ex justa causa faciendi potestatem iisdem generali delegatione confirmat. — 3° Ratione quia testatorum voluntas, quando ex justa causa in alios, præsertim meliores usus, relicta convertuntur, non infringitur, sed declaratur, ut licet non formalis, virtualis tamen, et interpretativa eorum dispositio adimpleatur. » (Schmalzg. part. III, tit. XXVI, n. 215.)

CAPUT X.

Episcopus quoad regulares et moniales.

§ I. — Communia.

I. Hoc caput abbreviatum et in ordine redactum habemus ex Ferraris *Bibliotheca* verb. *Regulares*, *Moniales*, *Conventus*, etc.; ex Monacelli Formulari; ex Bouix tractatu De jure regularium, etc.: qui omnes citant decreta, bullas, etc. Brevitatis causa plerasque citationes omittimus, quas apud hos probatissimæ doctrinæ canonistas reperire facile est.

II. Regulares positi sunt in Ecclesia, ut sint cooperatores episcoporum in salute animarum procuranda, ut habetur in concilio Lateran. sub Innoc. III, c. 10.

III. Episcopi jurisdictionem ordinariam in regulares habent in iis, in quibus jure ordinario, seu ex suo ordinario officio, ex lege, canone vel consuetudine sibi competente possunt contra eos procedere. (Communis.)

Jurisdictionem vero delegatam in ipsos habent in iis, in quibus, non jure proprio et ordinario suo officio, sed ex sola demandata sibi auctoritate a sede apostolica possunt contra eos procedere, uti cum canones et jura disponunt, ut contra eos auctoritate apostolica, vel tanquam sedis apostolicæ delegati procedant. (Communis.)

§ II. — De regularibus seu virorum congregationibus.

I. *De novorum monasteriorum fundatione.* — Consuetudine jamjam inductum est, ut novæ religiosæ congregationes de sola episcoporum licentia inchoarentur; et satis hodie constat, sedem apostolicam in præfatam consuetudinem consentire. Quod dicendum est etiam de mulierum congregationibus.

Ad novi regularium proprie dictorum et etiam virorum congregationum quarum constitutiones a sede apostolica approbatæ sunt, conventus erectionem in aliqua diœcesi necessaria est licentia episcopi, quam ipse denegare nequit, nisi ex justa causa, et contra injustam ipsius denegationem datur appellatio. Nec liberum est episcopo, ut nullis servatis formalitatibus, licentiam hanc statim concedat vel deneget. Aliorum conventuum virorum ejusdem loci superiores aut procuratores vocare et audire tenetur, nisi satis ipsi constet novum conventum absque aliorum detrimento erigi posse. Non vero tenetur parochum citare seu vocare, sed illum audire, si sese opponat erectioni.

Semel autem legitime constituto in aliqua diœcesi conventu, jam non poterit episcopus conventum hunc supprimere. Sed, si forte suppressio necessaria videbitur, ad sedem apostolicam recurrendum erit.

Alicujus vero congregationis regulares dispersi, seu eorum successores, nulla indigent nova ordinarii facultate, ut monasterium suum reassumant, aut aliud reædificent cum omnibus priscis juribus et privilegiis, his in locis, in quibus canonicejam exstiterunt et quibus spontanee non renuntiaverunt, aut quando a sedis apostolicæ auctoritate non fuit suppressus conventus aut congregatio. Notandum est jus istud pro regularibus violentia aut aliter ex Galliis expulsis aut suppressis: nam tales regulares hoc jure potiuntur.

II. *De conventibus ordinario subjectis.* — Conventus virorum in quo duodecim saltem religiosi convenienter inhabitare et sustentari nequeunt, remanet omnimodæ jurisdictioni ordinarii subjectus. (Ex decreto Urbani VIII.) Innocentius X præcedens decretum confirmavit, prætereaque submisit visitationi, correctioni, et omnimodæ jurisdictioni ordinarii loci omnes conventus de sua auctoritate restitutos tam mendicantium, quam non mendicantium, etiam societatis Jesu in quibus non aluntur vel quandocunque actu non alentur saltem sex religiosi, ex quibus in omnibus casibus quatuor ad minus sint sacerdotes maturæ ætatis.

Quo posito, quid possit episcopus in his conventibus suæ jurisdictioni subjectis?

1. Potest ex rationabili causa, religiosos amovere, commonito tamen prius superiore regulari ad quem pertinet, ut eosdem religiosos assignet in aliis conventibus.

2. Compellere regulares ad exhibendos libros introitus et exitus, et reddendas rationes administrationis.

3. Se ingerere in his, quæ disciplinam regularem concernunt.

4. Visitare ecclesias et capellas granciarum, etiam in quibus nullus degit conversus.

5. Visitare grancias et conversos in eis degentes.

6. Eadem jurisdictio competit vicario generali episcopi.

7. Potest episcopus reassumere causam

a superiore regulari contra subditum degentem in aliquo ex eisdem conventibus ordinario subjectis judicatam, sed tantum ex justa causa, veluti cum videt superiorem regularium ex odio, vel amore, cupiditate, vel metu, aut ex nimia severitate, vel indulgentia quid durius aut remissius constituere quam causa deposcit, in qua ipsius episcopi conscientia oneratur.

8. Si superior regularis religiosum ab episcopo inquisitum a loco amoveret, potest episcopus causam prosequi, et illum quibuscunque remediis revocare, etiam invocato auxilio ordinarii, et brachio sæculari, si opus fuerit, cujuscunque loci, in quo religiosus iste reperiatur.

9. Si a conventu, ex rationabili causa, et ad modicum tempus absit aliquis ex sex religiosis ibi exsistentibus, durante absentia, conventus subjacet jurisdictioni ordinarii; at vero, religioso illo redeunte, vel alias impleto numero sex religiosorum, conventus recuperat pristinam exemptionem.

10. Si gratia restitutionis conventus suppressi reddatur nulla, ex eo quod in illo ad formam decreti cum effectu non aluntur sex religiosi, et postea contingat, ut ejusmodi numerus impleatur, gratia restitutionis conventus non reviviscit.

Sed ad hoc ut gratia restitutionis sit nulla, et conventus denuo remaneat suppressus, propterea quod in eo non sustententur sex religiosi, debet præcedere declaratoria episcopi super facto prævia causæ cognitione, nec ante declaratoriam licet episcopo conventus possessionem apprehendere, aut religiosos inde expellere.

11. Ab hujusmodi declaratoria licet regularibus ad sedem apostolicam appellare ad effectum devolutivum tantum, non autem suspensivum.

12. Cum ex decreti præscripto quatuor sacerdotes in his conventibus degentes debeant esse maturæ ætatis, ætas matura dicitur ad hunc effectum completo anno quadragesimo.

« Ita declaravit et ad quos pertinet observari præcepit, contrariis, etc., sacr. congr. supra statu regul. et SS. D. N. approbavit die 27 Julii 1655. » (Bullar. t. VI p. 5. — Apud Monacel. t. I, Append. pag. 436, etc. in-f°.)

Ex eodem decreto et eadem declaratione, quid non possit episcopus in iisdem conventibus suæ jurisdictioni subjectis?

1. Non potest episcopus abbates, priores, guardianos, et alios superiores locales deputare, nec familiam constituere.

2. Visitare conventus tam suppressos, et postea restitutos, quam non suppressos, ad effectum cognoscendi an in illis re ipsa alantur sex religiosi, minime licet episcopo antequam aliunde constet de fundamento intentionis episcopi deficientia numeri constituto.

3. Non licet episcopo tales conventus visitanti quidquam accipere procurationis nomine.

4. Si provincialis, vel superior localis voluerit aliquem ex fratribus a tali conventu removere, episcopus prohibere non potest.

III. *De ingressu in aliquam religionem.*— 1. Regulares non exspectare tenentur, quamvis deceat, consensum episcopi, ut clericum sæcularem ad habitum suæ religionis admittere possint.

2. Clerici omnes, etiam beneficiarii, atque etiam curam animarum habentes, absque episcopi licentia, quem tamen tenentur, nisi aliquid obstet, consulere, religionem ingredi possunt; etiamsi congregatio non sit exempta, imo etiamsi vota solemnia non habeat, modo tamen pontificiam approbationem obtinuerit. Sed Pii IX auctoritate statutum est ne quis posset in religiosis ordinibus et congregationibus ad habitum admitti, absque testimonialibus litteris tum ordinarii originis, tum ordinarii loci in quo postulans ultra annum moratus fuerit; quas testimoniales denegare nequit ordinarius.

Beneficium clerici religionem ingredientis non potest alteri conferri intra novitiatus tempus. Durante novitiatus tempore, beneficii functiones et onera alteri committenda sunt, assignata ipsi ab episcopo ex fructibus beneficii portione congrua. Residui fructus beneficii, reservandi sunt, et restituendi novitio, si professionem non emittat; si vero professionem fecerit, nec de illis antea disposuerit, acquiruntur monasterio, juxta communem sententiam.

Ex quo etiam patet episcopos non posse cogere clericos, qui in aliquam religionem ingredi volunt, ad sumendam excorporationem, nec eosdem a novitiatu redeuntes e diœcesi sua repellere, illisque ecclesiasticas functiones denegare.

Attamen episcopus, juxta Innocentii IV sententiam, revocare potest sæcularem clericum a claustris religiosis, quando ecclesia ex illius digressu gravius læderetur.

3 In ordinibus et congregationibus quæ solemnia vota emittunt, non potest episcopus quemquam ad professionem admittere, secluso, in non exemptis tantum, casu negligentiæ ex parte conventus, et etiam casu quo ex consuetudine vel privilegio ad episcopum spectaret. In congregationibus quæ simplicia tantum vota emittunt, videtur determinandum ex ipsarum constitutionibus, vel legitima consuetudine; quod si constitutiones vel consuetudo id non determinaverint, non videtur admissio pertinere ad episcopum, nisi de consensu congregationis.

4. Regulares subduntur episcopis quoad renuntiationes et obligationes novitiorum, quæ nullæ decernuntur, nisi fiant cum licentia episcopi, vel ejus vicarii infra duos menses ante professionem; item quoad restituendas novitiis abeuntibus ante professionem res omnes, quæ ipsorum erant; et possunt ii, ad quos spectat, ab episcopo per censuras ad id compelli.

IV. *De regularium ordinatione.*—Episcopus nequit licite ordinare regulares ad titulum paupertatis seu professionis religiosæ, nisi sint professi; unde novitii sine titulo beneficii, vel patrimonii aut pensionis, et etiam nulliter professi nequeunt promoveri ad sacros ordines. Argum. ex *Trident.*, sess. 21, c. 2; et expresse sanctus Pius V, const. *Romanus Pontifex*, 75.

Regulares ordinandi iterum ab episcopo examinari debent, exceptis tamen clericis societatis Jesu; debent ordinari ab episcopo diœcesano, nisi sit absens aut legitime impeditus, de quo mentio facienda est cum attestatione cancellariæ diœcesanæ in dimissoriis alteri episcopo directis. — Dispensationes interstitiorum, si superiores regulares in litteris dimissorialibus illam petant, episcopus sine alia inquisitione substantiæ causæ potest concedere. — Regulares ab episcopo diœcesano in examine reprobati, non possunt a suis superioribus mitti ad alios episcopos pro ordinibus suscipiendis, et si hoc faciant, episcopus non diœcesanus sic eos ordinans a collatione ordinum per annum erit suspensus, et ordinati a susceptorum executione suspensi erunt quandiu episcopo diœcesano expedire videbitur manere suspensos. (S. cong. Concil.) Sed si rejiciantur regulares debent recurrere per viam appellationis ad legitimum superiorem. (Ead. sacr. congr. — Apud Monacel. t. II, tit. XIII, form. 4.)

V. *De regularium privilegiis.* — Tenentur episcopi servare privilegia a sede apostolica concessa regularium ordinibus. Non licet episcopis in synodis derogare his privilegiis. Possunt tamen tanquam sedis apostolicæ delegati plura sancire quoad regulares, et præcipue ea, in quibus subduntur ipsis juxta allata in præsenti articulo. Et signanter regulares obstringuntur constitutionibus synodalibus in iis, quæ respiciunt curam animarum, administrationem sacramentorum, et jurisdictionem episcopi delegatam; et ad evitandum scandala, tenentur etiam aliis constitutionibus, licet non semper sub gravi.

«Regularibus, etiam societatis Jesu, asserentibus se habere privilegia, quominus obediant episcopo in exsecutione decretorum juris communis conc. Trident. et Constitutionum apostolicarum, ordinarii non tenentur ipsis adhibere fidem absque exhibitione hujusmodi privilegiorum.

« Privilegia, quæ sunt contra jurisdictionem ordinarii, et quibus gaudent, et gaudere prætendunt regulares, debent episcopis exhiberi, si eis uti voluerint.» (S. congr. apud Ferrar. verb. *Regulares.*)

Regulares quamvis ordinarie nequeant ab episcopis censuris coerceri propter amplissima eorum privilegia, quibus est eis concessum, ne sine sedis apostolicæ auctoritate possint a quopiam excommunicari, suspendi, et interdici; tamen in casibus particularibus in quibus vigore conc. Trident. vel constitutionum apostolicarum datur episcopis facultas coercendi, corrigendi et puniendi regulares, ab ipsis possunt censuris coerceri, nisi habeant ad id privilegia sibi concessa vel confirmata post conc. Trident.

Pendente vero lite super exhibitione privilegii, non potest episcopus regulares turbare in sua possessione exemptionis, neque in eos poterit suam jurisdictionem exercere, et in dubio an jurisdictio pertineat ad episcopum, non potest episcopus in causa cognocere, ne sit judex in propria causa, sed examen et decisio sunt de reservatis sedi apostolicæ, juxta const. Clem. X. *Superna*,

et interim abstinendum esset a censuris, admonitis superioribus, et certiorata sacra congregr. de excessu regularium.

Cæterum quamvis regulares exempti sint a jurisdictione ordinariorum, et sic non teneantur comparere, dum ab eis citantur; tamen id non procedit, cum in citatione exprimitur causa, quæ fundat super regulares jurisdictionem; si non ordinariam, saltem delegatam, in aliquibus particularibus casibus.

Facultas puniendi regularem in casibus a jure determinatis competit sane episcopo, sed cumulative cum superiore ejusdem delinquentis, non privative; quia privatam non exprimit Tridentinum, nec aliud sedis apostolicæ decretum, ita quod regularis ipse superior posset causam utique prævenire et contra captum, sive habitum reum procedere, juxta constitutiones ordinis puniendum. (Ferrar. verb. *Regulares.*)

VI. *De gubernio et administratione regularium.* — Ut supra fuit expositum, regulares in gubernio et administratione omnino subjiciuntur episcopis, si in numero a constitutionibus apostolicis præscripto in conventu non commorantur et regularem disciplinam non servent. Secus vero, non subjiciuntur nisi in aliquibus:

1. Regulares subjiciuntur episcopis quoad judices conservatores, quos sibi secundum jus eligere possunt. Si enim conservatores non elegerint, aut electis uti ausi fuerint aliter, quam juxta formam præscriptam Gregorii XV constitutione *Sanctissimus*, ad annum conservatore carere debent, et interea eorum causæ coram locorum ordinariis cognosci et definiri debent.

Regulares autem intra claustra degentes et habentes suos conservatores legitime electos, in causis civilibus conveniri solum possunt coram dictis conservatoribus vel coram suis superioribus, non autem coram ordinariis seu episcopis.

2. Regulares gravati ære alieno, vel testamentorum exsecutores, vel obligati ad reddendam rationem si illis fuerit commissa exsecutio, seu distributio reddituum, aliorumque bonorum hæreditatis, coram ordinario loci conveniendi sunt, si ad præscriptum const. Gregorii XV conservatores non elegerint, et ipsum electionis documentum intra præfinitum tempus in actis curiæ ipsius ordinarii non exhibuerint, ac dimiserint.

3. Licentia ordinarii pro alienatione boni immobilis valoris modici requiritur saltem quoad communitates religiosas non exemptas; sed eamdem licentiam requiri quoad exemptos regulares, haud adeo clare liquet.

4. Jus habet episcopus rationem administrationis exigendi ab administratoribus monialium etiam regularibus subjectarum et earumdem administratorum amotionem promovendi.

5. Congregationes virorum votis solemnibus carentium episcopo non sunt subjectæ quoad ipsarum constitutiones, a sede apostolica approbatas. (Bened. XIV, const., *Emanavit* 31 Januar. 1758.) — Dictis congregationibus necessaria etiam est episcopi licentia ad alienandum immobile valoris modici. Reliqua vero, præter dictas alienationes, rei temporalis administratio penes ipsam congregationem remanet, absque ulla ab episcopo dependentia. Etenim episcopo non subjiciuntur quoad membrorum admissiones, eorumdem expulsiones, superiorum electiones et ad alia officia congregationis nominationes (supposita pontificia approbatione). At in contestationibus de legitima superiorum localium electione episcopus est judex competens, dummodo ad ipsius tribunal a congregationis membro aliquo delata causa fuerit. Secus vero dicendum videtur si agatur de electione superioris generalis, sed facta a generali præposito, vel a generali capitulo, et si congregatio in pluribus diœcesibus domos habeat; « videretur doctori Bouix, salvo meliori judicio, causam nullitatis in hoc casu dirimi non posse nisi a sede apostolica, vel aliquo ipsius delegato; » et illius sententia videtur Romanæ praxi mentique juris consentanea.

6. Judicium in causis nullitatis professionum etiam apud regulares exemptos pertinet ad episcopum, non quidem solum, sed conjunctim cum superiore religiosorum.

7. Episcopus tanquam sedis apostolicæ delegatus, modo commode id fieri possit, regulares exemptos compellere potest ad habendum professorem Scripturæ sacræ.

8. Si regularium capitula provincialia aut generalia non procurent observari decreta Tridentina, sessionis 25, providere valet *concilium provinciale*, aliquos ad id deputando.

VII. *De regularibus extra monasteria degentibus.* — Regulares *degentes* extra claustra possunt ab episcopo, tanquam a sede

apostolica delegato, visitari, puniri et corrigi. (*Trident.*, sess. 6, c. 3.) Degere extra claustra censendi sunt ii qui permanentem habitationem habent extra monasterium (prout contingit v. gr. studiorum causa); non autem ii qui per duos aut tres menses ad prædicandum, vel recreationis causa, vel degentes in parochialibus monasterio unitis, vel ob aliud ejusmodi motivum, extra monasterium versantur.

Dicta potestas episcopi animadvertendi in regulares extra claustrum degentes, non impedit, quin eos etiam punire possit ipsorum superior regularis.

VIII. *De regularibus extra claustra delinquentibus.* — 1. Regularis degens intra claustra et extra cum scandalo populi delinquens, puniri debet a suo superiore, certiorato de punitione episcopo instante, alias puniri poterit ab ipso episcopo... Superior regularis sic admonitus ab episcopo non puniens, incurrit pœnas a jure. — Regularis delinquens intra claustra, seu in ecclesia, vel monasterio sui ordinis, cum populi scandalo, censetur et reputatur delinquere extra claustra. Episcopus potest procedere ad summariam informationem de delicto a dicto regulari extra claustra commisso. Regularis deprehensus in delicto, ubi timetur de fuga, potest ab episcopo capi per ministros et recta duci ad suum superiorem. Si quis regularis insurgat contra episcopum in propria diœcesi, maledicto, scripto vel dicto, populum scandalizando, censetur delinquere extra claustra. — In his omnibus casibus tenetur, instante episcopo, superior regularis, intra tempus ab episcopo præfigendum, severe delinquentem punire, ac de punitione episcopum certiorem facere non tantum verbo, sed scriptis; alioquin sic delinquens ab episcopo puniri potest ad præscriptum Trident., sess. 25, c. 14, *De regul.* Si delinquens impunitus transmissus fuerit extra diœcesim, debet revocari ad monasterium in quo deliquit, et ibi puniri. (*Trident.*, *ibid.*, et const. *Suscepti muneris* Clem. VIII.)

2. Possunt ab ordinariis locorum puniri regulares qui sine obedientialibus sui superioris a suo conventu recesserint et reperti fuerint; item incedentes per civitatem et loca sine socio vel de nocte, aut indecenter vestiti et sine modestia religiosa; item deferentes publice arma; et possunt de mandato episcopi carcerari.

IX. *De apostatis et ejectis.* — Regulares apostatæ et ejecti subsunt jurisdictioni episcopi. (S. congr. Concil. 21 Septembr. 1624, in const. 28 Urbani VIII; *Trident.*, sess. 25, c. 4, *De regul.*)

X. *De religiosis dispersis.* — Religiosis dispersis solet, pro dispersionis tempore, in legitimum prælatum a Romano pontifice assignari episcopus loci in quo versantur; quos episcopus benigne tractare debet; ideoque nequit episcopus dispersos diœcesis suæ regulares in statu et conditione presbyterorum sæcularium ita constituere, ut eximantur ab instituti sui obligationibus et observantiis, cum statu dispersionis compatibilibus. (Bouix, part. III, sect. 2, cap. 1, *De regular.*)

XI. *De jurisdictione episcopi in regulares.* — 1. Episcopus potest coercere et punire regulares qui ipsius jurisdictionis exercitium impediunt.

2. Si interdicta per episcopos promulgata non servent.

3. Si censuram canonis, *Si quis suadente* 29, causa 17, quæst. 4, vel aliam a jure latam ob notorium delictum incurrerint, possunt ab episcopis publice denuntiari excommunicati, ut ab aliis vitentur.

Regulares subduntur episcopis, in omnibus sequentibus :

1. Quoad causas fidei.

2. Prædicationem verbi Dei.

3. Susceptionem ordinum.

4. Quantum ad audiendas confessiones sacramentales sæcularium et monialium etiam sibi subjectarum.

5. Ab episcopis possunt excommunicati declarari, si ministrent laicis infirmis, etiam hospitantibus in eorum conventibus, viaticum et extremam unctionem absque episcopi vel parochi licentia.

6. Ab episcopis possunt puniri, si violent sigillum sacramentale confessionis.

7. Si sollicitent pœnitentes in confessione, vel doceant pœnitentes non teneri ad denuntiandos confessarios sollicitantes.

8. Quoad missam et SS. Eucharistiæ sacramentum, subduntur episcopis quantum ad observanda in celebratione missarum; episcopus, suæ diœcesis prælatis, etiam regularibus, sub excommunicatione prohibere potest, ne sacerdotes sæculares, aut etiam alterius (non sui) ordinis, regulares peregrinos, ad missas in ecclesiis suis celebran-

das admittant, priusquam ipse, inspectis litteris commendatitiis, id permiserit; etiamsi prælati illi eorumque Ecclesiæ sint exemptæ... (Wiestner et alii.) Item, regulares possunt ab episcopis coerceri, si erigant altare portatile in domo privatorum, ut ibi celebrent et viaticum ministrent regulari infirmo absque licentia episcopi vel parochi; si celebrent missas in oratoriis privatis domicellorum diebus exceptis, vel postquam eadem die fuit ibidem jam celebrata unica missa in apostolico indulto concessa. — Quoad tenendam lampadem accensam ante altare in quo est tabernaculum SS. Sacramenti, non sufficit teuere lampadem accensam in choro; quoad expositionem solemnem SS. Sacramenti.

« Non possunt episcopi regularibus habentibus privilegia apostolica prohibere ne a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in albis inclusive administrent personis sæcularibus sacramentum confessionis, sed solum prohibere, ut personis sæcularibus in die Paschatis non administrent sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, etiamsi dictæ personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto. » (S. congr. Concil. *In Burdegalen.* 9 Junii 1644.) Ex qua declaratione duo emergunt: unum quod laici qui tempore paschali de manibus regularium Eucharistiam recipiunt, præcepto Ecclesiæ hac de re edito non satisfaciunt, sed tenentur illam a proprio parocho suscipere; alterum, eosdem laicos non posse in die Paschatis de manu regularium sanctissimam communionem accipere, etiamsi alia die satisfecerint præcepto. (*Decret.* sacræ congr. Concil. circa commun. quotid. apud Monacelli, t. II, tit. XIII.)

Si regulares curam animarum non exerceant, sed solum delinquant in sacramentis ministrandis, tunc subsunt jurisdictioni episcopi diœcesani tanquam sedis apostolicæ delegati. (Monacel. *ibid.* form. 1, n. 88.)

Censuris ecclesiasticis ab episcopo possunt coerceri regulares, si ecclesiastica et sacra paramenta benedicant pro usu aliarum ecclesiarum, non suarum.

9. *De publico cultu.* — Regulares subjiciuntur episcopis, quantum ad accedendum ad processiones publicas, quod nequit exigi ab iis qui dimidio milliari a civitate distant, aut qui speciale privilegium, sicut Patres Societatis Jesu et alii, habent; item subjiciuntur quantum ad componendas controversias super præcedentia in his processionibus. Regulares et confraternitates in regularium ecclesiis erectæ possunt processiones facere intra eorum ecclesias et claustra tantum; si vero ecclesiæ claustro careant, iisdem licet processiones facere intra ambitum duntaxat earumdem ecclesiarum, hoc est prope muros ecclesiæ, et non extra dictum ambitum, nisi de licentia, consensu aut cum cruce parochi. (S. C. 12 Januar. 1739.) Subjiciuntur episcopis ad sacras imagines et reliquias ponendas et exponendas in suis regularibus ecclesiis; ad publicationem indulgentiarum. Item potestatem et jurisdictionem habent episcopi supra regulares in spectantibus ad venerationem eorum, qui cum sanctitatis opinione, vel fama martyrii, ex hac vita migrarunt.

Regulares subjiciuntur episcopis quoad erectionem et susceptam administrationem confraternitatum et hospitalium; cum possit episcopus eos cogere ad reddendam rationem administrationis, et culpabiles repertos ad juris præscriptum punire. Quoad admissionem Tertiariarum ad habitum sui ordinis; pro quibus licentia concedenda non est, antequam episcopo constet : 1° de privilegio apostolico; 2° de bonis moribus induendarum; 3° exactos ab ipsis fuisse annos 40; 4° ipsis necessarios ad vitæ sustentationem redditus propriis bonis suppetere; 5° ipsas non cohabitare cum aliis personis, quam sibi in primo consanguinitatis vel affinitatis gradu conjunctis.

Regulares subjiciuntur episcopis, quoad observandos dies festos in diœcesibus legitime præfixos; tenentur servare interdictum promulgatum ab episcopo, non tamen jejunium, in synodo, vel extra denuntiatum; nisi alia esset consuetudo, aut scandalum urgeret.

Subjiciuntur episcopis quoad eis præstanda debita obsequia, et baldachinum erigendum in eorum accessu ad ecclesias regulares pro ibi celebrandis pontificalibus, et hujusmodi. Si enim regulares id renuant, potest episcopus statim absque alia mentione interdictum ecclesiæ indicere et denuntiare. Moniales tamen regularibus subjectæ non tenentur erigere baldachinum episcopo clausuram visitare volenti, sed sufficit stratum præparare.

Regulares quoad habendum chrisma et consecrandas ecclesias ordinario subjiciuntur. Potest episcopus sacramentum confirmatio-

nis administrare, probabiliterque ordines conferre, in ecclesiis regularium, sive parochialibus, sive non parochialibus.

In Sabbato majoris hebdomadæ nequeunt regulares, quamvis exempti, campanas ecclesiæ suæ pulsare, antequam pulsetur campana cathedralis vel majoris ecclesiæ. (Const. Leonis X *Sacra approbante.*) Regulares ab episcopo puniri possunt si immunitatem ecclesiasticam violaverint, vel læserint.

10. *De librorum impressione, synodo, et casibus conscientiæ.* — 1° Sic decrevit Tridentina synodus sess. 4, *De editione librorum.* — *Nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris... nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, sub pœna anathematis et pecuniæ in canone concilii novissimi Lateranensis apposita. Et, si regulares fuerint, ultra examinationem et probationem hujusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum.* »

2° Regulares curam ecclesiæ parochialis aut sæcularis habentes, quamvis exempti et capitulo generali sui ordinis subditi, et regulares exempti qui non subduntur capitulo generali, quamvis nullius Ecclesiæ parochialis aut sæcularis curam habeant, tenentur episcopo, eos ad synodum vocanti, obedire. Regulares vero exempti, quibus nulla cura parochialis incumbit, si subduntur capitulo sui ordinis, non tenentur synodo interesse.

3° Regulares parochi seu curati tenentur ad conferentias casuum conscientiæ accedere; alii vero regulares etiam confessarii non tenentur.

11. *De regularibus, quibus moniales subjectæ sunt.* — Regulares subduntur episcopis quoad admissionem ad habitum et ad professionem monialium in monasteriis sibi subjectis; et possunt ab illis puniri, si non fuerint prius certiorati quoad electionem abbatissarum monasteriorum sui ordinis, cui per se vel per alium potest episcopus interesse, si vult. Si confessarii monialium monasteriorum intra mœnia civitatis permaneant et pernoctent in mansione per parietes et per tecta non penitus disjuncta et separata a monasterio, possunt ab episcopo puniri. Ab episcopis etiam puniri possunt superiores, si extra necessitatem ingrediantur monasteria monialium sibi subjectarum; si plusquam semel in anno ex causa visitationis dicta monasteria ingrediantur; si superior generalis introducat secum in dicta monasteria plus quam duos socios sui ordinis, et superior alius a generali plus quam unum; si visitator aut ejus socii sumpserint intra clausuram aliquam refectionem; si urgente causa eodem anno pluries ingrediendi septa monasteria, superior fuerit ingressus absque præsentia episcopi, vel alterius personæ ecclesiasticæ ab ipso ad hoc specialiter delegatæ. — Quoad locutionem cum monialibus, etiam sibi subjectis, et si sine legitima licentia episcopi cum illis loquantur, possunt ab ipso puniri; in iis, quæ concernunt clausuram monialium, etiam sibi subjectarum, et si quod ad hanc reperiantur delinquentes, possunt ab episcopis puniri. Quoad delicta circa personas intra septa, aut circa clausuram, vel bonorum administrationem monasteriorum monialium etiam regularibus subjectarum subjiciuntur episcopo.

12. *De confessionibus audiendis, verbo divino prædicando, cura animarum.* — 1° Regulares jurisdictionem ad confessiones audiendas, sacramenta administranda, verbum divinum prædicandum, a sancta sede tenent, virtute eorum privilegiorum; ex hoc fonte fluunt omnia eorum jura. Ex hoc etiam principio solvuntur omnes quæstiones.

2° Unde possunt regulares licite et valide suorum religiosorum confessiones audire, absque ulla licentia aut approbatione episcopi, modo facultatem a suis regularibus prælatis acceperint. Et non tantum fratrum sui ordinis qui professionem emiserunt, sed etiam novitiorum, oblatorum, necnon famulorum qui intra septa et sub regularium obedientia degunt.

3° Regulares vero etiam exempti nec licite, nec valide possunt sæcularium, nec monialium, quamvis sibi subjectarum, confessiones audire, nisi aut habeant beneficium parochiale aut fuerint ab episcopo approbati, per examen si illi videbitur necessarium (Const. 18 Greg. XV, et *Trident.*) — Unde confessiones sive sæcularium sive monialium, quas audiunt regulares quicunque, non obtenta episcopi approbatione, *nullæ atque irritæ sunt.*

Certum est ex constitutione *Superna* Clementis X, 21 Julii 1670, non posse episcopum approbationem limitare regularibus, quos reperit per examen generaliter idoneos : aliis vero non adeo idoneis potest vel

limitare facultatem, vel nullam concedere. Unde regulari, absolutam pro confessionibus approbationem postulanti, nequit ordinarius denegare examen, et vel nullam, vel limitatam duntaxat approbationem concedere, si absolute idoneus repertus fuerit.— Regulares generaliter approbati ab ordinario prævio examine nequeunt iterum ab eodem ordinario examinari. — Episcopus vero potest iterum examinare regularem, quem non ipse, sed vel antecessor, vel alius simpliciter approbavit. Si approbatio absoluta data fuerit ab ipso episcopo, is jam nequit regularem ab audiendis confessionibus suspendere, nisi ex nova superveniente causa confessiones concernente. Secus vero si approbatio data fuerit ab ejus vicario generali, vel ab episcopo prædecessore ; tunc enim potest episcopus religiosum illum, non tantum examinare, sed etiam ab audiendis confessionibus suspendere, si minus idoneum illum reperiat.

Ex constitutione *Superna*, supra cit., non potest episcopus, inconsulta sede apostolica, omnes simul unius conventus regulares ab audiendis confessionibus suspendere.

Sacra congr. Concilii, approbantibus Gregor. XV et Urbano VIII, declaravit : « Regulares generaliter ab episcopo approbatos ad confessiones personarum sæcularium audiendas, nequaquam conseri approbatos ad audiendas confessiones monialium (etiam sibi subjectarum); sed egere quoad hoc speciali episcopi approbatione. »

13. *Quoad officium prædicationis.* — 1° Nequeunt regulares prædicare extra ecclesias sui ordinis absque obtenta ordinarii licentia.

2° In ecclesiis sui ordinis prædicare possunt post petitam episcopi benedictionem, etiamsi eam non obtineant, modo tamen episcopus non contradicat.

3° Si episcopus non tantum a concedenda dicta benedictione abstineat, sed prohibeat ne prædicetur, regularis ne in sui quidem ordinis ecclesia prædicare poterit. (*Trident.* sess. 5, c. 2, sess. 24, c. 4.)

4° Si *prædicator errores aut scandala disseminaverit, etiamsi in monasterio sui vel alterius ordinis prædicet, episcopus ei prædicationem interdicat... curent autem episcopi ne quis prædicator, vel ex falsis informationibus, vel alias calumniose vexetur, justamve de eis conquerendi occasionem habeat.* (*Trident.* sess. 5, c. 2, *De reform.*)

5° Asserta sub quatuor præmissis numeris intelligenda sunt etiam de regularibus exemptis. Id constat ex const. *Inscrutabili* Gregor. XV, 5 Februar. 1622. (Bouix. tract. *De jure regul.* part. v, p. 148.)

6° Prædicatores etiam regulares tenentur emittere professionem fidei, si ab episcopo exigatur... Jus habet episcopus examinandi circa doctrinam regulares, antequam in ecclesiis, quæ non sunt suorum ordinum, prædicent ; in ecclesiis vero suorum ordinum prædicare volentes, non spectat ad ordinarium eos examinare, sed ad eorum superiores.

7° Ex const. *Superna* Clement. X, potest episcopus licentiam prædicandi semel regularibus concessam, ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere. Non potest tamen generatim prohibere regularibus, quin in ecclesiis suorum ordinum prædicent.

8° Episcopus facultatem regularibus prædicandi denegans non tenetur iisdem causam exprimere, sed tamen requisitus, illam exprimere tenetur sacræ congregationi ; ex quo patet episcopum hanc facultatem denegare non posse ex mero beneplacito.

9° Potest episcopus prohibere ne regulares ea hora in ecclesiis suis concionem habeant, qua ipse *per semetipsum* prædicaturus est ; et etiam, si episcopus ex causa publica, convocatis clero, magistratu et populo, coram se prædicare faciat. Nequit vero regularibus injungi, ne in suis ecclesiis prædicent eadem hora, qua concio in ecclesia parochiali habenda est, si huic concioni non intersit episcopus. — Episcopus prohibere potest regularibus ne aliquo die concionentur, ut totus populus conveniat ad cathedralem. (Huc usque Bouix tract. *De jur. regul.* part. iv, sub sect. 1, cap. 4.)

10° Potest episcopus regulares a sacro ministerio arcere ex eo quod ipsos minus idoneos repererit, sed non alia de causa potest eis denegare assensum pro divino verbo prædicando, et approbationem pro confessionibus audiendis. (Id. *ibid.* cap. 1. § 2.)

14. *Quoad subjectorum curam.* — 1° Regulares curam subditorum sæcularium assumere nequeunt absque consensu et approbatione episcopi.

2° Vicarii perpetui parochiarum monasteriis unitarum non sunt « ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem

illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum (seu eorum vicariorum) prævio examine et approbatione deputentur. » (Const. Pii V *Ad exsequendum.*)

3° Regularis parochus exemptus est a visitatione et correctione episcopi in his quæ pertinent ad observantiam disciplinæ regularis, non autem in his quæ spectant ad mores et exemplarem vivendi rationem; multoque minus in his quæ pertinent ad ipsius officium parochiale. Regularis parochi correctio competit tam episcopo quam superiori regulari, cum præponderantia favore episcopi. Ipsius remotio decerni potest tam ab episcopo quam a superiore regulari, absque alterius consensu.

4° Exempti tamen sunt ab episcopi visitatione et correctione parochi regulares, qui curam exercent in ecclesiis eorum monasteriorum sive locorum, in quibus abbas aut alii superiores regulares jurisdictionem episcopalem et temporalem in parochos et parochianos habent : nisi episcopus probet ampliorem jurisdictionem ex alio capite sibi acquisitam esse.

Exempti sunt etiam animarum curam gerentes in ecclesiis eorum monasteriorum, in quibus abbates generales seu capita ordinum sedem ordinariam principalem habent, a constitutionibus, vel a consuetudine ordinis præfinitam, aut alias initio generalatus electam.

Episcopus pro dictorum exemptorum parochorum remotione potest instare apud superiorem generalem, si cognoverit parochiam non recte administrari, et aliquando etiam debet pro sui officii munere, implorata quoque, quatenus opus sit, apostolicæ sedis auctoritate, si nempe generalem prædictum, aut reluctantem, aut parocho plus æquo faventem invenerit.

5° Ex constitutione Benedicti XIV *Firmandis*, 6 Novembr. 1744, tenentur regulares in suis ecclesiis parochialibus recipere missionarios, qui solent ab episcopo visitationem peragenti præmitti : possunt nempe ii missionarii in dictis regularium ecclesiis prædicare, sacramentum pœnitentiæ et Eucharistiæ ministrare, et alia sibi ab episcopo demandata peragere.

6° In regularium ecclesiis parochialibus episcopus visitare potest illud duntaxat altare, in quo SS. Eucharistiæ sacramentum asservatur, et consequenter sacrum ipsum tabernaculum, fontem baptisterii, si adsit, confessionale parochi, pulpitum ecclesiæ a quo parochus jus habet verbi Dei annuntiandi; sacrarium pariter ecclesiæ ad inspiciendum locum, in quo asservatur sacra supellex pro sacramentis administrandis, sepulcrum et cœmeterium parochiale; turrim campanariam, dummodo in ea sint campanæ ad parochiam proprie spectantes; ac demum præter res supra enuntiatas, omnia sacra vasa, quibus vel particulæ consecratæ servantur, vel sacra olea, vel aqua baptisterii, vel alia rite benedicta, quæ pro ingredientium aspersione ad ecclesiæ fores poni consuevit. (Const. Bened. XIV *Firmandis*, § 7.)

7° « Quidquid episcopus a parocho sæculari exquirere atque exigere solet et debet, id omne, *regulari observantia unice excepta*, a parocho regulari exquirere et exigere potest. » (Id. *ibid.* § 10.) Potest proinde in eum pœnis animadvertere, si in officio suo parochi deliquerit.

8° Ex constitutione 18 Gregorii XV et *Trident.* « In his, quæ curam animarum sæcularium, seu sacramentorum administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi et correctioni diœcesani episcopi tanquam sedis apostolicæ delegati, regulares plene in omnibus subjiciuntur.. »

Attamen, ex responsis sacr. congr. Concil., episcopis non licet in vim ejusdem (Gregor. XV) constitutionis visitare altaria ecclesiarum regularium, quibus non incumbit animarum cura personarum sæcularium, nec loca ubi in iisdem ecclesiis asservatur SS. Eucharistiæ sacramentum, vel ubi confessiones personarum sæcularium audiuntur. »

§ III. — De monialibus et mulierum congregationibus.

I. Premitur episcopus obligatione « moniales reformandi, clausuram custodiendi et tuendi. »

« Una ex præcipuis curis episcoporum est gubernium monialium, quod, si bene regatur, cætera pastoralia regiminis inter maris scopulos tuto navigio vigilantia superabit. » (Leo, *Thesaur. for. eccl.* part. II, cap. 1, n. 33, et alii apud Monacel. t. I, tit. I, form. 1.) Ideoque episcopus eligere et constituere debet vicarium et officialem monialium tam civitatis quam diœcesis. Huic vicario omnes vices suas juxta canones et decreta, dummodo judicialiter agendum non sit, committit episcopus, reservando tamen sibi licen-

tias ingressus in clausuram, visitationem, et confessariorum approbationem, quia facultas concedendi licentias ingressus in clausuram non potest per episcopum delegari, nisi vicario generali, juxta decretum sacræ congr. Concil. 6 August. 1599.

Eligendus in vicarium monialium debet esse ætate provectus, non minus 40 annorum, presbyter sani consilii, morum probitate irreprehensibilis, fidelitate spectabilis, qui possit in hoc munere ostendere gravitatem, et omnia facere cum honestate, juxta Apostoli præceptum : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant* (*I Cor.* XIV, 40) ; et cap. *Cum in cunctis* 7, *De elect.*

II. *De novorum conventuum erectione.* — In erigendis novis monialium conventibus requiritur licentia episcopi, et ut non erigantur nisi cum eo numero qui commode sustentari valeat, et qui sufficiat ad vitæ regularis observantiam. — Numerus monialium præfigendus est ab episcopo in monasteriis non exemptis, et in monasteriis exemptis et regularibus subjectis præfigendus est ab episcopo cum interventu superiorum suorum.

III. *De receptione ad habitum et professionem.* — 1. Vi generaliter receptæ consuetudinis, nequeunt moniales non exemptæ ad habitum seu novitiatum puellas recipere, absque assensu episcopi.

In exemptis vero monasteriis ad habitum admitti non potest puella sine prævia licentia episcopi in scriptis, et hanc licentiam dare debet episcopus post explorationem voluntatis puellæ monachandæ, eamque denegare nequit nisi justis de causis. (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 1, n. 64 et seqq.)

2. Tenetur episcopus ad binam explorationem, scilicet et ante habitus sumptionem et iterum ante professionem puellarum in quocunque monasterio monialium profiteri volentium. Ab abbatissa et superioribus episcopus intra mensem ante professionem monendus est; nec potest explorationem differre ultra 15 dies postquam fuit certioratus episcopus ; quia si illam, tam ante susceptionem habitus, quam ante professionem emittendam explere per se aut per delegatum negligeret, infra 15 dies possent superiores exempti ad receptionem et admissionem procedere, juxta Pii V bullam.

« Episcopus potest, imo debet prohibere censuris ecclesiasticis et aliis pœnis sibi benevisis, etiam pœna nullitatis ipso facto incurrenda, abbatissis et cæteris superioribus regularibus, ne in monasteriis ipsis subjectis recipiantur puellæ ad habitum, et professionem, nisi prius ipse fuerit certioratus, » ut non semel declaravit sacr. congr. Concil., apud Monacell. tit. XIII, form. 5, n. 11 et 12.

Hæc exploratio debet fieri ad crates ; explorandum erit tantummodo, an coacta, an seducta sit puella, an sciat quid agat, et non aliud. (Trident. sess. 25, c. 17 ; et S. Pii V, const. *Etsi mendicantium*, 16 Maii 1567.)

Episcopus potest monialibus prohibere, ne recipiant inhabiles.

Quoad congregationes, quæ vel simplicia, vel nulla vota emittunt, non tenetur, sed potest episcopus, si velit, exigere, ne puellæ ad habitum et vota simplicia admittantur, ante factum a se examen.

3. Cogi ab ordinario nequeunt moniales, etsi non exemptæ, et etiamsi vota solemnia non habeant, ad recipiendam aliquam novitiam. Excipi solent duo casus : 1° In monasteriis quæ abundant redditibus et patiuntur defectu monialium : nam potest episcopus monere abbatissam et conventum, ut de novo debeant aliquas creare. Quod si infra terminum eis præfixum non parerent, posset episcopus negligentiam supplere, ibique moniales constituere... Quod intelligendum est de monasteriis non exemptis. (Fagnan. in cap. *Porrectum*, *De regul.* n. 28.) — 2° Item contingere potest, ex aliquo jure particulari, v. gr., consuetudine præscripta, vel privilegio, ut receptio novitiarum exclusive pertineat ad episcopum, ac proinde possit episcopus conventum cogere ad aliquam admittendam. » (Bouix, part. IV, sect. 1, cap. 3, propos. 5.)

Nequit ordinarius moniales cogere, ut causam exprimant cur novitiam rejiciunt. Sed si secreto interrogatæ idoneam repulsionis causam non afferant, et in sua contumacia perseverent, ordinarius debet facere certiorem sacram congregationem, ut de opportuno remedio confestim provideri possit. (*Ibid.*)

4. Professio monialium in manu ordinarii principaliter, non autem abbatissæ fieri debet. (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 1, n. 64 et seqq.)

« Depositum dotis debet esse effectivum, non autem fictitium, sive confessionatum (ut sæpe fit), alias si depositum, secuta professione, exigi non posset, et pecunia (quæ

forte realiter non fuit deposita) integraliter monasterio non solveretur, episcopus, si fictionis esset conscius, teneretur de proprio, juxta decreta. (Apud MONACEL. tit. XI, form. 7.)

In monialium congregationibus, quæ vota solemnia non habent, ad episcopum spectat dotis taxatio. (BOUIX, ubi supra.)

5. « Non liceat episcopis cum novitiæ vestiuntur, vel professionem emittunt, a propinquis, vel alio quocunque dona tam comestibilia quam linea, etiam parvi valoris accipere, neque ab abbatissis in ingressu officii, nec ab eisdem comestibilia tantum in aliquibus solemnitatibus, nomine totius monasterii, etiamsi antiquissima inoleverit consuetudo. » (S. congr. Episc. et Regul. 22 Januar. 1591.) Episcopus et quilibet alius superior ordinarius in his transgressor, juxta tenorem constitutionis *Religiosæ congregationis*, Clementis VIII, tenetur ad restitutionem, quatenus munera non comestibilia et præter formam alterius bullæ Urbani VIII, *Nuper a congregatione*, moderatoriæ et declaratoriæ et confirmatoriæ illius Clementis VIII recipiat, adeo ut, neque a summo pœnitentiario (si munus summam scutorum decem, circiter 54 francos, excedat), absolvi possit nisi facta restitutione, prout patet ex constitutione Innocentii XII *Romanus pontifex*, Septemb. 1692.

Episcopus, nec vicarius generalis, nec quilibet alius prælatus et officialis, seu deputatus, nihil accipere potest pro ingressu et professione monialium, pro exploratione, pro approbatione depositi dotis, pro licentiis et hujusmodi, ut sæpe sæpius decrevit sacr. congr. Episc. et Regul. et expresse Innocent. XI, 1 Octob. 1678 in sua *taxa*, in qua excipiuntur comestibilia usui proprio intra tres dies proportionata. Excipitur etiam cancellarius qui, ob scripturas, accipere potest mercedem quæ non excedat *quinque Julios* (seu circiter sex solidos). (FERRAR. verb. *Moniales*, art. 2, n. 93.)

IV. *De abbatissæ electione.* — Abbatissa est eligenda a monialibus et ab episcopo confirmanda. Sed episcopus nequit officium abbatissæ prorogare, expirato triennio, absque licentia sacræ congregationis Regul. Attamen in quibusdam casibus a jure determinatis potest episcopus abbatissam constituere.

V. *De jurisdictione episcopi in moniales.* — Quoad moniales non exemptas nec regularibus subjectas, sed solemniter professas :

1. Potest episcopus exigere ut sibi administrationis ratio reddatur.

2. Ut pro rebus majoris momenti suus exspectetur consensus.

3. Si moniales administratoribus utantur, ad ipsum pertinet administratores illos approbare et revocare, atque ab iisdem exigere ut sibi administrationis rationem reddant.

4. Ex his tamen eximi possunt moniales, longa possessione et legitima consuetudine non reddendi rationem, etc., ordinario. (BOUIX, part. V, subsect. 2, cap. 4, § 2.)

5. Idem dicendum est de congregationibus illis, quales plurimæ nunc in Gallia exstant, quæ episcoporum saltem auctoritate institutæ et approbatæ fuerunt, et quæ, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, licite exsistunt, quamvis nec clausuram, nec vota solemnia, nec quidem ulla vota habeant. Dictæ congregationes subjiciuntur episcopis in iisdem ac moniales non exemptæ.

6. Quoad moniales, generali plurium conventuum superiorissæ subjectas, stat penes ipsam congregationem, de jure communi, liberam et ab ordinario independentem rei temporalis administrationem, quoad illa, quæ totius congregationis generale regimen respiciunt. (*Ibid.*)

VI. *De clausura.* — « Itemque ut episcopi universi, sub obtestatione divini judicii, et interminatione maledictionis æternæ, in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero sedis apostolicæ auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui et ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione postposita, compescentes. » (*Trident.*, sess. 25, et const. 18 Gregorii XV.) — Episcopus ad custodiendam clausuram monialium etiam exemptarum potest uti censuris, et circa ea, quæ pertinent ad clausuram, potest processus construere et moniales exemptas examinare inconsultis superioribus earumdem. (MONACEL., tit. XV, form. 15, n. 16 et 5.)

Ad clausuram pertinent : 1. ingressus in monasterium; 2. egressus e monasterio; 3. accessus ad moniales; 4. capellanorum

et confessariorum deputatio ; 5. visitatio canonica.

1. *Ingressus.* — Licentia ingressus in clausuram a nemine dari potest sine approbatione episcopi, non obstante privilegio, seu consuetudine. Episcopus concedit licentias ingressus in clausuram monialium quantumvis exemptarum. Episcopi non possunt introducere in clausuram monialium puellas educationis causa sine licentia sacræ congregationis et nisi servatis conditionibus ab eadem præscriptis. (Monacel., tit. xv, form. 15, et tit. xi, form. 1.)

Episcopus, qui admittit educandas in clausuram absque hac licentia sacr. congr., incurrit excommunicationem. (*Ibid.*, tit. xi, form. 11.)

Ingressus in monasteria monialium absque justa causa et legitima episcopi vel superioris licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, interdicitur.

Prælati omnes sæculares episcopali, ac etiam cardinalatus dignitate prædíti, nequeunt ingredi clausuram monialium etiam sibi subjectarum, nisi in casibus necessariis, et comitati a paucis, iisque senioribus, ac religiosis personis ; si autem contrafecerint, incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiæ pro prima vice, pro secunda vero contrahunt suspensionem a pontificali munere et a divinis, pro tertia autem vice, ac deinceps, excommunicatione majori ipso facto incurruntur. Sic expresse Gregorius XIII, const. *Dubiis.* Absolutio tamen ab istis censuris non est Papæ reservata.

Episcopus potest excommunicationem sibi reservatam imponere circa apertionem ostii clausuræ monialium etiam regularibus subjectarum. (S. congr. apud Ferrar. verb. *Moniales.*)

2. *Egressus.* — Ex const. sancti Pii V, *Decori et honestati*, majorem latæ sententiæ excommunicationem, summo pontifici reservatam, dignitatum, officiorum et administrationum privationem incurrunt episcopi, aliique superiores monialium injuste licentiam monialibus egrediendi e monasterio concedentes...

Ab excommunicatione violatæ per illicitum egressum clausuræ, seu per cooperationem, nequit episcopus, etiam in casibus occultis, absolvere, ut declaratum fuit a sacra congr., approbante Gregorio XIII. Ex alio jure potest tamen episcopus absolvere, quia moniales perpetuo impediuntur personaliter adire pontificem

Episcopus potest et debet approbare causam legitimam egressus monialium e monasterio. Sed de monasterio ad monasterium quacunque occasione transferri nequeunt moniales sine speciali licentia sedis apostolicæ. (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 3.)

Licentia egressus a clausura concedi non potest monialibus ab ordinariis, nisi in casibus in bulla S. Pii V contentis, id est, nisi in casu magni incendii, lepræ et epidemiæ. (Id., *ibid.* et Monacel., tit. xv, form. 15, n. 15.)

3. *Accessus.* — Accessus ad monasteria monialium ad eas visitandas et cum eis colloquendum per episcopum arceatur, sub pœna, pro clericis, si non destiterint, ab officio ecclesiastico suspensionis, et, pro laicis, excommunicationis ; et regulares absque legitima facultate alloquentes moniales, aut alias personas intra clausuram degentes, etiam ab episcopi jurisdictione exemptos, et ipsis regularibus subjectos... possunt ab ordinario tanquam apostolicæ sedis delegato coerceri sub excommunicationis, privationis vocis activæ et passivæ, aliisque contra regulares sine licentia accedentes ad monasteria monialium statutis pœnis...

Episcopus potest imponere censuras aliasque pœnas, etiam excommunicationem latæ sententiæ sibi reservatam contra quoscunque regulares, clericos et sæculares sine legitima episcopi facultate accedentes ad moniales.

Episcopus aliique prælati extra suam diœcesim ad moniales sine licentia ordinarii loci et superioris illarum nequeunt accedere ; et si accedant, incidunt in pœnas latas contra hujusmodi alloquentes sine dicta licentia. (Ferrar. verb. *Moniales*, art. iv.)

4. *Capellanus et confessarius.* — 1° Moniales jus habent nominandi suum capellanum ; et ad episcopum spectat illum approbare. Potest episcopus illum ex justa causa rejicere, puta si sit junior ; capellani enim monialium debent esse maturæ ætatis. Imo si episcopus ipse dare velit monialibus capellanum juvenem, potest abbatissa illum non recipere. (Cap. *Si officia* 2, dist. 19 ; cap. *Porro* 6, dist. 24 ; sacr. congr. Episc. 31 Maii 1602 et 2 Novemb. 1605 et 10 Decemb. 1602.) Ubi tamen senes et provecti

de facili non inveniuntur, relinquitur prudentiæ episcopi, ut etiam juvenes, bene perpensis loci et facti circumstantiis, possit admittere, dummodo ornati sint bonis moribus et præditi religiosis qualitatibus, et apud omnes sint bonæ famæ.

Regulares non possunt esse capellani monialium, ut declaravit et censuit sacr. congr. Episc. et Regul. 17 April. 1604, nisi propter penuriam presbyterorum sæcularium. (Ead. congr. 18 Julii 1607.) — Capellani monialium debent esse amovibiles, non autem perpetui, seu intitulati. (Ead. congr. 18 Julii 1692.) Quando tamen moniales sunt in quasi possessione præsentandi earum capellanum ad vitam, episcopus non debet innovare, sed suorum jurium monumenta ad sacr. congr. mittere. (S. congr. Episc. 21 Octob. 1577.) Capellani ecclesiarum exemptarum amoveri non debent sine causa. (Ead. congr. 25 Octob. 1602.) Imo generaliter nullus capellanus, licet amovibilis, amoveri non debet sine causa. (Ead. congr. 14 Maii 1645 et 16 Maii 1653.)

Capellanus monialium exemptarum, excluso parocho, omnia sacramenta etiam in articulo mortis ipsis administrat, ita ut loco parochi habeatur. — Moniales vero non exemptæ de jure communi sunt parochis subjectæ, ita ut, seclusa consuetudine, non est cur episcopus in præjudicium parochi possit destinare hunc capellanum, qui parochi vice fungatur. Ferrar. Addit ex aliena manu, ad verb. *Capellanus monialium*.

2° Non ita est de confessariis ; monialium enim non exemptarum et exemptarum sedi apostolicæ immediate subjectarum confessarios ordinarios et extraordinarios eligere et deputare ad episcopum spectat. Monialium vero regularibus subjectarum, eosdem confessarios eligere et deputare pertinet ad prælatum regularem ; sed necesse est ut episcopus eos *specialiter* approbet. Si prælatus regularis, ad quem pertinet, extraordinarios confessarios deputare omittat, et ex alia legitima causa, episcopus potest deputare confessarium extraordinarium monialibus regularibus subjectis. — Potest episcopus, ex justa causa, prælatum illum monere ut confessarios amoveat. Id si facere renuat prælatus regularis, potest episcopus ipsos amovere. Nec superioribus regularibus significare tenetur causam, ut amoveant confessarios monialium, atque administratores earumdem bonorum : hanc causam significare tantum debet sacræ congregationi, in casu. (Const. 18 Gregor. XV ; Ferrar. verb. *Regulares*, art. 2 ; Monacel. tit. xv, form. 15, et alii.)

Moniales exemptæ confiteri non possunt confessario ab episcopo diœcesano non approbato, nec quidem superiori regulari nisi præcedat approbatio episcopi. Monacel. *ibid.*

Confessarii monialium, ac generatim omnium quarumcunque mulierum et puellarum in communitatibus viventium, constitui nequeunt nisi ad *triennium*, quo elapso, ut confessiones valide audire pergant licentia sacræ congregationis indigent pro unoquoque triennio; alias declarantur suspensi ab audiendis confessionibus ; proindeque talibus factæ confessiones sunt nullæ atque irritæ. (S. congr. Episc. 4 Mart. 1591, 2 Octobr. 1626, 27 Mart. 1647, 18 Mart. et 25 Julii 1649 ; et sæpe alibi. Et in multis recentioribus decretis relatis in *Analectis juris pontificii*, Romæ edit., n° Januarii et Februarii 1859.)

Confessarii monialium non possunt esse vicarii generales, nec ordinarie parochi, nec ordinarie canonici ; et generaliter regulares non solum non possunt esse confessarii ordinarii, sed neque capellani monialium ordinario subjectarum. Unde ordinarii non possunt uti opera confessariorum regularium, etiam pro confessariis extraordinariis, nisi in casu necessitatis. (Sic sacr. congr. Episc. et Regul. in multis decretis apud Ferrar., verb. *Moniales*, art. v ; et apud *Analecta*, supra.) — Hi omnes nequeunt esse confessarii ordinarii absque congregationis licentia.

Præter confessarium ordinarium debet etiam alius extraordinarius ab episcopo et aliis superioribus bis, aut ter in anno monialibus offerri. (*Trident.* sess. 25. *De regul.*, c. 10.) Potest tamen confessarius extraordinarius eis concedi per plures vices, quam ter in anno, non autem per pauciores vices. (Sic decisum referunt plures, apud Ferrar. *ibid.*)

Prohibere potest episcopus ne, absque sua licentia, in ecclesiis monialium missas celebrent alii præter capellanum sacerdotes, ratione clausuræ ; unde dubium movetur, an valeat episcopus similem prohibitionem facere quoad ecclesias monialium, quæ clausuram non habent. (Bouix, part. v, cap. 2.)

Prohibetur in ecclesiis monialium cantus simplex vel figuratus musicorum exterorum, ex pluribus sacr. congr. Episc. et Regul. decretis generalibus editis sub Gregor. XIII. Episcopus prohibere potest, ne in ecclesiis monialium etiam interioribus canatur eb ipsis musica lingua vernacula... sicut potest id prohibere in omnibus ecclesiis et oratoriis publicis, non obstante quacunque contraria consuetudine. (S. congr. Rituum, 3 Septembr. 1695 et 24 Novembr. 1696.)

Prædicatores monialium eligi possunt a communitate, nisi adsit contraria consuetudo; sed nequeunt prædicare absque approbatione episcopi.

5. *Visitatio canonica.* — « Episcopus, per se vel per suum vicarium generalem, potest visitare moniales exemptas et prælatis regularibus subjectas circa clausuram tantum et quæ legem clausuræ concernunt. Hinc in ejusmodi visitatione, potest episcopus claustra ingredi, et perlustrare januas, crates, rotulos, hortum, murorum septa, cellulas, lecta, et alia hujusmodi, quæ ad rectam clausuræ custodiam relationem habent : item et de iis interrogare. Abstinere autem debet a cæteris omnibus, clausuram non concernentibus.

« Moniales vero non exemptas, vi ordinariæ jurisdictionis suæ, et moniales exemptas ac sedi apostolicæ immediate subjectas, tanquam sedis apostolicæ delegatus, visitare potest ac debet episcopus loci. Ista visitatio ad solam clausuram non est restricta, sed omnia generatim comprehendit, quæ opportuna ad bonum sive spirituale sive temporale conventus promovendum, visitator existimat. Hinc institui potest, ait Pellizarius (*De monialibus*, p. 228, editionis non prohibitæ, Romæ 1761), non solum circa ea, quæ præscribit concilium Tridentinum, nimirum circa vota substantialia religionis, victum ac vestitum, sed etiam circa sequentia, videlicet :

« Quot sint moniales; an professio fiat tempore debito; an habitus novitiarum et professarum sit distinctus; an moniales ultra vota substantialia observent regulam proprii ordinis, jejunia in ea præscripta, silentium, aliasque regulares observantias; an deferant vestes debitas; an suo tempore celebrent divina officia et omnes conveniant; an servent debitam clausuram, et tempore congruo claudantur portæ; an admittant conversationes suspectas, periculosas et scandalosas; qualiter in suo munere se gerant abbatissa, vicaria et aliæ officiales monasterii; quam diligenter munus suum obeant confessarii, tam ordinarii quam extraordinarii; qualis sit educatio novitiarum, ac puellarum ibi commorantium causa educationis; qualiter expendantur bona monasterii, ac implicentur dotes monialium quæ admittuntur; » et alia id genus, quorum longum texit catalogum Gavantus, in tractatu *De Visitatione.* (Apud Bouix, tract. *De jur. reg.* part. v, sect. 5, cap. 1.)

Nequit tamen episcopus clausuram ingredi solus, sed socios saltem duos, nec plures quam octo, et quidem seniores ac pios ecclesiasticos secum habere debet. Potest tamen episcopus præter socios ecclesiasticos, secum introducere peritos laicos, si ipsis opus sit ad utilitatem monasterii. Episcopus clausuram ingressus potest convocare moniales in choro interiori, aut alio loco, et ad eas sermonem habere.

Hæc canonica monialium visitatio debet fieri singulis annis, ex Clement. *Attendentes* 2, *De statu monachorum.*

Jus expositum de canonica monialium visitatione, applicandum non venit iis monialium congregationibus, quæ per vota solemnia non profitentur; prout quoad hodiernas Galliæ moniales, declaravit S. Pœnitentiaria 23 Januarii 1821. Proinde si quam clausuram, ex proprio instituto, aut ex episcopali lege servent, hæc non impedit, quin possit episcopus eam ingredi, quoties opportunum existimaverit, absque formalitatibus a jure quoad proprie dictas moniales requisitis; necnon aliis ingredi licentiam concedere. In his tamen, ex lege naturali tenetur episcopus, nihil non prudentiæ et convenientiæ consentaneum peragere, ut patet. (Huc usque Bouix, *ibid.* part. v, sect. 5, cap. 1.)

Vide plura, infra, ubi de regularibus et monialibus tractabimus.

CAPUT XI.

Episcopus quoad laicos.

1. *Communia.* — 1. Laici omnes, etiam principes et reges, in spiritualibus causis sunt subditi judicio ecclesiastico. (C. *Quis dubitet*, 9; c. *Si imperator*, 11, dist. 96; c. *Novit ille* 13, *De judiciis;* c. *Unam sanctam*, *De major. et obed.* inter extravagantes com-

munes.) — Sed de officio et potestate episcopi relative ad laicam potestatem Ecclesiæ jura sibi usurpantem, difficilis est quæstio. Ubi de rebus mere spiritualibus, id est, fide, sacramentis, religione, seu divino cultu, decernere præsumat laica potestas, planum est non posse episcopos in hoc ei morem gerere, quin graviter officio suo desint. (*Vide* BENEDICT. XIV *De syn. diœces.* lib. IX, cap. 9, n. 2.) Unde saltem ad tria hæc tenentur episcopi : 1° Ut dictæ usurpationi, cooperando, exsequendo, aut auxiliando, non conniveant; id enim neque mortis periculum licitum eis reddere potest. 2° Ut procurent a laica potestate intelligi, haud agnosci ab ipsis prætensum illud jus quod sibi usurpat, de rebus mere spiritualibus decernendi. 3° Ut procurent pariter id ipsum a fideli populo intelligi, quoad causas spiritualibus connexas, quas laici judices multis in locis sibi usurparunt. Hæc usurpatio, etsi deflenda, de iis tamen esse videtur, pro quibus dissimulationi et tolerantiæ ex parte episcoporum locus esse potest, ne graviora ex dissidiis damna rei catholicæ in iis regionibus emergant. (*Vide* BENEDICT. XIV *De synod.* lib. IX, cap. 9.) — Non tamen episcopis licitum est quidquam in suis constitutionibus aliisve publicis actis decernere, quo Ecclesiæ juribus, etsi jamdudum a laica potestate usurpatis, renuntiare videantur; quove declarent ea Ecclesiæ jura amissa jam et perempta esse: quod satis per se patet. » (BOUIX, *De episcopo*, t. II, pag. 109 ad 115.)

2. Laicus est penitus incapax juris spiritualis, seu ecclesiastici. (C. *Massana* 56, *De elect.*; c. *Causam quæ* 7, *De præscriptionibus*, cum similibus; et communissima doctorum.) Unde laicus spiritualia et ecclesiastica negotia tractare non debet, textu expresso in cap. *Decernimus*, 2, *De judiciis*; et in multis aliis capitibus. Sicque laicus nullam habet potestatem in personas et res ecclesiasticas, quia laicis quamvis religiosis, disponendi de ecclesiis, rebus et personis ecclesiasticis, nulla est attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi. (C. *Bene quidem* 1, dist. 96 ; c. *Ecclesiæ Sanctæ Mariæ*, 10, *De constitutionibus*, et c. *Cum laicis*, 12, *De rebus alienand.*) Laici causas spirituales, beneficiales, vel decimales ad se avocantes, vel eorum cursum impedientes, vel qui partes astringunt ad revocandum citationes, inhibitiones, aut alia acta in causis præfatis, etiamsi id facientes sint superiores, cancellarii, consiliarii, et ministri cujuscunque principis, incurrunt excommunicationem bullæ *Cœnæ*, ibi § 14. Item similem excommunicationem bullæ *Cœnæ* incurrunt laici, qui personas ecclesiasticas, collegia, seu capitula trahunt ad suum forum, sive directe, sive indirecte, vel quomodocunque juri ecclesiastico præjudicant, ibi § 15. Item qui impediunt episcopos, vel alios prælatos ecclesiasticos, ne suo jure utantur in ecclesiasticis, capiendo vel persequendo agentes eorum, consanguineos, affines, vel procuratores, ibi § 16. Item laici usurpantes jura, fructus et alia hujusmodi sedis apostolicæ vel aliarum ecclesiarum, vel qui ea sequestrant absque licentia superioris competentis, ibi § 17. Item laici imponentes decimas, talleas, collectas, vel alia onera ecclesiasticis, vel eorum bonis absque licentia papæ; vel qui sic imposita exigunt aut recipiunt. Sic etiam, qui directe, vel indirecte ea exsequi faciunt, vel procurant, aut dant auxilium, favorem, vel consilium, cujuscunque gradus, aut dignitatis sint, ibi § 18. Item laici causas criminales ecclesiasticorum, judicantes, tractantes, etc., ut judices, notarii, scribæ, exsecutores processando, banniendo, capiendo, vel contra eos sententiando sine licentia papæ.

In his omnibus quoad Gallias multæ quotidianæ difficultates exsurgunt; sane multi laici per ignorantiam juris ab excommunicatione eximuntur; sed de iis qui jus norunt et de ecclesiasticis, potestne dici eos in tuto esse per contrariam consuetudinem et violentiam legum et factorum? Nonne melius esset consilium sanctæ sedis apostolicæ exquirere, et ejusdem indulgentiam saltem temporariam expetere? Doctioribus resolvendum relinquimus.

3. Laici eligere non possunt ad dignitates et prælaturas ecclesiasticas in hodierno jure. (C. *Nullus;* c. *Non est;* c. *Non licet*, et c. *Nosse*, dist. 63; c. *Contingit* 8, *De arbitris;* c. *Decernimus* 2, *De judiciis;* c. *Sacrosancta* 51; c. *Massana* 56, *De electione.*) Et electio episcopi per laicos etiam cum canonicis facta, est nulla. (Eod. cap.) Principes laici possunt tamen ex concordatis præsentare et nominare ad dignitates ecclesiasticas.

Laici etiam patroni non possunt conferre clericis beneficia aliasque ecclesias, sed possunt ad ea præsentare si habent jus; et si concedunt sine licentia episcopi, nulla est concessio. (C. *Cum laici*, 10, *De jure patron.* concil. Lateran. III.)

In Galliis, ex articulis Concordati 4 et 5, ad laicum principem spectat archiepiscopos et episcopos nominare; et ex articulo decimo episcopi nequeunt ad curas nominare nisi personas gubernio acceptas. His exceptis, nullus laicus nequidem princeps supremus, ad alia nec nominare, nec designare, nec recognoscere, nec ad suam acceptionem submittere potest. Unde ad solos episcopos pertinet eligere et constituere vicarios generales, seminariorum rectores, parochiarum succursalium rectores, etc., absque ulla gubernii acceptatione. Canonici etiam huic gubernii acceptationi non subjiciuntur. Gubernium potest tantum curatos parochos non acceptare, sed nequit eos nominare nec designare. Unde conferendo prohibitiones sub excommunicationis pœna bullæ *Cœnæ* supra, cum aliis juris Ecclesiæ præscriptionibus, laici gubernii officiales sese immiscentes in ecclesiasticis nominationibus, institutionibus, promotionibus, sicut horum laicorum fautores non videntura pœnis jure latis exempti. Dicendum est tamen quod nominationum et institutionum notificatio ad pensionis a gubernio debitæ solutionem non potest cadere sub prohibitionibus canonicis, cum hæc pensionis solutio stipulata fuerit a sancta sede in dicto Concordato 1802.

4. Laici usurpantes res Ecclesiæ, coram episcopis conveniuntur, et ad satisfactionem compelluntur : cap. *Conquestus* 16, *De foro compet.*; c. *Sicut* 2, *De privilegiis*. Laici pro re ecclesiæ conveniri possunt coram judice ecclesiastico : cap. *Si clericus* 5, *De foro compet.* Laici pro juramentorum observantia conveniri, debent coram judice ecclesiastico: cap. final. *De foro compet.* in 6. Laici non possunt alicui domui religiosæ concedere jus patronatus sine licentia episcopi (C. *Cura pastoralis* 11, *De jure patron.* conc. Lateran. III.) Laici non possunt spoliare de ecclesiis seu beneficiis clericos delinquentes. (*Concil. Constantiens.* contra art. 16 Wicleff.; c. *Relatum* 21, *De jure patr.*) Laici qui clericos instituunt et destituunt, in ecclesiis etiam patronatis subjacent excommunicationi. (C. *Præterea* 4, *De jure patr.*) Laici non possunt facere judicia in ecclesiis. (*Conc. Arelat.* IV, cap. 22; cap. *Ut in domibus* 1, *De immunit. Eccles.*) Imo laici nec possunt facere sua concilia in ecclesiis et domibus earum. (Eod. cap.)—Laici non possunt frequentare monasteria monialium; alias excommunicationi subduntur. (C. *Monasteria* 8, *De vita et honest. cleric.*)

5. Laici in mere temporalibus et profanis non ligantur constitutionibus canonicis, nisi in terris Ecclesiæ. (C. *Quoniam* 8, dist. 10; c. *Si duobus* 7, *De appell.*)

6. Laicis personis de mysteriis fidei publice vel privatim disputare prohibitum est sub pœna excommunicationis ferendæ. Hæc prohibitio non solum comprehendit disputationem fidei dubitativam, sed etiam disputationem fidei confirmativam. Talis prohibitio comprehendit omnes laicos non solum indoctos, sed etiam doctos. Possunt tamen laici docti de fide disputare in casu necessitatis aut evidentis utilitatis. Possunt etiam laici docti disputare de fide disputatione materiali, hoc est ficta; non autem disputatione formali, hoc est vera, nisi in casu necessitatis aut evidentis utilitatis. (C. *Quicunque* 2, *De hæreticis*, in 6; constit. 2, *Noverit* Nicolai III; const. *Excommunicamus*, Gregor. IX; const. *Noverit* Innocent. IV; c. *Mulier* 29, dist. 23; c. *Cum ex injuncto* 12, *De hæret.*; apud Ferrar. verb. *Fides*, n. 37 ad 41; et verb. *Laicus*, n. 15 ad 20.

7. Laici non possunt prædicare. Imo laici prædicantes subjacent excommunicationi, et nisi quantocius resipuerint, alia competenti pœna sunt plectendi. (C. *Cum ex injuncto* 12, et *Excommunicatus* 13, *De hæret.*) Non possunt offerre oblationes in altaribus (c. *Sanctorum* 14, causa 10, quæst. 1), nec ullas sacras functiones exercere, nequidem ministerium ordinum minorum. (*Trident.* sess. 23, *De reform* c. 17.) Non possunt regulariter inservire ministris in altari, nec indui superpelliceis. (*Conc. Colon.* II, part. III, cap. 31.) Attamen ex consuetudine et tolerantia hæc ultima possunt. Laici magistratus jus non habent indicendi publicas preces. (Bened. XIV, t. I, const. 82 *Quemadmodum*, § 3 et 6.) Et episcopi qui publicant litteras seu ordinationes ministri cultuum laici ad preces publicas faciendas, non videntur sine culpa : ipsis enim solis est concedere et præscribere hujusmodi preces.

Laici induentes se vestibus sacris sunt pu-

niendi. (*Conc. Constantinop.* IV, cap. 16) Laici non possunt tangere sacras reliquias, neque vasa sacra, et neque illa abluere. (*Conc. Coloniens.* II, part. III, cap. 31.)

8. Laici non possunt habere cryptas et aditus subterraneos, per quos e suis domibus ad ecclesias et loca immunia transeant; nec fenestram per quam prospectus, nec portam per quam transitus habeatur in ecclesia, sine indulto apostolico, nec januam correspondentem in domo parochi ecclesiæ contigua, et ubi talia haberentur, injungitur episcopo, ut claudere faciat. (S. congr. Episc. et Regul. et sacr. congr. Immunit.; sæpe sæpius, apud FERRAR. verb. *Ecclesia*, art. 5, verb. *Laicus*.) Imo ne quidem ducibus et marchionibus id permitti posse declaravit sacr. congr. 5 Martii 1619. Nisi tamen in limine fundationis ecclesiæ fundator, seu aliquis insignis benefactor, sibi reservaverit jus habendi prospectum, seu ingressum in ipsam. (MONACELL. part. I, tit. VI, form. 10, n. 18; et alii apud FERRAR. verb. *Ecclesiæ*, art. 5, n. 6.)

Sedilia, seu scamna propria ponere in ecclesia nemo potest absque facultate rectoris ecclesiæ, et invito episcopo, et si ab aliquibus apponantur, possunt a rectore et episcopo removeri, maxime quando sunt causa rumoris, et impediunt functiones, et celebrantes, ut pluries tenuerunt sacr. congr. Episc. et sacr. congr. Rituum, apud Ferrar. verb. *Ecclesia*, art. 5. Ex tolerantia tamen, vel licentia episcopi, seu rectoris ecclesiæ, possunt laici acquirere jus retinendi sedilia, seu sedendi in ecclesia, non quoad dominium, vel proprietatem, sed solum quoad usum revocabilem ad libitum rectoris et episcopi. (Ita multi et sacr. congr. Episc. apud FERRAR. *ibid.*) Hinc non possunt laici prædicta sedilia, etc., aliis quomodocunque concedere, absque episcopi consensu. (S. congr. Concil. 5 Septembr. 1665.)

Locus autem in ecclesia possessus, videntibus et patientibus rectore, toto clero, et hominibus loci, sicuti acquiritur per decennium, ita præscribitur per immemorialem. Ad illud jus acquirendum non requiritur consensus episcopi expressus, sed sufficit tacitus. (FERRAR. *ibid.*)

Laici, dum divina celebrantur, non debent inter canonicos et alios ecclesiæ præbendatos et ministros in divinis inservientes, in choro vel presbyterio stare vel sedere, etiamsi sint illustres et de magistratu. (S. congr. Immunit. et sacr. congr. Rituum, et c. *Sacerdotum* 29, dist. 2, *De consecrat.*; c. *Ut laici* 1, *De vit. et honest. clericor.*) Nec possunt retinere baldachinum in ecclesia, sub ecclesiæ interdicti pœna. (S. congr. Rituum 13 Mart. 1688, et sæpe sæpius.) Quibus etiam prohibitum est laicis osculum Evangeliorum intra missas.

Laici, exceptis personis regalibus, nequeunt sibi facere deferri strata vel tapeta ad ecclesias (S. congr. Cæremon. et Clement. XI, part. III sui *Bullar.* decret. 1) sub pœna in urbe cessationis immediate a divinis; et si non servetur, sub excommunicationis pœna pro rectoribus, cæterisque ecclesiæ ministris.

9. Episcopus debet concordiam, pacem et unitatem non solum inter ecclesiasticos, sed etiam inter laicos fovere. (C. *Præcipimus*, et per totam dist. 90; c. *Episcopus*; c. *Res Ecclesiæ* et seq. causa 12, quæst. 1.) Episcopus debet pupillis, viduis, aliisque pauperibus oppressis providere, tueri, et justitiam ministrare. (C. *Pervenit*, et seq. dist. 84, et per tot. dist. 84; c. *Scire*, causa 23, quæst. 8; c. *Super quibusdam*, in fin. *De verb. signific.*)

II. *De principibus.* — 1° «Nunquam de pontificibus, nisi Ecclesiam, judicasse; non esse humanarum legum de talibus ferre sententiam, absque Ecclesiæ principaliter constitutis pontificibus; obsequi solere principes Christianos decretis Ecclesiæ, non suam præponere potestatem; episcopis caput subdere principem solitum, non de eorum capitibus judicare.» (C. 12, *Nunquam*, dist. 96 et per totum; et titul. 49, *De immunitate Eccles.* lib. III *Decretal.* præsertim cap. 4, *Non minus*, et cap. 7 *Adversus consules*, et *Concil. Lateranens.* sub Leone X, sess. 9 et 10. Confer etiam bullam *Cœnæ* supra citatam.) — «Cogantur omnes principes catholici conservare omnia sancita, quibus immunitas ecclesiastica declaratur, a prædictorum principum officialibus minime lædenda, sed bene conservanda,» sic summatur cap. 20, *De reform.*, sess. 25, Trident., quod legendum est per totum. Episcopi erga principes et majores ubique vivant, tanquam Patres et pastores secundum gradus sui decorem, nullibi autem indigne se demittant. «Non potest sancta synodus non graviter dolere, audiens episcopos aliquos, sui status oblitos, pontificiam dignitatem non leviter dehone-

stare; qui cum regum ministris, regulis, et baronibus in ecclesia, et extra, indecenti quadam demissione se gerunt, et veluti inferiores ministri altaris, minus indigne nor solum cedunt, sed etiam personaliter illis inserviunt. Quare hæc, et similia detestatur sancta synodus, sacros canones omnes, conciliaque generalia, atque alias apostolicas,» (C. *Quanto, De offic. ordin.*; c. *Valentinianus* dist. 63; c. *Episcopus in ecclesiis*, dist. 95; et per totum dist. 96; c. *Solitæ, De major. et obed.*) «sanctiones ad dignitatis episcopalis decorem et gravitatem pertinentes renovando, præcipit, ut ab hujusmodi in posterum episcopi se abstineant, mandans eisdem ut tam in ecclesia, quam foris suum gradum et ordinem præ oculis habentes, ubique se patres et pastores esse meminerint; reliquis vero tam principibus, quam cæteris omnibus, ut eos paterno honore, ac debita reverentia prosequantur.» (*Trident.* sess. 25 *De reform.*, cap. 17.)

2° Quando imperator, rex, princeps, aut imperatrix, regina, principissa, veniunt ad aliquam urbem, vel locum insigne, clerus urbis obviam eis venit processionaliter. Imperator, etc., ex equo, vel (quod magis convenit) descendens in terra super tapete stratum genuflexus osculatur ibidem crucem, et sub baldachino a laicis illustribus (non vero a clericis) deferendo ducitur usque ad ecclesiam. Cum intrat ecclesiam, prælatus ecclesiæ, accepto aspersorio, aspergit eum, deinde alios in genere, et procedunt usque ad altare majus, coram quo imperator aut, etc., genuflectit super faldistorio ibidem sibi præparato. Prælatus vero ecclesiæ ascendit ad cornu Epistolæ altaris, ubi stans versus ad orantem, detecto capite, dicit versiculos et orationes, ut in *Pontificali*. Deinde si prælatus sit episcopus, vel major, stans ante altare benedicit solemniter populo ex Pontificali, *Ordo ad recipiendum*, etc., qui servandus est.

Intra ecclesiam vero, «sedes pro nobilibus, atque illustribus viris laicis, magistratibus ac principibus, quantumlibet magnis et primariæ nobilitatis, plus minusve, pro cujusquam dignitate et gradu ornatæ, debent extra chorum et presbyterium collocari, juxta canonum præscriptum, laudabilisque antiquæ disciplinæ documenta, jam inde ab exordiis Christianæ religionis introductæ, ac longo tempore observatæ.» (*Cæremonial. episcop.* lib. I, cap. 13, n. 13.) Principi supremo debitum est baldachinum in ecclesia. At collocari illud debet non solum extra presbyterium, sed et a parte sinistra baldachini episcopi, seclusa tamen consuetudine. (Card. De Luca, *De præeminent.* discurs. 26, n. 16; et alii apud Ferrar. verb. *Baldachinum.*) At sedes principis etiam supremi nequit plures gradus quam sedes episcopi habere, nec altius extolli. Principibus debetur etiam incensum et osculum pacis juxta *Cæremonial.*—Nihil aliud fieri debet intra ecclesias pro principibus quam quod a canonibus et regulis ecclesiasticis permittitur; unde prohibentur clamores et aliæ demonstrationes non solum laicorum sed et etiam magis clericorum.

III. *De Fabricis, administrationibus, confraternitatibus laicorum*, etc. — 1° Indubium est quod bona ecclesiastica clericorum sit administrare, cum canones omnium conciliorum, ad conservationem et justam dispensationem eorum, semper episcopis vel aliis clericis dirigantur, non laicis (*concil. Carthagin.* IV, c. 31; *Nicæn.* II, c. 12), quod et natura ipsa illorum bonorum confirmat. Notatu digna putamus verba Basileensis concilii: Ipsa *bona ecclesiæ ab aliis quam ab his quibus administratio canonica est commissa, usurpari sine sacrilegio non possunt.* (T. VIII *Concil.*, edit. Paris. 1714, p. 1469.) Quomodo et quando laici in eorum administrationem irrepserint, et quomodo pontificum indulgenti prudentia in concordatis expressa, in ipsa velut novissimo jure protecti se habeant, non est hic locus dicendi. (Ferrar. verb. *Administratio;* Additiones Cassinienses, n. 42.) Nec varias fabricarum ecclesiarum institutiones et constitutiones hic referre habemus.

At vero ordinarii locorum possunt exigere juramentum de fidelitate administrandi ab omnibus administratoribus ecclesiarum, locorum et legatorum piorum. (Sacr. congr. Concilii, 18 Julii 1705, et 8 Mart. 1706.) Possunt ab ipsis rationes et computa administrationis exigere tam in visitatione quam extra, per suum delegatum, non obstantibus quibuscunque privilegiis. (*Concil. Trident.* sess. 22, c. 8 et 9, *De reform.*; et sacr. congr. Concil. et Episcop., et Immunitat.; plurios apud Ferraris, verb. *Administratio.*) Imo, si reperti fuissent, quod in administratione male se gessissent, possunt ab

episcopo amoveri, etiamsi essent dati a testatore, cum prohibitione ne rationes reddere tenerentur episcopo. (Colligitur ex cap. *Tua nobis* 17, *De testam.*, et ex Clement. unic. in fine, *De testam.*)

Possunt etiam episcopi visitare hospitalia, et ab eorum administratoribus rationem computorum exquirere, etiamsi absolute laicalia sint. Confraternitates erigere, vel jam erectas aggregare alicui archiconfraternitati, potest in sua diœcesi episcopus, *auctoritate ordinaria*, servatis tamen dispositionibus constitutionis *Quæcunque*, Clementis VII. Erecta una confraternitate, prohibetur erigere aliam ejusdem instituti in eodem loco et citra distantiam trium milliariorum; a qua regula excipiuntur sanctissimi Sacramenti, et doctrinæ Christianæ confraternitates. Etiam quoad alias, accedente ordinarii consensu, facile dispensari solet. (Ferrar. verb. *Confraternitas*, art. 1, n. 29.)

2° Confraternitates quascunque visitare potest episcopus; et ex causa concedere potest confraternitatibus laicorum, ut in eorum ecclesia conservent SS. Sacramentum. (S. congr. Rituum, 11 Junii 1604.) Episcopus potest per seipsum vel per suum delegatum confraternitatum congregationibus interesse; item prohibere ne, in diebus festis, celebretur missa in oratoriis confratrum ante missam parochialem. Nequit vero episcopus prohibere nec restringere exercitia solita nec capellanum confraternitatis amovere sine causa, reluctantibus confratribus; nec confratres expellere aut novos admittere. (S. congr. 16 Septembr. 1799.) Possunt confratres, absque episcopi licentia, sese congregare ubi et quando voluerint. (Ferraris, verb. *Confraternitas*, art. 3.) Episcopus potest pro contributione seminarii taxare bona confraternitatum, quatenus sint ecclesiastica. (S. congr. Concil. 19 Novembr. 1628.) Potest episcopus confraternitatum statuta prout opportunum existimaverit condere, corrigere, innovare. At etiam confraternitates episcopo approbante possunt statuta condere; eorum officialium electio ad confratres pertinet, confirmatio vero ad episcopum; qui habet etiam electionem quatenus confratres non concordant post tertium scrutinium. Confraternitatis officiales habent liberam administrationem bonorum societatis Confratres nequeunt quæstare absque licentia episcopi; licentia eleemosynas quæritandi non debet confraternitati concedi extra locum, in quo est erecta (S. congr. Concil. 3 Junii 1690 et bulla Clement. VIII: et sic doctores apud Monacelli, part. I, tit. 6, form. 11; et apud Ferraris, verb. *Confraternitas*.)

3° Si civitas seu communitas vel dominus temporalis loci nominat prædicatorem et solvit eleemosynam, consuetudo hujusmodi servanda est. (Sacr. congr. Episc. 7 Febr. 1615; et sacr. congr. Concil. 1 Junii 1696.) At si, pro cathedrali episcopus vellet jus nominandi sibi vindicare (prout vere potest), non posset civitatem aut capitulum ad solutionem cogere, sed teneretur de proprio expensas et eleemosynam subministrare. (Sic pluries sacr. congr. Concil. et doctores, apud Monacel. part. I, tit. II, form. 7.) At si episcopus consueverit eligere, et communitas solvere, talis consuetudo servanda est; absque eo quod universitas seu communitas possit prætendere nominationem. (S. congr. Concil. 15 Novembr. 1692.) Communitas dare debet prædicatoribus mercedem dari solitam, nec potest ipsam imminuere et reducere ad certam parvam quantitatem. (S. congr. Concil. Septembr. 1620.) — Habentes jus nominandi prædicatorem quadragesimalem, debent illum nominare et præsentare episcopo in termino a synodo diœcesana præscripto, vel ante festum nativitatis D. N. J. C., vel duobus mensibus ante Quadragesimam, alias nominatio devolvitur ad episcopum. (Ead. sacr. congr., pluries apud Monacel., part. I, tit. I, form. 7; et part. IV, ad Supplem. ad t. II, n. 110.) Quando vero nominaverunt et præsentaverunt tempore opportuno, si nominatus, et electus postea non vult, vel non potest illuc venire, non idcirco debent privari jure suo sine culpa; nisi acciderit in ultimis diebus ante Quadragesimam, quia tunc providebit episcopus; nec poterunt recusare prædicatorem, vel ei eleemosynam solitam denegare. (S. congr. Episc., 24 Febr. 1612, et 18 Septembr. 1648.) Ad episcopum pertinet prædicatoris approbatio et deputatio.

IV. *De ludimagistris.* — Episcopus potest prohibere ludimagistris exercitium scholæ, quamvis fuerint nominati a communitatibus laicorum, nisi prius fuerint ab eodem approbati, ut respondit sacr. congr. Concil. *in Asculana Apuliæ* 28 Junii 1691. Ab eisdem fidei professionem exigere tenetur episco-

pus; etenim fidei professionem emittere tenentur doctores, magistri, regentes universitatum, vel gymnasiorum docentes quascunque scientias, etiam grammaticam, et alii cujuscunque artis, ac facultatis professores, sive clerici aut laici illi sint, vel cujuscunque ordinis regulares, qui docere, vel ad aliquem gradum promoveri voluerint; Pius V, const. *In sacrosancta;* et sacr. congr. Concilii declaravit comprehendi in dicta Bulla Pii IV, etiam docentes principia grammaticæ, arithmeticæ, musicæ et aliarum artium, licet publicam scholam non faciant, sed in propriis domibus doceant. Sic refert Hieronymus a Sorbo in compendio privilegiorum Mendicantium, verb. *Professio fidei*, notabil. 4; et sic decisum est in concilio provinciali Romano 1725, tit. 1, cap. 1. Episcopus non exigens fidei professionem a doctoribus et scholaribus incurrit pœnam interdicti ab ingressu ecclesiæ.

V. Episcopus punire potest contrahentes matrimonia contra suam prohibitionem, et illos qui contrahunt coram parocho dissentiente, et qui contrahunt, omissis denuntiationibus, item testes si sint in dolo. (S. congr. Concil. 10 Febr. 1626.)

CAPUT XII.

Episcopus quoad consecrationes et benedictiones.

I. 1° Ad episcopos spectat aut ex consuetudine, aut ex mandato apostolico reges consecrare.

2° Abbates qui petunt benedici, debent recipere benedictionem ab episcopis, in quorum diœcesibus monasteria consistunt. Const. *Commissi* Bened. XIII, 6 Maii 1725, et multis aliis constit. et decret. apud Ferrar. verb. *Abbas.*)

3° Ad episcopum pertinet velare moniales et earum professionem recipere per se vel suum delegatum. Ad illum etiam spectat illis benedicere, ubi servatur usus.

II. 1° Consecrationis ecclesiarum munus est episcopali dignitati reservatum. Diœcesano episcopo ita competit ut extraneo cuicunque episcopo absque diœcesani delegatione licere non possit. Simplici presbytero nequidem ex delegatione episcopi competere potest facultas consecrandi ecclesias. Ex pontificia tamen delegatione hujusmodi consecrationis munus simplici presbytero competere potest. (Ex const. *Ex tuis precibus* Bened. XIV.) Ad eumdem diœcesanum pertinet ecclesiam consecratam de novo consecrare aut pollutam reconciliare; nec potest simplicem sacerdotem delegare.

2° Si episcopus in aliena diœcesi sine diœcesani episcopi permissione ecclesiam aut altaria consecraverit, punitur suspensione ab exercitio pontificalium per integrum annum. (*Concil. Trident.* sess. 6, c. 5, *De reform.* et sess. 14, c. 2.) Et debet per eumdem annum cessare a celebratione missarum. (Textu expresso in c. *Episcopus* 38, causa 7, quæst. 1.) Consecratio sic facta remanet tamen valida. (*Ibid.*)

3° Consecratio Ecclesiæ, vel ab uno episcopo, vel a pluribus simul tanquam comministris peragi potest. (Const. *Ex tuis precibus* Bened. XIV.)

4° Regulares possunt suas ecclesias benedicere et ad cultum divinum deputare ex privilegio Leonis X. Insuper habent privilegium ut quilibet alius episcopus possit consecrare suas ecclesias, quoties episcopus diœcesanus ab ipsis debito modo requisitus noluerit consecrare, aut id facere distulerit ultra quatuor menses. (Ferrar. verb. *Ecclesia*, art. 4, n. 8, 9 et seq.)

5° Ecclesia non est consecranda, nisi prius ei de dote competente provisum fuerit. (Textu expresso in cap. *Cum sicut* 8, *De consecrat. eccles.*, et concordat c. *Placuit* 1, causa 1, quæst. 2; c. *Nemo* 9, dist. 1, *De consecrat.*)

6° Cœmeterium consecratur, et reconciliatur eisdem modis, et ab eisdem, quibus consecratur et reconciliatur ipsa ecclesia. (Arg. cap. *Consuluisti* 7, *De eccles. consecr.*, et cap. *Si ecclesiam* unic., eod. tit. in 6.)

III. Benedictio autem simplex cœmeterii et ecclesiæ non consecratæ potest committi presbytero in dignitate ecclesiastica constituto. (S. Rituum congr. *in Cameracensi*, 9 Febr. 1508.) — Si ecclesia polluta non fuerit consecrata, sed solummodo benedicta, reconciliari potest per quemlibet simplicem sacerdotem per solam aquæ lustralis aspersionem. (C. *Si ecclesia* 10, *De consecr. eccles.*) Neque requiritur quod aqua pro reconcilianda ecclesia non consecrata sit per episcopum benedicta, ex textu citato: *Aqua protinus exorcizata lavetur.*

IV. 1° Consecratio altaris, calicis et patenæ, in qua adhibenda est sacra unctio, ad solos episcopos pertinet.

2° Corporalia, paramenta ecclesiastica et

ornamenta omnia, tam ministrorum quam altaris, sunt per episcopum benedicenda (cap. *Vestimenta* 42, *De consecr.* dist. 1), ita ut simplices sacerdotes illa benedicere non possint, neque ex delegatione et permissione episcopi, nisi ad hoc habeatur speciale privilegium sedis apostolicæ, a qua interdum conceditur personis in dignitate ecclesiastica constitutis, dummodo in eis non sit adhibenda sacra unctio, vel oleum sanctum, quæ ab ipso tantum episcopo ordinato et consecrato benedicenda, inungenda et consecranda sunt, ut censuit sacr. Rit. congr., sæpe sæpius, apud Ferrar. verb. *Benedictio*, art. 1, n. 17.

3° Solus episcopus jus habet campanas benedicendi, cum sacra unctio adhibenda sit, nec potest facultatem alteri subdelegare, absque indulto apostolico. (Bened. XIV, *Instit. eccles.* 21, n. 38.)

V. 1° Jure divino sacerdotibus munus benedicendi super populum committitur, ut in lib. Numerorum capite sexto : *Locutus est Dominus ad Moysen : Loquere ad Aaron : Sic benedicetis filiis Israel, et dicetis eis : Benedicat tibi Dominus et custodiat te.*

2° Benedictionem in via seu itinerando dare potest episcopus in sua diœcesi, archiepiscopus, primas seu patriarcha in tota sua provincia, etiam extra visitationem, et legatus apostolicæ sedis in locis suæ legationis, et Romanus pontifex ubique terrarum. (C. *Antiqua* 23, *De privileg.*)

3° Nonnisi episcopus potest benedicere populo extra actum celebrationis. (S. Rit. congr., 25 Maii 1724.)

VI. 1° Quoad papalem benedictionem attendenda est Clementis XIII constitutio *Inter cætera*, per quam patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, necnon aliquibus inferioribus prælatis, benedicendi populo, cum indulgentia plenaria, nomine sanctitatis suæ facultatem postulantibus, concedendam esse statuitur, ritusque servandus præscribitur. Ritus hujus benedictionis, quo soli episcopi et inferiores prælati uti possunt, reperitur in Romano Pontificali.

2° Regulares et ecclesiastici sæculares, qui ex indulto apostolico possunt impendere hanc apostolicam benedictionem cum indulgentia plenaria, ex eadem const. Clem. XIII, nequeunt uti ritu pontificali, sed servare debent in illius exercitio, in omnibus ritum et formam a Bened. XIV, ut in *Rituali Romano* reperiuntur.

VII. Facultatem benedicendi morituros cum plenaria indulgentia, quam antistites ecclesiarum cum epistola in forma brevis ad triennium obtinuerunt, ad totum illud tempus quo in ea diœcesi perseverabunt, prorogat Bened. XIV, in encyclica *Pia mater*, tom. II *Bullar.* n. 34; ac imposterum ita esse expediendas facultates illas denuntiat, easque pariter communes esse vult prælatis inferioribus territorium separatum habentibus cum qualitate nullius, et activa in populum et clerum jurisdictione His omnibus dat facultatem subdelegandi, ut ipsis quomodocunque impeditis etiam diuturno tempore possint per alios hanc benedictionem impertiri, modo qui habetur descriptus in eadem encyclica et in *Rituali Romano* insertus est.

CAPUT XIII.

Episcopus quoad absolutiones et dispensationes

Art. I. — De absolutionibus.

I. Episcopi non possunt absolvere a casibus et censuris publicis reservatis summo pontifici, ex cap. *Cum inferior*, *De majorit. et obed.*, neque a casibus et censuris occultis in bulla *Cœnæ* contentis, et maxime hæresi, ut clare deducitur ex verbis ipsius bullæ *Cœnæ*, § 21, ubi expresse episcopis est adempta facultas absolvendi a casibus in ipsa bulla reservatis, quomodocunque, etiam per *cujuscunque concilii decreta*, prius concessa.

Unde cum nullum concilium nisi Tridentinum, sess. 24 *De reform.*, cap. 6, concesserit episcopis facultatem absolvendi a reservatis occultis, manifeste patet quod bulla *Cœnæ* (*Consueverunt* Gregorii XIII, quam Paulus V, Urbanus VIII, Alexander VII, Clemens XI, et alii sanctissimi pontifices renovarunt const. *Pastoralis Romani pontificis vigilantia*), quantum ad casus in ipsa contentos, revocavit et revocat facultatem episcopis a concilio concessam, alias superflua essent verba illa bullæ : *Ac cujuscunque concilii decreta;* et sic, teste Barbosa, et alii apud Ferrar. verb. *Absolvere*, declaratum est a Pio V, Gregorio XIII, et Clemente VIII; et pluries a sacr. congr. Concil. huic decreto Trident. sess. 24, c. 6, non tantum in crimine hæresis, sed in omnibus casibus comprehensis in bulla *Cœnæ* domini Pii V, esse derogatum. Et clarissime ultimo constat ex decreto Alexandri VII de anno 1665, 24 Septembris, damnantis hanc propositionem tertiam in ordine : « Sententia asse-

rens bullam *Cœnæ* solum prohibere absolutionem hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18 Julii in consistorio sacr. congr. eminentiss. Card. visa et tolerata est. »

II. Sic etiam sentiunt Hiberniæ et Germaniæ aliarumque nationum episcopi. (Bened. XIV, lib. IX, c. 5, *De synod. diœc.*) Sic etiam nunc sentiunt Patres concilii provinciæ Remensis anni 1856 : « Videant nunc auctores Gallicani, an tuto et sine temeritatis nota, suis vindicare possunt episcopis auctoritatem, quam sibi justis de causis prima reservavit sedes. Præterea bulla *Cœnæ* licite non potest non recipi, et contra illam nulla valet præscribere consuetudo. » (Reiffenst. lib. v. tit. VII.)

§ I. — Casus excommunicationis ex bulla *Cœnæ* summo pontifici reservati, et de quibus episcopi absolvere nequeunt.

Hæc reservatio afficit :

I. 1° Omnes et singulos hæreticos quocunque nomine censeantur et cujuscunque sectæ exsistant, eorumque fautores, et generaliter quoslibet defensores, a Christiana fide apostatas, necnon schismaticos, et eos qui se a Romani pontificis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt. (Bulla *Pastoralis*, § 1.)

« Multi sunt qui (nostris temporibus), a falsa et impia philosophia delusi, nulli tamen sectæ hæreticæ publice aut occulte nomen dantes, quasdam opiniones aut assertiones vel raro et obiter, vel sæpius in medium proferunt, quæ notioribus fidei articulis aut etiam generatim Christianæ fidei adversantur. » Hi non confundi debent cum vere hæreticis; ideoque non subjiciuntur excommunicationi bullæ *Cœnæ*, quod a confessariis advertendum est. (*Concil. provinc. Remens.* anni 1856, p. 52.)

2° Eos qui, sine facultate sedis apostolicæ, immediate vel mediate sibi concessa, libros hæreticorum scienter legunt, retinent, imprimunt, seu quomodolibet defendunt, ex quavis causa publice vel occulte, quovis ingenio, vel colore. Ead. bulla, § 1.)

« Ut autem incurratur ista excommunicatio et reservatio, necesse est 1° ut liber exaratus fuerit tempore quo auctor erat vere hæreticus; 2° ut liber hæresim contineat, vel, si nulla sit infectus hæresi, ex professo et non aliter de religione tractet; 3° ut legens noverit et auctorem libri esse hæreticum, et librum continere hæresim, aut de religione tractare. Cæterum serventur regulæ sacr. congr. Indicis. » (*Conc. prov. Remens.* 1856.)

II. Appellantes ab ordinationibus seu mandatis Romanorum pontificum ad universale futurum concilium, et eos quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit. (Ead. bulla, § 2.)

III. Surripientes bona Christianorum naufragantium, sive in navibus exsistentia, sive in mari ab eis ejecta, sive in littore inventa. (*Ibid.* § 4.)

IV. Omnes falsarios litterarum apostolicarum etiam in forma brevis ac supplicationum, gratiam vel justitiam concernentium, necnon falso eas publicantes. (Ead. bulla, § 6.)

V. Offendentes cardinalem aut aliquem alium Ecclesiæ prælatum. « Excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, sedisque apostolicæ legatos, vel nuntios, aut eos a suis diœcesibus, territoriis, terris seu dominiis ejicientes; necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem. (*Ibid.* § 11.)

VI. Omnes illos, qui per se, vel per alias personas ecclesiasticas quascunque vel sæculares, ad Romanam curiam, super eorum causis negotiisque recurrentes... occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant; et ad id quoquomodo adjuvantes aut faventes. (*Ibid.* § 12.)

VII. Eos qui prætexentes frivolam quamdam appellationem a gravamine, vel futura exsecutione litter. apost... et decretorum a sancta sede et ejusdem delegatis emanatorum ad curias sæculares et laicalem potestatem recurrunt; item eos qui tales recursus admittunt, aut qui alias quibuscunque personis, seu pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis, ad Romanam curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas vel litteras a dicta sede impetrent, seu impetratis utantur, directe prohibere, statuere, seu mandare, vel eas quomodolibet retinere præsumunt. (*Ibid.* § 13.)

VIII. Omnes quoscunque, qui per se, vel per alios, beneficiales, et decimarum, ac alias

causas spirituales, et spiritualibus annexas, a judicibus ecclesiasticis avocant, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam judices interponunt; quive partes actrices, ad quæ facta sunt revocandum, a censuris et pœnis absolvi compellant, vel exsecutionem litterarum, seu exsecutorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt; etiamsi talia committentes imperiali, regali, vel alia quacunque præfulgeant dignitate, et archiepiscopi... seu vicarii fuerint. (*Ibid.* § 14.)

IX. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis aut aliorum quorumcunque personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, concilium, vel parlamentum, præter juris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, procurant directe vel indirecte, quovis quæsito colore... (*Ibid.* § 15.)

X. Omnes quomodolibet impedientes jurisdictionem judicum ecclesiasticorum, et ab eorumdem sententiis ad curias sæculares recurrentes. (*Ibid.* § 16.)

XI. Quive jurisdictiones, seu fructus, redditus et proventus ad sedem apostolicam, et quascunque ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, vel etiam... sine Romani pontificis expressa licentia sequestrant. (*Ibid.* § 17.)

XII. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, et alia onera personis et bonis ecclesiasticis imponunt, recipiunt etiam a sponte dantibus, aut directe vel indirecte imponi procurant. (*Ibid.* § 18.)

XIII. Omnes et quoscunque magistratus, et judices, notarios, scribas, exsecutores, subexsecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas... (*Ibid.* § 19.)

XIV. Item invadentes, destruentes, occupantes et detinentes, in totum vel in partem, territorium sanctæ Ecclesiæ Romanæ, vel eidem subjecta territoria.

XV. Absolventes sine facultate ab excommunicationibus supra memoratis, et aliis bullæ *Cœnæ*, extra mortis articulum, cujuscunque sint dignitatis, etiam episcopalis, et non obstantibus facultatibus contrariis quibuslibet, concessis per sanctam sedem, ac *cujusvis concilii decreta.* (*Ibid.*)

§ II.—Alii casus excommunicationis sedi apostolicæ reservati, de quibus episcopi absolvere nequeunt.

1. *Contra prælatos Ecclesiæ.* — Prælatos vexantes censuris commorantes in servitio papæ. (Extravag. 3, *De privileg.*)

2. Prælatos trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale. (Martin. V, const. *Ad reprimenda.*)

3. Cardinales, qui per simoniam ambiunt papatum, aut, cum aliquo tractant de eligendo pontifice, dum actu vivit pontifex. (Paul. IV, const. *Cum secundum.*)

4. Cardinales aliquid ordinantes, seu disponentes contra bullam Julii II in electione summi pontificis. (Jul. II, const. *Cum tam divino.*)

5. Cardinales revelantes aliquid de actis secreto in consistorio, exstante decreto pontificis ne revelentur. (Leo X, in *Conc. Lateran.* sess. 9; et Pius V, const. *Romani.*)

6. Episcopos aliosque beneficiorum collatores conferentes beneficia ecclesiastica post suspensionem contractam, admittendo eorum resignationes extra casus designatos, et ultra formam præscriptam. (Pius V, const. *Quanta est Ecclesia Dei.*)

7. Administratores episcopatuum, et inferiores episcopis publicantes indulgentias cum amplis privilegiis, et cum suspicione simoniæ. (Pius V, const. *Quam plenum* 8.)

8. Inquisitores male procedentes contra hæreticos. (Clem. *Multorum, De hæret.*)

9. Prælatos et gubernatores civitatum, et locorum status ecclesiastici recipientes munera præter comestibilia. (Paul. III, const. *Munera.*)

10. Prælatos et officiales pœnitentiariæ recipientes pro expeditione aliquid etiam sponte oblatum a partibus. (Pius V, const. *In omnibus rebus.*)

11. Prælatos et ministros cameræ apostolicæ non reddentes integre computa ejusdem. (Paul. III, const. *Cum sicut.*)

II. *Contra clericos sæculares et regulares.* — 1. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non mutanda sepultura in eorum ecclesiis. (Clement. *Cupientes, De pœnis.*)

2. Participantes in divinis cum excommunicato a papa. (C. *Significavit, De sent. excom.*)

3. Retinentes beneficia in confidentiam. (Pius IV, const. *Romanum pontificem*; Pius V, const. *Intolerabilis.*)

4. Procurantes alienationes bonorum ecclesiæ. (Paul. II, const. *Cum in omnibus.*)

5. Prædicatores non servantes decreta pro eis lata in concilio Lateranensi. (Leo X, const. *Supernæ.*)

6. Procurantes eligi in successorem papæ. (Leo X, in *Conc. Lateran.* sess. 5; Julius II, const. *Cum tam divino.*)

7. Absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus bullæ *Cœnæ*, vel ordinariis reservatis. (Decretum sacr. congr. Episc. et Regul. a Clemente VIII approbatum, 1602.)

8. Consentientes usurpationibus ecclesiarum. (*Conc. Trident.* c. 11, sess. 22, *De reform.*)

9. Trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale. (Martin. V, const. *Ad reprimendas.*)

10. Parochus et beneficiatus non adimplentes juramenta de residendo. (Pius IV, const. *Inter multiplices curas.*)

III. *Contra regulares.* — 1. Euntes ultra mare sine licentia suorum superiorum. (Extravag. *Ad nostram, De regular.*)

2. Mendicantes transeuntes ad non mendicantes. (Extravag. *Viam ambitiosæ, De regul.*)

3. Administrantes sacramenta extremæ unctionis et Eucharistiæ infirmis, vel matrimonia solemnizantes sine licentia parochi. (Clement. 1, *De privileg.*)

4. Superiores non denuntiantes religiosos qui sunt suspecti de hæresi, inquisitoribus, vel ordinariis locorum. (Paul. V, const. *Romanus pontifex.*)

5. Claustrales recipientes Minimos sine licentia papæ. (Jul. II, const. *Virtute conspicuos*, extra *Bullarium.*)

6. Tertiarios portantes habitum Minorum. (Leo X, const. *Licet alias*, extra *Bullarium.*)

7. Clericos regulares societatis Jesu discedentes sine licentia a societate, etiamsi prætextu melioris frugis transeant ad alium ordinem, eorumque receptores, exceptores, exceptis Chartusianis. (Greg. XIII, const. *Ascendente.*)

8. Minimos subtrahentes se ab observantia correctorum. (Paul. III, const. *Cum sicut.*)

9. Subornantes, et procurantes vota in electionibus et complices, ac simpliciter scientes et non revelantes. (Clement. VIII, const. *Nullius omnino.*)

10. Moniales exeuntes de clausura absque licentia. (Pius V, const. *Decori.*)

11. Dantes et recipientes ob ingressum religionis. (Extravag. com. 1, *De simonia.*)

IV. *Contra dominos temporales.* — 1. Dominos temporales qui in terris eorum suppositis interdicto cogunt celebrare et audire divina. (Clement. *Gravis, De sent. excom.*)

2. Judices et officiales trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale. (Martin. V, *Ad reprimendas.*)

3. Officiales ac dominos temporales bannientes, seu mandantes banniri personas ecclesiasticas. (Urban. IV, const. *Quia sicut.*)

4. Prohibentes subditis, ne vendant ecclesiasticis. (Cap. fin. ff. *De immunit. Eccles.*)

5. Officiales et dominos temporales percutientes, vel bannientes episcopos, vel hæc mandantes, aut facta ab aliis ratificantes. (Clement. 1, *De pœnis.*)

6. Tractantes de novo papa eligendo, vivente alio, stipulationes, promissiones, conventiones, et pacta facientes, etiamsi imperiali et regali fulgeant dignitate. (Paul. IV, const. *Cum secundum.*)

7. Principes et dominos temporales concedentes locum, vel permittentes duellum in terris suis. (*Concil. Trident.* sess. 25, c. 19, *De reform.*, et Clem. VIII, const. *Illius vices.*)

V. *Contra omnes, præter contentos in bulla Cœnæ.* — 1. Habentes litteras apostolicas falsas, et illas non destruentes. (C. *Dura, De crimine falsi.*)

2. Percutientes clericum vel monachum. (C. *Si quis suadente* 17, quæst. 4.)

3. Perseverantes per annum in excommunicatione lata a delegato papæ. (C. *Quærenti, De offic. delegati.*)

4. Incendiarios a judice excommunicatos, et denuntiatos. (C. *Tuos nos, De sent. excom.*)

5. Absolutos ab excommunicatione, sub conditione, et non implentes. (C. *Eos qui, De sent. excom.*)

6. Vexantes eos, qui censuram in aliquem tulerunt. (C. *Quicunque, De sent. excom.* in 6.)

7. Sacrilegos effractores ecclesiarum, easque spoliantes, dummodo juridice ut excommunicati denuntiati fuerint. (C. *Conquesti, De sent. excom.*)

8 Communicantes in crimine cum excommunicatis a papa. (C. *Nuper, De sent. excom.*)

9. Violantes interdictum modis prohibitis. (C. *Gravis* in *Clement.* lib. v, tit. x, Extravag. com. *Etsi de pœnitentia.*)

10. Offendentes cardinales. (C. *Felicis, De pœnis.*)

11. Exigentes tributa a personis ecclesiasticis. (C. *Clericis, De immunitate*, in 6.)

12. Conspirantes in personam aut statum

pontificis Romani. (Extravag. *Etsi Dominici, De pœnit. et remiss.*)

13. Violantes interdictum sedis apostolicæ. (Extravag. *Etsi Dominici.*)

14. Simoniacos in ordine et beneficio. (Extravag. com. 2, *De simon.*)

14*. Dantes et recipientes ob ingressum Religionis. (Extravag. com. 1, *De simon.*)

15. Occupantes bona cardinal. tempore conclavis. (Leo X, const. *Temerariorum.*)

16. Impedientes executionem litterarum sacræ Pœnitentiariæ. (Jul. II, const. *Rationi congruit.*)

17. Dantes et recipientes pro gratia, aut justitia apud sedem apostolicam. (Greg. XIII, const. *Cum ab ipso*, et Extravag. 1, *De sent. excom.*; Alexand. VII, const. *Inter gravissimas.*)

18. Simulantes, et fingentes se alios esse pro obtinendis beneficiis a Dataria. (Paul. IV, const. *Inter cæteras.*)

19. Mittentes litteras, aut nuntium in conclavi, vel inde recipientes. (Pius IV, const. *In eligendis.*)

20. Occupantes bona montium pietatis, et locorum piorum. (*Conc. Trident.* sess. 22, c. 11 *De reform.*)

21. Committentes duellum, vel illud consulentes et cooperatores. (*Concil. Trident.* sess. 25, c. 19 *De reform.*; Pius IV, const. *Ea quæ*; Greg. XIII, const. *Ad tollendum*; et Clem. VIII, const. *Illius vices.*)

22. Ambientes papatum, ejusque causa simoniam committentes. (Paul. IV, const. *Cum secundum Apostolum.*)

23. Mentientes personas in litteris apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur. (Innoc. VIII, const. *Cum sicut*; et Leo X, const. *Inhærendo.*)

24. Non revelantes conspiratores et insidiatores contra cardinales. (Pius V, const. *In felicis.*)

25. Committentes simoniam confidentialem. (Pius V, const. *Intolerabilis.*)

26. Publicantes indulgentias et facultatem dantes eligendi confessores iis, qui aliquid solvunt. (Pius V, const. *Quam plenum.*)

27. Violantes ecclesiasticam immunitatem. (Greg. XIII, const. *Cum alias.*)

28. Docentes posse fieri confessionem sacramentalem in absentia per litteras. (Clem. VIII, const. *Sanctissimus.*)

29. Impugnantes institutum societatis Jesu. (Gregor. XIII, const. *Ascendente.*)

30. Facientes jurare illicita, et contraria libertati Ecclesiæ. (Gregor. XIII, const. *Inter apostolicas.*)

31. Accipientes et retinentes fructus beneficii vacantis, vel impedientes beneficii possessionem non solventibus dulciaria, vel aliam solutionem. (Pius V, const. *Durum nimis.*)

32. Docentes, aut defendentes etiam disputative opiniones damnatas a sancta sede. (Ex const. Pii V, *Ex omnibus afflictionibus*, 1567; const. *Provisionis nostræ*, Gregor. XIII, 1579; duplici decreto Alexandri VII, 1665; decret. Innocent. XI, 1679; duobus decretis Alexand. XIII, 1690; decretis sacr. congr. S. Officii, 1655, 1666, 1679, 1690; const. *Unigenitus*, Clem. XI, 1713; const. *Super soliditate Petræ*, Pii VI, 1786; const. *Detestabilem*, Bened. XIV, 1752.)

33. Feminas ingredientes clausuram monasteriorum regularium. (Pius V, const. *Regularium.*)

34. Feminas, sive masculos ingredientes septa monasteriorum monialium prætextu licentiarum in casibus non necessariis. (Greg. XIII, const. *Ubi gratiæ.*)

35. Examini se supponentes pro alio, ut beneficium impetret. (Paul. IV, const. *Inter cæteras.*)

36. Eum qui sacerdotem innocentem falso insimulat de crimine sollicitationis apud judices ecclesiasticos, sive per se impie calummiando, sive sceleste procurando ut ab aliis id fiat. (Ex const. *Sacramentum*, Benedicti XIV, casus iste summo pontifici reservatur ratione sui.)

37. Ascriptos sectis occultis et clandestinis, vulgo *des Francs-maçons*, *Illuminés*, etc. (Const. *In eminenti*, Clem. XII; const. *Providas*, Benedicti XIV; const. *Ecclesiam a Jesu Christo*, Pii VII; const. *Graviora*, Leon. XII; encyclic. *Inter præcipuas machinationes*, Gregor. XVI; encyclic. *Qui pluribus*, Pii IX, fel. regn.)

38. Confessarium qui extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocunque alio sacerdote, confessionem sacramentalem personæ complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum Decalog. præceptum commisso, excipere ausus fuerit; sublata illi ipso jure quacunque auctoritate et jurisdictione, ad qualemcunque personam ab hujusmodi culpa absolvendam. (Bened. XIV, const. *Sacramentum pœnitentiæ.*) — Attamen prohibitio hæc in articulo

mortis remittitur, si adsit infamiæ aut scandali periculum. (Ex alia ejusdem pontificis const. *Apostolici muneris.*)

Sunt adhuc plures aliæ excommunicationes sedi apostolicæ reservatæ, sed aut Italiæ et statui Ecclesiæ Romanæ limitatæ, aut de facto præscriptæ.

§ III. — Quid potest episcopus supra excommunicationibus sedi apostolicæ reservatis.

I. Ut jam diximus, episcopus non potest absolvere a casibus et censuris *publicis*, reservatis summo pontifici. (C. *Cum inferior*, *De major. et obedient.*)

II. Nec a casibus, et censuris *occultis* in bulla *Cœnæ* contentis.

III. Non potest episcopus absolvere monialem in materia clausuræ *secreto* delinquentem, ex reservatione bullæ *Decori* sancti Pii V, et declaratione sacræ congr. Conc. in Fagnano allata lib. I *Decretal.*, cap. *Dilectus* 15, *De tempor. ordinat.*, n. 32 et 33.

IV. Non potest episcopus vigore decreti Tridentini absolvere a censuris incursis ob simoniam in ordine: ex const. Sixti V, *Sanctum et salutare*, in qua expresse derogatum est eidem decreto; et eam constitutionem quoad hoc confirmavit Clemens VIII.

V. Nec generaliter facultate episcopis ex dicto decreto competente, iidem absolvere possunt a casibus etiam occultis, quos Romani pontifices post synodum Tridentinam sibi reservarunt. Sic episcopus nequit absolvere censuratos ratione violatæ immunitatis ecclesiasticæ, cum non habeat talem facultatem in denuntiatis in foro exteriori. (S. congr. Immunit. 5 Febr. 1635.) Unde episcopus absolvens censuratos hujusmodi sine facultate sedis apostolicæ incidit in excommunicationem eidem sedi reservatam, a qua regulariter datur facultas, ut se faciat absolvere a suo confessario privatim, et cum sanctissimo agitur pro dispensatione irregularitatis, quatenus incurrerit. (Sacr. congr. Immunit. 29 Jan. 1636.) Quare injungitur archiepiscopo, qui sine dicta facultate absolvit censuratos ex causa extractionis confugiti ab Ecclesia, ut reaffigat cedulones contra ipsos. (Ead. sacr. congr. 28 April. 1671.) Quinimo tenetur notificare sic a se absolutos, non potuisse absolvere. (Ead. sacr. congr. 2 Martii 1700.)—Apud Ferrar., verb. *Episcopus*, art. 5. n. 13 ad 16.)

VI. Tandem, facultate in hoc Tridentini concilii decreto episcopis concessa, uti non possunt episcopi illarum regionum, in quibus concilium Tridentinum adhuc receptum non est quoad decreta respicientia disciplinam, ut declaravit sacr. congr. Concil. apud cardinalem de Lugo laudatum a Benedicto XIV, *De synodo diœcesana*, lib. IX, cap. 5, n. 2. (Ferrar., verb. *Absolvere*, art. 10, n. 6; nota edit. Barbiell.)

An autem receptio disciplinæ Tridentinæ per mera aliquorum statutorum verba, perseverante practica huic disciplinæ fere in omnibus contraria, sit sufficiens receptio ut episcopi facultatibus favorabilibus uti possint, decidere ad nos non pertinet.

VII. Demptis supra relatis exceptionibus, licet episcopis... in quibuscunque casibus *occultis* etiam apostolicæ sedi reservatis delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere. (*Concil. Trid.* sess. 24, cap. 6, *De reform.*) Unde concluditur episcopum vigore talis decreti absolvere posse sive per se, sive per confessarium specialiter delegatum a censuris occultis summo pontifici reservatis extra bullam *Cœnæ*, etc.

VIII. Cum impeditis personaliter adire pontificem, vel in perpetuum, vel ad longum tempus potest episcopus directe absolvere ab hæresi, et aliis casibus etiam publicis in bulla *Cœnæ* reservatis; nam communis doctorum ponit hanc regulam: *Casus papalis, superveniente impedimento adeundi papam, fit episcopalis.* Et deducitur ex pluribus canonibus, apud Ferrar. verb. *Episcopus*, art. 5, n. 6 et 7. Est tamen advertendum, quod si impedimentum est perpetuum, absolvuntur sine ullo onere comparendi. Si tamen impedimentum est solum ad tempus, debent absolvi cum onere adeundi pontificem, cessante impedimento; non ad obtinendam absolutionem, cum jam sint directe et plene absoluti; sed ad obediendum mandato papæ. (C. *Ea noscitur* 13, et c. *Quamvis* 58, *De sent. excom.*, et c. *Eos qui* 22, eod. in 6.) Alias non comparendo, elapso impedimento, incidunt in aliam similem excommunicationem. (C. *De cætero* 11, *De sent. excom.*, et c. *Eos qui*, eod. in 6.)

Impediti personaliter adire pontificem non tenentur mittere procuratorem, vel scribere ad sacram Pœnitentiariam pro obtinenda absolutione a casibus et censuris papæ reser-

vatis, quia jura præscribunt solum ut rei personaliter adeant pontificem, et ubi lex non præscribit, non aggravare debemus pœnitentes ultra id, quod a jure exigitur. (Sic communiter doctores cum Barbosa, part. II, *De offic. et potest. episcop.* alleg. 42, n. 7.)

Etsi impediti adire pontificem sint etiam impediti adire episcopum, probabilius non possunt a casibus publicis reservatis papæ in foro conscientiæ a parocho, aut alio confessario absolvi. Sicuti etiam impediti adire episcopum pro casibus diœcesanis publicis sibi reservatis non possunt absolvi ab inferiori extra casum necessitatis, quia jura in dictis impedimentis pro casibus papæ reservatis concedunt recursum ad solum episcopum, et pro casibus reservatis episcopo ad nullum alium inferiorem reperitur concessus pro absolutione recursus, cum non sit tam difficilis personalis accessus ad ipsum, uti communius tenent doctores cum Vasquez, Navarr., Suarez, Lugo, Bonacin., teste Viva ad proposit. 3 Alexandri VII, n. 5.

IX. Episcopus absolvere potest excommunicatos ob percussionem clerici vel monachi levem, etiamsi publicam. (C. *Pervenit* 17, *De sent. excom.*; ita doctores.) Excommunicatos autem ob percussionem mediocrem, et enormem potest episcopus absolvere tantummodo, si sit occulta. (*Concil. Trident.* sess. 24, c. 6.) Etsi fuerit publica, potest episcopus ab ea absolvere, si personæ excommunicatæ sint impeditæ adire pontificem impedimento perpetuo, vel longissimi temporis. (C. *Mulieres* 6, c. *De cætero* 11, c. *Ea noscitur* 13, *De Monialibus* 33; et c. *Quamvis* 58, *De sent. excom.*, et c. *Eos qui* 22, eod. in 6.) Quod extenditur ad omnes alios casus, pro impeditis personaliter adire pontificem.

X. Quænam autem censeantur in jure personæ impeditæ adire pontificem, istis sequentibus quatuor versiculis pro faciliori omnium captu, ostenditur:

Regula, mors, sexus, hostis, puer, officialis,
Deliciosus, inops, ægerque, senexque, sodalis,
Janitor, astrictus, dubius causæ, levis ictus,
Debilis, absolvi sine summa sede merentur.

Per *regula* intelliguntur regulares qui possunt absolvi a suis prælatis generalibus et provincialibus. — *Mors*: constituti in mortis articulo (C. *Quamvis* 58, *De sent. excom.*) — *Sexus*: mulieres ob fragilitatem sexus sunt specialiter dispensatæ. (Cap. 13, *Ea noscitur*, et cap. *Mulieres De sent. excom.*) — *Hostis*: qui propter inimicorum capitales insidias nequeunt sine periculo occisionis, aut alterius gravis damni, iter assumere. (C. *De cætero*, et c. *Quamvis*, *De sentent. excom.*) — *Puer*: pueri, qui ratione suæ puerilis ætatis non sunt capaces longi itineris. (C. *Pueri*, *De sent. excom.*) — *Officialis*: illi qui ex officio turbam arcendo, clericos percutiunt etiam aliqualiter culpabiliter. (C. *Veniens* 16, et cap. *Cum voluntate* 54, *De sent. excom.*) — *Deliciosus*: illi qui sunt ita delicatæ complexionis, ut laborem adeundi sedem apostolicam nequeant sustinere. (Cap. *Mulieres*, *De sent. excom.*) — *Inops*: qui sunt tam pauperes, ut sua inopia impediti nequeant pontificem adire. (C. *Quamvis*, *De sent. excom.*) — *Æger*: infirmi et valetudinarii. (C. *Ea noscitur*, c. *Quamvis*, *De sent. excom.*) — *Senex*: omnes qui ratione senilis ætatis laboriosum iter nequeunt sustinere. (C. *Iisdem.*) — *Sodalis*: clerici viventes in communi eodem collegio, qui si se mutuo percutiant, possunt ab episcopis suis absolvi, nisi forte ratione enormitatis delicti gravior pœna eis debeatur, ut colligitur ex cap. *Quoniam*, *De vit. et honest. cleric.* — *Janitor*: intelliguntur ostiarii qui prætextu et causa sui officii clericos male percutiunt. (C. *Veniens* 16, et c. *Cum voluntate* 54, *De sent. excom.*) — *Astrictus*: qui non sunt sui juris, sed subjacent alterius potestati, ut servi et filiifamilias, qui, invitis dominis et parentibus, nequeunt adire pontificem. (Ex c. *Mulieres*, et c. *Relatum*, *De sent. excom.*) — *Dubius*: qui dubitant an revera clericos percusserint, et nequeunt se certificare, licet ab aliis pro talibus censeantur. (C. *Cum desideres*, *De sent. excom.*) — *Levis ictus*: qui leviter clericos percutiunt; isti enim possunt a suis episcopis respective absolvi. (Ex c. *Pervenit*, *De sent. excom.*) — *Debilis*: qui ratione debilitatis virium labores itineris sustinere non valent. (C. *Quamvis* 58, *De sent. excom.*)

Notandum est in praxi, 1° « quod extra casum impedimenti non potest episcopus absolvere ab ullo casu etiam occulto in bulla *Cœnæ* et aliis bullis post Tridentinum reservato et tanto minus delegare. Ut ex omnibus supra allatis concludit Benedictus XIV, *De synod.*, lib. IX, c. 4, n. 4, hodie *episcopos non sine temeritatis nota hanc auctoritatem* (nempe absolvendi) *posse ostentare, et tanto minus delegandi.* Et concordant multi theologi et canonistæ cum sancto Alph. De Ligorio, lib. VII, *De censuris*, c. 1, n. 83 et 84.

« Attamen potest episcopus, ut sanctæ sedis delegatus, resipiscentem hæreticum, aut sponte coram se comparentem, aut ad suum forum quoquomodo deductum, Ecclesiæ reconciliare, et pro utroque foro absolvere a censura in quam propter hæresim incidit. Quinimo potest pœnitentem hæreticum, postquam suos ejuraverit errores, ad simplicem confessarium remittere ut ab eo absolvatur ; eaque absolutio, licet a confessario data in foro sacramentali, prodest etiam pro foro externo a cujus jurisdictione promanat. (Benedictus XIV, *De synod. diœces.*, lib. IX, cap. 3, n. 3 ; et c. 4, in *Decret.* concil. provinc. Remens., 1856, c. 6, n. 7.) Quod ab hæresi notoria et etiam occulta, quoquomodo ad forum judiciale externum deducta possit episcopus per se aut per delegatum absolvere, est conclusio extra controversiam apud doctores. (Bened. XIV, *De synod.*, lib. IX, c. 4, n. 3 ; Reiffenstuel, in tit. VII, lib. V, *Decret.*, n. 369.) Sed ab hæresi sive notoria, sive occulta, ad forum judiciale non deducta, solus papa absolvere potest aut ab ipso delegatus. In casu vero impedimenti dicimus, cum communi theologorum et canonistarum, valde probabiliter posse episcopum ab omnibus casibus pontificiis, tam publicis quam occultis, etiam hæresis absolvere et delegare, non solum specialiter, sed etiam generaliter ; quia in casu impedimenti prædicta facultas de jure ordinario spectat ad episcopos eo quod est annexa (de jure, ut patet per canones citatos in numero X præcedenti) ipsi episcopali officio et dignitati, ideo ipsi bene possunt generaliter eam delegare. (S. Alph. De Ligor., lib. VII, n. 88 et 90.)

Notandum est 2° quod, extra casus impedimenti et aliis in quibus jurisdictionem a jure tenent, non solum episcopi, sed etiam quilibet confessarii aut sacerdotes ab episcopis auctoritatem non habentibus delegati, incurrunt excommunicationem papæ reservatam, quando absolvunt absque jurisdictione a casibus papæ reservatis. Neque possunt arguere ex ignorantia juris, cum teneantur illud cognoscere, ac insuper bulla *Cœnæ*, ut nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare... in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandat, ut (omnes ordinarii) per se, seu alios præsentes litteras (nimirum bullam *Cœnæ*)... semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries, in ecclesiis suis... solemniter publicent... Cæterum (omnes ordinarii) necnon rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac presbyteri sæculares et quorumvis ordinum regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transsumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere et percipere studeant. (Bulla *Pastoralis*, Clem. XI in *Cœna.*)

3° Interest autem nosse, et quidem ad plures effectus quando episcopus vere procedat uti delegatus sanctæ sedis, et quando procedat uti ordinarius. In pluribus casibus debent episcopi in subdelegatione mentionem facere de indulto apostolico aut de delegatione, et id necessarium est ad tranquillizandas conscientias ; præterea hæc praxis est generalis et secundum juris regulas. Ideoque sacerdotibus subdelegatis videndum est utrum verba *auctoritate apostolica* conjuncta sint cum verbis *Concedimus*, vel *Facias*, aut similibus. Absque hac clausula non habent nisi jurisdictionem dubiam in casibus pontificiis, de qua proinde uti nequeunt.

4° Episcopus non potest concedere suo subdito, ut absolvatur in aliena diœcesi a sacerdote non habente jurisdictionem. (Glossa communiter recepta in c. *Omnis utriusque* 12, *De pœnit. et remission.*, et in Clement. 1, *De privileg.*) Nec potest episcopus prohibere quominus suus subditus absolvatur in aliena diœcesi a sacerdote jurisdictionem habente a suo episcopo. (Ex regula 1 *Nemo qui condemnare*, ff. *De regula juris* ; et cap. *Non potest*, *De re judic.* — Fagnan. in cap. *Omnis utriusque*, n. 85.)

§ IV. De excommunicationibus nemini reservatis. (*Remissive*).

§ V. — De casibus summo pontifici reservatis ratione suspensionis.

I. *Suspensiones contra episcopos.* — 1. Ordinantes non subditum, absque licentia sui episcopi. Ita agentes suspensi sunt a collatione ordinum per annum. (*Trident.*, sess. 23, *De reform.*, c. 8.) Item ordinantes monachum sine licentia abbatis. (Cap. fin., dist. 58.)

2. Ordinantes ad sacros ordines religiosos non professos, suspensi sunt per annum a præstatione talium ordinum. (Const. *Romanus pontifex* Pii V.)

3. Conferentes tonsuram infanti illitterato, aut conjugato. Episcopus qui ita ageret per

annum a collatione clericalis tonsuræ duntaxat suspensus esset. (Cap. *Nullus*, *De temp. ord.*, lib. I, tit. IX in 6.)

4. Conferentes ordines extra diœcesim sine licentia episcopi loci, licet ordinatus sit subJitus. Idem dicendum de iis qui pontificalia exercent in aliena diœcesi sine licentia ordinarii. « Si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab exsecutione ordinum, sint ipso jure suspensi. » (*Trident.*, sess. 6, c. 5, *De reform.*)

5. Conferentes ordines sacros ante ætatem præscriptam. Episcopus qui versatur in hoc casu a collatione ordinum suspenditur. (*Decret.* lib. I, tit. XI, c. 14.)

6. Conferentes ordines simoniace. (Extravag. com. lib. V, tit. I, cap. 2 *Cum detestabile.*)

7. Conferentes duos ordines sacros eodem die, vel duobus diebus continuis. (*Decretal.*, lib. I, tit. XI, c. *Litteras* 13 ; et c. *Dilectus filius* 15 ; *Concil. Trident.*, sess. 23, *De reform.*, c. 13.)

8. Conferentes ordines suspenso propter malam promotionem. (Cap. *Nullus episcopus* 4, *De temp. ordin.* in 6 ; cap. *Si quis episcopus* 43, causa 1, quæst. 1.)

9. Publicantes indulgentias, mediante stipendio. (Const. *Quam plenum* S. Pii V.)

Omnes supradictæ suspensiones recensentur in cap. 7 concilii provinciæ Remensis anni 1856, tanquam summo pontifici reservatæ. Sed sunt aliæ in jure latæ.

10. Privantes beneficiis eos, qui in Romana curia commorantur. (Eug. IV, extrav. com. *Divina*, *De privileg.*)

11. In proprium usum convertentes bona beneficiorum vacantium pertinentium ad eorum provisionem. (Cap. fin. *De officio ordin.* in 6.)

12. Submittentes laicis bona et jura Ecclesiæ absque consensu capituli et sedis apostolicæ licentia. (C. *Hoc consultissime*, *De rebus Eccles. non alienand.* in 6.)

13. Alienantes bona Ecclesiæ ultra triennium. (Extravag. *Ambitiosæ*, *De rebus non alienand.*)

14. Admittentes resignationes beneficiorum contra formam præscriptam in const. Pii V, *Quanta.*

15. In causa alienationis bonorum Ecclesiæ male utentes delegata potestate. (Paul. II, const. *Cum omnibus.*)

16. Intromittentes in causis spectantibus ad electionem episcoporum, postquam appellatum est ad papam. (C. *Quamvis* et c. *Provida*, *De elect.* in 6.)

17. Negligentes procedere contra simoniacos. (C. *Quidquid*, causa 101, quæst. 1.)

18. Faventes usuris et usurariis locantes suas domus. (C. 1 *De usurariis* in 6.)

19. Delinquentes contra clericorum immunitatem. (Ferrar. verb. *Suspensio.*

20. Accedentes ad Ecclesias, ad quas fuerunt promoti, nondum expeditis litteris apostolicis suæ promotionis. (Extrav. 1, *De electione.*)

21. Abutentes munere inquisitorum in causis fidei. (Clem. *Episcopi suspensi sunt per triennium.* Clem. *Multorum*, cap. 1, *De hæreticis.*)

22. Non servantem extravagantem 2, *De elect.*, quoad perceptionem fructuum, 1 vel 2 anni. (Extrav. Joan. XXII, *De elect.*)

23. Relaxantes incendiariis pœnam contentam in jure. (C. *Pessimam*, causa 23, quæst. 8.)

24. Concubinarios a synodo provinciali admonitos et non se emendantes. (*Concil. Trident.* sess. 25, *De reform.*, c. 14.)

25. Non visitantes limina Apostolorum statutis temporibus. (Sixt. V, const. *Romanus pontifex.*)

26. Ingredientes monasteria monialium sine necessitate, et non cum paucis, iisque senioribus ac religiosis personis, uti expresse præscribit Gregor. XIII, const. *Dubiis*, in qua transgressores pro secunda vice, munere pontificali et a divinis suspendit.

II. *Suspensiones contra capitula seu capitulares.* — 1. Recipientes prælatos, eisque obedientes absque litteris pontificiis, tandiu sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc sanctæ sedis gratiam meruerint obtinere. (Extrav. 1, *De electione.*)

2. Recipientes ex pacto in ingressu ad religionem ab admisso prandia, pecunias et peculia. (Extrav. *Sane*, *De simonia.*)

3. Occupantes bona a prælato dimissa vel vacationis tempore obvenientia, « tandiu maneant ab officio et beneficiis quibuscunque suspensi, donec plene restituerint, quidquid de bonis perceperint supradictis. (Sexti *Decretal.*, lib. I, tit. VI, c. 40, *Quia sæpe.*)

4. Recipientes ad professionem ante an-

num probationis. (C. *Non solum, De regularibus*, in 6.)

5. Non facientes conscientiam pœnitentibus de solvendis decimis suspensi sunt, donec confitentibus ipsis (si commode facultatem habuerint) conscientiam fecerint. Exinde excommunicationis incursuri sententiam ipso facto, si prædicare præsumpserint, prædicta negligentia (ut præmittitur) non purgata. (*Clement.*, lib. v, tit. vi, *De pœnis*, cap. *Cupientes.*)

6. Recipientes ad ordines sacros non professos. (S. Pii V const. *Romanus pontifex.*)

7. Introducentes mulieres in monasteria. (S. Pii V const. *Regularium.*)

8. Non observantes in resignatione beneficiorum contenta. (Const. S. Pii V *Quanta.*)

9. Usurpantes decimas sibi non convenientes. (Clem. 1, *De decimis.*)

III. *Suspensiones contra clericos summo pontifici reservatæ.* — (Ex synodo Remensi jam citato.) 1. Suscipientes aliquem ordinem dum sunt censura ligati ; id est dum sunt excommunicati, suspensi aut interdicti. (*Decretal.* lib. v, tit. xxxix, *De sent. excom.*; c. 32 *Cum illorum.*)

2. Accipientes duos ordines sacros eodem die, vel duobus diebus continuis. (*Decretal.* lib. i, tit. xi, *De temp. ordin.* c. 12 *Litteras.*)

3. Consequentes aliquem ordinem simoniace vel simoniam aliter committentes Istam suspensionem incurrunt simoniam committentes in sacrorum ordinum receptione, in beneficiorum et officiorum assecutione et in acquisitione dignitatum ecclesiasticarum. (S. Pii V const. *Eum primum ;* et *Extrav. com.* lib. v, tit. i, cap. 2, *Cum detestabile.*)

4. Suscipientes ordines furtive, id est sine prævio examine et sine admissione ab episcopo facta. (*Decretal.* lib. v, tit. xxx.)

5. Celebrantes missam et in ea non communicantes: suspenduntur per annum unum a celebratione missæ. (*Decretal.* part. iii, *De consecr.*, dist. 2, cap. 2 *Relatum.*)

6. Non perficientes sine gravi causa missam jam inchoatam. (*Decretal.* part. iii, *De consecr.*, dist. 1, c. 47 *Nullus episcopus ;* concil. i provinc. Remens. *Decreta*, c. 7.)

Præterea exstant in jure plures aliæ suspensiones summo pontifici reservatæ, quarum præcipuæ sunt sequentes:

7. Recipientes ordines sacros extra tempora absque dispensatione. (S. Pii V const. *Cum ex sacrorum.*)

8. Recipientes ordines a proprio episcopo in aliena diœcesi sine licentia episcopi loci. (*Concil. Trident.*, sess. 6, *De reform.*, c. 5.)

9. Recipientes ordines a schismaticis, ab excommunicato vel suspenso. (Cap. 1 et 2, *De schismat.*)

10. Objicientes in personam electi, et postea deficientes in probatione. (C. 1, *De electione*, in 6.)

11. Parochos non prohibentes matrimonia clandestina, vel contra interdictum Ecclesiæ, per triennium suspensi sunt. (C. *Cum inhibito, De clandest. desponsat.*)

12. Occupantes bona ecclesiarum vacantium, vel a prælatis ipsarum defunctis relicta. (C. *Quia sæpe, De elect.*, in 6.)

13. Occupantes bona, census, etc., ecclesiæ, beneficii vel alterius pii loci et occupantibus consentientes. (*Concil. Trident.*, sess. 22, *De reform.*, c. 11.)

14. Electores episcoporum non præsentantes electionem electo infra 8 dies. (C. *Cupientes, De elect.*, in 6.)

15. Eligentes indignum ad episcopatum vel curam animarum. (C. *Cum in cunctis, De elect.*, in 6.)

16. Postulantes in prælatos cathedralium minores 28 annis. (Extrav. unic. *De postulat. prælator.*)

17. Compromissarii scienter eligentes indignum. (C. *Compromissarium, De elect.*, in 6.)

18. Celebrantes electionem per abusum sæcularis potestatis. (C. *Quisquis* 23, *De elect.*)

19. Inferiores episcopis recipientes in visitationibus procurationem in pecunia, vel in victualibus visitationis officio non impenso. (C. *Exigit, De censibus*, in 6.)

20. Facientes in judicio per sordes aliquid contra justitiam et conscientiam in gravamen partis. (C. 1 *De sentent. et re judicat.*, in 6.)

21. Conferentes beneficia eorum, qui serviunt in curia Romana, vel eadem recipientes. (Extrav. 3, *De privileg.*)

22. Conservatores regularium se intromittentes in aliis quam manifestis injuriis. (C. fin., *De offic. et potest. judicis delegat.*, in 6.)

23. Concubinarios notorios. (C. fin., *De cohabit. cleric. et mulier.*)

24. Sodomiam exercentes. (S. Pii V const. 5 et 12, in ordine.)

25. Sponte jurantes de tenendo schismate. (C. 1. *De schismat.*)

26. Raptores mulierum et ad raptum auxilium præbentes, si sint clerici *de proprio gradu decidant.* (*Trident.*, sess. 24, *De reform. matrim.*, in 6.)

27. Recipientes et admittentes prælatos promotos a sede apostolica, eisque obedientes sine litteris papæ. (Extrav. 1, *De elect.*)

28. Superiores ecclesiarum non exigentes singulis annis rationes de adimplemento onerum missarum. (Innocent. XII, const. *Nuper a congregatione.*)

IV. *Suspensiones contra regulares summo pontifici reservatæ.* — (Ex conc. provinciæ Remensis anni 1856, jam citato.) 1. Non deferentes habitum regula determinatum, nisi rite dispensati fuerint. (*Clement.* lib. III, tit. X, *De statu monachor.*, c. 1 *Ne in agro.*)

2. Recipientes alumnos ad professionem ante annum probationis. (*Sexti*, lib. III, tit. XIV, c. 2 *Non solum.*)

3. Apostatas suscipientes ordines sacros in apostasia. (*Decretal.*, lib. V, tit. IX, c. 6 *Consultationi tuæ.*)

4. Suscipientes ordines sacros ante professionem. (*Trident.* sess. 23, *De reform.*, c. 7; S. Pius V, const. *Romanus pontifex sacrorum.*) Et sic ordinati ministrantes ad altare privilegiis, exemptionibus, immunitatibus et aliis gratiis clericis concessis omnino privantur, et irregularitatis aliasque in decreto Tridentino contentas pœnas ipso facto incurrunt, a quibus nisi a Romano pontifice vel in articulo mortis, absolvi non possunt.

5. Eos qui introducunt mulieres intra clausuram conventuum. (S. Pius V, const. 20 *Regularium.*)

Huc usque concilium Remense, sed aliæ sunt, ex quibus sequentes :

6. Ejectos a religione. (Urban. VIII, const. 26, § 10.)

7. Appropriantes sibi et usurpantes decimas ipsis non convenientes. (Clem. 1, *De decimis.*)

8. Superiores concedentes redditus aut possessiones monasteriorum alicui ad vitam, seu aliud certum tempus, nisi necessitas exposcat. (Clem. *De rebus eccles.*)

9. Superiores non exigentes singulis annis a deputatis pro libris missarum rationem de adimplemento totali onerum earumdem. (Innoc. XII, const. *Nuper a congregatione.*)

10. Superiores, ad quos occasione excessuum suorum religiosorum bona aliqua pervenerint, non satisfacientes personis damnificatis. (Clem. 1, § *Quibus de privileg.*)

His positis quid possit episcopus ? Idem dicendum est de suspensionibus ac de excommunicationibus ; scilicet potest absolvere a suspensione reservata, toties quoties et ab excommunicatione. Præterea ab omnibus suspensionibus summo pontifici reservatis, quando sunt occultæ, nec ad forum contentiosum deductæ, potest episcopus absolvere.

Notandum est episcopum suspensum ab ordinibus conferendis non posse absolvere subditum a suspensione. (Fagnan. in cap. *Vel non compos*, n. 44, *De temp. ordin.* in II part., lib. I, *Decretal.*)

§ VI. — De casibus episcopo a jure reservatis ratione suspensionis, de quibus consequenter absolvere potest episcopus.

I. Susceptio ordinum sacrorum ante legitimam ætatem, vel non servatis interstitiis. (*Decretal.* lib. I, tit II, *De temp. ordin.*, cap. 16.)

II. Susceptio ordinis ab episcopo alieno sine licentia, seu dimissorio proprii episcopi. (*Trident.* sess. 23, cap. 8, *De reform.*)

III. Susceptio ordinum ab episcopo tituiari, absque licentia proprii episcopi, etiam prætextu familiaritatis. (*Concil. Trident.* sess. 14, cap. 2, *De reform.*

IV. Susceptio ordinis per saltum, si ita ordinati non ministraverint. (*Trident.* sess. 18, cap. 14, *De reform.*)

V. Ordinatio in majoribus cum litteris dimissoriis capituli sive ejus vicarii, sede vacante, ante annum elapsum. (*Concil. Trident.* sess. 7, cap. 10, *De reform.*)

VI. Benedictio nuptialis a quocunque sacerdote sine licentia parochi sponsorum. (*Conc. Trident.* sess. 24, cap. 1, *De reform. matrim.*)

Huc usque concil. provinc. Remens. citatum.

VII. Celebrantes coram excommunicato vel interdicto. (C. *Episcoporum, De privileg*)

VIII. Tradentes sepulturæ publicos usurarios. (C. *Quia in omnibus, De usuris.*)

IX. Provocantes ad duellum vel illud acceptantes. (C. 1 *De cleric. pugnant. in duello.*)

X. Tandem potest episcopus excommunicationes, suspensiones et interdicta ferre et sibi reservare ; a quibus potest ipse solus

aut ab eo delegatus absolvere. (Cap. 7, sess. 14 *Trident.*) Decet episcopum exercere hanc potestatem in synodo, potius quam extra synodum (Benedict. XIV, lib. v, c. 4, n. 3, ibi : « In synodo facta (reservatio) induit naturam legis, quæ, nullo contradicente, perpetua est et, quandiu non revocatur, perseverat : facta autem extra synodum, non ab omnibus reputatur perpetua ; opinantibus plerisque theologis..., illam, decedente episcopo a quo facta est, illico exspirare. ») Præterea episcopos pluries monuit sancta congregatio Episcoporum et regularium, ut *paucos* duntaxat, eosque ex *gravioribus* sibi casus reservent ; prohibuitque ne casus papæ reservatos sibi reservent. (Apud Benedictum XIV *De synod.* lib. v, c. 4, n. 3, et cap. 5, n. 4.) Cavendum etiam episcopo ne peccata mere interna sibi reservet. (Bened. XIV, *ibid.* l. v, c. 5, n. 3.) Quando reservatio casuum fit in provinciali synodo, non adimitur singulis provinciæ episcopis potestas ab iis absolvendi. (Id. *ibid.* l. v, c. 4, n. 3.)

Art. II. — De dispensationibus.

§ I. — De irregularitate.

I. Irregularitas est inhabilitas seu impedimentum canonicum quo quis inhabilis redditur ad primam tonsuram et ordines suscipiendos, et susceptos exercendos.

Nulla irregularitas unquam incurritur, nisi sit in jure expressa, ut clare desumitur ex cap. *Is qui*, *De sent. excom.*, in 6.) Hinc « apud omnes canonistas principii loco est, inquit Benedictus XIV, irregularitatem a solo jure, et non ab homine induci posse. » (*De synod. diœces.* lib. xii, cap. 3, n. 7.) Ut proinde nonnisi a summo pontifice vel a concilio generali irregularitatem decerni posse recte moneant doctores. (Ferrar. verb. *Irregularitas*, ad art. iii *Addit. Casinens.*)

Irregularitas alia est ex delicto, et alia est ex defectu. Irregularitas ex defectu contrahitur sine culpa, cum sit a jure imposita ob solam indecentiam, quam aliquis defectus affert sacro altari et ministerio. Irregularitas vero ex delicto ad hoc, ut contrahatur, requiritur actus externus consummatus. (Cap. *Si quis non iratus*, causa 15, quæst. 1.) Irregularitas ex delicto est multiplex, et hic enumerari non possunt casus in quibus incurritur. (Vide infra. *De irregularit.*)

Quoad vero subjectum irregularitatis, hæc notanda veniunt : nempe Romanum pontificem, utpote legi, saltem *coactive*, ut communiter docent doctores, non subditum, minime posse fieri irregularem. Ad hæc, si ante pontificatum irregularitas eumdem detineret, simul ac papa inauguratur, exstincta subjectione, quippe legi non subjectus vi coactiva, et quia *par in parem nullum habet imperium*, irregularis illico esse desinit.

Quoties vero de episcopis sermo est, ipsos generali legi imponenti irregularitatem, etiamsi per legem nominatim non designentur, subjectos esse affirmat Suarez., disput. 40, *De censur.*, sect. 7, n. 7 : utpote scilicet subditos legi communi, adeo ut exercitio ordinis possint privari. Majolus, *contra negat.* Ferrar. *Addit Casinens.* ad art. iii, verb. *Irregularitas.*

II. Per dispensationem papa solus potest tollere quascunque irregularitates, sive ex delicto, sive ex defectu ; papa enim potest dispensare in omni jure ecclesiastico. (Clement. *Ne Romani, De elect.*, cap. *Sunt quidam* 6, causa 25, quæst. 1 ; cap. *Proposuit* 4, *De concess. præbend.*)

Archiepiscopi in actu visitationis et in causis appellationis, virtute concilii mox citandi, possunt dispensare in irregularitate occulta subditos suorum suffraganeorum : tunc enim fiunt sui subditi ratione visitationis et appellationis, ut cum plurimis tenet Barbosa. (*De offic. et potest. episcop.* part. ii, alleg. 39, n. 10.)

Episcopi dispensare possunt cum suis subditis et in sua diœcesi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario injusto et ex animo patrato, et aliis deductis ad forum contentiosum, ex Trident. sess. 24, *De reform.*, cap. 6, ubi habetur : « Liceat episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare ; et in quibuscunque casibus occultis, etiam sedi apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua per seipsos aut vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita pœnitentia salutari. »

Hinc possunt dispensare in irregularitate ex homicidio occulto patrato causa defen-

sionis, non servato moderamine inculpatæ tutelæ, quia hujusmodi homicidium volitum causa defensionis non comprehenditur sub homicidio voluntario; imo potius, licet non sit mere necessarium, necessarii tamen vim habet, quatenus fit causa vitandæ mortis, ut cum multis tenet Barbosa. (*De officio et potest. episcop.* part. II, allegat. 39, n. 53 et 54.) Possunt etiam dispensare in irregularitate orta ex mutilatione occulta licet voluntaria, cum hæc in jure non sit excepta; et in iis quæ concernunt rigorem non sit facienda extensio de casu ad casum. (Argum. cap. *Odia restringi* 15, *De regul. juris*, in 6.)

Probabilius tamen non possunt dispensare in irregularitate contracta ex hæresi occulta, ut colligitur ex cap. *Cum illarum* 32, *De sent. excom.*, ubi habetur quod episcopi non habent facultatem dispensandi in illis casibus, in quibus non habent facultatem absolvendi; sed hodie per bullam *Cœnæ* est abrogata episcopis facultas absolvendi a crimine occulto hæresis, cum derogatione etiam concilii Tridentini, ut sæpius declaravit sacra congregatio, cum bulla dicat expresse et aperte, *ac cujusvis concilii decreta*, ergo etiam intelligitur ipsis abrogata facultas dispensandi in irregularitate ab illo proveniente. (Ferrar. verb. *Irregularitas*, art. 3, n. 10.)

Circa irregularitates autem provenientes ex defectu, episcopi possunt dispensare etiam quoad ascensum ad sacros ordines in sola irregularitate proveniente ex bigamia similitudinaria, ut tenet communis. (Ex cap. *Sane*, *De clericis conjugatis*, et cap. 1 *Qui clerici vel voventes*.) In irregularitate autem orta ex bigamia vera et interpretativa non possunt, ut tenent doctores et colligitur ex cap. *Super eo*, c. *Nuper*, *De bigamia*, et ex declaratione sacr. congr. apud Fagnan. lib. I *Decretal.*, c. *Quoniam* 13, *De constit.*, n. 32.

Episcopus dispensare potest cum occulto excommunicato, qui publice celebravit, quia licet actus celebrationis sit publicus, non tamen publica est illius malitia. Secus vero, si publice sit excommunicatus, et celebravit occulte. (Sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. refert Fagnan. lib. III *Decretal.*, in c. *Vestra* 7, *De cohabitat. clericor. et mulier.*, n. 148.)

In delictis publicis, episcopus dispensare non potest cum inquisitis de delicto quod non potuit probari, si nec definitive, nec alio modo fuerunt absoluti, sed dimissi cum cautione de se præsentando; nec in materia delicti ad forum contentiosum deducti, et jam finito judicio puniti, quia per sententiam condemnatoriam, delictum efficitur notorium. (S. congr. apud Fagnan. lib. III *Decretal.*, cap. *De cohabit. clericor. et mulier.*, n. 137.) Potest tamen episcopus dispensare cum reo, qui finito judicio contentioso obtinuit etiam mediis depravatis absolutionem, quia adhuc manet occultum, et non potest dici deductum cum effectu, ex quo probatum non fuit. (Barbosa, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 37, n. 33 et 35.) Imo etiamsi judicium non fuerit sententia absolutoria finitum, si accusator per annum tacuerit, poterit episcopus, elapso anno, cum ipso dispensare, ut tenent doctores. (Apud Ferrar. verb. *Episcopus*, art. V, n. 44.)

§ II. — De canonibus et constitutionibus apostolicis in genere.

I. Episcopus quoad sacros canones, constitutiones apostolicas, et decreta conciliorum generalium nequit dispensare, nisi sint casus sibi a jure permissi, seu concessi. Dispensatio enim est actus jurisdictionis, et episcopus veluti inferior non habet jurisdictionem respectu sacrorum canonum, apostolicarum constitutionum, et conciliorum generalium. (Cap. *Inferior* 4, dist. 21; cap. *Cum inferior* 16, *De majorit. et obedient.*, et Clement. *Ne Romani* 2, § 1, *De electione*, ubi expresse dicitur: « Quæ lex superioris per inferiorem tolli non potest. »)

II. Diximus *nisi sint casus sibi a jure permissi, seu concessi*, quia dantur plures casus, in quibus ex concessione juris, aut rationabiliter præsumpta licentia papæ, potest episcopus dispensare circa sacros canones, constitutiones apostolicas, et decreta conciliorum generalium.

Primus casus est, quando in jure expresse conceditur episcopis potestas dispensandi. Secundus casus est, quando saltem tacite, seu virtualiter ex modo loquendi sacrorum canonum præsumitur rationabiliter concessa ipsis talis dispensandi facultas, ut cum in canone simpliciter dicitur, posse dispensari, nec papa sibi aut alteri reservat dispensationem; tunc enim episcopus potest dispensare, quamvis hoc ipsi expresse non fuerit concessum. (Sic Glossa in cap. *Quisquis*

43, *De elect.* verb. *Fiat*, et alibi, et communis.)

Tertius casus est, quando adest magna necessitas, vel evidens utilitas de novo emergens, estque periculum in mora, nec facile recurri potest ad summum pontificem. (Argum. cap. *Talis* 17, causa 1, quæst. 7, et cap. *Exposuisti* 33, *De præbend.*) Et ratio est, quia in tali casu ex rationabiliter præsumpta voluntate papæ, censetur episcopus habere concessam sibi potestatem dispensandi; hoc enim exigit pastorale officium episcoporum ne alias in casu urgentis necessitatis oves sibi concreditæ remaneant destitutæ necessariis auxiliis; et sic doctores.

Quartus casus est, quando adest consuetudo dispensandi legitime præscripta; consuetudo enim legitime præscripta tribuit jurisdictionem. (Cap. *Cum tanto* 11, *De consuetud.*; cap. *Duo simul* 9, *De offic. judic. ordinar.*; c. *Cum contingat* 13, *De foro competent.*)

Quintus casus est, quoties dubium est, an casus indigeat dispensatione. (Argument. cap. *Cum desideres* 15, *De sent. excom.*) Quia stante dubio an res indigeat dispensatione, vel potest episcopus consideratis considerandis declarare eam non requiri, vel ad cautelam dispensare: ita communis.

§ III. — Dispensationes super ritibus et festis.

I. Dispensationes super ritibus ecclesiasticis a sancta sede petendæ sunt, nec, ea inconsulta, ab alio quolibet concedi possunt. (Benedict. XIV, const. 107, *Omnium sollicitudinum.*)

Concessio licentiarum laborandi diebus festis, quæ semper requirendæ sunt, spectat ad episcopum aut ad ejusdem delegatum; sed dandæ sunt in scriptis, et in forma ad hoc, ut ostendi possint ministris laicis prætendentibus in observantiam diei festivi. Sic etiam licentiæ vendendi diebus festivis sunt dandæ a solo episcopo, non autem a gubernatore, si causæ laborandi in die festo vere subsint, ordinarius tenetur licentiam dare, et semper gratis. (S. congr. Concil., Episcoporum, et Immunitatis; sæpius apud Ferrar. verb. *Festa.*)

II. Episcopi possunt concedere dispensationes particulares, et etiam generales ob observantia Quadragesimæ pro integris populis, sed non perpetuo, et dummodo adsint graves causæ dispensandi. (Bened. XIV, const. 130 *Libentissime*; et constit. 19 *Non ambigimus*, const. 55 *Cognovimus*; const. 99 *Fraternitas.*) Attamen pontifex in dictis constitutionibus « vult ab episcopis notum omnibus fieri, haud concedendum fore alicui multitudini dictam dispensationem, nisi ex gravissima et urgente necessitate, et nisi *cum debita apostolicæ sanctæ sedis reverentia*; quæ verba ibi idem sonant ac si diceretur, nisi postulato et obtento pontificio indulto. » (Bouix *De episcopo*, t. II, p. 99.) Cæterum etiam particularis dispensatio ab episcopo concessa absque justa causa nulla et irrita est; solus enim Romanus pontifex potest absque causa dispensare a lege universali Ecclesiæ.

Episcopus in sua diœcesi concedere debet facultatem etiam vicariis foraneis et archipresbyteris, ut de consilio medicorum impertiri possint indigentibus licentiam vescendi cibis vetitis, quæ detur omnino gratis, ita ut nec pro scriptura quidquam accipere liceat. (S. congr. Episc. 20 August. 1591.)

§ IV. — Dispensationes super juramenta et vota.

I. Episcopi possunt concedere, justa de causa, dispensationem vel commutationem juramentorum, dummodo non sint ex Ecclesiæ disciplina sedi apostolicæ reservata.

In juramentis de castitate servanda, de religionis ingressu, de peregrinatione Hierosolymitana, de accessu ad limina Apostolorum; item in juramentis super statutis ecclesiarum, vel quæ a regibus, principibus viris et episcopis fiunt, vel de rebus maxime arduis sunt emissa, dispensationem a summo duntaxat pontifice postulari mos est. In cæteris dispensare possunt episcopi, in suis respective diœcesibus; Romanus vero pontifex in toto orbe Christiano. (Ferrar. verb. *Juramentum*; Additiones Casinens., Appendix *De jur.* n. 81, nota ad regulam 18.)

II. Episcopi aliique prælati possunt indirecte irritare vota suorum subditorum, quando materia illis præjudicat in eorum regimine, gubernatione et administratione. (Communis apud Ferrar. verb. *Votum*, art. 3, n. 39.

Episcopi dispensare possunt potestate ordinaria in cunctis votis suorum subditorum diœcesanorum, exceptis specialiter reservatis summo pontifici. (Communis.) Episcopi

enim succedunt apostolis, quibus dictum est a Christo, Matth. XVIII, 18 : *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis.*

Archiepiscopi, seu metropolitani possunt quidem dispensare in votis suorum suffraganeorum, sed non cum subditis eorumdem, nisi per appellationem ad ipsos fuerit habitus recursus in casu, quo episcopi talem dispensationem injuste denegarent. (Communis.)

In votis solemnibus solus papa dispensare potest. Præterea vota reservata summo pontifici sunt quinque sequentia : nempe votum religionis ab Ecclesia approbatæ, votum castitatis integræ et perpetuæ, votum peregrinationis Hierosolymitanæ ad S. Sepulcrum, votum peregrinationis Romanæ ad limina apostolorum Petri et Pauli, et votum peregrinationis Compostellanæ ad S. Jacobum devotionis causa. (Communis, arg. extravag. *Etsi Dominici* 5, *De pœnitent. et remiss.*: ubi sub pœna excommunicationis prohibetur, ne quis sine speciali licentia papæ in aliquo dictorum quinque votorum dispenset.) Talis vero reservatio est intelligenda solum de votis proprie dictis perfectis, determinatis, absolutis, et quidem præcise quoad substantiam, non autem qualitates, et circumstantias eorum. Et si in aliquo deficiant, licet sint valida, non sunt tamen reservata, et ab eis dispensare possunt episcopi. (Sic doctores communiter, apud FERRAR. verb. *Votum*, art. 3, n. 79.)

Non possunt tamen episcopi commutare vota etiam simplicia in favorem tertii facta, et jam acceptata. (FERRAR. *ibid.* n. 124.) Sic non possunt dispensare in votis earum congregationum quæ vota simplicia tantum habent, etiamsi istæ congregationes non sint a Romano pontifice approbatæ, nisi talis dispensandi potestas competat episcopis ex constitutionibus earumdem congregationum, aut aliunde. (Vide sanctum LIGORIUM lib. III, n. 256.) Sic, certe novimus, decisum fuisse pro fratribus Institutionis Christianæ Ploermel, in Britannia minore, qui tamen fratres solum obedientiæ votum emittunt.

III. In omni vero casu certum est requiri causam ut dispensatio sit licita, atque etiam valida. (FERRARIS, verb. *Votum*, art. III, n. 59, tenent omnes doctores.) Sed quando adest justa causa dispensandi, tenetur episcopus dispensationem concedere. (ID. *ibid.* n. 37.) Et potestatem dispensandi quæ ipsimet competit delegare potest episcopus. In iis in quibus potest episcopus dispensare, potest etiam vota commutare; nam qui habet facultatem dispensandi, habet et commutandi. Ad commutationem in melius, nulla causa requiritur; ad commutationem in æquale, requiritur causa, sed levis sufficit; ad commutationem in minus requiritur causa gravis : et causa hæc requiritur non tantum ad licitatem, sed etiam ad valorem. (ID. *ibid.* art. 3, n. 120 et 130; et S. LIGOR. lib. III, n. 244 et 245.) Utrum autem peregrini possint dispensari ab episcopo loci ubi reperiuntur in votis et juramentis, *Probabilius* negatur... *Satis probabile est* cum Suarez, etc., peregrinos fieri vere subditos superioris illius loci ubi sunt, etiamsi per breve tempus ibi commorentur. » (S. LIGOR., lib. III, n. 362.)

§ V. — Dispensatio in pœnis Simoniæ.

Si beneficium simplex simoniace sit obtentum ab aliis, beneficiario invincibiliter ignorante, consequenter beneficium bona fide acceptante, potest episcopus cum illo dispensare, ut tale beneficium de novo acquirere et retinere possit, dummodo illud prius libere resignet. Communis, textu expresso in cap. *Si alicujus* 56, *De elect.*

Idem potest episcopus, si est prælatura, aut dignitas, seu beneficium curatum beneficiario ignorante, dummodo electio seu collatio illius per sententiam reprobata, seu cassata non sit; secus autem, si per sententiam sit reprobata seu cassata; eod. capite.

In aliis vero casibus, etiamsi simonia sit occulta, nequit episcopus dispensare; sed recurrendum est ad sacram Pœnitentiariam in casibus occultis, et ad Datariam in publicis.

§ VI. — Dispensatio in impedimentis matrimonii.

Episcopi, ordinarie et regulariter loquendo, nequeunt de jure communi dispensare in nullo impedimento dirimente. Communis. Et ratio est clara, quia omnia impedimenta jure ecclesiastico dirimentia sunt introducta decreto summi pontificis, aut alterius concilii generalis; episcopi autem, uti inferiores papæ, et generali concilio, nequeunt in eorum lege dispensare. Arg. cap. *Inferior* 4, dist. 21; cap. *Cum inferior* 16, *De major. et obed.*, et Clement. *Ne Romani* 2, *De elect.*,

expresse dicitur : *Lex superioris per inferiorem tolli non potest.* Benedictus XIV, *De synod. diœces.* lib. IX, cap. 2, n. 2 et seqq., luculentissime probat episcopis dispensare non licere in quarto consanguinitatis et affinitatis, necnon cognationis spiritualis prohibitis gradibus, nec in ullis impedimentis dirimentibus. Mandato Alexandri VII, sacr. congr. Concilii, 16 Maii 1660, declaravit « episcopum in casu urgentissimæ necessitatis, non posse ante contractum matrimonium in impedimento publico dispensare. » Eadem congregatio, 19 Januarii 1661, censuit « propositionem quæ asserit episcopum posse dispensare in publico impedimento matrimonii pro matrimonio dirimente consanguinitatis contrahendo sive in articulo mortis, sive in alia urgentissima necessitate, in qua contrahentes non possint exspectare dispensationem sedis apostolicæ, *hanc propositionem esse falsam et temerariam.* » Nulla igitur et irrita sunt matrimonia inter consanguineos vel affines contracta cum dispensatione ab episcopis impertita. (Ferrar. verb. *Matrimonium*, art. 7, n. 18, et nota 17.) Et hodie solet sancta sedes quotannis ad episcopos Galliarum, ut possint in impedimentis aliquibus publicis dispensare, indultum benigne et sponte dirigere.

III. Diximus *ordinarie;* extraordinarie tamen, seu in casu magnæ et urgentis necessitatis possunt episcopi dispensare pro foro conscientiæ in impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus, si concurrant sequentes conditiones : 1° Si impedimentum sit occultum. 2° Si matrimonium contractum sit servata forma a concilio Tridentino præscripta. 3° Si sit contractum bona fide, sive cum ignorantia impedimenti. 4° Si sit consummatum. 5° Si nequeat sine gravi scandalo fieri separatio. 6° Si necessitas sit urgens, ita ut non patiatur dilationem, quia conjuges nequeunt abstinere ab usu putati matrimonii, donec dispensatio a pontifice vel nuntio veniat. (Sic tenent communiter doctores et Benedict. XIV, *De synod.* lib. IX, cap. 12, n. 1, 2 et 3.)

Imo etiam ante contractum matrimonium possunt episcopi dispensare in impedimentis occultis de jure ecclesiastico dirimentibus, quando adest urgentissima necessitas salutis animæ, et non est aditus ad papam, vel ratione moræ in exspectatione dispensationis pontificiæ est periculum incontinentiæ, aut alterius gravis mali spiritualis. (Arg. *omnibus juribus*, et tenent multi doctores, et ita declarasse Sixtum V testatur Pyrrus Corradus in *Praxi dispensat.*, lib. VIII cap. 4, n. 40; Ferrar. verb. *Matrimonium*, art. 7, n. 18.) Episcopi Germaniæ, et plures alii ab urbe Romana remotiores, ex speciali privilegio pontificio, de quadriennio in quadriennium renovando, communiter dispensare possunt : 1° Ad contrahendum matrimonium in tertio et quarto gradu simplici, et misto tam consanguinitatis, quam affinitatis cum pauperibus tantum; 2° ad perseverandum in contracto cum hæreticis, ad fidem conversis, etiam in secundo simplici et misto, dummodo nullo modo attingat primum; 3° in impedimento publicæ honestatis, proveniente ex sponsalibus; 4° in impedimento criminis, neutro tamen conjugum machinante; 5° in impedimento cognationis spiritualis, præter levantem et levatum in baptismo : potestas autem ista exerceri ab episcopis ita privilegiatis non potest, nisi tanquam a sedis apostolicæ delegatis, neque extenditur ad casum, quo rapta est mulier, et in raptoris potestate adhuc exsistit. (Schmalz. part. III, tit. XVI, n. 73.)

Episcopus potest vicario generali, seu aliis sacerdotibus idoneis communicare dispensandi facultatem quam habet ex privilegio, seu speciali facultate pro utroque foro. (*Communis.*)

Impedimenta matrimonium impedientia ab episcopo relaxari possunt, si excipias impedimentum ortum ex sponsalibus cum altero prius initis et illud quod ex voto perpetuæ castitatis et ingrediendæ religionis, nisi fuerint conditionata, ortum duxit. Schmalzgrueber distinguit inter impedimenta impedientia, solo jure communi ecclesiastico introducta, et inter ea, quæ matrimonium impediunt jure divino, et naturali. *Quoad priora* dispensare potest episcopus, et alius prælatus papa inferior, excepto impedimento interdicti a superiore se positi : quia esto, potestas hæc de jure ipsis non competat, tamen illis eamdem concessit, et cap. *Veniens*, 2, *De eo qui cognovit*, etc., concessam ad reliqua etiam impedimenta extendit consuetudo, omnium fere ecclesiarum usu approbato, ut testantur Multi. *Quoad posteriora*, seu divina, vel naturali jure inducta, conveniunt doctores non posse episcopum, vel prælatum papa inferiorem dispensare in impedimento stron-

salium, cum jure alteri quæsito nemo ipsum spoliare possit, nisi princeps, et quidem ex causa... (Schmalz. part. III, tit. XVI, n. 62 et 63.) Nequit episcopus ullum impedimentum proprie dictum statuere. (Bened. XIV, *De synod.*, lib. VII, c. 68, n. 7.)

CAPUT XIV.

Episcopus quoad censuras et privilegia.

§ I. — De censuris.

I. In præcedenti capite aliquas ex censuris quas incurrere possunt episcopi, retulimus. At vero privilegium episcopis concessum est in cap. *Quia periculosum* 4, *De sent. excom.* in 6, ut generali statuto, vel sententia interdicti, aut suspensionis non includantur, nisi eorum specialis et expressa mentio fiat. (Ita communis et textu expresso in dicto cap.) Secus videtur dicendum de censura excommunicationis; quia de hac in cap. cit. non fit mentio, nec in positivis valet argumentum a pari. (Schmalz. part. IV, tit. XXIX, n. 40.)

II. Episcopo autem lapso in aliquod delictum, de quo in cap. 6, sess. 24. Trident., ex sententia sacr. congregationis, licet ad se absolvendum proprium ipsius confessorem deputare cum eadem auctoritate quam ipse posset (ex eodem cap. 6), in alios sibi subditos exercere, etiamsi episcopus Romæ esset, et sic extra suam diœcesim. (Fagnan. in II part., lib. II, *Decretal. De tempor. ordin.*, c. *Dilectus*, n. 34.)

III. Episcopus non ligatur censuris a se latis; sic v. gr. episcopus ludens cum subdito non ligatur pœna excommunicationis suo statuto contra ludentes imposita. (Fagnan. in II part., lib. I, *Decret. De pactis*, c. *Cum pridem*, n. 144.)

IV. *Causæ criminales graviores contra episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum summo Romano pontifice cognoscantur, et terminentur. Quod si ejusmodi sit causa, quæ necessario extra Romanam curiam sit committenda, nemini prorsus ea committatur, nisi metropolitanis, aut episcopis, a beatissimo papa eligendis. Hæc vero commissio et specialis sit, et manu ipsius summi pontificis signata; nec unquam plus his tribuat, quam ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant, quem statim ad Romanum pontificem transmittant, reservata eidem sanctissimo sententia definitiva. — Cætera alias sub fel. rec. Julio III super his decreta, necnon constitutio Innocentii III in concilio generali, quæ incipit,* Qualiter et quando, *quam sancta synodus in præsenti innovat, ab omnibus serventur. Minores vero criminales causæ episcoporum, in concilio tantum provinciali cognoscantur, et terminentur, vel a deputandis per concilium provinciale.* (*Trident.* sess. 24, cap. 5, *De reform.*)

« Potest metropolitanus cognoscere causas civiles episcoporum, ex sententia congregationis. Non est necesse, quod sint episcopi, qui deputandi sunt per concilium provinciale (ad minores criminales causas episcoporum); quia facultas est generalis. Poterunt insuper deputati prædicti cognoscere et terminare causas concilio provinciali dissoluto, si causæ erant cœptæ ab istis deputatis ante dissolutionem dicti concilii : quia in simili non exspirat jurisdictio delegati. Quando vero causa non erat cœpta, dicti deputati non amplius illam terminare possunt.» (*Declarationes* ad dict. cap. 5, sess. 24 *Conc. Trid.*, edit. Coloniæ 1744.)

Sub Julio III decretum fuit in Trident. sess. 13, cap. 6 : *Episcopus, nisi ob causam, ex qua deponendus sive privandus veniret, etiamsi ex officio, aut per inquisitionem, seu denuntiationem, vel accusationem, sive alio quovismodo procedatur, ut personaliter compareat, nequaquam citetur, vel moneatur.* Et cap. 7 ejusdem sess. : *Testes in causa criminali ad informationem, vel judicia, seu alias in causa principali contra episcopum, nisi contestes, et bonæ conversationis, existimationis et famæ fuerint, non recipiantur; et si odio, temeritate aut cupiditate, aliquid deposuerint, gravibus pœnis mulctentur.* (Confer. c. *Accusatio quoque* 2, c. *Accusatio episcoporum*, c. *Testes*, causa 2, quæst. 7, et cap. ultim. causa 2, quæst. 5, et ejusd. Trident. sess. cap. 8.)

§ II. — De aliis privilegiis.

I. Episcopi possunt habere altare viaticum, et in eo celebrare, ac facere celebrari, etiam in aliena diœcesi, extra ecclesiam, contradicentibus episcopis diœcesanis. (Cap. fin. *De privileg.* in 6.) Quod quidem privilegium sacr. congr. alias censuit non fuisse sublatum decreto concil. Trident., cap. unic. sess. 22, *De observand. et evitand. in celebrat. miss.*, teste Fagnano in II part. lib. V *Decret.*

De privileg., c. *Quod nonnullis*, n. 6 ad 8. Verum Clemens XI in decreto, die 15 decemb. 1703 edito, « Expresse declarat episcopis, et his majoribus prælatis, etiam cardinalatus dignitate fulgentibus, neque sub prætextis privilegii clausi in corpore juris, neque alio quoque titulo, nullo modo licere extra domum propriæ habitationis in domibus laicis, etiam in propria diœcesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi diœcesani consensus adhiberetur, erigere altare, ibique sacrosanctum missæ sacrificium celebrare, sive celebrari facere. » Attamen Innocentius XIII, in bulla *Apostolici ministerii*, quam Benedictus XIII confirmavit, declaravit quod hujusmodi prohibitio (supradicti Clement. decreti) intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi episcopi forte occasione visitationis, vel itineris, hospitio excipiantur, et nec etiam quando episcopi in casibus a jure permissis, vel de speciali sedis apostolicæ licentia, absentes a domo propria ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita eis erit erectio altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis. » (Bened. XIV, *De sacrif. missæ.*)

II. Episcopus et alii superiores, necnon minores prælati exempti possunt sine licentia superiorum sibi eligere providum confessorem. (C. *Neprodilatione*, tit. xxxviii, *De pœnit. et remis.* lib. v *Decret.*) Postremo jam sacr. congr. declaravit hoc privilegium non esse quidem a concilio sublatum; sed tamen non posse sibi eligere sacerdotem sibi non subditum, nisi aut parochiale beneficium habeat, aut a suo ordinario approbatus fuerit ad confessiones audiendas, ad præscriptum cap. 15, sess. 23; idemque declaravit Gregorius XIII, audita relatione congregationis. (Fagnan. *ibid.*, in hoc. cap.)

CAPUT XV.

Episcopus quoad liturgiam et processus super virtutibus et miraculis servorum Dei, et aliis miraculis.

§ 1. — De liturgia.

I. Liturgia est *forma cultus externi in Ecclesia catholica instituti;* et est partim divinæ, partim ecclesiasticæ institutionis. Ideoque essentialiter et ex natura sua est fidei dogmatis expressio, juxta sanctos Patres et sancti Celestini papæ verba : *Ut legem credendi lex statuat supplicandi;* sacræ traditionis fons, et remota fidei regula est ex sententia omnium sanctorum Patrum, doctorum et theologorum Ecclesiæ catholicæ.

Atqui tota docet traditio et definivit concilium Florentinum, in persona Petri Romano pontifici datam a Christo fuisse *plenam potestatem pascendi, regendi atque gubernandi* universalem Ecclesiam. Unde certum omnino est Romanum pontificem esse supremum Ecclesiæ universæ pastorem, ita ut singula Ecclesiæ membra relative ad ipsum sint oves.

Ex concilio Lugdunensi ad summum pontificem pertinet omnes fidei causas definire. Ad Romanum igitur pontificem, sive solum, sive cum concilio œcumenico, pertinet fidem tenendam docere, definire ac præscribere. Ergo ad eumdem, sive solum sive cum concilio œcumenico, pertinet determinare et præscribere modum quo Ecclesiæ fidem publice exprimant et profiteantur; sed liturgia est præcipuus modus doctrinam fidei publice exprimendi et profitendi; ergo ad nullum independenter a papa pertinere potest liturgiæ regulatio. Aliunde ad Romanum pontificem pertinet leges de disciplina pro universa Ecclesia sancire. Atqui liturgiæ regulatio est præcipua pars disciplinæ ecclesiasticæ, cum ad fidem proxime spectet. Ergo nullus potest independenter a papa circa rem liturgicam statuere.

Ex dictis sequitur potestatem legislativam in liturgiam non pertinere ad episcopos et prælatos, independenter a Romano pontifice. Potuit tamen ex tacito vel expresso Romani pontificis consensu liturgiæ regulatio ad singulos in sua diœcesi episcopos pertinere.

A tempore vero sancti Pii V, liturgia Romana correcta in toto Occidente (salvis quibusdam exceptionibus) ita præscripta est, ut jus liturgicum sedi apostolicæ fuerit et remaneat omnino reservatum. Sanctus Pius V ita Breviarium et Missale recognitum ecclesiis injunxit, ut simul jus omne ademerit quidquam addendi atque immutandi. Quod et dein alii pontifices effecere quoad Pontificale, Rituale et Cæremoniale.

Instituta præterea a Sixto V sacrorum Rituum congregatio, et data fuit ei potestas ordinaria atque auctoritas ut quamcunque alterationem a quocunque introductam corrigeret atque profligaret.

Stricte et sub peccato mortali obligatoria fuere Breviarium et Missale sancti Pii V, quoad omnes mundi Ecclesias, præter eas quas ipsummet excipit decretum Pianum; id est Ecclesias quarum Breviarii et Missalis formulæ ducentis annis antiquiores erant, ut clare constat ex ipsis decreti Pii V verbis. At ex sacr. congr. Rituum decreto: « Usus Missalis et Breviarii Romani semel introductus in Ecclesia aliqua quæ habebat particulare Missale et Breviarium, confirmandus est, nec licet redire ad usum antiqui Missalis et Breviarii. » (Apud GARDELLINI, tom. VII, p. 60.)

Non potuit post sanctum Pium V, etiam auctoritate ordinariorum et consentiente capitulo, in Breviario et Missali Romano-correcto, quidquam addi, detrahi, aut immutari. Id enim expresse prohibetur in bullis sancti Pii V et contra præfati præcepti violatores constitutæ sunt pœnæ canonicæ, ex decreto *Cum in Ecclesia* Clementis VIII; in quo postquam sancitum est Breviarium imprimi non posse absque inquisitorum vel ordinariorum licentia, ita subjungitur:

« Ipsi autem inquisitores seu ordinarii locorum antequam hujusmodi licentiam concedant, Breviaria imprimenda et postquam impressa fuerint, cum hoc... diligentissime conferant....., et quod omnino concordent manu propria attestentur; cujus licentiæ copia initio vel in calce cujusque breviarii semper imprimatur. Quod si secus fecerint, inquisitores privationis suorum officiorum... antistites vero et ordinarii locorum suspensionis a divinis ac interdicti ab ingressu ecclesiæ, eorum vero vicarii privationis officiorum et beneficiorum suorum, ac præterea excommunicationis absque alia declaratione, pœnas incurrant. »

Idem et sub iisdem pœnis confirmavit Urbanus VIII in suo decreto *Divinam psalmodiam*, anno 1631, initio Breviarii Romani impresso; atque eadem præfati pontifices quoad Missale statuerunt.

In Ecclesiis quæ post bullas Pianas astrictæ fuerunt romano Breviario et Missali correcto non potuerunt, neque adhuc possunt ordinarii prælati ulla sanctorum officia propria auctoritate Calendario addere; neque mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano seu rubricis Breviarii, in altiorem Ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum. (Id constat ex decreto sacr. congr. Rit. ab Urbano VIII approbato et initio Breviarii Romani impresso.)

Contra præfatas bullas et dictum decretum admitti nequit ulla consuetudo legitime præscripta; quia 1° his bullis et decretis exstincta fuit omnis omnino consuetudo contraria nedum in præteritum sed etiam in futurum; et consuetudo semel lege reprobata non potest amplius introduci. 2° Talis consuetudo non potuit introduci per tacitum principis consensum, cum omnes pontifices et sacra congr. Rit. ad hoc instituta semper obstiterunt. 3° Liturgia ad jus divinum attinet, tanquam fons, regula et expressio fidei; atqui nulla consuetudo potest præscribere contra jus divinum. Ergo talis consuetudo caret omnibus requisitis ad rationabilem et legitimam consuetudinem præscribendam.

In Ecclesiis vero, quæ novo S. Pii V Breviario et Missali astrictæ non fuerunt, et in sua propria liturgia remanserunt, non possunt locorum ordinarii suum Breviarium et Missale in aliud substantialiter diversum, præter Romanum Post-Pianum, immutare; nequeunt etiam ullam officiorum additionem suis calendariis propria auctoritate facere.

II. *De Martyrologio.* — 1° Omnes Latinæ Ecclesiæ, etiam illæ quæ proprio Breviario et Missali legitime utuntur, ita Romano Martyrologio astringuntur, ut illud solum adhibere debeant, nulla re addita, mutata aut adempta; ex const. *Emendato* Gregorii XIII.

2° In novis imprimendis Martyrologiis inseri tantum debent sancti ab ultima editione canonizati, non autem ii sancti qui beati solummodo declarati sunt, ex decretis sacr. congr. Rit. 30 Julii 1616; 31 Aug. 1680.

III. *De Pontificali.* — Sicut quoad Martyrologium, ita quoad Pontificale Romanum lex universalis est, omnes absque exceptione Latinas Ecclesias astringens ex bulla *Ex quo* Clementis VIII; bulla *Quamvis alias* Urbani VIII, qui prohibet Pontificale imprimi nisi sit Romano conforme, et de licentia inquisitorum, vel ordinariorum, et sub iisdem pœnis ac pro Breviario et Missali. Unde Pontificalis quilibet liber a Romano diversus, quem sibi aliqua Ecclesia conflaret, pro illegitimo et sub pœnis prohibito esset habendus.

IV. *De Cæremoniali.* — Liber Cæremonialis episcoporum a Clemente VIII, const. *Cum novissime*, publicatus, ab Innocentio X, bulla *Etsi alias*, correctus, et a Benedict. XIII,

const. *Licet alias*, confirmatus, obligatorius est quoad omnes Latinas Ecclesias; et per dictas constitutiones apostolicas proscriptæ sunt omnes consuetudines contrariæ huic Cæremoniali, exceptis solis *immemorabilibus*. Et ex declarationibus sacræ congregationis Rituum 16 Julii 1605, et sæpius, nullæ consuetudines contra dictum Cæremoniale præscribere possunt, ut probat Catalanus, in præfatione Commentarii sui in Cæremoniale episcoporum.

V. *De Rituali.* — Non defuerunt qui negari posse Rituale Romanum omnes Ecclesias astringere putarunt, et ipse quidem Catalanus censuit Ecclesias posse suis Ritualibus uti.

Quidquid sit de hac opinione, communior doctorum sententia tenet Rituale Romanum vim legis habere omnes Latinas Ecclesias attingentis. Et probatur : 1° Ex Pauli V Brevi, in quo sic legitur : *Restabat ut uno etiam volumine comprehensi sacri et sinceri Ecclesiæ ritus, qui in sacramentorum administratione, aliisque ecclesiasticis functionibus* SERVARI DEBENT *ab iis qui curam animarum gerunt, apostolicæ sedis auctoritate prodirent.* Ergo suum librum Ritualem ideo edidit Paulus V, ut apostolica auctoritate determinaret ritus, *qui servari debent.* Ergo voluit ritus, hac apostolica auctoritate in isto Rituali determinatos, *servari* seu obligatorios esse.

Concilium Trident. sess. 7, canon 13, sic decrevit : *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentorum admistratione adhiberi consuetos, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.*

Atqui Ritualia particularia nequeunt dici recepti et approbati Ecclesiæ catholicæ ritus. Sed sunt ritus singularis Ecclesiæ; solum Rituale Romanum continet receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, auctoritate pontificis sancitos et confirmatos. Ergo, ex canone 13 Trident., soli ritus Romani Ritualis sine peccato a ministris pro libito omitti nequeunt. Soli ritus Romani Ritualis in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari non possunt. Ex quo sequitur omnia Ritualia post Rituale Pauli V edita, et cum eo non conformia, esse prorsus canone 13 prohibita, ita ut iisdem uti nemo possit absque peccato saltem in administratione sacramentorum. Idem dicendum videtur de Ritualibus ante Paulum V editis, et ejusdem pontificis Rituali non concordantibus. Quia non continent ritus receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ.

Hanc nostram argumentationem firmat ipsummet Rituale Romanum, canonem 13 Tridentinum in exordio, auctoritate pontificis applicando in specie ad Rituale Romanum.

Confirmatur ex regulis generalibus Indicis. Inter varia quæ Clemens VIII prædictis regulis jussit adjici, reperitur circa correctionem librorum sequens dispositio : *Quæ autem correctione atque expurgatione indigent, fere hæc sunt quæ sequuntur... Quæ contra sacramentorum ritus et cæremonias, contraque usum et consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, novitatem aliquam inducunt.* Ex quo textu sic argui licet, cum Bouix : Expurgandum est quidquid in Ritualibus libris novitatem aliquam inducit contra receptum usum et consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ ; sed quodlibet Rituale a Romano diversum aliquam novitatem inducit contra Romanæ Ecclesiæ usum : ergo expurganda est quælibet a Rituali Romano diversitas ; ergo obligatoria est Ritualis Romani forma.

Præterea in catalogo librorum prohibitorum licet nominatim non expressorum, § 4 reperiuntur sequentes : *Benedictiones omnes ecclesiasticæ, nisi approbatæ fuerint a sacra Rituum congregatione. — Rituali Romano additiones omnes factæ, aut faciendæ post reformationem Pauli V, sine approbatione sacræ congregationis Rituum.* Ergo libri Rituales qui vel Rituali Romano aliquid addunt, vel benedictiones diversas et a sacra congregatione Rituum non approbatas continent, auctoritate apostolica prohibiti censendi sunt. » (Bouix, tract. *De jur. liturgico*, pag. 306 ad 307.)

Confirmatur ex decretis sacr. congr. Rit. Apud Gardellini n. 4532, sacra cong. censuit : *Illi soli libri adhibendi, et in illis benedictionibus, quæ Rituali Romano sunt conformes.* Ergo adhiberi nequeunt Ritualia Romano non conformia, nec aliæ benedictiones quam quæ in Rituali Romano jacent. Ergo obligatorium est Rituale Romanum.

Die 7 Septembris 1850, a sacra congregatione ad *Trecensem* (in Galliis) episcopum directæ sunt litteræ, in quibus decernitur

benedictionem SS. Sacramenti dandam esse absque versiculorum cantu; et de eadem benedictione sic subjungitur : *In ea Rituale Romanum cujus leges universalem afficiunt Ecclesiam, integre servetur.* Ergo, declarante ipsa Rituum sacr. congr. per modum legis universalis obligatorium est Rituale Romanum. (Id. *ibid.* p. 397.)

Consuetudines ergo Rituali Romano adversæ omnino tolli debent. Excipi tamen possunt consuetudines laudabiles et antiquæ, in sacramenti matrimonii administratione usitatæ, ex cap. 1, sess. Trident. 24 *De reformatione matrim.*, ubi circa præscriptos ritus in celebratione matrimonii servandos hæc habet : *Si quæ provinciæ aliis ultra prædictas laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis in celebrando matrimonii sacramento utantur, eas sancta Tridentina synodus optat retineri.*

Ex hucusque dictis, jus liturgicum præcipue constituitur Breviario, Missali, Pontificali, Rituali et rubricis in iisdem præscriptis et Cæremoniali episcoporum. Hoc est jus liturgicum primarium et obligatorium, et interpretatur auctoritate sacræ Rituum congregationis.

Tenentur episcopi invigilare strictæ observantiæ hujus juris. Ad eos spectat primo judicare de consuetudinibus tollendis aut legitime retinendis in suis diœcesibus. Atqui consuetudines sunt vel contra jus, vel secundum jus, vel præter jus.

1° Consuetudines contra jus liturgicum, sive in ritibus, sive in cæremoniis, sive in textu liturgiæ, omnino tollendæ sunt; quia, ut demonstratum est, nequit præscribi contra jus liturgicum, utpote ad jus divinum spectans.

2° Consuetudines secundum jus servandæ sunt.

3° Consuetudines præter jus, quando sunt laudabiles et ad ædificationem populorum utiles, servari possunt, et etiam debent, quando præsertim earum correctio demirationem aut scandalum in fidelibus excitaret. Perpendendæ igitur sunt consuetudines ab episcopis cum consilio eorum capitulorum, et in dubio consulenda est sacra Rituum congregatio. Hic enim agitur de re maximi momenti, scilicet de ædificatione, pietate et fide servandis et augendis in Christi fidelibus.

VI. *De novis officiis.* — Quoad nova officia sanctorum localium, ea possunt episcopi concinnare, sed nequeunt illis uti priusquam a sacra Rit. congreg. approbentur.

VII. *De festis.* — 1° Festorum de præcepto instituendorum vel supprimendorum suprema potestas ita pertinet ad sedem apostolicam, ut omni tempore potuerit eam sibi reservare. Ea enim potestas est pars juris liturgici, quod Romano pontifici soli competit in universam Ecclesiam.

2° Ante bullam *Universa* Urbani VIII certo poterant episcopi in suis diœcesibus festa de præcepto instituere; id tamen probabilius non poterant absque capituli saltem consensu; festa autem auctoritate episcopali sic inducta, poterant episcopi absque illius consensu abrogare. (Bened. XIV, *De Beatif. et canonizat.*, lib. IV, part. II, cap. 15; c. *Pronuntiandum*, *De consecr.*, dist. 3, et cap. *Conquestus*, *De feriis; Trident.* sess. 25, cap. 12.)

Post bullam *Universa* Urbani VIII, episcopi potestatem non habent nova festa de præcepto instituendi in suis diœcesibus. Multum controversa fuit illa quæstio, et contra enuntiatam propositionem stare videtur communior opinio; quia Urbanus VIII non clare præceptivis verbis usus fuerit. Porro hæc controversia videtur clare a sacra Rituum congregatione fuisse decisa; die enim 23 junii 1703 declaravit: 1° festa ex voto personas tantum voventes teneri observare; 2° episcopum in sua diœcesi, festa prædicta non posse confirmare, ita ut sint obligatoria; nec etiam alia festa instituere de præcepto præter illa quæ in dicta bulla Urbani expressa sunt.

Ex dictis ergo per bullam *Universa* Urbani VIII, episcopis ablatum fuit, et sedi apostolicæ reservatum totum jus liturgicum circa festa de præcepto instituenda vel abroganda. Ex declaratione sacr. congr. Rit., episcopi non possunt festa instituere; et defectu potestatis instituta a summo pontifice nequeunt abrogare, quia lex superioris ab inferioribus tolli nequit.

De cætero, hæc est, saltem in Galliis, hodierna praxis, ex concordato anni 1801. Per indultum cardinalis Caprara suppressa sunt aliqua festa de præcepto, et festa conservata fuerunt de novo præcepta. Abhinc temporis omnes episcopi Galliarum ad sanctam sedem recursum habuerunt in omnibus festa concernentibus. — Qui plura desi-

derat de liturgia adeat tractatum *De jure liturgico*, auctore D. Bouix, quem secuti sumus.

§ II. — De miraculis et processibus super virtutibus servorum Dei.

I. Potestas examinandi et recognoscendi miracula non solum pontifici, sed etiam episcopis, habetur clare ex concilio Tridentino sess. 25, *De invocatione sanctorum*, ubi dicitur, *Nulla etiam admittenda esse miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante episcopo;* qui textus non tantum procedit de miraculis jam *canonizatorum*, sed etiam *non canonizatorum*, ita ut episcopus etiam istorum miracula recognoscere possit, prout sacra congregatio ejusdem concilii interpros declaravit, teste Fagnan. in cap. *Cum ex eo* 2, *De reliquiis et venerat. sanctorum*, n. 7. Debet tamen episcopus, si examinet miracula nondum canonizatorum aut beatificatorum, antequam ea divulgare permittat, totum negotium ad sanctam sedem transmittere, indeque responsum exspectare, juxta constitutionem 37 *Sanctissimus* Urbani VIII. (Fagn. loc. cit. n. 10.)

II. Examen miraculorum debet esse exactissimum et rigidissimum, præsertim quoad testes, ita ut regulariter nonnisi per testes idoneos juratos, qui non sint singulares et qui deponant ex scientia per sensus proprios et sigillatim examinentur, miraculum probari valeat, prout pluribus demonstrant auctores. (Arg. cap. *Venerabilis*, *De testibus*, et cap. *Testes*, causa 3, quæst. 9.) Unde episcopus ad examen miraculorum debet adhibere in consilium etiam theologos et alios viros probos, ut expresse præscribitur in concilio Tridentino loc. cit. ibi: *Adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris.*

Miracula, gratiæ, beneficia, etc., quæ præsumuntur accepta a Deo ad intercessionem alicujus mortui cum opinione sanctitatis, non possunt imprimi sine licentia sedis apostolicæ, nisi fuerit canonizatus, vel beatificatus. (Urbani VIII const. 37 *Sanctissimus.*)

Miracula, gratiæ, etc., talis mortui non canonizati, nec beatificati, publicari non possunt sine præfata licentia sub pœnis, clericis sæcularibus privationis officiorum, suspensionis a divinis et administrationis sacramentorum; regularibus vero omnium officiorum, necnon vocis activæ et passivæ. (*Ibid.*)

Attamen non liberum est episcopo nullum examen de miraculis instituere; nam concilium Tridentinum, sess. 25, decret. 2, *De invocat. et venerat.*, etc., c. *Mandat*, præcipit ut episcopus *Simul atque de iis* (novis miraculis) *aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis, et aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati et pietati consentanea judicaverit.* Ex hoc textu tenetur episcopus inquirere, et ea facere, quæ per inquisitionem veritati et pietati consentanea judicaverit. «Quod si aliquis dubius aut difficilis abusus sit exstirpandus, vel omnino aliqua de his rebus gravior quæstio incidat, episcopus, antequam controversiam dirimat, metropolitani, et comprovincialium episcoporum, in concilio provinciali sententiam exspectet; ita tamen, ut nihil, inconsulto sanctissimo Romano pontifice, novum, aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.» (*Trident.* eod. decret. sess. 25, in fine.)

CAPUT XVI.

Episcopus quoad sacramenta.

Pauca de sacramentis dicturi sumus, cum præcipua de his magis ad theologos quam ad canonistas spectant.

§ I. — De Baptismo.

I. Minister baptismi ordinarius ex officio, et solemniter administrandi cum solitis Ecclesiæ cæremoniis est papa in toto orbe, episcopus in sua diœcesi, et parochus in sua parochia, vel alius sacerdos ab ipsis delegatus. (Clemens I, epist. 3; *Conc. Florent.* in decreto unionis; *Constit. apostol.* lib. III, cap. 11; cap. *Constat* 19, *De consecrat.* dist. 4.)

II. Diaconis non licet baptizare solemniter, nisi duplici necessitate; videlicet quia sacerdos non potest, vel absens, vel stulte non vult, et mors imminet puero. (*Concil. Londinense* 1, cap. 3; et cap. *Diaconus* 13, dist. 93.) Hinc cum illis baptizandi munus non competat, si baptismum ministrare audeant, irregularitatem incurrunt. (Cap. *Si quis baptizaverit* 1, *De clerico non ordinato ministrante.*) Diaconus potest tamen baptizare solemniter ex commissione episcopi in defectu sacerdotum. (Colligitur ex cap. *Diaconus* 13, dist. 93.)

III. Baptismi cæremoniæ, et aliorum sacramentorum ritus mutari, aut omitti, nec a privatis personis, nec ab episcopis, possunt. (*Conc. Trident.* sess. 7, can. 13.) Cæremoniæ omissæ

in baptismo privato, in ecclesia postea suppleri debent, ut colligitur ex c. *Hanc regulam*, causa 1, quæst. 1, et ex c. *Pastoralis* 1, et c. *Presbyter* 3, *De sacram. non iterandis*. In privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint regum, aut magnorum principum filii, aut talis necessitas emerserit propter quam nequeat ad ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi.— (Clem. *Unica*, *De baptismo*.)

Layman censet graviter peccare magnates qui extra necessitatem faciunt filios baptizari domo (vel etiam in ecclesia privatim, ut Sylvius, quæst. 71, art. 4, cum Nav. et Ledesm.) ut deinde cum pompa cæremoniæ perficiantur in ecclesia, postquam advenerint patrini; qui equidem, collato jam antea baptismo, nec patrini efficiuntur. His tamen non obstantibus, puto quod ubi introducta est consuetudo domi baptizandi filios magnatum ipsa non est facile improbanda, ut ait Croix, loc. cit. (S. Alphons. DE LIGORIO, lib. VI, tract. II, *De baptism.* n. 118.) Baptismi conferendi ritus et cæremoniæ in Rituali præscriptæ, sine gravi causa non omittantur, vel cito suppleantur. (BENED. XIV, tom. I, const. 89 *Inter omnigenas*, § 19.) «Qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non præsumant.» (Clem. *Unica*, *De baptism.*)

IV. Ex prædictis ad episcopum spectat invigilare ut cæremoniæ non omittantur in baptismo; ideoque potest sibi reservare ut has cæremonias omittendi licentiam concedat; quam concedere non debet, nec potest, nisi ob graves causas et ad breve tempus. Unde Galliarum usus absque ritibus et cæremoniis extra necessitatem baptizandi infantes quoscunque, dummodo parentes pecuniam episcopo solvant prolicentia, sustineri nequit ex juribus allatis et can. 13 sess. 7 Trid., labemque simoniacam redolere talem usum timendum est.

§ II. — De Confirmatione.

I. Episcopus non potest in alterius diœcesi confirmare suos subditos, vel pontificales actus exercere, absque licentia episcopi, in cujus diœcesi reperitur, sub pœna suspensionis ab exercitio pontificalium. (*Conc. Trident.* sess. 6 *De reform.*, cap. 5; et sacr. congr. Concil. 15 April. 1575.) In ministrando enim confirmationis sacramento ultra potestatem ordinis requiritur etiam potestas jurisdictionis, quam non habet episcopus in diœcesi alterius seu vere nullius. Imo neque potest archiepiscopus in diœcesi suffraganei. (Glossa in Clement. cap. *Archiepiscopus* 2, *De privileg. et excess. privileg.*, et communis.) Archiepiscopus nequit exercere pontificalia in ecclesiis suffraganeorum absque licentia episcopi ordinarii. (S. congr. Episc. et Regul. 18 April. 1599.) Quinimo nec in propria diœcesi potest episcopus licite ministrare confirmationis sacramentum personis alterius diœcesis, absque consensu episcopi confirmandorum, ut expresse resolvit sacr. congr. Concil. 28 Novembr. 1602. Attamen pueri in collegiis et gymnasiis et etiam in conservatoriis monialium educandi, etsi ex aliena diœcesi oriundi, quia saltem quasi domicilium acquisiverunt, videntur posse sacramentum confirmationis ab episcopo diœcesis in quo educantur recipere. Hæc est praxis in Gallia et non videtur impugnanda, cum de confirmatione sicut de matrimonio possit ratiocinari; atqui sufficit quasi domicilium ad contrahendum matrimonium coram quasi domicilii parocho. Præterea episcopi Galliarum, in hac praxi administrandi confirmationem educandis ex aliena diœcesi, sibi mutuum consensum saltem tacitum consuetudine legitimatum præbent.

II. Ad viciniorem episcopum spectat conferre chrisma, consecrare aras, vel altaria portatilia, sede vacante; et vicarius capitularis procurare debet, ut illi subministrentur victus conveniens et equorum expensæ. (S. congr. Episc. 10 Januar. 1605.) Sic etiam in locis exemptis, et in abbatiis, quæ vere nullius non sunt, chrisma ministrare pertinet ad episcopum viciniorem, seu in cujus diœcesi sita est abbatia. Unde potest episcopus in parochialibus monachorum exemptorum sacramentum confirmationis administrare, invitis ipsis regularibus, et contra eos hujusmodi administrationem impedientes censuris procedere. (S. congr. Concil. 9 Junii 1655; argum. cap. *Responso* 43, *De sent. excom.*, et arg. cap. *Quoniam* 19, *De sent. excom.* in 6.)

III. Abbas qui vere est nullius, et habet territorium separatum, faciens propriam et distinctam diœcesim, convocare potest quemcunque maluerit catholicum antistitem ad

sacramentum confirmationis ministrandum, ut sæpius resolutum fuisse a sacr. congr. Concil. refert Fagnan. lib. I *Decret.* in cap. *Cum venisset* 1, *De sacr. unction.*

IV. Episcopus proprius non potest pro sacramento confirmationis administrando procurationem recipere. (Sacr. congr. Episc. 16 Junii 1636 et Taxa Innocentiana.)

V. Graviter peccat episcopus, confirmationem ministrare negligens per *longum* tempus; peccat etiam episcopus confirmationem ministrans absque sacris vestibus et cæremoniis in Pontificali præscriptis; non est necesse ut episcopus et confirmandus sint jejuni. Videtur illicitum confirmare extra ecclesiam, non tamen sub gravi ex sententia communius recepta; et dubium non est quin possit licite episcopus confirmare in suo oratorio domestico. (S. Ligorius, lib. VI, n. 174 et 184.)

§ III. — De SS. Eucharistiæ sacramento.

I. Eucharistia nunc omnino asservanda est in qualibet parochiali, quantumvis paupere; quod si redditus, et societas non sufficiat, instituatur quæstor, vel eleemosynarum collector. (S. congr. Concil. 22 Mart. 1594; et sacr. congr. Episc. 14 Maii 1614.) Extra parochiales ecclesias non conceditur retineri assidue Eucharistia: sacr. congr. Episc. 15 Januar. 1610, et sacr. congr. Concil., quæ refert Genuens. in praxi, cap. 110, cum ab ipsa peteretur:

Primo. An episcopus possit concedere ecclesiæ non parochiali, ut in ea retineatur sanctissimum sacramentum Eucharistiæ solum pro adoratione, vel requiratur auctoritas papæ?

Secundo. Præsupposito quod episcopus concesserit licentiam asservandi sanctissimum in ecclesia non parochiali pro adoratione, an possit episcopus successor dictam licentiam revocare?

Respondit *ad primum:* Id non posse concedi ab ordinario, sed requiri licentiam sedis apostolicæ.

Respondit ad secundum: Hujusmodi licentiam fuisse nullam, et propterea ei non esse deferendum, nec esse necessariam revocationem.

Ecclesiæ vero seu oratoria extra claustra et et septa regularium, monialium, hospitalium, collegiorum in quibus sunt convictores, seminariorum, æquiparantur parochialibus, et in iis oratoriis retineri posse certum est sacram Eucharistiam absque indulto pontificio. (Cardinalis Petra, tom. III, ad *Constit.* Urbani IV, sect. unica, n. 15.) Et concluditur ex decisionibus sacr. congr. apud Ferraris. verb. *Oratorium*, n. 93, et aliis infra citandis, n. 2, quæ supponunt asservationem SS. Sacramenti; et pluries decisum a sacr. congr. Concil. — *Vide* apud S. Ligorium lib. VI, n. 357.)

Eucharistiæ sacramentum in ecclesiis tertiariarum quæ professionem solemnem trium votorum non emittunt, nec in clausura vivunt, nullatenus teneri potest. (S. congr. Episc. et Regul. 20 Decemb. 1626.) Nec etiam in oratoriis regularium grangiarum absque indulto apostolico. (S. congr. Concil. 3 Septemb. 1707.) Nec etiam in oratorio domus episcopalis absque licentia pontificia, quia nec est ecclesia parochialis, nec de oratoriis exceptis. Item, ex consuetudine, et privilegio non decet teneri a laicorum confraternitatibus, sine licentia episcopi. (S. Rit. congr.; sæpius, apud Ferrar. verb. *Eucharistia*, art. 1, n. 48.)

II. SS. Sacramentum nequit publice exponi sine licentia episcopi, et ex causa publica ab eodem probata, nec in regularium, nec in confraternitatum ecclesiis; ut sæpe sæpius respondit sacr. congr. Episcop. et Regul., sacr. congr. Concil., et sacr. congr. Rit. (Apud Ferraris, *ibid.*) Ex causa autem privata, et pro personis particularibus exponi potest absque episcopi licentia, dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur, et velatum remaneat, ita ut ipsa hostia videri non possit, aut sic exponatur in ostiolo tabernaculi, aut in pyxide velata, et semper cum luminibus et assistentia. (Sacr. congregationes Concil. 17 Aug. 1630; Episcop., 7 Septembr. 1678; Rituum, 26 Febr. 1628, 22 Januar. 1701.)

III. « Eucharistia ad infirmos, ubi vis Turcarum prævalet et iniquitas, est deferenda a sacerdote stolam semper habente propriis coopertam vestibus, in sacculo, seu bursa pyxide recondita, per funiculos collo appensa, ac in sinu reposita, ab uno saltem fideli in defectu clerici associato. In aliis vero locis, ubi non tanta adsunt infidelium, seu hæreticorum pericula, *præcipitur*, quod sacerdos indutus superpelliceo, stolaque humero circumsepta, et præcedente uno saltem lumine, hymnos et psalmos submissa

voce recitans, in sacra pyxide, vel in calice mundo velamine cooperto ambabus manibus illud ante pectus tenens, devote deferat. » (Bened. XIV, const. 89 *Demandatam.*) Præterea sacr. congr. Rituum 27 Februar. 1847 declaravit : « Rubricam Ritualis Romani, in administrando Eucharistiam, *esse præceptivam*, proindeque obligatoriam.

Ex his legibus, quæ sunt universales et pro tota Ecclesia catholica, nequit episcopus, sub quocunque prætextu, SS. Eucharistiam secreto et absque superpelliceo et stola infirmis deferendi licentiam concedere. Nec ejusmodi licentia episcopali uti possunt sacerdotes, nisi certiorentur de indulto summi pontificis; quia, ut in minori casu supra a sacr. congr. responsum est, hujusmodi licentia episcopi est nulla.

IV. Parocho, seu sacerdote rheumate laboranti, et SS. sacramentum infirmis deferenti solet indulgeri usus pileoli in itinere, non tamen intra civitatem, vel oppidum, de consensu tamen episcopi. (S. Rit. congr. 6 Mart. 1633 et 10 Januar. 1693.)

Viaticum ob locorum distantiam, difficultatem itinerum, viarum asperitatem, ut a parocho deferri possit equitando, sacra Rit. congr. indulget, juxta tamen arbitrium et prudentiam episcopi. (22 Jan. 1740.)

V. Processiones publicas indicere, dirigere et ordinare spectat ad episcopum privative quoad alios, non obstante quacunque consuetudine, etiam immemoriali; sic sæpius decrevit sacr. Rit. congr Requiritur tamen ad id consilium capituli, non autem consensus, ita ut episcopus solus sine consilio capituli eos indicere et dirigere minime valeat. (S. Rit. congr.) Quamvis processiones solitæ privatæ quæ fiunt a parochis in parochia, et a capitulo in cathedrali, fiant sine licentia episcopi, adhuc tamen si transferantur, exigitur episcopi approbatio, ut, partibus informantibus, fuit decisum a sacr. congr. Rit. sæpius ; nec ipse parochus sine licentia episcopi potest processiones extraordinarias facere. (S. congr. Concil. 13 Juil. 1636; in qua fuit dictum, non sufficere licentiam vicarii foranei.) A fortiori processiones SS. Sacramenti indicere, dirigere, ordinare et permittere ad solum episcopum spectat, qui in his processionibus omnia in Cæremoniali præscripta observari facere debet.

VI. *De Missa.* — Ex decreto generali sacræ congregationis Concilii *De celebratione missarum*, edito de mandato Urbani VIII, 21 Junii 1625, et confirm. ab Innocent. XII, 23 Decemb. 1697; et ex responsis ejusdem congregationis ad dubia super idem decretum, « episcopi et generales non possunt amplius reducere, et moderari missas post concilium Tridentinum receptas ; nec impositas in limine fundationis, quamvis ante concilium. Poterit tamen episcopus onera et missas reducere et moderari, si id sit ei concessum in fundatione beneficii. — Nec etiam possunt episcopi et generales, et a fortiori ipsi beneficiati ex se missas reducere, etiamsi fructus fundi assignati deteriorati fuerint, et evaserint tenuiores sine propria culpa, quia ex eadem sacr. congr. pro talibus reductionibus est absolute omnino sedes apostolica adeunda. Sacra congr. districte prohibet, ne (quicunque) in posterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, sæculares quidem sine episcopi, vel ejus generalis vicarii, regulares vero sine generalis vel provincialis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda; alioquin sæcularis, qui hujus prohibitionis transgressor exstiterit, ab ingressu ecclesiæ interdictus sit eo ipso : regularis vero pœnam privationis omnium officiorum, quæ tunc obtinebit, ac perpetuæ inhabilitatis ad alia de cætero obtinenda, vocisque activæ ac passivæ, absque alia declaratione incurrat. Episcopus vero, seu ejus vicarius, aut generalis vel provincialis... non antea assensum, aut licentiam præbeant, quam eis legitime constiterit, sacerdotes, tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam suscipiendis satisfacere posse.

Singuli rectores, superiores et ministri quarumcunque ecclesiarum, seu illarum capitula... teneantur conficere semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium litteris perspicuis, et intelligibilibus descriptorum ; quorum implemento, si moraliter, et intra præscriptum, sed breve tempus, seu illa duntaxat, et non ulteriora adimplere posse crediderint, seu credere debuerint, alias missas (quascunque) recipere omnino desistant, et ulterius tali casu in eadem tabella similiter exprimant, sese propterea aliis missis acceptandis et celebrandis impares esse. — Idem teneantur pariter in sacrario duos libros retinere, ac in eorum

altero singula onera perpetua et temporalia, in altero autem missas manuales, et tam illorum, quam istarum adimplementum, et eleemosynas distincte ac diligenter adnotare... singulisque annis (de his omnibus) exactam rationem suis superioribus reddere...

« Meminerint igitur, et satagant ordinarii ut... cuncta et singula decreta hujusmodi omnimodæ exsecutioni demandentur nedum justitiam requirentibus...reddentes, sed ex officio, tum in visitationibus, tum in aliis actibus et modis, quos expedire et convenire toties quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, disseratur, vel omittatur, quod his omnibus et singulis decretis adversetur. » (Huc usque sacr. congr. Concil.)

Ad episcopum spectat eleemosynas seu stipendia pro singulis missis attributa pro regionum opportunitatibus præscribere. (Bened. XIV, const. *Quanta cura.*) Ex eadem constitutione qui alibi aut ab aliis missas, retenta sibi parte eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, celebrari fecerit... laicus, præter alias arbitrio episcopi irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam; clericus pœnam suspensionis ipso facto incurrunt, a quibus nullus per alium, quam per Romanum pontificem, nisi in articulo mortis, absolvi possit.

Indulta, quæ ab apostolica sede fuerunt concessa pro moderandis missarum oneribus non suffragari ad reducenda onera per contractum suscepta, resolvit sacr. congr. Concil. sæpe sæpius apud Ferrar. verb. *Missa*, art. 2. Sed agendum esse coram judice ordinario, ut cognoscat num contractus ob læsionem et injustitiam sit rescindendus, vel ad æquitatem reducendus, pluries respondit sacr. congr. Concil. apud eumdem, *ibid.*

VII. *De loco celebrandi.* — Missa de jure communi et ordinarie, non potest licite celebrari, nisi in ecclesiis, vel locis consecratis, aut saltem legitima auctoritate benedictis, ex Clement. 1, epist. 3, et cap. 2 *De consecr.*, dist. 1; et can. *Sicut* 11, *De consecrat.*, dist. 1; et ex Trident., sess. 22, in decret. *De observandis in celebratione miss.*, ubi prohibetur episcopis ne patiantur privatis in domibus atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus quibuscunque peragi.

Dicitur notanter *de jure communi et ordinarie*, quia in casu quo magna urget necessitas, posset a quolibet sacerdote celebrari missa in locis non consecratis, nec benedictis, ut tenent communiter doctores, et clare ostendunt mox citati canones (*De consecr.*, dist. 1, cap. 2), per illa verba : *Absque magna necessitate fieri debere :* et cap. 11 : *Nisi summa coegerit necessitas.*

Necessitas autem celebrandi extra loca consecrata seu benedicta, ut sub dio, vel in privatis domibus, aut in altari portatili et loco cæteroquin honesto, esset tempore pestis, belli, persecutionum, et ubi sine periculo mortis, aut alterius gravis mali in sacratis et benedictis locis celebrari nequit. Ita etiam si ecclesiæ essent dirutæ, vel ab infidelibus, sive hæreticis impeditæ. (C. 30 *Concedimus*, *De consecr.*, dist. 1.) Similiter in maximo concursu populi, quem sacer locus capere non potest, in bello pro exercitu, in longa peregrinatione per loca infidelium. In his enim et similibus necessariis casibus, de communi doctorum etiam absque licentia episcopi, si absens sit, et difficulter adiri possit, ipso jure potest quilibet sacerdos licite celebrare. Ita, verb. *Missa*, art. 4, n. 3, Ferraris, quem, in nota, sic corrigit Romanus theologus :

« Concursus populi causa sufficiens non est, ut extra sacrum locum sacerdos celebrare possit sine dispensatione superioris ecclesiastici, qui a lege ecclesiastica, quo sacrum in loco sacro fieri jubet, sacerdotem absolvat. Hoc enim in casu pars illa populi, quæ ingredi locum sacrum non posset, vel extra ecclesiam consistere animo satisfaciendi præcepto de missa audienda deberet, vel si id facere non posset, non teneretur audire missam. »

S. Alph. De Ligorio (lib. vi, tract. iii, dub. 4, n. 356) autem sententiam Lucii Ferraris sic confirmat : « In decenti loco et altari portatili (quod semper sub mortali requiritur) cum licentia episcopi, si adsit, vel sine ea, si absit, licet sequentibus casibus celebrare... I) Si ecclesiæ dirutæ sint...; II) Si populum in solemni festo templum non capit. » (Lugo, disp. 20, n. 48, 1, 2 ; Bened. XIV, *De miss.*, lib. iii, c. 6 ; Salm., *ibid.*, n. 53, cum Pal., Laym., Vasq., *Dic. Con.*, Suar.)

« Nec, pergit Ferraris ubi supra, potest censeri quod concilium Tridentinum voluerit prohibere celebrationem extra loca sacra et benedicta, in his casibus magnæ necessitatis, quoniam, ut subjungitur in cap. 11 *Sicut, De consecr.*, dist. 1, necessitas legem non habet. Et quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum.» (C. *Quod non, De regul. jur.* 4. Et sic tenent communiter doctores apud S. Alph. De Ligorio, *ibid.*)

In ordinariis vero et quotidianis circumstantiis, sancta Tridentina synodus, decretō supracitato, episcopis facultatem adimit, qua olim erant præditi, concedendi suis diœcesanis oratorium in domo privatum, ubi missa celebrari posset, juxta ea quæ per encyclicas litteras episcopis significavit sacr. congr. sacrosancti illius concilii interpres anno 1615, jussu Pauli V, ut videre est apud Passerinum, *De statibus hominum*, tom. III, quæst. 189, n. 979.

« Tametsi sacra Cardinalium congregatio concilii Tridentini interpretum, optimis rationibus innixa, sæpissime responderit, celebrandi licentias in privatis oratoriis nonnisi a sede apostolica esse concedendas, etc, illustrissimi Patres, etc., sanctissimi domini nostri jussu signandum duxerunt, facultatem hujusmodi licentias dandi ipsius concilii decreto unicuique ademptam esse, soliquo beatissimo Romano pontifici esse reservatam. » (Bened. XIV, *De sacrif. miss.*; S. Alph. De Ligorio, lib. VI, n. 356 et seqq.; Ferrar., verb. *Missa*, art. 4, n. 10 et nota.)

Episcopi igitur nequeunt concedere licentiam perpetuo in oratoriis privatis præsertim laicorum celebrandi per modum habitus. At communiter sentiunt doctores minime esse eis vetitum hujusmodi concedere licentiam per modum actus pro aliquo tempore, si justa adsit causa. (Ita Suarez loc. cit., verb. *Secundo*, in fine, et alii, apud S. Alph. De Ligorio, l. VI, tract. III, cap. 3, n. 359.) — Sed contra sanctum Ligorium tenent Fagnanus, cap. *In his, De privilegiis*, n. 13; Ferraris, verb. *Oratorium*, n. 27 et 28, decisum fuisse a sacra congregatione Concilii pluries non posse omnino episcopos concedere licentiam celebrandi in oratoriis privatis, nequidem ut infirmus pro viatico communicetur.

Concilii Tridentini decreto non fuit vetitum episcopis dare licentiam etiam perpetuo celebrandi : 1° in oratorio benedicto et designato ad usus sacros, in quo est janua habens ingressum per viam publicam, etsi sit janua privata affixa domui alicujus sæcularis; illud etiam non dicitur privatum, sed publicum oratorium, ut recte dicunt Viva, quæst. 5 ad 6; et Croix, lib. VI, part. II, n. 265; cum Aversa, Quarti, Naldo, Homob. et Dian., qui addit cum Pasq. posse in tali oratorio nihilominus celebrari januis clausis : non enim præcipitur, ut publice celebretur, sed in publico oratorio. 2° Neque in oratoriis erectis in domibus regularium, vel alterius communitatis. (Communis) Hinc Fagnanus in c. *In his, De privileg.*, n. 23, refert sacram congregationem pluries declarasse, hujusmodi oratoria carcerum, confraternitatum, hospitalium et communitatum non comprehendi in prohibitione concilii, quia hæc sunt oratoria fixe ad divinum cultum dedicata. Et propterea in hujusmodi oratoriis quicunque audientes missam satisfaciunt et a quocunque sacerdote possunt utique missæ celebrari, ac omni die etiam ex solemnioribus, ex declaratione sacræ congr. Rit. 2 Septembris 1661 (apud Merati in Ind., n. 392); ubi sic dictum fuit : « Missæ sacrificium potest peragi in publico oratorio de licentia episcopi constructo in diebus solemnioribus anni, dummodo habeat omnia requisita ad ecclesiam vel ad publicum oratorium constituendum. » Neque 3° in oratoriis erectis in palatiis episcoporum in quibus omnes possunt celebrare, et præcepto missæ satisfacere, ut declaravit sacr. congr. Concil. 22 Septemb. 1640. (S. Alph. De Ligorio, lib. VI, tract. III, cap. 3, n. 357.)

Episcopus pro ovibus suis sacrificium applicare tenetur. (*Trident.*, sess. 23, *De reform.*) Et quidem frequenter, ex Monacel., tit. XVI, form. 2, n. 21 ad 25.)

§ IV. — De sacramento Pœnitentiæ.

I. Episcopus est proprius sacerdos totius suæ diœcesis; ideoque potest ab omnibus peccatis et censuris, præter casus summo pontifici reservatos, jurisdictione ordinaria omnes suos subditos absolvere.

II. Ad episcopum pertinet omnes confessarios approbare in sua diœcesi, pro suis subditis et confessariis sæcularibus jurisdictionem dare.

III. Potestas reservandi peccata et casus residet in summo pontifice respectu totius Ecclesiæ. (Communis et certa.) Item in epi-

scopis respectu suarum diœcesum, pro quibus veniunt omnes prælati habentes proprium independens territorium et jurisdictionem quasi episcopalem. (Communis et certa.) Sicque definitum est in concil. Trident., sess. 14, canon. 11, ibi : *Si quis dixerit, episcopum non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam : atque ideo casuum reservationem non prohibere quominus sacerdos a reservatis vere absolvat, anathema sit.* Unde episcopus potest sibi reservare peccata et censuras ; sed ea potestate parce uti debet. Sacr. congr. Episcop. in sua epistola sub Clemente VIII, apud Barbosam, *De officio et potest. episcop.* part. III, allegat. 50, n. 188, monet ordinarios ut non sibi reservent quæ jam apostolica sedes sibi reservavit ; ut ad quam paucissimos, eosque maxime necessarios redigantur casus episcopales, unde salutaris ille sequatur effectus, cujus causa hæc reservandi atrociores quosdam casus episcopis in sua cuique diœcesi tributa est auctoritas.

Præcipue vero hæc monenda censet sacr. congr. ut videant ipsi ordinarii, ne illos casus promiscue reservent, quibus annexa est excommunicatio major a jure imposita, cujus absolutio nemini a jure reservata sit, nisi forte propter frequentiam, scandalum, aut aliam necessariam causam aliqui hujusmodi casus reservandi viderentur ; neque casus, in quibus absolutio, nisi cum restitutione, vel exsecutione eorum, ad quæ pœnitentes tenentur, non confertur ; neque illos, qui etiamsi mortale peccatum inducant, circa res tamen parvi momenti versantur et frequenter inter idiotas evenire solent, uti damni dati et similium. In peccatis etiam carnalibus multa utantur circumspectione propter periculum scandalorum, in iis maxime personis, in quas ob accessum ad confessarios extraordinarios, vel frequentem reditum ad ordinarios suspicionis aliquid capi possit. Postremo eam potissimum ineant ac sequantur rationem, quæ, consideratis diligenter cujusque provinciæ ac populorum moribus, natura ac propensione, magis in Domino expedire videbitur.

Parochos, qui ordinaria jurisdictione pro confessionibus audiendis potiuntur, nec regulares per examen generaliter approbatos ab ipso episcopo, suspendere ab audiendis confessionibus absque legitima causa nequit episcopus.

Nec vicarius generalis, nec parochus indigent approbatione episcopi ad audiendas confessiones. Presbyteri vero qui nec parochi, nec vicarii generales sunt, nec regulares, indigent approbatione episcopi, ut confessiones licite ac valide audire et etiam a venialibus valide absolvere possint. (C. 15, sess. 23, *Trident.*, et *Decret.* Innocentii XI *Cum ad aures*, 12 Febr. 1679 ; apud Ferrar. verb. *Approbatio.*) Approbatio requisita, est approbatio ordinarii loci, in quo audiuntur confessiones. (*Ibia.*, art. 1, n. 39 ; et S. Ligor., lib. VI, n. 548 ; et const. *Cum sicut* Urbani VIII, Septemb. 1628.) — Approbatio concedi potest, tum ab episcopo, tum ab ejus vicario generali, tum a vicario capitulari, sede vacante ; approbatio generaliter data, et approbatio ad beneplacitum, non exspirant per mortem aut amotionem concedentis ; approbatio ad beneplacitum quandocunque revocari potest : item reduci potest ad tempus limitatum ; quo tempore limitato elapso, cessat absque alia revocatione. Approbatio ad tempus limitatum, ante elapsum illud tempus, et approbatio absque ulla limitatione concessa, revocari nequeunt sine justa causa. Sic approbatus iterum examinari potest a successore episcopo ; et, si minus idoneus repertus fuerit, ab audiendis confessionibus amoveri. (*Vide* hæc omnia probata apud Ferraris, verb. *Approbatio.*) Ex justa causa, id est, si adsit vehemens suspicio imperitiæ, potest simpliciter approbatus, ab eodem episcopo qui approbavit, iterum examinari ; et si minus idoneus repertus fuerit, a confessionibus amoveri. (S. Ligor., lib. VI, n. 552 ; Bened. XIV, *De synod. diœc.*, lib. XIII, c. 9, n. 21.) Liberum est episcopo, sæcularibus sacerdotibus, quantumvis idoneis repertis, approbationem non dare nisi limitatam. *Si de sæcularibus presbyteris agitur*, inquit Benedictus XIV, *id nunquam in dubium revocatum fuit.* (*Instit.* 86, n. 4.)

De ordinibus conferendis, vide sup. c. VIII, *Episcopus quoad clericos*, et p. 645, IV.

De matrimonio, vide supra c. XIII, § VI, p. 710, *Episcopus quoad dispensationes.*

CAPUT XVII.

Episcopus quoad verbi divini prædicationem, et prædicatores.

I. Prædicare tenentur episcopi, et hoc est præcipuum eorum munus, ac per se vel per alios in casu legitimi impedimenti id facere

debent. *Concil. Trident.*, sess. 5, cap. 2, *De reform.*, ibi : *Quia vero Christianæ reipublicæ non minus necessaria est prædicatio Evangelii, quam lectio, et hoc est præcipuum episcoporum munus, statuit et decrevit eadem sancta synodus, omnes episcopos, archiepiscopos, primates et omnes alios Ecclesiarum prælatos teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad prædicandum Jesu Christi Evangelium ; si vero contigerit episcopos, et alios prædictos legitimo detineri impedimento, juxta formam concilii, viros idoneos assumere teneantur ad hujusmodi prædicationis officium salubriter exsequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtæ subjaceat ultioni.* «Credendumne est, ait Monacelli, quod verba illa, quæ proferuntur ab Ecclesia in consecratione episcoporum, nempe : *Accipe Evangelium, et vade, prædica populo tibi commisso*, dicta sint perfunctorie et jocose ? et alia Christi Domini : *Ite in universum mundum et prædicate Evangelium omni creaturæ*, apostolis dicta (*Marc.* XVI, 15), quorum loco episcopi constituti sunt, quod otiosa sint ? Certe quod non : nam doctores mox citandi communiter tenent, obligationem hanc vigere. » Et citat multos doctores qui confirmant propositionem, quod cessante justo impedimento, teneantur episcopi per se ipsos ex præcepto divino prædicare, neque eos per substitutos satisfacere, quia censeatur electa industria personæ, non obstante contraria consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda est, quia est contra præceptum divinum. (Ita communis apud MONACEL., t. I, *formul.*, Appendix adnotat. ad const. *Superna* CLEM. X.) Unde (*ibid.*) affirmant doctores quod episcopus legitime non impeditus, contraveniens præcepto Tridentino prædicandi per seipsum, peccet mortaliter. Alii tamen tenent quod episcopi regulariter, *juxta consuetudinem*, non teneantur per se prædicare et sacramenta ministrare, sed invigilare ut per alios id præstent. (S. LIGOR., lib. III, n. 269, et lib. IV, n. 127.)

M. « Prædicandum est per annum saltem omnibus Dominicis et solemnibus diebus festis ; tempore autem jejuniorum Quadragesimæ, Adventus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint episcopi. » (Sic expresse concil. Trident. sess. 24, *De reform.*, c. 4.)

— « Poterit (tamen) episcopus, qui tantum lege (quæ mitius agit) arctatur ad concionandum omnibus diebus Dominicis, et festis solemnibus, ex dicta honesta causa per sex, vel octo dominicas infra annum a concione inculpabiliter vacare. Attamen si pro majori parte anni adimpleverit, erit immunis a culpa. » (MONACEL. *ibid.*, n. 27.)

III. Episcopus potest prædicare in quacunque ecclesia, etiam regulari, suæ diœcesis, nec ab ullo potest impediri et prohiberi. (S. congr. Episc. et Regul. 17 Januar. 1583.) Non potest tamen prædicare extra suam diœcesim sine licentia ordinarii loci. (Ead. sacr. congr. 12 Decembr. 1614.) Episcopo prædicanti per seipsum in sua ecclesia cum ex proprio munere ad id teneatur, minime licet, etiam ex prætextu paupertatis, prætendere sibi præstari eleemosynam solitam dari prædicatoribus electis ab universitate. (S. congr. Episc. 20 Martii 1621.) Quando ipsemet episcopus prædicat, silere debent alii prædicatores, illisque poterit præcipere ut eo tempore a prædicatione se abstineant. (Sic de mandato Urbani VIII statuit sacr. congr. Concil. *in Bisuntina* 2 Maii 1620.)

IV. Approbare prædicatores spectat ad episcopum, licet electio spectaret ad alios. (S. congr. Episc. 8 April. 1603.) Ordinarius debet eligere prædicatores nisi in contrarium sit consuetudo ab immemorabili tempore. (S. congr. Concil. apud BARBOS. *De off. et potest. episc.*, part. III, alleg. 76, n. 5.) Electio autem et deputatio prædicatoris in sua cathedrali spectat ad solum episcopum, nulla habita ratione consuetudinis etiam immemorabilis, quæ competeret capitulo, seu episcopo cum capitulo, vel de consilio capituli. (S. congr. Concil. 3 Augusti 1626.) Absque licentia episcopi prædicatores non possunt tempore Quadragesimæ et Adventus, aliisque temporibus commendare in pulpito pauperes et miserabiles personas. (S. congr. episc. 20 Julii 1619.) Episcopus examinare potest prædicatores etiam regulares prædicare volentes in ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt. (S. congr. Concil. 22 Januar. 1628 ; CLEMENS X, constit. *Superna*.) In locis diœcesis distantibus, et difficilis itineris, debet episcopus deputare aliquem vicarium foraneum qui det approbationem et benedictionem, etiam regularibus. (S. congr. Episc. 10 Septembr. 1583 ; et sacr. congr. Concil. 10 Maii 1635.)

Prædicatores instituí non debent, nisi

sint ætatis 30 annorum, sintque graves, maturi et docti. (*Concil. Ravennatense* II, sub Clemente V; cap. 13, extravag. *De privileg.*, cap. 35 *Inter cunctas.*) — Prædicatores tenentur prædicare sacram Scripturam receptam a sancta Ecclesia et a doctoribus Ecclesiæ probatis, sub pœna excommunicationis papæ reservatæ. (*Concil. Lateran.* V, sess. 11, const. 1.) Prædicatores deviantes a communi sensu Patrum in exponendis sacris Scripturis sunt ab ordinario corripiendi et a ministerio abjiciendi. (*Conc. Mogunt.* IV, c. 50.) Prædicatores prohibentur obloqui de magistratu vel de episcopo coram populo. (CLEM. I, *De privileg.*) Unde in id delinquentes possunt ab eodem ordinario puniri. (S. congr. Concil. 21 Mart. 1643.)

Prædicatores non possunt redarguere aliquem expresso nomine in actu prædicandi, sub pœna excommunicationis papæ reservatæ. (*Concil. Lateran.* V, sess. 11, const. 5.) Contra prædicantes scandala, aut errores in qualibet ecclesia potest procedere episcopus prout de jure. (*Concil. Trident.* sess. 5, *De reform.*, c. 2.) Prædicatores non debent proponere quæstiones difficiles populo rudi. (*Concil. Trident.* sess. 24, *De reform.*, c. 4.) Prædicari non potest determinatum tempus futurorum, ut Antichristi vel judicii; neque vanæ revelationes de his vel illis, nec novæ inspirationes vel revelationes, nisi a papa vel loci episcopo sint examinatæ, sub pœna excommunicationis papæ reservatæ. (*Concil. Lateran.* V, sess. 11, const. 1.) Prædicari non possunt miracula nova, nisi per episcopum sint approbata. (*Concil. Trident.* sess. 25, dec. *De invocat. sanctor.*) Prædicari et imprimi non possunt sine sedis apostolicæ licentia miracula, gratiæ, beneficia, etc., quæ præsumuntur accepta a Deo ad intercessionem alicujus mortui cum opinione sanctitatis, nisi fuerit canonizatus vel beatificatus, sub pœnis clericis sæcularibus privationis officiorum, suspensionis a divinis et administrationis sacramentorum; regularibus vero omnium officiorum, necnon vocis activæ et passivæ. (URBAN. VIII, const. 37 *Superna.*)

Si parochus vel canonicus theologus, qui vi propriorum munerum prædicare possunt et tenentur, impediti sint prædicare per seipsum, nequeunt alium substituere sine approbatione episcopi. Quod si vel unus, vel alter negligat prædicare, potest episcopus alium substituere impensis negligentis; secus vero si prædicare velit. (FERRAR., verb. *Prædicator*, Addit. ex aliena manu, n. 129.)

Parochi prohibentur in suis ecclesiis admittere concionatores ab ordinario non approbatos, etiamsi prædicare vellet aliquis episcopus. Possunt tamen parochi dare licentiam alicui viro docto et noto, etiam regulari, ut bis vel ter concionetur in suis ecclesiis sine episcopi approbatione. Et a fortiori possunt, imo debent parochi concedere approbatis ab ordinario licentiam prædicandi in suis parochiis. (FERRAR., verb. *Prædicator*, n. 30 ad 32.) Ut facultas prædicandi non sit concedenda, nisi saltem constitutis in ordine diaconatus, fuit expresse ordinatum in edicto de mandato Clementis XI publicato, 20 Januar. 1705.

Fidei professionem emittere debent concionatores saltem semel. (*Concil. prov. Mediolan.* V, tit. *De profess. fidei.*) Sacr. congr. Concil. tamen declaravit regulares prædicare volentes emittere non teneri professionem fidei, nisi ab episcopo exigatur, ut refert Nicolius. (*Lucubrat. canon.* lib. I, tit. I, n. 6.) Tenetur episcopus de proprio expensas et eleemosynas prædicatori subministrare, nisi aliter sit de consuetudine, ex qua, verbi gratia, aut communitas aut capitulum solveret. (Ex declarat. sacr. congr. Concil. et Episcop. apud FERRAR., verb. *Prædicator.*)

Concionaturi coram episcopo, ab ipso ante concionem benedictionem petant. Sed « ob supremum ordinem, et dignitatem episcopalem non convenire, ut episcopus concionaturus ab ordinario etiam cardinali ante concionem benedictionem petat, » responsum fuit a S. R. C. 28 April. 1607 *Neapol.*

CAPUT XVIII.

Episcopus quoad coadjutorem, administratorem, renuntiationem, translationem et depositionem.

§ I. — De coadjutore.

I. « Episcopo, qui propter morbum incurabilem pastorale officium exercere non potest, dandus est coadjutor. » (*Decret.* lib. III, tit. VI, *De cleric. ægrot.* cap. 5, *ex parte.*) Datio coadjutorum episcoporum et suorum superiorum est de majoribus causis, et spectat ad solum papam; « verum ne hoc prætextu ecclesiæ (exsistentes præcipue in remotis) dispendia patiantur: nos earum in hac parte indemnitatibus præcavere volentes, hac generali constitutione sancimus, ut episcopus, senio aut valetudine corporali

gravatus, vel etiam alias adeo impeditus perpetuo, ut officium suum nequeat exercere, possit de sui consilio et assensu capituli, vel majoris partis ipsius, unum vel duos auctoritate apostolica coadjutores assumere, ad dictum officium exsequendum. Si vero episcopus demens fuerit, et quid velit aut nolit exprimere nesciat, vel non possit, tunc ejus capitulum vel duæ ipsius partes eadem auctoritate unum aut duos coadjutores assumat idoneos, qui ejus officium exsequantur. Si autem episcopus senio aut incurabili morbo gravatus, vel perpetuo detentus, ad sui exsecutionem officii reddatur inutilis: et coadjutorem assumere vel habere noluerit, licet a capitulo requisitus proprio, se illius non indigere suffragio forsitan asserendo: tunc nil per capitulum innovetur, sed hoc casu et etiam proximo, idem capitulum episcopi et Ecclesiæ suæ conditionem et statum, ac facti circumstantias universas, quam cito poterit, fideliter et explicite referat ad notitiam dictæ sedis, recepturi humiliter et efficaciter impleturi, quod super hac per sedem ipsam contigerit ordinari. » (*Sexti Decret.* lib. III, tit. V, cap. unic. *Pastoralis;* Bonifac. VIII, an. 1298.) — Ex c. *Quoniam in plerisque* 14, lib I *Decret.*, tit. XXXI, in diœcesi ubi sunt populi diversarum linguarum, rituum et morum, tenentur episcopi episcopum titularem seu nullatenentem assumere vicarium, non tantum in pontificalibus, sed et pro reliqua jurisdictione exercenda. (Leuarnius, *De vicariis episc.* cap. 1, quæst. 55.) Si episcopus competenti scientia theologiæ et juris careat, tenetur habere coadjutorem, aut amoveri penitus debet. (C. *Quamvis* 15, lib. I *Decret.* tit. XIV.)

Causæ igitur quæ obligant episcopum aut saltem ipsimet permittunt sibi coadjutorem assumere, præcipuæ a jure determinatæ sunt: 1. Morbus incurabilis. 2. Si episcopus sit senex; porro quæ ætas requiratur ut senio quis affectus in ordine ad effectum istum censeri debeat, non conveniunt doctores. Aliqui requirunt ut sit 70 annis major; alii putant ætatem 60 annorum sufficere. Alii melius cum Possevin. in cap. unic. cit. tit. XV, in 6, lib. III, dicunt senium considerandum esse secundum episcopi complexionem, cum alii citius, alii tardius senescant. (Schmalz. part. I, tit. VI, n. 18.) 3. Si episcopus valetudine corporali perpetua sit gravatus. 4. Si alias impeditus sit perpetuo. 5. Si demens fuerit. 6. Si in diœcesi sint populi diversarum linguarum, rituum et morum. 7. Si episcopus competenti scientia careat. 8. Si sit perpetuo detentus. 9. Si ad sui exsecutionem officii reddatur inutilis; ut si mutilatus fuerit, etc. 10. Aucta populi numerositas, ita ut ecclesiæ providendo non sufficiat solus. 11. Si sit negligens, et remissus in officio suo; si suspectus de dilapidatione bonorum Ecclesiæ; si alias inhabilis, ut non possit muneri sibi injuncto incumbere.

In his omnibus casibus, ex cap. *Pastoralis* supra, tenetur capitulum requirere episcopum ut sibi coadjutorem assumat; et si requisitus noluerit episcopus, ad sedem apostolicam recurrere tenetur capitulum.

II. Coadjutorem episcopis solus potest dare summus pontifex. (C. *Pastoralis* in 6, tit. V, lib. III supra, et *Trident.* sess. 25, *De reform.*, cap. 7.) Episcopus, ad coadjutorem assumendum aut recipiendum cogi potest a summo pontifice, si v. gr. notabiliter sit negligens in suo officio, aut si præcedentibus causis exsistentibus, nihilominus de coadjutore sibi evidenter necessario non provideat

III. Coadjutor debet habere omnes qualitates de jure requisitas ad illud officium, pro quo datur. (Sic expresse statuit *Concil. Trident.* sess. 25, c. 7, *De reform.*) Unde debet esse constitutus in illa ætate quæ requiritur ad obtinendam Ecclesiam, habere scientiam et prudentiam, qua sciat populum regere, diœcesim gubernare, animarumque sibi commissarum saluti prospicere, et inquietos sub disciplinæ vinculo constringere. (C. *Quamvis sit triste* 14, c. *Petiisti* 17, c. *Quia frater* 18, causa 1; c. *Ex parte* 5, *De cleric. ægrot.*) Et coadjutor datus episcopo universaliter, quoad spiritualia, debet esse episcopus consecratus, aliter non posset exercere pontificalia, sed solummodo jurisdictionem episcopalem. (Arg. c. *Aqua, De consecr. eccles.*)

IV. Coadjutoria est duplex: una temporalis, et revocabilis, seu data sine jure succedendi in Ecclesia, seu beneficio, per quam prælato, seu rectori ecclesiæ, aut alii beneficiato propter infirmitatem, aliamve causam impedito ab exercitio sui muneris datur coadjutor quandiu is vivit. (Cap. *Ex parte sua*, et cap. *In consultationibus* 6, *De cleric. ægrot.*) Alia est perpetua, et irrevocabili-

seu data cum jure succedendi in ecclesia seu beneficio, per quam coadjutori jus tribuitur mortuo coadjuto in ejus ecclesiam, seu beneficium succedendi. Cum talis coadjutoria sit sacris canonibus inimica et odiosa (c. *Accepimus* 5, *De pactis*; cap. *Nulla* 2, *De concessione præbend.*; cap. *Detestanda* 2; cap. *Ne captandæ* 3, *De concess. præb.* in 6), et expresse prohibita a *Concil. Trident. sess.* 25, *De reform.* c. 7,) coadjutoria perpetua concedi non potest nisi per papam, cum ipse solus secundum plenitudinem potestatis de jure possit supra jus dispensare. (C. *Proposuit* 4, *De concess. præb.*)

Coadjutor fere coincidit cum suffraganeo, qui solet deputari pro ecclesiis cardinalium, et pro aliis, quæ consueverunt suffraganeum habere; et ideo coadjutoria, et suffraganeatus sine successione, et solum temporales exspirant per obitum episcopi, quia non est quem coadjuvent, aut cui suffragentur. (Communis cum Rota, part. 1, recent. dec. 456, n. 5.)

V. Coadjutore sive temporali, sive perpetuo concesso, is ea solum obire potest ad quæ inhabilis est episcopus. Quapropter iis negotiis non debet ultro se immiscere, quæ episcopus vult per se tractare et expedire. (Argum. ex cap. 18, causa 7, quæst. 1.) Si vero episcopus exsistat ad omnia inhabilis, uti qui non est sui compos, aut detentus, coadjutor omnia potest agere quæ ad episcopum alioquin pertinerent. (Argum. c. 42, *De elect.* in 6, et de mente sacr. congr. Fagnan. in cap. *Ex parte* 5, *De cleric. ægrot.* n. 24.)

De his, quæ concernunt coadjutorem perpetuum datum archiepiscopo, vel episcopo, habetur specialis declaratio sacr. congr. Rituum data 31 Januar. 1561. — *Ad primum dubium* censuit coadjutori cum futura successione non licere ingredi civitatem pontificaliter. — *Ad secundum*, ipsum non debere uti cruce archiepiscopali in divinis, nec in functionibus pontificiis, nec dum incedit per urbem, cum crux sit signum dignitatis et jurisdictionis, et coadjutor utroque careat. — *Ad tertium*, coadjutorem pontificalia in ecclesia exercentem, absente archiepiscopo, uti posse cappa, cum ea sit tantum ornamentum dignitatis episcopalis; præsente autem archiepiscopo uti debere mantelletta et rochetto, neque licere unquam coadjutori uti mozetta, et rochetto, etiam absente archiepiscopo, cum hoc proprium sit ejus penes quem est dignitas, et jurisdictio. — *Ad quartum*, non potest sedere sub baldachino episcopi. — *Ad quintum*, canonicos esse compellendos, ut coadjutori episcopo solemniter celebranti, et pontificalia exercenti semper assistant; canonicos tamen non debere accedere ad circulos; ut coadjutor episcopi confessionem faciat cum sacerdote canonico celebrante ut idem quoque benedicat in fine missæ. — *Ad sextum*, licere coadjutori, de licentia tamen archiepiscopi, benedicere populo, dum per civitatem incedit. — *Ad septimum*, maxime decere, ut canonici prodeant obviam coadjutori episcopo ad ecclesiam pontificaliter accedenti ad ostium ecclesiæ, eumque discedentem ad idem ostium deducant; imo esset valde commendandum, si nonnulli canonici officii et urbanitatis gratia ad ipsius coadjutoris ædes accederent. — *Ad octavum*, coadjutorem non habere facultatem largiendi indulgentias, et sic eas archiepiscopi nomine, si quas archiepiscopus concedere voluerit, esse publicandas.

Ad dignoscendum potestatem, prærogativas et obligationes coadjutorum episcopis datorum, attendendus est tenor litterarum pontificiarum, quibus coadjutor deputatus est; quoad cætera, quæ in pontificiis litteris non exprimuntur, ac etiam ad solvenda dubia, quibus obnoxius foret earum litterarum textus, recurrendum est ad dispositionem juris communis circa hanc materiam, necnon ad resolutiones sacrarum congregationum, et ad communem doctorum sententiam. (*Vide* Leurenium, *De coadjutoriis*, quæst. 397, etc.; Schmalz. ad tit. *De cleric. ægrot.*, n. 26; Fagnan. cap. *Ex parte*, *De cleric. ægrot.*, n. 17 et seq.; Ferrar., verb. *Coadjutor*, et Bouix, *De episcopo*.) Aliquid hic tantum indicabimus.

VI. Coadjutor episcopi non sedet celebrans nisi in faldistorio, neque habet diaconos assistentes, neque canonicos paratos, neque septimum candelabrum (S. congr. Rit. 1 Septembr. 1607), nec utitur baculo, nisi in ordinationibus et aliis actibus necessariis. (Ead. congr. eod. die et anno.) Ipse tamen celebrans præter diaconum et subdiaconum debet habere assistentem canonicum pro libro. (S. congr. Rit. 7 Aug. 1627.) Non tenetur visitare limina apostolorum, sed coadjutus. (S. congr. Concil. 4 Aug.

1669.) Tenetur residere, neque discedere potest absque consensu coadjuti, vel licentia sacr. congr. Et tenetur quoties fuerit requisitus pontificalia et alias functiones obire, quamvis coadjutus propria impedimenta non probet. (S. congr. Episc. 28 Maii 1628.) Non potest dictus coadjutor præsente coadjuto benedictionem pontificalem impertiri; non est tamen cogendus in hoc casu missas aut vesperas celebrare, sed hoc peragi debet a simplici canonico, vel dignitate; tenetur tamen interesse concioni in cathedrali etiam absente coadjuto in loco decenti et separato, sed non sub baldachino. (Ead. sacr. congr. 28 Maii 1628.) Coadjutor debet, quoties fuerit requisitus, coadjutum in visitatione comitari; expensis tamen coadjuti pro eo, et familia, et absque ulla exactione procurationis ratione ejusdem coadjutoris. Visitans autem ex commissione coadjuti non potest recusare assistentiam vicarii generalis cum facultatibus, quas ei dare coadjuto placuerit. (Ead. congr. Episc. eod. die et anno.) Cum episcopus habens coadjutorem est impeditus, non potest functiones alteri, quam coadjutori delegare. (S. congr. Episc. 25 Septemb. 1623.) Episcopus non potest punire coadjutorem, licet sit canonicus, vel archidiaconus in sua ecclesia, et sic nec ratione beneficii. (S. congr. Concil. 18 Feb. 1623.) Coadjutor separatum tribunal statuere, aut habere non potest, sed in consueto tribunali episcopi jus reddendum est. (S. congr. apud Fagnan. in cap. *Ex parte, De cleric. ægrot.* n. 27.) Episcopus residere tenetur, licet habeat coadjutorem. (S. congr. Episc. 24 Mart. 1597 et 7 Septemb. 1619.)

VII. Episcopus coadjutus debet dare suo coadjutori commoditatem habitationis in palatio episcopali, et omnia necessaria pro exercitio pontificalium, et pro aliis episcopalibus functionibus. (S. congr. Episc. 27 Januar. 1619.) Coadjutor vivere debet, et recipere congruam portionem de proventibus ecclesiæ, seu beneficii, cujus prælato, vel beneficiario datus est. (C. *De rectoribus* 3, *De cleric. ægrot.* Concordat *Trident.* sess. 21, c. 6, *De reform.*) Et si nullomodo id episcopus præstare sufficiat, tunc auctoritate ejusdem episcopi erit cogendus populus ad coadjutori necessaria præbenda. (Argum. c. *Omnis Christianus* 67, *De consecrat.* dist. 1; et *Trident.* sess. 22, c. 4, *De reform.*)

VIII. Administrator diœcesis datus a papa, in omnem diœcesim jurisdictionem habet quam habet episcopus, adeoque conferre beneficia potest, etiam quæ ad liberam episcopi solius collationem spectant, et hoc ob ampliorem prærogativam dantis, ob quam etiam decet ampliori datum potestate fungi. (Schmalz. part. II, tit. X, n. 10.)

§ II. — De renuntiatione episcopi.

I. Renuntiatio episcopi non valet, nisi per papam fuerit admissa. (C. *Inter corporalia* 2, et cap. *Licet in tantum* 4, *De translat. episc.*; Fagnan. in cap. *Cum ex illo* 1, *De translat. episc.* n. 11, et *communis* aliorum.) Translatio, depositio, et cessio episcoporum sunt soli papæ reservatæ, non tam constitutione canonica, quam institutione divina. (Fagnan. c. *Nisi cum pridem, De renuntiat.* n. 23.) Episcopus est Ecclesiæ suæ alligatus vinculo matrimoniali quod dissolvi non potest nisi per papam auctoritate divina. Fagnan. in cap. *Etsi unanimiter*, n. 9, *De postul. prælat.*)

II. Non licet episcopo episcopatui renuntiare propter frugem melioris vitæ (*Ibid.* n. 2.); nec ut transeat ad monachum (n. 5 ad 11); nec pro crimine quantumcunque gravi sine licentia papæ. (N. 20.) Tandiu obligatur ad retinendam curam pastoralem, quandiu possit subditis proficere ad salutem. (*Ibid.* n. 13.)

III. Iisdem de causis ob quas episcopus potest et sæpe debet sibi coadjutorem assumere, potest etiam renuntiare episcopatui cum licentia papæ. Causæ vero a jure determinatæ ob quas episcopus potest renuntiare episcopatui, et papa solet admittere renuntiationem, sunt sex, quæ enumerantur in cap. *Nisi cum pridem* 10, *De renuntiatione.* Prima est *conscientia criminis*, non quidem cujuslibet, sed illius duntaxat, quod post actam pœnitentiam impedit exsecutionem officii. Secunda est *imbecillitas corporis*, per quam quis impotens redditur ad exsequendum officium pastorale. Tertia est *defectus scientiæ* etiam competentis. Quarta est *malitia plebis*, ob quam interdum cogitur prælatus ab ipsius regimine declinare. Quinta est *grave scandalum*, quod aliter sedari non potest. Sexta est *irregularitas personæ.*

Intrusi qui nullum habent titulum, nec quidem putativum et coloratum, tenentur recedere et etiam ante licentiam papæ. Intrusi vero habentes titulum putativum, et

coloratum a legitima auctoritate superioris, cedere non possunt absque licentia papæ. Intrusi, qui ab initio verum et legitimum titulum habuerunt, sed postea titulus redactus est ad non titulum, eo quod commiserit aliquod crimen inducens privationem tituli ipso jure, puta hæresis, si crimen est notorium, seu declaratum per sententiam, cedere possunt absque superioris auctoritate ; sed si crimen sit occultum, et alia lata non sit sententia, non licet absque licentia superioris renuntiare. (Fagnan. in II part. lib. I *Decret. De renunt.*, cap. *Nisi cum pridem*, n. 27 ad 48.)

Episcopatum accipiens regia ordinatione, vel ab antipapa, vel alio schismatico, tenetur renuntiare sine licentia summi pontificis. (*Ibid.*) Idem dicendum est de simoniaco per seipsum, si delictum sit publicum et notorium. (*Ibid.*) Aeris intemperies, persecutio, capitales inimicitiæ possunt esse causæ renuntiationis episcopatui.

IV. Renuntiatio episcopatus potest fieri dupliciter, scilicet renuntiando loco tantum, et renuntiando loco et dignitati simul. (Textu expresso in cap. *Requisivit* 1, *De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit episcopatui.*) Renuntiatio episcopatus renuntiando loco tantum fit quando episcopus ob aeris intemperiem, vel ob persecutionem, etc., episcopatum in manus papæ renuntiat, dimittendo diœcesim duntaxat, titulum tamen episcopalem et auctoritatem retinendo. Renuntiatio autem episcopatus renuntiando loco et dignitati simul fit quando episcopus ob zelum, v. gr. ingrediendæ religionis, vel ut præveniat promeritam depositionem renuntiat, in manus papæ nomen, et omne jus episcopalis administrationis, atque ordinis exsecutionem respectu cujuscunque loci, retinendo solum ea, quæ sunt episcopalis ordinis, seu characteris, quibus nequit renuntiare, et quæ ab Ecclesia ipsa nequeunt auferri, utpote indelebilia. (C. *Quod quidam*, causa 1, quæst. 1 ; c. *Ordinationes*, causa, 9, quæst. 1 ; c. *Licet*, causa 32, quæst. 7 c. *Ostenditur*, dist. 4, *De consecrat.*) Unde episcopus, qui renuntiavit ordini, seu dignitati, potest de licentia papæ exsecutionem reassumere sine nova consecratione. (*Communis.*)

V. Episcopus, qui renuntiavit episcopatui, quoad locum tantum, potest, ab aliquo episcopo rogatus, conferre ordines etiam majores. (Textu expresso c. *Requisivit, De ordin. ab episc. qui renunt.*) Episcopus qui renuntiavit episcopatui quoad locum, et dignitatem simul, potest conferre ordines minores licite de consensu proprii ordinandorum episcopi, sed nequit licite, quamvis valide, ordines sacros conferre. (C. *requisivit* supra cit.) Cum ordinatis a tali episcopo ignoranter ad sacros ordines dispensat episcopus suus, cum ordinatis vero scienter ad sacros ordines episcopus non dispensat. (Eod. cap.)

§ III. — De translatione episcopi.

I. Translatio episcopi de una in aliam ecclesiam sola auctoritate papæ fieri potest. Episcopus propria auctoritate se transferens de sua ecclesia ad aliam, carere debet utraque. (C. *Siquis episcopus* 31, causa 7, quæst. 1, cap. *Quanto*, 3, *De translat. episcopi.*) Et hoc procedit sive episcopus fuerit jam consecratus, sive solummodo electus et confirmatus. (C. *Inter corporalia* 2, cap. *Licet in tantum* 4, *De translat. episc.*) Metropolitanus aut patriarcha, si episcopum sine mandato papæ transferret, a confirmatione episcoporum esset suspensus, textu expresso in cap. *Cum ex illo* 1, *De translat. episcopi.*

II. Causæ justæ transferendi episcopum generatim sunt duæ, scilicet necessitas, et utilitas Ecclesiæ. (C. *Mutationes* 34, c. *Scias, frater* 35, causa 7, quæst. 1, c. *Quanto, De translat. episc.*) Hinc translatio facta in favorem solius translati, et maxime propter ejus ambitionem, aut avaritiam, improbatur expresse a sacris canonibus. (Cap. citat.) Episcopus enim transiens ad aliam ecclesiam sine justa causa dicitur adulterium committere. (C. *Sicut vir.* 11, et cap. *Sicut alterius* 39, causa 7, quæst. 1.)

III. Translatio episcopi regulariter fit a minore ad majorem Ecclesiam. (C. *Cum ex illo* 1, *De transl. episc.*) Dictum fuit notanter *regulariter*, quia ob causas peculiares potest interdum fieri translatio episcopi ab una ad aliam ecclesiam episcopalem, quamvis hæc non sit major altera, imo ab ecclesia archiepiscopali ad episcopalem, et aliquando ob gravem causam ad subveniendum necessariæ sustentationi, etiam ab ecclesia episcopali fit translatio ad parochialem ; ut in c. *Pastoralis* 42, causa 7, quæst. 1 ; et c. *Ad supplicationes* 9, *De renuntiat.*

IV. Episcopus electus, et confirmatus, sed nondum consecratus, non potest transferri invitus ad alium episcopatum. (*Communis*

apud FAGNAN. in c. *Quanto* 3, *De translat.*) Sed satis est quod omnino cedat dignitati, allegando se nolle unquam consecrari in episcopum, ut in c. *Quoniam* 3, dist. 75 ; c. *Quoniam* 1, dist. 100, et c. *Inter corporalia* 2, *De translat.* Episcopus vero consecratus ex rationabili et justa causa, potest a papa transferri invitus de una ad aliam ecclesiam. (C. *Scias, frater*, 35, causa 7, quæst. 1.) Et episcopus nolens consentire translationi per papam factæ, potest quidem auctoritate papali a vinculo prioris ecclesiæ absolvi, idque tum in pœnam suæ obstinationis et inobedientiæ (Arg. c. *Placuit*, dist. 74); tum ob causam communis utilitatis, vel necessitatis. Non tamen potest omnino invitus, et coactus alteri alligari, seu ad aliam transferri. (Ita expresse Glossa in cap. *Episcopus de loco*, causa 7, quæst. 1.) Et ratio est, quia episcopus translatus contrahit novum spirituale conjugium cum ecclesia, ad quam transfertur. Ad validitatem autem spiritualis conjugii, sicut et carnalis, necessarius est consensus contrahentium. (C. *Cum inter canonicos* 21, *De elect.*) Adeoque talis consensus etiam requiritur ex parte episcopi translati, et consequenter omnino invitus nequit transferri ad aliam ecclesiam. (*Communis.*)

V. Quando episcopus sciens, et volens transfertur, prior sedes episcopalis vacat illico a die factæ in curia seu consistorio papæ translationis. (*Communis.*) « Et postquam hujusmodi absolutionis notitiam habuerit, etiam ex testimonio seu documento secretarii Sacri Collegii, illico teneri eum abstinere exercitio ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in capitulum sede vacante, et ita posse et debere capitulum statim ea jurisdictione uti, ac vicarium juxta Trident. concilii præscriptum eligere, sedemque vacantem publicare. » (S. congr. Episc. 14 Decemb. 1624.) Si transfertur episcopus absens et ignorans, non vacat prior ecclesia ante præstitum a translato consensum, nisi secus exprimatur a papa. (*Communis* apud FERRAR. verb. *Episcopus*, art. 3, n. 62.)

VI. Episcopus translatus potest secum deferre fructus jam perceptos, et bona sua immobilia acquisita in priori ecclesia seu ex ejus fructibus comparata, dummodo hæc nondum sint ecclesiæ dedicata. (Ita doctores, arg. c. *Ecclesia* 3, *Ut lite pendente.*) Fructus vero pendentes, et inexacti non pertinent ad episcopum translatum pro rata temporis, sed debent in utilitatem ecclesiæ expendi, aut futuro successori asservari. (Colligitur ex c. *Cum vos*, 4, *De offic. ordin.*, c. *Præsenti* 9, eod. in 6 ; et constit. JULII III, *Cum sicut*, confirmata per URBANUM VIII, const. *Æternus rerum conditor.*)

§ IV. De depositione episcopi.

Depositio et degradatio episcopi nequit fieri nisi a summo pontifice, et pro causis in jure determinatis. Olim pro deponendo episcopo requirebantur duodecim episcopi. (C. *Si quis tumidus* 3, et c. *Felix episc.* 4, causa 15, quæst. 7.) Sed hodie omnes episcoporum causæ criminales reservatæ sunt summo pontifici, tanquam majores.

« Quod si (tamen) episcopus in pietate peccet, atque hæresis, apostasiæ, schismatis reus sit, recte se Christiani a peccatore præposito separabunt. » (DEVOTI, inst. t. II, tit. 5, p. 265, § 4.)

CAPUT XIX.

Episcopus quoad residentiam.

I. Episcopi, etiamsi cardinales, tenentur de jure divino residere in suis episcopatibus. Colligitur ex concilio Tridentino. sess. 23 *De reform.* c. 1 ; et tenent expresse Barbosa, *De offic. et potest. episc.* part. III, alleg. 53, n. 2, ubi plusquam triginta auctores adducit ; Pignatelli, tom. IV, consult. 17, n. 2, ubi plusquam quadraginta doctores pro hac sententia adducit, et ex Turriano refert Romæ in quadam congregatione habita omnes convenisse, residentiam esse de jure divino ; Fagnan. lib. I *Decretal.* in c. *Bonæ memoriæ* 3, *De postulat. prælat.* n. 27, et lib. III *Decretal.* in cap. *Ex parte* 3, *De clericis non resident.* n. 28 et seqq., ubi solide et late id probat. Nec obstat, quod papa super tali residentia aliquando dispenset, quod judicet residentiam personalem non esse de jure divino, cum dispenset hic dispensatione sumpta pro juris declaratione, interpretando, et declarando jus divinum eo casu propter aliquam circumstantiam non obligare. Et sic respondent multi apud Ferrar., verb. *Episcopus* art. 3, n. 2. Attamen non ita certum est *de jure divino* ad residentiam teneri episcopos, ut licita non remanserit hac de re controversia. (Vide BOUIX, *De episcopo*, tom. II, p. I ad art. 5.)

II. Episcopus ob aliquas causas excusatur a vinculo necessariæ continuitatis residendi in diœcesi ; et tales causæ sunt Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia,

ac evidens Ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas. (*Concil. Trident.* sess. 23, *De reform.* c. 1.) Quas causas interpretantur doctores omnes.

III. Decretum factum pro parochorum residentia quod teneantur ministrare, etiam tempore pestis et cum periculo vitæ, sacramenta baptismi et pœnitentiæ, et editum a sacr. congr. Concil. 23 Septembr. 1576, multo magis debet procedere in episcopis ob majorem eorum obligationem, qui tamen poterunt in locis tutioribus manere, et inde providere. (Sic declaravit Greg. XIII, die 18 ejusdem anni 1576, teste Fagnan. lib. III *Decret.* in cap. *Clericos* 17, *De clericis non resid.* n. 46 et 47.) Episcopus residere tenetur, licet habeat coadjutorem (S. cong. Episc. 24 Martii 1597, et pluries). Potest episcopus residere in qualibet parte diœcesis, modo vadat ad cathedralem temporibus præscriptis a sacro conc. Trident. sess. 23, c. 1, ibi : *Eosdem* (episcopos) *interim admonet, et in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium, Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes, item et corporis Christi diebus, quibus refici maxime, et in Domino gaudere pastoris præsentia oves debeant, ipsi ab ecclesia sua cathedrali ullo pacto absint, nisi episcopalia munia in sua diœcesi eos alio vocent.*

Episcopus ex causa mali aeris, cui subjacet civitas episcopalis, non potest in aliqua anni parte degere extra diœcesim ultra trimestre, maxime cum intra fines diœcesis adsunt loca salubrioris aeris, in quibus residere potest absque periculo. Nec ei suffragatur prætensa consuetudo degendi extra residentiam ; unde a metropolitano cogi potest ad residentiam, juxta dispositionem sacr. concil. Trident., ut declaravit sacr. congr. Concil. 18 Septemb. 1683. Episcopus propter aeris intemperiem residens in aliqua parte suæ diœcesis, non tamen removere debet vicarium, et tribunal a civitate, ut declaravit sacr. congr. Episc. sæpius.

IV. Sacrosancta synodus Trident. sess. 6, c. 1, innovat antiquos canones contra non residentes, et statuit ut episcopus absque legitima causa sex mensibus continuis extra suam diœcesim absens, *quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ ecclesiæ, pauperibus loci per superiorem ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censuræ subjiciatur, metropolitanus episcopos suffraganeos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda infra tres menses per litteras seu nuntium Romano pontifici denuntiare teneatur : qui in ipsos absentes, prout cujuscunque major aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ sedis auctoritate animadvertere, et ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire.* Et sess. 23, c. 1 : *Si quis . . . contra hujus decreti dispositionem abfuerit, statuit sacrosancta synodus, præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III impositas et innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit ; eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse ; sed teneri aut ipso cessante, per superiorem ecclesiasticum illos fabricæ ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare : prohibita quacunque conventione, vel compositione, quæ pro fructibus male perceptis appellatur*, etc. . . . Urbanus VIII in sua constit. *Sancta synodus*, 11 Decembr. 1634 : 1° innovat decreta Concil. Trident., Constitutiones apostolicas Pii IV, Pii V, Decreta consistorialia Gregorii XIII, Clementis VIII super residentia episcoporum. Clemens VIII addit pœnam inhabilitatis episcoporum non residentium ad majores dignitates, et ecclesias obtinendas. — 2° Jubet jam præfectos cathedralibus, et majoribus ecclesiis etiam S. R. E. cardinales se itineri committere, et ad residentiam conferre infra unum mensem, si in urbe exsistant, infra duos, si extra urbem in Italia ; si extra Italiam, infra quatuor computandos a die publicationis bullæ. Nondum autem præfectos, infra terminos superius expressos computandos a die eorum promotionis. Indeque nec supradictos, nec alios jam residentes abscedere absque licentia per breve, vel litteras missivas sub pœna interdicti ab ingressu ecclesiæ, amissionis fructuum, et facultatum testandi ipso jure incurrenda, necnon privationis a regimine, et administratione Ecclesiarum, aliisque pœnis arbitrio sanctitatis suæ infligendis. Pius IV, const. *In suprema*, præter easdem pœnas, decernit bona decedentium

extra residentiam tanquam spolia ad cameram apostolicam pertinere, etiamsi facultatem specialem de illis testandi obtinuerint . . . — 3° Declarat contrafacientes non excusari a pœnis prætextu servitii imperatoris, aliorumque principum, aut regnorum, defensionis litium, etiam ecclesiarum, ineundi fœderis, aut alterius negotii, etiam gravissimi, speciali nota digni, distantiæ locorum, brevitatis temporis exspectandi licentiam ab urbe, vel alterius causæ, etiam publicæ, ac piæ utilitatis, vel necessitatis ecclesiarum vel personarum. — 4° Excipit causam interessentiæ in synodis provincialibus, vel congregationibus, seu assembleis generalibus, quibus ecclesiastici interesse solent ratione muneris, aut reipublicæ officii ecclesiis adjuncti, quandiu tamen actu duraverint. — 5° et 6° Spectant ad S. R. E. cardinales.—7° Indulget, ut exsistentes ultra montes abesse possint ex causa visitationis liminum per septem menses, et citra montes per quatuor, dummodo eo tempore ad alios actus non divertant. — Tandem statuit, ut nemo possit prædictam constitutionem interpretari, aut declarare, præter Romanum pontificem. (Ex Fagnan. in cap. *Qualiter* 9, *De clericis non-residentibus*, a n. 11 ad 27.) — *Notandum.* Per præfatas constitutiones præsertim Urbani VIII sublata est facultas quam vi Tridentini decreti habebat episcopus a diœcesi recedendi certas ob causas, dummodo causam approbasset metropolitanus aut antiquior suffraganeus; nunc necessaria est licentia sanctæ sedis, quæcunque sint causæ recedendi.

V. Episcopus æqua ex causa etiam animum relaxandi potest abesse a sua ecclesia, et diœcesi, singulis annis per duos vel tres menses, sive continue, sive interrupte, absque alia superioris approbatione, dummodo tamen id non fiat temporibus a sacr. Conc. Trident. prohibitis; et hæc facultas a conc. Trident. sess. 23, c. 1, concessa, non fuit sublata ab Urbano VIII in citat. const. *Sancta synodus*, ut sacra congr. concil. respondit 5 Febr. 1635. Tandem Benedictus XIV, const. *Ubi primum*, statuit non licere episcopis quotannis abesse tribus mensibus sine justa causa. — Episcopus nequit jungere trimestrem absentiam unius anni cum trimestri absentia anni sequentis. (S. congr. super residentia episcoporum habita in Quirinali 17 Julii 1657.)

VI. Episcopus, dum residet, non potest citari ad comparendum in curia, nisi de papæ commissione. (Pius IV, const. *De salute gregis.*) Episcopus absens non gaudet beneficio alternativæ in beneficiorum collatione, etiam quando abest ex causa a concilio approbata. (S. congr. Concil. Nicol. Garcias, Massobr. Barbosa, Ferrar. verb. *Episcopus*, art. 3, n. 34.) Episcopus absens a sua diœcesi ultra tempus a jure statutum, qui commonitus non redit ad residentiam, videtur habere Ecclesiam pro derelicta, et potest ea spoliari per papam sine citatione et sententia. (C. *Qualiter* 9, *De clericis non residentibus*; et *Concil. Trident.* sess. 6, c. 1.)

VII. An vero episcopus suæ obligationi satisfaciat per residentiam mere passivam seu materialem? Semetipsum lamentabiliter deciperet qui in tali materiali residentia quiesceret; «quia episcopus ex necessitate præcepti divini juris tenetur ad curam animarum propter illarum salutem, qui est finis obligationis episcopalis (S. Thomas quæst. 185, art. 5', secundum illud Actorum apost. xx, 28: *Attendite vobis, et universo gregi in quo Spiritus sanctus vos posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* (C. *Suggestum*, causa 7, quæst. 1; *Concil. Trident.* c. 1, sess. 6.) Dignitas enim episcopalis instituta est a Christo Domino propter officium, sicut Augustinus dicit *in Isaiam* homilia 7: Qui vocantur ad episcopatum, non ad principatum vocantur, sed ad servitium totius Ecclesiæ, ut patet in cap. *Qui episcopatum*, causa 8, quæst. 1, et cap. *Multi* 40 dist.; cap. *Nisi cum pridem*, *De renunt.*; et in cap. 1, sess. 25 concil. Trident., ubi episcopi dicuntur esse vocati ad sollicitudinem, et labores pro Dei gloria, et animarum salute, et passim alibi. Ergo ex eadem necessitate præcepti juris divini tenetur ad medium necessarium pro cura animarum; media vero, quibus episcopum uti oportet ad ejusmodi finem consequendum, secundum Cajetanum sunt infra scripta, videlicet doctrina, sacramentorum administratio, consecratio, visitatio, custodia, ac vigilantia; quæ singula partim explicite, et partim implicite continentur in præallegatis decretis concilii Trident. cap. 1, sess. 23; et cap. 1, sess. 6. Hujus modi autem actus tenetur episcopus præcepto divino per seipsum exercere: nam de doctrina Apostolus ait I Tim. III, 2: *Oportet episcopum esse doctorem,*

et non dicit, oportet episcopum habere doctorem ; et in ordinatione episcopi dicitur : *Vade, prædica populo Dei*, ut in Pontificali Romano, et non dicitur : Mitte ad prædicandum ; et Paulus, I Cor. IX, 16 : *Væ enim mihi est si non evangelizavero, necessitas mihi incumbit.* Et in cap. *Dispensatio*, 43 dist., Anacletus, vel secundum alios Nicolaus papa : *Dispensatio*, inquit, *est nobis cœlestis seminis injuncta : væ si non sparserimus, væ si tacuerimus.* Et in cap. præcedenti, pastor dicitur eos occidere, quos tacendo noluit increpare ; et non esse mundum a sanguine qui Dei consilium non annuntiat. Et plura sacrarum Litterarum testimonia habentur in cap. *Sit rector*, et in cap. *Ephesiis* 43 dist. et in dict. cap. *Nisi cum pridem, De renuntiat.*, ut propterea non mirum si prædicationis munus dicatur episcoporum esse a concilio Tridentino cap. 4, sess. 24 . . .

« De administratione sacramentorum patet, quia quædam sunt sacramenta, quæ solus episcopus potest administrare ... Idem patet de consecratione virginum, basilicarum, de unctione altaris, confectione chrismatis et hujusmodi . . .

« De visitatione, custodia et vigilantia, similiter patet, quia nisi ad hæc episcopus personaliter teneretur, non esset ipse pastor custodiens gregem, et vigilans super eo, et agnoscens vultum pecoris sui, sed potius esset dominus ovium habens mercenarium, cui committit ut vigilet, custodiat et visitet. At manifestum est episcopos ipsos jure evangelico esse pastores ovium Christi . . . Sed et Proverb. XXVII, 23, dicitur diligenter : *Agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera:* et non dicitur, fac agnoscere. Ex quo testimonio eliciunt doctores personalem visitationem prælati esse de jure divino. (Extravag. *Salvator, De præbend.* inter *communes.*) Similiter de bonorum operum exemplo dicitur Matth. V, 14 : *Vos estis lux mundi*, etc. Et ad Titum II, 7 : *In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum.* Et I Tim. III, 2 : *Oportet episcopum irreprehensibilem esse*, etc. ... Quamobrem cum singula munia, ad quæ episcopi præcepto divino obligantur, exigant corporalem ipsorum præsentiam, et personale ministerium, hinc manifeste sequitur, ut eodem præcepto divino ad personalem residentiam teneantur. (Ita FAGNAN. in part. I, lib. III *Decretal. De clericis non resident.*, c. *Ex parte*, n. 32 ad 44.)

Ex quibus patet ad residentiam activam seu formalem jure divino teneri episcopos. Unde episcopi qui visitationem integram ad præscripta juris non adimplent, sed tantum perfunctorie faciunt ; qui juxta sacros canones et apostolicas constitutiones gregem suum non regunt, sed per arbitrarium in cleris dominant, non sunt irreprehensibiles, cum non observent et observari non faciant leges Ecclesiæ ; qui per se ipsos verbum Dei non prædicant ; qui synodum non coadunant ; qui taliter agerent, quod absit, activam residentiam et obligationes de jure divino non adimplerent. (Vide BENEDICT. XIV ; bullam *Gravi* 15 Augusti 1741 § 2 apud BOUIX, *De episcopo*, t. II, p. 5.)

CAPUT XX.

Mors, hæreditas et sepultura episcopi.

I. Erga episcopum moribundum servandum est cæremoniale episcoporum et pontificale, sicut et pro sepultura episcopi defuncti.

Sacramenta episcopo ægrotanti ministrare spectat ad digniorem capituli cathedralis. (S. R. C. 22 Novemb. 1681.) Ægrotans episcopus, antequam communicet, profiteatur fidem catholicam ex eadem formula, quæ a cathedralibus et superioribus ecclesiasticis vel beneficiatis curam animarum habentibus observanda est. (S. R. C. 12 Novembr. 1831, — id est ex formula Pii IV.)

II. Episcopi decedentes in propria diœcesi non electa sepultura, nec habentes sepulcrum majorum, sepeliri debent in propria cathedrali tanquam sua sponsa ; si vero decedant extra diœcesim, et commode possint deferri ad propriam cathedralem, sunt in ea tumulandi. Si autem ad ipsam commode deferri non possint, tumulandi sunt in ecclesia digniori loci in quo decedunt, quia de ea, ratione dignitatis, eorum præsumitur voluntas. (Cardin. PETRA, SPERELL., ANTONELLI, MATHÆUC. et alii passim.) Quod si habeant duas ecclesias æqualiter unitas, sepeliendi sunt in ea in qua decesserunt, et si non sunt æqualiter unitæ, sed una sit alteri subjecta, sepeliri debent in principali. (Card. PETRA, PITONIUS et alii.)

Per mortem episcopi, sicut et per ejusdem renuntiationem, translationem aut depositionem, omnes illius vicarii genera-

les, officiales quicunque, pleno jure amittunt jurisdictionem, quam ab ipso tenebant; eamque exercere nequeunt sub pœnis a jure latis contra jurisdictionem usurpantes, id est excommunicationem latæ sententiæ et summo pontifici reservatam. (Ex pluribus capit. et bulla *Cœnæ.*)

III. 1° Episcopi, dummodo non sint regulares, possunt sive per donationem, sive per testamentum disponere de bonis suis *patrimonialibus*, et *quasi patrimonialibus*; et iisdem bonis etiam ab intestato, succedunt hæredes naturales; si vero nullos alios hæredes reliquit, qui ad ipsius hæreditatem vocentur, succedit ecclesia sua. Ex cap. *Sed hoc*, lib. III *Decretal.* tit. XXVII, quod sic summatur: *Clericus bona propria dare potest, cui vult: sed si decedat intestatus, et non habeat consanguineos, succedit ecclesia.*

2° « In *bonis ecclesiasticis* facienda est distinctio: possidere enim clericus potest bona ecclesiastica immobilia et mobilia. In *bonis ecclesiasticis primi generis*, certi et expediti juris est, quod nec testamentariæ, nec legitimæ successioni sit locus, cum ea sint ipsius ecclesiæ, non clerici, ac proinde extra ipsius defuncti bona et hæreditatem. In *bonis secundi generis*, seu ex reditibus beneficii acquisitis, et congruæ sustentationi superfluis, de jure communi ita succedit ecclesia, ut excludat etiam hæredes legitimos defuncti, ut habetur in toto tit. 25 *De peculio clericorum*, lib. III *Decret.* ibi, sic summantur capitula: 1. *Quæsitum a rectore ecclesiæ tempore promotionis nihil habente, præsumitur de bonis ecclesiæ quæsitum.* — 2. *De emptis per prælatum de bonis ecclesiæ, debet instrumentum confici nomine ecclesiæ, alias debet prælatus ab administratione rei moveri.* — 3. *Quæsita per episcopum post consecrationem suam, ecclesiæ relinquenda sunt.* — 4. *Empta per prælatum ex emolumentis ecclesiæ, efficiuntur ecclesiæ, licet prælatus emerit nomine alieno.* — 5. *Meliorationes factæ per prælatum in rebus ecclesiæ, sunt suæ in vita, etiamsi dimittat beneficium, sed de his testari non potest.* Ex quibus sequitur quod inventarium de bonis tam mobilibus quam immobilibus episcopo promoto pertinentibus fieri cautum sit, et debeat antequam possessionem beneficii capiat episcopus. Eodem libro *Decret.* tit. XXVI, cap. 7 *Cum in officiis*, quod sic summatur: *De bonis per Ecclesiam acquisitis, clerici testari non possunt.* Et cap. 12, *Relatum*, ibi: «Relatum est auribus nostris, quod quia statuimus in Lateranensi concilio, ut bona per Ecclesiam acquisita, ad eam in clericorum obitu devolvantur: dubitatur an hoc sit de immobilibus tantum, vel de mobilibus sentiendum. Respondemus, quod generaliter bona quælibet per ecclesiam acquisita, eis debent juxta Lateranen. concilium postacquirentis obitum remanere: nomine autem Ecclesiæ, non episcopus vel successor clerici morientis, ubi est collegium clericorum, sed communis congregatio intelligitur, quæ rerum illarum debet canonicam distributionem et curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum est unus ordinandus, is ea bona (sicut et alia ecclesiæ) in Dei amore dispenset. Licet autem mobilia per ecclesiam acquisita, de jure in alios pro morientis arbitrio transferri non possint: consuetudinis tamen non est improbandæ, ut de his pauperibus et religiosis locis, et illis qui viventi servierant, sive sint consanguinei, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur. Cæterum quæ ex hæreditate, vel artificio, aut doctrina proveniunt, distribuentur, pro arbitrio decedentis. Quia vero nonnulli in diversis ecclesiis beneficia possident, dividantur, quæ habuerant per æstimationem congruam inter ipsas. »

« Antiqui igitur canones de ecclesiastico peculio clericos testari vetabant, quoniam illud redire debebat ad ecclesiam, unde profectum erat. Sed sensim consuetudine ac privilegio summorum pontificum, præsertim ob frequentes lites quas excitabat difficultas discernendi bona ecclesiastica a patrimonialibus, inductum est, ut clerici etiam de bonis ecclesiasticis testamentum condant. Interim in foro valent hæc testamenta; sed gravi certe crimine obligantur clerici, qui potius quam in pios conferunt in profanos usus aut in ditandis consanguineis insumunt fructus rerum ecclesiasticarum. Non enim consuetudo bonorum naturam mutat, neque privilegium datum censetur cum gravi detrimento pauperum et ecclesiarum.» (Devoti. *Instit.* l. 1, p. 720.— Vide *Concil. Trident.* sess. 23, c. 1, *De reform.*)

« Quæritur ergo, quibus casibus, in jure novo, bona beneficialia relicta a clerico ad Ecclesiam non deferantur? Resp. tres dari casus posse. 1. Ubi est jus spolii; nam ubi hoc viget, bona illa cedunt cameræ apostolicæ

per constitutiones Julii III, Pauli III, IV et V, et Gregorii VIII; in iis vero provinciis, in quibus constitutiones istæ receptæ non sunt, prout receptæ non sunt in Lusitania, Gallia et Germania, ab episcopis, aliisque collatoribus vindicari solent. — 2. Ubi aliud obtentum est privilegio apostolico; nam hoc obtineri potest ut talia bona cedant non ecclesiæ, sed prælato, vel rectori ecclesiæ, aut alii personæ ecclesiasticæ, imo etiam personæ sæculari, cum pontifex administrationem reddituum ecclesiasticorum habeat. — 3. Ubi contrarium inductum est per consuetudinem legitime præscriptam. »

« *Dubium est*, an ejusmodi consuetudo induci possit, ut consanguinei etiam in bonis beneficialibus ab intestato succedant clericis. Negant complures cum Navarr. *De reditib. Eccles.* Quæst. 3, monit. 11, n. 3; et aliis tit. præced. n. 84 cit. Qui proinde, sicut ibi ut corruptelam reprobant consuetudinem libere testandi de bonis beneficialibus, ita non meliorem judicant consuetudinem succedendi ab intestato : utrumque probant fere iisdem argumentis. Sed cum istis responsum satis ibidem sit, idcirco dicendum, ubi consuetudo legitime præscripta id permittit, etiam in bonis beneficialibus relictis a clerico consanguineos ab intestato posse succedere. In probationem servient argumenta, tit. cit., n. 85 allata, et ipsa etiam praxis. Nam ut testis est Covar. in cap. 7, *De testam.* n. 27; Barbosa, in l. *Divortio, ff. Solut. matr.*, part. II, n. 63; Oliva, *De foro eccles.*, part. II, n. 30, quæst. 1, hujusmodi consuetudo in Gallia, regno Castellæ, et alibi de facto viget. » (Schmalz. part. III, tit. XXVII, n. 58 et 59.)

IV. Igitur in Gallia, ex legitima consuetudine, consanguinei succedunt episcopo in bonis etiam ex beneficio provenientibus, dummodo hæc bona jam sint percepta. Attamen semper excipi debent bona mobilia cultui divino dicata; nam hæc bona episcopi pertinent ad suam ecclesiam, aut ad singulas secundum æquam æstimationem, si plures habuit. (C. *Nulli licet* 8, causa 12, quæst. 2; c. *Quod semel* 4, causa 19, quæst. 3; c. *Ligna* 36; et c. *Vestimenta* 40, dist. 1, *De consecr.*; c. *Ad hæc* 2, *De religiosis domib.*; c. *Mancipia* 3, *De rerum permut.*; c. *Semel* 51, *De reg. juris*, in 6) Et ex constit. 42 S. Pii V, *Romani pontificis*, ex qua sic deducitur apud Ferraris, verb. *Spolium* n. 15, ibi : « Spoliorum nomine, quæ ad cameram apostolicam pertinent, non intelliguntur paramenta ecclesiæ, vasa, libri ecclesiæ, Gradualia, Missalia, et aliæ res sacræ, etiam auri et argenti, ac quæcunque alia bona, quæ per quoscunque episcopos ad usum et cultum divinum, etiam in earum privatis ædibus, et capellis, vel oratoriis destinata tempore eorum obitus reperiuntur; quæ etiam *sub quibusvis facultatibus testandi, et alias disponendi minime comprehenduntur*, sed ea omnia ad eorum ecclesias idque proportionaliter habita ratione fructuum et temporis, quo beneficia, si plura fuerint, possederunt, *nec ad hæredes ex testamento, vel ab intestato deveniunt.* » Et sic pluries statuit sacr. congr. Concil., et signanter *in Cathacen.* seu *Suessana Spolii* 29 Septemb. 1709, et *in Trevicana* 6 Julii 1726. Excipitur casus, in quo creditoribus defuncti episcopi in subsidium, si alia bona non sufficiant, satisfaciendum sit ex bonis etiam benedictis, seu pontificalibus, non obstante constitutione sancti Pii V, ut respondit sacr. congr. Concil. 29 Maii 1683.

Igitur bona sacra, scilicet ornamenta, vasa auri et argenti, pontificalia, libri ecclesiæ, uno verbo, omnia quæ dicuntur capella episcopalis, pertinent ubique et consequenter etiam in Gallia, ad ecclesiam episcopi decedentis.

Benedictus XIV const. *Pastoralis sollicitudo* constitutiones Innocentii XII et Benedicti XIII, pro regno Neapolitano defendit adversus cavillosas quorumdam interpretationes, et subinde §§ 8 et seqq. novam formam assecurandis, custodiendis, distribuendisque spoliis hujusmodi prælatorum præscribit, prohibendo nempe, quod viventibus præsulibus canonici, capitula, quibus spoliorum applicandorum cura spectat, quidquam attentent : item ecclesiarum indemnitatem vicario generali præsulis ægrotantis demandando. Demortui inde præsulis spolia esse diligenter custodienda, et ad id claves obsignatorum cubiculorum a præfato vicario generali esse tradendas vicario capitulari et canonicis deputatis, per actum solemnem coram iisdem testibus, explendum, et notario similiter litteris consignendum; ac præcipiendo, quod, his omnibus absolutis, nequaquam liceat rem ullam in defuncti spolio repertam vendere, aut alia ratione alienare, nisi postquam ecclesiæ de novo pastore seu rectore provisum fuerit,

atque hic ejusdem ecclesiæ possessionem adeptus fuerit ; quia possessione adepta, præscribit regulas servandas ab ipso circa res in defuncti spolio repertas, quicunque interim sede vacante, quocunque modo spolia illa administrarunt, vel administrationi præfuerunt novo præsuli rationem reddere tenentur. » (Id. ead. const. § 12.)

Tandem quæ capitulo ecclesiæ cathedralis debentur post mortem episcopi nuper confirmavit et determinavit Pius IX litteris apostolicis *Cum illud plurimi*, 1 Junii 1847, in hunc modum :

Sacra utensilia, quæ vigore constitutionis S. Pii V incipientis, Romani pontificis, *ecclesiis cathedralibus debentur, hæc esse edicimus : mitras scilicet, planetas, pluvialia, tunicellas, dalmaticas, sandalia, chirothecas, albas cum cingulis, lineos amictus, et his similia; item missalia, gradualia, libros cantus firmi et musicæ, libros pontificales, alterum, cui titulus Canon missæ, item calices, patenas, pyxides, ostensoria, thuribula; vas aquæ benedictæ cum aspersorio, pelvim cum urceo, vasa sacrorum oleorum, et urceolos una cum pelvibus et tintinnabulo, palmatorios, icones pacis, cruces archiepiscopales, candelabra cum cruce pro altaris usu, baculum pastoralem, faldistorium, aliasque res sacras sive paramenta, sive ornamenta, sive vasa, si quæ sunt etiam ex eorum natura usui profano congrua, dummodo non per accidens, sed permanenter divino cultui sacrisque functionibus fuerint destinata : exceptis annulis et crucibus pectoralibus etiam cum sacris reliquiis, et iis omnibus utensilibus cujusvis generis, quæ legitime probentur ab episcopis defunctis, comparata fuisse bonis ad ecclesiam non pertinentibus neque constet ecclesiæ fuisse donata. Volumus propterea teneri, ac debere episcopos conficere in forma authentica inventarium sacrorum utensilium, in quo pro rei veritate exprimant quando acquisita fuerint, et speciali nota describant, quæ ex ecclesiæ reditibus et proventibus sibi compararunt, ne alias præsumi debeat ea omnia redditibus ecclesiæ comparata fuisse.*

« Quoad statum præsentem ecclesiarum Galliæ notandum est pensionem episcopis a gubernio attributam rationem induere reditus ecclesiastici. Unde utensilibus ex hujusmodi pensione comparatis, applicanda venit citata constitutio Pii IX. Cum autem lex civilis, si episcopus ab intestato moriatur, plures hujusmodi res hæredibus attribuat, videtur concludendum episcopis Galliæ obligationem incumbere per testamentum aliudve medium idoneum præcavere, ne ecclesia cathedralis suo jure fraudetur, et prædicta constitutio violetur. Consequenter vero hæredes in casu, quo episcopus nulla adhibita cautione decederet, hujusmodi res tuta conscientia retinere nequeunt, quamvis ex lege civili id eis concedatur. » (Bouix, *De capitulis*, p. 284.)

Ex jure igitur omnia mobilia sacra episcopi defuncti etiam in Gallia ad ecclesiam pertinent; proindeque sunt bona ecclesiastica et sacra. Atqui bona ecclesiastica occupantes, seu usurpantes, quicunque sint, incurrunt excommunicationem ipso facto Papæ reservatam. C. *Conquestus* 16, *De foro competenti*, c. *Quia sæpe* 40, tit. VI, *De electione* in 6.) Et cap. 11, sess. 22 Trident. ibi : *Si quem clericorum, vel laicorum, quacunque is dignitate, etiam imperiali aut regali præfulgeat, in tantum malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis, vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascunque obventiones, quæ in ministrorum et pauperum necessitatibus converti debent, per se, vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum, aut laicorum, seu quacunque arte, quocunque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, impedire, ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur, is anathemati t ndiu subjaceat, quandiu jurisdictiones, bona, res et jura, fructus et reditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione suppositæ personæ pervenerint, ecclesiæ ejusque administratori, sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano pontifice absolutionem obtinuerit.* Et similiter eamdem excommunicationem incurrunt ex bulla *Cœnæ*, § 17.

Hanc excommunicationem latam contra usurpantes bona ecclesiastica incurrunt : 1° Omnes jurisdictionem ecclesiasticam sibi tanquam propriam usurpantes. *Communis.*— 2° Omnes sequestrantes, vel subripientes inique fructus alicujus beneficii. *Communis.* — 3° Omnes usurpantes fructus, reditus,

vel proventus ecclesiæ, seu beneficii vacantis, et papatus sede vacante; *communis*. — 4° Omnes impedientes quominus recipiantur ab iis, ad quos pertinent, proventus ecclesiarum vel piorum laicorum; et ecclesiastici consentientes incidunt in canonem bullæ *Cœnæ*, et concil. Trident. » (Ex sacr. congr. Concil. apud Petram tom. I, commentar. ad const. 1 Leonis IX, sect. 1, n. 29; et apud Barbosam in *Trident.* sess. 22, c. 11, n. 22.) Imo ex eod. cap. 11 ejusdem sess. 22, ibi : *Clericus vero, qui nefandæ fraudis et usurpationis hujusmodi fabricator, seu consentiens fuerit iisdem pœnis subjaceat, necnon quibuscunque beneficiis privatus sit, et ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum ordinum exsecutione etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui ordinarii arbitrio suspendatur.* Omnes supradicti incurrunt excommunicationem latam in concilio Tridentino et in bulla *Cœnæ* contra usurpantes bona, seu jura ecclesiastica solummodo, quando sciunt prædicta bona usurpata, seu occupata esse ecclesiastica. (Ita *communis* apud Ferrar. verb. *Bona*, art.1, n. 27.)

Unde vicarii generales episcopi defuncti, vicarii capitulares, sede vacante, et canonici, accipientes a gubernio laicali administrationem mensæ episcopi defuncti, et consentientes ut mobilia sacra et benedicta alienentur, seu ad hæredes consanguineos transeant absque reclamatione, et imo alienari et vendi facientes, videntur incurrere excommunicationem et pœnas supradictas latas in concilio Trident. et in bulla *Cœnæ*. Etenim nequeunt sese excusare ex eo quod non sciant prædicta bona esse ecclesiastica; ementes et consanguinei talia bona usurpantes in eamdem excommunicationem incidunt; quia nemo potest ignorare mobilia sacra et benedicta esse bona ecclesiastica. Clerici has pœnas incurrentes et suos tamen ordines exercentes, fiunt pleno jure irregulares; omnesque sive clerici, sive laici ab his excommunicationibus, suspensionibus, inhabilitatibus et irregularitatibus nequeunt absolvi nisi a summo pontifice; etiamsi casus sint occultissimi. (Ex bulla *Cœnæ*.)

V. Pileus episcopi demortui debetur ecclesiæ tumulanti, non cathedrali. (S. congr. Episc. et Regul. 26 April 1653.) Nisi cathedralis sit ecclesia tumularis.

CAPUT XXI.

De episcopo regulari, titulari et suffraganeo.

§ I. — De episcopo regulari.

I. Regulares, etiam monachi, promoveri possunt ad dignitatem episcopalem sive in sæculari, sive in regulari ecclesia. (C. *Nullus* 28, *De elect.* in 6; Clement. in fin. eod.)

II. Requiritur vero superioris regularis licentia, ut valeat religiosus ad episcopatum assumi; licentiamque hanc dare valet superior absque consensu capituli sui. (C. *Si religiosus* 27, *De electione* in 6.)

III. « Certum est religiosum, cum fit episcopus, non amittere substantialem statum religiosi. Ita docet divus Thomas, 2-2, quæst. 185, art.8; et est communis omnium sententia.» (Suarez. *De religione*, tom. IV, tract. VIII, lib. III, c. 16, n. 1.) Id fuse probat Suarez ostendendo quomodo remaneat trium substantialium votorum obligatio. Quoad castitatem, patet. Quoad obedientiam, equidem desinit ille religiosus subjici religionis suæ prælato, sed constituitur sub obedientia papæ; unde non solvitur emissum ab eo votum obedientiæ, sed fit duntaxat mutatio immediati superioris. Item remanet paupertatis votum; siquidem non magis quam antea potest ullius rei dominium acquirere: sed aliquid duntaxat intervenit discrimen: 1° « Non acquirit monasterio sed propriæ mensæ, seu ecclesiæ, *quoad proprietatem* ; ad proprium tamen commodum quoad usum fructum. » (Ferrar. verb. *Episcopus*, art. 7, n. 11.) Ita declaratum a sacr. congr. Concil. et admissum communiter a doctoribus, vide apud citatum Ferraris. — 2° Post promotionem ad episcopatum religiosus recuperat jus successionis ad hæreditatem sibi delatam, quamvis huic juri renuntiaverit, sive in favorem monasterii (quod fieri censetur per professionem in religione capaci possidendi in communi), sive in favorem alicujus consanguinei vel exteri (prout fit ante professionem in religionibus incapacibus possidendi in communi). Non tamen locum habet hæc recuperatio, si hæreditas alicui tertio jam acquisita fuerit ante promotionem ad episcopatum. Ita doctores communiter; et fuit decisum a sacr. congr. Concil., *in Neapolitana*, 3 Decemb. 1639. (Apud Ferrar. verb. *Episcopus*, art. 7, n. 12.) — 3° Quod autem

religiosus monasterio acquisivit ante adeptum episcopatum, debet monasterio relinquere. (*Ibid.* n. 17.)

IV. Religiosus factus episcopus astrictus remanet, non tantum tribus votis substantialibus, sed aliis etiam religionis suæ votis aut observantiis, cum episcopatu compatibilibus. (BENED. XIII, const. *Custodes*, 7 Martii 1725, et ex aliis.) —(*Ibid.* n. 3.)

Unde capite *Clerici* 15, *De vita et honest. cleric.*, statuitur debere episcopum, si sit monachus, *ferre habitum monachalem*. « Retento tamen colore habitus suæ religionis, potest se conformare cum episcopis sæcularibus in forma seu figura... et sic modo servatur in praxi.» (FERRAR. verb. *Episcopus*, art. 7, n. 5.)

V. Certum est episcopum regularem, non magis quam sæcularem, posse renuntiare episcopatui absque licentia papæ. (Ex c. *Ad supplicationem, De renuntiatione*); estque hoc extra controversiam omnem.

Benedictus XIII, constitutione *Custodes* sancivit, quod: « dimisso episcopatu, seu quacunque alia dignitate ad quam evecti fuerint, vel perfuncto munere sibi extra claustra commisso, ad eadem claustra redire teneantur, sub pœna privationis usus pontificalium; et si manserint in contumacia non redeundi ad claustra, post annum sint eo ipso suspensi a divinis.»

§ II. — De episcopo titulari.

I. Episcoporum titularium, qui creantur episcopi alicujus ecclesiæ in partibus infidelium sitæ, quæ neque populum Christianum, neque clerum habet, nulla origo reperitur ante decretum concil. Lateranensis sub Leone X, sess. 9 *De cardinalibus*; ubi permisit creari episcopos titulares; quibus pro suffraganeis possent uti cardinales episcopi in suis ecclesiis, sicuti modo utuntur ipsis etiam varii alii episcopi non cardinales, et ideo etiam hodie summus pontifex cum creat hujusmodi episcopos titulares, utitur similibus verbis: *Et suffragentur talibus, donec*, etc.. (FAGNAN. lib. v *Decret.* in c. *Episcopalia* 1, *De privileg. et excess. privilegiator.* n. 41 et 44.) Benedictus vero XIV, probat per antiquos et etiam a tempore apostolorum fuisse episcopos *titulares* seu ut dicant, *annulares*. (*De synod. diœc.* lib. II, c. 7; et lib. XIII, c. 8, n. 12; et lib. VII, c. 7, n. 1,) Episcopi *in partibus* creari etiam solent nuntii, sacr. congregationum secretarii et majores capellani regum.

II. Episcopi titulares sunt veri episcopi, characterem habentes episcopalem. (C. *Pastoralis*, causa 7, quæst. 1, et communiter.) Pontificalia tamen exercere non potest episcopus titularis, nisi in illa diœcesi cui datus est suffraganeus, ut statuit Pius V, in decreto suo consistoriali, teste Fagnan. loc. cit. n. 50. Neque in locis exemptis nisi de licentia episcopi loci, intra cujus fines locus hujusmodi exemptus fuerit constitutus. (*Conc. Trident.* sess. 14, cap. 4, *De reform.* Et sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. refert Aldan. in *Compendio can. resolut.* lib. I, tit. IV, n. 3.)

Neque potest episcopus titularis in ecclesia sua jurisdictionali, veluti si esset præpositus, chrisma conferre, nec alia pontificalia exercere, nisi de expressa licentia episcopi, intra cujus diœcesis fines præpositura exsistit. (Sacr. congr. Concil. apud ALDAN. *ibid.* tit. VIII, n. 10.) Neque familiarem suum etiam triennalem ordinare absque sui proprii prælati expresso consensu; secus, sic ordinati absque proprii episcopi consensu, ipso jure suspensi sunt, donec suo prælato visum fuerit. Et ipse episcopus titularis ordines conferens, seu pontificalia exercens sine licentia ordinarii, est suspensus per annum ab usu pontificalium. (*Conc. Trident.* sess. 14, c. 2 *De reform.*)

III. Episcopo extraneo, et consequenter titulari nequit apponi sedes cum baldachino in ecclesiis regularium (S. R. C. 26 Septembr. 1682), nec iisdem debet sterni genuflexorium cum strato, neque ipsis porrigendus est liber Evangelii osculandus in missa. (S. R. C. 13 Octob. 1618.) — Episcopus titularis, sicut episcopus qui administrationem episcopatus dimisit, ordinem, characterem et titulum retinent, et consequenter debent præcedere omnibus aliis episcopis post ipsos electis et consecratis. (S. R. C. 24 Martii 1606.) Episcopi titulares et alii episcopi nullo modo inservire debent suo metropolitano nec alii episcopo; nam hoc esset dignitati suæ præjudicium inferre, et non licere S. R. C. 24 Febr. 1680., *Mechlinien.*

Familiares etiam episcopi titularis gaudere debent privilegio fori, ita tamen ut convenire debeant, et sint puniendi ab ordinario loci, ubi degunt, non ab episcopo, seu archiepiscopo titulari. (Sacr. congr. Immun.

17 Januar. 1628.) Beneficia, et pensiones non vacant in eo, qui ad titularem episcopatum assumitur, cui etiam de novo conferri possunt præsertim simplicia. (Sacr. congr. Episcop. 22. Decemb. 1640 apud Nicol. in *Lucub.* tom. II, lib. III, tit. V, n. 43.) Plures sentiunt quod episcopus titularis negligens consecrationem teneri non possit pœnis concilii Tridentini. (Apud Ferrar. verb. *Episcopus*, art. 7, Addit. ex aliena manu, n. 58 et seq.)

Episcopus titularis debet postulari ad aliam ecclesiam, et nequit eligi nisi habeat indultum eligibilitatis. Idem dicendum est de episcopis suffraganeis, quales in Germania (et alibi) sunt episcoporum in pontificalibus vicarii (Schmalz. part. II, tit V, n. 8.)

IV. Episcopus titularis est de jure vocandus ad concilia generalia. — Coadjutores episcopi cum futura successione in synodo provinciali sedeant juxta tempus eorum promotionis. (S. R. C. 30 Septembr. 1596.)

V. Episcopus titularis canonicatum obtinens in ecclesia cathedrali potest et debet in ea uti habitu ordinario, quo utuntur episcopi in Romana curia, id est rochetto supra subtanam, et manteletto violacei coloris. (S. R. C. 11 Julii 1617.) Et debet præcedere omnibus aliis canonicis, et dignitatibus, tam quoad stallum, quam quoad functiones cantandi missas, et alia omnia (S. R. C. 22 Junii 1594; 24 Septembr. 1605; 11 Julii 1617; 13 Novembr. 1621.) Episcopus titularis qui est canonicus subest visitationi ordinarii ad instar aliorum canonicorum, et tenetur ad observantiam legis diœcesanæ; aliter subjicitur pœnæ, etiam excommunicationis, in ea contentæ. (S. congr. Episc. 24 Julii 1632; apud Ferrar. verb. *Episcopus* art. 7, n. 33 ad 35.) Titularis episcopus canonicus in missis de turno in sua hebdomada abstinere debet et subrogare alium; in solemnioribus eum indumentis pontificalibus celebret, sed de licentia episcopi; et quando archiepiscopus solemnia peragit, idem episcopus titularis tenetur tantum sedere in choro cum pluviali, sed nullo modo episcopo celebranti ministrare. (S. R. C. 16 Mart. 1833 *in Mediolan.*) Pallii honore non decorantur Latini patriarchæ titulares, quemadmodum nec archiepiscopi in partibus; cum enim pallio nemo uti possit extra provinciam suam, illi profecto alibi commorantur. (Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. XIII, c. 5, § 17.)

VI. Episcopi titulares jurisdictionem exercere possunt in subditos ecclesiæ sibi assignatæ, si ad Christianam religionem convertuntur. (Bened. XIV const. *Cum a nobis.*)

§ III. — Quibus muneribus perfungi possunt episcopi titulares.

I. Episcopi titulares, seu in partibus infidelium possunt fieri vicarii apostolici, administratores alicujus ecclesiæ seu diœcesis, et suffraganei seu in pontificalibus vicarii episcoporum diœcesanorum.

II. Episcopi sacræ congregationi de Propaganda fide subjecti, ut sunt vicarii apostolici missionarii, munia episcopalia extra districtus jurisdictionis sibi ab eadem sacr. congr. assignatos exercere nequeunt, etiamsi ordinariorum licentia, et facultas accedat, sub pœna suspensionis papæ reservata. (Ex decreto hujusdem congr. habitæ coram sanct. mem. Innoc. P. P. die 28 Martii 1651.) Qui vero contra hujus decreti formam ordinibus fuerint initiati, suspensi declarantur a sacr. congr. Episc. et Regul., decreto edito 23 April. 1655, Regest. XXXV. Ita Macri, in *Hierolex.* verb. *Episcopus* apud Ferrar. verb. *Episcopus*, art. 3, n. 81 (nota ex editione Romana). Quæ tamen prohibitio non videtur extendi debere ad Missam et Vesperas pontificaliter celebrandas saltem ex consuetudine contraria, qua stante, episcopi missionarii, ad nostras regiones redeuntes, seu per eas transgredientes, Missam et Vesperas pontificaliter celebrant Ordines vero et chrisma conferre prohibentur, extra districtus jurisdictionis sibi assignatos, absque licentia sacræ congregationis de Propaganda fide.

III. Episcopus titularis administrator alterius Ecclesiæ quas functiones in illa facere possit, et quomodo ei teneantur assistere canonici cathedralis? S. congr. Rituum in *Sarsinaten.* resolvit, 22 August. 1722, ut sequitur:

1. Episcopus administrator in functionibus pontificalibus non gaudet omnibus illis præeminentiis et prærogativis, quibus fruuntur et gaudent omnes alii episcopi in diœcesibus.

2. Dictus episcopus administrator, dum cantat Missas et Vesperas in pontificalibus, nequit sedere super cathedra episcopali elevata quatuor gradibus, parata cum baldachino, ac postergale, nec uti baculo pastorali, sed

sedere debet super faldistorio prope altare sine ipso baculo.

3. Concedere non potest indulgentiam quadraginta dierum sine speciali facultate apostolica.

4. Ei, dum assistit Missæ solemni ab alio cantatæ non debent canonici facere circulos ad *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis*, *Credo*, *Sanctus*, et *Agnus Dei;* tuncque sedeat in primo stallo chori.

5. Fieri non debet anniversarium suæ consecrationis cum missa cantata per capitulum et clerum, ejusque nomen non debet in canone memorari per sacerdotes celebrantes.

6. Cum administrator missam cantat in pontificalibus, non debet poni super altare septimum candelabrum, cum candela accensa.

7. Dum idem cantat missam in pontificalibus non debent omnes canonici sacris paramentis indui, sed tres tantum fungentes officiis diaconi, subdiaconi et presbyteri assistentis.

8. Dum vadit ad cathedralem potest arbitrio suo sumere cappam magnam in ædibus superioribus episcopatus, vel in ingressu ecclesiæ, aut presbyterii.

9. Decet ut canonici eum accessurum ad cathedralem accedant omnes excipere in dictis ædibus.

10. Diebus festis fieri debent publicæ orationes pro novi episcopi electione ad formam concilii Tridentini et Cæremonialis episcoporum.

IV. Episcopi suffraganei, annua præstatione super mensa episcopali ipsis constituta, provideri debent de congrua sustentatione. Valide sed illicite ordines conferunt sine licentia ordinarii, in cujus diœcesi degunt. (Bened. XIV, const. *Cum a nobis.*) Episcopus suffraganeus datus episcopo cum facultate exercendi pontificalia officia in civitate et diœcesi, de expresso consensu et licentia pro tempore exsistentis episcopi, non potest eadem pontificalia exercere, ut exercuit vivente episcopo, post illius mortem sede vacante et capitulo contradicente. (S. congr. Concil., 22 febr. 1631). — Unde mortuo episcopo illius suffraganeus ordines conferre non potest. (S. congr. Concil., 4 Februar. 1645.)

Sacra Rituum congr. declaravit: « Non teneri dignitates et canonicos obviam episcopo ire suffraganeo ad ecclesiam venturo usque ad ejus cubiculum, sicut tenentur obviam ire proprio archiepiscopo, sed satis esse, si aliqui canonici ei obviam procedant usque ad portam Ecclesiæ, et dignior ei aspersorium porrigat (ut se ipsum tantum aspergat) eumque usque ad altare, vel locum ad celebrandum, seu alias functiones exercendum destinatum associent. »

« Item declaravit dictum suffraganeum solemniter celebrantem non debere sedere in sede archiepiscopali, sed in faldistorio in cornu Epistolæ locando, nec debere uti baculo pastorali, nisi quando tenuerit ordinationes, vel alias functiones fecerit, in quibus juxta regulas libri Pontificalis eo uti debet, et necesse est, nec debere habere assistentiam duorum canonicorum præter diaconum et subdiaconum, qui erunt cantaturi in missa Evangelium et Epistolam, sicut haberet proprius archiepiscopus, si solemniter celebraret, sed satis esse, si præter diaconum et subdiaconum ei unus ex dignitatibus, vel canonicus assistat ad librum, pluviali paratus. »

« Similiter, celebrante episcopo suffraganeo, non teneri omnes dignitates et canonicos sacra paramenta accipere, sicut tenentur celebrante proprio archiepiscopo, sed præter ministros supradictos alios omnes assistere debere in habitu ordinario canonicali. Et pariter, celebrante episcopo suffraganeo, super altare non esse ponendum septimum candelabrum, sicut ponitur, celebrante proprio archiepiscopo. »

« In reliquis functionibus, quas exercet episcopus suffraganeus, vel alius episcopus delegatus a proprio archiepiscopo, velut in ordinationibus clericorum, in consecrationibus et reconciliationibus altarium, et ecclesiarum, seu cœmeteriorum, et in similibus, dignitates et canonicos teneri assistere episcopo suffraganeo in habitu canonicali, quando legitime non erunt impediti: et ex eis sacra sumere debere paramenta tot dignitates et canonicos, quot necessarii erunt, juxta rubricas Pontificalis, et formam actus, quam dictus episcopus suffraganeus exercet. »

Et ita in omnibus, ut supra, eadem sacra Rituum congr. censuit, et declaravit 1 Septemb. 1607, *Bracharen.*

Episcopi suffraganei, etsi decorentur pallio, in bullis tamen ejus concessionis cavetur, ne quid præjudicii ex hoc inferatur eorum metropolitis, quin et vetantur illud ferre in præsentia archiepiscopi. (Bened. XIV, *De synod. diœces.* lib. XIII, c. 5, § 2.)

Notandum est quod de titularibus episcopis, administratoribus et suffraganeis, in præsenti capite dictum est, intelligendum etiam esse de episcopis extraneis, in aliena diœcesi degentibus seu pertransgredientibus.

Sectio II. — De curia episcopali.

CAPUT PRIMUM.

Curiæ episcopalis necessitas et historia.

Præmissis in præcedenti sectione juribus et potestatibus episcoporum simul cum eorumdem obligationibus, nunc exponenda sunt media adjutoriaque quæ leges ecclesiasticæ sanxerunt ad bonum regimen ecclesiarum, exercitiumque jurium et potestatum, et obligationum adimpletionem. Ad quod enucleandum in primis necesse est prænovisse, quid sit et qua forma legitime constitui possit et debeat *episcopalis curia*, id est tribunal seu tribunalium collectio, in quibus ab ipso episcopo, vel ipsius nomine, justitia redditur. Episcopus in sua diœcesi habet jurisdictionem ordinariam et merum et mixtum imperium. (Communis, apud Fagnan. in cap. *Perniciosam*, *De offic. ordin.*, n 25 et seqq.) Tenetur ex officii sui debito jurisdictionem gratis administrare. (Id., in cap. *Quoniam*, *Ne prælati vices suas*, n. 11.) Solus vero nequit omnia munia sua obire ; unde necesse est ut curiam seu administrationem suam constituat. Ea quæ semel juxta canonicas sanctiones constituta, omnia ordinate peraguntur, nihilque languescit, quamvis episcopus ipse quoquomodo impediatur. Itaque sub diversis formis, curia episcopalis ab Ecclesiæ Christianæ origine fuit in constitutione uniuscujusque sedis episcopalis.

§ I. — Forma episcopalis curiæ, per quinque priora sæcula.

Ab initio Ecclesiæ presbyterium, seu (quod idem est) cathedrale capitulum, de facto et de jure fuit consilium episcopi ; et debuit episcopus, sicut in expediendis aliis arduis negotiis, ita et in administranda justitia, seu exercenda jurisdictione contentiosa, hocce consilio uti. 2° Jam longe ante sæculum sextum, vicarii generalis episcopi munus in qualibet diœcesi archidiaconus obibat ; idque non ex mera delegatione, sed vi officii sui, et ita ut jam tum officium illud fuerit perpetuum, a quo scilicet archidiaconus absque justa causa dejici nequiret ; qui tamen vice episcopi, et ipsius nomine ac auctoritate, jus dicere censeretur.

§ II. — Forma episcopalis curiæ, ex quo vicarii generales in locum archidiaconorum successere.

Cum autem, post annum Christi millesimum, cœpissent episcopi accersere sibi vicarios generales, quos ad nutum possent exauctorare et officiales, archidiaconi quoque paulatim spoliari cœpere antiqua latissimaque auctoritate, de qua abusi fuerant.

Amoto igitur archidiacono, qui in officio perpetuus erat, pro tribunali sedit vicarius generalis ad nutum episcopi revocabilis : non sublatum tribunal, sed potius mutata judicis conditio fuit. Quæ disciplinæ immutatio, paulatim cœpta, decimo tertio tandem sæculo fere ubique completa fuit. Remanserunt tamen archidiaconi, cum potestate coarctata, ut capitulorum dignitates. Cæterum, quia recentioris institutionis sunt vicarii generales, frustra quidquam de eorum officio in quinque libris Decretalium, aut antiquioribus documentis, inquires. Reperies duntaxat in sexto titulo III libri I nonnulla sæculi XIII hac de re decreta. (Bouix, tract. *De judiciis*, t. I, part. II, sect. 2, *De curia episcop.*, p. 342 et seqq.)

§ III. — Hodierna episcopalis curiæ forma.

Curia episcopalis late sumpta, seu regiminis episcopalis constitutio administrativa pluribus et diversis hodie consiliis et personis completur.

I. *Quoad consilia* quæ habere et consulere tenetur, sunt sequentia : 1° Capitulum ecclesiæ cathedralis ; 2° Examinatores synodales in parochiarum concursu ; 3° Duplex commissio seminariorum administrativa ; 4° Testes synodales ; quatuor judices querelarum et excusationum in synodo ; de quibus diversis consiliis jam tractavimus, aut in suo loco dicemus.

II. Quoad personas, episcopus, in quantum opus est, tenetur constituere : 1° Vicarium generalem ; 2° theologum episcopi ; 3° vicarium monialium ; 4° vicarios foraneos ; 5° cancellarium episcopi ; 6° cancellarios

foraneos; 7° advocatum fiscalem; 8° advocatum pauperum; 9° procuratorem pauperum; 10° depositarium pignorum; 11° depositarium mensæ episcopalis; 12° depositarium pœnarum; 13° revisorem computorum administratorum locorum piorum; 14° baroncellum; 15° cursorem, sive bajulum, aut nuntium; 16° visitatorem diœcesis; 17° potest etiam habere familiam armatam. De quibus singulis nunc juxta canonicos sanctiones tractare habemus.

CAPUT II.

De recta ratione vicariatus generalis episcopi, seu officialitatis.

§ I. — Vicariatus generalis ratio.

Ad errores gravissimos, et ex iisdem enascentia pericula præcavenda, necesse est rectam de vicariatu generali episcopi notionem habere. Itaque cum Bouix, in tract. *De judiciis*, part. II, sect. 2, sequentes propositiones, quas præclarus auctor fuse demonstrat, adhibemus.

PROPOSITIO PRIMA.

De essentia vicariatus generalis episcopi est aliqua potestas ecclesiastica.

Conclusio hæc per se patet.

PROPOSITIO SECUNDA.

Potestas vicario episcopi competens, est essentialiter et tota quanta ministerialis.

Etenim non nomine proprio, sicut episcopus, sed hujus nomine tanquam illius minister vicarius agit.

PROPOSITIO TERTIA.

Vicario generali episcopi essentialiter non competit, ut valeat vices episcopi agere in exercenda ordinis episcopalis potestate.

Quamvis reipsa episcopus possit esse alterius episcopi vicarius in pontificalibus, generaliter tamen et de facto clerici consecratione episcopali destituti sunt vicarii generales, et ut tales a jure communi agniti.

PROPOSITIO QUARTA.

De essentia vicariatus generalis est potestas exercendi aliquam jurisdictionem episcopo propriam.

Conclusio hæc ex præcedentibus sequitur; nam ex prima et secunda propositione, vicariatui generali essentialis est aliqua ecclesiastica potestas, et hæc est potestas episcopi propria. Atqui ex propositione tertia potestas ordinis episcopalis non est essentialis vicariatui generali; ergo potestas jurisdictionis episcopalis est de essentia vicariatus: episcopo enim præter potestatem ordinis, non alia inest quam potestas jurisdictionis.

PROPOSITIO QUINTA.

Vicarii generalis episcopi jurisdictio est essentialiter aliquo sensu universalis quoad territorium et quoad causas.

Nam repugnat in terminis aliquem esse *generalem* alterius vicarium, nisi possit, in aliquo saltem sensu, *generaliter* vices ejus explere.

Quam doctrinam, pro certa omnino tenendam sic exponit Layman, in cap. *Romana* 1, *De officio vicarii*, in 6. « Requiritur ad generalem vicariatum ut tum generalitas locorum, seu totius diœcesis, tum vero generalitas causarum ipsi commissa sit. Sin vero vicarius aut officialis episcopi solum constitutus sit pro civitatensibus, non potest censeri generalis; sed jurisdictio ejus censebitur diversa a jurisdictione episcopali, non absimilis jurisdictioni vicariorum ruralium; ut proinde nec ipse sedis apostolicæ delegatus esse possit. (Arguitur ex Clement. 2, *De rescriptis.*)

« Si quis vicarius episcopi nequeat episcopalem jurisdictionem *universaliter* exercere, saltem in aliquo sensu, is nequaquam censendus est generalis episcopi vicarius, sed merus duntaxat delegatus; ac proinde ipsi nullatenus applicandæ veniunt juris communis dispositiones quæ vicarios generales respiciunt, sed eæ quæ ad delegatos referuntur. » Bouix, *ubi supra*, prop. ead.)

PROPOSITIO SEXTA.

Vicariatui generali essentialis non est universalitas jurisdictionis stricte sumpta, sed duntaxat moraliter sumpta.

Et quidem 1° sufficit jurisdictionem esse moraliter universalem quoad causas, ex decretali *Cum in generali* 3, tit. XIII, lib. I, in 6, ibi: *Officialis, aut vicarius generalis episcopi, beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa.* Et in præcedenti decretali: *Licet in officialem episcopi, per commissionem officii generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur, potestatem tamen inquirendi, corrigendi, aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, officiis, vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eumdem; nisi specialiter hæc sibi committantur.*

2° Idem videtur dicendum de universalitate quoad territorium; nam vicarius potest

deputari generaliter quoad totam diœcesim, excepto tali monasterio, vel tali oppido. Si tamen restrictio quoad loca esset notabilis et ad medietatem diœceseos accederet, jam dici non posset commissa vicario jurisdictionis universalitas etiam moraliter sumpta ; ac proinde talis vicarius esset duntaxat episcopi delegatus, non autem generalis vicarius. » (Bouix, *ibid.* prop. ead.)

PROPOSITIO SEPTIMA.

Ut quis sit vicarius generalis episcopi essentialiter requiritur ut sit vicarius in spiritualibus, non autem in temporalibus.

Vicarius episcopi in temporalibus (qui etiam, et melius, nuncupatur œconomus), ille est quem sibi substituit episcopus ad administranda bona sua temporalia. Potest autem episcopus eumdem constituere vicarium in spiritualibus et etiam in temporalibus. Sed vicarius in spiritualibus tantum simpliciter vicarius, vel cum addito *in spiritualibus* generalis, est proprie vicarius generalis ; ut patet ex Trident., sess. 13, c. 1, 2, 3, 4, et ex Brevibus apostolicis episcopis seu eorum vicariis directis.

PROPOSITIO OCTAVA

Est de essentia vicariatus generalis episcopi ut actus a vicario generali gestos episcopus faciat suos.

Ex unanimi doctorum consensu, et generali Ecclesiæ praxi, et habetur expresse a jure definitum, cap. 2. tit. IV, lib. I, in 6, ibi : *Non putamus illam consuetudinem, quantocunque tempore de facto servatam, consonam rationi, quod ab officiali episcopi ad eumdem episcopum valeat appellari : ne ab eodem ad seipsum (cum sit idem auditorium utriusque), appellatio interposita videatur.*

« Valde autem attendenda est essentialis illa vicariatus generalis proprietas, quod nempe actus ejus suos faciat episcopus. Ea enim, tanquam differentia maxime propria, discernitur et in vera sua notione determinatur ejusmodi officium. Cum autem dicimus episcopum suos facere vicarii sui generalis actus, intelligimus quoad juris effectus : nam si ex malitia vel imperitia injuste agat vicarius generalis, nequaquam hunc defectum suum facere censetur episcopus ; imo illum coercere et punire potest ; sed tamen regulariter habebitur actus ille quoad effectum juris, tanquam si ab episcopo prodiisset. » (Bouix, *ibid.* prop. ead.)

Ex præfatis propositionibus, vicarius generalis episcopi recte definiri potest : legitime deputatus ad exercendam generaliter jurisdictionem episcopalem vice episcopi, et ita ut actus ejus ab episcopo gesti censeantur. (Bouix, *ibid.* p. IX.)

§ II. — Evolvitur notio de natura vicariatus generalis episcopi.

1. Vicarius generalis episcopi jurisdictionem habet a lege, per episcopum. Sic communius tradunt doctores. « Lex ipsa est, ait Pignatellus, quæ dat jurisdictionem vicario generali, secundum Glossam in caput *Romana* 3, tit. XV, lib. II, in 6, verb. *Generaliter*. » (Tom. IV, consult. 87, n. 5.) Citantur ibi plures hanc sententiam tenentes. « Quinimo, ait alibi idem auctor, vicarium esse prælatum constat ex eo quod exercet totam illam jurisdictionem quam habet ipse episcopus. Hæc autem jurisdictio constituit prælaturam ; et proinde censetur constitutus a lege ; et accipit jurisdictionem a lege ubi primum vicarius constituitur... Unde habet jurisdictionem ratione officii et titulo vicariatus. » (Tom. III, consult. 64, n. 4.)

« Cum jure canonico licitum sit et permissum episcopis constituere et assumere vicarios, cap. *Cum episcopus*, *De offic. ordinarii*, cap. ultimo, *De hæreticis*, in 6, qui vice eorum jurisdictionem episcopalem exerceant, hoc ipso quod episcopus nominat et constituit vicarium ex permissione juris, jus ipsi det et conferat jurisdictionem ordinariam ; supposita tamen et interveniente dicta nominatione seu institutione episcopi. » (Leuremus, *De vicariis episcoporum*, c. 2, quæst. 72, ubi auctores citat plurimos.)

2. Vicarius generalis episcopi ordinariam habet jurisdictionem, non vero delegatam ; hæc est sententia communis doctorum, solidis omnino rationibus vera demonstrata, et per decisiones et praxim congregationum Romanarum jamdudum canonizata et extra controversiam posita. (Bouix, *ibid.*, § 2, quæst. 2.)

3. Potest episcopus pro arbitrio restrictam vicario suo jurisdictionem concedere ; imo potest nullum sibi constituere vicarium, ut dicetur infra. At vero, si restrictiones ita latæ sint ut universalitatem causarum et locorum moraliter sumptam tollant, jam non est vicarius generalis, ipsique applicanda non sunt jura quæ veros vicarios generales respiciunt. Nam exempli gratia, a sententia

talis vicarii non dabitur appellatio immediate ad archiepiscopum, sed ad episcopum ; nec poterit archiepiscopus appellationem recipere, utpote quæ non erit a sententia veri vicarii generalis, sed meri delegati. Ne ergo dubia et difficultates oriantur, satius est ut parcus sit episcopus in restringenda per modum reservationis vicarii sui generalis jurisdictione ; vel saltem ipsi vicarii generales ante perpendant restrictiones ejusmodi, et discernant an, iis attentis, sint veri vicarii generales, an vero duntaxat meri delegati, et ad instar vicariorum foraneorum, ut suam inde agendi rationem recte valeant instituere. (Bouix, *ibid.* quæst. 3.)

4. Certum est vicarios generales, ex quo in locum archidiaconorum successere usque nunc, fuisse ad nutum episcopi revocabiles, et cum morte episcopi eorum officium exspirare.

5. Vicarius generalis non differt ab antiquissimis archidiaconis, qui idem cum episcopo tribunal habebant, nisi in eo quod archidiaconus esset perpetuus, vicarius vero sit revocabilis. At decimo tertio sæculo circiter, jus commune fuit, ut archidiaconorum tribunal distingueretur a tribunali episcopi, et ab eorum sententia ad episcopum daretur appellatio; constat ex decretali Innocentii IV, 3, tit. xv, lib. II, in 6. Et sic exsistit essentialis differentia inter archidiaconatum et vicariatum generalem, qui idem habet cum episcopo tribunal.

6. Vicarius generalis differt a delegato, et a vicario foraneo : 1° quia uterque dictus caret jurisdictione universali; 2° quia uterque habet jurisdictionem divisam et tribunal divisum a jurisdictione et tribunali episcopi; ita ut ab ipsis ad episcopum detur appellatio; et hæc appellatio datur etiam a delegato episcopi ad universalitatem causarum.

7. Non datur appellatio a sententia tam judiciali quam extrajudiciali vicarii generalis ad episcopum, quotiescunque vicarius, ut ordinarius, procedit. Si vero ut specialiter delegatus episcopi vicarius procedat, appellatio datur ad episcopum delegantem. Appellatur etiam ad episcopum ab interlocutoria sententia vicarii.

8. Episcopus nequit concedere restitutionem in integrum contra sententiam sui vicarii generalis, nec a fortiori vicarius potest, tum contra suam, tum contra episcopi sententiam. Nam ex inducta juri communi contraria consuetudine, jam non possunt ordinarii (inferiores papa) restitutionem in integrum, contra sententiam definitivam a seipsis prolatam concedere ; sed restitutio hæc a judice appellationis, vel a sede apostolica obtinenda est. (Bouix, *ibid.* quæst. 8.)

9. A sententia vicarii generalis non potest quidem appellari, sed supplicari ad episcopum, ut obtineatur gratia, id est remissio pœnæ per sententiam vicarii impositæ, non vero ut episcopus sententiam irritet, quatenus ipso jure nullam aut injustam.

10. Episcopus causam pendentem coram vicario suo ad se revocare potest, aut etiam ei inhibere ne judicet in certa causa.

11. Quamvis controvertatur, videtur tamen quod appellari possit a delegato episcopi ad vicarium generalem.

12. Vicarius generalis, episcopo excommunicato, suspenso, vel interdicto, jurisdictionem exercere nequit. Supponitur autem episcopum fuisse nominatim excommunicatum : si enim non sit excommunicatus vitandus, sed toleratus, jurisdictionem retinet ; ac proinde eam etiam retinet ejus vicarius generalis.

13. Etsi inter se non conveniant auctores, videtur tamen quod vicarius generalis, ex ea sola ratione quod sit ad nutum episcopi revocabilis, sit merito suspectus quando ipse episcopus suspectus est ; unde recusari potest vicarius generalis tanquam suspectus, quando adest ratio legitima recusandi episcopum tanquam suspectum.

14. At vero probabilius recusari nequit episcopus, ex eo quod adsit ratio legitima recusandi ejus vicarium generalem tanquam suspectum.

15. Quando episcopus plures constituit vicarios generales, censentur constituti in solidum ; ac potest proinde unusquisque absque aliis causas cognoscere; et datur consequenter locus prævention ; ita scilicet, ut si unus causam præoccupaverit, nequeant alii in ea sese intromittere. In praxi autem solent episcopi jubere, ut unus unam duntaxat jurisdictionem, verbi gratia, voluntariam, alius vero alteram, verbi gratia, contentiosam exerceat. Per hanc tamen episcopi jussionem, unusquisque vicarius generalis non amittit generalitatem jurisdictionis, et in utraque validi sunt actus, quamvis merito propter prohibitionem transgressam

posset eum episcopus punire et exauctorare.

§ III. — Inter voluntariam jurisdictionem et contentiosam discrimen.

1. De jure communi et praxi hodierna vicarii generalis et officialis nomina synonyma sunt, et idem omnino officium exprimunt. (C. *Cum nullus* 3, tit. IX; c. *Cum in generali* 3, tit. XIII, lib. I *Decret.* in 6; et *Trident.* sess. 24, cap. 16.)

2. Non potest facere episcopus, ut qui voluntariam duntaxat jurisdictionem valet exercere, sit verus vicarius generalis in sensu juris. Nec etiam, ut qui contentiosam duntaxat jurisdictionem valet exercere, sit verus officialis in sensu juris. Unde tali vicario seu officiali applicandæ forent dispositiones juris quæ delegatum, non autem quæ generalem episcopi vicarium seu officialem respiciunt.

3. Potest episcopus aliquem officialem suum, seu (quod idem est) aliquem suum vicarium generalem, sub pœna revocationis, non autem sub pœna nullitatis actuum, cogere, ut vel contentiosam tantum, vel voluntariam tantum jurisdictionem exerceat. Jam vero actus gesti ab habente jurisdictionem sunt validi, quantumvis prohibuerit episcopus ne ad eos deveniretur. Sed poterit episcopus prohibitionem suam transgredientem exauctorare.

4. Discrimen officialem inter et vicarium generalem, in iis regionibus in quibus duo hæc officia distinguuntur, non provenit ex diversa eorum jurisdictione, sed ex præcepto episcopi, ut unus voluntariam, alter contentiosam duntaxat jurisdictionem exerceat. Ex hac tamen consuetudine curiæ Romanæ praxi legitimata, nequaquam inferri potest diversam esse in seipsa jurisdictionem ejus, qui, in dictis regionibus, vocatur officialis, et ejus qui vicarius generalis nuncupatur.

5. In formula deputationis vicarii generalis vel officialis, debet expresse vel æquivalenter dici, eum deputari ad exercendam generaliter jurisdictionem episcopi. Sequitur ex præcedentibus. (Huc usque ex Bouix, *De judiciis*, part. II, sect. 2, cap. 2.)

CAPUT III.

De vicarii generalis constitutione.

§ I. — De requisitis ad vicarii generalis officium qualitatibus.

I. Episcopus debet in vicarium eligere clericum saltem primæ tonsuræ; nam laicis non licet ecclesiastica tractare negotia. (C. *Decernimus* 2, *De judiciis.* « Potest nihilominus pure laicus de licentia et concessione papæ esse vicarius generalis in spiritualibus. » Leurenius *De vicariis episc.* c. 1, quæst. 37.)

II. Clericus conjugatus licet cum unica, et virgine, non potest esse vicarius generalis episcopi. (S. congr. Episc. 11 Sept. 1612.) Et multo minus bigamus. (Cap. unic. *De cleric. conjugato* in 6.)

III. Qui ortus non est ex legitimo matrimonio, absque dispensatione pontificia non potest promoveri nec ad majores ordines, nec ad beneficia curam animarum habentia. (Ex cap. 1, tit. XI, lib. I, in 6.) Unde illegitimus, etiamsi dispensatus a papa ad sacros ordines, et ad beneficia curata, nequibit absque nova dispensatione assumi in vicarium generalem.

IV. In vicario generali requiritur ætas 25 annorum inchoatorum. (Ex cap. *Licet* ; cap. *Cum in cunctis, De elect.* in 6; *Trident.* sess. 24, c. 12.)

V. Vicarius generalis esse non potest nepos, nec frater, nec avunculus, nec consanguineus episcopi. (Ita Ferraris, qui plures sacr. congr. Episcop. declarationes citat. v. *Vicarius gen. episc.* n. 29 et seq.) Bouix vero nullatenus convincunt illæ Ferrarii assertiones et allegationes. « Nam, inquit, 1° nullus affertur conciliorum aut pontificalium decretalium textus, jus universale respiciens, quo vel apertis, vel etiam ambiguis terminis, prohibeatur episcopus nepotem, fratremve aut avunculum in vicarium generalem sibi assumere. 2° Declarationes allegatæ nullibi exstant authentice editæ : nec fidendum est auctoribus multis qui ejusmodi decisiones circumferunt. 3° Videndum præterea esset, an revera ad quæstionem juris generaliter decidendam faciant. 4° Habemus quidem decretum concilii Romani anni 1725, quo statuitur : *Episcopi in vicarios generales suos fratres, aut nepotes, aut propriæ episcopalis urbis cives non eligant*, tit. VIII, cap. 2; at synodus hæc provincialis duntaxat fuit ; ac proinde jus commune determinandi vim non habet; quamvis magnæ auctoritatis sit ejusmodi provinciale decretum, ad persuadendum episcopis minus expedire, ordinarie saltem, ut consanguineos ad dictum officium deputent. 5° Cum ergo certo illud licitum sit, quod nulla lege

satis nota fuit prohibitum, donec mihi clare innotescat aliqua in contrarium pontificiæ auctoritatis ordinatio, vim legis universalis habens, illegitimum vicarium generalem pronuntiare non audebo, nepotem aliumve consanguineum episcopi, modo alios qualitatibus a jure requisitis non careat. (Bouix. *De judiciis*, part. II, sect. 11, c. 3, quæst. 8.)

VI. Quæritur etiam an originarius civitatis vel diœcesis possit esse vicarius generalis? Nullus hac de re affertur conciliorum aut pontificalium decretalium textus, jus commune respiciens. Sed nec Fagnanus, nec Schmalzgrueber, nec antiqui canonistæ aliquam sententiam de hac controversia emittunt. Sed cardinalis de Luca, discursu 31, ad conc. Trident. n. 21, ait: «Episcopo... ob civicas æmulationes ac factiones, injungitur necessitas habendi vicarium exterum.» Pignatellus tom. IX, consult. 162, ait: « An originarius civitatis, vel diœcesanus, possit esse vicarius generalis? Respondeo *negative*. Exstant enim hac de re plura decreta, cum in genere, tum in specie tenoris sequentis: *Originarius civitatis vel diœcesis non potest esse vicarius: nam propter consanguinitates, familiaritates, et alias attinentias, potest deviare a recta justitia, et se reddere partibus suspectum.* (Ita sacr. congr. Episc. *in Hastuensi*, 28 Julii 1587, et sæpe sæpius. Idem docet Ferraris, verb. *Vicarius gen. episc.* n. 34, ubi citat hoc concilii Romani 1725 decretum: *Episcopi præterea in vicarios generales suos fratres, aut nepotes, propriæ episcopalis urbis cives non eligant.* Iidem auctores addunt: « Solet tamen sacra congregatio sæpe dispensare, ut episcopus præsertim residens tenere possit vicarium diœcesanum: dummodo non det occasionem querelarum, et hoc multis de causis, et signanter si episcopus adhuc extraneum idoneum invenire nequiverit: quod vicarius exterus non cito possit accedere: propter fructuum Ecclesiæ tenuitatem; propter aeris intemperiem; propter notitiam bonarum qualitatum talis vicarii diœcesani, qui sit eximius in regimine. »

« Adeo concordes, inquit Bouix, reperio doctores cæteros in admittenda eadem doctrina tanquam certa, et (quod peremptorium præcipue est) in attestando facto de memoratis declarationibus et decretis sacræ congregationis Episcoporum et Regularium, ut nequaquam possim declinare conclusionem hanc: *De jure communi, non licere episcopo in vicarium generalem eligere diœcesanum, absque pontificia dispensatione*; quod jus commune hodiedum etiam vigere omnino censendum videtur; nisi forte quis alicubi contraria et legitime præscripta consuetudine abrogatum jus illud sustineat; cujus tamen abrogationis probatio videtur valde difficilis. » (Bouix, *De judic.* part. II, sect. 2, c. 3, quæst. 9.) Putat idem auctor, non ad actuum validitatem requiri ut vicarius generalis sit exterus, sed ad liceitatem tantum, cum non probetur dictam conditionem sub pœna nullitatis exigi. Nobis tamen videtur, attenta constitutione uniuscujusque Galliarum diœcesis ex pluribus antiquis diœcesibus, quod consuetudo Gallica originarium diœcesis in vicarium generalem assumendi, non sit improbanda; præsertim cum fere omnes episcopi sint exteri, et diœceses amplissimæ, ita ut vicarii diœcesani sint quasi exteri. Et forte sacr. congr. declarationes respiciunt ad parvas Italiæ diœceses quæ unam tantum civitatem aliquando includunt. Attamen probandi sunt episcopi qui sibi vicarios generales exteros eligunt; et ob auctoritatem doctorum, locus est dubitandi an licitum sit absque sacræ congregationis licentia diœcesanum pro vicario generali assumere.

VII. Ex sententia doctorum et sacr. congr. Episcop. et Concil. declarationibus apud Bouix, ubi supra, quæst. 6, concludendum videtur non licere ut parochus, etiam in civitate episcopali curam habens, sit simul vicarius generalis. Si tamen ab episcopo fieret ejusmodi nominatio, an foret non tantum illicita, sed et invalida? ex nullo juris textu, neque ex dictis sacrarum congr. declarationibus id inferri posse videtur: nisi tamen exstet aliqua ejusmodi declaratio quæ expresse nullitatem nominationis in hoc casu definierit.

VIII. Pœnitentiarius non potest esse vicarius generalis, ne suspicionem ingerat quod in administratione justitiæ utatur scientia confessionis, nisi tantæ sit apud omnes bonæ famæ et opinionis, ut excludatur hujusmodi suspicio. (Sacr. congr. Episc. *in Ariminen.*, 28 Januar. 1611, apud Ferrar. verb. *Vicarius gen. episc.* art. 1, n. 36.)

IX. Vicarius generalis « non necessario debet esse clericus sæcularis; nam etiam canonici regulares, et monachi cum consensu

prælati vicarii constitui possunt, cum jure non prohibeantur, ita tamen ut socium religiosum habeant adjunctum. (Rebuff. *Prax. Benef.* tit. *De vic. episc.* n. 30 et 31. Ubi n. 32 addit ejus muneris incapaces esse religiosos ordinum Mendicantium : et colligitur ex Clem. 1, § *Ad prioratus, De regular.* » (Schmalz. part. iv, tit. xxviii *De officio vicarii*, n. 17; et cardinalis Petra, apud Bouix, *De judiciis*, part. ii, sect. 2, c. 3, quæst. 3.) Contra citissimam Ferraris opinionem, concludit omnes religiosos, etiam ex Mendicantium ordinibus (exceptis his qui ad non Mendicantes transierunt, et Minoristis) assumi posse ad officium vicarii episcopi, accedente licentia proprii superioris. Colligitur ex cap. *Monachi* 2, causa 16, quæst. 1 ; et cap. 2, *De postulat.*

X. Episcopus esse potest alterius episcopi generalis vicarius, tam in pontificalibus, quam spiritualibus. « Quin et teneri episcopum, talem episcopum titularem seu nulla tenentem, assumere vicarium, non tantum in pontificalibus, sed et pro reliqua jurisdictione exercenda, in diœcesi ubi sunt populi diversarum linguarum et rituum juxta caput *Quoniam, De officio ordin.* dictum est supra, » quando episcopus ipse non cognoscit linguam. (Leurenius, *De vicar. episc.* cap. 1, quæst. 55.) Verum de episcopo, qui et ipse propriam diœcesim administrat, videtur idem dicendum ac de parocho, quod non possit esse vicarius alterius episcopi.

XI. « Utrum vicarius generalis debeat esse doctor, et in qua facultate? 1° Difficultate non caret quæstio illa; ita etiam ut in varias sententias abierint doctores, dum alii negant requiri ullam lauream; alii affirmant requiri doctoratum vel in theologia, vel in jure canonico, alii in jure sacro gradum existimant; ut videre est apud Leurenium, *De vicar. episc.* cap. 1, q. 49. » (Ita Bouix, ubi supra, q. 4.)

« Certum est nullum exstare juris textum, quo expresse decernatur laureæ necessitas, quoad vicarium generalem episcopi, » ait Bouix. (*Ibid.*) Et pergit: « Ferraris autem (verb. *Vicarius generalis*, art. 1, n. 38) testatur de plurimis sacræ congregationis Episcoporum et Regularium declarationibus, quibus, si sint authenticæ, et ad rem faciant, quæstio jam soluta omnino censenda foret. » (*Ibid.*)

Mihi vero ex pluribus juris textibus videtur quæstio soluta in eo sensu quod vicarius generalis episcopi debeat esse doctor aut licentiatus in jure canonico, seu magister in theologia.

Etenim 1° ex unanimi doctorum sententia vicarii generales archidiaconis successerunt. Atqui, in cap. 7 *Ad hæc nos*, tit. xxiii *De offic. archidiaconi*, lib. i *Decretal.*, textu expresso : « Secundum vero Romani ordinis constitutionem (archidiaconus) major post episcopum, et ipsius episcopi *vicarius* reperitur : omnem sollicitudinem et curam, tam in clericis, quam in ecclesiis eorum (prout melius secundum Deum poterit), impendendo, cum super his sit redditurus rationem in districti examinis judicio. Item in epistola B. Clementis papæ prædecessoris nostri, *oculus episcopi* archidiaconus appellatur, ut loco episcopi per episcopum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat et emendet ; quæ sunt etiam vicarii generalis officia. Et cap. *Cum in cunctis*, 7, tit. vi *De elect.* lib. i *Decretal.* jubetur ut *archidiaconus (qui curam animarum habet) jam vicesimum quintum ætatis annum attigerit, et scientia et moribus commendandus exsistat. . . Episcopus autem, si contra hæc fecerit, aut consenserit fieri, in conferendis prædictis officiis et beneficiis potestatem amittat, et per capitulum, aut per metropolitanum (si capitulum concordare nequiverit) ordinetur.* (*Ex Conc. Lateran.* sub Alexandro III.)

2° Hos citatos canones renovans et explicans sacrosanctum concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 12, sic statuit : *Nemo igitur deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem* 25 *suæ ætatis annum attigerit : et in clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exsequendum necessaria, ac morum integritate commendetur, juxta constitutionem Alexandri III in concilio Lateranensi promulgatam quæ incipit* Cum in cunctis ; *archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in theologia, seu doctores, aut licentiati in jure canonico. Ad cæteras autem dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei...* etc.

Hic sacrosanctum concilium distinguit inter dignitates curam animarum habentes, et dignitates quibus animarum cura nulla subest. Pro primis exigit doctrinam ad suum munus exsequendum necessariam, et pro

archidiaconis, qui curam animarum habent, ut sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in theologia, seu doctores aut licentiati in jure canonico; pro aliis vero dignitatibus præscribit tantum idoneitatem.

Ex hoc sancti concilii decreto sic concludendum videtur. Vicarii generales successores sunt archidiaconorum in vicariatu episcopi, et tempore Tridentini concilii archidiaconi erant adhuc vicarii generales. Atqui pro archidiaconis, exigitur a sacrosancto concilio ut sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in theologia, seu doctores aut licentiati in jure canonico; ergo idem dicendum est de vicariis generalibus.

Præterea ex eodem decreto, nemo ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur... nisi... doctrina ad munus exsequendum necessaria... commendetur. Atqui ex unanimi doctorum sententia, et jure, vicarii generales sunt dignitates curam animarum habentes, quibusque doctrina theologiæ et juris canonici ad suum munus exsequendum necessaria est. Ergo necesse est ut vicarii generales scientia theologiæ et juris canonici saltem commendentur. Commendatio vero authentica et publica est ut sint doctores in universitate studiorum. (Arg. ex cap. 2, sess. 22 *Trident.*)

In citato decreto sancti concilii Tridentini dicitur : *Sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri*, etc. Ex his verbis, *ubi fieri poterit*, episcopis doctores alios idoneos non invenientibus, licet non doctores alioquin idoneos in vicarios generales assumere. Cum vero hic non hortatur, sed præcipit sacrum concilium, ubi adsunt doctores idonei non licet episcopis alios non doctores vicarios generales eligere, et sic decisum fuisse a sacr. congregr. uti videbimus infra.

3° Non desunt doctores, qui, ex cap. 16, sess. 24 Trident., concludunt necessitatem doctoratus pro vicario episcopi, quamvis alii sentiant solum ibi sermonem esse de vicario capitulari, non de vicario generali episcopi. Schmalzgrueber, part. IV, tit. XXVIII, n. 17, ait : « Vicarius generalis episcopi sicut et capitularis scientia ea esse debet, ut sit doctor, vel licentiatus in theologia, aut jure canonico juxta Trident. sess. 24, c. 16, *De reform.* »

4° Ex sacr. congr. Episc. et Regul. declarationibus apud Ferraris verb. *Vicarius gen. episc.*, art. 1, n. 38, quas in dubio revocare nulla ratio suadet, cum Additiones theologi Romani nihil reprehendant de hoc numero, Monacellusque doctrinam Ferraris confirmet. Vicarius generalis episcopi, inquit Ferraris, « debet esse doctor, vel licentiatus in jure canonico. (S. congr. Episc. et Regul. *in Polignanensi*, 28 August. 1582 ; *in Tridentina*, 6 Octobr. 1645 ; et sæpissime alibi.) Unde si ad sacram congregationem Episcoporum habeatur recursus contra episcopum non retinentem vicarium jurisperitum, solet ipsa demandare ut retineat vicarium generalem doctorem, ut testatur Monacelli, part. II, tit. XVI, form. 7, n. 3. Et hoc præcipue locum habet quando episcopus ipse theologus sit et non jurista (S. congr. Episc. *in Arben.*, 23 April. 1691), ne semper indigeat assessore. (S. congr. Episc. *in Cajacensi*, 11 Maii 1594 ; et *in una Montisfalisci*, 12 August. 1650.) Nec sufficit esse theologum. (S. congr. Episc. *in Surrentina*, 15 Novembr. 1605.) Et interim donec provideatur, datur doctor pro consultore. (*Ibid.*) Aliquando tamen sacra congregatio Episcoporum concessit posse episcopum tenere vicarium non doctorem, alias tamen idoneum præsertim dum episcopus jurista residet. » (Ead. congr. *in Tragurien*si, 15 Julii 1590 ; et *in Oriensi* seu *Oritana*, 29 Maii 1593.)

« De stylo sacræ congregationis Episcoporum et Regularium, mandandi episcopis ut habeant vicarium generalem doctorem, testatur Monacelli, part. II, tit. XVI, form. 7, n. 3, addens : *Quamvis in jure nullibi cautum sit, ut talis vicarius debeat esse doctor;* ut advertit cardin. de Luca *Supra Concil. Trident.* disc. 31, n. 14. »

Et hæc sunt verba cardinalis de Luca, in citat. discursu. « Unde propterea (ut alibi advertitur) per sacram congregationem Episcoporum, quando recursus habentur, demandari solet episcopo, ut teneat vicarium generalem doctorem, et non diœcesanum ; et tamen nullibi cautum est ut vicarius debeat esse doctor. » Et in discursu 4 ejusdem : « Sacra congregatio Episcoporum... solet, regulariter, juxta ejusdem decreta generalia præcipere, ut ille (vicarius episcopi) esse debeat utriusque juris, vel saltem canonum doctor, ac non diœcesanus. »

Ex his testimoniis nullum remanere potest dubium de authenticitate declarationum et de stylo sacræ congreg. Episc., sed citissime pronuntiatum videtur, quod nullibi *cautum*

sit in jure ut vicarius debeat esse doctor ; nam supra demonstravimus concilium Trident. præcipere ut archidiaconi, vicarii generales, sint doctores. Et sic intellectum fuisse a sacr. congr. Concil. patet ex declarationibus capiti 12, sess. 24, additis in edit. *Concil. Trident.* Coloniæ, 1754, ibi : « 1. *Archidiaconi:* archidiaconis, qui non habent curam animarum, vel jurisdictionem, non præcipitur hoc decreto, ut sint doctores vel licentiati, sed hoc debet intelligi de illis archidiaconis, qui revera archidiaconatus officium exercent, non autem de aliis.—2. *Aut licentiati in jure canonico,* qui vere carent cura animarum, et omni prorsus jurisdictione, non comprehenduntur hoc decreto, quoad qualitatem doctoratus vel licentiaturæ per hoc caput requisitam. »

Præterea doctrina cardinalis de Luca in simili quæstione improbatur a sacr. congreg. Concilii. Etenim, si in capitulo non sit, nisi unus doctor, posse eligi vicarium capitularem non doctorem, ne coarctetur libertas electionis, tradit cardin. de Luca ad concil. Trident. disc. 31, n. 10 et 12.

« At doctrina hæc cardinalis de Luca improbata fuit, et quidem pluries a sacra congregatione Concilii interprete, rescribendo pro nullitate electionis in vicarium capitularem expletæ de persona quæ gradum doctoris in publica universitate haud fuerat assecuta, quando in capitulo aderat unicus doctor, ut *in Venusina vicarii capitularis,* 6 Aug. 1702; *in Acernen. vic. capit.*, 23 Febr. 1709; et *in Alexanen. vic. capit.*, 17 Decembr. 1712. « Et merito (inquit episcopus Riganti *De protonot. apostol.*, dissertat. 20, n. 31 et seq.), siquidem in jure prohibita solum est coarctatio illa, quæ fit ab inferiori a Papa arctante electores ad eligendas certas personas in individuo. At quando lex præscribit, ut eligantur personæ habentes certas qualitates ad bonum publicum et majorem Ecclesiæ utilitatem tendentes, hinc non est proprie coarctatio, nec infringitur libertas electionis, si unus tantummodo adsit inter eligendos, qui sit iis qualitatibus præditus, ut bene perpendit Passerinus, etc. » apud Ferrar. v. *Vicarius gen. episc.*, art. 4, *Additiones ex aliena manu,* n. 33 et 34.

Concludendum est igitur et de jure et de sacrarum congregationum decretis et stylo necesse esse ut vicarii generales episcoporum sint in jure canonico doctores aut saltem in theologia, et quod episcopi nequeant alios retinere absque sacræ congregationis Episcoporum dispensatione. Utrum vero hoc necessarium sit etiam quoad validitatem actuum a vicario generali gestorum, non satis liquet.

5° Quoad Gallias vero, conclusio nostra certa videtur tam ad liceitatem quam ad validitatem. Nam de jure erat ut officiales et vicarii generales fuissent doctores. Et ex concordato anni 1516 tertia pars omnium dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum conferri debebat graduatis in universitatibus probatis.

Atqui in titulis ecclesiarum cathedralium de novo erectarum per Concordatum anni 1801 et bullas Pii VII, cardinalis legatus Caprara, ex sibi delegata potestate, futuris dictarum Ecclesiarum episcopis, quæcunque cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata *juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas,* conferendi potestatem omnem concedit.

Eodem igitur hodie ac olim jure premuntur episcopi Galliarum tam in collatione beneficiorum, quam in vicariorum generalium electione; et sola necessitas eximit eos a lege assumendi sibi vicarios doctores, quando scilicet non tales reperiunt idoneos ad vicariatum.

6° Quanta vero sit in eligendis idoneis vicariis generalibus adhibenda diligentia sic probat Monacellus : « Vicarius debet esse fidelis, scilicet in exsequendo, in referendo, in secreto tenendo, in consilio dando, in jura tuendo, et in administrando justitiam. Probus... alias in gubernio nihil proficiet, sed potius clerum et plebem inficiet. Debet esse scientia et experientia idoneus; quia imperitus non potest esse judex ecclesiasticus, ut dicit Glossa (in Præfat. dist. 20 verb. *Imperiti*). Alias si episcopus indoctum et ad officium ineptum deputaret, graviter peccaret, ut communiter tradunt Navarrus, Riccius... Garcias... Et ratio convincens est; quia scientia ad regimen est simpliciter necessaria... Judex imperite judicando in jure certo, facit litem suam, et tenetur ad interesse partis...; quia imperitia annumeratur culpæ. Caveant propterea episcopi, ne pretio, aut precibus, sive alia quavis suadente ratione, inducantur ad assumendum vicarium, qui ætate, moribus et doctrina non

sit gravis. Et quanquam ætas viginti quinque annorum sufficiens in jure reputetur, tamen difficile est, quod in ista ætate quis sit aptus... Non inficior tamen quod non possit aliquis juvenis hujusmodi ætatis acri ingenio idoneitatem necessariam habere; sed dico quod casus raro continget... Propterea quæ existimo quod si non possit haberi magis providus et ætate provectior, debeat esse saltem triginta annorum completorum... » (MONACEL. part. I, tit. I, form. 1, n. 24 et seq.)

§ II. — A quo possit vicarius generalis constitui.

I. Quilibet episcopus in sua diœcesi potest vicarium generalem constituere, ex tit. *De officio vicarii* in 6; et ex praxi universali.

II. Olim vicarium generalem constituere nequibat episcopus absque consilio et etiam consensu capituli. Hodie vero vicarius generalis potest ab episcopo constitui absque ullo canonicorum assensu vel consilio : communis : sic approbante praxi et consuetudine universali quæ in talibus est servanda. (C. *Ea noscitur* 6, *De his quæ fiunt a prælat. sine consensu cap.*)

III. Administrator diœcesis viduæ, sicut et capitulum possunt sibi constituere vicarium generalem, quia succedunt in ordinaria jurisdictione episcopi. Videtur etiam id posse administrator diœcesis quæ vivum habet proprium episcopum. (LEURENIUS, *De vic. episc.* c. 1, quæst. 24.)

IV. Aliquando papa solet vicarium generalem episcopi constituere; et vicarius ille episcopalis a papa constitutus est relate ad episcopum inamovibilis, et majorem habet facultatem, præsertim in substituendo sibi alium, quam vicarius generalis ab episcopo constitutus. Quod autem ea sit revera Romanæ curiæ praxis, testantur multi cum Ferraris, verb. *Vicarius gen. episc.* art. 1, n. 6; si nempe episcopus non esset peritus jurista, vel ob vastitatem episcopatus, et ingentem causarum molem, aut aliam ob causam, non esset sufficiens per se ipsum solum ad omnia commode expedienda; quia tunc (ut dictat ipsamet ratio naturalis) tenetur vicarium generalem constituere; et nisi constituat, « mittitur illi ab urbe, vel aliunde, vicarius pro tali officio exercendo, vel cum brevi apostolico, vel cum litteris sacr. congr., vel cum patente episcopi qui fuit ad hoc compulsus, ut referunt Nicolius, Pellegrinus..., qui insuper notant quod talis vicarius missus ab urbe supradictis modis, est vicarius apostolicus, et jurisdictionem habet privative quoad episcopum, nec episcopus illum removere potest. » (S. congr. Episc. *in Castellana*, 2 April. 1591; *in Mediolanensi*, 8 Februar. 1594; *in Jovanensi*, 17 Septembr. 1605; *in Bismianensi*, 18 Mart. 1532; *in Motulensi*, 5 August. 1650.)

V. Nequit episcopus vicarium generalem constituere ante captam sedis possessionem, etiamsi fuerit jam a papa renuntiatus episcopus et bullas institutionis receperit. Est communis et omnino certa doctorum sententia; quia episcopus ipse jurisdictionem valide exercere nequit, nisi jam capta possessione, ex decretali *Injunctæ* Bonifacii VIII. Unde vicarius generalis sic constitutus ab episcopo ante captam sedis possessionem, nullam habet jurisdictionem.

Si vero episcopus nondum consecratus possessionem diœcesis cœperit, sicut reliquam episcopalem jurisdictionem exercere, ita et vicarium generalem sibi constituere potest.

VI. Jure hodierno valde dubitandum est an metropolitanus possit episcopo suffraganeo suo vicarium generalem constituere. In casu necessitatis securius est ut per metropolitanum, vel per alios ad sedem apostolicam fiat relatio. (Ita BOUIX, cujus sententia multis solidis argumentis astruitur, *De judiciis*, part. II, sect. 2.)

§ III. — An episcopus semper teneatur sibi constituere vicarium generalem.

I. Doctores in hoc non concordant, nulloque jure demonstratur teneri episcopum sibi vicarium generalem constituere, nisi hoc ei injunxerit pontificia auctoritas. Constanter Rota Romana declaravit quod episcopus « potest etiam nullum habere vicarium, et negotia explere per semetipsum; ut in decisione 418, n. 10 coram Cavalerio. » In Collectione decisionum Rotæ, apud Monacellum ad calcem part. II, *Formul.* decis. 3, n. 2 : « Quod episcopus non possit coarctari ad retinendum vicarium, expresse declaravit sacra congregatio Concilii, 11 Febr. 1695, approbando votum Rotæ, editum 18 Junii 1664 et 11 Martii 1695 coram Emerix, in Valvensi præeminentiarum. » (FERRAR. verb. *Vicarius gen. episc.* art. 1, n. 5.)

II. Etenim episcopus legi naturali satisfacit, si virorum idoneorum sufficienti nu-

mero jurisdictionem suam deleget, aliquas duntaxat singulis negotiorum species expediendas committens, quando opus est. Quo tamen casu nullus exstabit in diœcesi vicarius generalis.

III. Haud tamen inficiamus quin generatim utilius sit constitui vicarium generalem; unde et sæpe contingit a sacris Romanis congregationibus id in casibus particularibus præcipi.

IV. Episcopus non residens vicarium generalem relinquere tenetur : communis; et supponit Rota, apud Monacelli loc. cit. decis. 4, n. 2.)

§ IV. — Quot vicarios generales assumere possit episcopus.

I. Unicum duntaxat vicarium generalem constituere potest episcopus, si sibi bene placuerit; sequitur ex eo quod posset nullum assumere.

II. Episcopus potest etiam binos vicarios generales æque principales, seu in solidum constituere, maxime si diœcesis sit multum ampla, ut sic expeditioni causarum facilius consulatur, cum facilius expediuntur causæ per plures, quam per unum. (C. *Quoniam*, *De officio ordinarii*; c. *Ad hæc*, *De offic. archidiaconi*, etc.; et multi apud Ferrar. verb. *Vicarius gen. episc.* art. 1, n. 8 et seq.) — Ampliatur prædicta conclusio ut possit episcopus plures habere vicarios generales, si ita servetur de consuetudine. (S. congr. *in Concianen*, 24 Mart. 1599 et 21 Febr. 1614, apud Quaranta... Nicolium... et Pellegrinum.) Et a fortiori si habeat plures civitates seu diœceses unitas; nam tunc debet in unaquaque tenere suum vicarium generalem. (S. congr. Episc. *in Sutrina* 7 Jun. 1594, apud Nicolium., Pellegr., Pitton.) Et præsertim si dictæ ecclesiæ seu diœceses unitæ inter se multum distent, quia, si una ab altera notabiliter distet, debet episcopus vicarium generalem in diœcesi, in qua non residet, deputare, ut respondit sacr. congr. Concil. *in Gerunden. et Coriaten.* 2 Octobr. 1706; quamvis Rota expresse tenuerit quod possit episcopus duarum Ecclesiarum unitarum in uno tantum episcopatu vicarium generalem constituere... Imo quod plus est, potest etiam nullum habere vicarium, et negotia explere per seipsum... Nec applicantur auctoritates et decreta sacræ congregationis Concilii in contrarium allata, quia intelligenda ac recipienda sunt, prout etiam pleraque loquuntur, in casu, quo subsit consuetudo retinendi distinctum tribunal, ac vicarium in utraque diœcesi, aut maxima sit inter unam et alteram distantia locorum. » (Ita Rota, Monacell. et plures apud Ferrar. verb. *Vicarius gen.* art. 1, n. 8 et seq.) Quidquid in contrarium ab aliquibus auctoribus dicatur, et quæque sint sacrarum congregationum declarationes particulares, omnibus perpensis et collatis inter se, certum est a nullo communi jure præscribi nec etiam prohiberi ut habeant plures vicarios generales. Omnes sacrarum congregationum declarationes aut fere omnes et decisiones Rotæ invocant tantum aut consuetudinem aut circumstantias locorum ad decidendum quod episcopus debeat habere unum aut plures vicarios generales. Unde, nisi adsint sacr. congr. alia decreta jus generale determinantia, liberum est episcopis in hac re facere quod illis de jure naturali videtur necessarium aut utile ad suas obligationes adimplendas.

III. Attamen omnes doctores notant quod episcopus vicarios generales constituere debet in eodem loco, ubi sedem habet, quia idem tribunal habent cum episcopo, qui, juxta mentem sacri concil. Trident. sess. 25, *De reform.* c. 6, in ejus domo, aut consueto tribunali procedere tenetur. Nec episcopus debet habere plura tribunalia, vel plures vicarios juxta numerum dominiorum, ad quæ diœcesis se extendit (S. congr. Episc. *in Aquensi*, 16 Febr. 1604), nisi tamen objustas et graves causas haberetur ad id specialis concessio, seu provisio apostolica, aut consuetudo legitime præscripta. (Ferrar. ubi *supra*, n. 15.)

IV. In constituendo vicario generali, debet ex Monacello adhiberi scriptura, ad multa incommoda vitanda... « Tutior ergo via est, ait Monacellus, quod vicarius in principio sui officii coram capitulo cathedralis per cancellarium litteras suæ deputationis publicare faciat, et deinde penes acta cancellariæ per extensum registrari curet. » (Part. I, tit. I, form. 1, n. 30.)

CAPUT IV.

De vicarii generalis potestate.

§ I. — Enumeratio eorum quæ jure canonico vicarius generalis exercere potest.

Tanquam regula generalis admittendum est posse vicarium generalem quidquid potest episcopus, exceptis quæ jus excepta

voluit, vel quæ episcopus sibi expresse reservavit. (Communis, et sequitur ex vicariatus generalis natura et essentia.)

Hic ad utilitatem enumerare ducimus ex Ferrario, verb. *Vicarius gen. episc.* art. 2, et aliis, ea præcipua quæ potest vicarius generalis potestate ordinaria, sine speciali mandato. Potest igitur :

1. Confirmare electos, et instituere præsentatos ad jus patronatus.

2. Administrare sacramenta et prædicare verbum Dei, cumulative cum omnibus curatis diœcesis.

3. Confessiones sacramentales audire, aliisque eas audiendi facultatem concedere.

4. Interesse matrimoniis, et aliis sacerdotibus assistendi licentiam concedere ; et id, etiamsi sit tantum clericus, et non sacerdos.

5. Dispensare in interstitiis ordinum, absente episcopo.

6. Monitoria sub pœna excommunicationis ad finem revelationis pro rebus deperditis, seu substractis concedere.

7. Ab excommunicatione quam ipse tulit absolvere, si tamen non tulit *uti delegatus* episcopi ; nam in eo casu absolvere nequit absque ejusdem episcopi facultate speciali.

8. Absolvere excommunicatos ab episcopo, vel ejus delegato.

9. Exercere ea quæ conceduntur episcopo tanquam sedis apostolicæ delegato, quando ea, ante concilium Tridentinum, competebant episcopo jure ordinario ; secus vero, non, et indiget speciali commissione episcopi. — E contra : « Cum delegatio est facta vicario, non potest episcopus litteras exsequi, nisi per viam subdelegationis ; » eo quod tunc vicarius non cognoscat causam ut vicarius, sed ut delegatus papæ ; et in causa delegata per papam, major est vicarius episcopo suo, et separatum est auditorium unius ab auditorio alterius. » (Leurenius, *De vicar. episcop.*, cap. 3, quæst. 195.)

10. Excommunicare, suspendere et interdicere, sed tantum ad effectum reddendi efficacem jurisdictionem suam, ne alias illusoria evadat, id est, ad effectum obtinendi ut subditi sibi pareant. Et sic potest, v. gr., citatum reum vel testem excommunicare, si comparere recuset.

11. Notarios seu actuarios ab officio ob imperitiam suspendere.

12. Cognoscere et judicare causas matrimoniales quæ ordinariæ episcopi jurisdictioni subsunt, est communior et probabilior doctorum sententia.

13. Visitare confraternitates laicorum, hospitalia, collegia aliaque loca pia non exempta.

14. Concursum pro parochialibus ecclesiis vacantibus indicere, proponere edicta, eumque cum examinatoribus celebrare ac successive ex approbatis eligere digniorem. Præsidente vero in concursu episcopo, ut interroget etiam vicarius, absque tamen voto, tanquam assessor solum seu assistens episcopo, de praxi communi receptum est.

15. Claustra monialium ingrediendi licentiam concedere.

16. Causas criminales cognoscere, si tamen inquirat et cognoscat de delictis, non ut ipse ea puniat, sed ut ad episcopum referat ; si id faciat, non ad puniendum, sed ut delinquentes se corrigant ; si de delictis, non criminaliter, sed civiliter duntaxat agatur.

17. Cognoscere causas civiles ecclesiasticas, quæ criminales non sunt.

18. Sibi constituere delegatum ad unam vel plures causas, non autem ad universalitatem causarum.

19. Cogere parochos ut sibi adjungant cooperatores ; parochis imperitis assignare vicarios seu coadjutores ; constituere œconomum in beneficio vacante.

20. Parochiam conferre electo in concursu tanquam magis idoneo, sed non alia beneficia, nec etiam parochias absque concursu, (ex cap. *Cum in generali* 3, tit. XIII, lib. I, in 6.

§ II. — Enumeratio eorum quæ jus noluit a vicario generali exerceri posse, absque speciali mandato episcopi. (Ex eodem Ferrario, verb. *Vicarius gen. episc.* art. 2 et aliis.)

Vicarius generalis absque speciali mandato episcopi nequit :

1. De causis criminalibus cognoscere, nec consequenter aliquem ab ordine, officio, aut beneficio deponere. (Cap. *Licet, De off. vicarii*, in 6.)

2. Nec, etiamsi ipse sit episcopus, exercere ea quæ sunt ordinis episcopalis, ut consecrare ecclesias et altaria, chrisma et oleum sanctum conficere, sacramentum confirmationis et ordines conferre, calices consecrare et alia hujusmodi.

3. Neque synodum congregare ; neque

constitutiones synodales mutare ; neque visitationem diœcesis facere ; neque exigere cathedraticum, aut charitativum subsidium.

4. Neque conferre beneficia, nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa. (C. *Cum in generali* 3, tit. XIII, lib. I, in 6.)

5. Neque beneficia unire, neque uniones revocare, neque ecclesias dividere.

6. Neque beneficia erigere, neque juris patronatus fundationi consensum præstare.

7. Neque præsentare ad beneficium juris patronatus, ad episcopi præsentationem pertinens.

8. Neque parochias erigere.

9. Neque in creatione novæ dignitatis auctoritatem præstare.

10. Neque imponere pensionem super beneficiis, in casibus in quibus id posset episcopus.

11. Neque ecclesias dirutas et vetustate collapsas, quæ ob illarum et parochianorum inopiam nequeunt restaurari, in matrices erigere, vel in alias viciniores ecclesias transferre.

12. Neque mutare statum alicujus ecclesiæ in casibus, in quibus id potest episcopus.

13. Neque alienare res Ecclesiæ, aut in alienationibus seu transactionibus earumdem decretum interponere.

14. Neque concedere licentiam ædificandi nova monasteria et conventus in diœcesi.

15. Neque concedere licentiam alteri episcopo exercendi pontificalia.

16. Neque indulgentias concedere.

17. Neque interdicta relaxare, sive sint ab homine, sive a jure.

18. Neque concedere dimissorias pro recipiendis ordinibus nisi episcopus in remotis agat, et nonnisi post longum tempus redditurus sit.

19. Neque alium vicarium sibi substituere : imo etiam cum speciali facultate episcopi vicarium sibi substituendi, non potest id facere nisi ex legitima causa et ad modicum tempus.

20. Neque absolvere a casibus episcopo reservatis.

21. Neque dispensare in irregularitatibus, et absolvere a suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, ac ab aliis casibus occultis sedi apostolicæ reservatis, quamvis id possit episcopus in vim concilii Tridentini, sess. 24, *De reform.*, c. 6. Quia nempe voluit concilium hæc fieri per episcopum ipsum, aut per vicarium ad id *specialiter* deputandum.

22. Neque absolvere ab excommunicatione canonis *Si quis suadente diabolo*, in casibus in quibus id potest episcopus ; nec ab excommunicatione juris, seu canonis.

23. Neque cognoscere de crimine hæresis.

24. Neque explorare voluntatem puellæ habitum regularem suscipientis, vel professionem emittere volentis, ad formam Tridentinam, sess. 24, c. 6, nisi episcopus sit absens aut legitime impeditus.

25. Neque, prout tenent aliqui, causas restitutionis in integrum cognoscere ; sed de hoc alibi, ubi *de restitutione in integrum*.

26. Neque deferre juramentum purgationis canonicæ.

27. Neque auctorare exemplum ex originali sumptum, ut eamdem vim et auctoritatem habeat.

28. Neque bona clericorum confiscare.

29. Neque pœnas corporales in pecuniarias commutare.

30. Neque condemnatum reum absolvere, sive, ut dicitur, gratiam ei concedere.

31. Neque exercere potestatem doctorandi, quam episcopus ex privilegio haberet.

32. Neque exsequi pias defunctorum voluntates.

33. Neque habet eamdem potestatem cum capitulo vel capitulari vicario, sede vacante.

34. Neque vicario generali competit ut sibi credatur, dum affirmat se fuisse deputatum in vicarium generalem, vel se ex hac generali deputatione jurisdictionem habere in talem materiam, vel se habuisse mandatum speciale ab episcopo ; id vero probare tenetur. Si vero non negetur vicariatus seu deputatio in vicarium, facultas quam habet ex jurisdictione ordinaria, probanda non est, sed præsumenda.

35. An absque speciali mandato episcopi possit vicarius generalis a juramento absolvere ? non conveniunt auctores.

36. Nequit punire excessus officialium laicorum sibi, vel episcopo servientium, verbi gratia, actuarii, cursorum curiæ et similium. De hoc tamen auctores non concordant.

37. Neque exercere ea quæ conceduntur episcopo tanquam sedis apostolicæ delegato, quando facultas actum gerendi non com-

petebat ante concilium Tridentinum episcopo jure ordinario.

38. Neque corrigere excessus religiosorum exemptorum, extra claustra degentium.

39. Neque excommunicare, suspendere et interdicere, quando censuram ferret tanquam pœnam alicujus delicti.

40. Dubitatur an possit absque speciali mandato clericos concubinarios etiam non exemptos ab administratione beneficiorum suspendere?

41. Quando inceptus est processus criminalis contra aliquem, an possit vicarius absque speciali mandato, quin causa ad exitum perducatur et sententia definitiva pronuntietur, talem absolvere, id est liberum dimittere? Non concordant in hoc auctores.

42. Neque potest pœnam in leviorem mutare, nec pœnas corporales vel pœnam depositionis mutare in pecuniarias. Sed nec episcopus ipse sine causa pœnam minuere aut in aliam commutare potest, multoque minus recipere compositiones, *super omnibus criminibus*. (Leurenius, loc. cit. quæst. 153.)

43. Nec visitare loca exempta.

44. Neque confirmare statuta capituli, nec consensum præstare statutis capitularibus; excepto casu, ut aliqui addunt, quo episcopus abesset.

45. Neque consentire ut clerici litigent in alio tribunali ecclesiastico quam suo.

46. Neque cognoscere de validitate dispensationis factæ ab episcopo.

47. Neque cognoscere de obreptione vel subreptione dispensationis aut gratiæ pontificiæ; quia episcopus ipse id nequit de jure ordinario, sed duntaxat tanquam sedis apostolicæ delegatus. (*Trident.*, sess. 13, c. 5.)

48. Neque generatim ea explere quæ episcopo competunt non de jure communi, sed duntaxat de jure speciali ultra jus commune. Ista enim non censentur comprehensa in generali commissione vicariatus : imo nec, sede vacante, transeunt in capitulum, aut vicarium capitularem. (Vide catalogum eorum quæ nequit vicarius generalis absque speciali mandato explere apud Benedictum XIV, lib. II, cap. 8, n. 2, *De synod. diœc.*)

§ III. — Specialis mandati formula.

I. Episcopus potest vicario suo generali concedere per speciale mandatum facultatem agendi fere omnia a jure reservata. Et hæc est, ad multas difficultates præcavendas, praxis generalis episcoporum. Sed, ut vicarius generalis habeat jurisdictionem in specialia, nulla formula sufficit, etiamsi episcopus concederet facultatem *ad ea omnia quæ speciale mandatum requirunt*, nisi simul aliqua ex istis specialibus exprimat. (Ita omnes.) Quod sic exponit Ferraris, verb., *Vicarius gen. episc.*, art. 2, n. 84 : « Ad dignoscendum autem pro quibusnam casibus habeat vel non speciale mandatum, debet diligenter inspici et attendi forma vicariatus seu instrumentum commissionis, quo quis institutus fuit vicarius generalis : ubi, si habetur solita apponi formula, *et omnia et singula faciendi et committendi, etiamsi mandatum exigant speciale*... tunc, si episcopus antea concessit vel expressit aliquos casus speciale mandatum requirentes, adjecta postmodum dicta clausula, poterit vicarius etiam alia facere, quæ requirunt speciale mandatum; dummodo non sint graviora vel majora expressis : prout in simili habetur decisum quoad procuratores in capite *Qui ad agendum* 4, *De procuratoribus* in 6, et Clement. 2, *De procurat.*, ac notat Glossa in caput *Licet*, *De offic. vicarii* in 6, verb. *Committantur*; et tenent multi doctores : notantes non esse necesse, quod omnes supradicti casus exprimantur in forma vicariatus seu instrumento commissionis; sed sufficere quod aliqui tantum exprimantur cum prædicta clausula (seu cum alia simili), *et omnia alia, licet mandatum exigant speciale* : dummodo tamen, ut supra dictum est, ipsa alia non sint graviora vel majora expressis. »

Unde prudentis episcopi erit, in conficiendo vicariatus generalis instrumento, 1° exprimere aliqua *majoris momenti* specialia; 2° addere clausulam *et alia omnia, etiam speciale mandatum requirentia*; 3° expresse dein excipere ea specialia, quæ a jurisdictione vicarii generalis excepta voluerit. Sic nempe omnis præcavebitur circa vicarii generalis potestatem difficultas : certum siquidem erit ipsi competere jurisdictionem quoad *omnia specialia*, exceptis quæ in ipso instrumento expresse reperientur excepta. (Bouix, *De judic.*, part. II, sect. 2, c. 4, § 3.)

II. Potest episcopus ejusmodi specialia vicario generali committere vel tanquam vicario, vel tanquam delegato. 1° Si dicta specialia commisit in ipso instrumento quo

vicarium generalem constituit, vel extra commissionem, sed cum expressa clausula *tanquam vicario*, in utroque casu in specialibus ordinariam jurisdictionem vicarius habere censendus erit. 2° Si vero episcopus extra commissionem vicariatus specialia commiserit, nec expresserit an tanquam vicario, an tanquam delegato, ea concesserit, vicarius quoad ea delegatus duntaxat censendus erit ; unde tunc a vicario, dicta specialia cognoscente et judicante, dabitur ad episcopum appellatio.» (Bouix, *ibid.*, § 4.)

§ IV. — Specialia quæ episcopus vicario generali committere non potest.

Omnia tamen specialia nequit episcopus vicario generali committere.

I. Nequit vicario suo facultatem facere absolvendi ab *occulta* hæresi ; nam, 1° concil. Tridentinum, sess. 24, cap. 6, id expresse prohibuit, ibi : *Idem et in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis (episcopis) tantum, non autem eorum vicariis, sit permissum.* — 2° Revocata fuit hæc facultas episcopis concessa, etiam pro episcopis Galliarum, ut probat Benedictus XIV, *De synod. diœc.*, lib. IX, c. 4 et 5, et etiam ex Concordato 1801.)

II. Non potest episcopus vicario suo non episcopo ea committere quæ sunt ordinis episcopalis. De his quæ sunt ordinis episcopalis jure divino, patet ; sed nec alia quæ ordinis episcopalis sunt ex ordinatione ecclesiastica, prout benedicere abbates, consecrare moniales, concedere velum, benedictiones facere in quibus adhibetur sacrum oleum, possunt vicario generali non episcopo committi absque facultate pontificia. Hinc sustinet Monacellus, part. I, tit. I, form. 1, n. 50 et seqq., vicarium generalem cum sola facultate episcopi, non posse paramenta sacra benedicere ; sed obtinendam esse a sacra Rituum congr. licentiam. Sed adnotat ejusmodi licentiæ necessitatem a nonnullis auctoribus impugnari.

III. Nequit absente episcopo vicarius generalis exercere functiones episcopales, etiamsi specialem ad hoc facultatem dedisset episcopus. Quia hæc de jure communi (quod non potest episcopus immutare) pertinent ad primam dignitatem capituli et ad alios capitulares successive. Hinc non potest vicarius generalis missas conventuales aut pontificales celebrare ; aut SS. Sacramentum, sacrasve reliquias paratas in processionibus deferre ; nec aliis officiis aut functionibus ecclesiasticis se immiscere ; sed tantum providere ut omnia suo ordine fiant. (S. congr. Rituum, 16 Mart. 1600.)

IV. *Nequit episcopus* vicario suo generali, nec officiali, potestatem facere suspendendi clericos ex informata conscientia, sed solummodo episcopi per seipsos possunt ferre sententias ex informata conscientia. (Monacel., p. III, t. II, form. 6. Vide supra c. 8, *Episcopus quoad clericos omnes*, § 7. p. 617.)

Vicarius generalis nequit censuras et pœnas ferre absque juris formalitatibus, id est, monitione scripta, citatione, discussione causæ, cognita rei veritate et sententia scripto lata ; secus censura, pœna, sententiaque invalida, irrita et nulla est, proindeque sperni potest ; c. 3 et 4, causa 3, quæst. 9, *Clement.* lib. II, tit. XI, c. 2 ; can. 10, causa 30, quæst. 5 ; c. 7, causa 2, quæst. 1 ; et cap. 5, tit. XIV, lib. II, in 6 ; et si juri expresso repugnet sententia, nulla est, c. 1, tit. XIV, lib. II, in 6. Præterea vicarius generalis, sive alius judex (non episcopus) qui, absque urgenti causa, solo verbo, et non scripto reo tradito, excommunicationem seu interdictum et suspensionem intulerit, ab ingressu ecclesiæ et divinis officiis, ipso jure suspenditur per mensem, et si illo tempore se divinis ingesserit, fit irregularis, et super irregularitate nonnisi per summum pontificem poterit dispensari, prout habetur, c. *Cum medicinalis*, lib. V, tit. XI, in 6. (Vide supra, cap. VIII, *Episcopus quoad clericos omnes*, § 2 et 3. p. 604 et 607.)

CAPUT V.

De vicarii generalis præcedentia.

I.—1. Vicariatus generalis non est dignitas strictiori sensu ; nam talis dignitas est officium, seu titulus *in perpetuum*, cui annexa est præcedentia et jurisdictio. Cum vero vicarius sit ad nutum episcopi revocabilis, est tantum dignitas minus stricto sensu.

2. Certum est vicario generali posse delegari causas in partibus a sede apostolica ; quamvis jure cautum sit ut talis delegatio fieri nequeat, nisi personis in dignitate, vel saltem quasi dignitate constitutis.

3. Vicarius generalis, quoad præcellentiam, inferior capitulo censendus est, non autem canonicis seorsim sumptis. Unde sacrarum congregationum Romanarum plurimæ deci-

stones, in multis vicarium generalem capitulo cathedrali postponunt.

II. — 1. Vicarii generalis habitus ordinarius est subtana, cum mantelletto nigro, sub quo defert in choro rochettum.

2. Vicarius generalis non est prælatus, licet, absente episcopo, cum in suo habitu ordinario cum subtana, et mantelletto nigro sedeat in choro in primo loco supra canonicos, thurificandus est duplici, non autem triplici ductu thuribuli. Sacr. Rituum congr. *In Nepesina*, 15 Januar. 1627.

3. Vicarius generalis debet habere locum secundum consuetudinem, quæ non est mutanda ; nec potest sedem arbitrio suo sibi parare ; debet, tam præsente quam absente episcopo, eumdem locum habere et præcedere omnibus canonicis et dignitatibus, tam in processionibus, quam in sessionibus, dummodo canonici non incedant parati, et ipse incedat cum habitu vicariali ; tunc sedet in primo loco seu in primo stallo chori, et habet thuris et pacis, candelarum in die Purificationis, Cinerum, feria quarta Cinerum, Palmarum, Dominica Palmarum, honorem ante omnes dignitates et canonicos, dummodo incedat et sedeat cum habitu vicariali. Cum vero sedet uti canonicus, debet sedere in loco suæ receptionis, et in habitu canonicali. Si vero velit præcedere uti vicarius, debet habitum canonicalem dimittere et vicarialem induere. Si autem sit canonicus, et distributiones quotidianas lucrari velit, debet sedere in proprio stallo et cum habitu canonicali, alias non lucratur. Vicario generali non licet occupare locum episcopi absentis, nec parare sibi sedem cum tapetis et pulvino.

4. Vicarius generalis, licet etiam ipso episcopo præsente, in ecclesia, choro, processionibus, synodo et aliis publicis et privatis actibus, canonicis et dignitatibus præcedere debeat, tamen hoc intelligitur, quoties canonici et dignitates hujusmodi in habitu canonicali, etiamsi cappa et rochetto utantur, stare, aut incedere consueverunt, non autem si pluviali, planetis, aut aliis sacris paramentis, juxta cujusquam ordinis gradum sint induti, prout in distributione candelarum in die Purificationis, et in receptione cinerum feria quinta Cinerum, et similibus diebus, quibus episcopus solemniter celebrare ex ritu ecclesiastico teneatur; tunc enim non decet ut vicarius, præsertim si in suo quotidiano habitu exsistat eisdem sacris vestibus paratis, sive stando, sive incedendo præcedat. (S. Rituum congr. sæpe sæpius.)

Vicarius generalis in die Purificationis non debet accipere candelam ante canonicum, vel dignitatem, qui episcopo ministravit, sed ante alios canonicos non paratos. Hebdomadarius, officium peragens, vicario generali præcedere debet.

5. Si vicarius non habet sedem distinctam, debet occupare primum stallum in choro; si habet sedem separatam in choro, nequit occupare stallum dignitatis. Nequit occupare primum stallum si ejus antecessores sederunt in sede separata, et hæc locum habent, *dummodo incedat in habitu vicariali*.

6. Ei non competit usus pluvialis, nisi sit de gremio capituli, quo in casu incedere debet in loco suæ receptionis. Semper thurificandus est duplici ductu, etiamsi assistat in habitu protonotarii, et post canonicos paratos, sed ante alios.

7. Si examini ordinandorum assistat in habitu vicariali, præcedit omnes dignitates et canonicos etiam protonotarios.

8. Vicarius generalis in synodo habet præcedentiam supra canonicos habitu chorali indutos, non vero paratos, dummodo ipse gestet habitum vicarialem. Hæc omnia supradicta de habitu et præcedentia vicarii generalis desumpta sunt ex decretis et declarationibus sacr. congr. Rituum, apud Gardelinii, Ferraris', verb. *Vicarius gen. episc.* art. 3, et Bouix, in tract. *De capitulis*, part. IV, cap. 13, § 2.

CAPUT VI.

Quomodo episcopus ex actis sui vicarii generalis teneatur.

I. Episcopus non tenetur ex actis et delictis, a vicario suo tanquam privata persona, extra officium vicariale gestis ; quia vicarius, in his quæ agit ut privatus, non dicitur gerere vices episcopi, nec illum præsentare (PIRHING, in tit. XXVIII, lib. I *Decret.* n. 68, et unanimis doctorum.)

II. Aliter vero dicendum est de iis, quæ vicarius generalis agit tanquam persona publica, id est, ex jurisdictione sua ordinaria et nomine episcopi.

1. Nequit episcopus, non quidem ex jure communi scripto, sed ex consuetudine introducta, rescindere definitivam vicarii sui

generalis sententiam, anticanonice prolatam seu ipso jure nullam; talis sententia non nisi a judice appellationis rescindi dicenda est.

2. Nequit etiam episcopus rescindere aut corrigere sententiam definitivam, a vicario suo injuste, non autem nulliter prolatam. Unde revera tenetur episcopus ex definitivis sententiis a vicario suo valide prolatis; id est nullatenus valet eas immutare aut rescindere. Potest solummodo gratiam facere, quando adsunt justæ causæ.

3. Episcopus tenetur ex actis jurisdictionalibus vicarii sui extrajudicialiter gestis, eodem modo, quo teneretur ex propriis actibus a semetipso gestis. Hinc videtur dicendum eos vicarii generalis extrajudiciales actus posse ab episcopo corrigi et immutari, quos posset episcopus, si ab ipso gesti forent, annulare et corrigere: e contra qui ab episcopo gesti, revocari nequeunt, eumdem effectum, positi a vicario generali sortientur.» (Bouix, *De jud.* part. II, sect. 2, c. 8.)

4. Si episcopus vel sciens, vel ex culpabili negligentia vicarium generalem improbum vel imperitum elegit, vel si jam cognitum ut talem toleravit, ejusdem prava et iniqua gesta ipsi etiam episcopo imputanda erunt; præterea episcopus tenebitur resarcire damna ex injustis vicarii generalis actibus orta. (Id., ibid.)

III. — 1. Si vicarius deliquit ut *persona privata*, posse in eum sicut in alios subditos episcopum animadvertere omnino certum est, et unanimiter admissum, extra casum appellationis.

2. Delicta vicarii generalis in spectantibus ad officium suum, posse puniri ab archiepiscopo, admiserat Glossa in cap. 1 *De officio vicarii* in 6. Sed tam veteres canonistæ quam recentiores distinxerunt, et in hac re non concordarunt. Quidquid sit de eorum sententiis, Monacellus probat ad archiepiscopum, non autem ad episcopum pertinere vicarii generalis in officio suo delinquentis coercitionem, sive particeps sive expers culpæ exsistat episcopus. Id evincit ex expressa declaratione sacr. congregationis Concilii, *in Tarentina*, 25 Febr. 1642, lib. XXXVII *Decretorum*, folio 356, his verbis: « Sacra congregatio Concilii censuit archiepiscopum metropolitanum, etiam in prima instantia, esse judicem competentem in causis contra vicarios et officiales suffraganeorum, quando delinquunt in officio et jurisdictione. » (Monacel. part. III, tit. I, form. 32, n. 7 et seq.)

IV. Vicarius generalis non potest a successore episcopi cujus fuit vicarius *syndicari*, id est, cogi ad reddendam rationem administrationis suæ sub præcedenti episcopo, et pro malefactis puniri.

V. Non tantum potest, sed tenetur episcopus salarium ex sua camera vicario suo solvere; etiamsi de hoc nulla facta esset conventio, et etiamsi vicarius generalis sit canonicus; quia neque canonicus tenetur operas suas gratis locare episcopo. Mortuo autem episcopo salarium pro tempore quo vicarius generalis ipsi deservivit, solvi debet a capitulo, vel vicario capitulari de bonis ecclesiæ vacantis.

Hodie vero in Gallia, cum salarium hujusmodi a gubernio solvatur, liberi sunt a tali solutione hujus et similium regionum episcopi, nisi tamen habeant vicarios generales a gubernio non recognitos.

CAPUT VII.

De vicariatus generalis exspiratione.

§ 1. — Quotuplici modo exspirat vicarii generalis jurisdictio.

« 1. Per propriam ipsius renuntiationem expressam, vel tacitam; ut si vicarius diœcesim sui vicariatus egrediatur animo non amplius revertendi; tunc enim tacite renuntiasse censetur.

2. Per remotionem seu revocationem ipsius ab episcopo factam.

3. Per mortem naturalem episcopi.

4. Per translationem episcopi ad alium episcopatum.

5. Per depositionem vel relegationem episcopi.

6. Per renuntiationem episcopatus factam ab episcopo et a papa admissam.

7. Per legitimum ingressum episcopi in aliquam religionem.

8. Per captivitatem episcopi (intellige a paganis, hæreticis, aut schismaticis).

9. Exspirat jurisdictio vicarii generalis, suspensa episcopi jurisdictione per excommunicationem, suspensionem aut interdictum. (Ferraris, verb. *Vicarius gen. episc.* art. 3, n. 27 et seq.) Et ratio est, quia vicarius eamdem habet jurisdictionem cum episcopo, idemque tribunal, adeoque, cessante per quamcunque causam jurisdictione

episcopi, cessat etiam illa vicarii generalis, quia, ut habetur in cap. *Accessorium* 42, *De regul. juris*, in 6, *accessorium naturam sequi congruit principalis.*

§ II. — An vicarius generalis possit absque causa revocari.

I. Certum est validam fore revocationem, etiamsi absque nulla causa rationabili eam decernat episcopus; cum tale officium sit ad nutum episcopi revocabile.

II. « In tali remotione est semper habenda ratio honoris ipsius: unde facienda est cum magna circumspectione et cum gravi et justa causa : alias reintegrari potest per sacram congregationem Episcoporum. (Sic declaravit eadem sacr. congr. in *Spalatrensi*, 3 Julii 1601; et *in Tragurensi*, 7 Septembr. et 8 Octobr. 1649.) Causæ autem justæ, pro quibus removeri potest vicarius generalis, sunt præsertim sequentes : *prima* est, si de vicario audiantur multæ querelæ. (S. cong. Episc. *in Spalatrensi*, 5 Febr. 1601.)—*Secunda* est, quando non bene regit et gubernat, nec certiorem facit sacr. congr. de causis magni momenti, in defectu vel absentia episcopi. S. congr. Episc. *in Agrigentina* et *Tranensi*, 3 Decembr. 1601. — *Tertia*, si scribat irreverenter ad sacram congregationem, ejusque dominos officiales. (S. congr. Episc. *in Roetina* 3, Septembr. 1601.)— *Quarta*, si aliquem ex S. R. E. cardinalibus ea qua decet reverentia non tractet. (S. congr. Episc. *in Savonensi*, 19 Novembr. 1655.) — *Quinta*, si careat circumspectione et prudentia, licet in reliquis idoneus esset. (S. congr. Episc. *in Placentina*, 18 Junii 1649.) — *Sexta*, si excommunicatus exsistat. (Ead. sacr. congr.) — *Septima*, si mandatis sacræ congregationis obedire renuat. (S. congr. Episc. *in Parmensi*, 17 August. 1643; et *Asculana*, 23 April. 1649.) — *Octava*, si oriundus fuerit ex eadem civitate vel diœcesi.» (S. congr. Episc., pluries.) — (Ferrar. verb. *Vicarius gen. episc.* art. 4 n. 29 et seq.)

Quoad hanc ultimam revocationis causam, jam attulimus aliquas rationes Galliarum consuetudinem non improbandi; aliam subjiciemus, scilicet, cum non sint amplius in Galliis beneficia, et aliunde sacerdos semel e sua originali diœcesi egressus, difficillime ad eamdem redire possit, ob multas causas, sequeretur ut talis vicarius exterus, sive post mortem episcopi, sive post revocationem, derelictus foret et quasi exsul contra omnes leges Ecclesiæ et etiam juris naturalis. Sane hic Galliarum Ecclesiarum status lamentabilibus circumstantiis et temporibus ortus est; sed nihilominus quamdam necessitatem imponit episcopis, qua stante, sæpius adiguntur vicarium generalem e diœcesi oriundum assumere. Proindeque nequeunt illum revocare, quia oriundus fuerit ex eadem civitate vel diœcesi. Salva igitur aliqua sacræ congregationis declaratione quoad Galliarum ecclesias, mihi videtur consuetudo Gallica, ob necessitatem, quæ est suprema lex, non improbanda. Melius tamen esset dispensationem a sacra congregatione ad retinendum vicarium diœcesanum obtinere.

Nona causa revocationis vicarii generalis est, quando non est doctor et juris peritus, præsertim si episcopus ipse theologus sit et non jurista. (S. congr. Episc. *in Arben.*, 23 April. 1691.) Nec sufficit vicarium esse theologum. (S. congr. Episc. *in Surrentina*, 15 Novembr. 1605.) — (Ferrar. verb. *Vicarius gen. episc.* art. 1, n. 38.)

§ III.—Quo tempore exspirat vicarii generalis jurisdictio.

I. Valent gesta a vicario generali post mortem episcopi, dum mors illa adhuc communiter ignoratur; quia error communis dat jurisdictionem. (Ferrar. *ibid.* art. 3, n. 40.)

II. Valent gesta per vicarium generalem jam revocatum, sed antequam revocatio ei intimata fuerit. (Leurenius, *De vic. episc.* c. 5, quæst. 292, n. 2.)

III. Jurisdictio vicarii generalis, quoad causas ipsi delegatas sive ab episcopo, sive a sede apostolica, si ipsi delegatæ sunt sub nomine vicarii generalis duntaxat, exspirasse censenda est per revocationem aut mortem delegantis : secus vero si delegatio facta fuit cum nomine ipsius proprio. (Id. *ibid.* c. 5, § 3.)

CAPUT VIII.

Specialia de vicario generali archiepiscopi metropolitani.

I. « Hac in re notandum, quod eamdem jurisdictionem et auctoritatem retinent vicarii archiepiscoporum, ac habent ipsi archiepiscopi, si mandatum generale et speciale habeant, ut omnia et singula facere possint in his, quæ jurisdictionis sunt, ut ipsismet facere remittitur, ubi de consuetudine, non prohiberentur, ut docent doctores in cap. *Pastoralis*, *De offic. ordinar.* et in c. *Romana*, *De foro comp.* in 6. »

II. Hinc porro causæ appellationum a sententiis vicariorum episcopalium ad tribunal archiepiscopi per ipsius vicarium cognoscuntur. (C. *Pastoralis, De offic. ordin.*, c. *Dilectus*; c. *Cum causam*; c. *Sollicitudinem, De appellat.*) Ac in genere « omnia, quæ referuntur ad archiepiscopi jurisdictionem, ea similiter quibusdam tantum ordinis episcopalis exceptis, ad ipsius vicarium generalem mandatum speciale habentem spectant. »

III. « Limita vero, quod non possit vicarius archiepiscopi suspendere, interdicere, et excommunicare suffraganeos præsente archiepiscopo, id est, exsistente in provincia, idque propter reverentiam episcopalis dignitatis. (C. 2 *De offic. delegat.* in 6.)..... Nisi quando archiepiscopus est absens, tunc enim vicarius habebit in dictos suffraganeos jurisdictionem, cum facultate proferendi sententias excommunicationis, interdicti et suspensionis...: Quod si episcopus non fuerit consecratus, etiam præsente archiepiscopo, illum excommunicare poterit. Neque licet vicario generali archiepiscopi inhibere suffraganeis sub pœna excommunicationis. » (Ferrar. verb. *Vicarius gen. episc. De vic gen. archiepisc.* Appendix editorum Cassinensium, n. 1 et seqq.)

IV. Vicarius metropolitani in synodis provincialibus antefertur episcopis suffraganeis, ob auctoritatem quam obtinet, et ratione personæ quam repræsentat. (Bened. XIV, t II, constit. 36, *Cum a nobis* apud Ferrar. verb. *Vicarius gen. episc.* art. 4, n. 32.)

CAPUT IX

De vicariis foraneis.

§ I. — Origo vicariorum foraneorum.

I. In bene ordinato diœcesis regimine, post vicarios generales, veniunt vicarii foranei. Antiquissimi sunt, et origo eorum ad chorepiscopos est referenda. Chorepiscopis enim suffecti sunt archipresbyteri, archidiaconi et decani rurales. Vicarii foranei in Italia etiam ante sanctum Carolum Borromæum esse cœperunt, ut in aliis locis, sed minorem in Italia obtinent jurisdictionem. (Bened. XIV, *De syn. diœces.* lib. III, cap. 3, n. 5, ad 9.)

§ II. — Quid sit vicarius foraneus, et de ejusdem jurisdictione.

I. Vicarius foraneus dicitur ille, qui in certa parte diœcesis extra civitatem sedis episcopalis, vel in oppidis per episcopum constituitur, ut ibi jurisdictionem quamdam exerceat. Foraneorum vicariorum exsistentia supponitur in cap. *Romana* 1, *De offic. ordinar.* in 6, et cap. *Et si principalis*; Clement. 2, *De rescriptis.* Et in his capitibus Glossa dicit quod *foraneus* appellatur, quia foris, seu extra locum in quo sedes episcopalis reperitur, episcopi vices agit juxta traditam sibi potestatem.

II. Ex hac notione, et notorietate facti, vicarii foranei deputantur ab episcopo ad exercendam jurisdictionem in certa duntaxat diœcesis parte, vel quoad certos duntaxat actus; non vero ad exercendam generaliter jurisdictionem, nec quoad omnes causas, nec quoad totam diœcesim, cum alioquin generales vicarii, non autem foranei, dicerentur.

Ex qua ratione plura fluunt attendenda consectaria, ait Bouix, tract. *De jud.* part. II, sect. 2, c. 10, § 2.

1. Etenim sequitur vicarii foranei jurisdictionem esse *delegatam*, non autem ordinariam; non eam tenet a lege, sed ab arbitrio episcopi.

2. Ex eo vero quod ipsius jurisdictio sit delegata, sequitur appellationem dari ab ipsius sententiis ad episcopum ejusque vicarium generalem, qui proinde possunt in secunda instantia cognoscere et decidere causas, a vicario foraneo judicatas. Nulla autem esset appellatio a sententia vicarii foranei ad archiepiscopum, omisso episcopi ipsiusve vicarii generalis tribunali; nec posset ejusmodi appellationem archiepiscopus recipere.

3. Sequitur ejusmodi jurisdictionis extensionem, non ex jure, sed ex mandato episcopi esse repetendam et dimetiendam. — Episcopus autem potest vicariorum foraneorum jurisdictionem determinare, vel sejunctius quoad singulos, vel omnibus simul per aliquam synodalem constitutionem.

4. Sequitur pariter teneri vicarium foraneum in singulis causis antequam procedat, ad sese legitimandum, id est, ad ostendendum, si forte hoc in dubium revocetur, sibi revera delegatam ab ordinario fuisse talem causarum speciem. Nisi tamen adsit hac de re constitutio diœcesana, et delegatio vicarii foranei fuerit publicata ab episcopo.

5. Sequitur multum a generali vicario differre foraneum; nam 1° foraneus delegatam, generalis vero ordinariam jurisdictionem habet; 2° foraneus particularem et restri-

ctam, generalis universalem moraliter jurisdictionem habet; 3° a vicario generali non datur appellatio ad episcopum, bene vero a foraneo; 4° vicarius generalis est in dignitate constitutus, secus vero foraneus, nisi dignitas aliunde ipsi competat; 5° vicarius generalis potest esse delegatus papæ, et executor litterarum apostolicarum; non sic autem vicarius foraneus, textu expresso in Clement. *Et si principalis* 2, *De rescriptis*. 6°. Ut alia taceantur, foraneus, nisi specialiter eximatur, dependet a vicario generali, et non e contra.

Vicarius foraneus differt a vicario capitulari in iisdem et etiam majoribus ac a vicario generali: 1° a vicario foraneo appellatur ad vicarium capitularem, et non e contra; 2° foraneus potest constitui et removeri a vicario capitulari, etc.

§ III. — Quænam in praxi jurisdictio vicariis foraneis concedatur.

I. Jurisdictio vicariorum foraneorum est omnino limitata, cum concedatur solum pro certa parte diœcesis, et limitatis locis, ac solum pro certis et limitatis causis civilibus ibidem occurrentibus usque ad certam et limitatam summam. (S. congr. Episcop. *in Trojanen.*, 27 Martii 1590.)

II. « In criminalibus autem non possunt ordinarie intromittere, nisi informationes capiendo et formando processum informativum ad effectum illum transmittendi ad vicarium generalem cum relatione totius facti. » (S. congr. Episc., *In Motulensi*, 9 Junii 1592.)

III. « Potest tamen ab episcopo eis concedi, ut se intromittant in omnes causas cleri alicujus oppidi, seu sui limitati vicariatus, tam civiles quam criminales et mistas, exceptis iis pro quibus pœna corporis afflictiva est imponenda. » (S. congr. Episc. *in Tarentina pro oppido Mortinæ*, 7 Julii 1567.)

IV. « Episcopus concedere debet facultatem etiam vicariis foraneis et archipresbyteris, ut de consilio medicorum impertiri possint indigentibus licentiam vescendi cibis vetitis, quæ detur omnino gratis, ita ut nec pro scriptura quidquam accipere liceat. » (S. congr. Episc., 20 August. 1691.)

V. Vicariorum foraneorum officium est inquirere de vita et moribus clericorum, an parochi et presbyteri sui vicariatus habeant libros quos habere debent, an observent decreta synodalia, an eorum incuria divinus cultus aliquid detrimenti patiatur; et de his omnibus ad episcopum relationem facere. — Habent facultatem in unum congregandi semel in mense presbyteros suæ regionis, seu loci, ut conferant inter se super difficultatibus parochiarum et curis animarum. — Ipsis obedire debent omnes curati et alii clerici, cujuscunque dignitatis sint, alias per episcopum puniri possunt. (*Concil. Mediolanense*, part. I, tit. II, *De vicariis foraneis*.) — Tenentur significare episcopo curatos non residentes in sua regione. (*Ibid.*, part. II, tit. *De residentia*.)

VI. Ad vicarium foraneum et non ad archipresbyterum, sive curatum, nisi ipso vicario absente, spectat dare licentiam laborandi die festo, et contravenientes mulctare; et talis licentia in scriptis concedi debet, et non oretenus. (S: congr. Episcop., pluries.) — Pœna pro transgressione festorum debet esse moderata, neque excedere 5 vel 6 Julios (6 aut 7 fr.) in loca pia distribuendos, deducta parte vicariis foraneis et exsecutoribus debita. (S. congr. Episc. *in Theanen.*, 5 Febr. 1591.)

VII. Non permittat episcopus vicarium foraneum retinere non nisi unum notarium. (S. congr. Episc. *Immunit.* in *Spoletana*, 16 April. 1652. — « In locis autem, in quibus vicarius foraneus ex delegatione episcopi jurisdictionem exercet etiam in causis gravibus... tam civilibus quam criminalibus, non poterit valide per se ipsum acta processus conscribere, sed si notario, seu cancellario careat, duos clericos, vel alios duos testes idoneos, qui acta ipso mandante conscribant, adhibere debet, juxta formam præscriptam in cap. *Quoniam contra*, *De probat.*, quorum unus propria manu scribat, et alter per sigillum authenticum, vel subscriptionem, notum faciat in sua præsentia factum fuisse ut docendo tradit Innoc. dict. cap. *Quoniam contra*, n. 2. De qua testium assumptione in principio processus constare debebit. »

« Præterea in aliquibus casibus, et quando publicitas potest scandalum præbere, vel honorem mulieris honestæ, aut familiæ principalis loci denigrare, permittitur judici per se, et manu sua scribere depositiones testium, absque interventu notarii, et processum penes se retinere, ut vult Raynald., *Observ. crim.*, t. II, cap. 28, § 1; n. 94 et

95. » (Monacell., t. IV; Supplem. ad t. III, n. 169 et seqq.)

VIII. Vicarii foranei non habent facultatem extrahendi confugitos. (S. congr. *Immunit.* in *Spoletana*, 29 Maii 1629.)

IX. Quantumvis per se utilis et in jure præscripta sit testium synodalium institutio, tamen (ait Benedictus XIV, *De synod. diœc.*, lib. IV, cap. 3, n. 8), « Synodales testes fere ubique desueverunt, in eorumque locum suffecti sunt fiscales episcoporum et decani, hoc est, vicarii foranei.

X. Decani, archidiaconi, archipresbyteri plebani et alii inferiores visitandi jus habent, si id longa consuetudine præscripserint. (C. *Super eo*, et c. *Cum Apostolus*, *De censibus.*) Concil. Trident., sess. 24, *De reform.*, c. 3, ibi : *Archidiaconi autem, decani et alii inferiores in iis ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem, assumpto notario, de consensu episcopi, deinceps per se ipsos tantum visitare... et episcopo... visitationis factæ infra mensem rationem reddere, et depositiones testium ac integra acta exhibere teneantur, non obstantibus quacunque consuetudine etiam immemorabili, atque exemptionibus et privilegiis quibuscunque.* Unde vicarii foranei possunt de consuetudine et licentia episcopi visitare ecclesias, capellas, etc., sui vicariatus ; sed in hac visitatione tenentur servare quæcunque a jure præscripta sunt. (Vide *De visitatione episcopi*, supra, et infra, *De visitatione.*)

XI. Vicarii foranei licentia permittitur sufficere, ut parochus abesse possit in casibus repentinis. (Fagnan. in c. *Relatum*, n. 42, *De cleric. non resid.*)

XII. Hodiernam vicariorum foraneorum in Galliis conditionem et officium sic expressit concilium prov. Rhemensis, tit. XIV, c. 4, ita : *Patrum nostrorum vestigiis inhærentes, statuimus, ut in omnibus et singulis uniuscujusque diœcesis regionibus* (cantons), *instituantur decani qui sui quique territorii parochiis diligenter advigilent, decani autem tenentur ex officio de aliorum sacerdotum vita, de subortis inter parochos et parochianos difficultatibus, atque abusibus apud clerum aut fideles grassantibus episcopo rationem reddere ; rectores animarum in suarum paræciarum possessionem mittere, ipsos ad collationes ecclesiasticas convocare, eisdem sacra olea die præscripta solemniter distribuere et episcopi mandata transmittere, nec non ægrotantibus parochis sacramenta ministrare, aut ministranda curare et defunctis sepulturam dare. Verum decani nullam in aliarum parochiarum fideles habent jurisdictionem, et quemadmodum facultates, quibus fruuntur ut decani, possunt extendi aut restringi, ita et auferri ad nutum episcopi.*

XIII. Si vicarii foranei parochi sint, synodo diœcesanæ intervenire debent. Si non sint, tenentur, si episcopus eos vocet, idque expediat, quoniam ab istis tanquam oculatis testibus melius quam a vicario generali certior fieri poterit de iis, quæ in remotis diœcesis partibus occurrunt, et aliquam fortasse sanctionem exposcunt. (Bened. XIV, *De synod. diœces.* lib. III, c. 3, n. 10.)

Ex supradictis satis intelligitur, tam extensionem quam restrictionem jurisdictionis vicariis foraneis concedere arbitrio suo possit episcopus. In hac jurisdictione determinanda debet episcopus, ex jure naturali et mente sacrorum canonum, utilitati, necessitatibus et bono suæ diœcesis consulere.

§ IV. — An episcopus teneatur vicarios foraneos in diœcesi constituere.

I. Ex concil. Mediolanensi I, part. II, tit. *De vicariis foraneis* et sacr. congr. Episc. *in Trojana*, 27 Mart. 1590 et 10 Martii 1567, teneturl episcopus vicarios foraneos in diœcesi constituere; et ad hoc munus vicarii foranei eligi et constitui debent archipresbyteri et præpositi locorum, vel alii in dignitate ecclesiastica constituti : sin minus eligi debent rectores ecclesiarum parochialium diœcesis, quantum possibile erit. (*Concil. Mediolan.* loc. cit.) — « Ad sublevandum diœcesanos ab incommodis itineris et expensarum; et ne pro rebus levibus cogantur civitatem petere, tenetur episcopus deputare in locis diœcesis vicarios foraneos, ut decrevit sacr. congr. Episc. *in Trojana*, 27 Mart. 1590. » (Nicol... Peregr.)—(Monacelli, t. I, tit. I, form. 4.)

II. Nullus tamen juris textus expressus imponit episcopis obligationem vicarios foraneos deputandi. Re vero ipsa, Decretales et concilium Tridentinum supponunt exsistentiam vicariorum foraneorum; hæc suppositio juris, et talium vicariorum antiquitas in Ecclesia, sicut eorum substitutio in loco testium synodalium, et juncto jure naturali, quo tenetur episcopus bonæ suæ diœcesis administrationi providere videntur inducere

episcopo obligationem constituendi vicarios foraneos, præsertim in peramplis diœcesibus; et in eo concordant decretum sacr. congr. Episc. supra citatum, et plurima alia ejusdem sacr. congr. decreta supra citata et apud FERRAR. verb. *Vicarius foraneus*.

III. Quamvis soleant vicarii foranei ex principalioribus diœceseos parochis assumi, nullo tamen jure impeditur episcopus quin possit et alios clericos ad id officii deputare. (BOUIX, tract. *De judic.* part. II, sect. 2, cap. 10.) Hocque innuunt sacrarum congregationum declarationes.

§ V. — De præcedentia vicarii foranei.

« Vicarius foraneus ratione sui vicariatus nullam habet præcedentiam in choro, sessionibus et processionibus, et aliis actibus, et functionibus ecclesiasticis, supra alios parochos, canonicos et presbyteros ipso antiquiores et digniores; sed debet ipse vicarius stare, sedere et incedere in loco suæ receptionis et dignitatis, ac si non esset vicarius foraneus, tam cum cotta quam sine illa, non obstante quacunque ordinatione episcopi in contrarium, præterquam in congregationibus, quæ de mandato episcopi singulis mensibus fiunt, in quibus tanquam episcopi delegatus præcedere debet omnibus, non tamen in processionibus, missa, et aliis quæ fiunt ante congregationem. » (S. Rituum congr. in multis decretis, apud FERRAR. verb. *Vicarius foraneus*, n. 14.)

§ VI. — De loco ubi residere solent vicarii foranei.

I. Vicarii foranei residere debent in locis, ubi constituti fuerint, vel in alio non multum distanti (S. congr. episc. *in Trojana*, 12 Decembr. 1646.) Locus autem debet esse equidem numerosus.

II. Vicarii foranei amoveri possunt arbitrio episcopi, quotiescunque voluerit, et puniri possunt, si male se gesserint in officio sibi demandato. (*Conc. Mediolan.* I, part. II, *De vicar. foran.*)

III. Jurisdictionem sibi delegatam amittunt per eosdem modos ac vicarii generales.

CAPUT X.

De vicario monialium.

I. — 1. « Una ex præcipuis curis episcoporum est gubernium monialium, quod, si bene regatur, cætera pastoralis regiminis inter maris scopulos tuto navigio vigilantia superabit. » (LEO, *Thesaur. for. Eccles.* part. II, cap. 1, n. 33, et alii apud MONACELLI, tom. I, form. 3.) Ad quod præstandum debet prudens episcopus, ne aliquod illarum gubernium detrimentum patiatur, deputare vicarium, et officialem monialium tam civitatis, quam diœcesis, ad suum beneplacitum.

2. Debet episcopus huic vicario dare facultatem moniales etiam regularibus subjectas alloquendi, licentias (servata forma episcopi edictorum, et decretorum apostolicorum respectu ad regulares in primo et secundo gradu conjunctos) tam maribus, quam feminis concedendi, educandas servatis conditionibus in licentiis a sacr. congr. obtinendis præscriptis in monasteriis in quibus recipi et admitti solent, recipiendi; missas in earumdem monialium ecclesiis sacerdotibus, sæcularibus et regularibus celebrandi; ad habitum religionis puellas, et ad solemnem professionem novitias, præmissa voluntatis exploratione per episcopum, vel ejus delegatum facienda, admittendi; electioni abbatissarum etiam monasteriorum regularibus subjectarum nomine episcopi præsidendi; minuta subventionum retinendi, et expediendi, et alia gerendi et faciendi, quæ ad tuendam servandamque clausuram, etiamsi moniales regularibus subjectæ, aut alias exemptæ sint, et dummodo judicialiter agendum non sit, noscuntur pertinere. Licentias autem ingressus in clausuram, visitationem, et confessariorum approbationem episcopus sibi et vicario suo generali duntaxat reservare debet.

3. Quia vero in Galliis, ex sacra Pœnitentiaria, vota solemnia non habent moniales, ampliores facultates vicariis monialium concedere possunt episcopi.

II. Eligendus in vicarium monialium debet esse ætate provectus, non minus 40 annorum, presbyter sani consilii, morum probitate irreprehensibilis, qui possit in hoc munere ostendere gravitatem, et omnia facere cum honestate juxta Apostoli præceptum: *Omnia honeste et secundum ordinem fiant.* (*I Cor.* XIV, 40.) — (C. *Cum in cunctis* 7, *De elect.* Apud MONACEL. tom. I, tit. I, form. 3.)

CAPUT XI.

De auditoribus et assessoribus episcopalium curiarum.

§ I. — De variis auditorum speciebus.

Ex iis qui *auditorum* nomine variis in curiis designantur, alii veri ac proprie dicti

judices sunt, ut auditor cameræ apostolicæ et auditores Rotæ; alii vero a judicibus ordinariis essentialiter differunt, ut sunt auditores archiepiscopalium et episcopalium curiarum.

« Auditorum usus præcipue est in curia Romana, et apud legatos sedis apostolicæ. Sunt, quibus vel tota causa, vel certus causæ articulus examinandus committitur, eo fine, ut post diligens examen super hoc institutum, rem omnem exponant judici, ejusque decisioni relinquant. Habent illi quidem jurisdictionem in cognoscendo, ita ut partes ad audientiam citare, testes et probationes admittere possint, etc., in decidendo autem et sententiando jurisdictionem non habent, nisi hoc ipsis specialiter a principali delegetur.

« His quoad officium consimiles videntur esse referendarii, a referendo dicti; qui eum in finem constituuntur, ut, quia judex multitudine causarum obrutus, omnium momenta ex actis sæpe amplissimis colligere unus non potest, ipsi ea discutiant, et postea eorum substantiam, rationes et merita judici et assessoribus referant, sicque illas ad sententiam ferendam instruant. » Schmalz. tit. I, lib. II *Decret.* n. 15.)

Ad auditores etiam referri possunt consultores, qui juris et facti articulos discutiunt, et postea judici referunt. Papa ipse habet suos auditores et consultores; cardinales habent suos auditores et consultores; merito igitur episcopi debent habere suos et dare etiam vicariis suis; attamen in jure nullibi occurrit cautum, ut debeant episcopi, archiepiscopi, dictos auditores sibi adjungere. Unde penes ipsorum arbitrium et prudentiam ea res tota censenda est. Prudens vero episcopus præclarissimum summi pontificis exemplum et praxim sequetur.

§ II. — De episcopi theologo.

Inter consultores episcoporum primus est theologus, quem ex praxi et sententia canonistarum assumere debet episcopus.

Ex Monacelli titulo XII, form. 8 : « Theologus episcopi debet esse inculpabilis vitæ... Hic enim in dicenda sua sententia non debet respicere faciem hominis, nec pavescere minas creaturæ mortalis, ne episcopus ejus consiliis deceptus non theologum sed foveat adulatorem : oportet, inquam, in veritate legem docere, et salutem propriam, et proximi doctrina sana, et morum puritate operari : quoniam *plenitudo sapientiæ est timere Deum.* (*Eccli.* I, 20.)

« Quia in assumptione ad episcopatum, præsertim in Italia, in qua hæreses (Dei misericordia) non pullulant, quamvis theologia sit dignior cæteris scientiis propter nobilitatem, materiæ celsitudinem, et altiorem finem, canonistæ theologis sæpe præferuntur, ut experientia docet nos, et doctores etiam ita providendum insinuant... Maxime propterea decet, quod episcopus canonista in theologicis disciplinis non versatus, theologum sibi assumat non pro forma, ut morem gerat, sed ut in rebus quæ ad fidem et forum conscientiæ in rebus arduis pertinent, consultorem habeat idoneum, ut verificetur Jeremiæ effatum : *Dabo vobis pastores, qui pascent vos scientia et doctrina.* » (*Jerem.* III, 15.)

Pari ratione maxime decet, quod episcopus non canonista sibi assumat canonistam consultorem idoneum; quodque episcopus, qui nec theologus nec canonista est, sibi duos consultores, theologum et juris peritum, assumat.

§ III. — De vicarii generalis et foranei auditoribus.

I. « Casus autem in quibus magis opportuna videtur officii hujus in curia episcopali adjectio, præcipue sunt : 1° si tanta negotiorum mole vicarius generalis obruatur, ut nequeat ea qua par est celeritate omnia expedire; 2° si non adeo sit in jure canonico versatus, nec doctiorem reperiat episcopus quem ipsi substituat : tunc enim utiliter illi adjungetur auditor juris peritus. Et sæpe reperietur, qui auditoris officio aptus sit, licet eumdem non deceat (ob parum provectam ætatem, aliave de causa) ad vicariatum generalem promoveri. » (Bouix, *De judic.* part. II, sect. 2, cap. 11, quæst. 2.)

II. Ne oriantur circa valorem actuum per ejusmodi auditorem gestorum difficultates et dubia, clare in deputationis instrumento exprimendum est, ipsi conferri jurisdictionem *ad procedendum in causis vel causarum articulis ei commissis ; non tamen ad easdem causas sententialiter dirimendas.* Intra cujus mandati fines si sese continuerit, certo valebunt processuales actus per eum gesti : secus si mandati fines excesserit. — Est autem hujusmodi auditorum jurisdictio mere delegata, non ordinaria. » (*Ibid.* quæst. 3.)

III. Ex Innocentii decretali *super quæstio-*

nem 27, tit. XXIX, lib. I *Decret.* 1° Si auditori committatur tota causa cognoscenda et judicanda, dabitur ab eo appellatio ad delegantem. 2° Dabitur appellatio ad delegantem, si auditori committatur *finis causæ*, id est sententia definitiva proferenda. 3° Item dabitur appellatio, si ipsi committatur *principium causæ*. 4° Non autem dabitur appellatio si ipsi committatur *medium causæ*, excepto duplici casu : quando nempe fines mandati excedit, et quando merito suspectus est.

IV. In auditorem ecclesiasticæ curiæ deputari nequit laicus, nec clericus conjugatus; nam principium certissimum est in jure canonico, quoscunque laicos esse jurisdictionis ecclesiasticæ incapaces.

§ IV. — De episcopalium curiarum assessoribus.

I. « Assessor is est, quem ille, qui judicandi potestatem habet, sibi associat ut ei assideat et assistat, et ad recte causam dicendam eum instruat (ex lege 2 codicis, *De assessoribus*). Ex qua descriptione desumi potest quod assessoris officium versatur circa plura. Et *primo*, ut invigilet ad veritatem indagandam, et quid juris sit judicem instruat. (Dicta lege 1, codicis *De assessoribus.*) Hinc fit quod, postquam illum elegerit, et ipse acceptaverit, tenetur de injustitia judicis nisi protestationem in actis fecerit, quod ipse non consentit, cum videt judicem injuste agere. *Secundo*, ut admittat vel rejiciat libellos prout juris fuerit, inspiciendo an bene confecti fuerint, vel de re illicita. *Tertio*, ut perpendat petitionem partis, an illi competat actio, et an juris ordinem in petitione servaverit. *Quarto*, ut consideret et bene disponat decreta interponenda in causis coram eo judice cui assistit, vertentibus. *Quinto*, ut videat et diligenter consideret edicta et alia, quæ a judice promulgantur, an juridica fuerint ; et si contra, vel præter jus esse cognoverit, prohibeat ne publicentur.» (PELLEGRINI, *Praxis vicariorum*, part. IV, sect. 16, n. 20.)

II. De jure canonico communi, nulla assessori competit jurisdictio. Quod si alicubi ex consuetudine vel statuto particulari aliquid jurisdictionis habeat, quoad hoc non merus assessor seu consiliarius, sed delegatus judex censendus est. (BOUIX, *De judiciis*, part. II, c. 12, *De assessoribus.*)

III. Potest episcopus vicario suo generali assessores assignare ea lege, ut eorum consilium sequi teneatur, quoad unam aut alteram causarum speciem; secus vero quoad *omnes* generaliter causas. Si enim hac lege teneretur vicarius generalis quoad omnes generaliter causas, jam ei non competeret *universaliter ordinaria jurisdictio;* unde ex supra stabilitis, jam non esset verus vicarius generalis, sed merus delegatus.

IV. Nisi aliter ab episcopo cautum fuerit, poterit vicarius ipsius generalis suos sibi assessores assumere. Secus autem si hanc electionem sibi episcopus reservaverit.

V. Cum assessores nullam per se habeant jurisdictionem, possunt eligi ex laicis; sed non expedit.

VI. Assessor recusari potest tanquam suspectus.

VII. Non requiritur ut assessor sit doctor in jure canonico, sed peritus juris esse debet.

§ V. — De forma collegiali tribunalis episcopi.

I. Potest episcopus pluribus delegatis causas committere; sed non omnes causas, nisi velit vicarium suum generalem gradu suo dejicere.

II. An autem id expediat, vix admittendum videtur quoad causas civiles ecclesiasticas. Quoad criminales vero, magnæ auctoritatis exemplum habemus : sancitam nempe recentioribus temporibus a sede apostolica dispositionem, quoad diœceses sub ditione pontificia comprehensas. Siquidem articulo tertio Appendicis ad decretum organicum diei 5 Novembris 1831 statuitur, ut cujuslibet episcopi *tribunal criminale, ordinario et quatuor aliis judicibus constet.*

« Nec dubium est quin simili cum forma possit episcopus criminale suum tribunal constituere. An autem prudenter id induceretur, a regionum et temporum circumstantiis plurimum dependere videtur. » (BOUIX, *ibid.* c. 15.)

III. Non potest episcopus collegium judicum, criminale tribunal componentium, ita constituere, ut sint in officio suo perpetui seu inamovibiles, sive relative ad seipsum, sive relative ad successores episcopos. Nam ejusmodi perpetuitas seu irrevocabilitas statui nequit, nisi a summo pontifice aut a concilio generali.

CAPUT XII.

De promotoribus et advocatis, de matrimoniorum et professionum religiosarum defensoribus, et de depositariis.

§ I. — De promotore fiscali.

I. Fiscus « sumitur pro toto aliquo collectivo, seu universitate rerum, pecuniarum et jurium, ad rempublicam spectantium; ita ut, quod in privato est patrimonium, illud in republica sit fiscus. » Leurenius, *Forum ecclesiast.* tom. III, quæst. 460, n. 1.) Hinc fiscalia jura sunt jura illius *personæ fictæ*, quæ fiscus vocatur.

II. Qui vero jura fisci defendit, aut pro eo in judicio respondit, vocatur *promotor fiscalis*, seu *procurator fiscalis*, vel simpliciter *fiscalis*, et quandoque *promotor*. « Quia autem Ecclesia, non minus quam regna temporalia, suum habet fiscum, id est, res et jura publicum Ecclesiæ bonum et interesse respicientia, hinc episcopalis curiæ promotor fiscalis recte definiri potest : *Legitime constitutus ut jura fisci ecclesiastici tueatur, et ejus loco in judicio agat et respondeat.* (Bouix, *ibid.* cap. 14.)

III. Promotor fiscalis potest constitui ab episcopo et etiam a vicario generali in aliqua causa. Promotor vero ab episcopo constitutus nequit a vicario generali removeri.

IV. Debet jurare promotor in principio officii sui de bene administrando.

V. Procuratoris fisci officium est cum zelo promovere in diœcesi, tum generaliter Ecclesiæ bonum publicum, et jura, tum in specie jura et bonum publicum diœceseos in qua fuit constitutus. Hinc ad promotoris officium præcipue pertinet publicam criminum vindictam coram tribunali ecclesiastico persequi. Ex quo satis patet quanti momenti sit commissum ipsi munus. In quo certe explendo, si negligenter se gesserit, atque ex ejus culpa per diœcesim atque in clero libere grassarentur vitia et scandala, ipsi coram judice Christo imputabitur collapsæ disciplinæ, conculcatarum ecclesiasticarum legum, et perditarum inde animarum ruina. Eligendus ergo est ad id officii, non pavidi, sed fortis animi vir, et in jure peritus; qui non timeat iniquorum invidiam sibi concitare; sed potius iniquitatem zelo et integritate sua terreat. At præter dictam criminum vindictam publicam, ipsius officii est in judicio agere et respondere, in causis quæ bona temporalia, prærogativas, et alia jura fisci ecclesiastici respiciunt. » (Bouix, *ibid.*)

« Fiscalis curiæ episcopalis officium est assistere vicario generali; instare pro juribus Ecclesiæ; agere ac defendere fiscalia: sunt autem fiscalia, ea in quibus agitur de publica pecunia vel vindicta. . . Propterea potest petere, ut detur terminus ad probandum delictum : potest petere remissionem, ubi de jure concedi debet : similiter potest petere citari; necnon publicationem fieri : inquisitos non audiri; repeti testes; ipsos testes interrogari; reos non comparentes contumaces declarari : et tandem culpabiles condemnari. Potest similiter in omnibus cum judice intervenire, et consilii gratia votum præstare, non tamen judicare. » (Pellegrinus, *De vicario gen. episc.* part. IV, sect. 1, n. 19.)

VI. Ad nutum episcopi revocabilis est promotor fiscalis; sed est de familiaribus episcopi, et propter muneris sui gravitatem, speciali honore dignus. Salarium ipsi debetur ab episcopo, etiamsi nulla de eo conventio facta fuerit.

VII. Promotoris fiscalis necessitas præsupponitur; et nisi constitueretur in qualibet episcopali curia, plura orirentur incommoda. « Est autem adeo necessarium (ait Pellegrinus, part. IV, sect. 1, n. 20) in criminalibus, ut citetur in omnibus actis quæ fiunt contra reum fiscalis curiæ, ut si feratur sententia contra reum, ipso (*nempe fiscali*) non citato, sententia erit nulla. » (Leg. 1 Codicis, *De sententiis adversus fiscal. lat.*)

At dato casu quo episcopo fas est *extrajudicialiter*, seu ex informata conscientia procedere, necessaria non est, ut patet, promotoris fiscalis opera.

VIII. Non tantum in curiis episcopalibus, sed et in concilio provinciali, aliisque curiis ecclesiasticis promotor fiscalis constituendus est, ut ex officio instet pro legum ecclesiasticarum observatione, et transgressionum vindictam juridice prosequatur. Et quando causæ criminales in ejusmodi curiis expediendæ sunt, eadem est ac in curia episcopali promotoris fiscalis necessitas, atque idem officium. » (Bouix, *ibid.*)

§ II. — De advocatis fiscalibus.

« Si promotor fiscalis nequeat per se ipsum opportunas pro parte fisci defensiones coram tribunali perorare, sibi in auxilium vo-

cat patronum sive advocatum, qui ex hoc ipso advocatus fiscalis dicitur. Ex libera autem episcopi dispositione pendet, ut is possit pro arbitrio promotoris fiscalis eligi vel duntaxat inter certos quosdam, pro ejusmodi officio approbatos. » (*Ibid.*)

§ III. — De procuratore pauperum.

Cura et protectio pauperum propria est episcopi, et tenetur illos tueri et defendere. Textus et canones sunt aperti, in cap. *Pervenit* et seq., 84 dist. — C. 1 et per tot. 87 dist. c. *Scire*, causa 23, quæst. 8 et c. 1, dist. 86. Hinc constituendus est pauperum procurator, qui suscipiat pauperum patrocinium et negotia; hic patronus litis dicitur, et causam agit; etiam sine mandato potest procurator comparere, et patrocinium assumere. Omnia gratis facere debet. Talis procurator laudabiliter constituitur ab episcopo, qui tamen ad hoc non stricte tenetur.

§ IV. — De advocato pauperum.

Advocati pauperum dantur ab episcopo in consilium ad pauperes in judicio defendendos. Tenetur episcopus ex officio providere pauperes de advocato, per text. in cap. *Ex litteris* 1, *De offic. judic.*; et potest eum cogere ad suscipiendum illorum patrocinium, etiam in criminalibus, mulctando renitentem, aut illi prohibendo munus advocationis exercendi. (Communis, apud Monacel. tit. 1, form. 9.) Advocatus pauperum omnia gratis facere debet.

Tam procurator quam advocatus pauperum possunt esse laici, et gaudent privilegio fori. (S. congr. *Immunitat.* in *Beneventana*, 20 Jul. 1655.)

§ V. — De matrimoniorum et professionum religiosarum defensoribus.

I. Benedictus XIV, sua constitutione *Dei miseratione*, præscribit ordinem, et formam observandam in judiciis causarum matrimonialium super validitate matrimoniorum, et mandat, in omni diœcesi ab ordinario loci eligendum esse idoneum virum, si fieri possit, ecclesiasticum *matrimoniorum defensorem* vocandum, qui ad omnem actum judicialem citari debebit, et intervenire, et voce, et scriptis validitatem matrimonii defendere et appellare a prima sententia, si ista declaraverit invalidum matrimonium. Imo potest appellare etiam a secunda conformi priori, si ipsi defensori videatur manifeste injusta, et etiam a tertia, si esset revocatoria alicujus alterius præcedentis in favorem validitatis matrimonii prolatæ.

In judiciis secundæ instantiæ, si judex fuerit metropolitanus, aut nuntius apostolicus aut episcopus vicinior, defensor matrimonii debet esse qui ab ipsis respective fuerit deputatus, prout ab ipsis est deputandus. — Si autem sit specialis commissarius a sede apostolica deputatus qui tribunal et jurisdictionem ordinariam non habeat, defensor debet esse qui fuerit constitutus ab ordinario, in cujus diœcesi causam cognoscet; etiamsi idem ordinarius sit, qui primam sententiam in eadem causa pronuntiaverit.

Defensor matrimonii, quamvis ad munus suum gratis obeundum pro amore Dei, et proximi utilitate, ac Ecclesiæ reverentia, ipsum pontifex in Domino exhortetur, tamen si aliqua ex causa id sine mercede, aut salario exsequi recusaverit, ab ipsius causæ judice debet ei constitui, et a parte pro validitate matrimonii agente persolvi, si ipsi facultas sit; sin minus a judice primæ, vel secundæ instantiæ respective subministrari ex mulctis suorum tribunalium in opera pia erogandis. Et si judex fuerit specialis deputatus commissarius pecuniam ex mulctis non habens, debet defensori matrimonii satisfieri ex mulctis illius episcopi, in cujus diœcesi commissarius apostolicus judicium exercebit.

Defensor matrimonii juramentum fideliter officium suum obeundi præstare debet in limine judicii, et in suscipiendo officio. In omnibus actibus citari, et intimari debet sub pœna nullitatis. Semper appellare debet a prima sententia pro nullitate matrimonii lata. (Ista per omnia, in dicta const. Bened. XIV *Dei miseratione*.)

II. Defensor professionis regularis in singulis diœcesibus ab ordinariis juxta disposita pro defensore matrimonii est deputandus aliquis probitate, et doctrina commendatus, sive regularis, sive ecclesiasticus sæcularis. (Bened. XIV, tom. III, constit. 47, incip. *Si datam*, quam reperies apud Ferraris, v. *Regularis professio*, Addit. Casinenses.) Pro ejus mercede, seu salario est ei præstandum, quod judex prudenter arbitratus fuerit exsolvendum ex bonis a professo (vel professa) renuntiatis in religionis ingressu, si quæ habuerit, aut in defectu, ex bonis religionis, si sit ex bona possidenti-

bus. Si autem nec adsint bona renuntiata, nec ejus religio bona possideat, tunc defensori professionis satisfiet ex pecuniis mulctarum illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit. (Bened. XIV, t. III. Constit. 42.)

Defensor professionis in constructione processus, interrogatoria dare debet, et ad omnibus judicii actibus citandus est. (*Ibid.*) Defensor professionis, si sententia lata fuerit pro nullitate professionis, ex officio appellare debet; defensor professionis, deputari, et assistere debet propositioni causæ apud sanctam Sedem super concessione restitutionis in integrum; idemque assistere debet confectioni processus remissorialis. Assistentia defensoris professionis omnino necessaria est sub pœna nullitatis omnium actuum. (Ita per omnia in dicta Bened. XIV, const. *Si datam.* — *Vide* plura de defensore professionis in lib. VII seq. cap. 8, sub fine.)

§ VI. — De depositariis.

Depositarii deputantur ad custodienda varia illis confisa. Tres varii ordinarie esse possunt in curia episcopali

I. *Depositarius pignorum.* — Ad consulendum indemnitati non minus creditorum, quam debitorum lites agentium in episcopali foro, de idonea persona, quæ pignora in exsecutione reali capta custodire debeat providere habet episcopus. Talis depositarius debet librum bene compactum, in quo pignora describantur retinere, descripta custodire, et nonnisi mandato in scriptis habito episcopalis tribunalis illa restituere, seu consignare, et præterea rationem reddere.

II. *Depositarius mensæ episcopalis.* — Deposita pecuniarum recipit, canones, census, livella, responsiones, laudemia, aliasque res ad episcopalem mensam et episcopatum spectantes et pertinentes exigit et custodit; deponentes, et solventes respective scripto quietat; rationem ad omne mandatum episcopi reddit.

§ VII. — De depositario pœnarum et mulctarum.

I. — 1° Pro mulctis retinendis debet ab episcopo fieri depositarius ipsarum. (Sacr. cong. Episcop. *Pluries*, et sacr. cong. Concil. apud Fagnan. in cap. *Quoniam* 13, *De const.* n. 32 et seq.; et talis mulctarum depositarius debet esse aliquis de capitulo sacr. congr. apud Fagnan. loc. cit. n. 7.) Debetque cautionem præstare de bene administrando, expendendo cum mandato subscripto ab ordinario, et reddenda ratione in fine anni coram ordinario et duobus capitularibus; quorum canonicorum alter debet eligi ab episcopo, et alter a capitulo. Sac. congr. Episcop., sæpius.

2° Pecunia mulctarum nullo modo retineri potest ab ordinario. S. congr. Episc. 16 Sept. 1596, apud Nicol: in *Flosculis* v. *Pœnæ*, n. 6.) Et sic voluisse videtur etiam sacr. congr. Concil. apud Fagnan. loc. cit. n. 32. Unde depositarius mulctarum non debet deputari pro forma, sed ut vere et realiter mulctæ apud eum deponantur. (Monacelli, tom. I, tit. I, formul. 13, n. 9, et alii id colligentes ex allatis decretis.)

II. Episcopus debet mulctas et pœnas pecuniarias locis et usibus piis applicare. Cap. *Presbyteris*, *De pœnit.*; *Conc. Trident.* sess. 6, c. 1; sess. 23, c. 1, et sess. 25 *De reform.* c. 3. Unde debet constituere fidelem depositarium, qui ipsas recipiat, et fideliter de suo mandato locis et usibus piis applicet. (S. congr. Episc. sæpissime apud Ferraris. verb. *Episcopus*, art. 6, n. 63 et 64.) Et debent applicari pauperibus, vel locis piis diœcesis ad arbitrium episcopi. Nec potest episcopus ipsas sibi applicare, quamvis sit pauper et egenus; nec suo fiscali, vel alteri officiali curiæ; nec fabricæ vel sacristiæ ecclesiæ; nec in reparationem palatii episcopalis, aut domus vicarii generalis; nec pro vestiendis apostolis, quibus lavantur pedes in die Cœnæ Domini, nec pro supplemento salarii musicorum Ecclesiæ cathedrali inservientium; nec pro expensis tribunalis; ex multis decretis sacr. congr. Concil. apud Ferrar. verb. *Pœna*. art. 1, n. 50 et seqq. Et episcopus mulctas pecuniarias locis et usibus piis non assignans, sed sibi, aut suis officialibus et ministris applicans sine facultate sacræ congregationis, non est immunis a culpa mortali, ut multis probat Monacelli tit. I, form. 13, n. 3 et alii cum ipso.

Unde si episcopus vere sit pauper, vereque indigeat, debet recurrere ad sacram congregationem Concilii pro gratia applicationis dictarum mulctarum, quæ solet illas ad tempus permittere episcopis vere pauperibus, vereque indigentibus, vel pro sua et familiæ necessitate, vel pro episcopalis palatii refectione, et similibus, ut pluries

fuisse decisum refert Zaul. apud Ferrar. verb. *Pœna* art. 1, n. 60.

De episcopo quæri solet, an valeat is componere delicta clericorum, convertendo pœnam in mulctam pecuniariam. Varias doctorum opiniones refert Rosa, *De resid. episc.* tit. IV, sect. ultim. n. 57 et seqq., qui tamen pro affirmativa est cum pluribus.

« Porro distinctionem superius propositam an pœnæ pecuniariæ sint arbitrariæ, vel a jure, aut statuto limitatæ, et an episcopus egeat necne, probavit sacr. congregatio Concilii. Sæpius enim declaravit episcopum, si indigeat, posse pro se retinere eas tantum pœnas pecuniarias, quæ a sacris canonibus, vel synodalibus statutis pro delictis ad certam quantitatem fuerint præfinitæ. Eas autem, quæ vel ab ejus arbitrio pendent, vel per sententiam nulla præcedente canonum, vel statutorum synodalium determinatione imponuntur, nequaquam aliis, quam piis locis, vel usibus applicare posse. Verum pœnas clericorum non residentium, item concubinariorum, ac mulctas pecuniarias semper piis locis esse applicandas, quemadmodum Tridentini concilii decretis salubriter cautum est. Postea tamen dixit sacr. congr. consultius fore ut episcopi egentes pro his pœnis sibi applicandis adeant sedem apostolicam. » (Fagnan. in II part. lib. V *Decretal. De pœnis*, c. *Presbyteri*, n. 21 et 22.)

Pœnæ, et mulctæ delinquentium in una ex duabus diœcesibus unitis applicandæ sunt piis locis diœcesis cujus sunt delinquentes, et in pari necessitate pauperibus loci, ubi habitant ipsi delinquentes. (S. congr. Episc. sæpius, apud Monacel. t. I, form. 13, n. 6. et alios.)

III. — 1° Pecuniaria pœna in hoc consistens, quod delinquens loco alterius pœnæ, vel una simul cum alia, certam summam pecuniariam solvere debeat, licite et valide etiam a judicibus ecclesiasticis imponi potest. (Communis, arg. c. *Statuimus*, causa 16, quæst. 1, cap. *Dilectus* 6. *De offic. ordinar.* cap. *Postulasti* 14, *De Judæis*.) — 2° Ordinarius abstinere debet a pœnis pecuniariis contra regulares. (S. congr. Episc. et Regul. 29 Septemb. 1645 apud Nicol. in *Floscul.* verb. *Pœna*, n. 7.)

CAPUT XIII.

De notariis, actuariis et cancellariis.

§ I. — Notariorum, actuariorum et cancellariorum munus.

I. Passim auctores *notarii*, *actuarii et cancellarii* vocabula pro omnino synonymis habent. Dicuntur *notarii* a notis, actuarii ab actis, dictis et gestis ab ipsis conscribendis; *tabelliones*, a tabulis in quas olim annotationes suas referebant; *protocollistæ*, quia protocollum, seu librum actorum habent; *cancellarii*, a cancellis sive tribunalis, sive curiæ.

Attamen inter se differunt. Notarius definiri potest: *Persona ab auctoritate publica constituta, ut scripti ab ipsa actus fidem faciant.* (Bouix, *De judic.* part. II, c. 15.) Si talis constitutus notarius deputetur de facto ad conscribenda ejusmodi acta in aliqua curia, vocatur *actuarius*, si vero ad eadem conscribenda in aliqua cancellaria, vocatur *cancellarius*.

II. Notariorum fori ecclesiastici duplex classis: notarii nempe *apostolici*, seu a Sede apostolica creati, et notarii cæterorum ordinariorum.

Ipsi vero apostolici notarii in duos gradus distribuuntur: sunt enim vel protonotarii, vel simpliciter notarii apostolici. Iterum protonotarii alii sunt de *numero* participantium, alii secus. (*Vide supra.*)

§ II. — Utrum clericis et religiosis licitum sit notarii officium exercere.

I. Certum est clericis in sacris ordinibus constitutis *aliquod* saltem tabellionatus seu notariatus officium esse *regulariter*, seu per modum regulæ generalis, interdictum. (Ex decretali *Sicut* 8, tit. L, lib. III *Decret.*) Præfata lex canonica probabilius attingit dictos clericos, etiam beneficio carentes, item probabilius etiam clericos minorum ordinum. Religiosis insuper notariatus officium regulariter prohibitum est. (C. *Ut officium* 11, tit. II, lib. V, in 6.) Attento jure communi scripto, prohibitio hæc tam pro clericis quam pro religiosis intelligenda esset quoad curiam ecclesiasticam et causas ecclesiasticas.

II. A generali hac prohibitione, excipiuntur causæ fidei, in quibus possunt quidquid ad tabellionatus officium pertinet peragere clerici et religiosi, textu expresso in capite *Ut officium*, supra. Excipiuntur secundo clerici qui a Sede apostolica notarii creati sunt.

III. « Quidquid sit de jure scripto seu de

præcitatis decretalibus, ex hodierna saltem generali consuetudine, quæ cæteroquin constanter ab antiquitate viguisse videtur, licitum est clericis, etiam majorum ordinum, notarii seu cancellarii officium exercere pro actibus auctoritatis ecclesiasticæ. (Bouix, *De judic.* part. II, cap. 15, prop. 8,) et probatur ex multis auctoribus, et praxi communi.

IV. « Quando notarius laicus factus est clericus, si pergat instrumenta conficere antequam id ei publice ab episcopo suo prohibeatur, valida erunt ejusmodi instrumenta, quamvis illicite confecta : si vero fiat religiosus, instrumentum absque licentia sui superioris confectum, ipso jure irritum erit. » (*Ibid.* prop. 12.)

§ III. — De notariorum creatione.

I. Notarios creare nequit *ex jure sibi proprio*, nisi qui est supremus princeps, id est superiorem in jurisdictione sua non habens. Unde hoc sensu solus papa notarios creare potest, quoad forum ecclesiasticum.

II. Certum est vi consuetudinis posse notarios ab episcopo creari. Id etiam unanimiter tenent doctores, et palam facit perpetua praxis. « Etsi episcopus, vel alius judex principe inferior, intra diœcesim suam vel territorium, possit creare notarios, non tamen extra illam vel illud ; quia, quamvis officium notariatus, non tantum judiciale, sed etiam extrajudiciale sit, quia et extra judicium exerceri potest ; auctoritas tamen et actus creandi seu constituendi notarios est actus judicialis ; adeoque extra territorium creatio fieri non potest. » (Pirrhing. in tit. XXII, lib. II *Decret.* n. 8. Idem tradit Fagnan. in cap. *Sicut te*, tit. *Ne clerici vel monachi*, n. 54.) Tute proinde non ageret episcopus, qui extra diœcesim exsistens cancellarium suum crearet ; quia probabilius saltem robore carerent ad fidem faciendam instrumenta a cancellario sic creato confecta.

III. « Generales et provinciales religionum creare possunt notarios intra suum ordinem pro causis criminalibus religiosorum, ita ut illis tanta fides adhibeatur, quanta notario sæculari. » (Ferraris, verb. *Notarius*, n. 21 ; communis, et ex constit. 124 *Debitum pastoralis* Pii V.)

IV. Inquisitores hæreticæ pravitatis possunt creare clericos sæculares et regulares, in notarios sanctæ Inquisitionis, pro causis ad eam spectantibus, ex const. 22 Alexandri IV, *Ne commissæ*

V. « Notarius cum creatur jurare solet : *primo*, quod conficiet instrumenta de quibus fuerit rogatus, nil veritatis tacendo, vel falsitatis miscendo ; *secundo*, quod non revelabit quod sibi secreto commissum fuerit, nisi justa de causa ; *tertio*, quod non conficiet scienter aliquod instrumentum de contractu usurario, nec de alio quovis illicito ; *quarto*, quod retinebit de omnibus instrumentis, quæ dederit, regestum seu protocollum ; *quinto*, quod erit fidelis ei a quo fuit creatus notarius, et admonebit eum de iis quæ sciverit in ejus damnum vergere ; *sexto*, quod nullo odio vel amore, spe vel timore officio suo abutetur. » (Ferraris, verb. *Notarius*, n. 1.) Consonat Fagnanus cum multis aliis canonistis, in cap. *Sicut te, Ne clerici et monachi*, n. 16. Necesse tamen non est ut hæc omnia explicite juret notarius, sed sufficit juramenti formula *De fideliter implendo officio suo*. Sic tradit Ferraris, *loco cit.*, n. 21, pro regularibus. « Selectis a prælato.. idoneis, ipsi coram eo genuflexi, tactis sacris evangeliis coram duobus vel tribus testibus, debent juramentum præstare, de fideliter et cum omni integritate dicto officio exercendo, ut infra : *Ego N. promitto et juro Deo omnipotenti, et SS. D. N. Papæ N., et tibi Patri, quod meum fideliter exercebo officium in omnibus et per omnia. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei evangelia.* Prælatus autem, recepto a notario tali juramento, tradit ei calamum et atramentum, dicens : *Accipe potestatem notificandi et intimandi pro ista provincia quibuscunque personis, etiam regibus, mandata, indulta, ac privilegia apostolica juxta privilegia ordini concessa, faciendique publicos actus et instrumenta. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Testimoniales postea creationis in notarium poterunt dari, variatis variandis. »

Videtur quidem ea juramenti solemnitas in consuetudinem generalem transiisse, cum de illa tanquam observari solita loquantur passim doctores... Nihilominus dictam solemnitatem de jure communi esse sub præcepto, et præsertim sub nullitatis pœna, usurpandam, nullo textu legis canonicæ expressum reperio... Quam autem laudabile sit eam servari satis ex dictis patet... (Bouix, *ibid.* c. 15, § 10.)

VI. Certum est laicos catholicos posse in causis spiritualibus esse notarios seu can-

cellarios. Sed, in rigore juris, probabiliter a sola potestate sæculari creatus non posset esse notarius in causis et negotiis ecclesiasticis. Ob consuetudinem vero talis notarius potest suum officium exercere etiam in foro ecclesiastico, quandiu ab episcopo prohibitus non est. In Galliis autem notarii a sæculari potestate creati, quia sæpe sunt hæretici, increduli ac Judæi, non videntur apti ad valide conficienda instrumenta ecclesiastica.

VII. *De validitate instrumentorum notarii.* — 1. Notarius quilibet instrumenta valide non conficit, nisi intra territorium illius magistratus a quo notarius creatus est.

2. Conficit tamen valide instrumenta extra territorium suum : 1° si ita ferat alicubi consuetudo ; 2° si consentiat princeps loci ; 3° probabiliter, si licet exsistens extra territorium suum, instrumenta conficiat pro ejusdem territorii sui subditis in id consentientibus.

3. Notarius intra territorium suum valide conficit instrumenta, etiam pro extraneis.

4. Notarii a papa sine restrictione locorum creati, regulariter ubique terrarum instrumenta valide conficiunt quoad forum ecclesiasticum. — Dixi *regulariter*, quia ex Trident. sess. 22, cap. 2, possunt ab episcopis ad examen vocari, et si imperite reperti fuerint, interdici saltem pro sua diœcesi ; et a sic interdicto instrumenta confecta invalida forent.

5. Instrumentum a notario alicubi valide confectum ubique plenam fidem facit. (*Vide* apud Bouix, *De jud.* part. II, c. 15, § 7.)

VII. *De requisitis in notario.* — 1° Debet esse legitimo matrimonio natus ; 2° juris peritus, vel saltem ea sciat quæ ad suum officium pertinent : alias tenebitur de damno ob imperitiam illato ; 3° ut non sit excommunicatus, sub pœna invaliditatis instrumentorum ; 4° « In summa, omnes qui a testimonio repelluntur, repelluntur quoque a notariatu. » (Leurenius, *Forum eccles.* in tit. XXII, lib. II *Decret.* quæst. 689.)

IX. *De necessitate et obligationibus notariorum.* — 1. Tenetur judex ecclesiasticus notarium seu concellarium adhibere tam in judicio ordinario, quam in summario. (Ex decretali *Quoniam* 11, tit. XIX, lib. II *Decret.*)

2. Notarii contra officii sui debitum peccant : « *Primo*, si sine sufficienti peritia suscipiant officium. *Secundo*, si juramentum violent. *Tertio*, si in depositione testium aliquid notabile et momentosum addant vel detrahant. *Quarto*, si ministro transcriptori, cum erroris periculo, examen committant. *Quinto*, si protocollum et acta negligenter custodiant cum damno partium. *Sexto*, si differant causarum expeditionem, ut pecuniam extorqueant. *Septimo*, si testamentum scribant hominis ratione destituti. *Octavo*, si testes falsos admittant. *Nono*, si solemnitates necessarias ex ignorantia culpabili vel malitia prætermittant. *Decimo*, si conficiant instrumentum usurarium, vel falsum, præsertim in damnum tertii ; si faciant ut processus et causæ veniant ad alios judices, quam ordo illius tribunalis postulat, quia multum interest habere hunc vel illum judicem. *Undecimo*, si secretum violent : verbi gratia, aperiendo parti adversæ dicta testium ante eorum publicationem. *Duodecimo*, si parti petenti instrumenta occultent, præsertim quæ continent legata. *Decimo tertio*, si acta occultent, vel parti petenti transsumptum processus denegent. *Decimo quarto*, si amisso instrumento antiquo publico, vel testamento, aliud simile confingant. » (Busembaum, lib. IV, cap. 3, art. 4, dub. 4, n. 4 ; et consonat communis doctorum.)

3. Notarii tenentur ex officio, etiam nemine requirente, revelare episcopo legata pia seu ad pias causas ; et possunt synodi provinciales, et quilibet episcopus pro sua diœcesi, hujus obligationis impletionem urgere, sub pœna etiam excommunicationis et suspensionis ab officio.

Quæ dicta sunt de notariis, spectant etiam omnia ad cancellarios episcoporum.

§ IV. — De episcopi cancellario, et taxa cancellariæ.

I. — 1. Cancellarius seu secretarius curiæ episcopalis omnes actus signat et expedit. Ad episcopum pertinet creare et deputare cancellarium.

2. Provisione cancellarii per episcopum facta, debent litteræ patentes in Actis cancellariæ per secretarium episcopi registrari, ne unquam de validitate et legalitate gestorum cancellarii electi valeat dubitari, multumque interest ut de deputatione constet ex ipsis actis cancellariæ. Episcopus posset etiam cancellarium creare notarium pro tota sua diœcesi. Licet vero cancellarius non creetur notarius, adhuc eius Scripturæ plenam fidem

faciunt etiam in foro sæculari tanquam factæ a publico ministro habente facultatem notarii publici, ut per doctrinam probant doctores. Et hinc fit, quod clerici, quibus est interdictum officium tabellionatus, nihilominus ad officium cancellarii curiæ ecclesiasticæ possint assumi. (Communis.) Si cancellarius episcopi est laicus, gaudet privilegio fori et exemptione ab oneribus personalibus.

3. Ad cancellarium pertinet scripturas librosque ad cancellariam episcopalem spectantes fideliter custodire; ejusdem scripturis tam publicis quam privatis, durante officio, omnis fides in judicio et extra adhibenda est.

II. Cancellarius debet fideliter retinere:

1. Scripturas tam actorum civilium, quam criminalium, integre, distincte in locis, ac armariis aptis;

2. Librum bene compactum in quo registrentur nomina et cognomina illorum qui professionem fidei ad formam Const. Pii IV emiserunt, et nomina testium cum expressione diei et anni;

3. Librum pariter bene compactum in quo adnotentur et registrentur supplices libelli, decreta, et rescripta gratiosa, provisiones, et permissiones, episcopalia, in quibus non conficiuntur processus;

4. Librum bene compactum, et cartulatum, in quo adnotentur ea omnia, quæ pertinent ad moniales;

5. Librum, in quo adnotentur ordinationes generales, et particulares, aliæve episcopi pontificales functiones;

6. Debet acta ordinandorum distincte et ordinate servare et custodire.

7. Inventarium omnium scripturarum et processuum;

8. Omnes supradicti libri retinendi debent habere in frontispicio, sub titulo, subscriptionem et approbationem episcopi, vel vicarii generalis, et cancellarii illius temporis quo fuerunt compacti, et a principio inscripti.

Scripturæ et instrumenta, quæ conficiuntur, et rogantur a cancellario episcopi tanquam cancellario servari debent in episcopi cancellaria, non autem transferri debent in archivium communitatis, sicuti tenentur facere alii notarii ad præscriptum bullæ Sixti V, prout declaravit sacr. congr. Concil. 5 Novemb. 1625. (*Monacelli*, tit. 1, form. 5, et notanda *ad visitationem*, in fine tomi I.)

III. *Cancellariorum emolumenta.* — 1. Episcopus plures cancellarios, præsertim in magnis diœcesibus, habere potest.

2. Cancellariæ episcopalis exercitium non debet vendi neque locari. (S. congr. Episcop., sæpissime.) Sed debet exerceri per proprios episcopi ministros, statuta provisione, absque ulla participatione emolumentorum. (Sic de mente Clementis VIII sacr. congr. Episc., 26 August. 1592.)

3. Emolumenta cancellariæ debent sufficere pro solo notario. (S. congr. Episcop., 16 Octobr. 1613.) Sacra congregatio aliquando concessit ordinario uti emolumentis cancellariæ pro solvenda pensione, vel pro suis necessitatibus. (Ferrar. verb. *Cancellaria*, n. 9.)

4. In emolumentis exigendis debet cancellarius servare taxam Innocentianam (quæ saltem in Italia fuit publicata per viam legis universalis) in his, in quibus ipsa taxa disponit; in reliquis vero vel metropolitanam, vel propriam diœcesis, quatenus non sit rigidior, et contra decreta sacræ congregationis, ut responsum fuit a sacr. congr. Episc., 19 April. 1697. Quando enim merces reperitur taxata a lege, illam tenetur notarius, sive cancellarius exigere, nec potest aliquid ultra recipere; et contrarium faciens, nedum peccat quidem, sed tenetur ad restitutionem, ut pluribus allegatis firmat Possevin. in cap. *Statutum*, § *Notarium*, n. 321 et 322 *De rescrip.* in 6, ubi hunc notarii excessum appellat crimen concussionis.

5. In Galliis, ubi non sunt beneficia, nihilque pro cancellariis episcoporum solvitur a gubernio, evidenter episcopi possunt percipere emolumenta cancellariæ, in iis quæ licita sunt, ut cancellariis et aliis officialibus constituant salaria vel stipendia. Hic etenim necessitas est suprema lex, et est juxta mentem sacræ congregationis, quæ aliquando concessit ordinario uti emolumentis cancellariæ pro solvenda pensione, vel pro suis necessitatibus. (S. congr. Episc., 25 Januar. 1646 et 31 Maii 1647; 8 Maii 1649, 9 Febr. 1650.)

IV. *De iis pro quibus nihil recipi potest a cancellaria episcopali.* — Cancellarius episcopi, aut alius officialis, nihil accipere potest neque sub specie doni gratuiti, nec ratione scripturæ, neque sigilli, neque laboris, aut alio titulo, sed gratis his quorum interest, debet præstare hæc omnia, ex taxa

Innocentiana, videlicet : facultatem exercendi ordines sive minores, sive sacros in quocunque loco, approbationes ad audiendas confessiones, licentias administrandi sacramenta, licentiam deserviendi beneficiis, licentias patentales concionandi, sive in Quadragesima, sive in Adventu, sive omnibus aliis temporibus, et pro quibuslibet locis; licentiam transferendi et sepeliendi defunctorum corpora in ecclesia aut quocunque loco; licentiam colligendi eleemosynas; mandata publicandi in ecclesiis per eos qui primam tonsuram, vel minores vel sacros ordines suscipere voluerint.

V. *De iis pro quibus aliquid exigi potest a cancellaria episcopali, juxta taxam Innocentianam.* — 1. In collatione ordinum, episcopus potest accipere cerei oblationem, et est in suo arbitrio determinare qualitatem et pondus.

2. Cancellarius pro litteris testimonialibus collationis ordinum, et demissorialibus pro ordinibus conferendis ab alio episcopo, potest accipere unum julium in Gallia, 1 f. 25 c. circiter.

3. In collatione subdiaconatus, pro actis quæ justificant veritatem et sufficientiam patrimonii, vel beneficii, ad cujus titulum quis promoveri debet, cancellarius potest exigere emolumentum proportionatum labori, scripturæ, chartæ, dummodo hoc emolumentum non excedat scutum aureum (10 f. 68); sed si labor sit minor, minus exigat.

4. Pro litteris collationis beneficiorum, decem julios, id est 12 fr. 50 c. in possessionem capiendam pro registro et omnibus actis, tres julios, seu 3 f. 75, in civitate; extra vero in suburbio, quatuor julios, 5 f. 0 c. Et si in alio loco, eosdem quatuor julios et expensas viæ et viaticum. Sed si in eo loco adsit cancellarius vicarii foranei, debet adhiberi.

5. Pro beneficiis de collatione apostolica, pro registro litterarum apostolicarum et aliis actis unum scutum aureum, seu 10 f. 68. Si vero adsit contradictor, et processus judicialis fiat, duos aureos, 21 f. 36.

Idem observandum est in processu beneficiorum de jure patronatus, quando adest contradictor. Si vero controversia exsistat inter compatronos, aut ab eisdem præsentatos, in hoc casu causa reputatur civilis profana, et tractatur juxta solitum uniuscujusque curiæ.

6. Generaliter pro capellaniis manualibus, novis fundationibus et erectione beneficiorum, capellaniarum, confraternitatum, congregationum, aut pro fundationibus, benedictionibus, consecrationibus, et respective visitationibus et approbationibus ecclesiarum, aut oratoriorum, sive ex auctoritate apostolica, sive ex ordinaria, cancellarius potest exigere in toto unum scutum aureum, seu 10 f. 68 c.; minus vero, si defatigatio minor sit.

7. In causis matrimonialibus, pro exsecutione dispensationum apostolicarum, tres julios, seu 3 fr. 75 c; pro justificatione status liberi, aut quod non exsistat canonicum impedimentum, unum julium per testimonium, seu 1 fr. 25 c., ita ut in toto non excedat unum scutum romanum, seu 6 fr. 50 c.; pro dispensatione publicationum, licentia contrahendi domo, aut in alio loco, et tempore insolito, aut in alterius quam parochi præsentia, tres julios, seu 3 fr. 75 c., et in toto non excedat unum scutum 6 fr. 50 c.

8. Generaliter in omnibus quæ ad moniales spectant, nihil exigi potest; sed tantummodo cancellarius, pro registro renuntiationum, et pro actis super justificationem depositæ dotis, potest exigere in toto julios quinque, seu 6 fr. 25 c.

9. Pro attestatione paupertatis, aut alterius requisiti, julium unum, seu 1 fr. 25.

10. Pro exsecutione litterarum apostolicarum gratiam seu justitiam concernentium, in toto ad majus julios decem, id est 12 fr. 50.

Ex taxa a sacra congregatione Concilii data die prima Octobris 1678, et approbata ab Innocentio XI. Die vero 8 Octob. sacra congregatio Concil., inhærendo mandatis Sanctitatis Suæ, censuit præmissam taxam, seu declarationes typis dandas esse, et per litteras circulares ad quoscunque locorum ordinarios transmittendas, ut eas in cancellaria in loco omnibus patenti retineri faciant, eadem ad amussim observent ac faciant observari.

Taxæ Innocentianæ exsecutrix est sacra congregatio Concil. privative quoad omnes. Sic ex ejusdem taxæ verbis cardin. Petra, tom. I, § 3, pag. 8, n. 22. Taxa Innocentiana servanda est in omnibus curiis, etiam extra Italiam, ut declaratum fuit a sacr. congr. Concil., 6 Febr. 1734; 1 Septembr. 1742.

Cancellarius episcopi pro mercede copiæ processuum, sive actorum servare debet taxam pluries a sacra congregatione approbatam et præsertim 7 Julii 1690 et *in Savonen.*, decreto sequenti : « Cancellarius, et alii actuarii, seu officiales, et ministri curiæ episcopalis Savonen., soluta ipsis per oratores mercede ad rationem medii julii Romani (0 fr. 62 c.) pro qualibet integra charta, cujus unaquæque pagina constet saltem 10 lineis, quarum unaquæque contineat saltem 20 litteras, ita ut integra charta habeat 40 lineas juxta mentem sacræ congregationis, integram copiam processus, et omnium actorum prædictis oratoribus tradant et consignent, etc. Datum Romæ, 9 Septembr. 1692. *P. M. Cardinalis Pettruccius Ponens.*

Quamvis Innocentiana taxa hodiedum ad litteram obliget, in quantum præscribit certis in casibus nihil emolumenti exigi aut recipi posse, non tamen hodie videtur obligare quoad determinatam pecuniæ summam, quam decernit posse a cancellario certis in casibus exigi. — Pecuniæ scilicet valor varia est pro variis temporibus... Et ideo quod congrue statutum fuit ab Innocentio XI, jam forte æquum multis in locis non foret. Unde videtur id hodie a prudenti ordinariorum arbitrio pendere, ita tamen ut si nimiam taxam decernant, detur recursus ad sacram congregationem Concilii. (Bouix, *De episcopo*, t. II, p. 312.)

Possunt episcopi taxare funeralia (S. congr. Concil., 26 Januar. 1726 ad 8), et stipendium, pro missis tum in synodo, tum extra synodum. Nota tamen quod non possunt episcopi stipendium taxare *negative*, ut nec sit majus, nec minus, et ita ut libere non dari possit in quacunque quantitate, et libere in quacunque quantitate recipi. In taxando vero hoc stipendio attendendæ sunt circumstantiæ loci, et temporis, et qualitatis missarum, cum majus stipendium sit taxandum pro una missa, quam pro alia, nempe pro solemni ac cantata, quam pro non solemni. Taxato ab episcopo stipendio, tenentur ad illud etiam laici, ita ut in foro possint conveniri. A potestate sæculari taxari minime potest hoc stipendium. (Ita pluribus allatis Ferrar. verb. *Taxa*, Addit. ex aliena manu, n. 15 ad 19.)

CAPUT XIV.

De nuntiis judicialibus (huissiers) *et baroncellis.*

§ I. — De nuntiis.

« Officium illorum est jussa sui magistratus et judicis implere, litigantes in jus vocare, processus, actusque judiciarios exsequi, etc. » (Schmalz., tit. I, *De judiciis*, lib. II *Decret.*, n. 14.)

« Intervenit (judiciis) nuntius seu cursor, seu bajulus, seu apparitor, seu serviens curiæ ; qui et alia nomina sortitur ; et hic citat partes in omnibus Actis judiciariis, et postea refert in scriptis notario se citasse ut habuit in commissis... et istæ personæ neque sunt de substantia judicii, sed adminiculum tantum præstant ; nam de substantia, ut diximus, solum illæ tres personæ sunt, nimirum judex, actor et reus. » (Pellegrini part. II, præmiss. 1, n. 8.)

In praxi vix poterunt judicia expediri nisi cursorem habeat episcopalis curia ; alioquin judex ipse aut actuarius officium cursoris peragere debebit, quod nec conveniens, nec possibile plerumque erit.

Cursores et publici nuntii regulariter eliguntur et deputantur a judice. Solet in qualibet ecclesiastica curia unus aut alter nuntius auctoritate episcopi et instrumento publico constitui. Cursores sic constituti gaudent privilegio fori.

At si cursores non habeat curia episcopalis, cursores et bajuli curiæ sæcularis tenentur, requisiti, exsequi mandata curiæ episcopi absque alia licentia judicis laici, alias puniri possunt censuris, ut respondit sacr. congr. *Immunit.*, 23 Jun. 1648, apud Monacelli, tit. I, form. 16.

De cursoris officio in citationibus dicetur infra, ubi de judiciis.

§ II. — De baroncellis.

« Quod episcopus possit retinere familiam armatam et satellites, est propositio inter doctores nostros communiter recepta, quia in sua diœcesi dicitur princeps, et habere verum et mixtum imperium... » Et quanquam quampluries episcopi careant lictoribus et familia armata, hoc evenit, non quia talem jurisdictionem non habeant, sed quia vel sunt pauperes, vel alia causa impediuntur. Et cum sit actus facultativus aliquando etiam aliis prudentialibus respectibus hac facultate uti nolunt, brachiumque sæculare

implorant in subsidium, non autem necessitate. » (MONACELLI, tit. I, form. 15.)

CAPUT XV.

De specialibus curiæ archiepiscopalis. (*Vide* cap. VII, supra.)

1. Quæ dicta sunt de curia episcopali, constitui et ordinari debent in curiis metropolitanis, primatialibus et patriarchalibus. Sed quædam specialia his curiis sunt.

1. Archiepiscopus vicario suo diœcesanam simul et metropolitanam jurisdictionem exercendam committere potest.

2. Si archiepiscopus aliquem deputet in vicarium suum *generalem*, absque determinatione et limitatione, tali vicario competet tota generaliter jurisdictio ordinaria, sive diœcesana, sive metropolitana archiepiscopi.

3. « Certum omnino est dari a suffraganeis episcopis ad metropolitanum tribunal appellationem ; causasque appellationum posse et solere ab archiepiscoporum vicariis generalibus cognosci et expediri. Constat ex cap. *Pastoralis*, *De off. ordin.*; ex capitibus *Dilectus*, *Cum causa* et *Sollicitudinem*, tituli *De appellationibus* ; ex cap. 1 *De foro competenti* in 6 ; et ex cap. *Romana*, *De appell.* in 6. » (BOUIX, *De judic.*, part. II, c. 18.)

II. *De officio vicarii generalis archiepiscopi quoad appellationem.* — « Advertendum in hac materia appellationis, quod de jure novissimo sacri concilii Tridentini (sess. 24, c. 20, *De reform.*) in tribus casibus solum appellari potest a suffraganeis ad metropolitanum ; *primo*, a definitiva quæ imponit ultimam manum litî ; *secundo*, ab interlocutoria habente vim definitivæ ; *tertio*, a gravamine irreparabili, id est, quod per definitivam reparari non potest. (*Trident.*, sess. 13, cap. 1, *De reform.*)

« Sed quæritur quid sit gravamen irreparabile ? Respondetur gravamen irreparabile dici omnem actum irretractabilem, ut est excommunicatio, carceratio et alia hujusmodi...

2. Ex supradictis est valde notandum quod non omnis appellatio est admittenda a vicario archiepiscopi, ne de facili tollantur causæ suffraganeorum et eorum tribunalia parvipendantur, et ne suffraganei spernant inhibitiones : nam cavetur in sacro concilio Tridentino (sess. 13, c. 1, et sess. 24, c. 20, *De reform.*) quod nec episcopus nec vicarius tenentur assentiri quibuscunque inhibitionibus, et deferre cuicunque appellationi, nisi in illis tribus casibus de quibus diximus. Quod etiam disponitur per constitutiones pontificias et per declarationes sacræ congregationis. » (PELLEGRINI, *Praxis vicariorum*, part. I, sect. 3, subsect. 1, n. 13 et seqq.)

3. Diversa fit conditio vicarii generalis archiepiscopi, prout appellatur a sententia definitiva, vel duntaxat a sententia interlocutoria aut gravamine. Nam in casu appellationis ab interlocutoria vel gravamine, non fit judex *causæ principalis*, nisi postquam pronuntiavit *bene fuisse appellatum*. E contra quando appellatum est a sententia definitiva, statim et ipso facto interjectæ appellationis constituitur causæ principalis judex, in qua causa principali jam nequit judex *a quo* sese immiscere. '*Vide* PELLEGRIN., part. I, sect. 3, subsect. 1, n. 20 ; BOUIX, *De judic.*, part. II, sect. 2, c. 15.)

4. « Quando judex *a quo* ipse sponte detulit appellationi, nulla inhibitione opus est ; quia tunc ipso facto ligantur judicis *a quo* manus. »

« Si vero judex *a quo* appellationi non deferat, potest et solet vicarius generalis archiepiscopi, appellationem a definitiva recipiens, vel ab interlocutoria aut gravamine bene appellatum fuisse pronuntians, *inhibitionem* facere dicto judici *a quo* ne ultra in causa procedat. »

5. « An possit vicarius archiepiscopi, prædictam inhibitionem facere *sub pœna excommunicationis ?* Respondetur negative. » (BOUIX, *ibid.*) « Ratio est quia vicarius archiepiscopi non potest ferre sententiam, vel exercere jurisdictionem, vel promulgare censuras ecclesiasticas in suffraganeos, *existente in provincia archiepiscopo* (cap. 1, *De officio ordin.* in 6) : quod procedit propter reverentiam dignitatis episcopalis. Sed intelligitur de sententia definitiva censurarum, et non quando vicarius generalis metropolitanus inhiberet sub pœna suspensionis seu interdicti. » (PELLEGR., *loc. cit.* n. 21.)

CAPUT XVI.

De visitatore ab episcopo deputando.

1. *Obligatio visitationis per episcopum aut per suum delegatum.* — 1. « Episcopi aliique superiores non solum possunt, sed etiam tenentur per se ipsos, aut si legitime fuerint impediti, per vicarios suos, vel visitatores,

qui presbyteri sint vel diaconi, singulis annis, aut si ob latitudinem fieri nequeat, saltem quolibet biennio, totam diœcesim et ecclesias ejusdem visitare. (Communis, claris juribus in can. *Decrevimus* 10, caus. 10, quæst. 1, ibi : *Decrevimus ut annuis vicibus ab episcopo diœceses visitentur.* Can. *Episcopum* 11, ead. caus. et quæst. ibi : *Episcopum singulis annis ire oportet, ut acquirat,* etc. *Quod si ipse, aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus id explere nequiverit, presbyteros probabiles aut diaconos mittat, qui reditus basilicarum et ministrantium vitam inquirant.* Et concil. Trident., sess. 24, *De reform.*, cap. 3, ibi : *Patriarchæ, primates, metropolitani et episcopi propriam diœcesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum vicarium generalem, aut visitatorem, si quotannis totam propter ejus latitudinem visitare non poterant, saltem majorem ejus partem, ita tamen ut tota biennio per se vel per visitatores suos compleatur, visitare non prætermittant.* (Ferrar., verb. *Visitatio*, n. 18.)

Obligatio igitur stricta et sub gravi incumbit episcopis visitandi, saltem quolibet biennio, totam diœcesim ; et si legitime impediti fuerint, tenentur eadem obligatione deputare visitatores.

2. Decani, archidiaconi, archipresbyteri plebani et alii inferiores visitandi jus habent, si id longa consuetudine præscripserint. (C. *Super eo*, et c. *Cum Apostolus*, *De censibus* ; Concil. Trident., sess. 24, *De reform.*, cap. 3, ibi : *Archidiaconi autem, decani et alii inferiores in iis ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem, assumpto notario, de consensu episcopi, deinceps per se ipsos tantum visitare.* Item capitulum, superstite adhuc episcopo, potest interdum ex præscriptione vel privilegio habere jus visitandi ; et tunc visitatores a capitulo deputati debent esse approbati ab ordinario. (*Concil. Trident.*, sess. 24, *De reform.*, c. 3 ; Ferrar., *ibid.*, n. 12.)

3. Ex dictis probatur quantum, in hodierno statu amplissimarum diœcesium Galliarum, perutile et necessarium foret restituere dignitatem archidiaconorum in capitulis ; episcopi etenim nec eorum vicarii ob multitudinem negotiorum et diœcesium amplitudinem, visitationem quolibet biennio explere nequeunt. Archidiaconi canonici huic obligationi melius quam quilibet alii supplerent, sive per se jus visitationis obtinerent, sive ab episcopo deputarentur.

Vicarius generalis hoc jus visitandi non habet, nisi specialiter ei committat episcopus. (Barbosa, supra concil. cit., sess. 24, c. 3, n. 3, cum pluribus ibi citatis, et alii passim.)

II. *Extensio visitationis per delegatum.* — « Jus visitandi non solum est delegabile quoad ecclesias et loca pia diœcesis, sed etiam quoad visitationem ecclesiæ et capituli cathedralis, quamvis in præteritum episcopi per se ipsos cathedralem visitaverint, quoties episcopus asserat se legitimo impedimento (quamvis temporali) detineri. » (S. congr. Conc. *in Portugallen.*, 29 Jan. 1701.) « Visitat quoque episcopus per suum subdelegatum monasteria et parochiales exemptos tanquam in hac parte delegatus sedis apostolicæ, absque eo quod possint exempti subdelegatum recusare, quoties exhibeat specialem facultatem in scriptis. (Fagnan. in c. *Quoniam*, n. 27 et 35, *De offic. delegat.* Sacr. congr. Concil., *in Passavien.*, 1 Octob. 1661, relata a Pignatelli, consult. 7, n. 19 et 29, n. 7. Apud Monacelli, tom. I, tit. xii, form. 9.)

III. *De qualitatibus visitatoris delegati.* — 1. Episcopo constare debet de fide, integritate, scientia et experientia visitatoris ab ipso delegati. 2. Necesse est ut sit presbyter aut saltem diaconus, ex can. supra allatis.

IV. *De obligationibus et jure visitatoris delegati.* — Visitator delegatus non potest integram procurationem a visitatis exigere, sed tantum pro medietate, juxta decreta relata a Nicolio in *Flosc.* verb. *Visitatio*, n. 1 et 10 ; et sacr. congr. Concil., 17 Julii 1699 ; apud Monacelli, ubi supra.

2. De modo visitationem adimplendi, vide supra de visitatione episcopi. (C. 4, et infra lib. iii, *De capitulis*, sect. 2, cap. 4, *De vicario capitulari.*)

3. Dicti archidiaconi tamen, et alii inferiores visitationis a se factæ rationem reddere, et acta omnia exhibere episcopo infra mensem tenentur. Conc. Trident. sess. 24, c. 3, *De reform.* ibi : *Cui ipsi archidiaconi, vel alii inferiores visitationis factæ infra mensem rationem reddere, et depositiones testium, ac integra acta exhibere teneantur, non obstantibus quacunque consuetudine etiam immemorabili, atque exemptionibus, et privilegiis quibuscunque.* Imo episcopus

etiam per alium potest easdem ecclesias seorsim ab iis iterum visitare. (*Trident.* loc. cit.)... Non potest tamen punire iterum punitos ab eis neque ab illis absolutos cogere ad innocentiam suam demonstrandam; sic decisum fuisse refert Barbosa, supra concil. *De offic. et potest. episcop.* part. III, allegat. 73, n. 15.

APPENDIX.

BULLA PASTORALIS, *IN COENA DOMINI.*

Cum omnes teneantur transsumptum hujus bullæ penes se habere, eamque diligenter legere, et percipere, utile duximus hanc bullam hic ad omnium commodum transcribere.

« Excommunicationes reservatæ in bulla *Cœnæ* ideo tales dicuntur, quia feria V Cœnæ Domini legi et publicari consueverunt omni anno in capella papali, et istæ sunt num. viginti, quæ ut facilius et clarius ab omnibus percipiantur, exhibentur hic, ut fuerunt publice in bulla a Clemente XI edita tenoris sequentis. » (FERRARIS verb. *Excommunicatio*, art. 2.)

CLEMENS PP. XI.

« Pastoralis Romani pontificis vigilantia et sollicitudo, cum in omni Christianæ reipublicæ pace, et tranquillitate procuranda pro sui muneris officio assidue versetur, tum potissimum in catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinenda et conservanda maxime elucet. Nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum ad circumventionem erroris; sed omnes occurrant in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei, in virum perfectum; neque se in hujus vitæ societate et communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeat; sed potius in vinculo charitatis conjuncti, tanquam unius corporis membra Christo capite, ejusque in terris vicario Romano pontifice, beatissimi Petri successore, a quo totius Ecclesiæ unitas dimanat, augeatur in ædificationem, atque ita, divina gratia adjutrice, sic præsentis vitæ quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane causas Romani pontifices prædecessores nostri hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ Cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesiæ disciplinæ gladium, et salutaria justitiæ arma per ministerium summi apostolatus ad Dei gloriam, et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur quibus nihil optabilius est, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, justitiam, Deo auctore, tueri, vetustum et solemnem hunc morem sequentes,

I. Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, quoscunque Hussitas, Wiclefistas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Hugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, et a Christiana fide apostatas, ac omnes et singulos alios hæreticos quocunque nomine censeantur, et cujuscunque sectæ exsistant, ac eis credentes, eorumque receptores, fautores, et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra, et sedis apostolicæ, scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publice, vel occulte, quovis ingenio, vel colore, necnon schismaticos, et eos qui se a nostra et Romani pontificis pro tempore exsistentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

II. Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, et singulos cujuscunque status, gradus, seu conditionis fuerint; universitates vero, collegia, et capitula quocunque nomine nuncupentur, interdicimus, ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum pontificum, pro tempore exsistentium; ad universale futurum concilium appellantes, nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit.

III. Item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, cursarios et latrunculos maritimos discurrentes mare nostrum, præcipue a Monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptores et defensores.

IV. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, qui Christia-

norum quorumcunque navibus tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex eisdem ejecta in mari, vel inventa cujuscunque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, et Adriatici, quam in cæteris cujuscunque maris regionibus et littoribus subripuerint, ita ut nec ob quodcunque privilegium, consuetudinem, aut longissimi et immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcunque prætextum excusari possint.

V. Item excommunicamus et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas præterquam in casibus sibi a jure, seu ex speciali sedis apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi vel augeri prohibita exigunt.

VI. Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios litterarum apostolicarum etiam in forma Brevis, ac supplicationum, gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum pontificem, vel S. R. E. vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani pontificis signatarum; necnon falso publicantes litteras apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes hujusmodi sub nomine Romani pontificis, seu vicecancellarii, aut gerentium vices prædictorum.

VII. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, et alios Christiani nominis hostes, et inimicos, vel hæreticos per nostras, sive hujus sanctæ sedis sententias expresse et nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, ligamina, canabim, funes, tam ex ipso canabi, quam alia quacunque materia, et ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos, et Catholicos impugnant, necnon illos, qui per se, vel per alios, de rebus statum Christianæ reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem, et damnum, ipsos Turcas, et Christianæ religionis inimicos, necnon hæreticos, in damnum catholicæ religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium et favorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscunque privilegiis, quibusvis personis, principibus rebuspublicis per nos, et sedem prædictam hactenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus (5).

VIII. Item excommunicamus et anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Romanam curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios, cujuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis et status, etiamsi pontificali, seu regali, aut alia quavis ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

IX. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, ad sedem apostolicam venientes, recedentes ab eadem, sua vel aliorum opera, interficiunt, mutilant, spoliant, detinent; necnon illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam a nobis vel nostris judicibus, non habentes, illam sibi temere vindicantes, similia contra morantes in eadem curia audent perpetrare.

X. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad urbem, causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, et in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, et in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

XI. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carce-

(5) Qua vetatur fidelibus deferre arma, etc., ad Turcas, non afficit fideles Turcarum imperio subjectos, qui imperantibus illis arma suppeditant, alio transvehunt, dummodo id peragant amoto animo iniquo nocendi fidelibus. (Bened. XIV, *De synodo diœc.* lib. XIII, cap. 20, § 6, nova editio.) Ad postulata episcoporum Albanensium rescriptum fuit a congregatione de Propaganda fide, mandante pontifice, ne inquietarentur fideles, si navibus suis ad Turcas, nullo bello inter Christianos et Turcas furente, transvehant sclopos majores, aut minores, gladios, plumbeas glandes, nitratum pulverem, chalybem, ferrum, aurichalcum, æs, funes, et alia ad naves bellicas instruendas idonea, adhibito tamen modo quoad numerum, et quantitatem, ut fieri ab illis solebat. Firmam tamen voluit prohibitionem transvehendi vel pacis tempore, vel belli mortaria, incendiarias pilas, tormenta bellica majora, plumbeos aut ferreos majoris moduli globos, ipsosque sclopos ingenti numero. Quæ tamen facultas illis facta est, quia non aliter possunt victum sibi comparare atrocesque persecutiones evitare. (*Ibid.* § 7.)

rantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. cardinales, patriarchas, archiepiscopos, sedisque apostolicæ legatos, vel nuntios, aut eos a suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes; necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, vel favorem.

XII. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alias personas ecclesiasticas quascunque vel sæculares ad Romanam curiam, super eorum causis negotiisque recurrentes, ac illa in eadem curia prosequentes, aut procurantes, negotiorum gestores, advocatos, procurantes, et agentes, seu etiam auditores, vel judices, super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant; seu, qui per se, vel per alios directe, vel indirecte delicta hujusmodi committere, exsequi, vel procurare, aut eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque præeminentiæ et dignitatis fuerint.

XIII. Item excommunicamus et anathematizamus omnes, tam ecclesiasticos quam sæculares cujuscunque dignitatis, qui prætexentes frivolam quamdam appellationem a gravamine, vel futura exsecutione litter. apost. etiam in forma Brevis, tam gratiam, quam justitiam concernentium, necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, exsecutorialium, et aliorum decretorum a nobis, et a sede prædicta, seu legatis, nuntiis, et præsidentibus palatii nostri, cameræ apostolicæ auditoribus, commissariis, aliisque judicibus, et delegatis apostolicis emanatorum, et quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad curias sæculares, et laicam potestatem recurrunt, et ab ea, instante etiam fisci procuratore, vel advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, et sequestra, monitoria, et alia prædicta capi et teneri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito et consensu, vel examine exsecutioni demandari, aut ne tabelliones, et notarii super hujusmodi litterarum, et processuum exsecutione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta, parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes consanguineos, affines, familiares, notarios, exsecutores, et subexsecutores litterarum, citationum, monitoriorum, et aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis et regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt et comminantur per se, vel per alium, seu alios publice, vel occulte, quive alias quibuscunque personis in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis, ad Romanam curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras a dicta sede impetrent, seu impetratis utantur, directe prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut notarios, seu tabelliones, vel alios quomodolibet retinere præsumunt.

XIV. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et quoscunque, qui per se vel per alios, auctoritate propria, ac de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, et litterarum apostolicarum prætextu beneficiales et decimarum, ac alias causas spirituales, et spiritualibus annexas, ab auditoribus, et commissariis nostris, aliisque judicibus ecclesiasticis avocant, illorumve cursum, et audientiam, ac personas, capitula, conventus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tanquam judices interponunt : quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt et faciunt, ad revocandum, et revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, et ad faciendum, vel consentiendum, eos contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris et pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel alias, compellunt, vel exsecutionem litterarum, seu exsecutorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel suum, ad id, favorem, consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram nobis, et sede apostolica legitime prosequantur, etiamsi talia committentes fuerint præsidentes cancellariarum, consiliorum, parlamentorum cancellarii, vicecancellarii, consiliarii ordinarii, vel extraordinarii quorumcunque principum sæcularium, etiamsi imperiali, regali, ducali, vel alia quacunque præful-

geant dignitate, et archiepiscopi, abbates, commendatarii, seu vicarii fuerint.

XV. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque, personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium, vel parlamentum, præter juris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, procurant directe, vel indirecte, quovis quæsito colore; necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint et publicaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, et dictæ sedis, ad quarumcunque Ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expresse præjudicatur.

XVI. Necnon archiepiscopos, episcopos, aliosque superiores et inferiores prælatos, et omnes alios quoscunque judices ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa directe, vel indirecte carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos, et affines, aut alios impediunt, quominus sua jurisdictione ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundum quod canones, et sacræ constitutiones ecclesiasticæ, et decreta conciliorum generalium, et præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, et decreta, aut alias fori ecclesiastici judicium eludentes, ad cancellarias, et alias curias sæculares recurrunt, et ab illis prohibitiones, et mandata, etiam pœnalia ordinariis, et delegatis prædictis decerni, et contra illos exsequi procurant; eos quoque, qui hæc decernunt, et exsequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium et favorem in eisdem.

XVII. Quive jurisdictiones, seu fructus, redditus et proventus ad nos, sedem apostolicam, et quascunque ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

XVIII. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, et alia onera clericis, prælatis, et aliis personis ecclesiasticis, ac eorum ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus et proventibus hujusmodi, absque simili Romani pontificis speciali et expressa licentia, imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus et concedentibus recipiunt. Necnon qui per se, vel alios, directe, vel indirecte prædicta facere, exsequi, vel procurare, vel in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi imperiali, aut regali præfulgeant dignitate, seu principes, duces, comites, barones, provinciis, civitatibus et terris quoquomodo præsidentes, consiliarii, et senatores, aut quavis etiam pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam aliis conciliis generalibus(6) edita, cum censuris et pœnis in eis contentis.

XIX. Item excommunicamus et anathematizamus omnes, et quoscunque magistratus, et judices, notarios, scribas, exsecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exsequendo, sine speciali, specifica et expressa hujus sanctæ sedis apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas et casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint consiliarii, senatores, præsidentes, cancellarii, vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

XX. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directe, vel indirecte sub quocunque titulo, vel colore, invadere, destruere, occupare et detinere præsumpserint in to-

(6) Vide *Concil. Trident.* sess. 22, cap. 11.

tum, vel in partem almam Urbem, regnum Siciliæ, insulas Sardiniæ et Corsicæ, terras citra Pharum, et patrimonium B. Petri in Thuscia, ducatum Spoletan., comitatum Venaysinum, Sabinen., marchiæ Anconitanæ, massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, et maritimas provincias, illarumque terras, et loca, ac terras specialis commissionis Arnulforum, civitatesque nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminium, Beneventum, Perusium, Avenionem, civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comaclum, et alias civitates, terras et loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecta; necnon supremam jurisdictionem in illis nobis, et eidem Romanæ Ecclesiæ competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis modis præsumunt; necnon adhærentes, fautores et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, et quæcunque his litteris contenta, quousque alii hujusmodi processus a nobis, aut Romano pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

Cæterum a prædictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de standa Ecclesiæ mandatis, et satisfaciendo cautione præstita absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, et indultorum quibuscunque personis ecclesiasticis, sæcularibus, et quorumvis ordinum etiam Mendicantium, ac militiarum regularibus, etiam episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque ordinibus, et eorum monasteriis, conventibus, et domibus, ac capitulis, collegiis, confraternitatibus, congregationibus, hospitalibus, et locis piis, necnon laicis, etiam imperiali, regali, et alia mundana excellentia fulgentibus, per nos, et dictam sedem ac cujusvis concilii (7) decreta, verbo, litteris, aut alia quacunque scriptura in genere, vel in specie concessorum, innovatorum, aut concedendorum et innovandorum.

Quod si forte alicui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, et anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententiam innodamus, gravius contra eos spiritualiter, et temporaliter, prout expedire noverimus processuri.

Declarantes ac protestantes quamcunque absolutionem, etiam solemniter per nos faciendam prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi prius a præmissis cum vero proposito ulterius similia non committendi destiterint, ac quoad eos, qui contra ecclesiasticam libertatem, ut præfertur, statuta fecerint, nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas et decreta hujusmodi publice revocaverint, et ex archiviis, seu capitularibus, locis, aut libris, in quibus adnotata reperiuntur, deleri, et cassari, ac nos de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem aut quoscunque alios actus contrarios tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum, quantocunque tempore continuatam, in præmissis omnibus et singulis, ac quibuscunque juribus sedis apostolicæ, ac S. R. E. undecunque, et quandocunque quæsitis, vel quærendis nullatenus præjudicari posse aut debere.

Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, et litteris apostolicis generalibus, vel specialibus supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscunque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, et præeminentiæ fuerint, etiamsi, ut præfertur, pontificali, imperiali, regali, seu quavis ecclesiastica et mundana præfulgeant dignitate, vel eorum regnis, provinciis, civitatibus, seu locis a prædicta sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis alia forma, et tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatoriis concessis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, et dignitatibus, eorum men-

(7) Hac clausula aufertur episcopis facultas absolvendi ab hæresi et aliis casibus etiam occultis in hac bulla contentis, quam facultatem tenebant ex decreto concil. Trident. sess. 24, cap. 6, *de reform.*

tionem, necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, præscriptionibus quantumcunque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur, in eis se juvare valeant, vel tueri, quæ omnia quoad hoc eorum omnium tenore, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes penitus tollimus et omnino revocamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Ut vero præsentes nostri Processus, ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas seu membranas Processus ipsos continentes, valvis basilicæ S. Joannis Lateranensis, et basilicæ Principis apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos Processus hujusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper ut Processus ipsi, et præsentes litteræ, ac omnia, et singula in eis contenta eo fiant notiora, quo in plerisque civitatibus, et locis fuerint publicata, universis, et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, et locorum ordinariis, et prælatis ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, et in virtute sanctæ obedientiæ stricte præcipiendo mandamus, ut per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries, in ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, et ad Ch. fidel. mentes reducant, nuntient et declarent.

Cæterum patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, aliique locorum ordinarii, et Ecclesiarum prælati, necnon rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac presbyteri sæculares, et quorumvis ordinum regulares ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transsumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, et percipere studeant. Volentes earumdem præsentium transsumptis, etiam expressis, notarii publici manu subscriptis, et sigillo judicis ordinarii Romanæ curiæ, vel alterius personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ, munitis, eamdem prorsus fidem in judicio et extra illud, ubique locorum, adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ 24 Martii 1701.

LIBER IV. — DE CAPITULIS ET CAPITULARIBUS CANONICISQUE.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit capitulum, et de capitulorum origine et institutione.

§ I. — Quid sit capitulum.

Capituli nomine intelligitur congregata universitas, sive collegium clericorum, qui sub uno prælato, ut membra sub uno capite, degunt, et cum eo unum corpus constituunt. (Ita doctorum unanimitas quoad rem apud Schmalz. part. I, tit. XXI, n. 1.)

Primo Christus collegium duodecim apostolorum sub uno principe seu prælato Petro, ut membra sub uno capite, instituit et fundavit. Ad hujus divinæ institutionis instar, alia ecclesiastica collegia instituta sunt ab Ecclesia.

Non desunt magni nominis doctores qui originem et institutionem capitulorum ab Ecclesiæ exordio deducunt. Ut certum est enim, Petrus Hierosolymitanam Ecclesiam, deinde Antiochenam, postea Romanam constituit ; alii vero apostoli ad hujusmodi exemplar alias Ecclesias ubique constituerunt.

« Quisque porro episcopus, etiam dum adhuc viverent apostoli, sibi clerum efformavit, quem in sacro munere adjutorem haberet. »

Id postquam variis monumentis probavit Nardi, sic prosequitur :

« Clerus ille tribus prioribus sæculis fere ubique constabat duodecim sacerdotibus (collegii apostolici formam exhibentibus, ipso vero episcopo Christi Domini personam referente), et septem diaconis, ad instar eorum qui in *Actibus apostolorum* commemorantur. Addebantur pro varia locorum necessitate ministri inferiores qui et minores clerici vocabantur, e quibus assumerentur presbyteri et diaconi. Illi ergo duodecim presbyteri et septem diaconi soli efformabant *senatum* Ecclesiæ et *consilium* episcopi. Præter istos, non exstabant primis omnino Ecclesiæ exordiis alii presbyteri aut diaconi. Adhærebant semper episcopo, a quo et omnino pendebant. Ingens ipsamet Alexandrina civitas nonnisi duodecim presbyteros et septem diaconos majores habebat. Ex isto numero eligebatur patriarcha; qua facta electione, novus ordinabatur presbyter aut diaconus...

« Excipienda tantum sedes apostolica, quæ, ita exigente multiplicitate negotiorum, et ad majorem, qui talem Ecclesiam decebat splendorem, duplum habebat presbyterorum cardinalium numerum, id est viginti quatuor, cum archipresbytero.

« Si quando necesse fuit impendi sacrum ministerium extra civitatem episcopalem, mittebatur unus e presbyteris vel diaconis, qui, expleto ministerio, vel habita ad convertendos gentiles ruri degentes concione, redibat ad episcopum; atque is modo unum, modo alterum ad hujusmodi ministerium pro arbitrio deputabat. Nullus autem ruri degebat; sed fideles ruri commorantes, qui pauci tunc temporis erant, ad cœtum episcopalem in civitatem conveniebant. Atque ita est frequentatum ad IV usque sæculum. Tunc solummodo cœperunt ab episcopo rure constitui aliqui clerici, ubi ingens numero residebat fidelium populus. Hinc ortæ plebaniæ, sive parochiæ rurales. In civitatibus autem nulla per *mille annos* exstitit parochia. Presbyteri autem et diaconi illi qui ruri sæculo IV constituti sunt, valde differebant a presbyteris et diaconis senatus episcopalis. Licet enim veri sacerdotes essent et diaconi, censebantur tamen inferioris gradus; tum quia alii, ut vidimus, institutionis erant apostolicæ, tum quia consilium episcopi efformabant, tum quia una cum episcopo diœcesim, clerum scilicet et populum, regebant, tum denique, quia, absente, impedito, aut mortuo episcopo, jurisdictionem ordinariam exercebant. Inferioritatem illam presbyterorum et diaconorum qui non erant de gremio senatus episcopalis (aut, ut nos dicimus, de capitulo), a primo Ecclesiæ sæculo usque ad hodierna tempora sine ulla omnino interruptione permanasse, probabimus tanto monumentorum splendore, qui oculos *Parochialistis* (qui jura parochorum ultra modum extollunt) eruat.

« Ille porro uniuscujusque Ecclesiæ senatus statim ab ipso apostolorum tempore constitutus, nullo unquam temporis intervallo interruptum usque nunc perseveravit; profecto usque ad finem mundi duraturus, ad confusionem eorum qui indefesso molimine illum de medio tollere tentant. Apostolicitatis enim sigillo, Ecclesiæ Christi sponsæ nunquam non acceptissimo, insignitur.

« Quod prioribus olim temporibus principalis ille post episcopum clericorum cœtus varia induerit nomina *coronæ*, *senatus*, *presbyterii*..., postea vero *collegium*, *capitulum*, *canonici*. . dictus sit, id nihil refert : sub vocabulorum diversitate res semper eadem permansit, nec potest erroneis novatorum aut minus eruditorum interpretationibus immutari. » (Nardi, *Dei parochi*, tom. II, p. 216 et seq.; apud Bouix, tract. *De capitulis*, sect. 1, cap. 1.)

« Quod postea vocatum fuit capitulum eamdem institutionem esse videtur ac antiquum presbyterium, ac proinde apostolicam dici posse. » Hoc evincit Thomassinus (*Vetus et nova discip.* part. I, lib. III, cap 7, et lib. II, cap. 9) : « Illam capitulorum hodiernorum cum antiquo *presbyterio* seu *senatu* Ecclesiæ primitivæ identitatem confirmasse videtur Tridentina synodus, dum eodem *senatus* Ecclesiæ nomine canonicos appellavit.

« Illam apostolicam canonicorum institutionem declaravit concilium Aquisgranense anni 816, dum eam pronuntiavit *evangelico et apostolica auctoritate fultam et cæteris supereminentem institutionibus.* » (Apud Nardi, t. II, p. 280 ; Bouix *ibid.*)

Ostendit Nardi canonicos tum in antiquitate, tum recentioribus sæculis vocatos fuisse *seniores*, *conseniores*, *primores et primates*, *majores*, clericos in *gradu et dignitate*, *prioris gradus*, *e latere episcopi* ; et tandem *canonicos*, quia ex *canone* quanto honore

haberentur et superiores cæteris de clero semper habiti sint, multis probat monumentis. Ex professo demonstravit cardinales nihil aliud fuisse quam collegium cathedrale, et canonicos nihil aliud quam cardinales cujuslibet Ecclesiæ.

Jampridem vero a summis pontificibus decretum fuit, sicut nomen *papæ*, olim episcopis commune, soli Romano pontifici : ita nomen *cardinalium* solis Romanæ Ecclesiæ cardinalibus esse tribuendum. Ex indulto speciali excepti canonici sancti Jacobi Compostellæ, et quidam alii, quibus nomen illud retinere permissum est. (Bouix, *ibid.*)

§ II. — Potestas et præeminentia.

I. « Episcopus non poterat causas judicare sine interventu et consilio sui senatus, id est cathedralis collegii. (*Constitutiones apostolicæ* lib. II, cap. 47 ; *Conc. Illiberitanum* anni 305, can. 74.) — *Episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum, alioquin irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum sententia firmetur.* (*Conc. Carthag.* IV, can. 23.)

« Illa necessitas præsentiæ et consilii canonicorum in judiciis episcopi firma permanebat adhuc media ætate.. juxta concilium Elvense anni 1065.

II. « Sicut hodie, ita ab initio et per non interruptam seriem sæculorum, mortuo episcopo, gubernium Ecclesiæ ad collegium cathedrale pertinebat (vide *Conc. Arausicanum* I, can. 30); ordinationes fieri nequibant absque ejusdem collegii consilio : *Episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet.* (*Concil. Carthag.* IV, c. 22.) De qua disciplina aliquid retinere volens Tridentina synodus decrevit ordinationes fieri in cathedrali *vocatis præsentibusque ad id Ecclesiæ canonicis*. (Sess. 23, cap. 8 *De reform.*,

« Summus erat honor ascribi presbyterio seu capitulo cathedrali.. olim sedebant in subselliis elatis ad dexteram et sinistram episcopi, quæ subsellia modo secundi throni, modo tribunalia, modo cathedræ apud veteres nuncupantur... Archipresbyter erat semper presbyterorum senior ; at archidiaconus electione constituebatur. Sedebant autem sicut hodie ordine (ut dicunt canonistæ) ancianitatis.

« Potestatem excommunicandi habebant cumulative cum episcopo, et ita in multis capitulis perseverasse usque ad concilium Tridentinum videre est. (Sess. 25. c. 6.)

« Præcipuam partem in electione episcopi exercebat collegium cathedrale. Totum id quod hodie parochis proprium est, ab episcopo, adjuvante et supplente cathedrali capitulo in tota diœcesi per tria sæcula, in civitatibus per mille annos fuisse peractum, jam in præcedenti paragrapho indicavimus.

« Quæ prærogativarum antiqui cathedralis collegii, tenuissima licet expositio, si bene expendatur, quisque facile genuinam ab eruditis tradi hujus institutionis notionem fatebitur, cum affirmant, id esse capitulum cathedrale cum episcopo, quod collegium cardinalium cum summo pontifice : superiores dignitate omnibus in toto orbe cardinales, quia unum corpus cum papa et membra ipsius : superiores dignitate omnibus de diœcesi canonici, qui unum corpus cum episcopo. Universam Ecclesiam, defuncto papa, regit cardinalium collegium : universam diœcesim, mortuo episcopo, gubernat capitulum. Tota præeminentia et potestas cardinalium, quia capitulum seu consistorium summi pontificis. tota præeminentia et potestas canonicorum, quia episcopi cardinales.

« In cardinalibus honoratur vicarii Christi dignitas et universalis potestas: in capitulo dignitas et potestas episcopalis culminis. Splendore cardinalitii gradus fulget et exaltatur pontificia dignitas : decore et amplitudine capitulorum splendet et dilatatur episcopalis auctoritas. » (Bouix. *ibid.*)

§ III. — De capitulorum essentiali et præcipuo fine.

« Finis essentialis et primarius capitulorum cathedralium est auxiliari et supplere episcopo in Ecclesiæ seu diœcesis regimine. » (*Ibid.*) Hujus propositionis veritas ex synopsi historica supra delineata manifestatur. Probatur aliunde ex multis doctorum sententiis apud Bouix allatis, in antiquo jure.

Novo autem jure idem demonstratur, scilicet canonicos esse consiliarios natos episcoporum. Capite *Novit, De his quæ fiunt a Præl. sine cons. cap.* ibi : « Novit plenius tuæ discretionis prudentia, qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis : ita quod tu caput et fratres tui membra esse comprobentur. Unde nec decet, omissis membris, te aliorum consilio in ecclesiæ tuæ negotiis uti : cum id non sit dubium et honestati

tuæ et sanctorum Patrum institutionibus contraire. Innotuit autem auribus nostris quod tu sine consilio fratrum tuorum abbates, abbatissas, et cæteras personas ecclesiasticas instituis et destituis.. » (Id. cap. *Quanto*, ejusdem tituli.)

Concilium Tridentinum vocat capitulum *Senatus Ecclesiæ :* mandat ab episcopis requiri consilium capituli, sess. 5, c. 1 ; sess. 24 ; c. 12 et 15 ; sess. 23, c. 18 ; et cap. 10, ubi, sede vacante, capitula regunt Ecclesiam et litteras dimissorias dant. Et sess. 24 *De reform.* cap. 16, ubi capitulum, sede vacante, omnia, per suos delegatos, administrat et gubernat.

« In Brevi 16 Julii 1801, summus pontifex expostulavit a præsulibus tum Galliæ tum Belgii spontaneam suarum ecclesiarum demissionem : *Dimittendæ a vobis sponte episcopales vestræ sedes sunt, eædemque in manibus nostris liberæ resignandæ.* Consensum autem capitulorum simul requisivit : *Cogimur, urgente temporum necessitate... significare vobis omnino necesse esse nobis saltem intra decem dies, iis responsum et scripto dari a vobis, idque responsum una cum capitulorum vestrorum libero consensu extradi, a quo litteræ nostræ vobis reddentur.. Nisi intra decem dies absolutum responsum dederitis.. perinde cogemur habere vos vestraque capitula, ac si obsequi postulationibus nostris recusaretis.* (Apud Bouix, *De capitulis*, pag. 49.)

In sua constitutione *Ecclesia Christi* (XVIII Kalendas Septembris 1801 pro Concordato), sic de capitulis et seminariis loquitur idem Pius VII : *Cum vero tum clericorum institutioni, tum episcoporum consilio suæque ecclesiæ administrationi consulere necesse sit, illud non omisimus, ut iidem episcopi unum habeant in cathedrali ecclesia capitulum unumque seminarium.* Idem colligitur ex aliis bullis, decretis et titulis cathedralium Concordati 1801. Item in concordato quod anno 1851 iniit Pius IX cum Hispania quid sint hodie etiam capitula iis exprimitur terminis qui in tota retro antiquitate usurpari solebant : *Cum cathedralia capitula archiepiscoporum et episcoporum senatum consiliumque constituant.* (Art. 15.) Similia frequenter occurrunt in recentioribus monumentis de fine capitulis essentiali et præcipuo testimonio.

In Thesauro resolutionum sacræ congregationis Concilii, pag. 167 et 347 anni 1817, dicitur esse Ecclesiæ mentem ut episcopus consilio capituli utatur ; et capitula esse consiliarios natos episcoporum. Unde quod initio fuerunt, quod postea constanter permanserunt, idem etiamnum esse pergunt capitula : nec ex factis aliquarum diœcesium, ubi episcopi capitula intra fines exercitii choralis coercuissent, uti post anni 1801 Concordatum fecerunt illi constitutionales episcopi, invita sede apostolica, ad novas ecclesias a gubernio nominati, et quibus capitulorum annihilationem, quæ exinde permansit, imposuit potestas civilis existimandum est illam ideo venerandam et apostolicam institutionem a fine et jure sibi proprio excidisse.

§ IV. — Definitio ex prædictis deducta.

Ex prædictis patet via ad rectam capituli cathedralis definitionem, quæ sic statui potest, cum Bouix : *Collegium clericorum ab Ecclesia institutum ad auxiliandum et supplendum episcopo in diœcesis suæ regimine.*

« Dicitur *ab Ecclesia institutum*, ut institutio illa juris communis et universalis distinguatur a particulari institutione, qua episcopus aliquos clericos in corpus quoddam coadunaret ut sibi essent a consiliis. Dicitur *ad auxiliandum episcopo*, nempe sede plena ; et additur *ad supplendum*, nempe sede vacante, seu mortuo episcopo. »

« Ex illa autem definitione quædam immediate fluunt corollaria : 1° aliquis non constituitur canonicus per jus ad aliquam præbendam ; 2° nec per jus ad habendum stallum in choro ; 3° nec per obligationem ad publicam officii recitationem. Hæc omnia scilicet secundaria sunt, et a jure capitulis annexa, non autem capituli essentiam constituunt. Constituitur autem canonicus per incorporationem in collegium illud quod ad auxiliandum et supplendum episcopo ab ecclesia est institutum. Quod collegium, etiamsi nullo temporali reditu donaretur (ut in primis Ecclesiæ sæculis), et etiamsi ab ecclesia aliquando tolleretur obligatio officii in choro publice recitandi, nihilominus vere remaneret capitulum, nec putandum esset a suis essentialibus excidisse. E contra vero si capitulum aliquod spoliaretur jure auxiliandi et supplendi episcopo, etiamsi pergeret frui præbendis et cantare in choro, jam rationem capituli amisisset, et in novum aliud transiisset. Unde potest quidem Ecclesia

capitula supprimere, non vero facere ut amisso munere auxiliandi episcopo in Ecclesiæ regimine, collegium aliquod clericorum sit jam verum et proprie dictum capitulum. » Bouix. tract. *De capitulis*, cap. 2.

Unde etiam suas prærogativas et munera essentialia tuendi atque propugnandi jus et obligationem habent capitula ut suum esse servent; quia hæc essentialia tenent a lege universali perantiquissima et apostolica, a summis pontificibus et conciliis sancita et præservata. Atqui hæc essentialia juste et rationabiliter tueri propugnarique nihil aliud est quam Ecclesiæ obedire illique fideliter servire.

§ V. — Capitulorum variæ species.

« Capitula distinguuntur: 1° in capitulum proprie dictum seu *cathedrale*, cui soli convenit supra allata definitio; et in capitulum improprie dictum, seu *collegiale*, quod nempe in alia quam cathedrali ecclesia erectum fuit. In collegialibus capitulis deficit illud quod supra ostendimus esse primarium et essentiale in capitulis proprie dictis, munus nempe episcopo auxiliandi vel supplendi in ecclesiæ regimine. Canonici collegiatarum nullam jurisdictionem episcopalem exercere habent mortuo episcopo, nec sunt de jure *episcopi consilium*, nec *senatus Ecclesiæ;* sed instituti sunt tantummodo ad decorem cultus publici in aliqua ecclesia celebrandi; ad quem finem sustentantur præbendis et aliis temporalibus proventibus. Hinc finis capitulo collegiali proprius et primarius inveniri quidem potest, et de facto invenitur in capitulis cathedralibus, sed tanquam finis secundarius et accessorius. Et ideo licet nomen capituli sit utrisque commune, merito tamen cathedrale canonicorum collegium habendum est ut capitulum proprie dictum, collegiale vero sensu lato tantum et improprio, ac longe diverso. » (Bouix, *De capitul.* cap. 3.) Distinguuntur 2° in sæculare et regulare; 3° in exemptum et non exemptum; 4° in numeratum et non numeratum.

I. Capitulum *sæculare* est illud in quo canonici sunt clerici, nec vota emittunt sub regula monastica et vita communi. Hodierna cathedralium et collegiatarum capitula sunt fere omnia sæcularia, et reguntur jure canonico communi.

II. *Capitula regularia*, cathedralium seu aliarum ecclesiarum multa erant olim; sed a multo tempore sæcularisata fuerunt et fere ubique desierunt. Vitam regularem et communem cum votis agebant sub prælato episcopo aut abbate. Canonici regulares habent bona saltem ad usumfructum, de quibus inter vivos ad opera pia disponere possunt.

Episcopus in canonicos regulares cathedralium (exceptis iis quæ concernunt regularia instituta) habet omnimodam jurisdictionem, licet non sit religiosus.

Episcopus, si fuerit simul abbas in sua cathedrali regulari, habet omnimodam jurisdictionem in canonicos regulares suæ cathedralis, etiam in iis quæ concernunt regularia instituta, et repræsentat duplicem personam, nempe proprii abbatis quoad regularia instituta, et simul proprii episcopi quoad reliqua. Non confert canonicatum tanquam abbas, sed tanquam episcopus; unde canonicus sic provisus nequit per superiorem regularem amoveri; pro vicario uti debet aliquo monacho, non autem sæculari, in regularibus.

Episcopus in puniendis delictis canonicorum regularium, non indiget consensu neque etiam consilio capituli. Non potest mutare statum regularitatis. Canonicus regularis qui portionis vel bonorum sibi concessorum dominium usurpat, et non est paratus ea relinquere ad nutum superioris sui, peccat contra votum paupertatis. (*Vide* Barbosam, tract. *De canonicis*, cap. 1.)

III. *Capitulum exemptum.* — Exemptio est privilegium, quo persona aut locus a jurisdictione episcoporum seu ordinariorum liberantur et subtrahuntur, ac summo pontifici immediato subjiciuntur. (Est in re communis, arg. cap. *Si papa*, 20, *De privileg.* in 6; Ferrar. verb. *Regulares*. art. 2, n. 1.) Capitula regularia fere semper exemptionem habent; capitula sæcularia possunt etiam esse exempta.

Privilegia exemptionis diversa sunt et concedi nequeunt nisi a summo pontifice, et etiam aliquando præscribi possunt a legitima consuetudine.

Capitula non exempta subjiciuntur jurisdictioni episcoporum et juri communi; talia sunt hodierna capitula cathedralia Galliarum omnia.

IV. *Capitulum numeratum* est quando per aliquod statutum determinatus fuit numerus canonicorum ea lege ut nequeat alterari: Quando non ita determinatus fuit numerus canonicorum, *capitulum non est numeratum.*

Ecclesia cathedralis potest effici *numerata* tripliciter ; vel a papa, vel ab ipso episcopo de consensu capituli, vel a diuturna consuetudine.

Ecclesia collegialis potest insuper effici numerata per ipsorummet canonicorum statutum, accedente consensu episcopi. (Barbos. *De canonicis*, cap. 3.)

Quando ecclesia facta est *numerata* a papa, vel consuetudine, aut per juramentum canonicorum coram papa de non augendo numero, a solo papa augeri potest canonicorum numerus. Extra illos tres casus potest numerus augeri per episcopum cum capitulo etiam in ecclesiis numeratis; potest scilicet episcopus de consensu capituli abrogare statutum de non augendo numero.

Hodierna Galliarum capitula non sunt numerata, quia nullum de hac re exsistit statutum nec papæ, nec capitulorum. Sola potestas civilis statuit ut octo canonici in cathedralibus, duodecim in metropolitanis exstarent. Atqui hoc statutum civile, cum sit concordati violatio, ut patet per articulum Concordati undecimum, et de eodem articulo reclamationem sanctæ sedis in epistola cardinalis Caprara 18 Augusti 1803 contra *Articulos organicos*, proindeque hoc statutum civile sit usurpatio jurisdictionis ecclesiasticæ, non potuit jus stabilire nec consuetudinem legitimam introducere, sed potius corruptelam.

CAPUT II.

De canonicis.

§ I. — De canonicis generatim.

Canonici sunt membra capitulorum; canonici nomen idem est ac regularis, venit enim a voce græca *canon*, quæ regulam significat. Alii existimant vocem illam derivari a *canone* sumpto pro *catalogo*, in quo inscripti erant clerici alicui ecclesiæ inservientes, qui ideo dicebantur de canone seu de catalogo ecclesiæ seu illius ecclesiæ canonici

« Canonicorum institutum antonomastice *militia clericalis* dicitur; et ab exactiore, quam profitentur, canonum custodia canonici nomen sortiuntur. Canonicæ regulæ primaria fuit institutio, ut sub episcopo canonici essent sancte viventes, et prompti ad omne ecclesiasticum ministerium, ad quod a præposito suo ordinarentur. Unde nemini dubium esse potuit quin canonici subsidio et adjutorio episcopis esse teneantur. » (Ferrar., verb. *Canonicatus*, art. 1, n. 35 et seq.) In canonicatu duo diversa jura concurrunt, scilicet canoniæ et præbendæ.

I. *Canonia* vulgo canonicatus est jus spirituale, quod pervenit ex electione, seu receptione alicujus in fratrem, seu canonicum. Sic Innocentius in cap. *Cum* 9, *De constit.* Hoc autem jus spirituale, quod præbet canonia, consistit primo in jure habendi in choro sedem (vulgo stallum), et vocem in capitulo, et per hanc vocem capitulariam auxiliari et supplere episcopo, quod est finis essentialis capituli cathedralis. Secundo consistit in hoc, ut quam primum facultas se obtulerit, canonico eamdem canoniam legitime obtinenti, etiam conferatur præbenda seu competens portio fructuum canonicalium; cap. *Relatum* 9. de Præbend. ibi : *Quia non est congruum ut præbenda* (scilicet vacante, vel proxime vacatura) *careat qui in canonicum noscitur esse receptus.* Concordat cap. *Dilectus* 19, *De præbend.*, et cap. *Cum* 9, *De constit.*; Ferrar., verb. *Canonicatus*, art. 1, n. 1 et seq.) Præbenda vero ex se non habet sedem in choro, nec vocem in capitulo ; et titulus canoniæ est receptio in fratrem, titulus vero præbendæ collatio ; canoniam per se absque præbenda beneficium ecclesiasticum esse pluribus textibus evincitur. (Id. *ibid.* n. 32 et seq.) Hinc cum Fagnano in c. *Dilectus*, *De præbend.* n. 8, asserere solent canonistæ, *præbendam non esse de substantia canonicatus.*

Unde possunt esse veri canonici qui nullam habeant præbendam ; sed omnibus aliis essentialibus juribus canonicorum gaudeant. Quo fit ut episcopus cum capitulo possit veros canonicos instituere absque præbenda, dummodo honorabilem sustentationem aliunde habeant, et aliqua emolumenta ab ecclesia percipiant. Sunt enim canonici qui non percipiunt nisi distributiones quotidianas, nullamque habent præbendam. Et hæc utiliter notanda sunt pro episcopis et capitulis Galliarum, qui inde possent providere servitio et decori ecclesiarum et bonæ diœcesium administrationi, augendo scilicet numerum canonicorum.

Si quis autem simpliciter in canonicum receptus fuerit, antequam redditus canonicales eidem assignentur, sive conferantur, dicitur habere *canoniam*, hoc est canonicatum, nondum vero præbendam. Siquidem præbenda ulterius importat jus ad perci-

piendos fructus annuos canoniæ, sive debitos ex titulo juris canonicalis. Unde qui habet utrumque, is canonicus præbendarius appellatur; cap. *Sanctorum* 2, dist. 70.

II. *Canonicalis præbenda* dicitur a *præbeo*, quia præbere debet canonico fructus ex quibus possit commode vivere... episcopus debet attendere ut canonici habeant præbendas sufficientes ad victum; atque pro sustinendo decenti canonicorum gradu, tam collegiatæ insignis, quam cathedralis, potest præbendas tenues vacantes in mensibus non reservatis (*sanctæ sedi*) ad pauciorem numerum reducere, vel simplicia beneficia iisdem unire. Ita provisum fuit a sacro concilio Tridentino, sess. 24, c. 15, *De reform.* (Ceccoperius apud Scarfantonium, t. I, p. 30, edit. Lucæ, 1723.)

§ II. — Canonicorum variæ species.

Ex modo dictis distinguuntur : 1° in *cathedrales* et *collegiales*. 2° In *canonicos præbendarios*, qui præbendam habent; et simpliciter canonicos, qui præbenda carent. 3° In *numeratos*, et *supranumerarios*, quando nempe capitulum est numeratum, canonici præter numerum determinatum admissi dicuntur supranumerarii. 4° Supranumerarii subdividuntur in tres species, quorum alii a summo pontifice creantur canonici cum *exspectativa* primæ præbendæ vacaturæ; alii fiunt canonici tantum ad honorem, et dicuntur canonici honorarii; alii superadduntur cum fundatione novæ præbendæ. 5° Præcipue olim distinguebantur in regulares et sæculares.

CAPUT III.

Quibus proprie personis constituatur capitulum.

I. — 1° « Episcopus et abbas seu prælatus non sunt proprie de capitulo, sed distinguuntur, licet de cætero faciant unam ecclesiam, velut caput et membra unum corpus. Et sic dici potest (episcopus) spectare ad ecclesiam, non vero ad capitulum ecclesiæ, et hæc quidem proprie et in rigore loquendo; nam in largiori significatione et in materia favorabili nomine capituli comprehendi etiam prælatum veluti caput illius principale, fatetur Ancharanus et Abbas. » (Leurenius, *Forum. eccles.* lib. III, tit. XI, quæst. 125, cum multis ab eo citatis.)

2° Notandum tamen est « aliquando episcopum interesse capitulo tanquam canonicum, quod intelligit gloss. 2, quando jus canoniæ est annexum episcopatui ex consuetudine. (Concordat c. *A collat. De appell.* lib. VI; et c. *Cum in ecclesia, De præbend.* eod. lib. cum similibus.) Fagnanus in I part. III lib. *Decret. de concess. præb.* c. *Postulasti*, n. 11; c. *A collatione*, lib. II, tit. XV, c. 11, in 6, ibi : « A collatione beneficii, quam communiter per episcopum et capitulum in tuum præjudicium factam esse proponis : non ad ipsum episcopum (si in ea, ut prælatus interfuerit), sed ad superiorem te oportuit appellare. Alias, si ut canonicus interfuisset in ea, potuisti appellare licite ad eumdem. » — Quando episcopus est canonicus in sua ecclesia, debet in capitulo sedere immediate post eum, qui præest capitulo, quando adest ut canonicus; ita Rota apud Fagnan. *ibid.* n. 25 et seq.

Ex his patet quod aliquando possit episcopus esse de capitulo suæ ecclesiæ. At si hoc fieri possit ex consuetudine, nullum jus nobis notum obstat ut etiam ex statuto capituli cum episcopi approbatione episcopus canoniam habeat.

II. Ex communi doctorum sententia *decanus* non est proprie de capitulo, nisi simul sit canonicus, vel nisi sic habeat consuetudo. Aliæ dignitates non sunt de capitulo. « De jure communi dignitates non sunt de capitulo, nisi in earum erectione exprimatur concessio stalli in choro, et vocis in capitulo, vel nisi statuto vel consuetudine disponatur quod sint de capitulo. » (Ita Leurenius cum multis aliis, apud Bouix, *De capit.* sect. 2, cap. 1.)

III. Vicarius generalis non est de capitulo. « Vicarium generalem episcopi, dum canonicus est, esse de capitulo, et vocem in eo habere dubium non est; quamvis sedere debeat et dare votum loco suo capitulari, habito nimirum respectu ancianitatis et dignitatis cæterorum canonicorum; et si tractandum sit de rebus ad sui vel episcopi sui commodum spectantibus, debet exire de capitulo. » (Ventrig. tom. II, annot. 14, § 2, n. 14; Barbos. *De canonicis*, cap. 15, n. 12, et communis.)

« Si vero canonicus non est, adeoque nec de capitulo, eidem intervenire nequit, etiam absente episcopo. (Pignatelli, consult. 154, n. 6.) Unde etiam eum admittere non tenentur canonici, etsi possint, nisi forte de consuetudine vel alio speciali jure id ei competeret, aut etiam interveniret ad sedanda scandala tumultuantium in capitulo canonicorum. In quo casu eum admittere tenentur,

etsi tunc nullum possit ferre suffragium. (Leurenius, *Forum eccles.* lib. III, tit. II, quæst. 125.)

IV. Coadjutor episcopi non est de capitulo nisi sit simul canonicus.

V. Coadjutores canonicorum, capellani, vicarii, portionarii, aliique beneficiarii non canonici, licet hi omnes in celebratione missarum choroque assistant; item canonici supernumerarii, non pertinent ad capitulum, nec sunt ad illud vocandi.

« Rota sæpius approbavit, etiam de jure communi, quod capitulum constituunt soli canonici, et non portionarii . . . et hanc opinionem communiter doctores sequuntur. »

« Limitatur communiter ut non procedat ubi statuto vel consuetudine aliter cavetur, scilicet portionarios esse de capitulo. »

« Prout etiam dicitur, quod licet decanus et aliæ dignitates non sint de capitulo, tamen secus ubi statutum vel consuetudo ecclesiæ disponit quod censeantur esse de capitulo. » (Ita Rubeus, singularia ex Rotæ *Decision.* t. II, p. 29, edit. Rom. 1637, qui multis allegationibus hæc asserta probat.)

VI. Ex præmissis, attento rigore juris communis soli canonici sunt de corpore capituli et habent vocem activam et passivam. Attamen dignitates solent ex statuto, vel consuetudine esse de capitulo; ita ut in Italia, testante cardinali Petra, id regulariter locum habeat, et in aliis regionibus frequenter. Dignitates quidem admitti in gremium capituli decet valde, et honorificum est capitulo, nedum noxium; et quando sunt de capitulo, habent sicut alii canonici vocem activam et passivam.

CAPUT IV.

De constitutione capituli, ut est corpus.

I. Capituli cujuslibet caput duplex est: 1° *Principale* est episcopus, sive alius prælatus habens territorium et jurisdictionem quasi episcopalem. 2° *Numerale* est primus in numero sive in ordine eorum quibus constat capitulum. (Scarfantonius, lib. IV, tit. I, n. 8.)

Quatenus capitulum constituit *senatum Ecclesiæ* et *concilium natum* episcopi, habet pro capite ipsummet episcopum, cujus membra capituli sunt adjuvantia membra.

Quatenus vero capitulum habet jura, et interesse, et officia sibi propria, efformat corpus ab episcopo sejunctum; et sub hoc respectu episcopus, nisi sit canonicus, non est de corpore capituli; sed capitulum aliud habet proprium sibi caput, cum quo efficit integrum aliquod corpus sociale; unde fit ut episcopus non habeat vocem in negotiis capitularibus, ut docent canonistæ omnes.

Caput *numerale* capituli est ille, juxta doctores, qui præest capitulo, et qui hoc ipso de jure (nisi aliter statuatur) jus habet coadunandi capitulum: et censeri debet *prima* capituli *dignitas*. — Hujusmodi caput non est de essentia capituli; unde eo defuncto vel absente, remanet capitulum, et antiquior canonicus, hoc est major de capitulo, restat caput. — Canonici non dicuntur membra hujusmodi capitis, quod est tamen membrum nobilius ipsius capituli. (Ceccoperius, l. IV, tit. I.)

II Ex lege Tridentina, sess. 24, c. 12, ibi: *In omnibus ecclesiis cathedralibus, omnes canonicatus et portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus vel subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio capituli designet ac distribuat prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat; ita tamen ut dimidia saltem pars presbyteri sint; cæteri vero diaconi aut subdiaconi. Ubi vero consuetudo laudabiliter habet ut plures vel omnes sint presbyteri, omnino observetur.*

Cum in Gallia a Concordato anni 1801 vigeat consuetudo ut nonnisi sacerdotes canonicatibus provideantur, quæ consuetudo *laudabilis*, plusquam 40 annis præscripta, omnino servanda est. Unde jam videtur nullam existimandam fore factam canonicatus collationem clerico non presbytero.

CAPUT V.

De dignitatibus, personatu et officio.

§ I. — De dignitatibus generatim.

Dignitas est *præcedentia cum jurisdictione*, ut sunt, v. gr., abbatia, archidiaconatus, decanatus et hujusmodi, et licet alicubi de consuetudine istæ dignitates non habeant jurisdictionem, adhuc tamen dignitates censeri debent ex praxi (a jure communi firmata), quamvis de jure sine ulla jurisdictione non sint tales.

Personatus est *præcedentia sine jurisdictione*, et talem personatum habere dicuntur, qui in ecclesia, in capitulo, et aliis honoribus præcedunt canonicos.

Officium vero est *administratio rerum ec-*

clesiasticarum sine alia speciali præcedentia et jurisdictione, ut sunt thesaurarius, custos, sacrista, et hujusmodi. (Sic Glossa in c. *Consuetudinem* 1, *De consuetud.* in 6; FERRARIS, verb. *Beneficia*, art. 1, n. 26.)

Unde dignitates, quales a pluribus jam sæculis a jure intelliguntur, definiendæ sunt : tituli beneficiales quibus olim annexa erat jurisdictio, vel qui ut dignitates a statuto aut consuetudine habiti sunt. Et sic dignitates hodie de facto et in se non differunt a personatu ; sed differunt in jure, et etiam ex eo quod olim aliquæ ex ipsis habuerint annexam jurisdictionem, quales sunt archidiaconatus et archipresbyteratus, et ex eo quod cæteræ per statutum aut consuetudinem fuerint in gradu dignitatum constitutæ, quales sunt in pluribus locis decanatus, præpositura, primicerius, etc.» (Bouix, *De cap.* sect. II, cap. 5.)

§ II. — Quæ sint dignitates.

« Quæ tradunt canonistæ circa hanc materiam, sub hac brevi regula coarctari possunt : dignitates sunt certo et ex jure communi. 1° Archidiaconus et archipresbyter, hoc ipso, quod tali nomine insigniantur in cathedralibus et collegiatis. 2° Qui est caput et præses capituli, quocunque nomine nuncupetur. 3° Nulli alii dignitates sunt nisi tales probentur, vel per decretum erectionis ipsorum tituli in dignitatem, vel per consuetudinem et existimationem loci, vel per jurisdictionem perpetuo annexam titulo suo. Hinc, præpositura, primiceriatus, plebania, cantoria, thesauraria, de jure communi non sunt dignitates, sed possunt esse tales de consuetudine vel statutis ecclesiarum cathedralium. 4° Certum est vicarium generalem episcopi non esse dignitatem ; quia, licet habeat jurisdictionem in foro externo, illam tamen non habet tanquam perpetuo annexam alicui titulo quem in perpetuum obtinuerit. » (Bouix, *ibid.*)

Jam diximus dignitates non esse de capitulo, nisi ex consuetudine vel statuto.

§ III. — Quis dignitates creare possit.

« Papa solus creare potest dignitates omnino novas et inusitatas : episcopi autem id non possunt, ut tenent multi . . . quorum sententiam secuta est sacra congregatio Concilii. Sæpius enim declaravit posse episcopum de consensu capituli in cathedrali ecclesia erigere novam dignitatem; dummodo sit ex iis, quæ usitatæ sunt, et sacris canonibus cognitæ. Quod similiter non pervenit ex VI reservationis apostolicæ, sed quia sola Romana ecclesia a principio instituit dignitates, id est, ordinavit quæ dignitates essent in ecclesia, ut in cap. 1, dist. 22, et cap. *Perlectis*, dist. 25. Et ideo potest quidem episcopus cum suo capitulo novam dignitatem, puta sacristam, quæ non erat in ecclesia sua, ibidem instituere. » (Fagnan. in II part. I lib. *Decret. de offic. ordin.* c. *Perniciosam*, n. 70.— Concordat FERRARIS et citat sacræ congregationis decreta, verb. *Episcopus*, art. 4, n. 24; et communis.)

Unde possunt episcopi de consensu capituli restituere archidiaconum cum omnibus prærogativis et jurisdictione de jure communi; item archipresbyterum, decanum et alias dignitates usitatas in Ecclesia.

§ IV. — De prærogativis dignitatum.

Sive sint, sive non sint de capitulo, antecedunt canonicos, tum in choro, tum in processionibus, tum in aliis actibus extra capitulum; ad ipsas pertinet, impedito episcopo, exercitium functionum quæ dicuntur *pontificales*. Si sint de capitulo, præcedunt etiam in actibus capitularibus.

Ad primam dignitatem, vel ad sequentem in gradu, non ad canonicum hebdomadarium spectat exercitium functionum pontificalium, ita ut « neque per episcopum alteri, nec ipsi suo generali vicario, committi possit. Eodem modo quo, impedita prima dignitate, non potest eadem pro libito alium subrogare in ejus locum ; sed in illum subintrat dignitas subsequens in gradu. » (DE LUCA, *De præm.*, disc. 13, n. 11, et communis, juxta dispositionem *Cæremonialis episcoporum*, lib. I, c. 26, adversus quam suffragari nequit contraria consuetudo, ut decrevit sacr. Rituum congr. 26 Septembr. 1682.)

« Ultra recensitas functiones episcopales spectantes ad primam dignitatem, vel ea impedita, ad sequentem in gradu, pertinet etiam illa administrationis sacramentorum episcopo decumbenti; eoque defuncto celebratio funebris officii. » Pariter ad primam dignitatem, sive ad alium digniorem ea impedita spectat fungi officio presbyteri assistentis episcopo celebranti in pontificalibus, ut habetur in *Cæremoniale episcoporum*, tit.

De officio presbyteri assistentis, c. 7.» (Scarfanton. t. I, p. 176 et seq.)

Ex decretis sacræ congregationis Rituum : 1° Ad primam dignitatem pertinet, absente vel impedito episcopo, functiones sacras in solemnioribus anni festivitatibus peragere. (Apud Gardellini, n. 162 - 216, etc.)

2° Adeo ut neque vicarius generalis episcopi, neque vicarius capitularis possint prædictas functiones, absente vel impedito episcopo, sibi usurpare (nisi sint simul prima dignitas) — (*Ibid.* n. 188, 335, 464, 548, 555.)

3° Illud autem jus primæ dignitatis est simul obligatio. (*Ibid.* 23 Maii 1846, n. 4901.)

4° Functiones autem solemniorum festivitatum quæ ad primam dignitatem, absente vel impedito episcopo, pertinent, determinavit sacra Rit. congr. hoc decreto :

« Eadem sacra congregatio.. declaravit : functiones pontificales esse festum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis B. M. Virginis, Omnium Sanctorum, Dedicationis ecclesiæ cathedralis, Titulum ejusdem ecclesiæ, Patroni civitatis, necnon Commemorationem omnium defunctorum, Distributionem candelarum, Cinerum, Palmarum, celebrationem Officii feriæ v in Cœna Domini, feriæ vi in parasceve, festum Paschatis Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, diem solemnem Corporis Christi cum processione. Hac die 31 Decembris 1672. » (Apud Gardellin. n. 2451.)

5° In prædictis functionibus nequit prima dignitas aliquem sibi substituere, dum ipsa vel nequit vel non vult, eos obire; quia prima dignitate absente vel impedita, functiones illæ de jure pertinent ad eum qui proxime succedit ratione dignitatis. (*Ibid.* n. 404-2720.)

6° Sede vacante, prima dignitas, quatenus repræsentat capitulum, præit vicario capitulari. (*Ibid.* n. 539.)

7° Ad eam pertinet capitulum convocare. (*Ibid.* n. 3926 et 2720.)

8° Ipsi competit dare inchoandi officii signum, etiamsi ex localibus statutis alteri commissa fuisset directio chori. (*Ibid.* n. 3133.)

9° Ad primam dignitatem insuper pertinet ministrare aspersorium episcopo cathedralem ecclesiam ingredienti. (*Ibid.* n. 128, 1218, 204.)

10° Et facere tabellam missarum, et assignare missas per turnum. (*Ibid.* n. 2720.)

11° Et habere generatim præeminentiam in præscribendis et ordinandis quæ respiciunt directionem chori. (*Ibid.* n. 3286.)

12° Et fungi officio presbyteri assistentis, dum episcopus solemniter celebrat. (*Ibid.* 162.)

13° Et habere presbyterum assistentem cum pluviali, aliasque prærogativas, dum celebrat pro episcopo. (*Ibid.* 737-851.)

14° Non tamen dare trinam benedictionem cum sacramento, nec habere mensam ad instar episcopi, aut sedem cum tapete, aut in matutinis quatuor presbyteros cum pluvialibus. (*Ibid.* n. 1536, 1549 ; apud Bouix, *De capit.* sect. 2 cap. 6.)

§ V. — De prærogativis dignitatum, quæ sunt simul protonotarii apostolici.

Si prima dignitas, archidiaconus, aut alius, sit simul, ut contingere possit protonotarius, aliqua notanda sunt ex sacr. Rit. congregationis declarationibus.

1° Ead. sacr. Rit. congr. inhærendo decretis aliis in simili casu factis, declaravit : «Nullo modo posse archidiaconum prædictum lucrari distributiones quotidianas, et fructus suæ præbendæ archidiaconalis, nisi in habitu proprio, et archidiacono convenienti in choro, et in ecclesia assistat Horis canonicis et divinis officiis, et cum eodem habitu in processionibus incedat in loco sibi debito, et convenienti tanquam archidiacono, et non tanquam protonotario. Et, dum in ecclesia cathedrali celebrat missas, morem consuetum servare debere, sicut faciunt alii ejusdem ecclesiæ dignitates, et canonici. Quod si voluerit uti habitu protonotarii in ecclesia prædicta, nihil participare poterit de fructibus, et distributionibus archidiaconatus, tanquam extraneus reputabitur, eique locus assignandus erit post abbates, non supra, nec inter canonicos, ut dicitur in *Cæremoniali episcoporum*. lib. I, cap. 13, circa finem. » (*In Ausculana*, 6 Martii 1610.)

2° « Protonotariis titularibus non licere ullo modo stare nec supra, nec infra canonicos, aliosque de choro, sed stare debere in loco assignato in *Cæremoniali episcorum*, lib. I, cap. 13. Quem ad unguem in omnibus et per omnia in casu proposito servari mandavit sacr. congr. 5 Julii 1631. *Licien.* in dicto Cæremoniali habetur : ***Protonotarii apostolici non participantes locum habent post abbates, participantes vero præcedunt abbatibus.*** (*Loc. cit.*)

3° « Protonotarios (etiam titulares) præcedere debere, quando canonici cathedralis non incedunt collegialiter. » (12 Julii 1628.)

4° Si colore violaceo utatur, « posse dictum canonicum protonotarium uti subtana violacea in choro, et in ecclesia, dum divinis assistit, dummodo in cæteris omnibus habitum proprium, et canonicis convenientem, et similem, et æqualem cæteris canonicis deferat. » (14 Januar. 1612.)

5° Licet canonico, vel dignitati, qui est etiam protonotarius titularis, in cathedrali concionari cum habitu prælatitio, videlicet subtana, rochetto, mantelletto, et stola. (Sacr. Rituum congr. 11 Novemb. 1641.)

6° Jus habent protonotarii apostolici titulares extra urbem duntaxat, et quando eo loci, ubi degunt, non adsit summus pontifex, uti habitu prælatitio, videlicet veste talari, et palliolo, nuncupato *mantelletto*, nigri coloris ; et in functionibus ecclesiasticis cum rochetto subtus palliolum. Usus collaris et caligarum coloris violacei omnino interdicitur : item et vitta, seu cordula in pileo coloris violacei, seu etiam.. rosacei, aut rubei, quæ nigri duntaxat coloris esse poterunt.. Nisi aliter concedatur in diplomatibus, quibus protonotarii creantur. (S. congr. Rituum ex audientia sanctissimi diei 9 Junii 1818.)

CAPUT VI.

De archidiaconis.

§ I. — De archidiacono generatim.

De origine, incrementis et imminutione dignitatis archidiaconalis, legendus Thomassinus, *Vetus et nova Disciplina ;* Bouix, *De capitul.* sect. 2, cap. 7. De archidiaconorum potestate et jurisdictione ante et post concilium Tridentinum vide Fagnanum in II part. 1 *Decretal.* cap. *Ad hæc, De officio archidiaconi ;* Ferraris, verb. *Archidiaconus ;* Bouix, ubi supra ; et totum corporis juris titulum *De archidiacono*. Nobis satis sit exponere quid in hodierna disciplina de archiaconis remaneat.

1° « *Archidiaconus*, græca vox, *primum*, seu *principem diaconorum* significat. Antiquissimus nominis istius usus est, significatio tamen diversa... Posterioribus autem temporibus, potestas ejus ad universum clerum sæcularem se cœpit extendere ; c. *Ut archidiaconus*, tit. XXIII, *De offic. archidiac.* Hinc de jure SS. canonum *archidiaconatus* est proxima post episcopalem dignitas in ecclesia cathedrali, prout cum aliis advertit Barbosa. Definiri potest *archidiaconus* ex c. 1 cit., quod sit vicarius proximus episcopi, omnem sollicitudinem et curam tam in clericis, quam eorum ecclesiis, cognitionemque habens. » (SCHMALZ. tom. II, part. IV, tit. 23, n. 1.) Archidiaconus antefertur archipresbytero, et archipresbyter archidiaconi jurisdictioni subjacere tenetur. cap. *Ad hæc* 7 *De offic. archidiac.* Unde, ut prima dignitas, assistit episcopo celebranti, et eum absentem aut impeditum supplet in functionibus pontificalibus, si sit sacerdos. (S. Rituum congr. pluries.) Ubi est prima dignitas, ad eum spectat ministrare episcopo celebranti in omnibus ad primam dignitatem pertinentibus, dummodo sit sacerdos, et recusans cogendus est pœnis et censuris ecclesiasticis. (S. congr. Rituum sæpe sæpius apud Ferraris verb. *Archidiaconus*, n. 28 et seq.)

2° Ex multis decretis ejusdem sacr. congr. apud eumdem Ferrar. ibid. 27 : « In choro tanquam prima dignitas post pontificalem aliis superior et major habetur et ipsi in choro permanenti spectat in principio Matutini, Horarum canonicarum, ac Vesperarum intimare *Pater noster*, quo dicto eidem pariter spectat sua manu signum dare, ut incipiatur *Domine, labia*, etc., vel *Deus, in adjutorium meum*, etc. ; ipsi etiam ad Primam pertinet dicere : *Dies et actus nostros* etc. *Adjutorium nostrum*, et, *Deus nos benedicat*, etc.; ad Completorium, *Noctem quietam*, etc. *Benedicat et custodiat nos*, etc. ; et in fine Horarum et Matutini, *Dominus det nobis*, etc. Et antequam per ipsum detur signum finis, nemo, officio expleto, et choro egredi valet. » (Ita S. congr. episc. e Regul. pluries.)

§ II. — De jurisdictione archidiaconi.

Multa de jure communi pertinent ad officium archidiaconi.

1. Clericis et ministris Ecclesiæ præcipere omnia ea quæ ab ipsis juxta suos gradus sunt obeunda, et de tertio in tertium annum, si episcopus non possit, diœcesim totam visitare et cuncta quæ emendatione et correctione indigent corrigere et emendare. (C. *Ut archidiaconus* 1, tit. XXIII, *De offic. archid.* lib. I *Decret.*) Hoc jus visitationis non fuit a concilio Tridentino sublatum, sed potius firmatum sess. 24, *De reform.* c. 3, ibi : *Archidiaconi autem, decani, et alii inferiores in iis ecclesiis, ubi hac e-*

nus visitationem exercere legitime consueverunt, debeant quidem, assumpto notario, de consensu episcopi deinceps per se ipsos tandem ibidem visitare... ipsi (episcopo) archidiaconi, vel alii inferiores, visitationis factæ infra mensem rationem reddere, et depositiones testium, ac integra acta ei exhibere teneantur... Ad ipsum pertinet ecclesias sui archidiaconatus semel in anno visitare, nec sæpius nisi de causa emergenti. (C. *Mandamus* 6, eod. tit.)

2. Ad archidiaconum pertinet sive de clericorum omnium conversatione, sive honore et restauratione ecclesiarum, sive doctrina ecclesiasticorum, vel cæterarum rerum studio. (C. *Ut archidiaconus*, supra cit.) Ad ipsum spectat ecclesiasticum et divinum officium disponere, lectiones clericis distribuere, acolythos instituere, et omnes alios clericos dirigere et iis quæ in altaris ministerio agere debent. (C. *Officium vero* 2, eod. tit.)

3. Imperat subdiaconis et levitis; ad eum spectat institutio corporalis tam in beneficiis quam in dignitatibus, sicut etiam examinatio clericorum ordinandorum, et eorum qui beneficiis ecclesiasticis præficiendi sunt, ita tamen ut postea episcopo præsententur et ab eo approbentur. (C. *Ad hæc* 7, et c. *Ut nostrum* 9, eod. tit.) Attamen ex sententia doctorum magis fundata, et sacr. congr. Concil. decisionibus firmata, concilium Tridentinum sess. 23, c. 7, *Pro ordinandis*; et sess. 24, c. 18 *Pro beneficiis præficiendis*, facultatem examinándi archidiacono sustulit. Cum vero semper ad archidiaconum spectet ordinandos, ut ab ipso approbentur, episcopo præsentare, sintque auctores magni nominis affirmantes facultatem ordinandos examinandi archidiacono a concilio Tridentino non fuisse sublatam, nobis arrideret media sententia, qua archidiacono semper competeret facultas prævias ordinandorum examinationes, v. gr., trimestriales aut semestriales faciendi, ex quibus ordinandos examini et approbationi a Tridentino præceptis episcopo præsentaret.

4. Ad archidiaconum pertinet audire jurgia clericorum, deque iis, aliisque causis ecclesiasticis majoribus cognoscere et judicare; denique ad ipsum pertinet omnis sollicitudo parochiarum, aliarumque ecclesiarum diœcesis, quam loco episcopi in foro externo exercet. (C. *Ad hæc*, 7, eod. tit.) Habet curam primariam et generalem vasorum sacrorum, et thesauri Ecclesiæ. (C. *Ea quæ* 3, eod. tit.)

5. Archidiaconus ad quem de consuetudine ecclesiæ spectat convocare capitulum, in eo proponere ac resolutiones accipere, id potest etiamsi non sit sacerdos. (S. congr. Concil. apud Ferrar. verb. *Archidiaconus*, n. 36.)

§ III. — Quænam ex vi officii sui archidiaconus non possit facere?

1. Sine mandato speciali episcopi non potest alicui committere animarum curam. (C. *Cum satis* 4, eod. tit.) —2. Non potest dare litteras commendatitias, vel dimissorias ad suscipiendos alibi ordines. (C. *Significasti* 8, eod. tit.—3. Non habet jurisdictionem in regulares et monasteria, etiam non exempta, nisi quantum ei consuetudo generalis vel specialis tribuit. (C. *Dilecto* 10, eod.) — 4. Ejus examini non subsunt causæ matrimoniales, criminales, et probabiliter etiam beneficiales; nam hæc soli episcopo commissæ sunt. (*Trident.* sess. 24, c. 5 *De reform.*) — 5. Nequit excommunicare, suspendere, vel interdicere (C. *Archidiaconis* 5, eod.), nisi hoc vel auctoritate episcopi vel consuetudine obtinuerit. Quo sensu intelligi debent textus c. *Referente* 7, *De præb.*; c. *Veniens* 1, *De eo qui furtive*, et alii in contrarium allegari soliti. Neque obstat quod archidiaconus habeat jurisdictionem ordinariam fori externi, cui alias potestas ferendi censuras annexa est; nam censuræ feruntur solum in causis majoribus, archidiaconus autem in his cognitionem non habet, ut paulo antea dictum est.» (Schmalz. part. IV, tit. XXIII, n. 4.)

§ IV. — De qualitatibus archidiaconi, ejusque jurisdictione a jure et inamissibili.

1. Archidiaconus ratione officii sui non est necessario sacerdos, sed sufficit si sit diaconus.

2. Ex decreto Trident. sess. 24, c. 12, *De reform.*, in omnibus Ecclesiis, ubi fieri potest, archidiaconi esse debent magistri in theologia, vel doctores aut licentiati in jure canonico. Unde archidiaconus habens jurisdictionem contentiosam, vel jurisdictionem aut curam animarum, quive sit prima dignitas in cathedrali, quamvis non habeat curam animarum, nec contentiosam jurisdictionem, debet esse doctor. (S. congr. Concil. sæpe sæpius, apud Ferrar. verb. *Ar-*

chidiaconus, n. 37 et seq.) «Ii vero, qui dignitatem tantum, et præeminentiam habent sine cura et jurisdictione, non debent necessario graduati esse, ut declaratum est a Cardin. (SCHMALZ. part. IV, t. t. XXIII, n. 6.)

3. Ætas requisita ad archidiaconatum, cui cura animarum annexa est, est 25 annorum inchoatorum. (C. *Cum in cunctis, De elect.; Trident.* sess. 24, c. 12.) Si curam annexam sibi non habeat, sufficiunt 22 anni completi, sicut ad alias dignitates sine cura. (*Trident.* ibid.)

4. Non potest episcopus in archidiaconi officium se ingerere, aut illum pro libitu amovere; quia est vicarius episcopi, non assumptus ab episcopo sed datus a jure, quod ab episcopo convelli, vel mutari non potest. (C. *Institutionis* 7, causa 25, quæst. 2.)

§ V. — Quomodo differat archidiaconus a vicario generali.

1. « Archidiaconus est vicarius episcopi natus, intitulatus et perpetuus; vicarius generalis autem est solummodo datus et temporalis: proinde ad libitum episcopi amoveri potest, quod fieri non potest in archidiacono secundum dicta num. præced.

2. « Jurisdictio archidiaconi ordinaria directe, et in specie descendit a jure, seu canone, vel huic æquipollente consuetudine, indirecte vero ab homine, seu episcopo eum instituente, vel confirmante; at vero vicarii generalis, seu officialis jurisdictio ordinaria directe et immediate provenit ab episcopo constituente vicarium, indirecte autem, et mediate a jure, quatenus hoc episcopo dat facultatem vicarium constituendi; nam alioquin judex inferior jurisdictionem suam ordinariam committere alteri nequit, ut dicetur infra tit. XXXII, *De offic. judic.* n. 9.

3. « Archidiaconus, etsi subordinatam episcopo, propriam tamen jurisdictionem, et ab episcopali distinctum tribunal obtinet, et propterea ab ipso appellari ad episcopum potest: quod fieri nequit in sententia lata a vicario generali; quia jurisdictionem ab episcopali indistinctam, et idem cum ipso tribunal, atque consistorium habet. » (C. *Romana* 3, in princ. *De appell.* in 6.) — (SCHMALZ. *ibid.* n. 7.)

4. Licet archidiacono solita sedes in choro adimi non possit, attamen vicarius generalis episcopi illum tam in choro quam ubilibet præcedere debet, sicut etiam omnes dignitates et canonicos, dummodo in habitu vicariali incedat. (S. congr. Episc. apud FERRARIS, verb. *Archidiaconus*, n. 46 et 47.)

5. Mortuo episcopo vel civiliter, vel physice, exspirat jurisdictio vicarii generalis; non tamen archidiaconi. (Gloss. cap. *Ut archidiaconus*; ID. *ibid.* n. 51.)

§ VI. — De institutione, collatione et possessione archidiaconatus.

1. De jure communi collatio seu provisio archidiaconatus spectat simultanee ad episcopum et capitulum. Posset tamen ex legitima consuetudine privative ad solum episcopum, aut privative ad solum capitulum pertinere. Cæterum de electione archidiaconi regulariter idem dicendum est ac de promotione ad canonicatum.

2. Si vero archidiaconatus sit prima capituli cathedralis dignitas aut æque principalis ac alia prima dignitas, institutio archidiaconi et collatio præbendæ reservantur summo pontifici per regulam quartam cancellariæ.

Hæc pontificia reservatio de jure viget in Ecclesiis Galliarum; nam statuta fuerat in rubrica secunda Concordati anni 1516. Præterea omnes Ecclesiæ Galliarum in jure communi restitutæ sunt per concordatum anni 1801. Aliunde ex titulo erectionis unius cujusque cathedralis a legato Caprara dato, *Quæcunque cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus*, conferri debent ab episcopis. Institutio igitur archidiaconi et collatio archidiaconatus hodie in Galliis de jure reservatur summo pontifici. Unde papa, ordinaria potestate, potest quem vult eligere et creare archidiaconum in quacunque cathedrali Galliarum.

In praxi ordinaria episcopus et capitulum quem elegerunt ad sanctæ sedis datariam præsentare tenentur, ut talis electus instituatur in archidiaconum.

3. Archidiaconus electus, et a sancta sede institutus, possessionem capitulariter capere debet, ut infra dicetur; aliter, possessio est nulla, nec est manutenibilis. (C. *Si capitulo* 5, *De concessione præb.* in 6; et decis. Rotæ, apud FERRAR. verb. *Canonicatus*, art. 2, n. 15 et seq.)

§ VII. — De hodierna potestate archidiaconi.

Circa hoc spectanda est singularum Ecclesiarum consuetudo, cum ista juri communi scripto in officiis prævaleat, cap. *Cum olim* 6, *De consuetud.*, et cap. *Ad hæc* 2, *De excessibus prælat.* ; et Glossa in dict. cap. verb. *Consuetudines*, ubi dicit quod jurisdictio archidiaconi potius ex consuetudine quam ex jure juvatur. « In quibusdam Ecclesiis nullus est archidiaconus, sed ejus officium obit archipresbyter, seu decanus, vel vicarius generalis, aut officialis episcopi. In aliis præeminentiam tantum habet inter canonicos sine jurisdictione, vel administratione. In certis Ecclesiis certum districtum habet, qui *fines archidiaconatus* dicuntur. In quibusdam non unus, sed plures archidiaconi sunt constituti, qui totam diœcesim, in certas partes distributam, tanquam vicarii episcopi perpetui, et intitulati gubernant. De jure potestas ejus se ad universam diœcesim extendit : et propterea oculus episcopi dicitur. » (Schmalz. part. IV, tit. XXIII, n. 2.)

2. Quoad vero archidiaconos ad nutum episcopi revocabiles, et qui moriente episcopo suum titulum amittunt, quales alicubi in Gallia reperire est : alicubi scilicet episcopus titulum archidiaconi suis vicariis generalibus addit : « Ad hæc usque tempora id inauditum et in Gallia et in toto orbe catholico fuerat. Est autem prorsus anticanonicum. » (Bouix, *De capit.*, sect. 2, c. 7.) — Archidiaconatus ex natura sua perpetuus est, de jure est dignitas ; ita ut possit a sancta Sede pro causis in partibus delegari ; habet præcedentiam super cæteros de capitulo qui non sunt dignitates. Quæ omnia minime obtinent vicarii generales quatenus archidiaconi amovibiles ad nutum et a solo episcopo instituti.

3. Quam vero optandum foret ut in peramplis diœcesibus Galliarum restitueretur dignitas archidiaconatus cum prærogativis et jurisdictione de jure communi, nemo non videt. Etenim episcopi impares sunt ad tanta et tot negotia peragenda ; fere omnes non visitant diœcesim nisi unoquoque quinquennio ; fere nullibi visitatio adimpletur juxta sanctiones canonicas ; conferentiæ theologicæ, scientia ecclesiastica, et omnis disciplina canonica, in desuetudinem abiere. Archidiaconi canonice restituti multum indubie proficerent : 1° invigilando super seminaria, studia, scientiam et pietatem alumnorum per frequentes examinationes ; 2° promovendo *doctrinam ecclesiasticorum* per conferentias, quibus præsiderent ; 3° visitando quotannis eam diœcesis partem, quam episcopus visitare non potest ; 4° tandem faciendo omnia alia de jure. Sic episcopi haberent tribunal sibi subjectum, et a quo ad eos appellari posset ; sic facilius omnes suas obligationes adimplerent, et suam auctoritatem altius ponerent ; sic redintegrarent disciplinam, scientiam, pietatem, zelum in Ecclesia Dei.

CAPUT VII.

De archipresbyteris et decanis.

§ I. — De officio archipresbyteri et decani generatim.

Archipresbyter, quasi *princeps sacerdotum*, dicitur ille, qui reliquis presbyteris in iis, quæ sacerdotalis officii sunt, cum imperio præest. (C. *Ut archipresbyter*, tit. XXIV, *De offic. archipresb.*) Alio nomine etiam *decanus* vocatur. (C. *Ad hæc* 7, *De off. archidiac.*) Duplex dividitur : nam alius *urbanus*, seu *civitatensis* dicitur ; alius vero *ruralis*, seu forensis. Prior presbyteris in urbe episcopali, vel alia exsistentibus præest, et *decanus Ecclesiæ cathedralis* vel *collegiatæ* vocatur. Posterior extra civitatem episcopalem ruri tum plebis, tum parochorum, aliorumque clericorum, qui per minores titulos seu Ecclesias habitant, curam gerit, et *decanus ruralis*, aut *vicarius*, vel *officialis foraneus* appellatur. » (Schmalz., part. IV, tit. XXIV, n. 1.)

§ II. — De archipresbyteri civitatensis munere.

1. Officium archipresbyteri urbani, seu civitatensis Ecclesiæ cathedralis, de jure communi est curare ut cæteri sacerdotes divina officia et missas rite celebrent, absentis episcopi vices supplere, vel præsentis munus sublevare in omnibus his quæ sunt officii sacerdotalis, ut missarum solemnia celebrare, audire confessiones, aliaque sacramenta Ecclesiæ fidelibus ministrare, fontem baptismalem benedicere, aliaque similia officia sacerdotalia peragere, vel aliis peragenda injungere, et qualiter ista peraguntur fideliter episcopo referre. (C. *Perlectis*, dist. 25 ; cap. *Ut archipresbyter* 1 ; cap. *Ministerium archipresbyteri* 2, et cap. *Officium archipresbyteri* 3, *De officio archipresb.*) Archidiaconus est vicarius natus in temporalibus, seu quoad jurisdictionem exteriorem et archipresbyter est vicarius natus

in spiritualibus. (FERRARIS, verb. *Archipresbyter*, n. 5 ad 10.)

II. Hodie tamen quæ istis vicariis natis episcopi de jure communi competebant, fere ubique abierunt in desuetudinem, adeoque respectu officii ab istis præstandi in omnibus et per omnia standum est cujusque Ecclesiæ laudabili præscriptæ consuetudini, cum ista juri communi scripto in officiis prævaleat, cap. *Cum olim* 6, *De consuetud.*, et cap. *Ad hæc* 2, *De excessib. prælat.*, et ita communiter. (ID., *ibid.*, n. 11.)

III. « Eodem jure consuetudinario archipresbyter in quibusdam ecclesiis obtinet jurisdictionem etiam fori externi, in multis quidem in canonicos et officiales capituli, in aliis vero, præsertim ubi archidiaconus nullus est, etiam in reliquos clericos extra ecclesiam cathedralem, prout aliis *cit.* notant Laym. Pirh. Wiest. » (SCHMALZ. ubi supra, n. 3.) — Archipresbyter seu decanus Ecclesiæ cathedralis habet dignitatem et personatum, ita ut a sede apostolica, vel ejus legato causæ delegari possint juxta c. *Statutum* 11, *De rescriptis* in 6. (ID., *ibid.*, n. 4); subintelligendum est quando archipresbyter canonice instituitur ut dignitas; secus autem, non potest esse delegatus sanctæ sedis.

« *Dubium est*, quæ sit major dignitas, præpositura, ac decanatus? Resp. in hoc attendendam consuetudinem cujusque loci, cum jure communi canonico de eo nihil expressum sit. In tota fere Hispania et Gallia prima post pontificalem dignitas est decanatus; quia decanus est caput capituli, eique cum jurisdictione aliqua in canonicos obtenta præest. At in Belgio, Germania, Polonia dignior est præpositura, etiamsi jurisdictionem nullam annexam habeat. Hinc etiam in plerisque ecclesiis cathedralibus et collegiatis Germaniæ reservata est collationi et provisioni pontificis juxta concordata. » (SCHMALZ. *ibid.*, n. 4.)

IV. Ex prædictis sequitur prærogativas archipresbyteri seu decani cathedralis determinandas esse legitima consuetudine et praxi locorum. « Quando autem archipresbyter est simul prima dignitas, ei applicanda veniunt quæ supra de prima dignitate notavimus; quibus et duo sequentia addimus.

« Archipresbyter prima dignitas nequit ab episcopo cogi nisi ad missas quas celebrare debet ut dignitas, vel vice episcopi absentis aut impediti. Neque ei celebranti deneganda est solita assistentia canonicorum. » (S. Rit. congr.; GARDELLINI, n. 624.)

« Archipresbyter prima dignitas, in processione sanctissimi Corporis Christi debet incedere ad dexteram decani canonicorum, vel si numerus sit dispar, medius inter duos antiquiores, sed nunquam solus. » (S. congr. Rit.; GARDEL., n. 2608.)—(Apud BOUIX, *De capit.*, sect. 2, cap. 8.)

V. Archipresbyter potest idem esse ac decanus; potest etiam esse distinctus; archipresbyter de jure subjicitur archidiacono. (C. *Ut archipresbyter*, et cap. *Ad hoc*, *De officio archidiac.*) Attamen ex consuetudine archipresbyter potest esse prima dignitas.

Episcopus de consensu capituli posset instituere archipresbyteratum, tanquam capituli dignitatem, cum omnibus prærogativis de jure communi, ut vidimus supra. Si vero sive archipresbyter, sive decanus, sint prima dignitas capituli, eorum institutio reservatur in Galliis summo pontifici. Archipresbyter vero a solo episcopo institutus et ad nutum amovibilis nequaquam est archipresbyter, nullisque gaudet prærogativis.

§ III. — De archipresbytero seu decano ecclesiæ collegiatæ.

« Spectato jure communi, probabile est prælatos, seu rectores ecclesiarum collegiatarum sæcularium, sive vocentur præpositi, sive decani, qui a capitulo eliguntur, et a superiore, vel episcopo confirmantur, habere ordinariam jurisdictionem fori externi in clericos sui collegii, licet subordinatam episcopo, cui subsunt, ita ut excommunicare, et alias censuras ferre in eos possint. » (Glossa in c. 3, verb. *Ecclesiastica sententia*, *De offic. jud. ordin.*; ABBAS, *ibid*, n. 3; PIRH. hic n. 9, et colligitur ex c. *Veniens* 1, *De eo, qui furtive*, etc.)

« Spectanda tamen etiam quoad hos est consuetudo cujusque Ecclesiæ; nam in quibusdam locis, ut notat Pirh. n. 9 cit. dicti prælati jurisdictionem proprie exercent: in aliis cognoscere solum possunt de causis, et delictis levibus. In nostris partibus (Germaniæ) præpositura collegiatæ Ecclesiæ quidem est prima dignitas, plerumque tamen sine jurisdictione annexa, cum hanc decanus exerceat, sibi datam per electionem capituli, et confirmationem episcopi. » (SCHMALZ. part. IV, tit. XXIV, *De offic. archipresb.* n. 5.)

§ IV. — De archipresbytero, seu decano rurali.

Officium archipresbyteri ruralis seu foranei clare exprimitur in cap. *Ut singulæ plebes* 4, *De officio archipresb.* his verbis : « Ut singulæ plebes archipresbyterum habeant propter assiduam erga populum Dei curam, singulis plebibus archipresbyteros esse volumus, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiant, et qua quisque industria divinum opus exerceat, episcopo suo renuntient. Nec contendat episcopus non egere plebem archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat, quia, etsi valde idoneus sit, decet tamen ut sua opera partiatur et sicut ipse matrici ecclesiæ præest, ita archipresbyteri præsint plebibus, ut in nullo titubet ecclesiastica sollicitudo; cuncta tamen referant ad episcopum, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant. »

Ex quibus clare patet quod archipresbyter ruralis, licet sit tanquam vicarius foraneus episcopi constitutus ad regendum clerum et plebem in toto suo vicariatu, habet tamen jurisdictionem subordinatam et omnimodo dependentem ab episcopo et ejus vicario generali, ita ut debeat plene attendere ad facultatem ab ipsis sibi concessam, et nihil contra eorum præcepta agere possit, et dubias et graviores causas ad eos pro resolutione referre debeat; textu ipso clarissimo, et Glossa, ibi verb. *Referant*, cum communi.

« Loco archipresbyteri ruralis, de quo loquitur cit. textus in cap. *Ut singulæ*, supra, successit vicarius foraneus, ut tenent communiter doctores cum Rota, *in Parmen. parochialis*, coram Rondinino, part. XVII, recent. decis. 195, n. 19. » (FERRAR. verb. *Archipresbyter* n. 23 ad 25.)

Ex capite *ut singulæ plebes*, supra cit. clarissime patet quod episcopus archipresbyteros rurales, seu decanos, seu vicarios foraneos constituere teneatur; eorum vero auctoritas et jurisdictio ab episcopo dependent. Possunt tamen et debent de jure communi omnia munera in dicto capite expressa adimplere. Insuper archipresbyter singulis mensibus cœtus pro examinandis theologiæ moralis quæstionibus indicere tenetur. (BENED. XIV, *Instit. eccles.*, institut. 102, n. 5.)

Archipresbyter ruralis non habet dignitatem ecclesiasticam, seu personatum. Communis cum Rota part. XVII recent. decis. 195, n. 18 et alibi. (FERRAR. verb. *Archipresbyter*, n. 28.)

§ V. — De constitutione archipresbyteri ruralis.

Archipresbyteri seu decani rurales « communiter eliguntur a capitulo ; confirmari tamen debent ab episcopo, vel vicario generali, qui, antequam istud faciat, diligenter inquirere debet in eorum vitam, mores, et rerum agendarum peritiam, cum ab ipsis totus clerus, qui in oppidis, et pagis extra civitatem episcopalem versatur, regi, et in disciplina, ac honestate vitæ conservari debeat.

« Præterea decani hujusmodi post editam fidei professionem etiam juramentum præstare debent, quod officium suum fideliter administrare, commissos suæ curæ clericos, et loca sacra visitare, capitula congregare, quæ corrigenda videbuntur corrigere, clericorum ebrietates, et alia scandala impedire, vel si impedire non possint, ad ordinarium referre velint. (PIRHING. hic, n. 12, et apud hunc LAYM. *De jurisdict. ord. concl.* 147; SCHMALZ. part. IV, tit. XXIV *De offic. archipresb.* n. 6.) — (*Vide* supra, lib. III, *De vicario foraneo.*) Unde in Galliis aliisque regionibus similiter constitutis, archipresbyter seu decanus ruralis eligi debet a clericis sui archipresbyteratus seu decanatus.

CAPUT VIII.

De officio primicerii, sacristæ et custodis.

§ I. — De primicerio seu cantore.

« *Primicerius* antiquum nomen, inde sumptum, quod primus inscriberetur in cera, seu tabula cerata, hic *cantorem* significat. Officium illius describitur c. *Unic.* tit. XXV, lib. I *Decretal.* 1. Præest diaconis et aliis clericis in docendo : hinc in aliquibus ecclesiis *scholasticus* dicitur : in aliis autem hujus officium separatum est a cantoris officio : imo in plerisque ecclesiis cathedralibus a scholastico non exercetur, sed tantum est titulus quidam, et præbenda canonicalis. — 2. Sollicite curare debet, ut inter eosdem clericos servetur disciplina, super quo oneratur ejusdem conscientia, tanquam rationem pro animabus illorum redditurus Deo. — 3. Eidem incumbit assignare lectoribus lectiones, quæ ad nocturna officia clericorum pertinent, eosque in modo cantandi, psallendique instruere. — 4. De jure communi jurisdictionem non habet; sed administra-

tionem tantum; quia, licet delinquentes possit corrigere, non tamen illud potest in forma judiciali.—5. Habet tamen beneficium duplex, et dignitatem; quia præeminentiam cum administratione conjunctam habet, cum sit post archipresbyterum primus in choro, et alio consessu canonicorum.»

§ II. — De sacrista seu thesaurario.

«Sacrista qui etiam thesaurarius in quibusdam ecclesiis dicitur, est ille ecclesiæ minister, qui immediatam curam sacri thesauri habet.

«Officium illius est calices, patenas, thuribula, candelabra, aliaque ejusmodi instrumenta, ornamenta, et vestimenta ecclesiastica, totumque ecclesiæ thesaurum custodire, et quæ ad luminaria, ministeria, ornamentum, et thesaurum ecclesiæ pertinent, curare, et ordinare.» (C. *Unic.* tit. XXVI, lib. I *Decretal.*)

«Ex quo patet sacristam de jure communi nudum obtinere officium sine ulla jurisdictione aut præeminentia: *de jure communi*, inquam; nam de consuetudine postea introducta, et multarum ecclesiarum statutis confirmata successu temporis officium hoc inter dignitates ecclesiasticas connumerari cœpit, et hinc eidem causarum ecclesiasticarum cognitio, et definitio a sede apostolica delegari potest, et aliquando etiam delegata est, ut patet ex cap. *Cum olim* 32, *De offic. deleg.*; c. *Ex tenore* 11, *De for. compet.*; et cap. *Significavit* 18, *De convers. conjugat.*»

§ III. — De custode.

«Hic sacristæ seu thesaurarii quasi minister est: ad officium ejus de jure pertinet ecclesiæ utensilia, et rei divinæ instrumenta minus pretiosa custodire, parare panem, vinum, et alia ad altaris ministerium necessaria, signa dare divinorum officiorum, lampades et luminaria accendere, et extinguere;» et omnes oblationes seu eleemosynas, seu decimas (cum archidiaconi tamen consensu absente episcopo) inter fratres dividere. (C. *Custos ecclesiæ* 1; et cap. *Custos sollicitus*, tit. XXVII, lib. I *Decretal.*)

Ex quo constat sacristæ et custodis officia diversa esse, et hunc inferiorem sacrista, si rigor juris spectetur: *juris rigor*, inquam; nam hodiernis moribus custodis officium, majore hujus parte translata in ædituum, unum idemque factum est cum officio sacristæ, idque jure non improbante, prout patet ex c. *Custos sollicitus*, supra, ibi: *Ut nulla negligentia in ecclesia Dei videatur, hi tres, archidiaconus, archipresbyter et custos simul juncti provide peragent*, ubi sacrista custodis appellatione comprehendi potius, quam prætermissus videtur.» (SCHMALZ. part. IV, tit. XXV, XXVI, et XXVII.)

CAPUT IX.

De scholastro, theologali et pœnitentiario.

§ I. — De scholastro.

Scholastri, seu scholastici, olim amovibiles, tenebantur adolescentes clericos in bonis moribus et vitæ sanctitate erudire. Verum postmodum in aliquibus ecclesiis hujusmodi officium in titulum beneficii et etiam dignitatis constitutum fuit. Tandem concilium Tridentinum sess. 23, c. 18, *De reform.*, statuit, ut docerent in seminariis et essent doctores, vel magistri, aut licentiati in sacra pagina aut in jure canonico. Possunt igitur scholastici seminariorum esse de capitulo. De his fusius tractabimus ubi de seminariis agetur.

§ II. — De theologali canonico.

Theologalis est officium non vero dignitas, nec personatus.

I. *Ejus origo.*—In concilio Lateranensi IV sub Innocentio III, anno 1215, «fuit salubriter provisum in Ecclesia qualibet metropolitana ad interpretationem sacrarum Scripturarum, atque ad edocendum quæ ad animarum curam spectant, theologum omnino eligi debere, eidem unius præbendæ reditibus assignatis.» Quam dispositionem, «Basileensis consessus inter plura quæ sibi indebita auctoritate arrogavit, ad Ecclesias cathedrales quascunque extendit sess. 31, c. 3... Quam quidem dispositionem Galli in Pragmatica sanctione inseruerunt; deinde in Concordatis retulerunt legitima interveniente auctoritate Leonis X, in concilio Lateranensi V, anno 1516; in quo fuit constitutum ut Galliæ et Delphinatus ecclesiis cathedralibus et metropolitanis addiceretur præbenda theologalis *doctori* sive *licenciato* in theologia, ut bis saltem in hebdomada Scripturas legeret, referente Thomassino. (*De benef.* part. I, l. II, c. 10, n. 3.) Profecto autem omnem perfectionem hujusmodi disciplinæ concilium Tridentinum adjunxit.» (Cardin. PETRA, Comm. in const. *Quasi* INNOCENT. VI, summ. n. 8.)

Decretum Tridentini concilii: *Eadem*

sacrosancta synodus, piis summorum pontificum et probatorum conciliorum constitutionibus inhærens, easque amplectens et illis adjiciens; ne cœlestis ille sacrorum Librorum Thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat, statuit et decrevit, quod in illis Ecclesiis, in quibus præbendæ aut præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium pro lectoribus sacræ theologiæ deputatum reperitur, episcopi, archiepiscopi, primates et alii locorum ordinarii eos qui præbendam, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi obtinent ad ipsius Scripturæ sacræ expositionem et interpretationem per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis episcopis, archiepiscopis, primatibus, et aliis locorum ordinariis eligendum, etiam per substractionem fructuum cogant et compellant. De cætero vero præbenda, præstimonium aut stipendium hujusmodi nonnisi personis idoneis et quæ per se ipsas id munus explere possint conferantur; et aliter facta provisio nulla sit et invalida.

In Ecclesiis autem metropolitanis vel cathedralibus (si civitas insignis vel populosa, ac etiam in collegiatis exsistentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius diœcesis (si ibi clerus numerosus fuerit), ubi nulla præbenda aut præstimonium seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocunque (præterquam ex causa resignationis) primo vacatura..., ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis Ecclesiis nulla vel non sufficiens præbenda foret, metropolitanus vel episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii... de capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacræ Scripturæ lectio habeatur.... Statuit eadem sancta synodus neminem ad hujusmodi lectionis officium, tam publice quam privatim admittendum esse, quin prius ab episcopo loci, de vita, moribus et scientia examinatus et approbatus fuerit. (Sess. 5, cap. 1, *De reform.*)

« Quod autem nuper aliqui in Gallia somniarunt, theologalem hodie in ista regione haberi posse ut revocabilem ab episcopo ad nutum, refutationem non meretur. » (Bouix, *De capit.* sect. 2, cap. 9.) Theologalis debet esse canonicus et ad theologalem præbendam canonice deputari; unde semel canonice deputatus est inamovibilis.

II. *Erectio theologalis præbendæ.* — « Ut præbenda primo vacatura erigatur in theologalem, requiritur provisum deputari tanquam theologum ab episcopo; ita communiter canonistæ, et decisum refert cardinalis Petra (Comment. in const. *Quasi* Innocent. VI, summarium, n. 18, tom. III) : « Sacra congregatio Concilii censuit, approbante sanctissimo, ad erectionem præbendæ theologalis requiri actualem deputationem; et ideo, si in provisione præbendæ non fuerit facta actualis deputatio, non posse provisum cogi obire munus lecturæ. » (Bouix, *De capit.* sect. 2, cap. 9.)

« Sicut præbenda erecta et deputata pro theologo a sequenti canonico optari non potest (S. congr. Concil.); — ita theologus non est admittendus ad jus optandi. (S. congr. ead.) — Canonicus tamen theologus, qui resignavit in manibus ordinarii præbendam theologalem, potest obtinere mediante optione pinguiorem præbendam, cum retentione sui stalli in choro (S. congr. Rit.), stante etiam consuetudine, ut per quemlibet canonicum habentem præbendam canonicatui annexam obtineatur una ex dignitatibus in eadem Ecclesia, quæ nullum habet onus, seu emolumentum, sed solum sedet supra canonicos et illos in processionibus præcedit, potest theologus dictam dignitatem obtinere. » (S. congr. Concil.) — (Apud Ferraris, verb. *Canonicatus*, art. 9. n. 4 et seq.)

III. *Electio et institutio theologalis.* — « Electio personæ ad hujusmodi præbendam theologalem vacantem in mense ordinario, pertinet ad solum episcopum, collatio vero ad illos ad quos antea spectabat. (S. congr. Concil.) — Sed tenentur instituere quem episcopus elegerit. Si vero talis præbenda theologalis vacaverit in mense apostolico, vel alias esset reservata, seu affectata, tunc electio spectabit ad papam. (S. congr. Concil. et doctores, apud Ferrar. *ibid*, n. 11 et seq.) — De jure olim in Gallia et Hispania circa prædictam collationem vigente sic habet cardinalis Petra, loc. supra cit. n. 33 : « In regno Franciæ præbenda hujusmodi in quocunque mense vacaverit, semper confertur ab episcopo et capitulo. (Ex Concordato, rubric. 3, *De collationibus.*) In regnis vero Castellæ et Legionis Hispaniarum, canonicatus theologales providentur ab episcopis

per concursum, in quocunque mense vacaverint... »

De jure communi non requiritur collatio per concursum; *De jure vero particulari*, Clemens XIV in sua constitutione *Nuper pro parte* (29 Novembr. 1769), ad regnum Sardiniæ extendit quæ decreta fuerant a Leone X, Sixto V, et Gregorio XIV pro regnis Navarræ, Granatæ, Castellæ et Legionis, nempe ut canonicatus theologalis et pœnitentiarii *prævio concursu, per edictorum affixionem, coram ordinariis locorum et respective Ecclesiarum capitulis habendo, conferantur.* Benedictus vero XIII, anno 1725, in sua constitutione *Pastoralis officii*, pariter concursum et necessitatem doctoratus in theologia præscripserat pro Italia et insulis adjacentibus. In recenti concordato Pii IX feliciter regnantis cum Hispaniarum gubernio remansit et confirmata est concursus necessitas. Unde pro omnibus istis regionibus concursus necessarius est. — « Quoad Galliam jus commune applicandum venit cum omnes hujus regionis Ecclesiæ recens erectæ, sub jure communi ortæ sint, nec concursus lex quoad præbendam theologalem a sancta sede imposita fuerit. » (Bouix, *ibid.*)

IV. *De qualitatibus theologalis.* — Quoad qualitates requisitas sic animadvertit cardinalis Petra (in const. *Quasi* Innocent. VI, summ. n. 34 et seq.) : « Profecto autem ad hujusmodi præbendam eligendus est ab episcopo theologus qui habilis dici possit ad sacram Scripturarum lectionem (ex Tridentino). Et quidem, ut pinguius adimpleatur sacri concilii mens, in theologia doctor deputari debet. Cæterum si commode reperiri nequeat, sufficit ut præbenda provideatur de theologo non laureato alias idoneo, ut dixit sacra congregatio Concilii (*in Astensi*, 3 Febr. 1646), in qua causa, proposito dubio, an theologus non doctor possit præbendam hujusmodi obtinere, censuit : *Affirmative, si non adsit doctor æqualis idoneitatis...* (Sed si adsit doctor æqualiter idoneus debet præferri ut clarissime patet ex declaratione.)

« Et quidem si theologus idoneus in civitate non reperiatur, quod providere debeat (*episcopus*) præbendam de extero, dixit sacra eadem congregatio. » (*In Venafrana*, 3 Aprilis 1593, lib. VII *Decretor.* pag. 103.)

« Persona vero quæ ad præbendam theologalem asciscitur, debet esse adeo idonea, ut per se munus congrue subire valeat; alioquin collatio nulla quidem est et invalida ex Tridentini dispositione. » (Sess. 5, cap. 1, *De reform.*)

Theologalis debet eligi ex clericis sæcularibus. (S. congr. Episc., 5 Oct. 1573.)

Quoad necessitatem doctoratus in theologali canonico, distinguendum est inter jus commune et jus particulare.

Ad jus commune quod attinet, nullum verbum facit concilium Tridentinum de necessitate gradus academici in suo decreto sess. 5, c. 1, *De reform.*, sed requirit tantum ab episcopo eligi *idoneum*. Dici quidem potest fuisse mentem sacræ synodi ut non eligeretur nisi doctor in sacra theologia; cum enim id expresse statuerit pro pœnitentiario et pro scholastro concludi potest a fortiori eam idem intendisse pro theologalis munere.» (Bouix, *ibid.* Præterea, sess. 24, c. 12, ibi : *Hortatur etiam sancta synodus, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum, in cathedralibus Ecclesiis, et collegiatis insignibus, conferantur tantum magistris, vel doctoribus aut etiam licentiatis in theologia, vel jure canonico.*

Concludendum autem videtur esse mentem concilii Tridentini ut eligatur doctor, et quidem in theologia : « Ac proin si præsto sit sive in diœcesi sive extra aliquis idoneus et simul doctor in theologia, ad mentem Tridentini, anteponendum esse et non doctoribus et doctoribus in jure canonico. Attamen sacra congr. declaravit posse ad eam præbendam admitti canonistam. (Apud Schmalz. lib. V. *Decret.* part. I, tit. V, n. 41; et Ferraris. verb. *Canonicatus*, art. 9, n. 16, et Bened. XIV, *De synod. diœces.* lib. XIII, c. 9.)

« Si vero episcopus eligat non doctorem, cæteroquin idoneum, aut doctorem in jure canonico, relicto doctore in theologia etiam idoneo, valebit electio, et nulla opus erit dispensatione, cum non exsistat proprie dicta lex in contrarium. » (Bouix, *De capit.* sect. 2, cap. 9, § 5.) Hoc verum est de jure communi.

De jure autem particulari, constit. Benedict. XIII, 1725, *Pastoralis officii*, necessitatem doctoratus in theologia præscripsit pro Italia et insulis adjacentibus; unde in istis regionibus theologalis canonicus necessario debet esse doctor in theologia.

Idem dicendum est de Galliarum capitu-

lis etiam ex Concordato 1802. Etenim in titulo erectionis uniuscujusque ecclesiæ cathedralis a legato Caprara dato, ex quo fluit jus proprium et jurisdictio episcoporum, sic habetur :

« Potissimum vero duos ex canonicatibus constituat, quibus juxta ejusdem Tridentini concilii leges adnexum sit theologi ac pœnitentiarii munus a canonicis qui ad eos promoti fuerint secundum canonicas sanctiones fideliter adimplendum. » — Præceptum illud expresse renovavit Pius VII his verbis : « Curent (episcopi Galliarum) præterea ut in unoquoque capitulo duo adsint canonici, quorum alter pœnitentiarii, alter theologi officio fungatur. » (Bulla *Commissa divinitus* anni 1817, quam quoad hoc præceptum firmam remanere declaravit idem pontifex in bulla alia *Paternæ charitatis* anni 1822.)

In supramemorato autem titulo, sic cardinalis legatus statuit : *Ut præter collationem paræciarum eo modo qui in supramemorata conventione ac in præsenti decreto statutus est, quæcunque alia cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus, personis idoneis pleno jure conferendi et de illis providendi de eadem speciali apostolica auctoritate potestatem omnem concedimus et impertimur.*

Atqui, ut supra vidimus n. 1, in concilio Lateranensi v et Concordato anni 1516, rubr. 3, « fuit constitutum ut Galliæ et Delphinatus ecclesiis cathedralibus et metropolitanis addiceretur præbenda theologalis *doctori* sive *licentiato* in theologia. » Hæc erat *forma relate ad Gallias ante regiminis immutationem statuta.* Ergo episcopi Galliarum nequeunt absque dispensatione apostolica præbendam theologalem nisi doctori aut licentiato in theologia, sub pœna nullitatis, conferre.

V. — *De obligationibus et officio theologalis.* — « Canonicus theologus saltem bis in hebdomada legere tenetur ex Concordato anni 1516 pro Gallia approbato in concilio Lateranensi v. Sed ex concilio Romano tit. 1, cap. 7, sub Benedicto XIII, quadraginta saltem quotannis lectiones publice in ecclesia habere tenetur per seipsum, vel per alios idoneos.

« Satisfit muneri suo, sive legat sacram Scripturam, sive theologiam scholasticam, ut sæpius resolvit sacr. congr.; non tamen si legat theologiam moralem. (Bened. XIV, *Instit. eccles.* 57, § 6, 7.) Attamen in quibusdam locis pro sacra Scriptura, ac theologia scholastica, quæstiones de morali theologia a canonico theologo explicantur. » (Id., *ibid.*, n. 8 ; et *De synod. diœces.*, lib. XIII, c. 9, n. 17.) In concilio Romano 1725, tit. 1, cap. 8, ex sacr. vero congr. Concil. decretis an. 1648 et 1707, 2 Julii, concludit cardin. Petra ab episcopo compelli posse, tum ad conferentias casuum conscientiæ, tum ad lectiones canonici theologalis : 1° parochos, etiam regulares et exemptos ; 2° canonicum pœnitentiarium ; 3° confessarios omnes sæculares ; reliquos vero hortandos esse, non cogendos. Qui tamen reliqui nequeunt absque culpa saltem ob populi scandalum episcopi hortationi publicæ desobedire. Methodus observanda in sacra Scriptura exponenda proponitur his verbis : *Lectores autem, quicunque sint divinas in ecclesia Scripturas interpretantes, hortatos volumus ut, cum non omnes auditores sint eodem ingenio præditi, clara et pro singulorum captu dicendi ratione utantur ; potissimumque monemus ut maximum circa hoc ministerium, ea ipsis præcipua sit methodus, quatenus litterali in unaquaque lectione textus enarratione præmissa duos nimirum ex eisdem sacræ Scripturæ locis proponant semper, solvantque quæstiones, historialem unam, moralem alteram, vel de nostræ fidei articulis et sacramentis, vel de catholicæ Ecclesiæ ritibus, eorumque mysteriis, vel aliis ad sanam doctrinam et Christianam institutionem spectantibus, quæ humanæ nedum eruditioni, sed spirituali etiam valeant prodesse interessentium saluti.*

« Canonicus theologus potest compelli ut per se, et non per substitutum, muneri suo satisfaciat, nisi adesset legitima absentiæ causa. — Imo tenetur per seipsum, vel per alium substitutum, si diuturnum adsit impedimentum, ad lectionem sacræ Scripturæ, licet sit senio confectus, aut jubilatus a servitio Ecclesiæ : et quamvis nulla reperiatur facta assignatio aliorum reddituum, præter fructus et distributiones theologalis præbendæ. — Si tamen sit infirmus infirmitate sanabili, non potest ab episcopo compelli ad substituendum alium, et eo casu quo alius substituendus sit, puta in

casu absentiæ, sine legitima causa, electio substituti pertinet ad episcopum, sumptibus canonici theologalis munus suum adimplentis. — Et dato quod canonicus theologus nolit ullo modo legere, potest episcopus illum cogere comminationibus pœnarum, sequestrationibus fructuum, et, perseverante contumacia, etiam ad privationem devenire. — Et ubi episcopus procedat contra eum ad privationem, non tenetur servare temporum intervalla, quæ præscribuntur in c. 12, sess. 24 Trident. — Cum præbenda theologalis vacat, dari debet in commendam canonico idoneo ejusdem capituli, donec titularis provideatur, alias poterit episcopus applicare fructus alicui personæ extra capitulum, quæ suppleat munus legendi; et hæc persona debet eligi ex clericis sæcularibus; si vero clericus sæcularis idoneus non reperiatur, fructus omnes tradendi sunt superiori alicujus ordinis, qui curet ut aliquis theologus ex suis regularibus publice in cathedrali ecclesia doceat sacram Scripturam. » (Ex multis sacr. congr. Concil. decretis, apud FERRAR., verb. *Canonicatus*, art. 9, n. 17 ad 25.)

Sacr. congr. Concil. et sacr. congr. Episc. tempus, locum, materiam sacræ Scripturæ, super qua legendum sit, remiserunt arbitrio episcopi. Attamen « locus ubi haberi debet theologalis lectio, regulariter est in cathedrali, in publico suggestu. (MONACELLI, *Form.*, t. I, tit. II, form. 5, n. 5 et 7.) Justis tamen de causis potest episcopus disponere ut fiat alibi, modo omnino publice et in loco publico, ut non ecclesiastici tantum, sed omnes de populo in lege divina instruantur. Unde locus cathedralis non est immutandus nisi maxima urgente causa, cum Tridentina synodus respectum habuerit ad cleri et populi confluentiam. Id firmat ex decisionibus sacr. congr. Concil. cardinalis Petra, *Comment. in constit. Quasi*, Innocent. VI, in sum., n. 52. » (BOUIX, *De capit.*, sect. 2, c. 9.)

Theologus non tenetur respondere quæsitis, et solvere difficultates propositas in ejus lectione. (S. congr. Concil., 17 Martii 1677.) Materiam in charta scriptam legere non decet; improbandum autem non esse ut chartula utatur ad fovendam memoriam, quia, ex mente concilii Tridentini, theologus non debet concionari, sed more doctorum docere, ait cardinalis Petra, loc. cit., n. 48. Non potest legere intra missam. (S. congr. Rit. apud GARDELLINI, n. 4318.)

VI. *De vacatione a lectione.* — « Canonicus theologus gaudet vacatione a lectione sacræ Scripturæ in diebus et temporibus, quibus gaudent doctores universitatum, scilicet a festo S. Thomæ apostoli usque ad diem post Epiphaniam, a Dominica Septuagesimæ ad primam Dominicam Quadragesimæ, a Dominica Palmarum ad totam octavam Paschatis, a festo S. Joannis Baptistæ ad diem 5 Novembris. Ita respondit sacr. congr. Concil. *in Assisien.*, 24 Januar. 1629, lib. XCVIII, p. 350. (Apud FERRAR., verb. *Canonicatus*, art. 9, n. 26.)

« Non potest autem canonicus theologus se eximere ab explanatione Scripturæ, prætextu quod non habeat auditores. » (S. congr. Concil., 5 Octobr. 1618, apud eumdem, *ibid.*, n. 31.)

VII. *Quinam teneantur ad interessendum lectioni theologalis.* — « Ad lectionem sacræ Scripturæ in cathedrali teneri accedere canonicos et cæteros presbyteros ecclesiæ cathedralis, et posse compelli ab episcopo, decreverunt sacræ congregationes Concilii et Episcop., pluries, apud Ferraris, loc. cit., n. 33; et Monacelli, tom. I, tit. II, form. 5, num. 9, et ita communiter. — In concilio Romano 1725, tit. I, *Sacræ Scripturæ lectionibus quinam interesse teneantur*, dicitur: « Ecclesiarum proinde tum cathedralium, cum collegiatarum dignitates et canonici, parochi itidem, et confessarii sæculares (regulares etiam sub suspensionis pœna a confessionibus audiendis, quatenus hæc ipsa lectio in eorum monasteriis non habeatur) sacræ, ut supra dictum est, Scripturæ lectioni, diebus et hora, ab episcopo præfigendis, omnino interesse teneantur; imposita, quæ eidem episcopo placuerit, contra absque legitima causa absentes pœna pecuniaria, nemini ullatenus remittenda. » Etsi hoc concilium jus tantum particulare faciat, sacræ congregationes tamen illud secutæ sunt in suis decisionibus, et sic quoad multa in jus commune transire fecerunt.

VIII. *De privilegiis et præcedentia theologalis.* — « Canonico theologo die qua legit, licet choro non intersit, debentur distributiones pro tota die. » (S. congr. Concil., pluries.) Et etiam emolumenta quæcunque personaliter interessentibus dari solita. (Ead. sacr. congr., 12 Augusti 1628; et sacr. Rit. congr. apud GARDEL., n. 3448.) — Etiam

diebus festivis quibus non habet lectionem, excusare se potest a servitio et assistentia in choro, ex causa studii. Et tunc lucratur fructus præbendæ, non vero distributiones quotidianas. (Card. PETRA.)

Canonicus theologus debet sedere in loco sui canonicatus, non enim illi competit præcedentia super alios canonicos, quia non est dignitas ; sed sedere et incedere debet secundum suam ancianitatem. (S. congr. Concil. pluries, apud FERRAR., ubi supra n. 44.)

§ III. — De canonico pœnitentiario.

Decretum Tridentinum (sess. 24, c. 8) : *In omnibus cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, pœnitentiarius aliquis cum unione præbendæ proxime vacaturæ, ab episcopo instituatur, qui magister sit vel doctor aut licentiatus in theologia vel jure canonico, et annorum quadraginta ; seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur ; qui dum confessiones in ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur.*

I. Ex hoc decreto, et quia nequit præscribi contra concilium Tridentinum, tenentur episcopi constituere in omnibus cathedralibus canonicum pœnitentiarium qualitatibus a sacra synodo requisitis ornatum. Pœna autem episcopi, qui non erexit canonicatum primo vacatum in theologalem aut pœnitentiarium, est ejus devolutio ad sanctam sedem. (Rota *in Sorana*, 8 Martii 1745 ; apud FERRAR., verb. *Canonicatus*, art. 9, Additiones ex aliena manu, n. 114.)

Ex Concordato an. 1802 et titulo erectionis cathedralium, bullaque *Commissa divinitus* 1817, renovata anno 1822, tenentur omnes episcopi Galliarum, ut vidimus in præcedenti paragrapho, canonicum pœnitentiarium instituere ; proindeque sub pœna devolutionis ad sacram sedem.

II. *De pœnitentiarii qualitatibus.* — Canonicus pœnitentiarius deputari debet, qui sit magister, aut doctor, seu licentiatus in sacra theologia, vel jure canonico. (*Trident.* loc. cit.) Unde si adsit doctor idoneus, debet deputari sub invaliditatis pœna. Si vero talis doctor idoneus non sit, est deputandus alius idoneus, licet non sit doctor. (S. congr. Concil., 20 Martii 1623.) Nam ait Felin. in cap. *Si quando*, n. 7, *De rescript.*, « quod Ecclesia indiget viris litteratis, non asinis ferratis. » Et colligitur ex Trident. decret. ibi : *Seu alius, qui aptior pro loci qualitate reperiatur.* Et communis.

Canonicus pœnitentiarius debet esse in ætate quadraginta annorum completorum. (Decret. *Trident.* et tenent plures, apud FERRAR. verb. *Canonicatus*, art. 9, n. 50.) « Defectus tamen ætatis quadraginta annorum (et doctoratus) in canonico pœnitentiario non obstat, ubi alius aptior pro loci qualitate reperiri non potest, et sufficit, quod non reperiatur in civitate, aut in diœcesi persona apta cum dictis qualitatibus ; nec enim est quærenda extra diœcesim. (Arg. cap. *Nullus* 13, dist. 61 ; et cap. *Sacrorum* 34, dist. 63; et ita communis ex decreto *Trident.* cit. apud FERRAR. *ibid.* n. 51.)

III. *De pœnitentiarii institutione.* — Non potest episcopus primam præbendam vacantem assignare pro pœnitentiario, quamvis in loco videretur magis necessarius, sed prius debet erigi theologalis propter verba concilii, sess. 5, *De reform.* c. 1. Si tamen in aliqua civitate fuerit judicatum, magis expediens ut prius de pœnitentiario quam de theologo provideatur, habenda est confirmatio a sede apostolica, ad omnem difficultatem tollendam. (S. congr. Concil.) Præbenda officio pœnitentiarii unienda debet esse integra et canonicalis : et si non essent præbendæ, sed fructus omnes in distributionibus quotidianis consisterent, tunc distributiones habebuntur pro præbenda. (S. congr. Concil.) Canonicatus pœnitentialis non potest optari, nec pœnitentiarius potest aliam præbendam optare, quia ad eam videtur electa industria personæ. (C. *Licet in tantum* 4, *De translat. episc.*, et a sacr. congregat. Concil. fuit expresse decisum 12 Febr., 1601.)

In Italia et insulis adjacentibus, ex bulla *Pastoralis* Benedicti XIII, præbenda pœnitentiarii per concursum conferri debet.

In aliis vero regionibus, de jure communi (*Trident.*), pœnitentiarii institutio, et electio personæ ad solum episcopum, aut ad suum vicarium ad id specialiter delegatum, absque consensu capituli spectat, cum hoc solius episcopi arbitrio relinquatur. (Congr. Concil. et Rota.) Quando autem ista præbenda vacat in mense apostolico, vel adest alia reservatio seu affectio, tunc ad papam pertinet ratione reservationis. (Ita plures apud FERRAR. loc. cit. n. 53, 54.)

Pœnitentiaria vacans, sede episcopali va-

cante, non potest provideri a capitulo, quamvis collatio præbendarum sit communis episcopi et capituli, vel etiam solius capituli. (S. congr. Concil. et doctores.) Imo pœnitentiariæ vacantis, sede episcopali vacante, electio et collatio pertinet ad papam, etiam seclusa reservatione, et non est reservanda futuro episcopo. (S. congr. Concil. et doctores apud Ferrar. *ibid.* n. 55 et 56.)

IV. *De jurisdictione pœnitentiarii.* — Pœnitentiarius, eo ipso quod est institutus, habet a jure et concilio facultatem audiendi confessiones, et jurisdictionem ad absolvendum a peccatis absque alia ordinarii licentia, et est veluti parochus totius diœcesis. Unde pœnitentiario quilibet potest peccata sua confiteri et sic satisfacere præcepto can. *Utriusque sexus.* — Non habet tamen hanc potestatem in aliena diœcesi, sed in sua tantum. — Non potest absolvere a casibus reservatis papæ; neque etiam a casibus reservatis episcopo, absque expressa facultate concessa. — Casus reservatos sibi ab episcopo commissos, non potest alteri subdelegare. — Tenetur confessiones integras audire, non vero tantum peccata reservata. — Audire confessiones parochianorum civitatis nullatenus recusare potest. — Etiam non vocatus, debet de mane assistere et residere in sede confessionali ab episcopo ipsi destinata diebus festis solemnioribus, videlicet tempore jejuniorum Quadragesimæ, Adventus et Quatuor Temporum, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini. — Confessiones audire si recuset, poterit ab episcopo puniri, et contumacia illius perdurante, præbenda quoque privari. — Non tamen potest cogi ab episcopo ad interessendum in sua sede pro audiendis confessionibus eo tempore, quo non adsunt pœnitentes qui sua opera uti velint. — Regulariter non est admittendus in confessarium monialium; si tamen constaret ipsum posse utrique muneri satisfacere, admitti potest, sed semper cum licentia sacræ congr. Episc. et Regul. — Regulariter non potest esse vicarius generalis episcopi, ne suspicionem ingerat quod in administratione justitiæ utatur scientia confessionis; si tamen tantæ esset opinionis apud omnes, ut prorsus excluderetur hujusmodi suspicio, posset esse simul vicarius generalis.» (Ita Ferrar. verb. *Canonicatus*, n. 67 et seq., ex decisionibus sacrarum congregationum Concil. et Episc. et multis doctoribus ab eo citatis.)

V. *De privilegiis pœnitentiarii.* — Canonicus pœnitentiarius, licet ultimo loco provisus, cogi non debet ad obeundum munus diaconi et subdiaconi, quacunque consuetudine non obstante. (S. Rit. congr. apud Gardellini, n. 2464.)

Dum audit confessiones, aut manet in confessionali tempore quo pœnitentes accedere soleant, pro præsente habendus est in choro, ita ut lucretur fructus præbendæ et distributiones et emolumenta alia, prout si de facto adesset; cum expresse dicat Tridentinum: *Interim præsens in choro censeatur.* Et censetur etiam præsens processionibus, orationibus et exsequiis defunctorum, et lucratur ex iis emolumenta. — Idem dicendum est de canonico quem episcopus (ut potest, pœnitentiario impedito) ad supplendum pœnitentiarium deputaret. (Ferrar. loc. cit., et S. Ligorius, lib. 2, n. 131.)

Pœnitentiarius non potest cogi ad majorem residentiam, quam alii canonici, qui per tres menses abesse possunt, dummodo tamen non absit tempore, quo frequentius pœnitentes accedunt et diebus festivis solemnioribus, supra descriptis.

Non præcedit aliis, quia non est dignitas; sed sedere et incedere debet secundum suam *ancianitatem.* (S. congr. Concil. apud Ferrar. loc. cit. n. 78 et seq.) Potest pœnitentiaria resignari, sicut alia præbenda, etiam in favorem alterius, dummodo habeat qualitates requisitas. (Id. *ibid.*, n. 65.)

VI. Si pœnitentiarius residendi obligationi non satisfaciat, et episcopus velit procedere contra eum ad privationem canonicatus, tenetur servare regulam præscriptam in sacro concilio Trident. sess. 24, c. 12, *De reform.*, ut respondit sacr. congr. Concil., 7 Decembr. 1697.

CAPUT X.

De punctatore et ejus officio.

I. Punctator dicitur canonicus vel alius deputatus ut absentes annotet. (*Vide* Benedict. XIV, *De synod. diœces.* lib. IV, c. 4.)

Punctator retinere debet librum in loco publico, ibique deficientes annotare, ac librum ostendere cuicunque postulanti. (S. congr. Episc.)— Contrapunctator ejusdem Ecclesiæ eligendus, ut confrontatione, si

opus sit, possint detegi fraudes. (Ead. sacr. congr.) — Compelli possunt punctatores ad exhibendum librum ordinario, non vero ad ore tenus eidem quotidie significandum deficientes. (Ead. sacr. congr.) — Punctatorum, qui possunt eligi extra capitulum dummodo sint clerici in sacris, electio spectat ad capitulum. (S. congr. Concil.) — Potest episcopus cogere canonicos aut alios punctatores ad præstandum coram capitulo juramentum de fideliter punctando in choro. (S. congr. Concil.)

Formulam autem juramenti sic præscripsit sanctus Carolus Borromæus:

Ego N. punctatoris officium quod suscepi, per hæc sancta Dei Evangelia juratus sancte promitto ac spondeo me fideliter et sincere, quantum in me est, exsecuturum. Sic me Deus adjuvet et hæc sancta Dei Evangelia.

Punctator ad mensem vel ad annum juxta loci consuetudinem constituitur. Salarium debetur punctatoribus (S. congr. Episc.), si non sunt de capitulo; secus, non, cum sit officium ad capitulum spectans.

Punctatores admonendi sunt, quod si conniventer prætermittant punctare eos qui juxta Ecclesiæ et collegii statuta punctandi sunt, tenentur de proprio restituere distributiones quæ accrescerent interessentibus; et ulterius graviter peccant. — Pœna censurarum imponi non debet non restituenti damnum ex omissione punctandi, sed carceris ad triennium, et similium. (S. congr. Episc.)

Ad episcopum cum capitulo pertinet pœnam pecuniariam pro qualibet punctatura determinare.

Punctaturæ dari debent interessentibus. Distributiones enim amissæ a canonicis absentibus accrescunt inservientibus, quacunque contraria consuetudine, etiam immemorabili, non obstante. (S. congr. Concil. apud Ferrar. verb. *Punctator.*)

A principio divini officii usque ad finem punctator persistere debet in choro cum suo libro et calamo, ut absque alia jussione punctet, ac mulctet omnes reos, humanis affectibus remotis. (Ceccoper. lib. II, tit. XIV.) —Punctatorem a choro absentem partes sunt antiquioris canonici punctare ac mulctare, prout etiam omnes alios absentes.

II. *Qui sunt punctandi.* — Qui dignior est de choro, cavere debet ne exeant plures quam duo, et inobedientes a punctatore punctentur. (Ceccoper lib. II, tit. XIV; apud Scarfanton. tom. I, p. 174.)— Canonici non possunt exire a choro nisi petita venia archidiacono sive præsidenti per salutationem, sub pœna punctationis. (S. congr. Concil. et sacr. congr. Episc.)—Si quisquam sæpe sæpius exiret, hujusmodi absentiæ causa in pleno capitulo esset aperienda et probanda. (S. congr.) Certe censenda est causa rationabilis, et fragilitati humanæ congrua, si interdum canonicus ob capitis fatigationem ex cantus prolixitate aliquantisper exeat a choro, ut spiritum assumat et animum reficiat... Possunt adduci plures aliæ causæ, sed videatur ut sint veræ, et non tantum apparentes. (Ceccoper. loc. cit.)

Punctandi et privandi sunt distributionibus : 1° canonici confabulantes in choro, tanquam si absentes essent; 2° interessentes sine habitu canonicali et superpelliceo; 3° non interessentes concioni tempore Quadragesimæ; 4° absque justa causa non intervenientes publicis processionibus; 5° deficientes uni horæ canonicæ; 6° qui ad missas conventuales ante finem ultimi *Kyrie eleison* non veniunt; 7° et ii qui non cantant, vel qui confabulantur, vel qui huc illuc vagantur aut alios defectus committunt: et eamdem pœnam incurrunt qui ante finem missæ a choro discedunt. (Ceccoper. loc. cit.)

CAPUT XI.

De beneficiariis.

« Ultra dignitates, canonicatus seu præbendas, in ecclesia cathedrali seu collegiata, alia reperiuntur inferiora beneficia, quæ non sunt de corpore capituli. Hujusmodi sunt :

« *Assisii* seu *mansionarii*, qui videlicet in eadem ecclesia assidue, et veluti permanenter officium canendi in choro, et divina celebrandi obire tenentur. Antonius Fabricius ita vocatos assisios dicit quasi *assiduos*, forte propter assiduitatem. Pro supplendis ipsorum canonicorum defectibus asciti, et ecclesiasticorum proventuum participes effecti. Quidam *hebdomadarii* vel etiam *choristæ* dicuntur, et in secundo ordine clericorum primas tenent. Alii vero a canonicis magis remoti, simpliciter ad serviendum ecclesiæ obligati sunt, vocanturque aliquando mansionarii, aliquando matriculatii, et aliquando habituati; quibus beneficiatorum

nomen denegandum, nisi eis per modum beneficii et non simplicium stipendiorum certi proventus ecclesiastici destinarentur.

« *Portionarii* item, qui videntur idem importare quod assisii, et sunt de inferioribus beneficiis, non dicuntur habere præbendam, sicut dignitates et canonici, sed *portionem*. Idem dicendum de dimidiis *portionariis*. Et denique sunt quartenarii, tertionarii et dimidii præbendati. » (Barbosa, *De canonicis*, c. 4.)

Quando canonici habent administrationem massæ seu reddituum hujusmodi beneficiatorum, rationem administrationis reddere debent tantum episcopo, non autem ipsis beneficiatis; jus tamen habent beneficiati assistendi redditioni rationis factæ coram episcopo, et petendi ostensionem computorum. (Ita decisum est a sacr. congr. Concil. *in Astensi*, 12 Jul. 1682.)

« Licet beneficiati non sint proprie de capitulo, ei tamen aptantur et sunt ipsius naturale quoddam complementum, atque ad splendorem cultus divini multum conferunt. Hinc in præcipuis et olim in omnibus forte cathedralibus, præter præbendas canonicorum exstabant, non impari sæpe numero, beneficia illa secundi ordinis.

« Ad residentiam, et assistentiam in choro, et divinorum officiorum expletionem non minus de jure communi astringuntur quam ipsimet canonici.

« Vocem non habent in capitulo nisi in deliberationibus quæ tangunt commune interesse ipsorum et canonicorum. Sedes ipsis fixæ deputantur in choro; at non inter stalla canonicorum, sed in inferiori ordine. » (Bouix, *De capit.* sect. 2, cap. 13.)

CAPUT XII.

De coadjutoribus.

I. « Juxta sacros canones, synodumque Tridentinam (sess. 25, *De reform.* cap. 7), haud permittuntur coadjutores ea conditione, ut ad canonicatus vel inferiora beneficia admittantur. Nam hujusmodi coadjutoriis alienæ mortis desiderium inhærere solet, quod maxime adversatur capiti *Detestanda*, *De concessione præbendæ*, in 6. Attamen Romani pontifices, qui solum id possunt, aliquando coadjutores concedunt, ita ut in canonicatus et inferiora beneficia deinde subrogentur. » (Benedict. XIV *Institut.* canon. inst. 107, § 9, n. 65.)

II. « Quando canonicus, aut dignitas aliqua capituli, vel impeditur vel non vult officium suum explere, aliquando obtinet a summo pontifice ut aliquis in dicto servitio sibi subrogetur; et ille qui auctoritate apostolica deputatur ad supplendum dicitur coadjutor. » (Bouix, *De capit.* sect. 2, c. 14.)

Coadjutor non est canonicus; nec venit appellatione canonicorum in statutis aliisque dispositionibus; nec tenetur emittere professionem fidei nec insigniri gradibus academicis. Interesse capitulo prohibetur; ipsi non debentur omnes præeminentiæ coadjuto debitæ. — Lucra provenientia ex punctaturis canonicorum, non coadjutoribus sed coadjutis debentur. (*Vide* plura de coadjutoribus apud Benedict. XIV, loc. cit.; Scarfanton. t. I, pag. 68, 69; Ferrar. verb. *Canonicatus*, art. 10.)

CAPUT XIII.

De canonicis supernumerariis.

§ I. — Triplex canonicorum supernumerariorum genus.

Tres sunt istorum canonicorum supernumerariorum differentiæ. Prima, eorum qui sunt creati a papa cum exspectativa, nimirum quibus papa contulit canonicatum et præbendam primo vacaturam in Ecclesia. Horum creatio non est amplius in usu ex quo concilium Tridentinum, sess. 24, *De reform.* cap. 19, hujusmodi gratias exspectativas vetuit.

Secunda est eorum qui ultra numerum antiquum, mediante fundatione et erectione novæ præbendæ, recipiuntur in canonicos. Quamvis enim Ecclesia numerata sit, potest erigi novus canonicatus cum assignatione particularis præbendæ, quotiescunque non tanguntur præbendæ aliorum. In hoc casu taciturnitas numeri non inficit gratiam apostolicam erectionis et collationis novi canonicatus.

« Eodem pariter modo quo valet gratia erectionis novi canonicatus in ecclesia *numerata* per indultum sanctæ sedis, facta per summum pontificem, ita pariter sustinetur erectio facta per episcopum, quatenus non tanguntur redditus massæ seu præbendarum canonicorum antiquorum. In erectione tamen facienda per episcopum est necessarius capituli consensus, quem etiam conditionatum præstare potest, dummodo conditiones sint rationabiles et justæ... Quod si ca-

pitulum... sine justa et legitima causa suum assensum præstare renueret, posset ille per episcopum sive alium suppleri... Inter potiores causas ob quas capitulum juste denegat suum assensum novæ fundationi canonicatus, numeratur tenuitas reddituum assignandorum pro illius dote, nimirum si ea non sit sufficiens ad sustinendum pro qualitate ecclesiæ decentem statum novi canonici, ne propter ejus tenuitatem conferri oporteat viris illitteratis et vilis conditionis, in dedecus ipsius Ecclesiæ... » (SCARFANTON. *De canonicis*, lib. I, tit. XIV.)

Tertia species canonicorum supernumerariorum est eorum qui sunt creati ad simplicem honorem, sine præbenda, ac sine exspectativa, ac proinde *canonici honorarii* nuncupantur.

§ II. — De canonicis honorariis.

I. Canonici creati « ad simplicem honorem sine præbenda et sine spe ad illam, dicuntur habere nomen sine re, et nomenclaturam vacuam et inanem, cum per talem creationem nihil omnino consequantur, nec stallum in choro, nec vocem in capitulo. » (ABBAS, in cap. 1 *De judic.* in fin.; RICCIUS in *Praxi aurea*, resol. 263.)

« Aliquando tamen, ex mandato papæ, sive ex consuetudine, aut capituli permissione, habent stallum et locum in choro; et tunc ad limites conditionum sub quibus creati sunt, mensurantur eorum privilegia.

« Per istam tamen stalli concessionem non astringuntur ad residentiam; cum solum dicantur acquirere sedem honorariam in ecclesia, quæ non importat necessitatem, sed solum facultatem residendi; cum eatenus quis compelli possit ad residentiam, quatenus sit conjuncta cum fructuum perceptione. Et exinde sequitur hujusmodi canonicos posse simul retinere beneficium residentiale, veluti parochiam, ut declaravit sacr. congr. Concil. *in Fulginatensi*, 14 Martii 1648. » (SCARFANTON. *De canonicis*, lib. I, tit. XIV.)

II. Ex Fagnano, in I partem lib. III *Decretalium*, c. *Dilectus*, *De præbendis*, n. 8, 9 et 10; ex sacr. congr. Concil., 6 August. 1808; 17 Decembr. 1808; 4 Junii et 17 Decembris 1836; 28 Januar. 1837; cujus declarationes legere est apud BOUIX, *De capitulis*, sect. 2, cap. 16, creatio canonicorum honorariorum legitima est.

« Viget hodie, ait Nardi, in universo orbe catholico usus *honorarios* canonicos creandi quosdam clericos doctrina et meritis insignes. Id Romæ, quæ exemplar est cæteris ecclesiis, id in Germania, Italia, aliisque regionibus frequentatur. In Gallia item solent ii sacerdotes, quorum eximia æstimantur erga religionem gesta, titulo canonicorum honorariorum condecorari et cathedrali capitulo ascribi... Canonicus honorarius jus non habet ad canonicatum vacaturum : id enim esset jus exspectativæ; porro exspectativæ a concilio Tridentino abrogatæ sunt. (Sess. 24, c. 19.) Item non habet vocem in capitulo, nec jus aliud quodcunque, præterquam ad nominis et insignium honorifica. Differunt hujusmodi canonici honorarii a supernumerariis quos constituit summus pontifex cum exspectativa, cum voce in capitulo, etc. A quantocunque tempore nominati fuerint, nunquam ullum acquirunt jus præcedentiæ in veros canonicos et eorum coadjutores. Unde et fictitii canonici dictitantur. » (NARDI, *Dei parochi*, t. II, p. 307.)

« Praxis quæ ita generalis evasit et cui assentit stylus congregationum Romanarum, satis ex hoc ipso canonizatur, si quid dubii circa ejus liceitatem antea obfuisset. »

« Imo nemo non videt quam utile sit in Ecclesia, posse viros ecclesiasticos qui de religione bene meriti sunt, publico honoris testimonio ab episcopis et capitulis condecorari. » (BOUIX, *De capit.* sect. 2, c. 16.)

III. *De creatione canonicorum honorariorum.* — Potest summus pontifex canonicos honorarios creare in quolibet mundi capitulo, imo et canonicos pleno canoniæ jure munitos; nec hanc papæ potestatem licitum est in dubium revocare.

Episcopus autem auctoritate ordinaria non potest in sua Ecclesia creare canonicos supernumerarios absque capituli consensu et canonicorum, ut expresse declaravit sacr. congr. Concil. *in Fulginatensi*, 26 Febr. 1639 et alibi. Apud Scarfantonium, *De canonicis*, lib. I, tit. XIV, n. 13, ibi sic habetur : « Creatio autem dictorum canonicorum honorariorum non potest fieri a solo episcopo; sed in illa est necessarius etiam capituli assensus. »

Eamdem tradit doctrinam supra citatus Nardi : « Valde conspicua videtur prærogativa illa, qua possunt capitula honorarios creare canonicos, cum nulla alia auctoritas, præter pontificiam, talem concedere

honorem valeat. Verum est tamen sicut episcopus sine capituli assensu honorarios canonicos facere nequit, ita a capitulo factam nominationem, nisi ab episcopo confirmetur, carere robore. »

« Ex illa vero communiter admissa ut certa auctorum (et sacræ congregationis) doctrina sequitur, nominationem canonici honorarii, vel a solo episcopo, vel a solo capitulo factam, invalidam remanere et irritam, ita ut, verbi gratia, capitulum possit ad tribunal ecclesiasticum vocare sacerdotem illum qui, a solo episcopo canonicus honorarius nominatus, titulum istum aut insignia capituli gerit; atque illum cogere ut ab istis abstineat. » (Bouix, loc. cit.)

Quoad consuetudinem Galliarum a tempore Concordati 1801, canonicorum honorariorum nominationibus ab episcopo factis consensum saltem tacitum præbuerunt capitula. « Qui consensus inde etiam manifestus fuit, quod tales canonicos tanquam legitimos receperunt in stallis suis et tabulis inscripserunt... Unde episcopi Galliæ dici nequeunt contra jus commune in hoc præscripsisse et acquisivisse jus creandi canonicos honorarios absque capituli consensu ex consuetudine a tempore Concordati invecta... »

« Hinc, statim ac suum dissensum quoad aliquam hujusmodi nominationem exprimunt capitula, nominationem illam hoc ipso irritam facient. Et si generaliter exprimant se nulli nominationi honorariorum canonicorum consensura, nisi prius de ea sibi proposita deliberaverint, absque ulla alia declaratione cassæ remanebunt nominationes ab episcopo solo decretæ. Idemque poterit episcopus statuere relative ad nominationes a capitulo factas. Hæc videntur rigorose fluere ex posito principio, quod jus canonicos honorarios creandi *simultaneum* sit episcopum inter et capitulum. Principium autem illud, ut vidimus, tanquam certum a canonistis admittitur, nec in controversiam adduci potest post expressam præcipue sacræ congregationis supra relatam declarationem, *episcopum non posse supernumerarios canonicos absque capituli consensu creare.* » (Bouix, *ibid.*)

Potest igitur capitulum cum confirmatione episcopi canonicos honorarios creare; et eosdem nominare de capituli consensu potest etiam episcopus.

IV. *De numero canonicorum honorariorum.* — Joannes Andreas citans glossam et alios veteres, admittit ut regula, quod numerus canonicorum supernumerariorum possit æquivalere ad quintam circiter partem canonicorum titularium. (Ad cap. *Dilectus, De præb.*, n. 12.)

Cum vero nulla juris certi adsit regula de hac re, videtur standum esse rationabili consuetudini. Cum vero in Galliis capitula non habeant numerum canonicorum, juri et menti Ecclesiæ traditionis consentaneum; cum non sint amplius beneficia quibus bene meritos ecclesiasticos viros remunerari possint episcopi; perutile videtur ut episcopi et capitula tales viros insignibus canonialibus condecorare possint. His honoribus non parum promovetur zelus et labor ecclesiasticorum sicut et ædificatio fidelium.

V. *Quonam jure potiuntur canonici honorarii.* — Hujusmodi canonici non habent vocem in capitulo, nec præcedentiam supra veros canonicos etiam post eorum nominationem institutos. « Cum tamen ipsis conferatur jus stalli in choro, et insignia quoad habitum deferendi, dubium esse potest num ad deliberationem capitularem vocandi sint, quando ageretur de immutando habitu canonicali, vel stallorum ordine. » (Bouix, *ibid.*)

« Nullum jus habent ad vacaturos canonicatus, nec ad distributiones aut alia quævis emolumenta, nisi aliter in eorum receptione cautum esset.

« Nec sunt de illis in *dignitate aut personatu constitutis*, quibus possint a sancta Sede causæ in partibus delegari.

« Jus ergo eorum reducitur ad stallum in choro occupandum, et gestandum nomen canonici cum insignibus canonialibus in habitu.

« Vicissim autem, nec ad residentiam, nec ad ullum in choro servitium, nec ad assistentiam tenentur. » (Bouix, *ibid.*)

VI. Canonici honorarii non magis sunt ad nutum revocabiles quam canonici præbendati; quia eorum jura, licet valde restricta, sunt tamen jura canonialia, id est, aliqua pars jurium quæ ad canonicatum proprie dictum pertinent; ergo sequuntur naturam juris vero canonico competentis. Porro canonicus proprie dictus non potest ad nutum episcopi privari jure suo, sed tantum ob culpam et via judiciaria; ergo idem dicendum de canonico honorario.

Unde quando canonicus honorarius exauctorandus est et de catalogo canonicorum expungendus, eodem modo procedi debet, ac si de canonico præbendato ageretur.

Circa hanc quæstionem exsistit rescriptum sacræ congregationis Rituum ad episcopum Valentinensem directum die 11 Septembris 1847, in quo sacr. congr. quæstionem juris noluit dirimere, sed satius duxit rescribere particulariter episcopo juxta mentem.

« Episcopos ex se indignos posse ab honoribus quos contulerint repellere, cum tamen exspoliatio hujusmodi quasi mortem civilem importat, et quamdam infamiæ notam sacerdoti inurat, cum non minori certe populi scandalo, propterea Amplitudo tua curet ad hæc non devenire, nisi quando sacerdotis indigna conversatio exigat ut contra illum de more procedere necesse sit ad majora scandala prævenienda. »

In quo rescripto canonici honorarii considerantur ut a solo episcopo nominati, et hæc forte fuit ratio cur casus tantum sub illo respectu resolvitur, cum sancta Sedes vellet forte pro tunc de hac praxi episcoporum Galliæ silere.

CAPUT XIV.

De canonicis et beneficiatis jubilatis.

« Ex benignitate Ecclesiæ introductum fuit quod canonici sive beneficiati ecclesiarum cathedralium sive collegiatarum, post præstitum laudabile et continuum servitium quadraginta annorum, eximantur ab interessentia chori, et nihilominus consequantur tum fructus, tum distributiones quotidianas. Circa quod advertendum est quod statuta ecclesiarum prædictarum, per quæ conceditur indultum jubilationis post quadragenarium servitium, tanquam rationi innixa, servanda sunt. » (Scarfanton. t. I, p. 134, n. 8.)

« Hinc sacra congregatio immunitatem hanc generatim elargitur canonicis ac beneficiatis qui per annos 40 assidue ac laudabiliter munere suo perfuncti fuerint... Plura decreta super hac re condita simul collegimus, ut leges quædam generales ex illis conficerentur; uti contigit die 14 Septembris anno 1718. *Primo* decretum fuit canonicos immunes, neque ullius residentiæ legibus teneri; *secundo*, pro mercede vitæ anteactæ, rerumque præclare gestarum percipiendos esse ab illis, licet absentibus, fructus, distributiones, et augmentum distributionum quod dimanat ex aliorum absentia qui sine legitima causa chorum dimittunt; *tertio*, si divinus cultus aliquid detrimenti capiat, canonicos immunes revocari posse ab episcopo ut resideant et choro intersint. » (Benedict. XIV, *Instit. Eccles.* instit. 107, § 9, n. 64.)

CAPUT XV.

De hebdomadariis.

Hebdomadarius dicitur ille canonicus cui per hebdomadam celebrandi divini officii munus incumbit.

« Hebdomadarius officium faciens primum locum habere debet super omnes canonicos et dignitates, si ipse est canonicus vel dignitas. Si vero est clericus, debet accedere in medio chori (S. Rit. congr., 7 Jun. 1616.) — In decantandis Horis canonicis non debet uti stola. (S. Rit. congr. 4, August. 1663.) — Etiam non paratus, quando est facturus officium, debet sedere in primo loco supra omnes canonicos et dignitates. (*Cæremonial. episc.* lib. II, cap. 6.) — Non potest prætendere celebrationem missarum et officiorum, quæ ad primam dignitatem pertinent; ea vero absente vel impedita, tunc secunda dignitas debet illa celebrare. (S. Rit. congr., 15 Mart. 1608.) Si de missis agatur, chorusque sit retro altare, canonicus hebdomadarius paratus, non in primo stallo ab ea parte chori in qua obtingit hebdomada, sed in scamno panno cooperto a cornu epistolæ præparato sedere debet, ne alias toties accedere et recedere de loco ad locum teneatur. Et de his sane functionibus intelligi debet Cæremoniale episcoporum, dum canonico hebdomadario parato potestatem facit sedendi in scamno panno cooperto a cornu epistolæ parato. Concordatque rubrica *Missalis Romani*, tit. 17, *De ordin. sedend. in miss. solemn.* n. 6. »

« At si res sit de vesperis, pariterque sit chorus retro altare, canonicus hebdomadarius paratus, qui semper in choro assistere debet, excepto modico illo spatio in quo, dum cantatur *Magnificat*, incensatur altare, non in scamno panno cooperto a cornu Epistolæ sed in primo stallo ab ea parte chori in qua hebdomada obtingit, sedere debet, ut ita semper assistat, prout tenetur in choro. Et de hisce aliis functionibus intelligendum est *Cæremoniale episcoporum*, ubi ait canonicum hebdomadarium

sedere posse in primo stallo ab ea parte chori, in qua obtingit hebdomada. Non ignoro sacr. Rit. congr. (1758) sensisse quod et in vesperis canonicus hebdomadarius paratus sedere debeat in scamno panno cooperto a cornu Epistolæ. At ita sensit ex peculiaribus facti circumstantiis. » (FERRARIS, cum add. ad verb. *Hebdomadarius.*)

CAPUT XVI.

Corollaria ex capitibus præcedentibus et de qualitatibus requisitis ad dignitates et canonicatus cathedrales.

§1. — De constitutione plena capituli.

I. Ex huc usque dictis constat igitur capitulum completum ex dignitatibus, personatibus, officiis et canonicis.

II. Attamen canonici soli constituunt collegium capitulare, cujus episcopus est caput, ut ecclesiæ suæ pastor cui capitulum adjutorium et senatus datur a lege apostolica.

III. Tanquam collegium per semetipsum exsistens aliud caput de corpore suo habet capitulum. Illud caput, ut totum capitulum repræsentans, est dignitas, dummodo sit canonice electum et institutum.

IV. Inter episcopum et capitulum stant dignitates, quæ simultanea institutione episcopi et capituli, juri communi consentanea, tenent suum esse. Ideoque habent præeminentiam super capitulum et canonicos; et supplent in divinis et jurisdictione episcopo.

Etsi ad capituli decorem pertineant dignitates, non necessario tamen de corpore ejusdem sunt. Consuetudine autem et decentia fere ubique dignitates capituli membra sunt.

De jure communi prima dignitas est archidiaconus; secunda archipresbyter, qui potest alicubi esse archidiacono æqualis, et, ubi non exsistit archidiaconus, aut ex statuto particulari archipresbyter esse potest prima dignitas. Tertia est decanus, qui est communius caput de corpore capituli; decanus potest esse simul archipresbyter, et etiam prima dignitas quando non adest canonice institutus archidiaconus, nec archipresbyter, aut etiam ex statuto.

De consuetudine plurium ecclesiarum, præpositura est prima dignitas. Item primicerius qui est aliquando simul cantor et scholasticus, aliquando distinctus a cantore et scholastico, potest esse dignitas, sed non prima. Idem dicendum est de sacrista seu custode vel thesaurario; nam his nominibus designatur unum et idem officium, quod etiam esse potest dignitas secundaria. Idem dicendum est de scholastro seu scholastico.

Unde de consensu episcopi et capituli constitui possent dignitates in capitulo bene ordinato hoc ordine: *prima* dignitas archidiaconus; *secunda*, archipresbyter; *tertia*, decanus; *quarta*, primicerius seu cantor; *quinta*, sacrista seu custos; *sexta*, scholaster aut scholasticus, qui potest idem esse ac primicerius seu cantor.

Quidquid vero sit de istarum dignitatum exsistentia et numero in quolibet cathedrali capitulo et collegiali insigni, primæ dignitatis electio, collatio et institutio ad summum pontificem pertinet.

V. *De personatibus.* — Inter prædictas dignitates qui habent jurisdictionem, ut archidiaconus et aliquando archipresbyter et decanus, sunt dignitates proprie dictæ; alii vero jurisdictione carentes, habentes vero administrationem cum præeminentia, sunt tantum personatus, qui possunt esse cantor, sacrista et scholaster, et post veras dignitates veniunt; quæ omnia statui possunt de consensu episcopi et capituli.

VI. *De officiis.* — Quando cantor aut scholasticus, et sacrista non habent præeminentiam, sunt tantum nuda officia. — Inter officia nuda adnumerantur quoque canonicus theologalis et canonicus pœnitentiarius, qui sunt officia perpetua. — Hebdomadarius potest dici officium temporarium. Idem dicendum est de punctatore.

VII. Dignitates et personatus communi nomine dicuntur capitulares, et sic a meris canonicis distinguuntur.

VIII. Tandem canonici efformant collegium capitulare, seu senatum episcopi. Ad canonicos referendi sunt coadjutores, canonici supranumerarii et honorarii, qui non sunt de capitulo; nisi tamen supranumerarii de nova præbenda canonice erecta provisi sint.

IX. Ad capitulum tanquam adjutoria pro supplendis ipsorum canonicorum defectibus pertinent beneficiarii, qui tamen non sunt de corpore capituli.

Et hæc est plena completaque capituli constitutio.

§ II. — De qualitatibus requisitis ad dignitates et canonicatus.

I. Ætas requisita ad dignitatem, cui principaliter annexa est cura animarum est viginti quinque annorum inchoatorum.

Ad cæteras dignitates vel personatus quibus animarum cura nulla subest (aut quibus accessorie et minus principaliter unita sit ecclesia curata, quæ conferri potest vicario perpetuo ad nominationem dignitatis), *clerici alioquin idonei, et viginti duobus annis non minores asciscantur.*» (*Trident.* sess. 24, cap. 12, *De reform.*)

Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus quem illa dignitas, præbenda aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus a jure et ab hac synodo statutum initiari valeat. In omnibus vero ecclesiis cathedralibus, omnes canonicatus, ac portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus, vel subdiaconatus. (*Ibid.*)

Unde concludendum est, in Ecclesia ubi ab episcopo facta fuerit distributio ordinum a Tridentino præscripta, pro præbenda subdiaconali, satis esse viginti annos completos; pro diaconali, viginti duos completos, et pro presbyterali, tres et viginti completos; ubi vero, ut in Galliis, omnes canonicatus sunt presbyterales, satis esse viginti tres annos completos.

« Collatio canonicatus facta non habenti ætatem requisita est nulla.., etiamsi desit modicum tempus, etiamsi unius diei vel horæ. quia in iis quæ sunt a jure determinata non licet arbitrari. » (Scarfanton. lib. IV, tit. VIII, n. 8.

II. In canonicis præsertim cathedralibus, qui episcopum in sua administratione adjuvare et supplere debent, requiritur theologiæ et juris scientia. Nam præter quod capitulum sit senatus et consilium natum, et in multis de jure necessarium, de capitulo assumuntur necessario quatuor canonici ad seminariorum regimen. (*Trident.* sess. 23, c. 18.) De capitulo regulariter assumendus est, sede vacante, vicarius generalis, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus. (Sess. 24, c. 16.) De capitulo convenienter assumuntur examinatores synodales pro parochiis, qui *sint magistri, seu doctores, aut licentiati in theologia, aut jure canonico* sess. 24, c. 18; judices synodales quibus causæ ecclesiasticæ ac spirituales, et ad forum ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committuntur, ita ut habeat quæque diœcesis quatuor saltem, qui qualitates habeant juxta constitutionem Bonifacii VIII quæ incipit : *Statutum;* et alioquin ad id aptos. necessario sunt eligendi ex dignitatibus et canonicis juxta cap. *Statum, De rescriptis* in 6. (*Trid.* sess. 25, cap. 10.) Atqui quomodo ad judicandum delegari possent qui non essent juristæ. Idem dicendum est de judicibus conservatoribus juxta constitutionem 9 Gregorii XV. (*Bullar.* t. III, p. 440; Benedict. XIV, *De synod. diœces.* lib. IV, c. 6. n. 1.

Ex his juris præscriptionibus clarissime patet quam necessarium sit ut canonici, saltem eorum major pars, sint doctores et docti in theologia et jure canonico. Et consonant sacrosancti Tridentini præscripta et hortamenta, sess. 24, cap. 12. ibi : *Archidiaconi etiam qui oculi dicuntur episcopi, sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in theologia, seu doctores, aut licentiati in jure canonico.. Hortatur etiam sancta synodus, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum, in cathedralibus ecclesiis, et collegiatis insignibus, conferantur tantum magistris, vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia, vel jure canonico.*

Ad Gallias quod attinet, certum est episcopos teneri, sub nullitatis et ad superiorem devolutionis pœna, tertiam partem omnium dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum, et aliorum beneficiorum ad eorum collationem pertinentium tantum graduatis conferre. Etenim ita statutum fuit in concilio Lateranensi V et concordato anni 1516. Atqui per titulum erectionis uniuscujusque cathedralis post anni 1801 Concordatum, conceditur et impertitur episcopis jus tantum conferendi *quæcunque.. cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas;* ergo juxta formas Concordati 1516 in concilio Lateranensi V confirmato. Unde hodierni Galliarum episcopi et capitula tertiam partem dignitatum et canonicatuum magistris in theologia, seu doctoribus aut licentiatis in jure canonico conferre tenentur sub pœna nullitatis et ad superiorem devolutio-

nis. Qui jus igitur haberent, læsique forent per alias nominationes, ad superiorem et etiam usque ad Sedem apostolicam appellare possent ; illisque jus reddi deberetur.

CAPUT XVII.

Ad quem pertineat erigere cathedralem et capitulum cathedrale.

I. Imprimis, ait Barbosa (*De canonicis*, c. 2, n. 2), quædam sunt ecclesiæ cathedrales, quædam ecclesiæ collegiales. Est autem ecclesia collegialis, seu collegiata, in qua ex clericorum coadunatione et congregatione corpus conficitur, quod collegium appellatur. Cathedralis vero dicitur in qua, præter collegium cathedra superioris sive prælati sedes exsistit. (C. *Statutum*, *De rescriptis* in 6 ; cap. *Ne pro defectu*, *De elect.*) Omnis enim cathedralis ecclesia collegiata quoque est.. ; sed non e converso omnis collegiata est cathedralis. »

II. Dubium non est cathedralis erectionem nonnisi solius summi pontificis auctoritate fieri posse. (Ita unanimitas doctorum et cap. *Præcipimus* causa 16, quæst. 1 ; et concluditur ex institutione et traditione Ecclesiæ, et etiam ex *Concil. Trident.* sess. 23, can. 8.) Unde sequitur quod ad solum papam pertineat capitulum cathedrale erigere ; ideoque dum summus pontifex ecclesiam aliquam erigit in cathedralem, simul et eadem bulla erigit in illa capitulum cathedrale. Jusque hoc procedit a potestate monarchica papæ, cui soli pertinet mittere episcopos illisque senatum dare, sicut ab initio episcopos cum senatu clericorum in unaquaque ecclesia constituerunt apostoli.

III. Certum est etiam collegiata et collegiale capitulum erigi non posse nisi a summo pontifice. Quamvis enim ex textibus juris canonici rigorose id probari non possit, certa tamen est et constans observantia quod hujusmodi collegiatarum erectiones semper fiant a papa, ut testantur doctores. Et in hunc sensum pluries respondisse sacr. congr. Concil. monet cardinalis Petra, t. III, p. 69. n. 11. Et de quodam motu proprio Clementis VII, prohibentis de cætero episcopis erigere parochiales in collegiatas, testatur Rebuffeus, tit. *De erectione in colleg.*

« Porro hujusmodi erectiones collegiatarum, quæ, ut dixi, requirunt auctoritatem papæ, expediri solent per Datariam cum solutione notabilis componendæ. Et dum primo pro hac re exhibentur preces pontifici, hic solet consulere sacr. congr. Concil., quæ prævio voto alicujus ex eminentissimis Patribus ejusdem congregationis, et expensis qualitatibus in erectione concurrentibus, annuit vel abnuit. Regulariter tamen in talibus considerari solet qualitas et amplitudo loci in quo facienda est erectio, docilitas et numerositas populi et cleri, structura et capacitas ecclesiæ erectæ aut erigendæ, sacrarum supellectilium pretiositas et diversitas, dos congrua pro præbendis canonicorum et distributionibus ; ulterius, quod conditiones in fundatione apponendæ non sint a jure exorbitantes... Potiora tamen quæ movent sunt congrua dos et populi frequentia seu qualitas loci. » (Cardin. Petra, *Commentar. in const.* 7 Innoc. IV. sect. 2, n. 37, tom. III.)

IV. Absque consensu capituli non potest episcopus novos canonicatus neque novas dignitates creare. (Ita communis ex multis sacræ congregationis concilii decretis apud auctores relatis.) Si tamen « capitulum irrationabiliter erectioni se opponeret, et consensum præstare nollet, illum supplet sacr. congr. Concil., ut practicatum vidi... » (Monacel. part. I, tit. II, form. 4, adnot. 14.)

V. Assentiente capitulo potest episcopus novos canonicatus, et dignitates usitatas, non vero inusitatas erigere ; et quoad dignitates usitatas, non solum episcopum, sed etiam capitulum de illius consensu hujusmodi dignitatem in aliqua ecclesia creare posse observat Imola, apud Barbosam, *De canonicis*, c. 4, n. 3. (Ita communis.)

VI. Neque episcopus, neque capitulum possunt, etiam ex mutuo consensu, instituere canonicatus supranumerarios cum exspectativa præbendæ, ex decreto Tridentino sess. 24, c, 19, ibi : *Decernit sancta synodus mandata de providendo, et gratias quæ exspectativæ dicuntur nemini amplius concedi.*

CAPUT XVIII.

De collatione et possessione canonicatuum et præbendarum cathedralis et collegiatæ.

§ I. — De collatione.

Quidquid de hac quæstione olim inter canonistas discussum fuerit, hodie unanimiter admittitur collationem canonicatuum et præbendarum cathedralis pertinere simultanee ad episcopum et capitulum.

I. *Plenario* jure summus pontifex omnia prorsus beneficia conferre potest. (C. 2, *De præbend.* in 6.) Et quidem seclusis etiam reservationibus, cum concurrere queat cum quolibet ordinario collatore, eumque prævenire intra sex menses a concil. Lateran. sub Alexandro III concessos ordinariis ad conferendum, cap. 2, *De concessione præbend.*, *Trident.* sess. 24, cap. 19.) At declaravit in omnibus suis decretis salvam semper haberi supremam auctoritatem Sedis apostolicæ. (*Trident.* sess. 7 *De reform.* sub init.; et sess. 25, *ibid.* cap. 21.)

Quoad Galliam, ex titulo erectionis cathedralium a legato Caprara statuto, episcopis conceditur et impertitur jus conferendi *quæcunque ... cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus.* At *juxta formas* Concordato anni 1516 *Statutas* papa poterat in ecclesiis cathedralibus, metropolitanis, et collegiatis creare canonicum ad obtinendum, dignitatem, personatum, administrationem, aut officium tantum, non vero ad primam vacaturam præbendam obtinendam. (*Concordat. an.* 1516, rubrica 2.) — Præterea unusquisque pontifex summus, semel tantum intra sui pontificatus tempus, collatori decem beneficiorum ut unum de mandato pontificio beneficium, et collatori quinquaginta beneficiorum et ultra, ut duo beneficia de eodem mandato conferrent, mandare poterat; ita tamen ut unum tantum beneficium in eadem cathedrali aut collegiali de mandato papæ conferretur. (*Ibid.* rubrica 4.) Hodie igitur ad papam pertinet primam dignitatem, aut personatum, vel officium, in unaquaque Galliarum cathedrali; præterea ut fere omnes episcopi ad suam collationem habeant saltem octo canonicatus, et plusquam quinquaginta parochias, unusquisque pontifex semel intra suum pontificatum unum canonicatum conferre potest de jure particulari Galliarum.

II. De jure communi canonicatus, et dignitates ecclesiæ cathedralis episcopus tanquam caput illius simul cum capitulo conferre tenetur. (C. 6 *Ea noscitur*, et c. 9. *Pastoralis*, tit. x *De his quæ fiunt a prælat. sine consensu capituli* lib. III, *Decretal.* — Ferrar. verb. *Beneficium*, art. IV, Addit. n. 101. Et de stylo et usu curiæ Romanæ «quamvis de jure collatio seu provisio canonicatuum in ecclesiis cathedralibus simultanee spectare præsumatur ad episcopum et capitulum, ut per Glossam communiter receptam in c. *Cum Ecclesia Vulterana* 31, *De elect.* (Rota in multis decisionibus.) Consuetudo tamen in contrarium attendi debet, videlicet quod ad solum episcopum privative quoad capitulum, vel e converso ad solum capitulum, privative quoad ipsum episcopum collatio, seu provisio pertineat; (C. *Cum Ecclesia Vulterana* 31, *De elect.* c. *Ex parte Astensis ecclesiæ*, *De concess. præbend.* — Decis. Rotæ, et communis doctorum.) Quæ consuetudo ad exclusionem simultaneæ collationis præscribitur et probatur ex collationibus factis sive a solo episcopo, sive a solo capitulo, spatio quadraginta annorum, ut tenent communiter doctores et Rota...» (Ferrar. verb. *Canonicatus*, art. 2, n. 1 ad 4.)

III. «Nedum in ecclesiis cathedralibus, sed etiam in ecclesiis collegiatis sæcularibus, collatio seu provisio canonicatuum spectat simultanee ad episcopum et capitulum; consuetudine vero et præscriptione, potest, ut in cathedralibus, vel ad solum episcopum, vel ad solum capitulum pertinere.» (Communis et Rota, apud eumdem, *ibid.* n. 5 et seq.)

IV. Quando canonicatus sunt simultaneæ collationis, indultum concessum ordinario, non suffragatur capitulo ex constitutione Urbani VII, 10 Septembr. 1626. At «si ordinarius reperiatur exemptus a regula octava cancellariæ, hæc exemptio prodest etiam capitulo.» (Rota, apud eumdem, *ibid.* n 9 et 10.)

V. In his collationibus simultaneis episcopi et capituli tantam potestatem habet episcopus solus per se, quantam habet totum capitulum, et e contra. (*Ibid.* n. 11.) Id est vox episcopi æquivalet totius capituli voto, quod capitulariter dari debet. — Unde si episcopus conferat uni, et capitulum alteri, neutra collatio valebit, quia ad invicem se impediunt; (communis et ex multis decision. Rotæ apud eumdem, *ibid.* n. 12.) Et si non concordant intra sex menses, devolutio fit ad sanctam Sedem, cap. *Nulla* 2, *De concess. prælat.* tit. VIII, lib. III *Decret.*

VI. «Collatione communiter ad episcopum

et capitulum pertinente, uno ipsorum effecto inhabili, alter confert.» (Cap. unic. tit. III, *Ne sede vacante*, lib. III, in 6, ibi : « Si ad episcopum et capitulum communiter pertineat collatio præbendarum mortuo episcopo, vel a beneficiorum collatione suspenso, poterit capitulum vacantes conferre præbendas, etiamsi episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi ut prælatus. Idem poterit episcopus, si capitulum ab ipsa collatione suspendi contingat, vel singulariter omnes de capitulo majoris excommunicationis vinculo innodari. »

Unde sede vacante collatio pertinet ad solum capitulum.

Si alter ex episcopo vel capitulo neglexerit intra legitima tempora (sex menses) explicare suum actum collationis, vel illum invalide perfecerit, in altero totum jus consolidetur; illiusque collatio firma et efficax remaneat. (C. *Nulla* 2, et c. *Quia diversitatem* 5, tit. VIII *De concess. præbend.* lib. III, *Decret.*; et c. *Licet* 3, tit. X *De supplend. neglig. prælat.* lib. I *Decretal.*; et cap. *Quia regulares* tit. V *De supplend. neglig. prælat.* lib. I *Clementinarum.*)

VII. Ob multas collationis simultaneæ difficultates, sæpe concordiam inire solent episcopi cum capitulis suis, per quam dividitur per *turnum*, ut aiunt, id est, per alternas vices, exercitium juris conferendi. Talis divisio collationis fieri nequit nisi de consensu capituli simul et episcopi; ita ut, altero ex eis reluctante, non possit ad divisionem prædictam deveniri. (Ita respondit Rota 4 Julii 1700.)

Ex hujusmodi concordia sequitur: 1. Quod translato episcopo, aut mortuo, statim fit consolidatio totius juris conferendi in capitulo, etiam ante notitiam translationis factæ in consistorio. 2. Quod collatio facta ab existente in turno, reputatur ac si ab utroque expleta fuisset. 3. Quod ille qui est in turno, dicitur absolutus dominus et solus collator, cum in eo translatum dicatur totum jus conferendi. 4. Si quis libere renuntiet præbendæ suæ, vel ab ea deponendus sit, debere tum ad actum acceptandi renuntiationem, tum ad actum privandi concurrere episcopum et capitulum, si præbenda sit collationis simultaneæ. 5. Quod non inducitur consumptio turni ante acceptationem factam ab eo cui collatus fuit canonicatus. 6. Quod turnus dicitur legitime consumptus ab eo ad quem spectabat collatio, si tacens permisit alterum non exsistentem in turnum conferre. 7. Quod quando capitulum ob mortem episcopi confert canonicatum, sede episcopali vacante, sed nondum ab episcopo in turno existente collatum, collatio tunc expleta per dictum capitulum non operatur consumptionem sui turni, sed potest in successiva vacatione conferre. 8. Quod si in concordia inita super alternativa provisione dictarum præbendarum, cautum fuerit, quod exsistens in turno teneatur conferre certo generi personarum, seu aliqua qualitate pollenti, esset etiam quoad hoc concordia religiose observanda; alioquin provisio esset nulla. » (Lotterus, *De re beneficiali*, lib. II, quæst. 21, n. 33 et seq. — Apud Bouix *De capit.* part. II, cap. 4, § 8.)

VIII. « Ante Concordatum anni 1801, jus collationis simultaneæ de facto vigebat in multis Galliarum capitulis; et jus illud esse jus commune tanquam certum habebatur » quod demonstrat Bouix, ibid. § 10, ex decretali *Pro te* Bonifacii VIII, cap. *Postulastis;* decret. Innoc. III, *De concess. præbend.*; ex edicto Januarii 1682 *De regalis usu*, et Galliæ scriptoribus de hac materia tractantibus.

Atqui per concordatum anni 1801 et bullas seu decreta illud confirmantes seu exsequentes capitula in metropolitanis et cathedralibus respective ecclesiis erecta fuerunt *juxta formam a sacris canonibus conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia huc usque servatam, et juxta præscriptum sacrorum conciliorum* ; præterea textu expresso in titulo erectionis cathedralium sæpe laudato, episcopi jus habent tantum conferendi *quæcunque . . . cum cura et sine cura beneficia ecclesiastica quomodolibet nuncupata juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas.* Ergo certum est tum de jure communi, tum de jure speciali collationem canonicatuum et dignitatum esse simultaneam, id est ad capitulum simul cum episcopo pertinere in Galliis.

IX. Consuetudo juxta quam episcopi Galliæ a tempore Concordati anni 1801 præbendas et canonicatus soli contulerunt, non potuit privare capitula jure collationis simultaneæ. Etenim primo institutis post dictum concordatum episcopis data fuit facultas conferendi dignitates omnes et canonicatus, sed *pro prima hac vice* tantum, non vero pro

futuris vicibus, nec consequenter hæc potestas dispensative transitoria ad capitula instituenda pertinere potuit ad episcopos successores; hoc clarissime patet textu expresso decreti erectionis cathedralium, legati Caprara 18 April. 1802. ibi : « ... Primo futuro itidem archiepiscopo (seu episcopo), de specialissima gratia eadem auctoritate apostolica indulgemus, ut dignitates omnes etiam principales et canonicatus a primæva earum erectione vacantes pro prima hac vice idoneis ecclesiasticis viris libere et licite conferre possit. » Quamvis hoc textu facultas primo futuri episcopi ad primam vicem limitata fuisset, omnes primo instituti episcopi et eorum successores perrexerunt conferre soli omnes dignitates et canonicatus; hoc autem evenit aut ex civilis potestatis pressione, aut ex juris ignorantia per quam successores sibi omnes primo institutorum facultates pertinere falso, ut patet, crediderunt, vel tandem ex intentione præscribendi contra capitula. Atqui nec ex *pressione*, nec ex *ignorantia*, juxta omnes doctores præscribere potuerunt episcopi. Quoad tertium, ex intentione præscribendi contra capitula, necessaria fuisset in capitulo libertatem reclamandi, ut invocari possit præscriptio in favorem episcopi. Porro tria obstarunt huic libertati capitulorum : 1. Ignorantia juris sui, cum, nostra notitia, plures episcoporum hodiernorum nunquam viderunt erectionis suæ cathedralis decretum, ejusdemque exsistentiam usque ad huc ignorabant, quanto magis canonici et capitula hac ignorantia invincibili laborare debuerunt; etenim decretum erectionis metropolitanæ Parisiensis, solum usque adhuc publicatum, tantummodo impressum fuit anno 1853. Omnia alia similia decreta aut jam non exstant in episcopatuum archiviis, aut ibi fere omnium oculos latent. Præterea juris communis ignorantia usque ad ultimos annos fere omnes Galliarum ecclesiastici allaborarunt. 2. Ex parte capitulorum, timor alicujus damni et pacis amor reclamationibus obstiterunt. 3. Hæc reclamatio « non perfici potuisset absque recursu ad sanctam Sedem : cujusmodi adversus episcopos recursus vix ac ne vix quidem a doctrina Gallicana clericis permittitur. Unde ad præcavendas dissensiones et damna potuerunt canonici deterreri a tutando suo jure quoad collationem simultaneam. Igitur capitula non valuerunt reclamare. Atqui certum est et confirmatum a Rota (in decisione 74, n. 19, part. XI rec.) quæ sic habet : *Non valenti agere, non currit præscriptio, ut notant omnes;* et n. 12 dicitur sufficere 40 annos ut episcopus præscribat contra capitulum jus libere conferendi. » (Vide Bouix *De cap.* part. II, cap. 4.) Ergo jus capitulorum adhuc reservatur in Galliis, sed potest præscribi.

X. Concludendum igitur de jure in Galliis collationem primæ dignitatis capitulorum ad summum pontificem, aliarum vero dignitatum et canonicatuum simultanee ad episcopum et capitulum pertinere. In Hispania, ex art. 18 concordati Septembris 1851, summo pontifici reservata est collatio canonicatus cantoriæ in omnibus metropolitanis ecclesiis et in 22 cathedralibus, et præterea unius canonicatus ex iis qui dicuntur *de gratia*, in reliquis omnibus capitulis; deinde : « Ad dignitatem decani in cunctis ecclesiis, et quovis tempore et modo vacet, regia Majestas perpetuo nominabit. Canonicatuum *de officio* (8) provisio ad prælatos et capitula prævio concursu pertinebit. Cæteris dignitatibus ac canonicatibus Majestas sua et archiepiscopi et episcopi stricte alternando providebunt. »

§ II. — De possessione.

I. Collationem sequitur possessio. « Possessio canonicatus sive dignitatis, quæ sit de capitulo, capitulariter capi debet. (C. *Si capitulo* 5, *De concess. præb.* in 6; Rota sæpius.) Aliter, si non sit capitulariter capta, est nulla, nec est manutenibilis, quamvis fuisset capta de mandato executoris litterarum apostolicarum. (Communis et Rota.) Ut possessio dicatur capitulariter capta, debet convocari capitulum ad sonum campanæ, aliter est nulla : de cujus soni attestatione non statur depositioni Notarii sine testibus. Possessio, ut dicatur capta, debet canonicus sedere in sede propria canonicatus, de quo agitur, et non in alia. Capta hora missarum cum assignatione stalli in choro, et loci in capitulo, est sufficiens. — Ha-

(8) Præbendæ in Hispania triplicem in classem distingui solent : 1° dignitatum; 2° canonicorum *de officio* qui sunt quatuor, magistralis, doctoralis, lectoralis et pœnitentiarius. Ex his quatuor etiam ex recenti Concordato nominari debent per concursum. 3° Canonicatus reliqui dicuntur *de gratia*.

betur possessio pro capitulariter capta, si capitulum sine justa causa eam tradere recusavit; ita ut capitulo alleganti justam causam incumbat onus eam probandi. Habetur etiam pro capitulariter capta, si prima dignitas demandavit convocari capitulum, et vocati noluerint intervenire, nisi duo, vel tres canonici, in quibus dicitur residere totum jus capituli. Imo omnibus canonicis injuste reluctantibus, potest possessio tradi ab unico canonico, et sic possessa et capta est manutenibilis. Aliquo impedimento exsistente, propter quod possessio capitulariter capi non possit, sufficit si aliter capiatur — Possessio canonicatus, quod sit legitime capta, justificatur ex actibus canonicalibus per canonicum gestis cum præsentia, et patientia capituli.» (Ita ex multis Rotæ decisionibus, et doctores; FERRAR. verb. *Canonicatus*, art. 2.) Attamen Ritus seu modi realiter et corporaliter instituendi seu investiendi in beneficiis solent esse varii pro diversitate locorum, ut notant plures; unde in praxi expedit laudabiles cujusque loci consuetudines et ritus realiter seu corporaliter instituendi vel investiendi in beneficiis ab antiquo usitatos observare. (Argum. cap. *Cum tanto* 11, *De consuetud.* FERRAR. verb. *Institutio*, n. 35 et 36.)

II. Capitulum pro possessione canonicatus nihil exigere a canonico potest, nec quidem convivium. (*Concil. Trident.* sess. 24 *De reform.* c. 14 et sanctus Pius V, in constit. *Durum nimis*, Julii 1570 et mult. decis. sacr. congr. Concil. apud FERRAR. verb. *Canonicatus*, art. 2, n. 33 et Addit.)

III. *De professione fidei.*—Canonici et dignitates ecclesiæ cathedralis tenentur a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses fidei professionem facere, non solum coram episcopo, vel ejus vicario generali, sed etiam coram capitulo. Sic expresse statuit concil. Trident. sess. 24, *De reform.* c. 12; et Pius IV const. *Injunctum nobis*, quæ tamen constitutio non obligat canonicos collegiatarum. Hanc fidei professionem sufficit facere coram vicario, etiam episcopo non impedito, et simul coram capitulo; et sede vacante, debet fieri coram vicario capitulari. Hanc fidei professionem canonici et dignitates tenentur facere per semetipsos, et non sufficit per procuratorem. (S. congr. Concil. sæpius.) Si vero intra prædictos duos menses a die adeptæ realiter pacificæ possessionis canonicatus, talis canonicus non emiserit dictam fidei professionem, non per hoc solutus est ab obligatione illam in posterum emittendi, sed nihilominus semper ad eam faciendam tenebitur, quia tempus duorum mensium a concilio assignatum non est præfixum ad remittendam, ad terminandam obligationem, sed ad differendam exsecutionem atque pœnam. (Arg. cap. *Cum dilecti.* 6, *De dolo et contumacia.* — FERRAR. *ibid.* art. 4, n. 1 et seq.)

Canonici et dignitates cathedralis omittentes facere debitam fidei professionem, peccant mortaliter (ita communis); nisi per ignorantiam, inadvertentiam, aut oblivionem facere omittant. Præterea incurrunt etiam fructuum amissionem. Trident. sess. 24, c. 12, ibi: *Fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.* In hac tamen pœna amissionis fructuum non includuntur distributiones quotidianæ. (S. congr. Concil.) Nec quidem fructus duorum mensium a concilio concessorum. —Professio fidei ex post facta non proficit ad recuperandos fructus amissos post dictos duos menses, sed solum ad acquirendos futuros. (Rota et communis.)

Fructus canonicatus et dignitatis, ob omissionem professionis fidei non acquisiti, debent applicari in usus pauperum, vel in fabricam ecclesiæ beneficii, si indigeat, aut alteri pio loco, arbitrio ordinarii. Deducitur clare ex concil. Trident. sess. 13 *De reform.* cap. 1, et sess. 22, cap. 3.

Intelligo tamen hoc solum verificari in canonicis et dignitatibus habentibus fructus distinctos, et separatos a mensa capitulari; at in canonicatibus, et dignitatibus non habentibus fructus distinctos, et separatos a mensa capitulari, fructus amissi ob non factam fidei professionem spectant ad capitulum, sicuti fructus non residentium aut excommunicatorum. (Communis.) Nec episcopus potest condonare hujusmodi fructus amissos, quia est lex concilii generalis, quæ per inferiorem dispensari non potest. (S. congr. Concil. et Clement. *Ne Romani* 2, *De elect.* etc.) Sed talium fructuum condonatio et remissio potest fieri solummodo a sancta sede, vel sacr. congr. Concil., prout ipsamet sacr. congr. censuit et benigne condonavit *in Tuscanen.* 4 Martii

1614 et alibi. Dignitates et canonici tenentur in conscientia etiam ante sententiam judicis restituere ipsos fructus amissos, ob non factam fidei professionem. Communis; et ex damnatione contrariæ sententiæ per Alexandrum VII, 24 Septembr. 1665, proposit. 20, in ordine, ibi: « Restitutio a sancto Pio V, imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna; adeoque idem dicendum est in proposito.»

Licet canonicis cathedralis omittentibus fidei professionem possessio canonicatus nihil suffragatur quoad fructuum perceptionem, suffragatur tamen eis quoad titulum, et proprietatem talis canonicatus, et vocem habendam in capitulo, et jus præcedentiæ, et cætera alia jura a die adeptæ possessionis. (S. congr. Concil. et communis apud Ferrar. *ibid.*)

Nec coadjutores, nec portionarii, nec vicarii temporales, et alii provisi de capellaniis in ecclesia cathedrali, talem fidei professionem tenentur facere; quia supradicti omnes non comprehenduntur in decreto Trident. sess. 24 *De reform.* cap. 12. Nec etiam tenentur jure Tridentini canonici, et dignitates ecclesiarum collegiatarum, et possidentes beneficia inferiora non curata. (Sic decisum fuit a sacr. congr. Concil. 19 Februar. 1588. —Apud Ferrar. *ibid.*)

§ III. — Specialia de capitulis collegiatarum.

« Sicuti naturale est, ut canonici cathedrales una cum episcopo tanquam cum suo capite eligant corporis sui membra: ita quoque jure communi electio canonicorum ecclesiarum collegiatarum spectare videtur ad canonicos una cum suo decano, aut illo, qui cum canonicis unum corpus, sive capitulum constituunt. Unde horum canonicorum « provisio *regulariter* facienda est ad electionem ipsius collegii. (Text. in c. *Transmissa, De renunt.* et c. *Significatur, De præbenda;* et *communis*, et decision. Rotæ.) Quoties tamen constaret quod canonicatuum erectio secuta fuisset, mediante unione seu suppressione beneficiorum liberæ collationis episcopi, aut episcopus dedisset dotem de bonis suis, videlicet mensæ episcopalis, tunc electio ad episcopum pertineret quasi jure patronatus. In omnibus casibus jus instituendi spectat ad episcopum. (Ferrar., verb. *Canonicatus*, art. 2; Add. novissimæ, n. 72; Scarfanton., t. I, part. xiv, n. 76; De luca, *De beneficiis*, discurs. 17, n. 5; et Rota, decisio 226, n. 1 et seq. part. vii rec.)

Ætas requisita et sufficiens ad obtinendum canonicatum in ecclesia collegiata est ætas 14 annorum (C. *Nuper in ordinata*, 35; juncta Glossa. verb. *Pueri.*, *De præbend.*) Super his enim canonicatibus nihil innovavit concilium Tridentinum, ut censuit sacr. congr. Concil. Dummodo tamen canonicatui non sit adnexa cura animarum. (Ferrar. verb. *Canonicatus*, art. 3, n. 1, 2, etc.)

Omnes tam collegiati quam cathedrales canonici qui sacrum ordinem habent annexum suo canonicatui, si jam non sint in eo ordine constituti, tenentur ad se promoveri faciendum ad sacros ordines infra annum a die habitæ pacificæ possessionis computandum, sub pœna amissionis dimidiæ partis distributionum et vocis capitularis, et, si adhuc protrahant se promoveri facere, canonicatu ab ordinario privari debent. (C. *Ut ii* 1, *De ætat. et qualit.* in fine. —Ferrar. verb. *Canonicatus*, art. 3.)

Notandum, quamvis episcopus sine pontificis permissione non possit cathedrales vel collegiatas ecclesias instituere; tamen servata sanctissimorum canonum consueta forma absque ulla licentia, libere potest novum canonicatum erigere, reservato sibi, uti fieri solet, jure patronatus. (Innocent. cit. cap. *Cum accessissent, De const.*) Et uti propter fructuum diminutionem potest veteres canonicatus exstinguere; ita etiam potest vacantem canonicatum propter fructuum redundantiam dividere, et hæc vera sunt tam de cathedralibus quam de collegiatis canonicatibus. (Ferrar. verb. *Canonicatus*. art. 2, Addit. Casinenses.)

CAPUT XIX.

De parocho seu vicario perpetuo cathedralis.

§ I. — Duplici modo parochialis esse potest ecclesia cathedralis.

Si ecclesia cathedralis sit simul parochia curam animarum fidelium habens, ut plerumque evenit, duo distinguenda sunt: aut, primo, parochia sejuncta est et independens a capitulo; aut secundo, ut plerumque reperitur, unita est capitulo.

1. Si parochia cathedralis ecclesiæ separatur a capitulo, tunc parochus cathedralis debet

eligi et constitui per concursum ut omnes alii parochi. (*Vide* GARCIAM, *De benef.* art. XI, c. 2, n. 229 et seq.)

2. Si parochia cathedralis unita sit capitulo; cum capitulum, qui tunc cura animarum gerit, non moriatur, nec proinde vacet parochia cujus est parochus, non proinde datur unquam locus concursui pro vacante tali parochia.

Sed adhuc duo evenire possunt:.

1. Statui potest de communi episcopi et capituli consensu, ut archipresbyter sit simul dignitas capituli et ecclesiæ cathedralis parochus, tuncque eligitur, et instituitur juxta formas canonicas in capite VII supra relatas. Ideoque est inamovibilis. Parochus cathedralis nequit aliter esse archipresbyter.

2. Si nihil statutum sit circa titulum parochialem cathedralis capitulo unitum, tunc pleno jure parochus cathedralis est vicarius capituli ad in ejusdem nomine curam animarum exercendam. De hoc ultimo casu hic agitur.

§ II. — De parochi cathedralis electione.

1. « Olim capitulo liberum erat curam animarum exercere eo quo volebat modo, id est, vel deputando ad id aliquem vel aliquos determinatos, vel decernendo, ut quisque canonicus per turnum curam exerceret.»

Hanc facultatem capitulis abstulit Tridentina synodus, dum, sess. 7, c. 7, voluit ut episcopi exerceri facerent curam animarum *per idoneos vicarios, etiam perpetuos.* Hoc decretum cum exsequi teneantur episcopi, sequitur nullibi posse jam capitulum per se ipsum curam exercere, sed tantum per aliquem vicarium ab episcopo approbandum. Ita ut capitulum sit quidem parochus in *habitu*, non vero actu seu exercitio. Quæ sic exponuntur in *Thesauro resolutionum sacr. congr. Concil.*

« Concilium Tridentinum, sess. 7, c. 7, decrevit quod episcopi in parochialibus unitis cathedralibus, collegiatis, monasteriis aut aliis locis piis exercere facerent curam animarum *per idoneos vicarios, etiam perpetuos.* A quorum verborum tenore inferunt doctores pendere ab arbitrio episcopi, a circumstantiis regulando, deputationem vicariorum sive *perpetuorum*, sive *temporalium.* » (*Thesaurus resolut. sacr. congr. Concil.* tom. III, p. 104.)

« Sanctus Pius in bulla 139 *Bullarii* t. II, in qua loquitur de vicariis constituendis in parochialibus quæ sunt unitæ capitulis Urbis, vult vicarios esse perpetuos; et Fagnanus in c. *Ex parte*, n. 9, *De officio vicarii*, ait expedire ut Sedes apostolica decernat quod capitula cathedralium et collegiatarum ecclesiarum curam animarum habentium cogantur ad deputandos vicarios perpetuos qui curæ incumbant. » (*Thesaur.*, tom. III, pag. 255.)

« Concilium Tridentinum ad providendum curæ animarum statuit, sess. 7, c. 7, ut *beneficia curata*, etc. Hanc concilii dispositionem nedum probavit sanctus Pius V in constitutione quæ incipit *Ad exsequendum*, edita die 1 Novembris 1567; verum etiam illius exsecutionem omnibus episcopis commendavit, addiditque ut nominatio vicarii perpetui ad illum spectaret, cui parochia erat unita. (Huic dispositioni adhærens sacr. congr., etc.) » (*Thesaur. resolut.* sacr. congr., t. LIII, p. 36.)

« Exploratum pariter in jure est, dum erigitur vicaria perpetua, habitualem curam residere quidem penes capitulum; at actualem sive illius exercitium transferri *omnimode* in vicarium perpetuum. Hinc nullo modo potest principalis, spreto vicario, se ingerere curæ animarum. » (*Thesaur. resolut* sacr. congr. Concil. t. LXXX, p. 161 et 262.)—(Apud BOUIX, *De capitulis*, p. 248 et 249.)

2. In bulla sancti Pii V, *Ad exsequendum*, 1 Novembr. 1567, sic decernitur : *Volumus insuper et ita mandamus, quod dicti vicarii perpetui non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum seu eorum vicariorum prævio examine et approbatione, deputentur.* (*Bullar. Roman.*, tom. IV, part. II, pag. 402.) Quæ lex adeo clara est, ut quæstionem omnino definiat, quod et consensu unanimi fatentur doctores. Expresse scilicet decernit ibi sanctus Pius V, 1° electionem et nominationem dictorum vicariorum non pertinere ad episcopum, sed ad capitulum ; 2° electorum vero in vicarios examen, approbationem et deputationem pertinere ad episcopum seu ejus vicarium. 3° Unde sequitur decretum Tridentini de habendo concursu minime attingere hujusmodi vicarios perpetuos ; nam si tales vicarii sunt ad nominationem capituli, non sunt per formam concursus cli-

gendi, ut patet. Quæ omnia confirmantur multis sacræ congregationis Concil. declarationibus, et Rotæ decisionibus, doctorumque auctoritate, ut videre est apud Garciam, *De benefic.*, et Bouix, *De capitulis*, pag. 251 et seqq. Tandem ab episcopo pendet ut vicarius cathedralis curatus sit perpetuus aut amovibilis et ad tempus. (Communis ex c. 7, sess. 7 *Trident.*)

§ III. — Quid juris quoad cathedrales hodiernas Galliæ et aliarum regionum quæ Concordato anni 1801 reguntur.

1. Certum est in plerisque istis cathedralibus curam capitulis fuisse unitam sive a primis post dictum concordatum episcopis, sive a successoribus præsulibus.

2. Peracta hac unione, certum est de jure communi supra exposito, in dictis cathedralibus electionem et nominationem vicarii curati ad capitulum pertinuisse et pertinere ; approbationem vero ad episcopum.

3. At non minus certum est prædictam electionem et nominationem de facto a solis episcopis a tempore Concordati ad hunc usque diem fuisse peractam, sicut etiam electionem et nominationem canonicorum et dignitatum. Atqui consuetudo illa, quamvis contra jus, versatur in materia præscriptibili, et non reclamantibus capitulis inducta est in favorem episcopi ; ita ut tota quæstio reducatur ad hos terminos : utrum inducta jam consuetudo in favorem episcoporum habeat conditiones ordinarias a jure communi requisitas ad præscribendum. Ita quæstionem adducit D. Bouix, *De capitulis*, p. 257, et resolvit sustineri posse defuisse conditionem ad præscribendum necessariam, nempe libertatem in canonicis utendi jure suo.

« Porro capitulorum libertas, ut supra notavimus quoad jus simultaneæ, duplici modo potuit impediri : ignorantia scilicet juris sui, et timore ne ex reclamatione aliquid damni sibi accideret. » Ignorantia juris est factum omnibus in Gallia notum... « Item bene notum est in Gallia non ita facile fuisse alicui ex canonicis, qui jus prædictum capituli novisset, contra inceptam episcopi possessionem juridicæ oppositionis processum instituere. Vigentibus enim quibusdam præjudiciis, supponebatur clerico vix ac ne vix quidem licere quacunque de causa contra suum episcopum ad sanctam Sedem recurrere ; unde canonicus qui juridice et per recursum ad sanctam Sedem tentasset nominationem vicarii curati cathedralis (et canonicorum simultaneam) capitulo vindicare, id non sine inusta sibi invidia et illato notabili damno fecisset.

Notum est plures episcopos contra capitula sua et canonicos recurrisse ad laicalem cultuum ministrum, spretis canonicis sanctionibus et censuris contra id facientes ipso jure latis. Aliam contra legitimitatem præscriptionis allegationem afferre fas sit : nequit præscribi adversus totum jus Ecclesiæ, hoc enim esset summe irrationabile ; atqui ex Concordato 1801 jus canonicum fere in omnibus tractatur in Gallia quasi non esset, legumque ecclesiasticarum locum tenet arbitrarium ; est factum ab omnibus notum, et de quo omnes sive clerici, sive pii laici lamentantur. In tali rerum statu videtur quod non possit præscribi contra ullum peculiare jus, aliter omnia jura pereunt; quod est irrationabilitas summa et vera violentia. Talis status evenit ex laicalis potestatis usurpatione et continua oppressione, quæ stantes certe obstant cuicunque præscriptioni juris ecclesiastici. Unde concludendum videtur jus integrum capitulorum penes ipsa manere.

« Contra prædictas juris communis applicationes ad præsentem cathedralium Galliæ statum, gravis objectio fieri potest : Gubernium non agnoscit nisi nominationem ab episcopo factam, non autem factam a capitulo ; ergo ex necessitate nominatio curati cathedralis (et canonicorum) ad episcopum devolvitur, cum illam efficaciter explere nequeat capitulum. — Sed videtur responderi posse : Gubernium non agnoscit quidem pro curato cathedralis (et canonico), nisi quem testatur episcopus legitime fuisse constitutum ; at vero de modo illum constituendi non curat Gubernium, nec ad ipsum id pertinet. Unde nulla intercedit necessitas ut nominatio fiat ab episcopo. Sed nominatum a capitulo bene potest episcopus, si dignum reperiat, approbare et instituere, et hunc esse parochum cathedralis (seu canonicum) a se institutum Gubernio attestari. Quo posito pensionem solitam dicto curato (vel canonico) Gubernium solvet ; et sic salva remanent capituli tura. » (Bouix, *De capit.*, pag. 259 et 260.)

CAPUT XX.

De voce et voto in capitulo, seu de canonia; et de capitulariter agendis.

§ I. — De canonia.

I. In capite 1, § 4, recta capituli cathedralis definitio sic statuta est :

Collegium clericorum ab Ecclesia institutum ad auxiliandum et supplendum episcopo in diœcesis suæ regimine. Unde, sicut ibidem dictum est : *Constituitur canonicus per incorporationem in collegium illud quod ad auxiliandum et supplendum episcopo ab Ecclesia institutum est.* Per hanc incorporationem acquiritur *canonia.*

« In canonicatu duo diversa jura concurrunt, scilicet canoniæ et præbendæ. Canonia est quædam peculiaris prærogativa, ex qua quis consequitur receptionem in fratrem, stallum in choro, locum in circuitu, vocem in capitulo, facultatem participandi de distributionibus, et jus ad præbendam. Quæ in favorabilibus venit sub nomine beneficii, quod est quædam portio fructuum quæ datur ministro ecclesiæ pro servitio. Et quamvis beneficium non in canonicatu, sed in præbenda consistat, nihilosecius canonia est dignior præbenda, et eo magis aliis beneficiis ob tot prærogativas ex ea provenientes. Et quia canonia in omnibus cathedralibus et collegiatis Italiæ est annexa præbendæ, ratione connexionis, corpus incorporale et individuum censetur, quod duobus communicari non debet. Et nomine canonicatus accipitur præbenda, et e contra. (Ceccoperius apud Scarfanton., t. I, pag. 30, edit. Lucæ 1723.)

Attamen possunt esse et fuerunt canonici absque præbenda, v. gr., canonici cum jure tantum exspectativæ. Hinc cum Fagnano, in c. *Dilectus*, *De præb.*, n. 8, asserere solent canonistæ, *præbendam non esse de substantia canonicatus.*

II. « Multum ergo differt canonia a præbenda. Canonia est *titulus juris*, quo solo, si plenus sit, illum obtinens constituitur verum et proprie dictum capituli membrum, habens proinde stallum in choro et vocem in capitulo, et alia jura canonicis communia participans. Præbenda vero est aliquod beneficium, id est, aliqua portio bonorum temporalium canonico attributa. Unde præbenda canonialis non potest quidem esse talis sine canonia ipsi annexa; at vero canonia concipitur et absolute existere potest absque præbenda canonicali. » (Bouix, *De capitulis*, pag. 168.)

Ex præmissis canonia cathedralis in sua essentia stricte definiri potest et debet : *Titulus juris, quo quis clericus constituitur verum et proprie dictum capituli membrum, habens proinde stallum in choro et vocem in capitulo ad auxiliandum et supplendum episcopo in diœcesis suæ regimine.*

§ II. — De voce.

Ex hac definitione patet quanta sit vox capitularis seu votum a canonico emissum in actis capitularibus. Cum autem capitulum rationem habeat societatis, tota ejus actio exercetur socialiter seu, ut dici solet, capitulariter; ac proinde per coadunationes et comitia. Vox seu votum etiam unanimis omnium canonicorum separatim consultorum, et interrogatorum, nullum canonicum valorem habet; quia non est jam vox capituli, quod est corpus ab Ecclesia institutum. Hinc varia jura congressuum capitularium legem et formam determinantia sancivit Ecclesia. Hacque sola sanctione canonica valent vota capitulariter emissa.

I. *Quinam vocem habeant in capitulo.* — « Vox competit tantummodo canonicis in sacris ordinibus constitutis. (*Trident.* sess. 24, c. 4 *De reform.*) Non exsistentes in sacris nequeunt ab aliis admitti ad dandam vocem in actis capitularibus... et ita censuit sacra congregatio ad dictum caput concilii Tridentini., nec valet contraria consuetudo. Nec episcopus potest in hoc dispensare. » (Ceccoperius, lib. IV, tit. III.)

Canonicus, minoribus tantum ordinibus initiatus, de consensu capituli potest capitulis assistere; sed caret voce activa, non tamen voce passiva.

Canonici instituti ad præbendam diaconalem, et qui sunt tantummodo subdiaconi, carent voce activa, donec diaconatus ordinem receperint.

Coadjutor canonici habet vocem activam et passivam, si coadjutus sileat aut non intersit capitulo; secus non potest capitulo interesse. (Ita decisum a sacr. congr. refert Monacell. tit. II, form. 4, adnot. 29.)

Canonicus supranumerarius, cum plenitudine juris receptus, debet convocari ad capitulum et ibi habet vocem.

Caput collegiatæ, quando est prælatus

exemptus jurisdictionem habens, habet vocem in capitulo.

Aliæ vero, tam cathedralium quam collegiatarum dignitates, quantumvis in sacris exsistant ac locum in choro retineant, nullam habent vocem in capitulo, nisi his sit annexa canonia seu præbenda canonicalis, vel habeant vocem ex præscripta consuetudine, aut saltem possessione decennali; quibus casibus sunt convocandæ ad capitulum.

Si episcopus non sit ejusdem ecclesiæ canonicus, nulla ei competit vox in actibus capitularibus. In recenti concordato Pii IX cum Hispania, juri communi in hac re fuit derogatum, et etiam in multis aliis.

Canonici suspensi, interdicti, sunt privati voce in actibus capitularibus.

Canonici majoris excommunicationis irretiti, denuntiati, aut publici clericorum percussores, qui nulla queant tergiversatione celari, sunt omni voce destituti, et non convocantur ad capitulum. Quod si tales fuerint ad dandum suffragium admissi, vitiantur actus capitulares.

« Imo canonici quos constat in majorem excommunicationem incidisse, quamvis non sint publicati, aut manifesti clericorum percussores, capitulo destituuntur; nec tenet electio de his facta; et possunt a cæteris capitularibus repelli, ne intrent in capitulum : verumtamen eos admittentes non peccant, neque eapropter ab aliis acta irrita remanent : imo valet ejus vox, si faciat ut persona publica. »

« Canonici, minori excommunicatione palam innodati, non arcentur a capitulo, nec a facultate porrigendi suffragia. Siquidem minor excommunicatio excludit a participatione sacramentorum, non a communione fidelium. Ipse tamen sic excommunicatus non potest eligi. (Ceccoper. lib. IV, tit. III.)

Vicarius generalis episcopi, quando est simul canonicus, habet vocem in capitulo; sed « in casibus in quibus agendum est in capitulo de re spectante ad episcopum sive suorum commodo, non debet interesse, ut respondit sacra congregatio Concilii in *Mediolanensi*... Januarii 1587, lib. IV *Decretorum*, folio 223. Imo *in Turritana*, 24 Januarii 1651, absolute fuit dictum episcopi vicarium debere abstinere ab interessentia in capitulo lib. XIV, fol. 104. Et quod si vicarius non sit de capitulo non possit interesse, et si est de capitulo, debeat egredi, quando agitur de re pertinente ad episcopum tenuit sacr. congr. Episc. et Regul. *in Brundusina*, 17 Januarii 1584... et alia decreta refert Pignatell. *Consult.* 154, tom. IV. Et quod non possit interesse, neque vocem habere, etiamsi episcopus sit absens, declaravit novissimo sacr. congr. Concil. *in Hydruntina*, 11 Aprilis, 1699.

« Posset tamen intervenire ad sedandas factiones, et tumulta vitanda canonicorum, ne oriantur scandala, et canonici tenerentur illum admittere, ut assistat, non tamen, ut suffragium habeat, ut docet Ventriglia. » (Monacell. tit. II, form. 4, adnot. 26, edit. in 4. Romæ 1844, ex typographia rev. Cameræ apostolicæ.)

I. Et hæc de his qui vocem habent in capitulo; sed capitulum ecclesiæ cathedralis, definiente Bhœmero in *Decretal.* lib. III, tit. IX, § 7. Est « collegium sub episcopo quidem, sed separatum corpus tamen sub directione præpositi et decani constituens, et peculiaribus suis juribus gaudens, episcopo in adjutorium datum, et de regimine ecclesiastico participans, constans ex iis qui, vel ratione præbendæ suæ, vel alias de consuetudine votum sessionemque in capitulo acceperunt. »

« Ut autem capitulum jure suo expleat negotia, quatuor hæc concurrant oportet : 1. ut sit legitime congregatum; 2. ut vocentur omnes qui vocem in capitulo habent, vel de præsenti, habere possunt; 3. ut negotia capitulariter expediantur; 4. ut major pars consensum suum interponat. » (Ferrar. verb. *Capitulum*, art. 1, n. 33 et 36.)

§ III. — De convocatione capituli, et loco in quo habendum sit.

I. *Quando?* — « Capitulum, etsi non ad libitum illius cujus est illud convocare, convocandum, sed consuetis temporibus et diebus ad hoc destinatis; potest nihilominus convocari quoties illi ad quem spectat videbitur expedire servitio Ecclesiæ; aut etiam quoties illud convocari institerint canonici. » (Leurenius, *Forum eccles.* lib. III, tit. XI, q. 126, ubi citat Barbosam qui testatur sic censuisse congreg. Episc. et Regul. in causa Ripana die 6 Octob. 1617.) Tempore consueto convocari debet capitulum, non eo tamen quo divina celebrantur, alias capitulares impune non comparerent (Leuren. *For. Benef.* t. I, quæst. 490, n. 1; apud Ferrar.

verb. *Capitulum*, art. 1, n. 50.) Imo potest episcopus etiam sine adjunctis procedere ad substractionem fructuum, et ad mulctas ab eo impositas contra canonicos habentes capitulum eo tempore quo divina officia celebrari debent, nisi causa aliqua urgens in aliud differri non patiatur. (Sacr. congr. Concil. *in Oriolen.* 27 Martii 1632; Ferrar. *ibid.* n. 10.)

II. *Per quem.*— « Convocat capitulum episcopus, vel decanus. Episcopus convocat in negotiis quæ peragi debent cum consensu vel consilio capituli, vel alias conjunctim ad episcopum et capitulum pertinent. In cæteris negotiis decanus convocat capitulum vel tempore statuto, vel extraordinario pro re nata, eoque deficiente senior ut plurimum, nisi aliter ea in ecclesia obtinuerit. (Boehmer. in *Decret.* lib. iv, tit. ii, § 3, ubi quod, convocante decano capitulum, Haud opus est licentia episcopi.» (Ferrar. *ibid.* p. 42.)

Certum est apud omnes canonistas capitulum convocandum esse per præsidem illius. Omnes etiam conveniunt quod *prima* post episcopum *dignitas*, quocunque nomine vocetur, ipsa sit præses capituli et ad ipsam pertineat convocare capitulum.

« Ut legitima sit convocatio, ait cardinalis Petra, debet fieri a capite capituli, quod secundum consuetudinem cujusque ecclesiæ verificatur, vel in archidiacono, vel priore, aut canonico antiquiore, et uno verbo, spectat ad caput corporis capitularis, non autem ad membra... ad eum qui præsidet spectat proponere negotia, et primum ferre suffragium... Convocatio debet fieri ab eo ad quem pertinet præsidentia in capitulo de jure vel consuetudine, et concessa facultate convocandi necessario infertur facultas præsidendi, stante actus correspectivitate.» (Rota *in Gerundinensi*, 14 Junii 1702, coram Priolo.)

« In hoc autem quod convocatio spectet ad caput capituli, videtur advertendum quod non est refrenatum arbitrium capituli illud convocandi. Sed hoc procedet si conveniant omnes de capitulo; nam major pars poterit solum cogere caput capituli ad convocationem faciendam mandato superioris legitimi : vel procedit ut, renuente capite capituli illud congregare, possit fieri convocatio a subsequenti in gradu, facta debita requisitione ipsi capiti (decisio Rotæ modo citata). Tunc enim exsistente in contumacia eo qui debet congregare, devolvitur jus ad subsequentem. Hinc in sacra congr. Conc. (*in Bononiensi*, 13 Febr. 1683) ad quæsitum *an ad dictum priorem spectet jus convocandi capitulum privative quoad canonicos, et an capitula alias congregata essent nulla*, noluit decidere dubium, sed censuit esse respondendum in casibus particularibus, quia debent considerari circumstantiæ justæ causæ convocationis, et contumaciæ ipsius capitis in non convocando.» (Card. Petra, *Com. in const.* 1, sancti Leonis Mag. sect. 2, n. 46 t. I.)

« Renuente majore seu digniore convocare capitulum possunt alii capitulares, vel illum cogere ad convocationem faciendam mandato superioris legitimi (Rota *in Hispalensi*, 2 Julii 1700); vel si facta debita requisitione ipsi majori, seu capiti capituli, adhuc renuat illud congregare, potest fieri convocatio a subsequenti in gradu, ut censuit Rota *in Gerund.* » (Ferraris, verb. *Capitulum*, art. 1, n. 5.)

Ex multis pro et contra decisionibus Rotæ et sacrarum congregationum Concil. et Episcopor. et Regul. declarationibus decretisque, jus commune et regula generalis est posse capitula sese adunare absque licentia episcopi. Hæc tamen regula ex duplici titulo exceptionem pati potest; nempe ex contraria consuetudine et ex gravi causa, quibus potest teneri capitulum ut requirat episcopi licentiam ad sese congregandum; in quo tamen casu non potest episcopus prætendere ut capitulum ipsi declaret de quibus negotiis agendum sit; hæc vide probata apud Bouix, *De capitulis*, part. iv, cap. 7, pag. 453 et seqq. Convocator capituli non tenetur explicare materiam convocationis in ipsa convocatione, ut declaravit sacr. congr. Concil. *in Lunen. Sarzanen.* 12 Mart. 1655. (Ferrar. verb. *Capitulum*, art. 1, n. 6.)

Episcopus potest congregare capitulum pro casibus in quibus, juxta sacros canones, tenetur exquirere ejus votum, vel consilium, et in aliis casibus spectantibus ad sui dignitatem. (Barbosa, *De canon.* c. 35, n. 7; Fagnan. c. *Cum ex injuncto*, n. 26 et seq.) Et consonat dispositio concil. Trident. sess. 25, cap. 6. *De reform.* ib. : *Quod si (episcopi) aliquid canonicis ad deliberandum proponant; nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, episcopi ipsi capitulum convocent, vota exquirant, et juxta ea concludant. Absente vero episcopo*

omnino hoc ab iis de capitulo, ad quos hoc de jure, vel consuetudine spectat, perficiatur, nec ad id vicarius episcopi admittatur. Per hunc textum « eo casu quo res esset pertinens ad commodum episcopi, concilium declaravit, quod capitulum non potest convocari sine consensu et præsentia episcopi; reliquos autem casus reliquit in terminis juris veteris. In capitulis ergo non exemptis, quæ ordinario subsunt, est servandum jus commune. Dubitatum fuit an decretum concilii hoc quo conceditur facultas episcopis convocare capitulum, nisi de re ad suum vel suorum commodum spectante agatur, sit intelligendum, quando res ad se vel ad suos privato nomine pertinet; an vero etiamsi pertinet ratione dignitatis episcopalis? Congregatio censuit quod episcopus convocare non possit capitulum in illis actibus, in quibus judex esse non potest, et si de re spectante ad episcopalem dignitatem potest esse judex, convocare potest capitulum. (Abbas, in c. *Venerabili, De cens.* in fin... *Vota exquirant;* episcopus non habet vocem in capitulo. *Ab iis de capitulo*, absque consensu episcopi. *Nec ad id vicarius episcopi admittatur.* Hoc intelligendum est, si capitulum est exemptum. Et ita observari jussit congregatio cum vicario Tarantensi.» *Adnotat. ad concilium Trident.* edit. Coloniæ 1754. Si vero capitulum non est exemptum, potest episcopus omnem suam in capitulum jurisdictionem committere vicario suo. Communis, et sic decisum fuisse a sacr. congr. Concilii refert post alios Ferraris, verb. *Capitulum*, n. 16 ad 22.

« Non potest tamen episcopus convocare capitulum pro actibus capitularibus, qui spectant ad capitulum, uti capitulum, quia pro rebus spectantibus ad ipsum solum capitulum remanet illæsa, et intacta sua jurisdictio, ut post prædicta verba, quibus aperte demonstratur ad quæ se extendat hæc potestas episcoporum, sic expresse addit Tridentinum concilium : *Cæteris autem in rebus, capituli jurisdictio, et potestas, si qua eis competit, et bonorum administratio salva, et intacta omnino relinquatur.* Ex quo textu inferendum videtur quod absque licentia episcopi capitulum convocari possit, ubi non agitur de rebus ad episcopum spectantibus. Cum vero teneatur episcopus exquirere capituli votum, vel consilium in casibus a jure determinatis, si episcopus non convocat capitulum, ipse præses capituli potest et debet illud convocare ad saltem capitulariter faciendam cum debita reverentia requisitionem ipso episcopo (Arg. ex decis. Rotæ *in Gerundin.* 14 Junii 1702; coram Priolo supra cit.) Et si renuerit episcopus et agat de causa, in qua a jure requiritur consensus seu consilium capituli, ad validitatem, capitulum debet ad sacr. congr. Episcoporum et Regularium recurrere.

« Exstante legitima consuetudine, ut episcopus seu vicarius interveniat in omnibus capitulis, etiam quæ fiunt pro re spectante ad capitulum, debet illa servari. Ita plures apud Ferrar. verb. *Capitulum*, art. 1, n. 17, ubi refert sic decisum fuisse a sacr. congr. Episc. 2 Junii 1591 et sacr. congr. Concilii per c. 6, sess. 25, in quo capite sic habetur : « Hæc autem omnia et singula in iis ecclesiis locum non habeant, in quibus episcopi, aut eorum vicarii ex constitutionibus, vel privilegiis, aut consuetudinibus, sive concordiis, seu quocunque alio jure majorem habent potestatem, auctoritatem, ac jurisdictionem, quam præsenti decreto sit comprehensum, quibus S. synodus derogare non intendit. »

« Quamvis tamen ex consuetudine, seu alio jure speciali, episcopus seu vicarius possit intervenire in capitulis omnibus, non potest tamen nec episcopus, nec vicarius intervenire, si in capitulo agendum sit de interesse proprio, seu suorum, ut ex sacr. congr. Concil. concludunt Pignatelli et Barbosa, et Rota... Et dato quod episcopus vel vicarius congregaverit capitulum, et rem proposuerit, ubi agitur de suo vel suorum commodo (in quo non potest esse judex), debet exire et relinquere canonicos de capitulo solos, ut ipsi libere rem discutiant et determinent. Si vero hujusmodi interesse episcopi foret ratione Ecclesiæ, in eo casu, sicuti posset esse judex episcopus vel vicarius, ita pari ratione, non sint repellendi, ut pluries censuit sacr. congr. Concil. In nullo tamen casu episcopus et vicarius potest ferre suffragium, quia hoc ferre spectat tantum ad illos de capitulo, ut decrevit sacr. congr. Concil. 31 Jul. 1694. Excipitur casus, si episcopus seu vicarius esset canonicus, tunc posset ferre unicum suffragium. (Ferrar. *ibid.* n. 19 ad 22.)

Episcopus, in casibus, in quibus convocat capitulum, debet in eo præsidere cum om-

nibus prærogativis; cum enim sit in capitulo uti caput, debet ipse retinere primam sedem et præeminentiam horologii, vota recipere, negotia proponere, ac alia peragere quæ necessaria sunt. (Arg. ex *Trident.* sess. 25, cap. 6, *De reform.* sub fine, ad hæc verba : *Hæc autem omnia, et singula*, etc.)

Episcopus autem solum ratione consuetudinis interveniens capitulis, quæ congregantur a capite capituli pro rebus et negotiis ipsius capituli, habet præeminentiam loci, et prærogativas horologii et tintinnabuli, quia etiam ibi intervenit ut episcopus. In actibus vero concomitantibus capitulum, nempe convocatione, votorum receptione ac similibus, tales prærogativæ spectant ad caput capituli, et non ad episcopum, nisi etiam actus præfati ex consuetudine spectent ad episcopum, quia episcopus ibi non intervenit uti constituens unicum corpus mysticum cum ejus capitulo pro explendis actibus, qui opus habeant unione dicti corporis mystici, sed dicti actus pro rebus capituli explentur per corpus capituli, sine episcopo, qui potius intervenit uti judex, ne aliquid agatur contra jus. (Et sic videtur recte sentire Rota *in Hispalensi* 2 Julii 1700.)

Tandem episcopus, etsi non sit consuetudo, intervenire potest capitulis, quando sibi placuerit.

De consuetudine Galliarum. — Consuetudo Galliarum vigens in plerisque diœcesibus, qua stante, capitula nequeunt convocari nisi ab episcopo, et sub præsidentia vicarii generalis, qui etiam fert suffragium, quaque in fere nullis votum et consilium capituli requiritur ab episcopo, non videtur legitima : 1° quia introducta fuit a violentia laicalis potestatis, quæ statuta capitularia anni 1802 pro omnibus Galliarum ecclesiis condidit ; 2° quia destruit essentiam capitulorum hancque apostolicam institutionem de ecclesia tollit ; 3° quia ista consuetudo introducta fuit contra jus universale et contra præscripta bullarum et decretorum sanctæ Sedis pro confirmatione et exsecutione Concordati anni 1801 et pro nova creatione Ecclesiarum Galliæ; 4° quia tandem contra totum jus canonicum inducit præscriptionem, quæ legitima esse nequit propter summam irrationabilitatem, qua anarchia et confusio omnium jurium et inobedientia divinæ auctoritati Ecclesiæ introducerentur in Christi regno. Idcoque episcopi et capitula videntur teneri ex gravi obligatione ad prudenter et saltem paulatim vigorem juris reducendam, in quantum possunt.

III. *Quinam sint convocandi ?* — Omnes qui vocem in capitulo habent, sunt convocandi, quia jus canoniæ habent. Quando tamen capitulum est *ordinarium*, celebrandum scilicet consueto tempore, *regulariter* non est necessario facienda convocatio ; quia scienus capitulum habendum tali tempore, et négligens aut nolens interesse, sibi imputare debet quod sine suo consensu tractetur et decidatur aliquid.

Sed ad capitulum *extraordinarium* vocari debent etiam *longe absentes* in negotiis majoris ponderis, ut sunt electio prælati, receptio canonicorum, aut præbendarum collatio, et cessatio a divinis a capitulo indicenda, et ex communi canonistarum, in casibus similibus, id est notabiliter arduis. (Boehmer in *Decret.* lib. III, tit. XI, § 7 et 8, et communis.)

Non tenetur convocator notum facere capitularibus quid in capitulo sit agendum ; legitur enim in *Thesauro resolutionum sacr. congr. Concil.*, in tomo anni 1829, pag. 48 : « Id satis compertum ex hujus sacr. congr. decreto *in Lunensi Sarzinensi*, 12 Martii 1655, quo declaratum fuit eum ad quem spectat capituli convocatio non teneri ad rem in ipsa convocatione significandam, quia nimirum capitularibus inducias ad deliberandum denegare non licet ; atque etiam ex sacr. Rotæ judicio, quæ *in Avenionensi*, 17 Martii 1752, coram Bussio, statuit canonicos capituli convocationem cupientes, minime obstrictos esse negotia in comitiis extraordinariis proponenda palam facere ei qui jus habet indicendi capitulum, illique præsidendi. »

Nec ipse episcopus potest cogere canonicos ad sibi significandum quid tractare velint in capitulo. (Sacr. congr. Episcop. *in Andrien.* 25 Februar. 1703.) Quamvis possit ipse episcopus cogere capitulares ad sibi exhibendam copiam actorum seu resolutionum capitularium, ut censuit sacr. congr. Episc. 6 Martii et 22 April. 1590. Et ratio est quia cura est episcopi super intendere ne fiant a capitulo resolutiones juri contrariæ.

« Etiamsi *unicus* ex illis qui vocari *debuerunt* non vocatus fuerit, actus capitulares erunt nulli, si ille reclamet et se deceptum fuisse, id est, non vocatum probet. Curandum ergo imprimis est in modo convocatio-

nis faciendæ, ut nullus omittatur ex iis qui possunt et debent vocari. » (Bouix, *De capitulis*, p. 197.)

4° De modo convocandi capitulum nihil in jure statutum est. Quocirca retineri debet modus ille, qui in ecclesia, de qua agitur, invaluit. Alibi enim fit convocatio per sonum campanæ, alibi per litteras, alibi viva voce. Quod vero attinet ad absentes, ii necessario convocandi sunt per litteras vel per nuntium. (Possevin. *De elect. can.* c. 11, fere per tot.)

5° *Quo in loco.* — Capitulum convocari, seu celebrari debet in ecclesia et loco ad hoc determinato. (C. *Quod sicut* 28, *De elect.*; et Glossa ibi verb. *Constitutiones*, c. *Qua fronte* 25, *De appellat.*; et ibi Glossa verb. *Canonicum*, c. *In nomine Domini* 1, dist. 23; c. *Præceptum* 6, causa 1, quæst. 2.) Nec episcopus potest domi suæ illud convocare, sed ad aulam capitularem, ubi antea solitum fuit convenire. (S. congr. Concil. in *Placentina.*) Potest tamen capitulum ad alium locum transferri et convocari, quando non potest convenire in ecclesia, vel loco capitulari, ut patet in c. *In nomine Domini* 1, dist. 23. Ex consuetudine etiam potest capitulum convocari in aula episcopali. Ita sacr. congr. in *Turritana*, 26 Novembr. 1650, testante Petra. Verum si alibi, modo in loco honesto, convocatum sit capitulum, nequit actus hoc nomine impugnari, quod capitulum non sit convocatum in loco consueto. (Card. de Luca, *De regul.* discurs. 15, n. 2; Possevin. *De elect. canon.* c. 12, n. 2; et alii.)

6° *De modo dandi votum in capitulo.* — Requisitum est ut negotia capitulariter expediantur. Dicuntur enim negotia expediri capitulariter, si congregatum sit capitulum, audita sint vota singulorum, et deliberatio a congregatis facta sit.

In electione episcopi a capitulo cathedrali, et prælati a capitulo collegiali servanda est forma obligatoria ab Innocentio III, in concilio Lateranensi præscripta, his verbis : *Quia propter diversas electionum formas, quas quidam invenire conantur, et multa impedimenta proveniunt et magna pericula imminent ecclesiis viduatis, statuimus ut, cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus qui debent et volunt et possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secrete et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scripta redacta mox publicent in communi; nullo prorsus appellationis obstaculo interjecto : ut is collatione habita eligatur in quem omnes, vel major et sanior pars capituli consentit, vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium ecclesiæ viduatæ provideant de pastore. Aliter electio facta non valeat : nisi forte communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem absque vitio celebrata.* (Lib. I *Decretal.* tit. VI *De elect.*; c. *Quia propter*, 42.)

Decretalis *Quia propter* non est obligatoria in electionibus aliarum dignitatum, canonicatuum et beneficiorum inferiorum, vel in resolutionibus capitularibus; in his omnibus aliquando voces porriguntur per secreta, aliquando per aperta suffragia, juxta consuetudines et statuta uniuscujusque ecclesiæ, quibus standum est. (Communis.)

Capitulum potest decernere ut vota secreto dentur. Canonicus videns non posse victoriam reportari per vota aperta de re justa proposita, tenetur petere partitum per secreta suffragia. » (Ceccoperius, lib. IV, tit. V, n. 60.) Quo patet ut unicus canonicus possit secreta suffragia expetere, et capitulum teneatur hanc unius petitionem admittere.

Electio et deliberatio per scrutinium, sive secretum, sive apertum multiplici modo fieri potest; et ad capitulum pertinet modum determinare. (*Vide* Bouix, *De capitulis*, p. 202 et seq.)

Nulla sunt, ac proinde non computanda vota *incerta*, *alternativa*, *conditionata* et *inutilia*.

Simoniacus est qui alteri suffragium dat eo pacto quod vicissim in electione ad præbendam alter ei suffragabitur.

7° Necesse est ut major pars capituli consensum suum interponat. In omni casu, ut valide procedi possit ad actum capitularem, sufficit præsentes esse duas tertias partes capitularium; quia quod fit a duabus tertiis partibus a tota universitate seu communitate fieri censetur : ita habent jura, et tenent canonistæ communiter.

Attamen si tertia pars non præsens, aut aliqui vel etiam unicus ex non præsentibus, non vocati fuerint, cum potuissent et debuissent vocari, isti aut etiam ille unicus non vocati, possunt decretum capitulare per reclamationem suam irritum reddere. Qui autem neglectus sit habet sex menses ad reclamandum, quibus elapsis, si non reclamet, censetur confirmare actum capitula-

rem (Ceccoperius, lib. IV, tit. II, n. 39); et fuit decisum a Rota, testante eodem Ceccoperio, ibi : E contra si aliqui ex vocandis non vocati sunt, nec adfuerint duæ tertiæ capitularium partes, non tantum actus erit rescissioni obnoxius, sed erit ipso jure irritus et nullus.

Si autem superior ad quem spectat convocatio omnes de jure vocandos vocaverit, præsentes ad actum capitularem legitime procedere possunt, quantumvis parvus sit eorum numerus; eo quod talis convocatio superioris constituat non venientes in quadam contumacia, quæ privat illos pro hac vice jure ferendi suffragii : unde totum jus capituli pro tunc in præsentibus merito residere censetur; nec est rescissioni obnoxius actus capitularis ex titulo insufficientis præsentium numeri. (Bouix, *De capitulis*, p. 182.) Et hoc punctum pro sui gravitate confirmat auctoritate Ceccoperii, qui rem fuse exponit lib. IV, t. II, et Laurenii, *Forum eccles.*, tit. XI, quæst. 130.)

8° *De majore et saniore parte capituli.* — Major pars censetur etiam sanior, *nisi manifeste appareat*, aut *legitime probetur* partem majorem numero corruptam fuisse, aut alio sinistro affectu in transversum agi. Unde ob multa investigationis incommoda, hodiedum, maxime stante dispositione Tridentini sess. XXV, c. 6, *De regularibus*, non inquiritur amplius quæ pars suffragiorum sit sanior, sed tantum attenditur major numerus.

Si omnes vocem habentes vocati sint, tunc, etsi omnes non intersint, *major pars* computanda est relative ad præsentes tantum, quantumvis parvus sit præsentium numerus. « Major tamen pars æstimari debet non respectu partium minorum (inter se dissidentium) sed totius capituli, id est omnium canonicorum intervenientium, et suffragium ferentium, nisi alia sit consuetudo. » (Louvrex, *Dissert. canon.* XVII, num. 9 et seq.) Idemque obtinere debere tenet dictus auctor, si capitulum consenserit, ut major pars respectu partium minorum concludat. » (Ferrar. verb. *Capitulum*, art. 1, Addit. n. 60 et 61.)

Si vero non sint vocati omnes vocandi, tunc non est computanda major pars relative ad omnes præsentes tantum, omissis iis qui, cum potuerint et debuerint vocari, vocati non sunt, nec intersunt. Sed hæc major pars computanda est relative tam ad absentes quam ad præsentes.

Ad constituendam majorem partem sufficit unus supra medietatem, et etiam dimidia pars unitatis. Verbi gratia ex membris 12 aut 13, pars major septem membris constat.

Prævalet regulariter, quod fit a majori parte, nisi minor pars rationabiliter contradicat. *Decret.* lib. III, tit. XI. *De his quæ fiunt a majori parte capituli;* cap. 1 *Cum in cunctis*, ibi : *Quocirca præsenti decreto statuimus, ut nisi a paucioribus et inferioribus aliquid rationabiliter objectum fuerit et ostensum, appellatione remota, prævaleat semper, et suum consequatur effectum, quod a majori et saniori parte capituli fuerit constitutum.* Et cap. IV *ex parte* ejusdem tit. et lib. quod sic summatur : *Prælatus cum majori parte capituli, contradicente minori, statuere potest, quod ad necessariam reparationem fabricæ quilibet canonicus conferre teneatur.*

Dictum est *prævalet regulariter*, etc. Dantur enim casus in quibus non prævalet votum majoris partis. Nempe, 1° dum capitulum gratiam alicui facit; 2° si agatur de negotio canonicos uti singulos concernente, non sufficit consensus majoris partis, sed singulorum canonicorum consensus exigitur; 3° si major pars decerneret aliquid cedens in damnum Ecclesiæ, vel in præjudicium minoris partis; in quo casu pars minor contradicere et rescissionem actuum persequi potest; 4° si major pars statueret in præjudicium vel unius capitularis; tunc enim ille unicus jus habet contradicendi et sese opponendi. (Ita Fagnan. in c. *Cum in cunctis*, supra cit.; Petra, t. I, p. 62, n. 31, et alii; Bouix, *De capitulis*, p. 188.)

« Major pars decernere nequit in præjudicium minoris de bonis quæ ad singulos spectant jure proprio, ut sunt bona patrimonialia cujusque canonici et quæ ex patrimonialibus fluunt. Et de his bonis ad singulos pertinentibus *jure proprio*, non jure collegii, intelligenda est regula juris 26, in 6 : *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, ubi summarium sic habet : *In iis quæ communia sunt pluribus ut singulis, requiritur consensus omnium.* (*Vide* Leurenium, *Forum eccl.* lib. III, tit. XI, quæst. 131.)

« Ut major pars disponere possit circa

redditus spectantes ad singulos *jure collegii*, requiritur 1° causa pia; 2° necessitas, vel utilitas tanta quæ necessitati comparari possit; 3° ut agatur de necessitate vel utilitate illius ecclesiæ cujus capitulares ad contribuendum coguntur. Si enim ageretur de opere pio quidem sed extraneo, et ad propriam capitularium ecclesiam non pertinente, minor pars, imo unicus capitularis impedire posset decretum majoris partis, suum singulare interesse prætendendo. » (Bouix, *De capitulis*, p. 189.)

Sustinet Monacelli, *Formul.* part. 1, tit. 1, form. 2, n. 7, non posse absentes suffragium per procuratorem dare, nisi ita vigeret consuetudo aut locale statutum. Etiam posita hujusmodi consuetudine, non est intelligenda de absentibus extra provinciam seu territorium metropoleos, quod decisum *in Hydruntina*, 11 April. 1699, a sacr. congr. Concil. refert laudatus auctor. Omnino rejicienda est opinio eorum qui putarunt absentes per schedulas scriptas posse suffragium mittere. Id plene probavit et decrevit Rota.

CAPUT XXI.

De præbendis, et distributionibus.

§ I. — De præbendis.

1. Canoniæ, quo modo diximus, annexa est præbenda. « Præbenda canonialis est jus percipiendi proventus in ecclesia, competens uni de collegio. Et honorabilior est capellaniis et beneficiis curatis. Quamobrem canonicatus et præbenda non veniunt sub nomine beneficii in materia odiosa. Hinc si papa mandaret conferri beneficium alicui in certa ecclesia, non includitur præbenda canonialis. Canonicatus et beneficium differunt ut species et genus. » . . .

« Canonicalis præbenda dicitur a *præbeo*, quia præbere debet canonico fructus ex quibus possit commode vivere ... Episcopus debet attendere ut canonici habeant præbendas sufficientes ad victum; atque pro sustinendo decenti canonicorum gradu tam collegiatæ insignis, quam cathedralis, potest præbendas tenues vacantes in mensibus non reservatis (sanctæ sedi) ad pauciorem numerum reducere, vel simplicia beneficia iisdem unire. Ita provisum fuit a sacro concilio Tridentino sess. 24, c. 15, *De reform.*» (Ceccoper. apud Scarfanton. t. I, pag. 30.)

2. Differentiam inter canoniam et præbendam in præcedenti capite assignavimus.

3. *De jure optandi præbendas.* — « In plerisque cathedralibus et collegiatis adest usus optandi vacantes præbendas. . . Optio est quoddam jus, cujus vigore antiquiores canonici gradatim vacantem præbendam (quæ reservata non sit), propria dimissa, intra certum tempus (nempe de jure communi infra viginti dies a die vacationis) eligere et consequi valent. . . antiquiore negligente vel recusante, statim jus optionis devolvitur ad canonicum antiquiorem immediate sequentem. » (Scarfant. t. II, p. 147.)

§ II. — De distributionibus.

1° Ivo Carnotensis episcopus distributiones quotidianas primus excogitavit. Idem postea a jure canonico constitutum est, ut constat ex capite *Licet*, *De præbendis*; capite *Olim*, *De verborum significatione*; et cap. unico, *De clericis non residentibus*, in 6.

2. Hanc disciplinam confirmavit Tridentina synodus sess. 22, c. 3, *De reform.*: *Episcopi, etiam tanquam delegati apostolici, ex fructibus et proventibus quibuscunque omnium dignitatum, personatuum, et officiorum, in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis existentium, tertiam partem in distributiones eorum arbitrio assignandas dividere possint; ut scilicet . . . si personaliter competens ibi servitium . . . non impleverint, illius diei distributionem amittant; nec ejus quoquomodo dominium acquirant, sed fabricæ Ecclesiæ, quatenus indigeat, aut alteri pio loco arbitrio ordinarii applicetur.* Et in sessione 21, cap. 3: *Statuit sancta synodus, in ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum, et quorumcunque proventuum, et obventionum tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum separari debere, et in distributiones quotidianas converti, quæ inter dignitates obtinentes et cæteros divinis interessentes, proportionaliter juxta divisionem ab episcopo, etiam tanquam apostolicæ sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur. . . Non obstantibus... consuetudinibus etiam immemorabilibus.* Postremo eadem synodus, sess. 24 cap. 12 sic decernit: *Distributiones vero qui statu-*

tis horis interfuerint recipiant : reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant.

3. Ex his capitibus inter se collatis et sacræ congregationis declarationibus concludunt doctores passim distributiones ab absentibus tum canonicis tum etiam dignitatibus amissas ex regula generali accrescere præsentibus; et applicandas tantum esse *fabricæ ecclesiæ aut alteri pio loco* distributiones quas amittunt illæ dignitates, quæ habent proventus a massa seu bonis capituli diversos et separatos.

4. Ex concilio Tridentino sess. 21, c. 3, ad episcopum pertinet modum determinare quo distributiones quotidianæ fieri debeant. Neque episcopus, neque capitulum, potest condonare illi qui privationem distributionis ex absentia incurrit; sed debet omnino illa distributione quam præsens accepisset carere. Ita declarant plures responsiones sacræ congregationis Concilii, quas refert Benedictus XIV in suo libro *Instit. eccles.* inst. 107, § 7, n. 42.)

Qui plus de hac materia distributionum desiderat, adeat Monacelli *Formular.* tit. II, form. 6, adnot. 8 et seq., et Bouix, *De capitulis*, p. 172 et seq.

5. *Quoad Gallias*, « dicendum est annuas gubernii pensiones tanquam veras præbendas habendas esse; siquidem ex pacto gubernium inter et sanctam Sedem statuta est illa pensio pro redditibus bonorum ecclesiasticorum; quæ scilicet bona ea conditione alienata sunt, ut sufficienter provideretur sustentando clero.

« Præterea si quid dubium de hac re occurrere antea poterat, jam per sanctæ Sedis declarationem, certa omnino evasit. Factam autem fuisse hujusmodi declarationem testatur sequens responsum sacræ Pœnitentiariæ diei 19 Januarii 1819 relative ad Belgium. Quæsitum fuerat : *An salaria quæ in Belgio solvuntur pastoribus et canonicis induant naturam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum, et annexam habeant obligationem inhærentem his bonis, scilicet strictam et canonicam obligationem expendendi superflua pauperibus seu piis causis, et residendi sub pœna non faciendi fructus suos.* Sacra Pœnitentiaria rescripsit jam alias a sancta Sede responsum fuisse *affirmative*. Et confirmatur responsione sacr. Rituum congregationis 22 Maii 1841, ad episcopum Cameracensem, apud Gardellini t. VIII, n. 4769.

« Jam vero semel admisso hoc principio, pensiones nempe gubernii pro veris præbendis esse habendas, invicte sequitur præceptum convertendi in distributiones quotidianas tertiam redituum partem, utpote omnes capitularium præbendas afficiens, extendi etiam ad hujusmodi pensionem gubernii canonicis attributam. »

Quæ de facto tamen invaluit consuetudo contraria, invalida dici debet quia contraria est decretis Tridentinis; illa vero decreta, per bullam *Benedictus Deus* Pii IV, munita sunt clausula irritante omnes futuras in contrarium consuetudines. Et praxi tribunalium et congregationum Romæ ita constanter defenduntur decreta Tridentina contra consuetudines oppositas, ut consensus pontificis quoad istas consuetudines legitime supponi nequeat nisi exprimatur. Et quoad distributiones quotidianas confirmatur hæc conclusio recenti decisione sacræ congregationis Concilii die 23 Nov. 1850. Ab episcopo Tergestino (Trieste) inter alia dubia propositum est illud : *An et quomodo teneatur episcopus partem redituum capitularium cathedralis Tergestinæ assignare pro distributionibus quotidianis.* Porro, non obstante longa in contrarium consuetudine, respondit sacra congregatio : *Ad quintum affirmative, et episcopus procedat ad formam sacri concilii Tridentini.* (Sessionis 22, c. 3, *De reform.*)

Cum vero pro exsecutione talis statuti episcopalis lex civilis non concurrat, potest episcopus pro absentiis canonicorum statuere mulctas ad concurrentiam tertiæ partis pensionis sive præbendæ, ut nuper declaratum est a sacra congregatione Concil. in causa Ragusinæ diœcesis 30 August. 1851. Et alia declaratione ejusdem anni, tales *mulctas esse partiendas per totum annum easque amittere absentes tempore vacationum trimestrialium, juxta alias editas resolutiones.* (*La correspondance de Rome*, an. 1851 pag. 372.) Hodiernis Galliæ capitulis plene applicabilem illam cathedralis Ragusinæ ordinationem nemo non videt. » (Bouix, *De capitulis*, p. 177, etc.)

CAPUT XXII.

De canonicorum obligationibus erga episcopum, seu de juribus episcopi erga capitulum.

Capitulum est corpus mysticum cujus episcopus est caput, ad instar collegii apostolorum. Ex quo fluit episcopum jura in capitulum habere et capitulum erga episcopum obligari. Cum autem capitulum sit ab Ecclesia institutum ad auxiliandum et supplendum episcopum in diœcesis suæ regimine, sequitur tum jura episcopi, tum capituli obligationes a legibus Ecclesiæ statui. Unde episcopus indebita a capitulo exigere nequit, et pariter debita episcopo recusare nequeunt canonici. Jam tractavimus lib. II, cap. 2 et 5, de episcopo quoad capitulum. Hic quædam resumenda addendaque sunt.

§ I. — Honorifica episcopo debita.

I. *Quoad locum.* — Sic antiqua jura innovavit Tridentina synodus, sess. 25, *De reform.* c. 6 : *Episcopis ubique ii honor tribuatur qui eorum dignitati par est, eisque in choro et in capitulo, in processionibus et aliis actibus publicis sit prima sedes et locus quem ipsi elegerint, et præcipua omnium rerum agendarum auctoritas.* Ex quo capite primus locus existimandus est, quem episcopus elegerit.

Debetur baldachinus unus, aut plures supra sedem, si episcopus elegerit plures locos fixos ad varias functiones, dummodo iste baldachinus non sit pretiosus nec auratus. (Ita sacr. Rituum congr. censuit 20 Augusti 1729, apud Gardellini, n. 3837 ad 5.)

II. *Quoad assistentiam.* — Tanquam legem sanctissime tota retro antiquitas servavit ac tenuit, *Episcopo solemniter celebranti aut alia pontificalia exercenti deberi assistentiam a dignitatibus et capitulo.* Idque expresse sancivit Tridentina synodus, de dignitatibus et canonicis ita præcipiens : *Compellantur... episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire.* (Sess. 24, c. 6, *De reform.*)

Modus autem assistendi et interveniendi is esse debet, quem regulæ pontificalis Romani præscribunt... Sic decrevit sacr. Rituum congr. die 23 Martii 1592; quod decretum confirmavit Clemens VIII, 13 Junii anni ejusdem; apud Gardell. t. VII, Append. n. 21, pag. 19.

Debetur etiam assistentia episcopo, pontificalia seu ordinationes exercenti alibi quam in cathedrali ecclesia, modo tamen non extra civitatem aut suburbia : ita nihilominus ut ipsa ecclesia cathedralis ministris omnibus non destituatur debitoque cultu et officio non defraudetur, et numerus sufficiens canonicorum remaneat in cathedrali pro servitio dictæ ecclesiæ. (S. congr. Rit. pluries apud Gardell.) Ideoque eadem sacra congregatio respondit : *Tres canonicos cathedralis in civitate teneri assistere episcopo pontificalia exercenti; at extra civitatem non esse cogendos.*

Quoad ordinationes sacr. congr. respondendum esse censuit : *Canonicos prædictos (omnes) teneri ad præfatam assistentiam, quando solemniter in cantu inter divina officia fiunt ordinationes; si vero fiunt privatim, tres tantum ex ipsis debere episcopo inservire.* (7 Decembr. 1658, Gardellini, n. 1797.) — *Teneri et posse cogi canonicos assistere archiepiscopo (seu episcopo) concionanti pontificaliter cum pluviali, mitra et baculo.* (Eadem sacr. congr. Gardellini, n. 3456.)

Pileolo uti non possunt canonici assistentes episcopo in functionibus ecclesiasticis, tam in altari quam in cathedra episcopali, nisi sedeant, sedente episcopo. (S. congr. apud Gardellini, n. 4435 et 4873.)

Canonici compelli nequeunt ad assistendum et inserviendum episcopo dum privatim missam celebrat, nisi adsit consuetudo. (S. congr. Rituum pluries apud Gardell.)

Episcopo pontificaliter celebranti missam canonici debent ministrare septem candelas; assistentes episcopo sedere debent in scabellis nudis; in porrigendo aspersorio et benedictione incensi, osculari debent manum episcopi. Prima dignitas capituli fungitur officio presbyteri assistentis episcopo celebranti seu assistenti, et in benedictione candelarum, cinerum et palmarum. Canonici assistere episcopo renuentes plectendi sunt aliis pœnis ultra amissionem distributionum. Canonici accedentes in habitu ordinario ad aliquam ecclesiam, ad quam episcopus in habitu pariter ordinario accedit, non tenentur genuflectere, dum ipse populo solemniter benedicit, neque eum abeuntem usque ad rhedam associare. Hæc omnia decisa sunt a sacr. congr. Rituum.

III. *Quoad associationem.* — Ex libro I, cap. 2 et 15, Cæremonialis episcoporum, debetur episcopo, rei divinæ peragendæ causa

ad ecclesiam venienti, associatio. Cum igitur episcopus ad ecclesiam progreditur, dummodo sit cappa magna indutus, debent canonici omnes eum comitari et deducere, juxta ordinem a Cæremoniali præscriptum... in redeundo idem ordo servatur.

Debent ad cubiculum accedere, ubi episcopus induitur cappa, et in reditu debent saltem usque ad ostium domus ipsum associare; si vero habitatio erit distantior, usque ad portam ipsius ecclesiæ. Debet prima dignitas aspersorium episcopo offerre, eaque legitime impedita dignior ex capitulo post ipsum. At in alia collegiata ecclesia aspersorium est porrigendum a præposito ejusdem ecclesiæ, vel (quocunque nomine nominetur) ab eo qui in illa digniorem personam gerit. Episcopus, curare debet ut capitulo congruo tempore intimetur hora ejus accessus ad ecclesiam. Quod si accedat aut redeat intra aliquam horam canonicam, satis erit, si quatuor de capitulo eum associent et domum reducant.

Canonici non tenentur episcopum associare, dum mozetta indutus supra rochettum accedit ad ecclesiam ut divinis assistat; tunc enim ex sacr. congr. declaratione dicitur episcopus privatim ad ecclesiam accedere, cum sine cappa pontificali accedit. Eo casu respondit sacr. congr. Rituum teneri saltem duos canonicos ad ostium ecclesiæ excipere et associare episcopum, quando rochetto et mozetta indutus accedit.

Omnia supradicta et multa alia de eadem materia decisa a sacr. congr. Rituum videre est apud Gardellini et Bouix, *De capitulis*, pag. 274, etc.

4° *Quoad paramenta episcopo debita.* — Cum episcopus vult exercere pontificalia, tam in ecclesia cathedrali quam in aliis, subministranda erunt a canonicis e sacristia cathedralis paramenta sacra; nec tenetur sibi de illis providere, ut censuit sacra congregatio, cujus decretum refert Scarfantonius, lib. II, tit. II.

Vicissim autem capitulo ecclesiæ cathedralis debentur post mortem episcopi omnia utensilia et paramenta sacra ab eodem episcopo decedente relicta, prout sancitum fuit in constitutione sancti Pii V, *Romani pontificis*, et confirmatum declaratumque in Pii IX litteris apostolicis, *Cum illud plurimi*, 1 Junii 1847. Quas constitutiones retulimus in lib. II, cap. 20.

§ II. — De episcopi ejusque vicarii generalis jure convocandi capitulum et in eo interveniendi.

Vide supra, XX hujus libri.

§ III. — De episcopi auctoritate in capitulum.

Episcopus jure divino habet in sua diœcesi potestatem jurisdictionis non solum in singulos clericos, sed in ipsum capitulum cathedralis; ideoque potest capitulo præcipere et ad obediendum obligare. Quia vero eodem jure divino potestas jurisdictionis episcopi subjiciatur Romani pontificis auctoritati et legibus ecclesiæ universalibus, sequitur episcopum ea tantum præcipere posse, ad quæ præstanda ex jure canonico tenentur canonici.

Probatur ex capite *Conquerente* 16, tit. XXXI, *De officio ordin.* lib. I *Decret.*, ubi ex una parte assignantur et enumerantur jura ordinarii super ecclesias sibi subjectas, et ex altera parte pontifex legislator ait : *Tu his juribus contentus, non amplius ab eis exigas.* et can. *Quia cognovimus* 6, caus. 10, quæst. 3, ubi concilium Toletanum præcipit ne episcopi plus exigant ultra præscriptum a sacris canonibus. Et cap. 4, sess. 6 Trident., quo datur ut ab episcopis suis *capitula... juxta canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi et emendari, etiam auctoritate apostolica possint et valeant.* In dubio tamen, an aliquid possit mandari ab episcopo, præsumptio semper pro mandato episcopi facienda est, ex communi theologorum et canonistarum sententia. Ita Andreucci, *De tuenda pace inter episcopum et capitulum*, part. I, c. 2, § 2, n. 52, ubi laudatus auctor elenchum aliquem eorum quæ ex jure canonico possunt ab episcopo mandari, sic concinnavit :

« *Ratione status clericalis*, posse episcopum mandare capitularibus, ut vestitu decenti tam intra ecclesiam quam extra utantur; ut evitent feminarum cohabitationem; ut capillos non nutriant; ut sacras rubricas calleant; ut ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant; ut morum integritatem præ se ferant, etc.

« *Ratione officii*, ut choro intersint, cantum Gregorianum discant; ut omnes choro inserviant omnibus diebus Dominicis ac festis de præcepto, totoque Adventus, Quadragesimæ et Octavæ Corporis Christi tempore, ita ut nullus non legitime impeditus per id tempus

vacet; ut omnibus aliis diebus saltem dimidia pars capitularium in choro adsit; ut omnes septem horæ canonicæ in choro persolvantur; ut canonici divina officia per se, et non per substitutos, obeant; ut servetur ordo et tempus ab ecclesia præscriptum in recitatione publica horarum; ut in ecclesia et non in sacristia horæ persolvantur, et alia hujusmodi.

« *Ratione beneficii*, ut capitulum indicatur quando episcopus vult canonicis aliquid proponere; ut capitula non celebrentur tempore divini officii; ut capitulum celebretur singulis hebdomadis et statutis diebus... Præterea ex justa causa potest episcopus inhibere ne convocetur capitulum: item potest pœnis et censuris cogere canonicos ad præstandam sibi copiam actuum capitularium: item potest canonicis mandare ut intersint concioni tempore Adventus et Quadragesimæ, sub pœna privationis distributionum illius diei; ut intersint processionibus ab episcopo de consilio capituli, licet non de ejus consensu, indictis pro publico honore, bono, vel commodo. Præterea potest episcopus mandare ne plures simul sine sua licentia trimestrialem a choro vacationem capiant, ne scilicet cultus divinus detrimentum patiatur: item ut tempore debito resideant, præbendæ fructus ultra triennium non locent, nec omittant celebrare tot ac tales missas, quot et quales tenentur. Item ut solvant cathedraticum, id est, annuam juxta sacros canones pensionem, quæ ob honorem cathedræ seu dignitatis episcopalis datur... Item potest compellere canonicos ad interveniendum collationi casuum... Item capitulum tenetur ad eas processiones accedere, quibus intervenit episcopus pontificaliter cum baculo et mitra.»

Potest episcopus cogere canonicos ad interveniendum lectionibus canonici theologi.

Jus cogendi capitulum ad exhibendos libros, in quibus adnotantur resolutiones capitulares, extenditur ad vicarium generalem episcopi; et comprehendit etiam resolutiones spectantes negotia particularia capituli, licet in eorum tractatione intervenire nequeat episcopus nec ejus vicarius generalis. (Ita card. Petra in const. 1 sancti Leonis Magni sect. 2, n. 55, t. I, et Scarfanton. t. II, p. 110, n. 42.)

§ IV. — De potestate judiciaria episcopi in capitulum.

Certum est capitulum et quemlibet capitularem posse ab episcopo judicari. (C. *Si quis clericus* 1, tit. II *De foro compet.* lib. II *Decretal.*) « Forum competens capituli est tribunal episcopi: unde si juridice capitulum vel capitulares citentur ab eo tribunali, tenentur comparere; alioquin contra illud vel illos respective procedi potest tanquam in reos contumaciæ; excipe nisi per legitimam appellationem, vel legitimam recusationem, capitulares vel capitulum episcopi judicium declinare valeant. » Andreucci, *De tuenda pace*, part. I, c. 2, n. 60.)

Episcopus per se ipsum solum, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, potest procedere contra capitula non exempta et capitulares non exemptos. (Communis, argum. ex cap. 4 sess. 6 Trident. et cap. 6, sess. 25; et cap. 12, sess. 24.)

Nequit vero episcopus procedere contra capitula exempta et capitulares exemptos, nisi adhibitis judicibus ab ipso capitulo adjunctis juxta formam in capite 6 sess. 25 Trident. præscriptam.

§ V. — Quasnam pœnas episcopus canonicis infligere possit.

I. Capitulum non potest ab episcopo excommunicari, quia communitas seu universalitas, qua talis, excommunicari non potest, ut expresse decernitur in capite (*Romana, De sententia excommunicationis*, in 6.) Potest tamen episcopus excommunicare aliquos capitulares delinquentes.

II. « Potest ab episcopo capitulum qua tale suspendi vel interdici... Quando autem capitulum qua tale suspenditur, tunc, nisi aliud in jure aut sententia expresse declaretur, intelligitur suspensio lata in capitulum præcise, ut communitas seu collegium est; ita et taliter ut corpus ipsum capituli, non autem singuli capitulares, a suis propriis et personalibus officiis ac beneficiis suspendantur.»

Ex vi talis suspensionis particulares, ac singulares canonici, licet ut tales non sint ligati a tali suspensione, tamen non possunt nec fructus beneficii capitularis communis percipere, si suspensio sit a beneficio; nec actus jurisdictionis capitularis exercere, si sit ab officio; nec exercere ea

officia divina solita exerceri a communitate capitulari qua tali.

Quando capitulum qua tale interdicitur, tunc tale interdictum non est particulare, sed generale. Ex vi autem talis interdicti manent interdicti singuli capitulares, ut partes capituli sunt... Quia vero censuris parce uti debent ordinarii, ex Tridentino sess. 25, c. 3 *De reform.*; hinc optime notat cardinalis de Luca (discurs. 43, annot. ad concil.) non esse censuras ferendas, quando et ubi per mulctas aliasque pœnas temporales provideri potest...

« Notetur tamen capitulum non posse censurari ob debitum pecuniarium, quia in extravag. *Provide* prohibetur ne censuræ generales ferantur pro debito pecuniario, nisi *de apostolicæ sedis speciali licentia et expressa per ipsius sedis patentes litteras apparente.*

« Notandum etiam quod si aliquando citari debeat capitulum, id faciendum est capitulariter; non enim sufficit citatio facta singulis capitularibus. Quod si capitulum nequeat reperiri congregatum, tunc monendi sunt ii ad quos spectat, ut statuta die et hora capitulum congregent. » (Ex de Luca. — Andreucci, *De tuenda pace*, part. I, c. 2.)

III. Decretum Lateranense cap. *Dolentes* 9, *De celebrat. missæ*, tit. XLI, lib. III *Decretal.*, prohibuit quosdam defectus in persolvendo divino officio sub pœna suspensionis. Potest episcopus observantiam hujus decreti et etiam aliarum a seipso vel a prædecessoribus emanatarum ordinationum circa debitam officii canonicalis solutionem præscribere, non solum sub pœna punctorarum, sed etiam suspensionis a divinis contra canonicum qui officio suo non recte fungitur. Et evulgatio hujus edicti, quod loco patenti in sacrario affixum stare debet, locum tenet monitionis; unde transgressores absque alia monitione puniri possunt, et etiam sine processu et ex sola informata conscientia. (Monacelli, part. III, tit. II, form. 7, adn. 2.)

Si autem episcopus vellet devenire ad privationem canonicatus, ob contumaciam canonici in non residendo, tenetur sequi formam a concilio Tridentino præscriptam, sess. 24, cap. 12 *De reform.* Ibi cautum est a sacra synodo ut non residentes primo anno priventur dimidia parte fructuum quos ratione præbendæ ac residentiæ facerent suos; secundo vero anno privandi sunt omnibus fructibus; et crescente contumacia eorum, ad privationem canonicatus est procedendum. Necesse tamen est quod episcopus volens procedere ad privationem ex causa non residentiæ observet pœnarum gradus a dicto capitulo conciliari præscriptos: præcedat citatio personalis, quodque canonicus sit contumax in non residendo per triennium. (Barbosa, cap. 12, n. 70; Bened. XIV, instit. 107. — Rota, coram Seraph., decis. 1346, n. 5.) Aliter enim facta privatio, est nulla, ut etiam resolvit sacr. congr. Concil. *in Cathacensi* 14 Novembr. 1671. Necesse est etiam ex eodem capite Trident. ut episcopus non minus quam cum duobus canonicis, quorum unus ab episcopo, alter a capitulo eligatur, in iis, quæ expedire videbuntur, provideat. Episcopus tenetur concilium hoc petere, non autem sequi. (Adnot. ad hoc cap. n. 47 edit. *Concilii Trident.*, Coloniæ 1754.)

Prolata vero sententia privationis ob non residentiam cum observatione omnium de jure servandorum, ab ea non datur appellatio suspensiva: secus vero quando non esset servatus ordo præscriptus in sacris canonibus *Ex parte*, et can., *Ex tuæ*, *De clericis non residentibus*; et concilio Tridentino. Quæ omnia applicanda veniunt quoad Galliam, ita ut canonici in conscientia teneantur obedire. (Vide Bouix, *De capitulis*, p. 367, etc.)

§ VI. — De potestate legislativa episcopi quoad capitulum.

I. Ex constitutione divina Ecclesiæ episcopus potestatem habet ferendi leges, quæ omnes sibi subjectos obligant; sed quia ipse episcopus sicut omnes Christifideles subjicitur monarchæ Ecclesiæ supremo, nullam habet potestatem jubendi contra leges a supremo legislatore latas pro universali Ecclesia. Atqui ex capite *Conquerente* 16, tit. XXXI, *De off. ordin.*, lib. I *Decret.*, et can. *Quia cognovimus* 6, causa 10, quæst. 3, nihil potest episcopus contra jus præscribere capitulis, nec etiam ea, ad quæ de jure non tenentur.

« Non potest episcopus sine consensu majoris partis capituli veteres consuetudines in usum revocare, ac longius quam novem mensium chori servitium statuere. Ratio est, quia nequit episcopus sine con-

sensu majoris partis capituli ea disponere quæ sint contra præscriptam consuetudinem capituli, ut colligitur ex capite *Novit*, et capite *Quanto*, *De his quæ fiunt a prælato sine consensu capituli* (et per totum hunc titulum x, lib. III *Decret.*); et magis ex capite *Vestra*, *De locat.*; et videtur hæc communis sententia, apud Felinum in caput *Cum omnes*, *De const.*, et Suarez, *De legibus*, l. IV, c. 5. » (ANDREUCCI, part. I, c. 3, n. 78.) Sic summantur capita supra citata, *Novit* et *Quanto*, tit. X, lib. III *Decret.*: « Prælatus sine consilio capituli instituere, vel destituere, vel alia negotia ecclesiæ tractare non debet. » Et cap. *Vestra* 2, tit. XVIII, lib. III: « Personæ ecclesiasticæ locare possunt proventus decimarum his, cum quibus conditio ecclesiæ fit melior, statuto diœcesano contrario non obstante : et eadem ratio est de aliis rebus ecclesiæ. »

II. Quoad potestatem condendi statuta capituli, hæc potestas jure ordinario ad ipsa capitula pertinet, et ad episcopum spectat ea statuta approbare et corrigere, si opus sit, et facere observari. Episcopus igitur nequit statuta capituli condere, nisi ad hoc sit expresse delegatus a Romano pontifice.

Probatur 1° Glossa, in caput *Constitutionem*, *De verborum significatione*, in 6; 2° multis sacræ Rotæ Romanæ decisionibus; 3° sacr. congr. et concilio Romano sub Benedicto XIII, 1725; 4° auctoritate doctorum. Quæ omnia infra referemus, ubi de potestate capituli sua condendi statuta agetur. Ibidem etiam de potestate episcopi tractabimus.

III. Quoad eleemosynas missarum in cathedralibus et collegiatis. « In ecclesiis in quibus multæ colliguntur eleemosynæ pro missis celebrandis, non licet eas in adeo ingenti numero accipere, si congruo tempore omnibus satisfieri non possit; vel saltem apponenda esset in publico tabella, in qua notum fieret offerentibus eleemosynas, quod celebratio missarum propter ingentem numerum differri oportet, cum dilatio notabilis adimplementi oneris missarum secluso consensu offerentium eleemosynas, sit peccatum mortale, ut firmant quam plurimi. »

« Debent pariter episcopi curare ad prædictum effectum, ne ecclesiarum rectores vel administratores ex eleemosynis missarum sibi retineant aliquam vel minimam portionem, etiam favore ecclesiarum, nisi adeo essent pauperes, ut subire non possent propriis redditibus expensas necessarias pro earumdem celebratione. Quo casu permittere possunt eisdem rectoribus sive administratoribus, ut tantummodo sibi retineant portionem quæ non excedat valorem dictarum expensarum, ut decrevit sacr. congr. Concil. *in Mexicana*, 11 Januarii 1698. »

« Similiter providere debent, ne capitula vel alia loca pia onera missarum perpetua suscipiant, plura quam per sacerdotes eisdem ecclesiis inservientes adimpleri possint, ne detur occasio in longius eorum satisfactionem protrahendi, vel non implendi; eadem sacr. congr. *in Pistoriensi*, 30 Maii 1643. »

« Debent item episcopi injungere canonicis qui in cathedralibus sive collegiatis animarum curam quæ illis annexa est exercent, ut missam parochialem diebus festis celebrent; et hebdomadarii, missam conventualem quotidie celebrantes, non sumant eleemosynam manualem, vel aliis obligationibus etiam ipsius cathedralis vel collegiatæ satisfaciant, non obstante quacunque contraria consuetudine; cum canonicus hebdomadarius missam conventualem pro benefactoribus, et canonicus curatus pro populo applicare teneantur, ut sæpius resolvit sacr. congr. Concilii. »

« Et tandem curare debent episcopi, ut in ecclesiis, præsertim ubi plures missæ celebrantur, tam vigore onerum perpetuorum, quam oblationum manualium, retineantur duo libri, in quibus diligenter annotentur eleemosynæ quæ dietim recipiuntur, cum adimplemento missarum ex utraque obligatione, ac retineatur capsa particularis pro reponendis eleemosynis manualibus; ut de dicto implemento rationem exigere queant ab iis quos spectat, prout rigorose tenentur virtute decreti Innocentii XII *De celebratione missarum* de die 21 Decembris 1697. Contra contumaces vero in non implendis missis, procedere debent.

« Illud tamen observandum est quod episcopus non potest in ecclesia cathedrali, sive collegiata, prætendere administrationem eleemosynarum quæ colliguntur pro celebratione missarum manualium, sive illud alteri ad ejus voluntatem demandare, cum hoc spectet ad capitulum et ab eo deputatum, ut censuit sacr. congr. Concil. *in Sarnensi*, 27 Junii 1705. » (SCARFANTON., tom. II, p. 6 et 7.

§ VII. — De jure episcopi visitandi capitula et capitulares.

Concilium Tridentinum sess. 6, cap. 4, *De reform.*, jus illud episcopi sic confirmavit: *Capitula cathedralium et aliarum majorum ecclesiarum, illorumque personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis et concordiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quominus a suis episcopis et aliis majoribus prælatis, per seipsos solos, vel illis quibus sibi videbitur adjunctis, justa canonicas sanctiones toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi et emendari, etiam auctoritate apostolica possint et valeant.* Hocque decretum complevit sancta synodus sess. 25, c. 6, ubi etiam specialia pro capitulis exemptis statuit.

Intra tempus visitationis potest episcopus quoscunque de capitulo visitare et pœnis corrigere; non tamen potest imponere pœnas ordinarias per formam judicialem, sed extraordinarias tantum: quæ magis morum correptionem quam punitionem respiciant. Ita decisum a sacr. congr. Concil. 23 Novembr. 1647, et sæpius.

Episcopus potest occasione dictæ visitationis sibi facere deferri libros capitulares, in quibus apparent administrationes, tam redditiuum capituli, quam aliorum piorum operum, ad proprium palatium; absque eo quod teneatur ipse accedere ad aulam capitularem ad revisendos libros. Et posset contra canonicos renuentes etiam per censuras procedere... (Ita decrevit Rota *in Hispalensi*, 30 April. 1700, et 25 Novembr. 1701 coram Molines.)

Si episcopus visitare velit ex decreto sess. 6, cap. 4, *De reform.*, debet id personaliter agere; secus si ex aliis decretis concilii, cum id per suum vicarium generalem aut visitatorem facere possit, si modo legitime impeditus fuerit, ut permissum est sess. 24, c. 3, *De reform.*, etiamsi de visitandis exemptis ageretur, cum dict. cap. 3 exemptiones tollat, et a sacr. congr. Concilii *in Toletana* resolutum fuit quod possit episcopus etiam per delegatum visitare capitulum cathedralis. »

« Si episcopus visitare velit totum capitulum, debet accedere ad locum ordinarium capituli, in quo solent capitulares congregari, et eorum actus expediri consueverunt, si id tamen commode fieri potest. Sin minus ad locum congruum et communem. Sed non tenetur accedere ad locum capituli, quoties prosequi velit visitationem alicujus personæ de capitulo; et si capitulum occasione visitationis convocare ipse voluerit, non potest extra locum solitum congregare. » (Sacr. congr. Concil. apud Barbosam *in summa apostolic. decis.* colletan. 717, n. 9. — Apud Ferrar. verb. *Visitare*, n. 90.)

§ VIII. — De canonicis servitio episcopi addictis.

« Hoc est privilegium episcopi speciale, ut possit pro servitio suo uti opera duorum canonicorum, etiam sine capituli consensu, et non probata utilitate ecclesiæ. Non potest tamen in suo servitio adhibere ultra duos canonicos, ut probatur capite *Ad audientiam*, tit. IV, lib. III *Decret.*, idque ecclesiarum usus approbavit. (Fagnan. in I part. lib. III *Decret.* cap. *De cætero*, n. 8 et communis.) Intelligitur, ita ut per tale servitium isti duo canonici dispensentur a servitio chori, et tamen percipiant fructus præbendarum suarum. Si isti duo canonici choro non intersunt, non lucrantur distributiones quotidianas, nisi forte præbenda ipsa consisteret in quotidianis distributionibus: tunc enim tertia tantum pars censenda esset reservata pro distributionibus proprie dictis, et interessentibus choro distribueretur; duas autem alias partes lucrarentur prædicti canonici. Fagn. loc. cit. Canonici tamen Romam ab episcopo missi pro visitatione ad limina vel ipsum comitantes lucrantur etiam distributiones; non vero canonici lustrantes diœcesim cum episcopo. (Ita decisum vide apud Benedictum XIV, instit. 107, § 9.)

« Non solum ex cathedrali, sed etiam ex collegiatis, ait Benedictus XIV, *ibid.*, duos canonicos ad suum servitium detinere potest episcopus, uti sacra congregatio respondit 1 Septembr. 1663. »

Potest autem episcopus sibi eligere duos quoslibet ex dignitatibus, vel canonicis, aut beneficiatis, exceptis iis, qui curam animarum gerunt, excepto etiam pœnitentiario, et exceptis pariter coadjutoribus. (Ita censuit sacr. cong. apud Benedict. XIV, *ibid.*)

CAPUT XXIII.

De juribus et obligationibus capitulorum in adjuvando et supplendo episcopo in Ecclesiæ regimine, sede plena.

§ I. — Capitulorum finis et necessitas.

Capitulum ecclesiæ cathedralis est collegium ab Ecclesia institutum, episcopo in

adjutorium datum, et de regimine ecclesiastico participans. In hocque consistit essentia capituli.

Ab antiquitate veneranda et etiam apostolica, capitulum est consilium et senatus episcopi. Concilium Carthaginense IV præcipit, can. 22 : *Ut episcopus sine consilio clericorum suorum clericos non ordinet.* Et can. 23 : *Ut episcopus nullius causam audiat absque præsentia clericorum suorum : alioqui irrita erit sententia episcopi, nisi clericorum sententia confirmetur.* Concilium Elnense, anno 1065, remittit causas ad judicium episcopi et canonicorum : *Emendat ad judicium episcopi et canonicorum*, etc... *Querela ad episcopum, vel ad canonicos fiat.* Alexander III hanc disciplinam confirmavit in sua decretali, capite *Novit* 4, tit. X, lib. III *Decretal.* ibi : *Novit plenius tuæ discretionis prudentia, qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis : ita quod tu caput, et fratres tui membra esse comprobentur. Unde non decet, omissis membris, te aliorum consilio in ecclesiæ tuæ negotiis uti; cum id non sit dubium, et honestati tuæ, et sanctorum Patrum institutionibus contraire. Innotuit autem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum, abbates, abbatissas, et cæteras personas ecclesiasticas instituis et destituis, non considerans neque attendens, quomodo te non sit dubium statuta SS. canonum transgredi. Ideoque id auctoritate apostolica prohibemus..... nos enim tales institutiones et destitutiones carere decernimus robore firmitatis.*

Concilium Tridentinum sessione 24, cap. 12, *De reform.*, sic capitulorum institutionem declarat : « Cum dignitates, in ecclesiis præsertim cathedralibus, ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, ut, qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliisque exemplo essent, atque episcopos opera et officio juvarent : merito, qui ad eas vocantur tales esse debent, qui suo muneri respondere possent... omnes vero (canonici)..... ea morum integritate polleant, ut merito Ecclesiæ senatus dici possit... »

« Sed hodie forte propter ignorantiam canonicorum communiter episcopi contra eos præscripserunt, ut ipsi soli absque capituli consilio de criminibus inquirant, et jurisdictionem exerceant, et valet talis præscriptio seu consuetudo. » (Ita plures et Glossa, apud Fagnan. in I part. lib. V *Decret. De accusatione ;* cap. *Qualiter et quando, il secondo*, n. 14.)

Concilium vero Tridentinum in multis quoad capitula et canonicos jus decretalium immutavit. Ideoque jura capitulorum, ubi non fuerunt legitime præscripta seu a concilio Tridentino immutata, manent intacta; ita ut ex his juribus ab Ecclesia statutis promanant correspondentes obligationes. Atqui in decreto novæ creationis uniuscujusque Ecclesiæ cathedralis Galliarum post anni 1801 Concordatum, præscribitur ut canonici et capitula... « eidem ecclesiæ laudabiliter deservire debeant et teneantur,.... episcopumque in diœcesis, prout in jure constitutum est, adjuvent administratione. » Id præscriptum fuerat in decreto cardinalis Caprara et bulla Pii VII pro nova diœcesium circumscriptione.

Capitula igitur Ecclesiæ laudabiliter deservire tenentur, et episcopum in diœcesis administratione adjuvare tenentur ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam... atque episcopos opera et officio juvare, prout habetur in cap. 12 sess. 24 *Trid.* supra cit. Non ergo videtur liberum capitulis sese ab officio eorum et obligationibus abstinere, quia episcopus eorum consilium, consensum et operam non requireret.

In periclitatione igitur disciplinæ ecclesiasticæ tenentur capitula cum debita reverentia episcopum primo admonere, et, si contumax fuerit, ad sanctam sedem apostolicam causarum relationes fideles mittere debent. Hæc stricta obligatio capitulorum concluditur ex omnibus præmissis, et præsertim ex decretali Bonifacii VIII, an. 1298, cap. un. *Pastoralis*, tit. V, lib. III *Decretal.* ibi : *Verum ne hoc prætextu Ecclesiæ (existentes præcipue in remotis) dispendia patiantur : nos earum in hac parte indemnitatibus præcavere volentes, hac generali constitutione sancimus, ut episcopus senio aut valetudine corporali gravatus, vel etiam alias adeo impeditus perpetuo, ut officium suum nequeat exercere, possit de sui consilio et assensu capituli, vel majoris partis ipsius, unum vel duos auctoritate apostolica coadjutores assumere, ad dictum officium exsequendum..... Si autem episcopus senio aut incurabili morbo gravatus, vel perpetuo impedimento detentus, ad sui executionem officii reddatur inutilis : et coadjutorem assumere vel habere*

noluerit, licet a capitulo requisitus proprio, se illius non indigere suffragio forsitan asserendo : tunc nil per capitulum innovetur, sed hoc casu et etiam proximo, idem capitulum episcopi et Ecclesiæ suæ conditionem et statum, ac facti circumstantias universas, quam cito poterit, fideliter et explicite referat ad notitiam dictæ sedis, recepturi humiliter, et efficaciter impleturi, quod super hoc per sedem ipsam contigerit ordinari..... Cæterum quod de episcopis præmittitur, ad superiores etiam prælatos esse volumus et intelligimus referendum.

Si igitur quis episcopus (quod absit) alias adeo impeditus perpetuo esset, ut officium suum exercere nequeat, verbi gratia, si scientia juris et theologiæ competenti careret nullosque theologos et canonistas consultores haberet, consilium capituli in iis in quibus requiritur, aut consensum in iis in quibus præscribitur a jure, negligeret aut respueret; si diœcesim contra sacros canones perpetuo administraret suo arbitrio, cum magno clericorum et fidelium detrimento et scandalo aut murmuratione et jactura obedientiæ et reverentiæ dignitati episcopali debitarum, etc. : tunc cum isti casus sint casui decretalis pastoralis *proximi*, capitulum cum debita reverentia episcopum admonere et requirere debet ut ecclesiasticam disciplinam observet. Quod fieri solet et debet per resolutiones capitulariter deliberatas et in regestis capituli scriptas et subscriptas, et ad notitiam episcopi reverenter relatas. Quod si, licet a capitulo requisitus proprio, episcopus contumax fuerit : *tunc nil per capitulum innovetur, sed* iis casibus *casui* decretalis supra relato *proximis, idem capitulum episcopi et ecclesiæ suæ conditionem et statum, ac factorum circumstantias universas, quam cito potest, fideliter et explicite referat ad notitiam dictæ* (sanctæ) *sedis, recepturi humiliter, et efficaciter impleturi, quod super hoc per sedem ipsam contigerit ordinari...*

Ex præmissis infertur quod capitulum sua jura conservare et tueri debeat, et quoties læsa fuerint capitulariter reclamare quando potest, teneatur; quia jura et obligationes capitulorum sanxit Ecclesia per suas universales leges sive ex conciliis, sive ex pontificis auctoritate latas; *et ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam* ipsa capitula *fuerint* instituta. (C. 12, sess. 24 *Trid.*) Hoc vero debitum capitula adimplere tenentur absque strepitu et scandalo, cum prudentia, discretione et vero Dei et Ecclesiæ ejus amore, cum reverentiali charitate erga episcopum, qui est caput cujus sunt corpus et membra

§ II. — De jure quod habet capitulum ut episcopus requirat ipsius consensum.

I. « Consensus capituli episcopo necessarius (ita ut non sufficiat adhiberi consilium) in omnibus in quibus ecclesiæ obligatio aliqua notabilis imponitur, verbi gratia, ex deposito, fidei jussione, mutuo, donatione. Item in omnibus negotiis in quibus Ecclesiæ et successoribus notabile præjudicium generari potest. Item generatim in iis quæ ad prælatum simul et capitulum spectant, et in iis de quibus capituli specialiter interest. » (Leuren. *For. eccles.* lib. III, tit. X, quæst. 108.)

II. Non requiritur consensus capituli in prædictis negotiis, quando sunt minora, aut non creant notabile præjudicium capitulo vel successoribus, supposito tamen non vigere contrariam consuetudinem. « Quemadmodum enim alicubi vigere potest consuetudo legitime præscripta juri communi contraria, ut etiam in negotiis arduis prælatus procedere possit sine consensu capituli, ita etiam e contra vigere potest consuetudo, ut etiam in minoris præjudicii negotiis hic consensus sit necessarius. Estque talis (utraque) consuetudo..... diligenter attendenda, præsertim ubi ex rationabili causa introducta. » (Leuren. loc. cit., et Reiffenstuel, tit. 10, lib. III, *Decretal.* n. 25.)

III. « In iis, quæ jure devolutionis agit episcopus, consensum capituli requirere non tenetur; nec in iis in quibus procedit auctoritate specialiter delegata; secus, si procedat jure ordinario delegationis, hoc est, potestate sibi constanter pro certis causis delegata a papa vel vigore concilii Tridentini. » (Id. *ibid.*)

IV. Omissio consensus capituli, quando ille consensus de jure requiritur, actum episcopi invalidum reddit et nullius effectus. Excipitur tamen casus in quo episcopus impediret ne bonum aliquod acquireretur. Repudiatio, verb. gr. donationis oblatæ ecclesiæ, facta a prælato sine consensu capituli, valida est, ut tenent communiter canonistæ. (Id. *ibid.* quæst. 108.)

Hæc in genere de requisito capituli consensu; quoad præcipuos casus speciales in

quibus consensus ille de jure communi requiritur, vide caput 5 lib. II *De episcopis*, supra. Quibus addere sequentia utile est.

§ III. — De specialibus casibus in quibus capituli consensus requiritur.

I. *In alienatione rerum Ecclesiæ.* — Cap. *Sine exceptione* 52, caus. 12, quæst. 2, ex epistola Leonis papæ, ibi : *Sine exceptione decernimus ne quis episcopus de rebus ecclesiæ suæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat ; nisi forte aliquid horum faciat ut meliora prospiciat, et cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat quod non sit dubium profuturum Ecclesiæ : episcopus rebus ecclesiæ tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur. Irrita enim episcoporum venditio et commutatio rei ecclesiasticæ erit absque conniventia et subscriptione clericorum.* Et cap. 1, tit. x, lib. III *Decretal.* ibi : *Irrita erit episcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei ecclesiasticæ, absque collaudatione et subscriptione clericorum.* Et cap. 8, *Ut super*, tit. XIII, lib. III *Decretal.*, ibi : *Possessiones vero, quæ Ecclesiæ tuæ minus sunt utiles, pro aliis utilioribus de fratrum tuorum et senioris partis consilio et assensu alienandi seu commutandi liberam concedimus facultatem.* His juribus fundati tenent unanimiter canonistæ non posse alienari res Ecclesiæ cathedralis sive immobiles, sive mobiles pretiosas, sine consensu capituli.

Pro bonis Ecclesiæ collegiatæ requiritur etiam consensus capituli collegialis. — In ecclesiis inferioribus requiritur consensus clericorum illarum ecclesiarum, et præter consensum etiam episcopi, requiritur consensus capituli cathedralis et tractatus cum eo, si episcopus est principalis auctor alienationis. (Argum. ex cap. 8 *Tua nuper* ; et cap. 9 *Pastoralis*, tit. x, lib. III *Decretal.*)

Porro requiritur ut consensus capituli collegialiter detur, et sit præstitus prævio tractatu, et quidem diligente et solemni, habito cum capitularibus in unum congregatis, quo prælatus cum capitulo seu conventu de proposita rei alienatione deliberat. Subscriptio capituli ita necessaria est ut, nisi fiat, alienatio sit irrita, textu expresso, cap. *Irrita* supra cit. Attamen consuetudine satis est ut dicat notarius factam alienationem de consensu majoris partis capituli. Quod si autem notarius adhibitus non fuit, solet instrumento alienationis apponi sigillum capituli, una cum subscriptione præsidis, senioris et aliorum saltem nomine collectivo designatorum. » (LEURENIUS, loc. cit. quæst. 108.)

Præter supra relata jura, Paulus papa II anno 1468 per decretalem *Ambitiosæ*, inter *Extravag. communes*, lib. III, tit. IV, omnino statuit beneplaciti apostolici necessitatem ad alienanda bona ecclesiastica ; ibi : *Ambitiosæ cupiditati illorum præcipue qui divinis et humanis affectati, damnatione postposita, immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata, ex quibus ecclesiæ, monasteria et pia loca reguntur, illustrantur, et eorum ministri sibi alimoniam vindicant, profanis usibus applicare, aut cum maximo illorum ac divini cultus detrimento exquisitis mediis usurpare præsumant, occurrere cupientes, omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omneque factum, per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum, præterquam in casibus a jure permissis, ac de rebus et bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, et cum ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus et bonis, quæ servando servari non possunt, constitutione præsenti fieri prohibemus : prædecessorum nostrorum constitutionibus, prohibitionibus, et decretis aliis super his editis, quæ tenore præsentium innovamus, in suo nihilominus permansuris. Si quis autem contra hujus nostræ prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem quidquam alienare præsumpserit, alienatio, hypotheca, concessio, locatio, conductio et infeudatio hujusmodi, nullius omnino sint roboris vel momenti. Et tam qui alienat quam is qui alienatas res et bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat. Alienanti vero bona ecclesiarum, monasteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconsulto Romano pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem, si pontificali seu abbatiali præfulgeat, dignitate, ingressus Ecclesiæ sit penitus interdictus. Etsi per sex menses immediate sequentes, sub interdicto hujusmodi animo (quod absit !) perseveraverit indurato, lapsis mensibus eisdem e regimine et administratione suæ ecclesiæ vel monasterii, cui præsidet in spiritualibus et temporalibus, sit eo ipso suspensus. Inferiores vero prælati, commendatarii, et aliarum ecclesiarum rectores, beneficia vel administrationem quo-*

modolibet obtinentes, prioratibus, præposituris, præpositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus, officiis, canonicatibus, præbendis, aliisque ecclesiasticis cum cura et sine cura sæcularibus et regularibus beneficiis, quorum res et bona alienarunt duntaxat, ipso facto privati existant, illaque absque declaratione aliqua vacare censeantur, possintque per locorum ordinarios, vel alios, ad quos eorum collatio pertinet, personis idoneis (illis exceptis quæ propterea privatæ fuerint) libere de jure conferri, nisi alias dispositioni apost. sedis sint specialiter aut generaliter reservata: nihilominus alienatæ res et bona hujusmodi ad ecclesias, monasteria et loca pia, ad quæ ante alienationem hujusmodi pertinebant, libere revertantur. (Vide etiam totum titulum XIII, *De rebus Ecclesiæ alienandis vel non*, lib. III *Decretal.*)

Concilium Tridentinum sess. 22, cap. 11 *De reform.* occupantes bona ecclesiastica.. quacunque arte, aut quocunque quæsito colore anathemati submittit tandiu, quandiu... integre restituerint, *ac deinde a Romano pontifice absolutionem* obtinuerint.. *Clericus vero, qui nefandæ fraudis, et usurpationis hujusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat, necnon quibuscunque beneficiis privatus sit, et ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem, et absolutionem, sui ordinarii arbitrio suspendatur.*

Eadem sancta synodus sess. 25, cap. 11 *De reform.*, longas ecclesiasticarum rerum locationes, etc., etiam auctoritate apostolica confirmatas irritas decernit. Sunt et aliæ posteriores de prohibita bonorum ecclesiasticorum alienatione constitutiones, quas vide citatas supra lib. II, *De episcopis*, c. IX.

« Igitur, ait cardinalis Petra in const. 1, sancti Leonis Magni sect. 3, n. 60, post extravagantem citatam Pauli II quæ novum jus in hac materia induxit, duo tantum regulariter requiruntur ad validam alienationem bonorum Ecclesiæ, scilicet causam, necnon beneplacitum apostolicum ; nec una sine altero actum validum facere potest.. ita ut per dictam extravagantem fuerit avocata potestas episcopis concedendi placitum hujusmodi, reservatis casibus ibidem contentis. »

« Dictum beneplacitum in dicta extravaganti requisitum supplet omnes et quascunque juris antiqui solemnitates supra enuntiatas.. et eo magis supplet, si adsit in beneplacito clausula *supplentes*.. et juxta opinionem veriorem Rotæ, supplet quoque dictum consensum (capituli).. quod tamen intelligendum est si consensus capituli requiratur pro solemnitate ; nam si sit pro interesse, erit requirendus et obtinendus. » (Id. *ibid.* n. 3 et seq.) — « Beneplacitum tamen nequit supplere causam.. nam causa, et nihil aliud, movet pontificem ad concedendum beneplacitum.. Nisi tamen papa ageret de plenitudine potestatis, nam eo casu esset validus actus alienationis factus sine causa ; nam papa non est simplex administrator rerum Ecclesiæ, sed habet in illis administrationem dominicalem profluentem ex jure monarchico.. » (Id. *ibid.*, n. 65.)

Concilium Tridentinum alias severiores pœnas addidit pœnis et censuris decretalis *Ambitiosæ*. Quas pœnas tum decretalis *Ambitiosæ*, tum concilii Trident. sess. 22, c. 11, incurrere videntur canonici et clerici consentientes absque legitima causa et beneplacito apostolico ad alienationem seu usurpationem quamcunque rerum ecclesiasticarum. Quia vero per concordatum anni 1801 et ejusdem bullas confirmativas, etc, omnes consuetudines et privilegia Ecclesiarum Galliarum suppressa et abolita fuerint, eædemque Ecclesiæ de novo creatæ juri communi omnino subjectæ fuerint, certum est jura supra relata de rerum ecclesiasticarum alienatione esse in Galliis obligatoria ; et violentia quam patitur Galliarum Ecclesia de usurpatione potestatis civilis, non impedit quin leges ecclesiasticas adimpleant episcopi, canonici et alii, et beneplacitum apostolicum, in casibus requisitis, petant priusquam gubernii præscriptionibus relate ad bona ecclesiastica se submittant, ut ex necessitate coguntur sese subjicere, donec meliora elucescant tempora, et sua Galliarum Ecclesiis restituatur legitima libertas, ut bene ait Bouix, *De capitulis*, p. 393.

Certum est non requiri beneplacitum apostolicum, nec consensum capituli ad alienationem rerum valoris minimi. Sic enim habet canon *Terrulas*, cons. 12, quæst. 2: *Terrulas, aut vineolas exiguas et Ecclesiæ minus utiles aut longe positas et parvas, episcopus sine consilio fratrum (si necessitas fuerit) distrahendi habeat potestatem.* Congregatio Concilii 11 Jun. 1596, censuit, neque consti-

tutionem Pauli II, neque concilii Trident. decretum derogasse dispositioni c. *Terrulas*, c. 12, quæst. 2. — « Plures tamen conditiones concurrere debent ut habeat locum dispositio hæc canonis *Terrulas*. Et *primo* valor modicus, id est ex sacr. congr. Episc. 22 Martii 1611, valor non supra viginti quinque scutorum auri (moneta Galliæ, circiter 188 *francs*). *Secundo* ut res non sit utilis Ecclesiæ... *Tertio* auctoritas ac decretum ordinarii, causa cognita, interpositum. » (Card. *Petra* in const. *Ambitiosæ*, sect. 2, n. 59 et seq.)

II. De jure communi requiritur consensus capituli ad erectionem novæ parochiæ, canonicatus, vel dignitatis et ad concedendam alicui monasterio ecclesiam parochialem. (C. *Tua nuper* 8, et *Pastoralis* 9, tit. x *De his quæ fiunt a prælato sine consensu capituli;* et c. *Non licet* 1, tit. XIII, lib. III *Decret.*)

III. Requiritur consensus capituli ad unienda vel disjungenda beneficia et supprimenda. Et quando vult unire suæ mensæ et mensæ totius capituli, indiget etiam episcopus beneplacito apostolico; secus vero si vult unire aliquid beneficium præbendæ canonicali particulari, cum hanc indulsit episcopis facultatem Trident. conc. sess. 24, c. 15, quoties minus tenues essent præbendæ.

IV. Consensus capituli requiritur in exigendo subsidio charitativo pro prima vice; et pro aliis episcopo etiam sedis apostolicæ venia opus est. (Devoti, *Institut. canon.* lib. II, tit. XV, n. 4.)

V. « Spectato jure communi antiquo, in puniendis et corrigendis excessibus clericorum ab episcopo, requiritur consensus capituli cathedralis, ita ut sine illo lata sententia episcopi esset nulla. (C. *Episcopus nullius*, causa 15, quæst. 7. Et cap. 1 *De excessibus prælatorum.* (Hodie tamen ex sententia doctorum, auctoritate sacræ Rotæ Romanæ, concilio Tridentino, declarationibus sacræ congregationis 17 Maii 1623 ab Urbano VIII confirmatis, valet consuetudo legitime præscripta, ut episcopus in inquirendis ac puniendis criminibus subditorum, capituli sui consensum, nec quidem consilium requirere non teneatur. (*Vide* probatum apud Bouix, *De capitulis* p. 398 et seq.)

VI. Sacræ congregationis Concilii stylus est ut in eligendis examinatoribus prosynodalibus requirat consensum capituli.

§ IV. — De jure capituli ut episcopus requirat ipsius consilium.

Cap. *Novit* 4, tit. x *De his quæ fiunt a prælato sine consensu capituli;* lib. III *Decretal.*, sic summatur : *Prælatus sine consilio capituli instituere, vel destituere, vel alia negotia Ecclesiæ tractare non debet.* Et cap. *Quanto* 5 ejusdem tituli et libri, ibi: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus et confirmationibus et aliis ecclesiæ tuæ negotiis fratres tuos requiras, et cum eorum consilio, vel sanioris partis, eadem peragas et pertractes et quæ statuenda sunt statuas, et errata corrigas et evellenda dissipes et evellas.* Et cap. *Pastoralis* 9, *ibid.* Ex quo juris textu sic concludit Leurenius, *For. eccles.* lib. III, tit. x, quæst. 104 : « Exquirere in pluribus consilium capituli tenetur prælatus; ita ut, dum jura actum geri volunt cum consilio capituli, is, sine eo requisito et congruo tempore exspectato gestus, etiamsi de cætero gestus cum consilio aliquorum confratrum seu capitularium sit irritus. » Et ita communis canonistarum sententia... Nihilominus tenent communius canonistæ consuetudinem non exposcendi consilium capituli, posse legitimam evadere.

« Tanquam certa admittenda est regula generalis, debere episcopum in omnibus arduis negotiis consilium capituli exquirere : at simul certum est dari posse consuetudinem quæ episcopum a tali regula, ex parte saltem eximat. » — « Dantur speciales casus in quibus jura expresse decernunt requirendum ab episcopo esse consilium capituli : ast etiam in his casibus potest episcopus a tali obligatione per consuetudinem contrariam legitime præscriptam eximi. » — At « non videtur valida consuetudo, etiam quadragenaria, nunquam et in nullis rebus capituli consilium expostulandi... tali enim consuetudine fraudaretur ecclesia scopo ab ipsa principaliter intento in capitulorum institutione, si quidem ideo vult exsistere capitula, ut sint *consilium episcopi et ecclesiæ senatus, ut provideatur consilio episcoporum.* » (Bouix, *De capitulis*, pag. 669 et seq.

Vide casus aliquos speciales, in quibus requiritur capituli consilium, supra lib. II, *De episcopis*, cap. 5, § 4.

§ V. — De capitulo cathedrali tanquam consilio episcopi, in Gallia.

Certum videtur ante novarum Galliæ ecclesiarum erectionem per bullam Pii VII *Qui Christi Domini*, constanter viguisse in illa regione jus commune episcopos obligans ad exposcendum in multis capitulorum consilium et consensum. Sed hoc ad præsentem quæstionem non refert, cum certum sit et probatum hodiernas Galliæ ecclesias de novo institutas fuisse sub jure communi, et capitula erecta et instituta fuisse sub eodem jure, et ideo, ait Pius VII in dicta bulla, quod *necesse sit episcoporum consilio consulere*. Et, ut ait cardinalis Caprara in titulo erectionis Ecclesiæ Parisiensis, *eumdem* (episcopum) *in diœcesis, prout in iure constitutum est, adjuvent administratione.*

Igitur subjacent hodierni Galliarum episcopi juri communi consilium seu consensum capitulorum requirendi, nisi contraria consuetudo post concordatum alicubi introducta jam legitime præscripserit. Hæc vero consuetudo, sicut et multæ aliæ, non videtur legitimari posse tandiu, quandiu Ecclesiæ et capitula Galliarum sua libertate non gaudebunt: quia consuetudines ortæ ex libertatis ecclesiasticæ oppressione efficiunt quasi unicam ingentem consuetudinem, qua tenditur ad fere totius Ecclesiæ juris abolitionem; unde nihil irrationabilius excogitari potest, ideoque tales consuetudines propter irrationabilitatem disciplinæ ecclesiasticæ corruptivam quam secum important et regiminis ecclesiæ subversionem quam singulæ et omnes simul sumptæ adducunt, nunquam legitime præscribi possunt.

§ VI.—Alia jura quæ a capitulo cathedrali exerceri possunt.

1. Capitulo, etiam sede plena, potest competere jus conferendi beneficia, etiam privative ad episcopum, ut colligitur clare ex cap. *Nulla* 2, *De concessione præbend.*

2. Ad capitulum, episcopo exsistente hæretico, spectat facultas concedendi dimissorias. Imo ipsas dimissorias sufficit obtinere ab uno ex canonicis, si reliqui propter hæresim sint dispersi. (Sic sacr. Congr. concil. 14 Januar. 1588; Ferraris, verb. *Capitulum*, art. 3, n. 13 ad 16.)

3. Capitula cathedralium, etiam vivente episcopo, imo et capitula collegiatarum quasi episcopalem jurisdictionem habentia, vocanda sunt et admittenda, aut eorum nuntii ad concilia provincialia, præsertim ad ea tractanda, quæ capitula ipsa contingere dignoscuntur. (C. *Et si membra*, 10, *De his quæ fiunt a prælat. sine consensu capit.*; sacr. congregr. Concil. (In. *ibid.* n. 16 et 17.

A fortiori vocanda sunt capitula ad synodum diœcesanam, cujus statuta non tenent absque capituli consilio.

CAPUT XXIV.

De jure capituli condendi statuta.

§ I. — Jus habet capitulum condendi statuta.

Probatur. I. Cap. *Constitutionem, De verborum significatione*, in 6, supponit *canonicos cujusvis ecclesiæ* jus habere statuta faciendi; et Glossa super hoc caput addit, ad verbum *Statutum*, ibi :

« Ex hoc, et ex eo quod dicitur in fine, videtur quod canonici possunt facere statuta, dummodo alias sint licita. Solet dici quod capitulum sine episcopo statuta facere non potest quæ tangant generalem statum Ecclesiæ vel tangant episcopum, vel ejus jura...; est enim prælatus caput, a quo non licet membrum recedere...; et hæc vera sunt, etiamsi capitulum talia statuat cum archidiacono suo, vel præposito, vel alio qui post episcopum præsit capitulo. Si vero statuat super iis quæ non tangunt episcopum, vel statum Ecclesiæ, sed sua singularia negotia, puta quod certis modis quotidianas obventiones distribuant, vel quod certo modo ad capitulum vocentur: puta per talem campanam, vel alio modo: vel quod certis temporibus etiam non vocati veniant ad capitulum, vel his similia, satis potest dici quod super his tenet ipsius capituli constitutio sine episcopo, alias licita et legitima. »

Cap. *Cum omnes* 6, cap. *Cum accessissent* 8, cap, *Cum M. Ferrariensis* 9, cap. *Ex parte* 12, tit. II *De constitutionibus*, lib. I *Decretalium*, recognoscunt jus certum capitulorum et canonicorum statuta condendi et reformandi. Cap. *Ex litteris* 11, ejusdem titul et libri, istud ipsum jus admittit in inferioribus universitatibus. Cap. *Significatum* 11 tit. V, *De præbendis*, lib. III *Decret.* jus capitulorum agnoscit et confirmat auctoritate apostolica.

II. Ex multis sacræ Rotæ decisionibus « Explorati juris est capitulum posse sta-

statuere super his quæ ad ipsum pertinent... Licet capitula ecclesiarum super his quæ tangunt negotia sua singularia, puta quod certis modis quotidianæ obventiones distribuantur, vel quod certo modo ad capitulum vocentur, vel his similia statuta condere possint ; sine episcopi tamen vel papæ auctoritate non possunt constituere aliquid circa illa quæ tangunt generalem statum Ecclesiæ, episcopum, vel ejus jura. » Ita sacr. Rota fere iisdem in multis decisionibus apud Bouix, *De capitulis*, p. 409 et seq., et hæc per se patent.

III. Sacræ congregationes Episcoporum et Concilii idem jus capitulis agnoscunt : « Inest capitulo facultas propria decreta immutandi, declarandi, revocandi, dummodo in his eadem quæ anteactis decretis solemnitas intercedat. » (S. congr. Episcop. et Regul. 3 Martii 1615 et sæpius.

IV. Concilium Romanum anni 1725 decrevit hoc modo : *Ecclesiarum capitulis ... definite præcipimus ac mandamus, ut antiqua si qua habent statuta et capitulares constitutiones depromant; et ubi non adsint, sex infra saltem menses post præsentis concilii publicationem, sub ecclesiastici interdicti pœna, omnino conficiant, et utraque, antiqua scilicet et nova . . . suos respective per episcopos accurate examinanda et corrigenda deducant, atque approbanda præsentent.*

Episcopi igitur in iis examinandis, si quid contra jus, vel Tridentini concilii decreta aut pontificias constitutiones irrepsisse cognoverint, super eo sedem consulant apostolicam, a qua juris remedia exspectent. Consuetudines autem nonnisi rationabiles et honestas admittant; et si quas a ratione declinasse, vel contra Breviarii vel Missalis, Cæremonialis episcoporum, Pontificalis vel Ritualis Romani rubricas inolevisse, ac proinde indebitam legis speciem usurpasse compererint, eas vel corrigant, vel omnino delendas decernant. (*Concil. Rom.* 1725, tit. II, c. 4.) Et in sequenti capite dicit Benedictus XIII se extendere illud decretum extra synodum *ad omnes metropolitanos*. Et sacr. congr. Concilii istud concilium pro regula dat capitulis consultantibus, ut nuper capitulo Briocensi in Gallia.

Ex hoc concilii Romani decreto episcopi non possunt propria potestate corrigere statuta capitularia, in quibus aliquid contra jus vel Tridentini decreta aut pontificias constitutiones irrepsisset, sed super eo sedem consulant apostolicam, a qua juris remedia exspectent. Possunt vero consuetudines rationabiles et honestas admittere et corrigere quæ essent contra rubricas.

V. Ex auctoritate doctorum, Suaresius, *De legibus*, libro IV, capite 6, sic ait : 1. « Potest esse sermo vel de statutis obligantibus tantum ipsummet capitulum, vel de pertinentibus ad totum episcopatum vel clerum. *Primo* ergo est certum, capitulum nihil posse, vivente episcopo, statuere de his rebus quæ ad alios pertinent, quia nullam habet jurisdictionem. *Secundo* conveniunt omnes posse aliqua statuta facere pertinentia ad seipsum seu capitulares suos. Dubitant autem doctores an possit ea facere per se sine consensu episcopi, vel illum requirat. » Expositisque rationibus dubitandi, sic pergit Suaresius :

2. « Communis tamen resolutio est, minora quædam, quæ solum pertinent ad bonum ordinem et regimen capituli, posse ab ipso statui sine confirmatione episcopi . . . In gravioribus autem quæ spectant ad suæ Ecclesiæ commoda, et ad observantiam antiquarum consuetudinum, necessarium esse consensum episcopi. » Exponit simul auctoritates quæ *communem* illam doctrinam firmant.

Bouix, *De capitulis*, p. 416 et seq., citat nonnullos alios doctores de hac gravi quæstione, et concludit ut sequitur :

1° Capitulum potest aliqua statuta sibi condere absque episcopi auctoritate aut consensu, v. gr. generatim circa ea quæ nec statum generalem Ecclesiæ, nec ipsum episcopum aut ipsius jura concernunt.

2° « Potest capitulum etiam pœnalia statuta condere, modo pœnæ eæ sint quæ non excederent jurisdictionem mere œconomicam seu improprie dictam.

3° « Licet episcopus statutis a capitulo conditis contradicere possit, non tamen potest contradicere ex alio titulo quam quod capitulum excesserit potestatem ipsi a jure communi concessam. »

4° « Potest capitulum, inconsulto episcopo, statuere circa ardua et statum Ecclesiæ et jura episcopi tangentia ; sed nulla et irrita remanent talia statuta donec accesserit consensus episcopi, saltem tacitus et saltem ex longa tolerantia suppositus. » Idque patet ex cap. *Cum consuetudinis* 9, *De consuetud.*,

ubi sub nullitate actus prohibetur, ne absque consensu episcopi capitulum immutet ecclesiæ suæ constitutiones, vel consuetudines approbatas, atque novas inducat, et ita tenet Glossa in cap. *Constitutionem* 2, *De verborum signific.* in 6, supra cit. (FERRARIS, verb. *Capitulum*, art. 3, n. 8.)

5° Regimen et administratio ecclesiæ cathedralis pertinet simul ad episcopum et ad capitulum : unde et ad utrumque pertinet statuta de his condere. Ex concil. Trident. sess. 22, c. 3, Clementina 1, *De celebrat. miss*, sacr. congr. Concil. et decisionibus Rotæ, ibi : *Ex juris dispositione et receptissima doctorum sententia statuitur regimen et administrationem ecclesiæ cathedralis pertinere ad capitulum cumulative cum episcopo.*

6° « Circa regimen et administrationem ecclesiæ cathedralis nec capitulum sine consensu episcopi, nec episcopus sine consensu capituli, potest valide statuere, aut jam mutuo assensu stabilita mutare. »

7° « Statim ac erectum fuit aliquod capitulum, ad ipsum de jure communi pertinet sibi statuta condere. »

8° « Ad eosdem pertinet statutorum correctio et mutatio ad quos pertinuit de jure communi confectio. »

9° « Statuta a solo capitulo legitime confecta, et a fortiori si ab episcopo vel sede apostolica fuerint approbata, obligant singulos capitulares, etiam successores eorum qui statuta condiderunt. » (Sacr. congr. Concil. *Thesaur. resolut.* tom. anni 1829, pag. 200.)

10° « Capitulum potest statutorum suorum transgressores punire. »

11° Non potest capitulum condere statuta juri communi contraria, etiam interveniente consensu episcopi. Et ratio est quia inferior non potest tollere legem superioris. (C. *Inferior* 5, dist. 21 et Clement. *Ne Romani, De elect.*; FERRARIS, ubi supra, n. 9.)

§ II. — De jure capitulorum condendi statuta in Ecclesiis Galliæ a tempore Concordati 1801.

Jus particulare Ecclesiarum Galliæ quoad capitula determinari debet per sequentes textus.

I. In bulla Concordati *Qui Christi Domini* 29 Novembris 1801, sic statuit summus pontifex Pius VII : *Mandamus igitur dilecto filio nostro ... cardinali Caprara ... apostolicæ sedis de latere legato, ut is juxta has nostras prædictarum Ecclesiarum erectiones, procedens ad eas constituendas .... decernat, ... tum dignitates et canonicos cujuscunque capituli juxta præscriptionem sacrorum conciliorum efformandi, tum singularum diœcesium circuitum. . . Ad quod præstandum amplissimas ei quasque facultates, etiam subdelegandas, impertimur necessarias atque opportunas ad probanda statuta respectivorum capitulorum, ad concedendum eisdem choralia insignia quæ iis convenire arbitrabitur ; ... ac generatim ad ea omnia efficienda quæ per nos ipsos effici possent.* (*Bullar. Roman. continuatum*, t. XI, p. 274.)

II. Atqui in suo decreto, 9 Aprilis 1802, sanxit cardinalis Caprara : . . . *Inter cætera quæ nobis a sanctissimo domino nostro ... mandata sunt, alterum aliud est, ut suppressis jam a Sanctitate sua antiquis omnibus Gallicani territorii capitulis, nova in singulis metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, qua ratione fieri poterit constituantur. Quod cum ita nobis commissum sit, ut facultas quoque has partes subdelegandi . . . nobis ipsis tributa fuerit; ideo hujus facultatis vigore archiepiscopis et episcopis Galliarum primo futuris facultatem concedimus, ut posteaquam canonice instituti ecclesiarum suarum regimen actu consecuti erunt, capitulum in metropolitanis et cathedralibus respective ecclesiis suis erigere ipsi possint, juxta formam a sacris canonibus conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia hucusque servatam, cum eo dignitatum et canonicorum numero, quem ad earumdem metropolitanarum et cathedralium ecclesiarum utilitatem et honorem, attentis rerum circumstantiis, expedire judicabunt. . . . . .*

Ut vero iisdem metropolitanis et cathedralibus ecclesiis, in iis quæ ad capitula, ut supra, erigenda spectant, ecclesiastica disciplina servetur, iisdem archiepiscopis et episcopis primofuturis curæ erit, ut quæ pertinent ad eorumdem capitulorum sic erigendorum prosperum et felicem statum, regimen, gubernium, directionem, divinorum officiorum celebrationem, cæremonias ac ritus in iisdem ecclesiis, earumque choro servandos, ac alia quælibet per eorumdem capitulorum dignitates et canonicos obeunda munia, pro eorumdem archiepiscoporum et episcoporum arbitrio et prudentia definiantur et constituantur; relicta tamen eorum successoribus statutorum illorum respectivorum immutando-

rum facultate, requisito prius capitulorum consilio, si attentis circumstantiis id utile et opportunum judicaverint. In ipsis autem statutis vel condendis vel immutandis, religiosa sacrorum canonum observantia retineatur, usuumque ac consuetudinum laudabilium antea vigentium, præsentibusque circumstantiis accommodatarum ratio habeatur. Quam quidem capitulorum erectionem, cæteraque omnia ad ipsa capitula pertinentia singuli archiepiscopi et episcopi cum primum perfecerint, erectionis hujusmodi, omniumque hanc in rem constitutorum acta, authentica forma exarata nobis reddenda curent, ut ad perfectam apostolicarum litterarum exsecutionem huic nostro decreto inserere possimus. (*Bullar. Rom. contin.*, tom. XI, pag. 263.)

III. Huic decreto addendus est titulus erectionis uniuscujusque ecclesiæ cathedralis, quem retulimus in prolegomenis cap. XVII, §§ 3 et 4; ibi probavimus delegationem primofuturis episcopis condendi statuta capitularia factam fuisse transitoriam et ad successores episcoporum non transiisse.

IV. Etenim in bulla Concordati *Commissa divinitus*, 25 Junii 1817, jus commune revocat Pius VII, ut sequitur : *Archiepiscopis et episcopis sedium mox erectarum committimus et mandamus, ut quanto citius fieri possit, eadem capitula et seminaria rite constituant . . . Ut felici eorumdem capitulorum statui ac regimini prospiciant, peculiaria a singulis canonicorum collegiis statuta decerni curent, sibique postea sancienda, ac probanda proponi ; quibus cum primis de recto divini cultus servitio, de sacris officiis ordinandis, de propriis muneribus rite obeundis opportuna præcepta, ad legum ecclesiasticarum atque ad synodalium decretorum præstituta, imponantur. Curent præterea, ut in unoquoque capitulo duo adsint canonici, quorum alter pœnitentiarii, alter theologi officio fungatur. . . .* » (*Bullar. Rom. contin.*, t. XI, p. 372.)

V. Bulla *Paternæ pietatis*, 6 Octobr. 1822, jus transitorium tribuit ecclesiarum de novo erectarum episcopis, his verbis : *Porro cætera in iisdem apostolicis litteris anni* 1817 *statuta et ordinata, præsertim pro capitulorum et seminariorum erectione . . . firma et integra perstare volumus. Utque expeditius prospiciatur, archiepiscopi et episcopi pro singulis canonicorum collegiis statuta decernent, et ab ipsis observari curabunt. Cum primum vero capitulorum formam et erectionem perfecerint, omnium hanc in rem gestorum documentum ad nos mittent.*

Ex his textibus inter se collatis manifestum est juri communi derogatum fuisse et potestatem primofuturis episcopis condendi statuta capitulorum factam fuisse. Hæc potestas episcoporum non fuit tamen absoluta; nam, in titulo erectionis ecclesiarum, cardinalis legatus hanc conditionem præscripsit ut primofuturus episcopus « statuta... *collatisque cum eodem capitulo consiliis* restituat... ; ita ut eidem archiepiscopo, *prævio capituli suffragio*, non solum liceat eadem statuta... reformare... sed etiam alia de novo et ex integro... condere. » Cum vero capituli *prævium suffragium* requisitum fuerit, et *collata consilia*, manifestum est primofuturos episcopos debuisse cum capitulis deliberare de statutis condendis. Sed quia circumstantiæ et necessitates novarum ecclesiarum urgebant, episcopis initiativa data fuit potestas. Pari ratione bulla *Paternæ pietatis* eamdem potestatem dedit episcopis, scilicet *utque expeditius prospiciatur*. Cæterum omnes clausulæ bullarum et decretorum Concordati probant has et plures alias potestates derogatorias juri communi omnino transitorias fuisse, et consequenter nullum jus novum successoribus episcoporum tribuisse.

Præterea semper et ubique in his bullis, decretis, etc., Concordati præscribitur condere et reformare statuta capitulorum *juxta præscriptionem sacrorum conciliorum..... juxta formam a sacris canonibus conciliisque præscriptam, et ab Ecclesia hucusque servatam... religiosa sacrorum canonum observantia retineatur... ad legum ecclesiasticarum atque ad synodalium decretorum præstituta...*, etc. Ex quibus præscriptionibus patet 1° nova capitula in jure communi instituta fuisse et consequenter jus habere reformandi sua statuta et alia nova condendi, cum nullibi huic capitulorum juri derogatum fuerit. Patet 2° prima statuta a primofuturis episcopis condita non obligare nisi in quantum sint sacris canonibus et conciliorum decretis conformia. Et si quæ exstant statuta talem formam et conformitatem non habentia, incumbit capitulis jus et debitum talia reformandi statuta. Et si quæ sint capitula statutis carentia, tenentur ea condere

sub ecclesiastici interdicti pœna, a concilio Romano 1725 supra citat. lata. Vide quæ diximus in Prolegomenis, cap. XVII.

CAPUT XXV.

De jure capituli quoad pœnalia.

« Ad capitulum spectat facultas capellanos aliosque Ecclesiæ ministros ejusdem servitio mancipatos quoties in aliquibus ex injunctis muneribus seu officiis delinquunt, per modum fraternæ correctionis mulctare, mediante fructuum seu distributionum modestractione per modicum tempus, seu alia rata subsimili levi mucita. » Ita cum communi canonistarum, Scarfantonius t. 1, p. 20, n. 37; edit. Lucæ, 1723.

« Mulcta vero quæ fit mediante subtractione fructuum sive distributionum, pro punitione beneficiatorum delinquentium in eorum officiis, nullatenus cedere debet in particularem statuentium, videlicet capitularium utilitatem, seu commodum, sed vel in communem, vel ecclesiæ, convertenda est. » (Scarfanton. *ibid.*, qui et refert ita decisum pluries a Rota.)

Hæc facultas in capitulo corrigendi delinquentes circa divina officia, exerceri potest etiam contra ipsos capitulares de gremio exercentes; pro quo citat Scarfantonius varios auctores et decisiones Rotæ.

Hoc tamen in utroque casu intelligendum est tantum quando episcopus non interest choro. Nam capitulum non exercet jus corrigendi et mulctandi delinquentes privative ad ipsum episcopum, sed ad summum tantum cumulative cum illo. (Id. *ibid.*)

Canonici non possunt a capitulo voce privari, neque ad officia inhabiles declarari. (Ita communis et sacr. congr. Concil. declaravit, *in Pisana*, 25 Junii 1695; Monacel. tit. II, form. 4, adnot. 16.)

Et præmissam doctrinam confirmavit sacr. congr. Concilii, *Thesaur. resolut.* t. VII, p. 163.

Decrevit *primo*, « Capitulo competit jus mulctandi capitulares cæterosque Ecclesiæ ministros pro levibus, sed non etiam pro gravibus excessibus. »

Secundo, « competere pro levibus excessibus etiam extra chorum et ecclesiam commissis, in functionibus tamen ecclesiasticis tantum, in quibus capitulum procedit sub cruce. »

Tertio, « Jus competit in mulctis pecuniariis tantum, nempe duorum vel quatuor et ad summum sex ducatorum juxta casus, ita tamen ut mulcta erogetur in usus pios. »

Quarto, « a mulcta per capitulum imposita competit appellatio ad episcopum. »

CAPUT XXVI.

Jus administrativum capituli circa bona ad beneficiatos seu capellanos cathedralis spectantia.

« Quoad materiam beneficiatorum seu capellanorum, illud pariter est observandum quod ad capitulum, privative ad eosdem capellanos spectat administratio eleemosynarum, anniversariorum, aliarumque piarum oblationum ecclesiæ cathedralis, potissimum illarum quæ pendent a jure parochiali; eo quia cura habitualis dictæ ecclesiæ capitulo incumbit. (De Luca. *De paroco*, discursus 32, n. 4; et *De jurisdict.* discursus 42, n. 2.) Quod etiam verum est, licet prædicti capellani in iisdem obventionibus habeant interesse ac de illis participent; cum in hisce administrationibus sese ingerere nullatenus possint. (Lotterus, *De re beneficiali*, lib. I, quæst. 17, n. 8.) Quamvis respectu administrationis massæ distributionum communis, seu etiam particularis ipsorum capellanorum, ratione interesse quod habent in illius certa ac fideli administratione, eisdem etiam ratio per capitulum administratorem reddi debeat, ut discusso articulo Rota, decis. 24, part. XVII recent. »

« Hæc tamen absoluta administratio quam dictarum oblationum habet capitulum, limitanda venit in eam quo vellet per novum statutum innovare et immutare antiquam Ecclesiæ consuetudinem, alterando modum distribuendi, tam quotidianas distributiones quam provenientes a dictis anniversariis et exsequiis, inter eosdem canonicos et beneficiatos, qui eisdem anniversariis aliisque divinis officiis suam assistentiam præstare consueverunt; cum hoc capitulo non liceat (c. unic. *De clericis non resid.* in 6; Rota, decis. 32, n. 3 et seq., part. VII, recent.), sed requiratur etiam auctoritas episcopi, qui de consensu capituli novam consuetudinem in ecclesia inducere potest, si illa sit bona et laudabilis. »

« Præfati capellani aliique clerici choro interessentes et de quotidianis distributionibus participantes, regulariter excludi non possunt ab emolumentis anniversariorum, nisi particularis obsistat consuetudo, seu

statutum contrarium, aut aliter a testatoribus cautum fuerit ex litterali dispositione; quia cum etiam ipsi ecclesiæ assistant, consequens est ut regulando emolumentum ab onere, de dictis distributionibus participent. »

« Nec relevat quod in legato relicto pro anniversario *capitulo*, non videantur comprehendi beneficiati aliique clerici cathedralis qui appellatione capituli non veniunt; quia ratione subjectæ materiæ, nempe anniversarii, cui solent cum canonicis assistentiam suam præst arecæteri cathedralis ecclesiæ clerici, præsumitur testatorem ab iis excludere noluisse eosdem. » (SCARFANTONIUS, t. I, p. 21, apud BOUIX, *de capitulis*, p. 461 et 462)

CAPUT XXVII.

De capituli obligationibus quoad divinum officium et servitium chori.

De his quæ essentiam capituli strictam constituunt usque modo diximus; sed aliæ sunt obligationes ab Ecclesia capitulis præscriptæ, de quibus nunc breviter dicturi sumus, remittendo ad theologos et moralistas hanc materiam fuse tractantes.

§ I. — Canonici tenentur recitare officium in choro.

Omnes vero (dignitates et canonici) divina per se, et non per substitutos compellantur obire officia... atque in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare. (*Trident.* sess. 24, cap. 12, *De reform.*)

Qui habent beneficium, non tantum peccant, si officium divinum non persolvant integre, sed insuper tenentur ad restitutionem pro rata omissionis, ad normam sequentium decretorum :

Concilium Lateranense sub Leone X : *Statuimus quoque, ut quilibet habens beneficium, si post sex menses ab obtento beneficio, officium divinum non dixerit, legitimo impedimento cessante, fructus non faciat suos pro rata omissionis recitationis officii et temporis.*

Sanctus Pius V, const. *Ex proximo* an. 1571 : *Statuimus ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii fructus, qui illi vel illis diebus responderent; qui vero matutinum, tantum dimidiam; qui cæteras alias horas, aliam dimidiam; qui horam singulam, sextam partem fructuum diei amittat.* De eo qui adesset choro, sed non recitaret, et tamen prætenderet ex consuetudine vel alio titulo se facere fructus suos, sic pergit sanctus Pius V : *Is etiam præter fructuum et distributionum amissionem, grave peccatum intelligat se admisisse. Item ille qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse.*

Prædicta autem restitutio certe debetur ante judicis sententiam, siquidem ab Alexandro VII damnata est propositio contraria quæ sic habebat : *Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.*

Omittens officium sine culpa probabilius non tenetur ad restitutionem. (Vide S. LIGOR., lib. III, tract. 5, n. 665.)

Clerici ecclesiarum cathedralium et collegiatarum tenentur ad officium *in choro*, can. ultimus, dist. 92 : *Si quis presbyter aut diaconus vel quilibet clericus ecclesiæ deputatus, si intra civitatem fuerit, aut in quolibet loco in quo ecclesia est, et ad quotidianum psallendi officium matutinis et vespertinis horis ad ecclesiam non convenerit, deponatur a clero, si tamen castigatus veniam ab episcopo per satisfactionem noluerit promereri.* Et concil. Trident. supra cit. *Compellantur... in choro ad psallendum instituto...*

Illa tamen obligatio aliquod admittit temperamentum. *Adverti debent*, ait Benedictus XIV, institutione 107, § 4, *quæ sanctus Carolus Borromæus admonuit* : « *Matutinum in choro celebretur. At si tamen vehementia frigora sint, vel aliæ justæ causæ intercedant, de licentia episcopi in sacristia, vel honesto alio ejus ecclesiæ loco dici possit.* » Idem probavit sacr. congr. Concil. die 18 Novemb. an. 1645. Ille autem alter locus tunc censetur et est chorus.

An canonici et alii qui intersunt divinis officiis, teneantur præcise alta et consona voce divina officia et horas canonicas recitare, cantare, psallere et aliter non satisfaciant muneri et obligationi? Sacr. congr. Concilii sub die 20 April. 1602 : « Censuit teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere. » Et firmavit Benedictus XIV, in suis litteris, *Cum semper oblatas*, 19 August. 1744 ; apud Ferrar. verb.

Missa, art. 3, n. 11. Canonici ex decentia debent alta voce cantare in choro, et episcopus potest illos ad hoc hortari, sed non cogere. Sat est ut alta, clara, intelligibili voce recitent. (S. congr. Rituum, in *Egitanen.*, 24 Novembr. 1602; apud GARDELLINI, n. 141.) Sed obedire tenentur episcopo, si jubeat cum cantu persolvi in solemnioribus. (*Ibid.*, n. 1542.) Canonici, quamvis pauci sint, puta duo, vel tres, tenentur canere, seu recitare officium in choro, alias possunt ab ordinariis distributionibus punctatura privari. (S. congr. Concilii in *nullius Orbetelli*, 31 Martii 1696; FERRARIS, verb. *Canonicatus*, art. 5, n. 46 ad 50.)

Canonici qui culpabiliter absunt a choro, aut qui, si solum assistant, et intersint horis, et per capellanos et alios beneficiarios psallant, ipsi vero, vel ibi, vel domi privatim recitant horas, non lucrantur fructus præbendæ nec distributiones, et tenentur ad restitutionem, ut declaratum est sæpius a sacr. congr. Concilii, *Quacunque etiam immemorabili contraria non suffragante consuetudine*, 17 Septemb. 1667. Et decisum est auctoritate pontificia Benedicti XIV in suo brevi *Dilecte fili*, 19 Januarii 1748 ad patriarcham Aquileiensem, ibi : *Deinde iisdem* (*canonicis*) *edicas et notum facias, nos* (*quemadmodum per hasce nostras in forma Brevis litteras tibi declaramus et injungimus*) *decernere atque statuere, sicut in eadem constitutione* (*Cum semper oblatas*) *nostra innuimus, ipsos suosque successores canonicos choro quidem interessentes assistentesque, minime vero canentes, psallentesve, nullo pacto ex præbendis et distributionibus facere fructus suos; atque adeo restitutioni obnoxios esse ac fore.* Et hæc decisio urget etiam in Gallia, ubi loco præbendæ solvitur pensio a gubernio; nam pensionem hujusmodi naturam et rationem veræ præbendæ habere supra ostendimus; et insuper dubium si quod esse posset, pro Gallia in particulari fuit decisum a sacra congr. Rituum, hoc modo :

« Cum reverendissimus Cameracensis episcopus sacrorum Rituum congregationem enixe rogavit ut declarare dignaretur, utrum canonicis prout a tempore Concordatus 1801 in Galliis instituti sunt, incumbat obligatio, non tantum assistendi in choro celebrationi divinarum laudum prout in diversis capitulis est instituta, sed etiam cantandi horas canonicas in choro; ita ut canonicus in Galliis assistens quidem in choro, sed non decantans publicas preces canonicas, peccet mortaliter et teneatur ad restitutionem fructuum omissioni correspondentem?

« Eminentissimus cardinalis præfectus rescribi mandavit : Canonicum in casu, juxta alias decreta, obligationi non satisfacere. » Die 22 Maii 1841. (In Gardelliana collectione, t. VIII, n. 4769.)

§ II. — Cui facienda est restitutio propter officii omissionem debita.

Restitutio ob omissum officium facienda est pauperibus vel fabricæ (ut ex decreto sancti Pii V), sive ecclesiæ, sive domui beneficii, sive in augendis agris. Non autem potest dare fabricæ alterius ecclesiæ, nisi fabrica sit in utilitatem pauperum, vel nisi ecclesia propria non indigeret restauratione et aliæ ecclesiæ eleemosynis indigerent. Nomine autem pauperum intelliguntur pauperes cujuscunque loci, et etiam ipsi defuncti. Et etiam ipse clericus sibi potest applicare dictos fructus si vere pauper est : excipitur tamen, si ille in fraudem officium omittat, sciens posse retinere fructus ob paupertatem. » (S. LIGUORIUS, lib. III, c. 2, n. 672.)

Si restitutio facienda sit ob omissam residentiam, sic habet sanctus Liguorius, lib. IV, c. 2, n. 128 : « Notanda est differentia inter restitutionem faciendam a beneficiario ob omissionem horarum, et ob omissionem residentiæ. Illa enim potest fieri quibuscunque pauperibus, et in fabricam domus beneficii, sive in emendandis aut meliorandis agris beneficii; quia omnia hæc veniunt nomine *fabricæ beneficii*, ut dicitur in bulla sancti Pii V. Ob omissionem autem residentiæ restitutio debet omnino erogari in *fabricam ecclesiæ*, vel in *pauperes illius loci*, ut sancitur in Tridentino, sess. 23, c. 1, nec satisfacit non residens applicando restitutionem in missis vel aliis suffragiis pro animabus purgatorii illius loci, quia revera animæ defunctorum non possunt amplius dici pauperes *illius loci*. »

Quanta fieri debeat restitutio pro *rata omissionis*, dictum est supra, et dicetur infra pro residentiæ omissione.

§ III. — Causæ excusantes a servitio chori ita ut absens lucretur et fructus præbendæ et distributiones quotidianas.

Sic decrevit Bonifacius VIII, in cap. *Consuetudinem, De clericis non resident.* in 6 :

Exceptis illis quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret. Confirmavit Tridentinum, sess. 24, c. 12. *Juxta Bonifacii VIII decretum quod incipit* Consuetudinem, *quod sancta synodus in usum revocat.* Sacra congr. Concilii 15 April. 1611 declaravit : « Eos qui absunt a servitio chori ob infirmitatem... percipere debere distributiones quotidianas sui canonicatus perinde ac si statis horis interessent ; percipere etiam augmentum distributionum quas amittunt illi qui divinis non interfuerunt. » Id autem intelligitur non tantum de canonicis, sed etiam de beneficiatis, ut constat declaratione ejusdem congregationis, 2 Decemb. 1666. Excipiuntur tamen ii infirmi qui ante infirmitatem soliti erant abesse. *Cæterum infirmitatem ipsam coram judice probandam.* (Ead. sacr. congr. apud Benedict. XIV, instit. 107, § 8.)

I. Quænam infirmitas satis gravis æstimanda sit ut prædictos effectus obtineat? Non potest alia assignari regula quam æstimatio prudentis viri ; et in casibus contestationum, recurrendum est ad tribunal legitimum, quod pro capitulis non exemptis est tribunal episcopi. Generaliter tamen excusantur septuagenarii, saltem si debiles sint, cæci, surdi, illi qui morantur domi ad medicinam sumendam, aut venam scindendam ; qui ob rationabilem corporis necessitatem proficiscuntur ad balnea aut ad locum salubrioris aeris ; qui ab hostibus capiuntur, aut patiuntur injustum exsilium, aut injustam detentionem per vim ; vel impediuntur timore gravis nocumenti ab inimicis. Iis omnibus debentur etiam distributiones.

Qui absentes omnes sunt ob metum pestis in loco grassantis, aut ob grassans bellum, vel ob injustam excommunicationem et censuram, non amittunt fructus, nec etiam distributiones. Qui vero absunt ob justam excommunicationem et censuram, amittunt et distributiones et fructus præbendæ. (*Vide*, de his omnibus casibus, Benedictum XIV, instit. 107, et sanctum Liguorium, lib. IV, c. 2, n. 130.)

II. Probabilius excusatur, ita ut etiam distributiones non amittat, qui abest ob utilitatem Ecclesiæ. Per *utilitatem Ecclesiæ* intelligitur utilitas vel Ecclesiæ universalis, vel totius diœcesis, vel illius Ecclesiæ cujus absens est canonicus aut beneficiarius. Sed si agatur de utilitate capituli, certum est excusari absentem. Benedictus XIV, instit. 107, § 9, sic habet :

« Jam superius diximus permitti a Bonifacio VIII distributiones etiam absentibus a choro, si utilitas ex hoc in ecclesiam dimanet. Equidem magnæ difficultates in absentes hujusmodi ex jure communi desumuntur. Bonifacius VIII distributiones illis impertit ; sed capite *Cum non deceat, De election.* in 6, contrarium decernitur. Canonum interpretes maxime laborant ut hæc duo repugnantia simul conjungant. Sed omissis cæteris, nos affirmamus tribuendas esse distributiones illi canonico qui ob utilitatem capituli sive ecclesiæ chorum dimiserit. Et quidem in causa Panormitana, anno 1588, sacra congregatio : *Censuit deberi oratori distributiones quotidianas pro tempore quo vere abfuit pro negotiis capituli.* Reliqua decreta quæ magis obvia sunt prætermittimus ; illud solum recensemus quod conditum fuit, anno 1598, cum causa episcopi Hispalensis ejusque capituli ageretur : *Quod si ex causa negotiorum capituli recedere voluerint* (canonici nempe aut alii choro addicti), *percipere tam fructus præbendæ, quam distributiones, nec esse necessariam licentiam archiepiscopi ; ad cujus tamen officium pertinebit examinare an causa negotiorum vere subsit, et quascunque collusiones et illicitas remissiones inter canonicos prohibere.* »

Excusatur canonicus theologus pro toto illo die quo lectionem habet, et etiam canonicus pœnitentiarius dum audit confessiones, ita ut lucrentur etiam distributiones.

Excusantur canonicus deputatus ab episcopo ad visitanda limina, aut duo quos secum ducere potest episcopus ad eadem limina, et hoc tempore lucrantur distributiones. Item vicarius capitularis, sede vacante ; item canonici et beneficiati assistentes solemniter celebranti episcopo. Item canonicus procurator capituli ad concilium provinciale. De canonico misso ad concilium provinciale, tanquam theologo aut canonista, licet legitime absit, dubitandum an lucretur etiam distributiones? probabilius affirmatur.

Excusatur qui habet indultum pontificium eum excusans a servitio chori pro diebus aut horis quibus a munere suo impeditur,

et lucratur etiam distributiones, si de illis sileat indultum; quia agitur de interpretando favore, et favores sunt ampliandi.

§ IV. — Inter canonicos absentes, quidam fructus præbendæ tantum recipiunt.

Præbendæ tantum fructus et non distributiones lucrantur, dum absunt: 1° Duo canonici apud episcopum pro ipsius et diœcesis utilitate detenti. (S. congr. Concil. 1587.) — 2° Canonicus qui simul agit vicarium generalem episcopi. (S. congr. 17 Decemb. 1627.) — 3° Examinator synodalis. (S. congr. 20 Septembr. 1642.) — 4° Qui inservit tribunali S. Officii. (S. congr.) — 5° Administri cameræ apostolicæ (S. congr. apud Benedict. XIV, loc. cit.) — 6° Docentes Scripturam sacram et theologiam in scholis publicis. 7° Studentes theologiæ, seu sacræ Scripturæ, seu juri pontificio in aliqua universitate. (*Trident.* sess. 5, c. 1; et cap. *Frivol., De magistris*; et c. *Tuæ, De clericis non resident.*; c. 11, *De privilegiis*, in 6.) At Innocentius XII decrevit ne privilegium illud pro studentibus spatium triennii superaret, et ne concederetur iis qui annum 25 attigerunt. (Ita Bened. XIV, instit. 107, § 9.)

§ V. — De obligatione missæ conventualis.

1. « Canonici tenentur quotidie ad canendam missam conventualem. (Sic tradunt communiter doctores, præsertim Glossa in cap. *Cum creatura*, 51, *De celebrat. missar.*) Idque sub mortali, quia est de materia gravi, et quæ omnium plurimum confert ad divinum cultum, cui maxime detraheretur, imo plusquam si non celebrarentur horæ canonicæ, cum major sit cultus sacrificii, quam horarum canonicarum; stante autem gravitate materiæ consurgit gravis obligatio. Sic expresse Pignatel. t. I, consult. 321, n. 2; et consult. 391.) — Et missam conventualem canendam esse quotidie in cathedralibus et collegiatis pluries decrevit sacr. congr. Rit. » (Ferrar. verb. *Canonicatus*, art. 5, n. 65 et seq.)

2. « Canonici canentes missam conventualem pro qua distributiones percipiunt, non possunt aliam eleemosynam recipere et sacrificium alteri applicare. Nec etiamsi caderet eadem die obligatio alicujus anniversarii, ut resolvit sacra congregatio, in *Cathacensi*, 29 Novembr. 1698, et sæpius. Pignatel. consult. 321, t. I; Scarfantonius, t. II, p. 33. — Ecclesiæ jusso non obtemperat qui pro legato aliquo peculiari vel pro stipendio accepto sacrum conventuale Deo operatur. » (Bened. XIV. inst. 107, § 2, n. 15.)

Hæc porro canonicorum obligatio, tanquam omnino certa tenenda est præsertim post bullam *Cum semper oblatas* Benedicti XIV, quæ apostolica auctoritate approbavit et confirmavit varias congregationis Concilii resolutiones, quibus *excusationes ad declinandam applicationem quotidianam missæ conventualis pro benefactoribus in genere, provide e medio sublatæ fuerunt*; non attenta immemoriali in contrarium consuetudine. In citata bulla sic habetur :

XI .... *Indeque gradum facientes ad ea quæ pertinent ad missam conventualem, neminem vestrum latere putamus sacrorum canonum sanctiones, quibus præcipitur ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, et collegiatis tum horæ canonicæ debitis modo et forma recitentur, tum etiam missa conventualis celebretur, quæ adeo claræ sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuæ pariter, et per omnia uniformes exsistunt resolutiones ab hac congregatione venerab. fratrum nostrorum concilii Tridentini interpretum repetitis vicibus emanatæ, quas omnes apostolica auctoritate nostra confirmamus, et approbamus, earum exsecutionem vobis enixe inculcantes. Ut scilicet missa conventualis, quæ singulis diebus canitur a clero prædictarum ecclesiarum, pro eorumdem benefactoribus in genere quotidie applicetur...*

XII. *Itaque date operam ut falsam quorumdam opinionem eliminetis... quod nempe, dum missa conventualis pro certo aliquo ecclesiæ benefactore, vel grati animi ergo, vel ex vi oneris impositi celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis missæ conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cujuslibet ecclesiæ cujus servitio addicti sunt quicunque in eadem sive dignitates, sive canonicatus, sive mansionariatus, sive beneficia choralia obtinent, et missam conventualem suis respective vicibus celebrant.*

XV. *Quemadmodum vero, loquendo de missa conventuali, superius dictum est, varias excusationes afferri solere ad declinandam illius applicationem... quotidianam pro benefactoribus in genere... hæ... provide e medio sublatæ fuerunt per opportunas congregationis*

concil. Trid. resolutiones, quas proinde in his etiam auctoritate nostra approbamus et confirmamus.

XVI. Tollit contrariam consuetudinem, « *licet immemorabilem, quæ potius abusus et corruptela dicenda est,* » *et nemini suffragari potest.*

XVII. *Alii a missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo, quod alio quopiam missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii canonicatus aut alterius beneficii ecclesiastici, quod insimul cum canonicali præbenda obtinent, vel quia præter munus canonici, seu beneficiati, aut mansionarii in ecclesia cathedrali seu collegiata, cum etiam in eadem vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant, dum missam conventualem canunt diebus festis de præcepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare ac proinde nequeunt eamdem pro Ecclesiæ benefactoribus specialiter offerre. Sed iis quoque obviam itum est, jubendo, singulis prædictis ut missam conventualem, quam canunt, pro Ecclesiæ benefactoribus in genere applicent, pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter missam applicare tenentur, alterum substituant qui ipsorum loco missam hujusmodi celebret applicetque.*

XVIII. *Aliorum pariter exceptio fuit, quod missa conventualis non semper a canonicis aut dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a beneficiatis et mansionariis, quas minus æquum videtur pro missæ celebratione omni eleemosyna carere, quæ unde desumi valeat ignoretur. Cui tamen rei pariter consultum est, demandando ut ea desumatur ex massa distributionum.*

XIX. *Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quæ, ob detractam eleemosynam quotidianam pro missa conventuali, ad nihilum fere redactæ, vix foret ut ab aliquo curarentur cum magno detrimento servitii Ecclesiæ præstandi. Tridentina quidem Synodus sess.* 24, c. 15, *opportunas rationes ostendit quibus canonicalium præbendarum inopiæ valeat provideri. Si vero designatam a concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad congregationem concilii recursum habere: cujus erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate apostolica a prædecessoribus nostris eidem impartita et a nobis etiam præsentium tenore confirmata, quotidianam applicationem missæ conventualis pro benefactoribus in genere et alios ad festos tantummodo dies reducere.*

XX. *Non modo ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis injunctum reperitur ut quotidie missa conventualis in eisdem canatur, sed etiam in rubricis generalibus, quarum exactissimam confraternitatibus vestris custodiam commendamus, præscribitur ut, certis diebus, non una, sed binæ, atque etiam aliquando tres missæ conventuales uno die celebrentur. Itaque cum nuper a nobis dictum fuerit primam missam conventualem pro benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse, nunc expendendum superest an earumdem ecclesiarum capitula jurisdictioni vestræ respective subjectæ adigere debeatis, ut alias quoque missas, si plures, ut præfertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.*

XXI..... *Nos ita judicamus, idque vobis tenendum indicimus, laudandos nempe et confirmandos esse quotquot sponte sua secundam aut tertiam conventualem missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsarum ecclesiis vigentis, iis imperandum ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id in usu receptum non invenitur, liberam omnino secundæ tertiæque missæ conventualis applicationem celebrantibus relinquendum esse, dummodo in commemoratione pro defunctis, Ecclesiæ benefactorum in genere non obliviscatur.*

Tam lucidæ expositioni quæ præcipuos casus resolvit, pauca addenda habemus: 1° Eadem obligatio tenet, ubi nullæ fiunt quotidianæ distributiones, quia tunc obligatio pendet a præbenda, quæ distributiones continet. — 2° Ratione exiguitatis redituum et insufficientis numeri canonicorum potest missa conventualis cani tantummodo diebus festis; sed requiritur indultum a sacra congregatione quæ non denegat stante dicta paupertatis ratione. — 3° Potest episcopus tollere consuetudinem non cantandi missam conventualem nisi diebus festis, non vero sub censuris statuere dictam missam a capitulo quotidie cantari. — 4° Canonici cogi possunt ab episcopo ut in feriis Quadragesimæ procurent cantari a capellanis missam feriæ cum diacono et subdiacono. —

5° Quando episcopus diebus festis pontificaliter celebrat, *hebdomadarius vel is cui onus inest missæ conventualis, illam celebret lectam, vel ante vel post missam pontificalem.* (Ita per omnia a sacris congregationibus decisa.)

§ VI. — Quid de hodiernis capitulis Galliæ, quæ missam conventualem quotidie non cantant vel non omnes missas conventuales pro eodem die a rubrica præscriptas.

Si ita frequentetur ex obtenta a sancta sede facultate, aut ex statuto auctoritate sanctæ sedis approbato, nulla difficultas.

Attento autem generali capitulorum Galliæ statu, pauci dicendi sunt canonici; iique præterea ab episcopis, ita poscente diœceseon necessitate, ad varia munia distracti; nec adsunt beneficiati secundi ordinis qui in ferendo onere supplere possint... Quare rationabilis causa onera chori imminuendi, in ecclesiis Galliæ quasi universalis et perpetua generaliter loquendo censeri potest. (Ita Bouix, *De capitulis*, pag. 360.)

Capitula Galliarum nullos reditus communes habent, canonici vere pauperes sunt. Ideoque sunt in casu bullæ Benedicti XIV, *Cum semper oblatas*, § XIX, supra citat. Et possunt ad sacram congr. Concilii recurrere ad quotidianam applicationem missæ conventualis pro benefactoribus in genere, et alias ad festos tantummodo dies reducendam.

Nota. Propter capitulorum onera et varia officia a sacris canonibus statuta, multum foret optandum ut augerentur reditus capitulorum et numerus canonicorum, et etiam crearentur beneficia pro simplicibus beneficiatis et capellanis. Ideoque episcoporum et capitulorum zelo incumberet media opportuna tantum bonum procurandi inquirere. Jus talia agendi episcopis provide cautum fuit a sancta sede in Concordato anni 1801, quod est etiam de sua natura lex fundamentalis status civilis Galliarum; atqui in dicto Concordato sic habetur:

XI. *Poterunt iidem episcopi habere unum capitulum in cathedrali ecclesia... sine dotationis obligatione ex parte Gubernii.....*

XV. *Idem Gubernium curabit, ut Catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, ecclesiis consulere novis fundationibus.*

Et in bulla confirmationis conventionis, *Ecclesia Christi*, sic confirmatur: *Cum vero tum clericorum institutioni, tum episcoporum consilio, suæque ecclesiæ administrationi consulere necesse sit, illud non omisimus ut iidem episcopi unum habeant in cathedrali ecclesia capitulum... quamvis Gubernium ad dotationis obligationem non se astringat... Simili modo statutum est Gallicanæ reipublicæ Gubernium curaturum, ut Catholicis liberum sit, si libuerit, ecclesiis consulere novis fundationibus.*

Omnes igitur Catholici liberi sunt *Ecclesiis consulere novis fundationibus*, et possunt sive præbendas canonicales, sive beneficia, sive capellanias fundare: jus itaque habent episcopi ad hujusmodi fundationes Christifideles exhortandi, et ita suis cathedralibus et distributiones quotidianas et numerum dignitatum et canonicorum et beneficiatorum ad tam utilia munia adimplenda necessarium procurandi.

§ VII. — Alia officia quæ canonici implere debent.

« Canonici tenentur inservire pro diacono et subdiacono dignitatibus ac eorum coadjutoribus solemniter celebrantibus, non obstante contraria consuetudine: sic sæpius declaravit sacra Rituum congregatio..... Et tenuit quoque sacra congregatio Concilii, *in Casalensi* 28 Januarii 1690. — Et non tantum canonici juniores, sed etiam anciani et antiquiores, ut eadem sacra congr. Rituum declaravit *in Nucerina Paganorum* 25 Januarii 1698. — Dignitates vero nunquam debent canonicis celebrantibus inservire, ut fuit a dicta congregatione Rituum responsum *in Gerundensi* 3 Octobr. 1699. » (Monacelli, tit. II, form. 4, adn. 6.)

« Canonici dignitatibus et canonicis inserviant; mansionarii vero mansionariis. » Ita sacr. congr. Rit. 24 Novembr. 1591, n. 18 Appendicis, tom. VII Collect. Gardellianæ.

Capellani capellaniarum erectarum in ecclesia cathedrali non tenentur inservire in officio diaconi, et subdiaconi dignitatibus, vel canonicis ejusdem cathedralis celebrantibus; sed hoc officium canonici adimplere tenentur. (S. congr. Rituum, sæpius; et præsertim *in Alexandrina* 17 Maii 1719, cum addito, ut causa amplius non proponeretur. (Ferrar. verb. *Canonicatus*, art. 5, n. 87.)

« Dignitas prima, si velit functiones episcopales facere, debet etiam missam canere: alias pertinent ad subsequentes cum eadem conditione. — Dignitas prima, quæ vult portare sanctissimum Sacramentum in

processione, absente episcopo, debet missam cantare; quod si noluerit, debet sanctissimum Sacramentum portare ea dignitas, vel canonicus, qui missam celebraverit. » (S. congr. Rit. pluries. — Id. *ibid.* n. 88 et 89.

CAPUT XXVIII.

De obligatione residendi et de vacationibus a jure concessis; pœnæ non residentibus inflictæ; causæ excusantes a residentia.

§ I. — Lex residentiæ pro canonicis; quibus casibus abesse possunt.

I. « Obligationes capitulorum adimpleri nequeunt nisi per residentiam ; ideoque canonici sive cathedralium sive collegiatarum tenentur saltem per novem menses residere in ecclesiis sui canonicatus, ita ut non liceat ipsis ultra tres menses ab eisdem quolibet anno abesse; salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt, sicque absentiam trium mensium non concedunt. » Sicque statutum est ex multis antiqui juris capitibus, cap. *Ex gestis* 2. *Relatum* 4, *Conquerente* 6, cap. 8, 9, 10; et cap. *Cum ad hoc* 16, *Clericus* 17, tit. IV, *De clericis non residentibus*, lib. III *Decretal.*; et cap. *Ad hæc* 13, *Exstirpandæ* 30, tit V *De præbend.* lib. III *Decret.* Quod etiam de novo sancivit Trident. synodus, sess. 24, c. 12, *De reform.* his verbis : *Præterea obtinentibus in eisdem cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, præbendas, aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse : salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt : alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ facit suos : quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eoaem anno lucratus fuerit; creseente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones procedatur. Distributiones vero, qui statis horis interfuerint recipiant : reliqui quaris collusione, aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII decretum, quod incipit,* Consuetudinem, *quod sancta synodus in usum revocat : non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus.*

II. In hoc decreto constat tota lex residentiæ pro canonicis; ideoque multis sacræ congregationis Concilii declarationibus interpretatum fuit in variis suis clausulis;

Et 1. Responsum est a sacr. congr. Concil. an. 1573 : *Trium mensium absentiam non concedi ... si constitutionibus Ecclesiæ servitium totius anni absque ulla intermissione requiritur.* (Apud Benedict. XIV, instit. 107, § 6.) Quod etiam confirmant aliæ ejusdem congregationis declarationes ab eodem auctore relatæ.

2. Ubi vero constitutiones servitium totius anni requirentes non exstant, « possunt canonici tunc abesse etiam ex causa recreationis, tribus mensibus a concilio permissis, nec episcopi, nec capituli licentia, nec causa requiritur pro absentia intra diœcesim. (S. congr. Concil. pluries.) Si tamen velint abesse extra diœcesim, requiritur licentia episcopi : « Cæterum episcopum non debere illam absque rationabili causa negare. » (S. congr. Concil. apud Benedict. XIV, loc. cit.; Ferraris, verb. *Canonicatus*, art. 5, n. 10.)

3. « Menses tres, quibus canonici quolibet anno abesse possunt, continere debent nonaginta dies, ita ut quilibet mensis suos triginta dies contineat, et dies isti possunt esse, vel continui, vel interpolati. Sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. refert Fagnan. in cap. *Licet* 35, *De præb.* n. 54 et 55.

4. « Ita tamen, ut non omnes canonici possint simul abesse eodem tempore, ne ecclesia destituatur omni servitio, sed solum ea quota canonicorum simul abesse possit, quæ videbitur arbitrio episcopi, et capituli, et sanctissimus approbavit sententiam congregationis ad se relatam, subdens concilium non dedisse tres menses capitulo, sed canonicis; scilicet singulis per vices. Sic apud Fagnan. loc. cit. sacra congregatio consuit... canonicos abesse non posse ultra tertiam partem, et alio decreto ultra quartam partem, eodem tempore, arbitrio episcopi et capituli. (Bened. XIV, loc. cit.; Scarfanton., t. I, p. 169.)

5. « Hujusmodi tres menses non debent incurrere in Natale, aut in Pascha Domini, vel similes maximas solemnitates, aut in tempus Adventus, et Quadragesimæ, aut in dies Dominicas, et festos totius anni. (Ita decrevit sacr. congr. Concil. apud Ferrar. verb. *Canonicatus*, art. 5, n. 4.)

6. « Potest episcopus ob legitimam cau-

sam dare canonicis suis facultatem, ut possint abesse per quatuor menses. Sic decisum a sacr. congregatione, et a sanctissimo confirmatum. (Apud FERRAR. *ibid.* n. 12.)

7. « Fundationum privilegiis, quibus ultra tres menses canonicis abesse licet, non est derogatum a Tridentino; nec etiam statutis a sede apostolica confirmatis. S. congr. Concil., et ita etiam sanctissimus probavit, ut refert FAGNAN. in cap. *Licet, De præbend.* n. 58 ad 60.)

8. Qui absunt a servitio ecclesiæ, licet in civitate locove ubi est ecclesia sint præsentes, et nisi legitime impediti, habendi sunt pro absentibus. (S. congr. Concil. 1573.)

9. Sacra congregatio respondit : « Non oportere absentiam esse per tres menses continuatam, sed satis esse quod dies absentiæ, quanquam interpolati, superent trimestre uno anno, ut ultra absentes subjaceant pœnis a Tridentino decretis. » (BENED. XIV, inst. 107, § 6.)

10. Licet autem canonici possint libere et licite abesse illis tribus mensibus, non tamen pro eo tempore lucrantur distributiones quotidianas, sed solum fructus grossos, seu præbendam. (S. congr. Concil. apud FERRAR. *ibid.* n. 11.)

§ II. — Pœnæ canonicis non residentibus inflictæ.

I. Canonici non residentes per novem menses incidunt in pœnas concilii Tridentini supra in decreto adductas. Imo in easdem pœnas incidunt etiam canonici, qui majori servitio ecclesiæ, quam novem mensium sunt astricti, si non resederint per tempus ipsum majus sibi constitutum. (Sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. referunt plures et FAGNAN. in cit. cap. *Licet, De præbend.* n. 50; FERRAR. *ibid.* n. 15.)

II. « Pœnæ autem sunt, quod absens ultra tempus permissum primo anno privetur dimidia parte fructuum, et quidem ad ratam mensium quibus ultra abfuit, si non est integer annus, ut censuit sacr. congr. (teste Fagnano in cap. *Ex tuæ* 11, *De clericis non resid.* n. 15.); secundo anno omnibus fructibus, et tertio anno privetur etiam titulo canonicatus. »

III. « Canonici tamen, qui ob absentiam in pœnam privationis fructuum incidunt, non tenentur istos in conscientia restituere ante sententiam condemnatoriam judicis : sic colligitur ex ipso verbo concilii, *Privetur*, quod non operatur ipso jure, sed per sententiam. » (Ita multi et Rota *in Caurien.* coram Orano, 10 April. 1592.) Ad incurrendam a canonicis non residentibus pœnam privationis fructuum, non est opus prævia monitione ut resideant. (Argum. cap. *Potuit* 5, *De locat.*, et sic expresse decisum a sacr. congr. Concil. refert GARCIA, cit. cap. 2, n. 145)

« Fructus quibus privandi sunt canonici non residentes, debent applicari in usum et fabricam ecclesiæ, si indiget, alias alteri pio loco, arbitrio ordinarii. » (Sic decrevit sacr. congr. Concil.)

IV. Pœnarum gradus contra canonicos non residentes a concilio, dicto cap. 12, quod antiquum jus immutavit ea de re, præscripti, sunt necessario servandi antequam deveniatur ad privationem : alias ipsa privatio, seu sententia privationis erit nulla. (Sic sacra Rota, sæpius, apud FERRAR. verb. *Canonicatus*, art. 5, n. 15 ad 20.)

V. Ad privationem vero episcopus procedere nequit nisi *juxta sacrorum canonum constitutiones.* (*Trident.* sess. 24, c. 12.) Ideoque « absens debet, juxta sacrorum canonum constitutiones, si sciatur ubi exsistit, personaliter moneri, seu citari, ut redeat ad residendum in termino congruo arbitrio episcopi sibi præfigendo sub pœna privationis, nisi resipiscat. » (C. *Ex parte vestra* 8, et *Clericos* 16, *De clericis non residentibus.*) Si vero ignoretur ubi exsistat, tunc, trinæ citationis edicto in valvis ecclesiæ Beneficii affigendo, debet vocari, seu citari, atque post ultimam citationem per sex menses exspectari; quibus elapsis, si sine legitimo probato impedimento canonicus residere contempserit, non amplius privandus est fructibus, sed beneficio est omnino spoliandus, juxta formam præscriptam in cap. *Ex tuæ devotionis* 11, *De clericis non resid.* (Sic decisum a sacr. congr. Concil. — FERRAR. *ibid.* n. 23, 24.)

Notandum est quod si canonicatus esset simultaneæ collationis episcopi et capituli, tunc actus privationis spectaret simul ad utrumque, sicuti spectat et provisio.

Prolata vero privationis sententia ob non residentiam cum præcedenti observatione præmissorum, ab ea non datur appellatio suspensiva : secus vero quando non esset

servatus ordo præscriptus in allegatis sacris canonibus et concilio Tridentino.

Benedictus XIV, inst. 107, § 6, probat, ex declaratione sacr. congr. Concil. 18 Novembr. 1673, « episcopum, si incœpto processu juxta formam Tridentini, canonicatum absentem suspendat, non posse ad ulteriorem pœnam privationis devenire. »

§ III. — Causæ excusantes a residentia.

Omnes causæ quæ a choro excusant, pariter excusant a residentia. Præterea dantur aliquæ legitimæ causæ omnino excusantes a continua residentia; et istæ generatim loquendo sunt quatuor, secundum Trident. sess. 23, *De reform.* textu expresso : *Cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia ac evidens Ecclesiæ vel reipublicæ utilitas, aliquos nonnunquam abesse postulent et exigant.*

Ad primam causam pertinet juvare proximum auxilio indigentem, lites dirimere, odia sedare, et hujusmodi; ad secundam *urgentis necessitatis*, si canonicus absit propter aeris intemperiem, vel corporis infirmitatem (C. *Præsentium* 3, causa 7, quæst. 1; et cap. *Ad audientiam* 15, *De clericis non resid.*), vel ad fugiendam tyranni persecutionem, seu ad evitandas capitales inimicitias, ut notat Glossa in cap. *Clericos* 17, *De cleric. non resid.*, et in Clementina 1, *De statu monachorum;* vel ad prosequendam litem super juribus canonicatus; aut ob piam peregrinationem, v. gr. visitationem ad limina Apostolorum, seu similem honestam causam, impetrata tamen licentia prælati, sicuti habetur in cap. *Relatum* 4, juxta Glossam, *ibid.* verbo *Prælatorum*, *De clericis non resid.* Ad tertiam causam *debitæ obedientiæ* pertinet, si canonicus absit a residentia de mandato papæ, ut in apostolicæ sedis servitio occupetur; occupatus enim servitio papæ habetur pro residente in propria Ecclesia, cum serviat Ecclesiæ universali. (C. *Cum dilectus* 14, et cap. *Ad audientiam* 15, *De clericis non resid.*) Ad quartam causam *evidentis Ecclesiæ vel reipublicæ utilitatis* pertinet, si canonicus absit ob negotium et servitium Ecclesiæ (C. *Ex parte* 13, et c. *Ad audientiam* 15, *De cleric. non resid.*) vel causa adeundi synodum generalem, seu provincialem, aut diœcesanam; vel causa studiorum. (C. *Relatum* 4, *De cleric. non resid.*) Totius enim Ecclesiæ universalis permaxime interest ad sui regimen, et servitium viros habere litteratos. (C. *Cum ex eo* 34, *De elect.* in 6; et cap. *Super specula* 5, *De magistris.*) Permittitur beneficiatis, ut triennio theologiæ studere, eamdem vero quandiu voluerit docere absentes possint sine redituum privatione. Quibus etiam forsan assimilari possunt verbi divini prædicatores canonici. Speciatim etiam conceditur ut duo canonici in servitio episcopi occupati pro residentibus habeantur. (C. *De cætero* 7, et cap. *Ad audientiam* 15, *De clericis non resid.*) Canonici ex justa causa absentes non tenentur relinquere substitutum, ac per hunc interim deservire, non obstante immemorabili consuetudine. (Sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. referunt Garcias, et Fagnan. in cap. *Nulla* 2, *De concession. præb.* n. 73; Ferrar. verb. *Canonicatus*, art. 5, n. 33 ad 40. — Vide etiam in cap. præcedenti, quid diximus de causis a choro excusantibus.)

CAPUT XXIX.

De canonicorum prærogativis quoad habitum, et quoad præcedentiam.

Articulus I. — Prærogativæ quoad habitum.

§ I. — Notio de insigniis dignitatum et canonicorum.

« Prærogativam habitus honorabilioris, quo a cæteris de clero distinguerentur, videntur semper habuisse canonici. » (Nardi, *Dei parochi*, t. II, c. 29; apud Bouix, *De capitulis*, p. 504.)

I. *Rochettum.* « Multis monumentis, ait, probari posset *Rochettum* (a vocibus Græcis ῥὸν χιτῶν, tunica mollis), vestem nempe illam lineam prælatorum propriam, cum arctis usque ad manum manicis, solis episcopis et canonicis permissum fuisse. Origo autem rochetti est antiquissima. »

II. *Cappa* est antiquior habitus choralis ac proprius canonicorum. Cappa, sic vocata est a capite cui imponitur, vel quia corpus capiat et ambiat, ut tradit Denos, tract. *De canonicis*, lib. IV, c. 12. Est tanquam tunica talaris, rochettum cooperiens.

III. « *Mozettam* (a voce Itala *moza* quæ significat cappam), recentioris usus existimarunt nonnulli; at Sarnelli (*Lettere eccles.*, t. II, let. 27) ostendit antiquissimam, nec aliam esse quam *birrum* illum *lacernum*, qui tanquam vestium complementum, non tantum caput sed et humeros tegebat. » (Bouix, *De capitulis*, p. 509.) Differt a *Ca-*

putio (Gallice *Camail*), quod, usu antiquo, competit rectoribus Ecclesiarum parochialium et alicubi omnibus clericis. (BENEDICT. XIV, *De synod. diœc.*, lib. III, c. 11, n. 9, ubi citat Gavantum.)

IV. « *Almutium* fuit initio vestis operiens caput et humeros; sed præcipue caput... dici deberet *armutium* eo quod gestetur super armos. » (SARNELL., *Lettere eccles.*, t. IX, p. 82.) « Hodie vero *almutium* seu *almutia* est indumentum pelliceum, quod jam non super caput et humeros ut olim, sed super unam scapulam vel etiam super brachium sinistrum gestatur. » (BOUIX, *ibid.*)

V. Romani pontifices pluribus capitulis indulserunt facultatem utendi *mitris*, *podiis* et *annulis*. (ID., *ibid.*)

§ II. De insignium canonicalium concessione.

« Usus seu delatio cappæ et rochetti, quin imo etiam almutiæ, non permittitur canonicis ecclesiarum, tam collegiatarum quam cathedralium, nisi speciale indultum habeant a sede apostolica, cum illorum insignium concessio sit de regalibus summi pontificis, neque quoad ea quidquam statuere possint episcopi. Omnibus illis quibus ex peculiari privilegio illius (nempe *rochetti*) usus permissus non ostenditur, intelligitur a jure prohibitus; ut de rochetto ac etiam de cappa testatur Corradus (*Praxis benef.*, lib. II, c. 14), ubi plura refert congregationis Rituum decreta, ac numero 26 ait: « Episcopus in hac materia habituum et insignium in choro per canonicos gestandorum, ac etiam circa illorum colores, nullam prorsus auctoritatem habere, cum omnia papæ sint reservata. » (SCARFANTON. tom. I, p. 37. Idem tradit. MONACELLI, tit. II, form. 4, adnot. 28; et *Thesaurus resolut. S. congr. Concil.* tom. anni 1828, p. 264.) — « Insignia concedere canonicis Ecclesiæ cathedralis aut collegiatæ vel concessa mutare non potest episcopus, inconsulta sede apostolica. » (S. congr. Rit. *in Hydruntina*, 1 Septembr. 1612, et sæpius apud FERRAR., verb. *Insignia*, n. 1 ad 4.) — « Usus cappæ et rochetti est de regalibus summi pontificis, et eorum concessio pendet ab ejus absoluta potestate, et ipse solus habet interesse. » (FERRAR., verb. *Cappa*, n. 9. — « Per concessionem cappæ intelligitur quoque concessus rochetti. » (ID., *ibid.*, n. 3.)

§ III. — De obligatione insignia deferendi.

I. Cappa seu insigniis propriis debent uti canonici in divinis officiis; alias punctari debent et distributiones amittunt. (S. congr. Rit., *in Lunen. Sarzanen.*, 3 Martii 1633.)

II. Cappa est deferenda in processionibus; in synodo diœcesana; in conventibus diœcesanis, sicuti et insignia alia quibus quis in ecclesia sua uti potest; — item deferenda est a parochis urbanis, non in alienis ecclesiis, sed in suis solum, ac præterea foris, cum aliquod ecclesiasticæ functionis munus collegiatim cum suo clero obeunt. A diœcesanis item in suis, non in alienis plebibus. (*Act. ecclesiæ Mediolanen. passim*, apud FERRAR., verb. *Insignia*, n. 21 et 22.)

III. Capitulum, in pluribus functionibus intra ecclesiam et præsertim in adoratione sanctæ Crucis, quæ peragitur in hebdomada majori, incedere debet cappis extensis usque ad talos. In processionibus vero pœnitentiæ, quæ fieri contingant, et in associatione cadaverum concapitularium, et episcopi ordinarii, nequeunt canonici cappam explicare. (Sacr. congr. Rituum, 4 Septembr. 1745.)

§ IV. — Prohibitio canonicalia insignia deferendi in quibusdam casibus.

I. Canonici etiam cathedralis in administratione sacramentorum, tam intra, quam extra cathedralem ecclesiam, tenentur deponere cappam, atque uti superpelliceo et stola juxta Rituale Romanum. (S. congr. Rituum, 31 Maii 1817.)

II. Canonici et præbendati non possunt deferre cappam seu almutias, cum uti singuli invitantur ad associandum funera, sed deferre tantum possunt in casibus quando incedunt collegialiter una cum capitulo. (S. congr. Episcop. et Regul., 2 Maii 1659.)

Præbendati possunt solum deferre almutias in iis casibus quando incedunt collegialiter cum capitulo. (S. congr. Episcop. et Regul. 10 Novembr. 1662.)

Canonici pluviali, planeta, dalmatica, vel tunicella induti non possunt deferre almutias. Canonico vero defuncto, etiam sacris vestibus induto, imponi potest almutia super brachium. (S. Rit. congr., 4 August. 1663.)

§ V. — An vero canonici, uti singuli, possint insigniis canonicalibus uti in concionibus, aliisque functionibus, excepta sacramentorum administratione, tam intra quam extra propriam ecclesiam.

Satis difficilis est ista quæstio propter diversas opiniones et varia sacr. congr. de-

creta, et etiam ob Galliarum consuetudinem.

I. Ceccoperius, *Lucubrat. canonic.*, lib. I, tit. VIII, n. 93, Scarfantonius, *Animadversio* in tit. VIII Ceccoperii, n. 31-34, sic tradunt : « Cappa et rochettum, aliaque insignia canonicalia non denotant jurisdictionem, sed solum perfectionem, gravitatem et ornamentum personarum. » Id tradit Pitonius, advocatus Romanus, deinde episcopus Imeriæ et auditor Benedicti XIII, in disceptat. 49, n. 9, ubi sic expresse subdit : « Et ideo habitus potest deferri nedum in ecclesia, sed etiam extra in processionibus aliisque functionibus cum sit privilegium personale, quod non circumscribitur loco, ut resolvit sacr. Rit. congr., 19 August. 1634, et testatur Ceccoperius, ubi proxime, n. 92 et 93, ibi : *Antedicta insignia canonicis impertita possunt ab eisdem deferri in functionibus ecclesiasticis, etiam extra diœcesim*, etc., ut deducitur ex decreto sacr. Rit. congr. die 19 August. 1634. Ratio est quia privilegium est personale, quod persona secum ubicunque defert, nec restringitur in loco. » Et ita citantur apud Ferrar., verb. *Insignia*, n. 30. Adnotant tamen præcitati canonicos insignia sic deferentes in alia ecclesia non debere proprias hujus ecclesiæ beneficiatorum sedes occupare.

II. Sacrorum Rituum congregatio, per decretum 9 Decembr. 1617, n. 402; decretum 30 Martii 1621, n. 445; et tertium 19 Julii 1642, n. 1255, decretum, apud Gardellini, permisit canonicis regularibus Lateranen. mozettam ubique deferre, in processionibus et aliis actis publicis, etiam præsente episcopo. Eadem sacra congr. 17 Junii 1673, n. 2473, decrevit quod Ecclesiæ Florentinæ canonici rochetto cum stola in administrando SS. Eucharistiam in Paschate uterentur.

Attamen D. Bouix, *De capitulis*, p. 512, arguit Scarfantonium et alios ut « falso existimantes concessionem insignium esse gratiam personalem, canonicis videlicet uti singulis ab apostolica sede concessam. » Atqui decretum ipsum 31 Maii 1817 ab eodem Bouix contra eosdem relatum, supponit et admittit hanc in quibusdam casibus gratiam personalem. Nam postquam prohibuit canonicis insignia deferre *si intersint uti singuli*, addit : *nisi speciale privilegium, nedum collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur*. Potest igitur haberi *speciale privilegium*, quo I *singulariter et distincte ad personas extendatur*, « quodque ideo persona secum ubicunque defert, nec restringitur in loco, » ut ait Ceccoperius, et post eum Scarfantonius. Unde *non omnino sunt in hac re deserendi*, quamvis in contrarium concludat Bouix, prædicti auctores.

Fatendum est tamen sacrorum Rituum congr. per duo particularia decreta, alterum 15 Julii 1651, n. 1651 ; alterum 12 Martii 1678, n. 2712 ; et per quatuor generalia decreta, 10 Septembr. 1650, n. 1472 ; duo anni 1817, n. 4386 et 4387; et quartum anni 1831, n. 4520 apud Gardell. decrevisse quod « canonici cathedralis in administratione sacramentorum, tam intra quam extra cathedralem ecclesiam, teneantur deponere cappam, atque uti superpelliceo et stola juxta Rituale Romanum. »—Ad secundum : « Quod dicti canonici uti possint cappa intra propriam ecclesiam, etiam in concionibus aliisque functionibus, excepta sacramentorum administratione in qua utendum est superpelliceo et stola, ut ad primum, sed teneantur cappam deponere, dum verbum Dei prædicant, aliasque quascunque non capitulares functiones exercent extra propriam ecclesiam et detur decretum generale. » Apud Gardellini, n. 4386, qui tom. VI, p. 36 in nota sic disserit de hoc decreto : « Nemini dubium quod canonici cappæ magnæ usum habentes, aut aliis insignibus decorati, ista adhibere possint in propria ecclesia sacras functiones peragentes capitulariter, vel uti singuli ; excepto duntaxat casu administrationis sacramentorum, quæ, tum ex rubricarum præscripto, tum ex sacræ congregationis decretis, exigunt usum superpellicei et stolæ... Haud tamen id ipsum poterit (canonicus) in alienis ecclesiis, vel intra vel extra diœcesim... privilegia deferendi canonicalia insignia *extra propriam ecclesiam*, ita sunt intelligenda, ut id liceat quando canonici capitulariter in alienis ecclesiis sacras peragunt functiones, aut iisdem assistunt. Corpori siquidem concessa sunt, non canonicis uti singulis. » Quod generaliter loquendo hodie verum est, sed olim ex sacr. congr. testibus supra citatis auctoribus concessa erunt canonicis uti singulis, et nunc etiam, ex sequenti decreto, possunt adhuc concedi ut *speciale* et personale *privilegium*.

Cum semper novæ eadem de re dubitatio-

nes proponerentur, editum est, auctoritate Pii VII confirmatum, decretum, ex quo sequentia transcribimus :

« Alias quoque, ac speciatim *in una dubiorum*, die 10 Septembr. 1650, in *Capuana*, 15 Julii 1651, et in *Panormitana*, 12 Martii 1678, eadem sacra congregatio decrevit ut canonici qui usu cappæ et rochetti donati sunt, hisce aliisve sibi tributis honorum insignibus utantur duntaxat in propria ecclesia. Quod si privilegio polleant ea utendi etiam extra, nonnisi in supplicationibus aliisque ecclesiasticis functionibus quibus capitulariter, non autem uti singuli intersunt, ea possint adhibere. Ast cum adversus hæc aliaque id genus sacræ congregationis decreta abusus haud mediocres irrepsisse dignoscantur (quemadmodum patet ex quæstionibus et dubiis quæ sæpenumero enodanda proponuntur), idcirco eminentissimi Patres eidem congregationi præpositi... ut si quæ perperam invaluerint auferantur..., generale decretum, facto verbo cum sanctissimo, ferendum atque edendum esse censuerunt ; ideo declararunt : 1°.... — 2° *Dignitatibus vero et canonicis etiamsi gaudeant indulto deferendi cappam et rochettum tam in propria quam in alienis ecclesiis, hujusmodi tamen, aliorumque canonicalium insignium usum extra propriam ecclesiam licitum esse duntaxat, quando capitulariter incedunt vel assistunt et peragunt sacras functiones ; non autem si intersint uti singuli, nisi speciale privilegium, nedum collegium comprehendat, verum etiam singulariter et distincte ad personas extendatur.* Et ita declaravit, decrevit et servari mandavit, si Sanctissimo videbitur, die 31 Maii 1817. Facta autem relatione, etc., per me infra scriptum secretarium sacr. Rituum congr. de præmissis sanctissimo domino nostro Pio VII pontifici maximo, Sanctitas sua sacræ congregationis decretum apostolica confirmatione munitum, typis tradi ac evulgari jussit, pridie Nonas Junii 1817. » (Apud Gardell., n. 4387.)

Res iterum decisa anno 1831, n. 4520.

Jam vero ad Galliæ praxim quod attinet, contraria omnino reperitur; ita ut etiam canonici honorarii rochetto et mozetta extra ecclesiam propriam et diœcesim in concionando utantur. Hæc vero praxis difficile supprimeretur absque populorum admiratione et minore prædicationis fructu. Præterea in rerum Galliarum statu nullum aliud episcopis præbetur medium eos sacerdotes, quorum eximia æstimantur erga religionem gesta, remunerandi nisi eosdem titulo canonicorum honorariorum condecorando ; qui tamen titulus nullus foret per Galliæ praxis suppressionem.

Ex his sane rationibus et aliis similibus, in favorem Gallicanæ praxis emanavit sacr. Rit. congr. sequens declaratio, anni 1832:

« Utrum canonicus qui ... gaudet usu rochetti et mozettæ etiam coram pontifice, illis uti valeat in sacramentorum administratione, et verbum Dei annuntiando? Sacra eadem congregatio censuit : *negative ad primam partem* (nempe in sacramentorum administratione) ; *affirmative ad secundam* (nempe in verbum Dei annuntiando), *sed in propria tantum ecclesia, vel in aliis ecclesiis ubi adest usus deferendi cappam vel mozettam, juxta decretum* In una dubiorum *diei* 31 *Maii* 1817. Die 7 Aprilis 1832. » (Apud Gardellini, t. VIII, n. 4534.)

Ibi enim dicitur, *vel in aliis ecclesiis ubi adest usus deferendi cappam vel mozettam;* in Gallia autem est usus ut canonici in omnibus ecclesiis concionando sua insignia deferant; unde videretur Gallicana praxis præservari. Illa enim verba concordare debent cum decreto generali supra citato, ad quod remittunt; ideoque interpretanda sunt per dictum decretum, cum expresse dicatur *juxta decretum* 31 *Maii* 1817. In eo vero decreto nihil reperitur hic applicandum præter hæc verba : *Non autem si intersint uti singuli,* NISI SPECIALE PRIVILEGIUM, *nedum collegium comprehendat,* VERUM ETIAM SINGULARITER ET DISTINCTE AD PERSONAS EXTENDATUR. Ex quo patet sacr. Rit. congr. in decreto 7 Aprilis 1832, inhærendo suo 31 Maii 1817 decreto, considerasse usum Galliarum a Concordato 1801 vigentem uti *speciale privilegium singulariter et distincte ad personas extensum*, cum hæc sola verba faciant ad declarationem 7 Aprilis 1832. Quia aliunde hæc duo decreta sic a nobis collata et per semetipsa invicem interpretata concordant 1° cum decretis 9 Decembris 1617, 30 Martii 1621, 19 Julii 1642, 19 Augusti 1634 a Pitonio et Ceccoperio citato; et 2° cum sententiis istorum et aliorum canonistarum, considerando insignia canonicalia Galliarum ut privilegium personale usu generali et auctoritate delegata primorum episcopo-

rum post Concordatum 1801 ad instituenda capitula eisque insignia concedenda delegatorum, introductum. Nam privilegium introducitur per usum sicut per legislatoris concessionem.

Unde memoratam Galliæ praxim ego non auderem asserere esse abusivam et de medio tollendam, ut gratis insinuant aliqui; præsertim cum vidimus sacr. Rit. congregationem episcopo Messin. 27 Feb. 1847, n. 4919 respondisse : « Clerum et etiam minimos clericos *non esse inquietandos* super usu generali rochettum deferendi. » Et ipse Gardellini non improbat basilicarum Romæ consuetudinem, qua in sacramenti pœnitentiæ administratione tam canonici quam beneficiati imponunt stolam super cappam in propria ecclesia.

ARTICULUS II. — PRÆROGATIVÆ CAPITULORUM ET CANONICORUM QUOAD PRÆCEDENTIAM.

§ I. — Diversorum graduum et ordinum necessitas.

I. « Ad hoc dispensationis divinæ provisio, gradus diversos et ordines constituit esse distinctos, ut, dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret et ex diversitate contextio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim diversitas alia poterat ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia vero quæque creatura in una eademque qualitate gubernari, vel vivere non potest, cœlestium militiarum exemplar nos instruit; quia, dum sunt angeli et sunt archangeli, liquet quia non sunt æquales, sed in potestate et ordine (sicut nostis) differt alter ab altero. » (can. 7 *Ad hoc*, dist. 89 ex epistolis sancti Gregorii I ad episcopos Galliarum, lib. IV, epist. 52; juncto can. *Præcipimus* 26, distinct. 93; et cap. *Statuimus* 15, tit. XXXIII *De majoritate et obedientia*, lib. I *Decret.*, ibi : *Statuimus ut presbyteri primum locum, diaconi secundum, subdiaconi tertium, et sic de reliquis obtineant ordinatim, etiamsi posterius admittantur. Et qui major est ordine, etiamsi postea sit receptus, in portione percipienda potiorem esse volumus, ac minores facere servitia consueta.*

II. Admittitur ut principium, « posse nempe omnes controversias inter ecclesiasticos de præcedentia ab episcopo provisionaliter dirimi; ita ut nulla appellatio suspendat effectum judicii episcopalis et debeat huic judicio stari, donec in petitorio controversia decidatur. » (Ita MONACELLI. et GAVANTUS in *Manuali*, verb. *Præcedentia*, n. 1; apud BOUIX, *De capitulis*, p. 517.)

III. Ad sacrorum Rituum congregationem ex auctoritate pontificia pertinet omnes controversias de præcedentia dirimere.

§ II. — Regula præcedendi inter capitula et canonicos.

I. Canonicus ecclesiæ collegiatæ urbis Romæ dignior est canonico cathedralis alterius civitatis, etiamsi cathedralis capitulum sit exemptum. (Sic declaravit sacr. congr. Concil. super cap. 12, sess. 24, *De reform.*)

II. Canonici cathedralis in omnibus et per omnia sunt præferendi magistratui sæculari, quando non est de perpetuis et majoribus, et concionator debet ipsos prius salutare quam magistratum; et thurificandi sunt ante magistratum. — Extra tamen ecclesiam nullam habent jurisdictionem incedentes uti singuli, ideo cedere debent habentibus jurisdictionem et unitatem repræsentantibus, præsertim si de consuetudine in contrarium non constaret. (S. Rit. congr. pluries.)

III. Canonici cathedralis omnibus aliis canonicis præcedunt; cathedralis enim ecclesia collegiatam vincit honore et superat dignitate. (C. *Venerabili*, *De verborum significatione.*) Adeoque canonici cathedralis in omnibus functionibus præferendi sunt canonicis collegiatæ, non obstante consuetudine in contrarium (S. Rit. congr. 19 August. 1619), etiam in omnibus actibus in propria collegiata exercendis. (Ead. sacr. congr. 2 Octobr. 1597.) Imo canonici cathedralis præcedunt canonicis collegiatæ etiam in associandis funeribus defunctorum propriæ ipsius collegiatæ parochiæ. (Ead. 18 August. 1618.)

IV. Canonici cathedralis et collegiatæ et alii clerici sæculares semper præcedere debent regularibus, etiam in ipsorum regularium ecclesiis. (Ead. 12 Mart. 1618, et ex pluribus pontificiis constitutionibus.) Et de jure communi etiam clerici sæculares præcedere debent regularibus, ut colligitur ex cap. *Alia causa* 6, cap. *Legi epistolam* 36, causa 16, quæst. 1.)

§ III. — Inter ejusdem capituli canonicos.

I. Canonici digniores debent sedere in

sedibus quæ sunt viciniores sedi episcopali. (S. Rit. congr. 15 Mart. 1608.)

II. Canonicus celebrans ratione paramentorum et officii debet habere primum locum et primam sedem chori supra dignitates et canonicos. (Ead. 26 Jun. 1610.) — Canonicus hebdomadarius officium faciens debet habere locum supra omnes dignitates et canonicos. (Ead. 27 Jun. 1616.) — Canonicus primus, vel prima dignitas, qui digniorem locum habet in capitulo, præferendus est cæteris in processionibus. (Ead. 18 Novembr. 1606.)

III. Canonicus episcopus debet præcedere omnibus aliis canonicis et dignitatibus etiam ipso antiquioribus; potest et debet uti habitu ordinario quo utuntur episcopi in Romana curia, id est rochetto super subtana et manteletto violacei coloris, et sedere in primo stallo supra omnes; in missis de turno abstineat et subroget alium; in solemnioribus celebret cum indumentis et insigniis pontificalibus, sed de licentia episcopi; et archiepiscopo solemnia agente tenetur sedere in choro cum pluviali. (S. congr. Rit. sæpius.)

IV. Ubi præbendæ sunt distinctæ servandus est in sedendo et in gradiendo ordo præbendarum. (S. Rit. congr. n. 3130.) Et canonici sedere et incedere debent singuli in proprio ordine et dignitates gestare pluvialia, canonici ordinis presbyteralis planetas, diaconi et subdiaconi dalmaticas et tunicellas. (Ead. n. 204.)

V. Ubi omnes præbendæ sunt presbyterales, tenentur nihilominus assumere sacras vestes ut Cæremoniale præscribit, dum episcopus solemniter celebrat. (N. 1303.) Declaratur abusus, quod canonici, ubi præbendæ non sunt distinctæ, assistant missæ pontificali cum cappa; permittitur tamen ut omnes tam dignitates quam canonici assistant pluvialibus induti. (N. 1808.) Et ex decreto 15 Mart. 1608 relato a Gavanto, canonici assistentes episcopo in pontificalibus, debent esse induti aliqui pluvialibus, alii planetis, alii dalmaticis et alii tunicellis, ut, etiamsi non sint distinctæ præbendæ, fiat tamen distinctio per paramenta. Et de hoc episcopus potest statuere. (S. Rit. congr. 11 Januar. 1681.)

VI. Ubi præbendæ non sunt distinctæ, canonicus presbyter debet præcedere diaconum, et canonicus diaconus subdiaconum, et subdiaconus canonicum in minoribus tantum constitutum. Quando omnes sunt presbyteri, præcedunt inter se secundum suam receptionem; ita ut canonicus prius factus debeat præcedere aliis post ipsum admissis, etiamsi sint doctores. (S. Rit. congr. pluribus decretis.)

VII. Coadjutor dignitatis debet sedere post dignitates supra omnes canonicos (n. 4799 et 4821, et sacra congr. Concil. 9 April. 1859; — *Analecta juris pontificii* Jul. et August. 1859, p. 1760.)

VIII. Canonicis non licet occupare sedes dignitatum absentium vel præsentium, nec sedem vacuam celebrantis dignitatis. (S. Rit. congr. n. 2117, 2142 et 3444.)

IX. Canonici ad chorum pergentes diebus solemnioribus debent bini processionaliter incedere, præcedente cruce : in aliis diebus, prout libuerit. (N. 600.)

X. Dignitatibus et canonicis cathedralis convenit distinctio tam quoad qualitatem paramentorum, quam quoad locum se parandi in missis. (S. Rit. congr. 20 Mart. 1706.)

Canonicus facturus officium debet ad chorum cum paramentis accedere. (N. 1354.)

XI. Canonici collegiatæ (et a fortiori alii parochiarum presbyteri) non debent in processionibus incedere parati, sicut canonici ecclesiæ cathedralis. (Ead. 19 Mart. 1607.)

XII. Canonici stare non debent ad nonam lectionem a celebrante hebdomadario cantari solitam, etiamsi is sit pluviali indutus, cum hujusmodi obsequium præstandum solummodo sit dum cantatur ab episcopo. (Sacr. Rit. congr. n. 1819.)

Canonici eam partem tenentes ubi intonatur a canonico antiphona, omnes surgere debent detecto capite. (N. 2372 et 3448.)

Canonici et dignitates, dum cantare debent lectiones, accedere debent ad legile. (S. Rit. congr. n. 3402.)

Canonicis paratis danda est pax et thurificatio ante dignitates : et beneficiatis paratis post canonicos ante alios de clero. (N. 16.)

Canonici missam planam celebrantes nullo modo distingui debent a simplicibus sacerdotibus. (N. 4386.)

§ IV. — De præcedentia relative ad vicarium generalem episcopi.

I. Certum est vicarium generalem episcopi, *modo assistat in habitu vicariali*, id est subtana cum mantello et bireto, et si est protonotarius, subtana cum cauda et mantelletto,

præcedere dignitatibus et canonicis *non paratis*, id est veste chorali tantum et non vestibus sacris indutis. (Ita sacr. Rit. congr. multoties.) Excipitur tamen hebdomadarius, qui semper primum stallum occupat.

II. Nulla gaudet præeminentia vicarius generalis, si assistat sine habitu vicariali; et si nolit canonicis cedere, ab interessendo abstineat. (Sacr. Rit. congr. 1819.)— Si sit canonicus, potest ad libitum aut habitu vicariali, aut habitu chorali canonico assistere; sed in habitu vicariali suam præeminentiam servat, amittit vero distributiones; in habitu autem canonico debet locum suæ receptionis occupare, nullam habet præeminentiam et lucratur distributiones.

III. Ut vicarius generalis, sedere debet in primo stallo, et quatenus opus sit, addatur sedile; et stallum assignandum vicario debere esse fixum nec amplius variandum S. Rit. congr. sancivit n. 1155 et 1037.

Nequit missas solemnes celebrare aliasque functiones episcopales peragere impedito episcopo vel sede vacante, cum id pertineat ad dignitates et canonicos. — Semper thurificandus est duplici ductu post canonicos sacris paramentis indutos et ante omnes alios. (Vide lib. II, cap. *De vicario generali.*)

§ V. — Relative ad vicarium capitularem.

Vicarius, tam capitularis quam generalis, nequit peragere functiones quæ absente episcopo pertinent ad dignitates, nisi ipse sit dignitas ad quam pertinet. (S. Rit. congr. multoties.)

Vicarius capitularis præcedentiam habet supra omnes post digniores de capitulo: sedere proinde debet post dignitates; si vero est canonicus, sedere debet in suo stallo quatenus frui velit distributionibus, et tunc nullam habere potest præcedentiam. In processionibus debet incedere a sinistris dignitatis repræsentantis capitulum; ita ut censeatur inferior toto corpore capituli. — Nequit in expeditionibus uti proprio sigillo, sed adhibere debet sigillum capituli. (Ita per omnia decisum fuit a sacr. Rit. congr.)

§ VI. — Quoad reliquos qui non sunt de capitulo.

Relative ad parochos, dici generatim potest dignitatem canonici in se spectatam esse supra dignitatem parochi; ideoque canonici etiam supranumerarii seu honorarii, generatim loquendo, præeminentiam habent supra non canonicos.

Canonici et clerici cathedralis in ducendis funeribus præeminentiam semper habent; Officium vero in ecclesia faciendum est a parocho defuncti. » (Gardell. n. 180.)

Capitulum et canonici, non solum in via sed etiam in propria ecclesia parochiali, præcedere debent ipsi parocho in funeribus et aliis functionibus, non obstante prætensa contraria consuetudine; præterquam in actu faciendi officium, quod spectat ad parochum. (Id. n. 3501.)

Canonicus supranumerarius (seu honorarius), simul parochus in funeribus, præsente capitulo, si procedat cum stola, digniorem locum habet. (Id. n. 4972.)

Canonici cathedralis uti singuli non præcedunt parocho in ipsius ecclesia. (Id. n. 77 et 2508.) — Præcedentia autem quæ debetur parochis et curatis perpetuis, eadem debetur parochis et curatis amovibilibus ad nutum, quia etiam hi gaudent prærogativis parochorum perpetuorum. (S. congr. Concil. 27 Mart. 1706; — Ferrar. verb. *Canonicatus*, art. 7, n. 33.) Præcedentia debetur parocho in propria ecclesia si agatur de actibus illis quibus parochi munus proprium exercent ex ratione illa, quod quilibet in domo sua aliis præferatur. (S. Rit. congr. 13 Mart. 1756. — Apud Ferrar. *ibid.* Addit. n. 61.)

Si tamen aliquis canonicus, etiam honorarius tantum, procedat cum episcopo suo, præit parocho in parochi ecclesia, etiam in aliena diœcesi; quia tunc non procedit tanquam privatus, sed tanquam membrum cum capite suo. (S. Rit. congr. 19 Maii 1838, n. 4682.)

Canonicus qui pluviali indutus sustinet baculum episcopi, tenere debet locum in processionibus juxta consuetudinem. Si hæc nulla sit, solus ante episcopum incedat. (Gardel., n. 2653.)

Canonici non sunt cogendi ad deferendas hastas baldachini, quod præstandum est a dignioribus ex beneficiatis seu mansionariis, et contraria consuetudo improbatur. (*Ibid.* n. 1024 et 1882.)

Canonici et dignitates in actu præstandæ obedientiæ admitti debent ab episcopo ad osculum duntaxat manus. (*Ibid.* 1194.

SECTIO II. — DE CAPITULO SEDE VACANTE.

CAPUT PRIMUM.

De capituli jurisdictione, sede vacante.

§ I. — Capitulum explet vicem episcopi in regimine diœcesis.

I. Capitulum ad auxiliandum et supplendum episcopo in ecclesiæ regimine, sede vacante, succedit in jurisdictionem episcopi, et potest omnia facere, quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, nisi expresse prohibita reperiantur. (C. *His quæ*, 11; c. *Cum olim*, 14, tit. XXXIII; *De majorit. et obed.* lib. I *Decretal.*; c. unic. *Episcopali*, tit. XVII, *De major. et obed.*; c. *Si episcopus* 3; c. *Ecclesiæ* 4, tit. VIII, *De supplenda neglig. prælat.* l. I Sexti decret.; c. *Ad abolendam* 9, tit. VII, *De hæretic.* lib. V *Decretal.*; et *Concil. Trident.* sess. 7, c. 10; et sess. 23, cap. 10; et sess. 24, cap. 16.) Ex quibus canonibus concludunt doctores passim et præsertim Leurenius, *De capitulo sede vacante*, c. 1, quæst. 147, ibi :

« Ad capitulum cathedrale, sede vacante sive per mortem, sive per renuntiationem, translationem aut depositionem episcopi, pertinet jus administrationis et jurisdictio. Gerit enim capitulum tale vices episcopi, et succedit in jurisdictione episcopali, eaque ad illud devolvitur. Unde dicitur successor episcopi, quia jurisdictionem episcopalem tanquam ejus successor habet. Et hinc jam dicitur idem et unum esse cum episcopo; cum antecessor et successor pro una persona reputentur. Porro jus illud administrationis ei auferri nequit per metropolitanum absque causa necessitatis; qua tamen necessitate id postulante, jura dant archiepiscopo hanc potestatem. Papa vero, ob plenitudinem potestatis suæ, administratorem deputare potest, sed non solet, si capitulum nihil deliquerit... Administratio et jurisdictio episcopalis transit quoque ad capitulum dum ecclesia *quasi vacat*; nimirum dum episcopus ab hostibus aut paganis captus est... Item quando episcopus degit in remotis, quando ejus præsentia brevi haberi nequit. »

II. « Non succedit tamen capitulum in jurisdictione episcopo delegata, etiam ex generali delegatione sedis apostolicæ, aut concilii generalis, ut Tridentini, ex quo multa competunt episcopo tanquam sedis apostolicæ delegato. (Communis, apud FAGNAN. in c. *His quæ* 11, *De major. et obed.*) Secus autem, si competant episcopis utroque jure, scilicet ordinario, et delegato, veluti si concilium det episcopis facultatem procedendi etiam auctoritate apostolica. Ideoque sacra congr. censuit facultatem transferendi beneficia simplicia ab ecclesiis collapsis competentem episcopo ex cap. 7, sess. 21, transire in vicarium capituli sede vacante : quippe decretum illud non dicit simpliciter *auctoritate apostolica*, sed addita, particula *etiam*, quæ est implicativa jurisdictionis ordinariæ. » (Sic refert et tenet FAGNAN. loc. cit. n. 56.)

Capitulum, sede vacante, non succedit in jurisdictione competente episcopo jure speciali. (*Communis*, ibid.)

§ II. — Alia jura quæ, sede vacante, capitulum spectant.

I. Capitulum, sede vacante, potest quasdam constitutiones facere obligantes totam diœcesim, etiam in tempus futuri episcopi, donec hic, vel ejus successor easdem revocaverit. (Communis, apud Ferrar. verb. *Capitulum*, art. 3, n. 26.) Et ratio est, quia capitulum, sede vacante, succedit episcopo in his, quæ sunt jurisdictionis; atqui potestas faciendi constitutiones pertinet ad potestatem jurisdictionis, adeoque, etc. Tum quia capitulum, sede vacante, succedit episcopo in administratione temporalium, simulque spiritualium rerum totius diœcesis (cap. *Si episcopus* 3, *De supplend. negligent. prælat.* in 6, cum similibus); ergo succedit etiam in potestate faciendi constitutiones ad correctionem criminum, ac morum reformationem deservientes, cum hoc concernat administrationem diœcesis in spiritualibus.

II. *Quæ potestas capitulo sede vacante competat circa beneficia?* — Aut sunt collationis liberæ, aut necessariæ. *Si liberæ collationis sint*, iterum distinguendum, an illorum collatio competat soli episcopo, an vero spectet ad episcopum et capitulum simul. — *Si primum*, conferre illa capitulum sede vacante nequit; c. *Illa* 2, tit. IX *Ne sede vacante*, etc.; c. unic. cod. tit. in 6, etc. *Etsi* l,

De instit. in 6. Sed eorum collatio per regul. 2 cancellariæ, est reservata summ. pontifici. *Si secundum* contingat, et collatio beneficii pertineat ad episcopum et capitulum simul, potest capitulum episcopo mortuo, vel a collatione beneficiorum suspenso, illa conferre, sicut vicissim conferre eadem episcopus potest, si capitulum suspensum sit. (C. un. *Princ.* tit. IX, *Ne sede*, in 6.)

Quoad collationes beneficiorum necessarias, in his succedit episcopo, ut proinde exspectare non debeat tempus sedis implendæ. (C. *Cum olim* 14, *De major.* et c. *Etsi* 1, *De instit.* in 6. Ratio est quia ejusmodi collationes sunt actus jurisdictionis necessariæ, quæ vacante sede penes capitulum residet, ut exploratum est apud omnes. Et hinc capitulum sede vacante potest præsentatos sibi a patrono clericos instituere, electos confirmare, vel etiam electionem infirmare.

Potest conferre beneficia, quæ vi institutionis, seu fundationis debentur alicui certæ personæ. Potest probabiliter conferre beneficia, quæ propter negligentiam, seu culpabilem moram collatoris inferioris ad episcopum sunt devoluta. Potest conferre beneficia vacantia ex causa permutationis, quando hæc necessaria est, vel quando illorum ex tali causa resignationem jam admisit episcopus, sed morte præventus ea conferre non potuit.

Potest capitulum, sede vacante, beneficii vacantis curam et administrationem alicui clerico idoneo, assignato illi stipendio congruo, ad sex menses commendare ... Et etiam prorogare ulterius, donec beneficium ab episcopo futuro conferatur alicui. Potest capitulum, sede vacante, admittere resignationes beneficiorum, sive quæ fiunt in pœnam, sive mere voluntarias.

Potest capitulum, sede vacante, unire ecclesias et beneficia, quamvis ecclesias unitas non possit dissolvere, nec supprimere canonicatum, nec præbendam. (Ita rationibus firmans Schmalz. t. V, pars I, tit. IX *Ne sede vacante*, n. 11 ad 29.)

III. *Quinam actus in specie vi jurisdictionis ad se translatæ capitulo sede vacante competant?* 1. Potest capitulum sede vacante condere statuta, ut dictum est supra, modo iis dignitati, vel mensæ episcopali non præjudicetur; potest synodum diœcesanam convocare et celebrare, et etiam debet, si ab ultima synodo annus effluxerit.

2. « Potest cognoscere de omnibus causis ad episcopale solum pertinentibus, etiam beneficialibus, decimalibus, matrimonialibus et criminalibus. *Neque obstat*, quod istæ causæ a Trident. sess. 24, cap. 20, vers. *Ad hæc, De reform., episcopi tantum examini, et jurisdictioni relinquendæ* dicantur ; nam *episcopi* nomine ibi intelliguntur omnes illi, qui jurisdictionem episcopalem ordinariam penes se residentem habent qualem etiam habet capitulum sede vacante. »

3. « Potest in crimina et excessus, eorumque auctores, si de illis diffamati, aut indiciis gravati sint, per viam inquisitionis procedere, et si de illis convicti sint, commeritas pœnas iisdem infligere, censuras ferre, et ab his absolvere omni casu, quo absolutionem istam impertiri episcopus jurisdictione ordinaria potest.

4. « Potest dispensare in irregularitatibus ac suspensionibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et aliis ad forum contentiosum deductis; quia hæc potestas episcopo jure communi competit, et ad ordinariam ejus jurisdictionem pertinet, ut patet ex Trident. sess. 24, c. 6 *De reform.*

5. « Potest assistere contractui matrimonii, et licentiam assistendi dare aliis sacerdotibus, dispensare in ejus contrahendi denuntiationibus, in votis et juramentis, non tamen in reservatis, in defectu natalium ad ordines minores, et beneficia simplicia, in petitione debiti conjugalis, in observatione festorum et jejuniorum, et aliis casibus, quibus ob difficultatem recursus ad sedem apostolicam dispensatio episcopo est permissa.

6. « Potest dare licentiam novitiis disponendi de suis bonis, monialibus egrediendi ex suis monasteriis, et aliis ea ingrediendi, clerico subdito, ex peregrinationis, vel alia justa causa a loco beneficii sui recedendi ad tempus, imo et perpetuo ad aliam diœcesim transeundi, ædificandi ecclesiam, vel fundandi beneficium ecclesiasticum, et sic acquirendi jus patronatus.

7. « Potest approbare, et exponere sacerdotes pro excipiendis pœnitentium confessionibus, constituere confessarium, qui absolvat a peccatis, et censuris episcopo reservatis, easdem facultates et approbationes, etiam ab episcopo obtentas revocare.

8. « Potest ex manifesta et rationabili

causa exigere subsidium charitativum, beneficiatis, et pensionariis assignare congruas portiones, compellere clericos sibi subditos ad ostendendos titulos suorum beneficiorum, eosdem, si duo, vel plura incompatibilia simul obtineant, cogere ad exhibendas legitimas dispensationes super pluralitate impetratas, licet triennio illa possederint pacifice, ut sic constet de bona fide, et an beneficiarius habeat titulum coloratum.

9. « Potest exigere rationes ab administratoribus piorum locorum, exsequi defunctorum ultimas voluntates in casibus, in quibus eas exsequi potest episcopus, in cæteris exsecutores ad earum exsecutionem faciendam cogere; illas, justa causa poscente, commutare, etc. Quorum omnium una eademque ratio est, quia hæc omnia pertinent ad potestatem, et jurisdictionem episcopi, in quam omnem iis solum exceptis, quæ specialiter prohibentur juxta n. 2, vacante sede succedit capitulum. »

§ III. — In quibus actibus capitulum sede vacante episcopo non succedit.

Plures hujusmodi actus enumerantur.

I. Non potest diœcesanis suis ad ordines ab extraneo episcopo suscipiendos concedere litteras dimissorias intra annum a die inductæ vacationis, nisi ratione beneficii recepti vel recipiendi arctati sint : et si secus fiat, capitulum contraveniens ecclesiastico subjacet interdicto. (*Trident.* sess. 7, c. 10 *De reform.*)

II. « Non potest concedere licentiam ædificandi novum monasterium . . . ut declaratum a sacr. congr. Card. 19 Januar. 1633. Ratio est quia episcopalis licentia constituit formam, quæ novi monasterii erectioni præscribitur a Gregor. XIII, in bulla *Quoniam*, edita 23 Julii 1603. Formæ autem constitutivæ per æquipollens adimpleri nequeunt.

III. « Non succedit in potestate, quam variis casibus in exemptos episcopus, præcise tanquam sedis apostolicæ delegatus, a jure habet ... Dixi *tanquam sedis apostolicæ delegatus*, nam aliquando potestas in exemptos a jure conceditur episcopo, non per modum delegationis, sed jurisdictionem, quam alias non habebat, prorogando, et extendendo ordinariam illius potestatem, ita ut in eos episcopus procedat jure proprio, et tanquam ordinarius : et in hac recte succedit vacante sede capitulum . . . Quomodo autem potestas in exemptos episcopo concessa sit, in dubio colligi potest ex eo, ad quem a sententia illius in tali casu contra exemptos lata appelletur; nam si appellari debeat ad pontificem, signum est quod competat jure delegato; si ad metropolitanum, ordinario.

IV. « Et generaliter facere nihil eorum potest, quæ ex speciali privilegio et jure episcopo competunt, nisi casu, quo id, quod ita concessum episcopo reperitur, in ordinariam illius potestatem transit; nam in tali potestate, quæ episcopis jure speciali, non mere delegato, sed ordinario competit, succedit capitulum, ut contra Suar. *De cens.* dist. 4, sect. 2, cap. 3 advertunt alii.

§ IV. — Dubia.

I. Dubitatur an capitulum, sede vacante, pro morum reformatione constituere possit diœcesis visitatorem; sed dicendum capitulum sede vacante ad correctionem morum posse visitatorem decernere, et ad hanc obeundam personam idoneam constituere. (Ita Glossa et communis.)

II. *An capitulum visitare etiam possit monasteria monialium exempta?* Affirmativam defendunt complures magni nominis doctores ex duplici fundamento :

Primo quia potestas ista episcopis committitur a jure, et in perpetuum; *Clem. fin. de stat. monach.* et *Trid.* sess. 25, c. 9 *De regul.* ... Secundo quia ... istæ, toto tempore quo sede vacante gubernat capitulum, tam salubri præsidio carere deberent... « Nihilominus, spectato jure, dicendum videtur jus visitandi monasteria monialium exemptarum ad capitulum, sede vacante, non transire .. Ita communius, et deducitur ex Trident. l. cit. ibi : *Ab episcopis, tanquam dictæ sedis delegatis*

III. « An capitulum, sede vacante, succedat episcopo in concessione indulgentiarum? Affirmant aliqui; sed merito et tutius facultatem istam capitulo negant alii multi

IV. « An, sede vacante, capitulum cognoscere etiam possit de crimine hæresis? Affirmant indistincte aliqui... sed melius distinguitur inter subditos diœcesanos et exemptos. *De prioribus* concedendum est, quod in illos procedere capitulum, sede vacante, possit ex crimine hæresis; *de posterioribus*

vero stricto jure spectato, id negandum.

V. « An et qualis jurisdictio, sede vacante, competat capitulo ecclesiæ metropolitanæ? Lotter. *De benef.* lib. I, quæst. 9, n. 47; Marchet. *De vicar. capit.* p. II, t. XII, n. 16, putant ad illud transire solum jurisdictionem, quæ competit archiepiscopo ut episcopo, non vero ut archiepiscopo. Sed contrarium defendunt card. De Luca, disc. 19, n. 6. *De præb.*, J. Emerix decis. 731 et 764, n. 10; Petra tom. I, comm. f. 278, n. 38: juxta quos capitulum, sede archiepiscopali vacante, archiepiscopo suo succedit in omnibus, præterquam in iis, quæ jure speciali sunt prohibita, vel commissa personaliter archiepiscopo : consequenter superioritatem habet in ecclesias suffraganeas, prout colligitur extravag. *Salvator* 5, *De præb.* ubi vers. *Et quia* eximit papa Ecclesiam Tolosanam ab omni jurisdictione, et subjectione archiepiscopi et capituli Ecclesiæ Narbonensis, et sic supponit jurisdictionem capituli in ecclesias suffraganeas. *Neque obstat*, quod non possit congregare concilium provinciale; quia hoc inde evenit, quod concilium Trident. id demandet archiepiscopo, et, eo non valente, episcopo antiquiori : conseq. est casus exceptus. »

VI. « An capitulum, sede vacante, debeat vocari ad synodum provincialem? Resp. affirmative : potestque eo casu mittere vicarium generalem capitularem cum speciali mandato. » Et tunc sede episcopali vacante capitulum habet votum decisivum, quia repræsentat episcopum, licet sede plena tantum habeat consultativum. »

VII. « Quæritur quid capitulum, sede vacante, possit circa alienationem bonorum et rerum ecclesiæ? Resp. Distingui debere inter bona, quæ servando servari possunt, et inter ea, quæ servando servari nequeunt, sed tempore interitura sunt.

« *Posteriora* capitulum et ab hoc deputatus œconomus ex justa causa, sede vacante, alienare potest, neque opus est ut interveniat auctoritas superioris... »

« *De bonis*, quæ servando servari possunt, iterum est adhibenda distinctio, an ad ecclesiam cathedralem pertineant, an vero spectent ad ecclesiam aliquam inferiorem, v. gr. regularem, vel collegiatam subjectam episcopo. *Si hoc secundum*, capitulum seu conventus, sede inferiore, seu prælatura vacante, una cum episcopo, qui immediate prælati vicem subit, præcedente tractatu, et causa cognita, alienationem facere potest, dummodo causa sit valde gravis, ob quam exspectari non possit, dum novus prælatus constituatur; alioquin ordinarie exspectandum est... »

« *Si primum*, capitulum, sede vacante, alienare illa regulariter non potest sine apostolicæ sedis auctoritate, ut clare satis colligitur ex cap. *Novit* 1, *Ne sede vacante...* » — « Idem dicendum est de ecclesia exempta, et immediate subjecta Romano pontifici : cui etiam si, tempore quo vacat, videatur facienda alienatio aliqua bonorum illius, a papa dandus est curator, seu defensor bonorum..., a quo si alienatio aliqua facta sit, erit postea in arbitrio electi positum, an velit contractus et alienationes sic factas a capitulo vel infirmare, vel si, in ecclesiæ utilitatem cedere videantur, confirmare, prout colligitur ex can. *Si quæ de rebus* 42, causa 12, quæst. 2... ».

Dixi autem *regulariter a capitulo, sede vacante, bona ejusmodi sine apostolica auctoritate alienari non posse;* excipitur enim casus urgentis valde necessitatis, ita ut, neque alienatio differri ad futurum successorem, neque pro alienandi licentia ad sedem apostolicam recurri possit; tunc enim, præmisso tractatu et cognita causa, alienatio ei permissa foret ; quia necessitas licitum facit, quod alias de jure non est permissum; Arg., c. *Licet* 3, *De feriis*, ob eamdem causam valde magnæ necessitatis, aut evidentis utilitatis potest etiam capitulum, sede vacante, accipere mutuo pecunias, eoque nomine ecclesiam obligare, licet, tali causa seclusa, istud non possit; et obligabitur eo casu successor episcopus, quippe cujus negotium utiliter gestum fuit. » (Glossa in c. *Cupientes* 16, § *Ad hæc*, verb. *Aliunde*, *De elect.* in 6.)

VIII. « An capitulum, sede vacante, judicium sive litem super ecclesiæ bonis et juribus inchoare, aut a prælato defuncto ante obitum jam inchoatam sive agendo, sive respondendo prosequi possit ? Resp. : Iterum hic distinguendum est, an ecclesia vacans sit cathedralis, an cathedrali inferior, et episcopo subjecta. »

« *Si cathedralis est, aut inferior quidem cathedrali, sed exempta*, capitulum, sede vacante, litem super ecclesiæ bonis et juribus nec inchoare, nec antea inchoatam prosequi potest, prout habetur c. fin., *Ne sede va-*

cante..., quia ecclesia fungitur vice, et gaudet jure minoris (c. *Requisivit* 1 et c. *Auditis* 3, *De in integr. restit.*); sed judicium et sententia lata contra minorem, tutore aut curatore carentem, ac indefensum, non tenet.., et hinc ut judicium et sententia lata contra ecclesiam vacantem teneat, visitatorem aut administratorem ad effectum agendi a papa eidem dari necesse est. »

Si vero sit ecclesia inferior cathedrali et subjecta episcopo, videndum est an ecclesia illa sit collegiata vel conventualis, annon; nam *si hoc secundum*, ejusdem jura et res, præsertim si diutius vacet, tueri episcopus potest, et etiam capitulum, sede vacante; *si primum*, ejusdem vacantis jura, intervenientę auctoritate episcopi, tanquam superioris et prælati sui immediati, ipsum capitulum, vel conventus in judicio agendo et respondendo tueri poterit, si ita exigat necessitas aliqua, aut vacatio sit diu duratura; secus enim in his ecclesiis exspectandum videtur, donec novus prælatus eligatur et confirmetur. (Argum. c. *Ne pro defectu* 41, *De elect.*)

IX. Super iis, quæ propria sunt capitulo et divisa a prælaturæ bonis, ita ut capitulum quoad illa administrationem separatam habeat, capitulum convenire et conveniri per procuratorem, vel syndicum, sede etiam vacante, potest, ut colligitur ex c. *Cum ecclesia* 3, *De caus. posses. et propr.*

De juribus ac bonis propriis episcopi, seu prælati exempti, et de communibus prælato et capitulo, super iis capitulum, sede vacante, actionem vel defensionem judicialem suscipere non potest; *excipitur* casus magnæ et notoriæ necessitatis...

« Capitulum, sede vacante, bona ad mensam episcopalem pertinentia, ad suam, sive capitularem mensam transferre sine sedis apostolicæ auctoritate non potest... » (Clement. 2, junct. Gloss., verb. *Mensæ*, *De rebus ecclesiast. non alienand.* Huc usque Schmalz., tom. V, part. I, tit. IX, *Ne sede vacante*, per totum.)

CAPUT II.

A quo tempore jurisdictio episcopalis transeat in capitulum, et capitulo liceat illam exercere; et a quo tempore currere incipiant octo dies ad deputandum vicarium capitularem.

I. In casu mortis statim ac decessit episcopus, in casu autem translationis, aut renuntiationis, statim ac pervenit ad episcopum testimonium secretarii sacri collegii, aut aliud æquivalens, jurisdictio est penes capitulum; jurisdictio enim non cessat etiam minimo momento exsistere; quia, cum jam in habitu exstet in capitulo, sede plena, ex habituali transit in actualem hoc ipso momento quo ab episcopo e vita migrante aut translato sive renuntiato a papa probato recedit.

In casu depositionis, jurisdictio transit ad capitulum statim ac pronuntiata est depositionis sententia.

In casu episcopi in notoriam hæresim lapsi, statim a prolata judicis sententia qua episcopus hæreticus declaratur, jurisdictio remanet penes capitulum.

In casu episcopi ab hæreticis capti aut alio impedimento detenti, ita ut jam impossibile sit ipsi per se ipsum aut per vicarios a se nominatos diœcesim administrare, jurisdictio incipit devolvi ad capitulum statim ac incipit prædictum impedimentum.

II. Nequit tamen capitulum hanc jurisdictionem exercere, nisi post adeptam certam notitiam aut de obitu episcopi, aut de ejusdem translatione, aut de sententia depositionis, aut de captivitate seu alio impedimento.

Si vero (quod Deus avertat!) certior de sua translatione factus aliquis episcopus, pergeret administrare, non monito capitulo, ut debetur, et hoc aliunde certo scirent capitulares, deberent ipsi statim administrationem assumere, et episcopum omni potestate destitutum declarare. » (Bouix, *De capitulis*, p. 539 et 540.)

III. Olim capitulum, sede vacante, poterat jurisdictionem ad se devolutam per se ipsum aut per vicarium exercere. Hodie tamen intra octo dies a notitia jurisdictionis amissæ ab episcopo, administratio jurisdictionis pro illo tempore residet penes totum capitulum. Potestque illud per seipsum eam exercere toto illo spatio, sicut antiquitus poterat pro toto tempore vacantiæ... addit tamen Barbosa quod possit tunc administrare per se successive. Sed administratio non spectat ad primam dignitatem, nec ad archidiaconum. (Barbosa, *Jus eccle.*, lib. I, c. 32, n. 29; Leurenius, tract. *De capitulo, sede vacante*, quæst. 545.)

IV. Potest etiam capitulum immediate post certam jurisdictionis ab episcopo amissæ sive per mortem, sive aliter notitiam adeptam, vicarium capitularem constituere. Sed infra octo dies post hanc notitiam adeptam, nedum potest, verum etiam tenetur

vicarium capitularem constituere, alias vicarii deputatio devolvitur ad metropolitanum. (Sic expresse *Concil. Trident.*, sess. 24, c. 16, *De reform.*)

CAPUT III.

De œconomo, vicario aut vicariis capitularibus eligendis.

§ I. — Circa constitutionem, officium et potestatem horum generaliter notanda.

I. Concil. Trident., sess. 24, caput 16 : *De constitutione vicarii et œconomi sede vacante ad capitulum pertinente*, ibi : *Capitulum* (*Concil. Chalcedon.*, act. XVI, c. 25, in fin. *Concil. Wormatien.*, c. 70), *sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, œconomum unum, vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum et proventuum curam gerant, quorum rationes ei, ad quem pertinebit sint reddituri. Item officialem seu vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituere, vel exsistentem confirmare omnino teneatur ; qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus : si secus factum fuerit, ad metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. Et si ecclesia ipsa metropolitana fuerit aut exempta, capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc antiquior episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior episcopus in exempta œconomum et vicarium idoneos possit constituere. Episcopus vero ad eamdem ecclesiam vacantem promotus ex eis, quæ ad eum spectat, ab eisdem œconomo, vicario et aliis quibuscunque officialibus et administratoribus, qui, sede vacante, fuerunt a capitulo vel ab aliis in ejus locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem capitulo, rationem exigat officiorum, jurisdictionis, administrationis, aut cujuscunque eorum muneris, possitque eos punire, qui in eorum officio seu administratione deliquerint : etiamsi prædicti officiales, redditis rationibus, a capitulo, vel a deputatis ab eodem absolutionem aut liberationem obtinuerint. Eidem quoque episcopo teneatur capitulum de scripturis, ad ecclesiam pertinentibus, si quæ ad capitulum pervenerunt, rationem reddere.*

« Circa constitutionem, officium et potestatem sequentia sunt notanda : Vicarius pro spiritualibus a capitulo constitui, vel confirmari debet intra octo dies ; alias istius deputatio devolvetur ad metropolitanum ; aut si metropolitana eccle-ia sit, pro qua constitui debeat, ad antiquiorem episcopum ex suffraganeis, prout statuit Tridentin. supra.

§ II. — De œconomo.

I. « Deputationi œconomi nullum certum tempus a concilio statutum (expresse) est ; praxis tamen ordinaria, teste Fermosin., quæst. 15, n. 13, habet, ut deputetur etiam ipse intra octo dies a capitularibus ad vicarii electionem deputatis. Idem dicendum de judicibus foraneis, ac pedaneis, aliisque officialibus et administratoribus, quos regimen diœcesis exposcit. » (SCHMALZ., part. I, *Ne sede vacante*, tit. IX, n. 8.) — At pace Schmalz. et alii, cum tamen deputatio tam œconomi quam vicarii devolvatur ad metropolitanum seu ad antiquiorem episcopum, videtur quod concilium Tridentinum intendit obligare capitulum ad constituendum œconomum sicut et vicarium infra octo dies, aliter non sciretur quando devolutio locum haberet.

II. « Officium œconomi in eo situm est, ut res et jura ecclesiæ servet illæsa, sive in eo statu, in quo fuerunt tempore inductæ vacationis : item ut colligat et custodiat fructus ac redditus ejus qui decessit, in prælatura successori, cui etiam, si id exigat (ut debet), administrationis suæ rationem tenetur reddere, etsi illam jam reddidisset capitulo ex declarat. cærdin. apud Garcias, p. 5, *De benef.*, c. 7, n. 23, declar. 11.

« Quoad deputationem œconomi, a capitulo peragendam, advertit cardinalis de Luca, illam raro habere locum, quia in diœcesibus ubi fructus pro tempore vacationis reservantur cameræ apostolicæ, prout in Italia, œconomus deputatur per collectorem cameræ; et ubi collector apostolicus se non ingerit, plerumque, sive ratione regiæ nominationis, sive ratione consuetudinis, non a capitulo, sed ab ipso rege vel ejus officialibus, juxta præscriptum concessionum apostolicarum, deputatur qui tempore vacationis administret bona mensæ episcopalis. In statu autem præsenti ecclesiarum Galliæ, mensa episcopalis tota fere consistit in pensione a gubernio et quodam supplemento quod aliquando provincia addit ; solutio autem illius pensionis et supplementi, vacante sede, suspenditur. Ubi vero aliqua remanserunt bona ecclesiasticæ mensæ episcopali attributa, ex aliquibus ordinationibus potestatis civilis, deputatur ab eadem potestate civili

administrator. Et hæc quidem decreta civilia, utpote post concordatum absque assensu sedis apostolicæ lata, ex se sunt irrita et nullatenus obligatoria; cum tamen ex necessitate ipsis parendum sit, sequitur inutilem fore deputationem œconomi a concilio Tridentino præscriptam. » (Ita Bouix, *De capitulis*, p. 544.)

Nobis contra videtur debere a capitulo œcononum juxta Trident. decreta deputari, saltem ad protestandum de jure Ecclesiæ violato, et ad servandum istud jus pro melioribus temporibus. Si acta a capitulari œconomo non recognoscuntur, nihilominus iste œconomus invigilabit in actis ab œconomo civili; jura ecclesiæ servet, saltem reclamando cum capitulo omnia vasa et paramenta sacra episcopi defuncti pro ecclesia cathedrali cui debentur sub pœnis et censuris a jure latis, ut videre est lib. II *De episcopis*, cap. XX, supra.

§ III. — De vicario capitulari.

I. *An capitulum plures possit deputare vicarios?* — 1. Ante concilium Tridentinum poterat capitulum plures vicarios æque principales deputare.

2. Etiam post Tridentinam synodum possunt constitui plures vicarii capitulares in diœcesibus ubi talis vigeret consuetudo, modo illa consuetudo *probetur immemorabilis.*

3. Hodiedum tamen post Tridentinum, independenter a tali consuetudine, non potest capitulum deputare nisi unum vicarium capitularem. (Ita communiter doctores.) Sac. cong. Concilii pluries decrevit, ut non possit, sede vacante, eligi nisi unus vicarius capitularis, excepto casu legitimæ præscriptæ in contrarium consuetudinis, unde nulla jam controversia haberi potest. Aliquas tantum declarationes referemus.

1. Decisio diei 21 Aprilis 1592, *in causa Panormitana.* — « Congregatio Concilii censuit, ex decreto concilii (Tridentini) capite 16, sessionis 24, a capitulo, sede vacante, unum tantum vicarium esse eligendum. Cæterum non esse eo decreto sublatam consuetudinem duos aut plures eligendi, præsertim immemorabilem. »

2. Decisio diei 19 Martii 1639, *in causa Dertunensi.* — « Sacra congregatio censuit dandas esse declarationes antiquas tenoris sequentis : in una Panormitana, die 21 Aprilis 1592, sacra congregatio censuit ex decreto ejusdem sancti concilii 16, sess. 24 *De reform.*, a capitulo, sede vacante, unum tantum vicarium esse eligendum : cæterum, non esse eo decreto sublatam consuetudinem duos aut plures eligendi, præsertim immemorabilem. »

3. Decisio antiquior ad capitulum Tarentinum. De illa testatur Fagnanus, in cap. *His quæ, De majorit. et obedient.* in II part. l. I *Decret.* fol. 509. n. 68. Qui postquam advertit ante concilium Tridentinum potuisse de jure communi eligi duos vicarios capitulares, cap. unic. *De cler. ægrotant.* lib. VI, post concilium vero posse unum tantum constitui, nisi exstet in contrarium consuetudo immemorabilis, sic addit : « Ut fuit sæpius resolutum : et in specie, cum capitulum Tarentinum, consuetum a tempore immemorabili duos eligere, petiisset declarari nunquid post concilium idem ei liceret : sacra congregatio Concilii censuit unum tantum vicarium eligi posse, ex quo concilium, sess. 24, c. 16, injunxit capitulo ut deputet, sede vacante, œconomum unum vel plures, et eligat officialem seu vicarium; et ita, ubi facit mentionem de vicarii electione non repetit illam dictionem *plures.* Verumtamen cum allegetur immemorabilis, agendum cum sanctissimo, an eam velit sublatam. Sanctissimus respondit consuetudinem immemorabilem, si legitime probetur, non esse sublatam a concilio; ideoque permittendum esse ut juxta eam duo vicarii eligantur, cum illis tamen qualitatibus quas ipsum concilium requirit; unde postea in causa Panormitana proposito dubio, an capitulum, sede vacante, duos vicarios constituere possit, ut alternis mensibus vicariatus munere fungantur, præsertim si ita ab immemorabili tempore consueverit : die (*supra*), sacra congregatio censuit, si legitime probetur consuetudo immemorabilis deligendi vicarios, posse utique capitulum in ea perseverare; dum tamen præditi sint illis qualitatibus quas Tridentinum concilium requirit, sess. 24, c. 16. »

Tribus ergo prædictis decisionibus et aliis, quas omittimus, abunde constat decretum Tridentinum esse intelligendum, ita ut unus tantum vicarius capitularis deputari possit, excepto casu contrariæ et legitime præscriptæ consuetudinis. Ubi vero talis non adest consuetudo, si capitulum eligat plures, electio devolvitur ad metropolitanum, sacr.

cong. Episcop. *in Cassanensi* 6 August. 1569; *in Bobinensi* 12 Martii 1607; et *in Potentina* 30 August. 1641. Si tamen plures successive eligit, primo electus debet continuare, dummodo habeat requisita. (S. congr. Episc. *in Veliternen.* 1 Septembr. 1623. (FERRARIS, verb. *Capitulum*, art. 3, n. 40.)

Ut plures eligantur vicarii, exigitur consuetudo legitime præscripta; « affirmant Fagnanus et cardinalis de Luca, cum non paucis aliis, consuetudinem illam debere esse et probari *immemorabilem*. Id tamen non videtur nobis certum, cum in decisione supra citata anni 1639 habeatur, non esse sublatam consuetudinem *præsertim* immemorabilem. Videretur ergo potius dicendum sufficere consuetudinem ordinariis illis conditionibus vestitam, quæ sufficiunt ad præscribendum contra legem aliquam universalem Ecclesiæ. » (BOUIX, *De capitulis*, pag. 552.)

In Gallia fuit a Concordato 1801 praxis plures eligendi vicarios capitulares. « Nihilominus tamen non videtur dicta praxis inter legitime præscriptas consuetudines recensenda; » quia, ut ait Bouix, ex errore et ignorantia, quibus præscribi consuetudo nequit, inducta est, et silentium Romani pontificis fuerit mere œconomicum, nullumque proinde assensum involvens. « Notatu autem dignum est decretum in quodam nuper habito in Gallia provinciali concilio sancitum, quo plures vicarii capitulares, sede vacante, eligi deberent : illa scilicet dispositio, simul cum aliis, S. congregationis Concilii correctioni de more proposita, correcta non est. Ex quo in hujus provinciæ diœcesibus legitima evasisse videtur plurium vicariorum capitularium electio. Hoc ipso enim quod prædictum decretum moderatum a sacr. congr. Concilii non fuerit, censenda est apostolica sedes in illud consensisse, quod indulto æquivalere videtur. » (BOUIX, *ibid.* p. 555.) Tale decretum approbatum fuit in concilio provinciæ Turonensis ultimo; unde capitula duarum nunc provinciarum Turonensis et Redonensis, videntur posse plures vicarios capitulares eligere; si tamen hujusmodi decretorum non correctio sufficiat ad ea legitimanda, quod non videtur certum, quia revisio S. congregationis non est approbatio conciliorum provincialium auctoritativa, sed semper hanc clausulam includit : *salvo jure communi*. Unde sola consuetudo immemorialis remaneret non improbata in præsenti quæstione.

In omnibus vero casibus, sive unus, sive plures vicarii capitulares eligantur, debent esse qualitatibus quas ipsum concilium requirit præditi, id est doctores, saltem in jure canonico.

II. *An vicarius capitularis necessario debeat esse doctor?* —Attendenda sunt verba Tridentini : *Qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri potest idoneus : si secus factum fuerit, ad metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur.* Hæc autem verba variis opinationibus ortum dedere, sed cum sacra congregatio Concilii sit sola interpres legitima S. concilii Tridentini, ejusdemque declarationes jus et obligationem inducant, variæ canonistarum in oppositum opinationes omnino derelinquendæ sunt.

Atqui plurimæ prodierunt sacr. congr. Concilii declarationes decernentes invalidam esse non doctoris electionem, relictis doctoribus de gremio capituli idoneis. Et ita communiter tenent doctores. Et revera Tridentina synodus addens *vel* ALIAS *quantum fieri potest idoneus*, clare indicat se noluisse eligi non doctores nisi deficientibus doctoribus idoneis. Quod intelligendum est etiam de electo vicario generali episcopi defuncti, si ipse non sit graduatus.

Probatur 1. Doctorem in jure canonico eligendum esse de gremio capituli, si adsit; sic decisum reperimus in *Thesauro resolutionum sacr. congr. Conc.*, tom. XXXVII, pagina 238 : « Quare sacra hæc congr. concilii Tridentini vindex et custos (in una Mazariensi, 19 Decembris 1569), respondit : *Archiepiscopus constituere debet capitulo octo dierum spatium ad eligendum vicarium doctorem, casu quo elegisset non doctorem; et, eo non electo, omnis electionis potestas ad archiepiscopum transfertur.* — Et in una Tridentina, Decembris 1586) respondit : *Eligendos in vicarium doctores aut licentiatos, si qui sint in capitulo; sin minus sufficere ut quantum fieri poterit idoneus eligatur.* (Lib. IV *Decret.* pag. 211 ter.) — Atque idipsum constanter edixit, *in Melphiensi*, 9 Septembris 1594; *in Camplensi*, 11 Maii 1624 (lib. XII *Decret.*, pag. 167), *in Crotonensi*, 9 Maii 1637 (lib. XV *Decret.*, p. 225), *in Salernitana*, 9 Decembris 1662 (lib. XXIII

Decretor., pag. 301), et *in Montis Regalis*, 19 Januarii 1664 (lib. XXIV *Decret.* pag. 18.) Ergo quando adsunt doctores idonei in gremio capituli, nisi eligatur vicarius doctor, regulariter electio est nulla, ideoque electionis potestas ad archiepiscopum transfertur.

2. Si in capitulo non adsit nisi unicus tantum doctor in jure canonico, sed cæteroquin idoneus, is necessario a capitulo deputandus est in vicarium capitularem, quidquid contradixerint aliqui allegando libertatem electionis, sicut cardinalis De Luca, annot. ad concil. Trident. discursu 31. Etenim decisum reperitur in *Thesauro resolutionum*, tomo XXXVII, p. 238 his verbis : « Quod servandum quoque mandavit sacra congregatio (*nempe eligi doctorem*) etiam in casu quo unicus duntaxat de gremio capituli adsit ad doctoris dignitatem promotus, ut *in Neritonensi*, 24 Julii 1643 (lib. XVII *Decret.*, pag. 209), et *in Ecclesiensi*, 3 Julii 1679. (Lib. XXIX *Decretorum*, pag. 457.) Adversariis respondetur : « Non probatur Tridentinam synodum voluisse *electionem* proprie dictam semper et in omni casu. Imo nec utitur voce *electionis*, sed deputationis. Requirit ergo concilium Tridentinum ut deputetur a capitulo vicarius qui sit doctor : hoc autem facit capitulum tum per electionem proprie dictam, quando adsunt plures doctores idonei, tum per electionem improprie dictam, id est, simpliciter deputando quando unicus adest doctor idoneus : quod utrumque scopo Tridentinæ synodi satisfacit. (Bouix, *De capitulis*, p. 571.) Ergo etiamsi non adsit nisi unicus doctor de gremio capituli, idoneus tamen, electio est nulla, nisi deputetur ille unicus doctor; nam declarationes sacr. congr. Concil. legem faciunt.

3. Si nulli sint doctores in capitulo, aut adsint quidem, sed non idonei, adsit autem doctor idoneus extra capitulum, capitulares tenentur exterum doctorem eligere. Hæc assertio habet quidem contradictorem cardinalem de Luca; verum doctissimi cardinalis sententia pugnat cum doctrina sacræ congregationis Concilii asserta in *Thesauro* ejusdem sacr. congr. *resolutionum*, tomo XXXVII, pagina 238 his verbis :

« Imo nullis exstantibus doctoribus e gremio capituli, edixit (sacr. congr.) eligendum esse doctorem si quis sit extra gremium, ut *in Tricaricensi* 1592, lib. VII *Decretorum*, fol. 44. » — In eodem *Thesauro resolutionum* tomo XXXIII, pag. 56, sic habetur : « Tridentinum sanxit *omnino* capitulum teneri, *officialem seu vicarium infra octo dies constituere, vel exsistentem confirmare, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri potest idoneus.* Nihil ultra de eligendi meritis quæsivit, neque de cive, neque de capitulari, neque de extraneo; imo extraneum videtur non exclusisse dum confirmationem prioris vicarii permisit.

« Sacra congregatio æquitatem secuta est : primum censuit esse capitularem præferendum extraneo, *cæteris paribus;* postmodum etiam utcunque digniori : *In Neritonensi, die 24 Julii* 1643. Cum alias sacra congregatio censuerit in vicarium capitularem eligi posse etiam aliquem extra capitulum; si tamen quis de gremio capituli reperiatur habilis, istum cæteris paribus esse præferendum : ideo canonici ecclesiæ cathedralis Neritonensis, ad evitandas in hujusmodi electione controversias, supplicant declarari quomodo intelligenda sint verba illa *cæteris paribus;* an ita ut, si in capitulo adesset habilis, eligi posset, etiamsi alius extra capitulum esset magis habilis? — *Sacra congregatio respondit ita esse intelligenda, ut sufficiat capitularem habere qualitates a sacro concilio requisitas, quod sit doctor vel licentiatus in jure canonico, vel alias idoneus.* Hæc ipsissima verba exstant in libro XVII *Decretorum.* »

Igitur ut capitularis præferatur, necessarium est ut habeat qualitates a sacro concilio requisitas; atqui sacrum concilium clare indicat se noluisse eligi non doctores nisi deficientibus doctoribus idoneis, et « nihil ultra de eligendi meritis quæsivit, neque de cive, neque de capitulari, neque de extraneo; » ergo si non sint in capitulo doctores, adsit vero exterus doctor idoneus, præferendus est capitulari; et sacra congregatio, ut habetur in *Thesauro resolutionum*, tomo XXXVII, p. 238, « constanter improbavit rejecitque deputationem non doctoris, omissis doctoribus vel licentiatis, ut in . . . » et citantur ibi in confirmationem octo aliæ decisiones.

Confirmatur decisione diei 31 Maii 1625, *in causa Limana*, in brevi *Exponi nobis* Urbani VIII confirmata; « . . . secundo, an potuerit capitulum eligere dictum Joannem

Valasquez, graduatum in theologia, cum tamen adessent alii doctores in jure canonico? — *sacra congregatio... ad secundum, debuisse* NECESSARIO *eligi unum ex graduatis in jure canonico. Card. S. Susannæ, Prosper Fagnanus, loco sigilli....* Ideo nos... decretum præinsertum hujusmodi apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo approbamus et confirmamus ... decernentes ab omnibus ad quos spectat et in futurum spectabit inviolabiliter observari ... ac irritum et inane si secus scienter vel negligenter contigerit attentari... Datum Romæ, die 18 Aug. 1625. » (*Bullar. Rom.* t. V, parte v, pag. 353.)

Cum debeat *necessario* eligi graduatus in jure canonico, nequit capitulum eligere capitularem non doctorem, quando adest in clero diœcesano doctor aut licentiatus in jure canonico, alias idoneus. Non tamen ita certum est de doctore diœcesi extraneo, quamvis talis eligi possit; nam decretum Tridentinum implicite eligi posse extraneum declarat, cum permittit confirmari vicarium generalem defuncti episcopi, modo sit doctor; vicarius enim generalis episcopi non tantum potest, sed regulariter debet esse extraneus seu assumi ex alia diœcesi, ut docent communius canonistæ. Confirmatur sequenti casu.

4. Vicarius generalis episcopi defuncti, si ipse non sit graduatus in jure canonico, nequit confirmari, nec eligi a capitulo. « Procedit responsio, ait Leurenius (tract. *De capit. sede vacante*, c. 4, quæst. 557.) Ita etiam ut defuncti episcopi vicarius non doctor superstes, a capitulo, sede vacante, in vicarium generalem confirmari seu assumi non debeat. » Et ita decisum est a sacr. congr. Concil. *in causa Acernensi*, 23 Februarii 1709, ut refertur in *Thesauro resolutionum*, tom. XXXIII, pag. 56, his verbis : « Species facti erat : secuta vacatione sedis episcopalis, capitulares (octodecim numero) decem deputarunt in vicarium capitularem Oliverium, immediate jam exsistentem vicarium generalem defuncti episcopi : reliqui octo suffragati sunt Vito Fredæ, doctoris privilegio decorato. Freda provocavit sub fundamento quod electio Oliverii fuerit nulla, uti facta contra dispositionem sacri concilii in personam non doctoris neque licentiati in jure canonico. Sacra congregatio jam sub die 15 Decemb. 1708 rescripserat : *Exerceri vicariatum per archidiaconum, nomine sacræ congregationis, sine præjudicio ambarum partium usque ad exitum causæ in sacra congregatione.* Proposita deinde causa, *an et quæ electio sustineatur in casu?* Censuit : *neutram electionem sustineri, et satis provisum in personam archidiaconi.* »

Ergo, ex omnibus præmissis, quando adsunt sive intra sive extra capitulum diœcesani doctores idonei, nisi eligatur doctor, regulariter electio est nulla, etiamsi electus esset vicarius defuncti episcopi. Tam firma est et certa prædicta generalis regula, ut remanere non possit dubium. Nam declaratum est a sac. congr. Concil. et confirmatum ab Urbano VIII in brevi *Exponi nobis*, supra, *necessario eligendum esse graduatum in jure canonico*, ubi adest.

5. Confirmatur hæc regula, ex eo quod vicarius non doctor debeat eligere sibi consultorem benevisum, qui sit doctor, et in rebus legalibus et arduis peritus a quo possit dirigi, prout fit, quando vicarius generalis episcopi est theologus, et non jurista ex decret. sacr. congr. relatis a Nicol. *in flosculis* verb. *Vicarius generalis episcopi*, n. 30.

Et sacra congreg. Episcoporum declaravit nullam non doctoris in jure electionem, *in Tranen.* 25 Februar. 1597, et *in Puteolana* 27 Martii 1653; et *in Romana* 9 Junii 1601. Ubi jussit removeri decanum non doctorem, et eligi archidiaconum doctorem. Apud Ferrar. verb. *Capitulum*, art. 3, n. 51 et 52.

Et tandem communiter tenent doctores *necessario eligendum esse graduatum in jure canonico*, ubi adest. (*Vide* PIGNATEL. tom. VIII, consult. 34; LEUREN. tract. *De cap. sede vac.* c. 4, quæst. 557, cardinalem de Luca, annot. ad concil. Trident. discurs. 31; MONACELL. adnot. ad formulam 2, tit. 1, n. 12; FERRAR. verb. *Capitulum*, et verb. *Vicarius* capitularis; SCHMALZ. part. IV, tit. XXVIII *De officio vicarii*, n. 17, ubi asserit quod etiam vicarius episcopi debet esse doctor, vel licentiatus in theologia, aut jure canonico juxta *Trident.* sess. 24, c. 16; et n. 28, FAGNAN. in primam part. primi lib. *Decretal.* tit. *De rescriptis*, c. *Inter cæteras*, n. 49, ubi asserit quod sacra congregatio Concilii declaravit, nisi desint doctores et licentiati, non posse eligi alium his qualitatibus carentem.

Et verum defendunt sacr. Concilii Tri-

dentini sensum; nam sacr. concilium decrevit ut constitueretur, vel confirmaretur omnino vicarius, *qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus.* Hæc est prima et necessaria qualitas, quæ si non reperiri possit tunc permittitur ut *alias, quantum fieri poterit, idoneus* constituatur; si secus factum fuerit, id est si doctor, ubi adest, non sit constitutus, vel ubi deest doctor, si idoneus non fuerit constitutus, *ad metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur,* Nullomodo dicitur ut vicarius capitularis debeat esse de gremio capituli, imo insinuatur ut possit esse extraneus.

6. Attamen ut doctor sit necessario eligendus, debet esse *idoneus.* « Illud enim omittendum non est, si alicubi non reperiantur doctores, nisi prorsus imperiti; eo casu licere episcopo, prætermissis doctoribus, alios clericos magis idoneos deputare sive sæculares, sive regulares, ut alias in electione vicarii capitularis respondit sacr. congr. : approbavit enim electionem factam de vicario non doctore, nec licentiato alias idonco, cum ibi non exstaret nisi unicus doctor, isque omnino imperitus : doctor enim ignarus perinde ac nullus. (Felin. post alios in cap. *Clerici* num. 1, vers. *Utrum autem doctor titulo tantum inf. de jud.* » Fagnanus, ubi supra, n. 55.) « Cum hæc qualitas doctoratus mere extrinseca sit, nec certam reddat probitatem, prudentiam et idoneitatem ad curam animarum gerendam, nihil magis menti concilii Tridentini adversaretur, quam ut eligeretur doctor non idoneus vel quoad mores vel quoad prudentiam, omisso altero qui licet qualitate doctoratus destitutus, certe tamen præstaret majori prudentia, scientia et idoneitate. Hinc sacra congregatio, constito de certa non idoneitate doctoris, et de majori prudentia ac probitate non doctoris, aliquando (licet rarissime) non abhorruit a confirmanda electione non doctoris, spretis doctorum querelis. Ut in una Carinolensi, 22 Sept. 1714. . . » in thesauro resolut. S. congr. Conc. t. XXXVII, p. 239. Unde necesse est ut doctor non sit tantum titulo, sed etiam scientia et juris peritia, præterea ut alias in vicario capituli requisitas qualitates habeat. Sic legitur in tomo XXXVII, p. 239, *Thesauri resolutionum sacr. congr. Concil...*

« Præterea ne fraus fieret concilii menti quæ jubendo electionem doctoris, voluit ut muneri præficeretur persona vere docta atque prudens, sacra hæc congregatio declaravit ulterius, solum doctoratum in publica universitate obtentum spectandum esse. Nam (*in una Montis Regalis*, 19 Junii 1664) proposito : *An hujusmodi doctor debeat esse doctor in publica universitate studiorum, an vero satis sit ut fuerit promotus ex gratia ab aliquo comite Palatino, vel ab alio habente auctoritatem a sede apostolica, vel ab imperatore : adeo ut electio sit valida exsistentibus aliis qui ejusmodi gradum in publica universitate susceperunt ;* —Respondit : — *Debere esse promotus in publica universitate.* (Lib. XXIV *Decret.*, fol. 18.) Quare (*in una Elesina*, 21 Februar. 1682) nullam censuit electionem in personam doctoratu insignitam a duce Sfortia. » (Lib. XXXII, *Decret.*, pag. 142.)

7. Nec sufficit doctoratus in theologia aut in jure civili, sed requiritur doctoratus vel licentia *in jure canonico* textu expresso Trident. sess. 24, c. 16. Et decisum a sacr. congr. Concilii reperitur in *Thesauro resolutionum*, t. XXXVII, pag. 238 : « Quinimo cum concilium expresse eligi jubeat doctorem vel licentiatum in *jure canonico?* (S. C.) improbavit etiam electionem doctoris in jure civili aut sacra theologia, si posthabiti fuerint doctores in jure canonico (ut *in Astensi*, 11 Julii 1626; Oriolensi, 24 Martii 1627, lib. XII *Decret.*, p. 53 et 222; —*in Capuana*, 19 Junii 1636, lib. XV *Decret.*, fol. 311; — *in Tyrasonensi*, fol. 315). » Certum ergo est a concilio requiri gradum academicum in jure canonico, et non sufficere gradum in theologia vel jure civili. Ratio est, post Dianam ait Leurenius, tract. *De cap. sede vacante*, c. 4, quæst. 557, n. 5 : « Quod viri theologi, etsi litteratissimi sint, non satis jurisprudentiæ praxim et theoriam callent; et proinde multoties ex capite et pro arbitrio sententias proferunt, et a veritatis et justitiæ tramite aberrant. »

Unde « titulus doctoris vel licentiati in facultatibus, quales nunc exstant in Gallia, obtentus ad satisfaciendum legi Tridentinæ prorsus inutilis est. Nam facultates hujusmodi non erectæ sunt auctoritate pontificia, sed tantum auctoritate civili; ita ut gradus qui in ipsis obtinentur ab eadem auctoritate civili promanent... Unde gradibus in prædictis Galliæ facultatibus obtentis, omnino applicandum venit quod de graduatis a Cæsare vel ex indulto Cæsaris tenent commu-

niter canonistæ; inter quos Leurenius (*De capit. sede vac.* c. 4, quæst. 557), postquam ostendit non valere gradus ex privilegio obtentos, sic addit: « Idem et multo magis dicendum de graduatis ab indultario aliquo ipsius Cæsaris, vel etiam ab ipsomet Cæsare. Non solum quia respectu facultatis theologicæ et juris canonici (quos duntaxat concilium et pontifex considerat) deficit illius auctoritas, sed quia quos papa inhabilitat in materia sibi subjecta, non potest Cæsar habilitare; etiamsi admittatur actum doctorandi esse voluntariæ jurisdictionis; quatenus enim removeretur inhabilitas inducta per papam, esset contentiosa. » Idem docent Lotterus et Felinus ad quos remittit citatus auctor. Si ergo sede aliqua vacante in Gallia, ibi exstent veri doctores vel licentiati in jure canonico, et cæteroquin ad munus vicarii capitularis idonei, non potest deputari aliquis graduatus tantum in facultatibus hodiernis Galliæ, nec ipsi quidquam prodest fictum quod gerit doctoris nomen. (Ita Bouix, *De capitulis*, p. 568 et 569.) — Idem dicendum est de licentiatis ab episcopis aliquibus Galliarum etsi ex indulto pontificio; hæc licentia non satisfacit legi Tridentinæ, a qua exigitur gradus in publica et canonica universitate adeptus.

III. *An vicarius capitularis debeat necessario assumi de gremio capituli?*—Negative, ex jam dictis. In *Thesauro resolut.* S. cong. Conc. t. XXXIII, p. 56, sic habetur: Tridentinum sanxit *omnino* capitulum teneri, officialem seu *vicarium infra octo dies constituere, vel exsistentem confirmare, qui saltem in jure canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri potest idoneus.* Nihil ultra de eligendi meritis quæsivit, neque de cive, neque de capitulari, neque de extraneo; imo extraneum videtur non exclusisse dum confirmationem prioris vicarii permisit.

« Sacr. congregatio æquitatem secuta est: primum censuit esse capitularem præferendum extraneo cæteris paribus; postmodum etiam utcunque digniori: *in Neritonensi*, die 24 Julii 1643. » (*Supra.*)

Ex sacr. congr. Episcoporum « capitulum debet pro vicario capitulari eligere unum, qui sit de gremio capituli, si adsit idoneus. » (S. congr. Episc. *in una Tranens.* 22 Februar. 1597; et *in una Nepesina* 10 Junii 1602; apud Ferraris, verb. *Capitulum*, art. 3, n. 50.)

His præmissis: 1. Exsistente in gremio doctore idoneo, et extra doctore pariter idoneo et *æque* habili, præferendus est doctor de gremio capituli; hocque procedit etiamsi doctor exterus esset *magis* habilis. — Nam sacra congregatio declaravit sua verba *cæteris paribus* intelligenda esse tantum de paritate quoad qualitates a concilio Tridentino requisitas. Quando ergo doctor de gremio, licet minus habilis, æque habet qualitates a concilio Tridentino requisitas, nempe sufficientem idoneitatem et doctoratum, adhuc præferendus est, ita ut irrita censenda sit electio exteri; ita referunt pluries decisum a sacra congregatione Concilii, et a sacra congr. Episcoporum. « Quinimo ex necessitate quando in capitulo adsunt doctores in publica universitate laureati, capitulum teneri unum ex illis eligere in vicarium, alioquin electionem dici nullam, pariter fuisse decisum per eamdem sacr. congr. Concil. testatur Garcias (*De benef.* part. v, c. 7, n. 12) his verbis: *Sacra congregatio Concilii censuit, exsistentibus doctoribus in capitulo, necessario unum ex illis in vicarium esse eligendum.* » Ita Pignatelli, tom. VII, consult. 4, n. 1, et ab eo citati Quaranta, Riccius, Barbosa, Gavantus. Idem tenet Leurenius, tract. *De cap. sede vacant.*, cap. 4, quæst. 556: « Ubi tamen in capitulo adsint doctores in publica universitate promoti, capitulum ex necessitate teneri unum ex iis eligere in vicarium; alioquin electionem fore nullam, juxta declarationem sacræ congregationis. »

2. Non exsistentibus in capitulo doctoribus, si adsint in clero diœcesano doctores idonei scientia, probitate, moribus et prudentia, tenetur capitulum doctorem exterum in vicarium eligere, ut vidimus in præcedenti paragrapho a sacr. congr. Concilii decisum; et probabilius, ex textu Tridentini expresso et decisionibus sacr. congr. inter se collatis, aliter facta electio censenda est nulla.

In eodem casu potest etiam eligi doctor idoneus diœcesi extraneus; sed capitulum non videtur ad talem eligendum teneri.

3. « Non exsistentibus doctoribus neque in capitulo, neque extra capitulum, seu (quod idem est quoad casum), exsistentibus quidem, sed non idoneis, eædem fere recurrunt solvendæ quæstiones. »

Primo, exsistentibus in capitulo idoneis, non debet deputari exterus. Huc enim redit

citata declaratio sacræ congregationis : *Si quis de gremio capituli reperiatur habilis, istum cæteris paribus esse præferendum ;* et in eo casu videtur etiam irrita electio exteri.

Secundo, cum ex jure naturali et ex decreto Tridentino, omnino quoad fieri poterit, requiratur idoneus, certum est posse eligi exterum, si nullus sit idoneus in capitulo.

Tertio, et quæ dicta sunt de extero, etiam vicario generali defuncti episcopi applicanda veniunt, quando non est simul canonicus : huic vicario generali præferendus est capitularis idoneus.

Et idem dicendum est de casu in quo vicarius defuncti episcopi careat qualitate doctoris : minime scilicet ipsi suffragatur quod fuerit vicarius generalis, si exstant in capitulo aut in diœcesi doctores idonei. « Quod si episcopus demortuus reliquit vicarium, quem elegerat cum non esset doctor, capitulum non debet eum confirmare, sed alium qui sit doctor eligere. » Ita Pignatelli, tom. VII, consult. 4, n. 9, qui affirmat id erui ex decisione quadam sacr. congr. Conc., et citat plures doctores, et ita decisum vidimus supra in causa Acernensi 23 Febr. 1709.—(Ita fere ad verbum Bouix, *De capit.* p. 577 et seq.

Quoties irrita est electio a capitulo facta, pertinet ad omnes et præsertim ad eos qui ex lege Tridentina eligi debuissent, appellare ad metropolitanum, qui, nullitate electionis probata, vicarium deputat ; aut recurrere possunt absque medio, sive ad sacr. congregationem Concilii, sive ad sacram congregationem Episcoporum ; et utraque congregatio in casu solet vicarium administratorem deputare.

IV. *Quinam in vicarium capitularem assumi nequeant ?*

1. Omnes excommunicati, suspensi ab officio et beneficio, et personaliter interdicti in vicarium capitularem eligi nequeunt. (Cap. *Postulastis* 7 et cap. *Si celebrat* 10, tit. 28, *De clerico excom.* lib. v, *Decret.*, cap. *Cum dilectus* 8, tit. IV, *De consuetud.* lib. I *Decret.*, et cap. *Is qui* 18, tit. II *De sent. excom.* lib. v, in 6.)

2. Qui non sint de legitimo matrimonio nati, absque papæ dispensatione. (Cap. *Nimis* 18, *De filiis presbyterorum*, et cap. *Is qui* 1, eodem tit. in 6 ; cap. *Quamvis* 4, *De præb.* in 6.)

3. Nequit in vicarium capitularem eligi qui alias electus aut ex concordato a civili potestate nominatus est in episcopum ejusdem ecclesiæ ; et si jam prius in vicarium capitularem electus fuerit, posteaque eligatur aut nominetur in episcopum ejusdem Ecclesiæ, debet vicariatum capitularem dimittere, et capitulum infra octo dies a notitia electionis seu nominationis sui prioris vicarii in episcopum, tenetur alium vicarium eligere. (Decretalis *Avaritiæ* 5, *De electione*, in 6 ; c. *Injunctæ* 1, *De elect.* inter extravag. comm. sub pœnis et censuris in his decretalibus latis.) Confirmatur per bullam *In supremo* Clementis XI, 2 August. 1709 ; per breve Pii VII ad cardinalem Maury, 5 Novembris 1810 ; per breve ejusdem Pii VII ad Averardum Corboli, Florentinæ metropoleos, sede vacante, vicarium capitularem, 2 Decemb. 1810 ; per breve ejusdem Pii VII ad Paulum d'Astros vicarium capitularem Parisiensem, 18 Decemb. 1810.

4. Parochus ruralis eligi nequit in vicarium capitularem. (S. congr. Episc. 19 Martii.)

V. *De qualitatibus in vicario capitulari requisitis.* — 1. Vicarius capitularis, uti supra probatur, debet *necessario* esse doctor saltem in jure canonico, si talis sive de gremio, sive de diœcesi haberi potest. 2. Debet esse alias idoneus, id est jurisperitus, scientia, probitate, prudentia, bonis moribus ornatus. 3. Cæteris paribus præferendus est qui sit de gremio capituli. 4. Requiritur ut sit de legitimo matrimonio natus. 5. « Ætatem 23 annorum permitti posse in vicario capitulari, si alias est idoneus, sed non id expedire, ait Barbosa (*Jus eccles.* lib. I, c. 32, n. 54), sic declaratum testans a sacra congregatione Concilii, 11 August. 1614. Verumtamen, præscindendo a dicta declaratione, rectius dici videtur ob paritatem rationis, requiri in eo ætatem ad minimum viginti quinque annorum, dum vi Tridentini ad quascunque dignitates quibus cura animarum subest requiritur ut promovendus 25 ætatis annum attigerit. » (Leuren. tract. *De capitul. sede vacante*, c. 4, quæst. 559.)

VI. *A quibus et quomodo eligendus sit vicarius capitularis.* — 1. Certum est electionem vicarii capitularis ad solum capitulum pertinere. Ideoque omnes canonici plena canonia gaudentes et vocem habentes decisivam vocandi sunt ad electionem. 2. Attamen, a capitulo, pro electione vicarii capitularis,

non debent vocari canonici absentes nisi commode fieri possit; nec ita absentes possunt mittere, aut constituere procuratorem ad ferendum in electione suffragium. (Glossa et canonistæ communiter in c. *Quia propter* 42, *De elect.*) Eo enim ipso quod canonicus transit ad locum, ex quo commode vocari non possit, facit se exterum, et perdit jus ad eligendum. » (PASSERIN. *De election.* cap. 10, n. 37.)

« Si tamen adest consuetudo legitime præscripta admittendi in electione canonicos absentes per procuratorem, talis consuetudo esset intelligenda et restringenda ad absentes solummodo intra provinciam, et ibidem detentos aliquo legitimo impedimento de tempore actualis electionis vicarii, ut declaravit sacr. congr. Concil. *in Hydruntina*, 11 April. 1699. Et si econtra adesset consuetudo non vocandi quoquomodo absentes a civitate, servanda esset. Sic censuit Rota decis. 85, n. 11 *Coram Celso*. Et tanta est vis consuetudinis, quod a capitulo pro electione vicarii, præter canonicos vocandi sunt etiam illi, qui de jure non sunt de capitulo, ut portionarii, aliique beneficiati Ecclesiæ, si adsit consuetudo legitime præscripta illos vocandi; sic respondit sacr. congr. Concil. *in Nullius altamenæ*, 9 Decembr. 1699 et April. 1693, et *in Castellaneten.* 1 Dec. 1696. Si autem consuetudo non sit pacifica et legitime præscripta, sed solum pauci actus afferantur, in quibus ii, qui non sunt de corpore capituli, fuerint admissi ad suffragium ferendum, tunc capitulum potest illos excludere, ut de facto accidit *in Recineten. proposito* in sacr. congreg. Concil., 4 Junii 1701.» (FERRAR. verb. *Capitulum*, art. 3, n. 46 ad 49.)

Quoad dignitates, quando ex statutis vel ex consuetudine omnia jura canonicorum etiam jurisdictionalia participant, ad ipsas sicut ad cæteros canonicos pertinet vicarii capitularis electio. Ubi vero nec ex statutis, nec ex consuetudine, dignitates habentur tanquam de capitulo, nullum jus habent sese immiscendi in vicarii capitularis electione.

2. Ad electionem vicarii capitularis vocari aut admitti nequeunt canonici voce activa in capitulo carentes. Tales sunt : 1° qui nondum sacros ordines recepere; — 2° qui nondum receperunt ordinem annexum canonicatibus ad quos promoti sunt; — 3° suspensi, interdicti et irregulares; — 4° irretiti excommunicatione majori si fuerint denuntiati : nam licet excommunicati excommunicatione majori, si non fuerint denuntiati, servant vocem activam, non tamen passivam. Et, si constet de hac excommunicatione, possunt alii capitulares hujusmodi excommunicatos non denuntiatos expellere; sed possunt etiam in comitiis admittere. Denuntiati autem si admitterentur, hoc ipso irritus remaneret quilibet capitularis actus. Excommunicati vero excommunicatione minori, servant vocem activam, sed carent passiva. Ita Bouix, *De capit.* p. 599; et colligitur ex cap. *Si celebrat* 10, tit. XXVIII, lib. V *Decret.* cap. *Cum dilectus* 8, tit. IV *De consuetud.* lib. I *Decret.* cap. *Is qui* 18, tit. II, lib. V in 6.)

3. Omnes vocandi ad electionem vocari debent ex necessitate; ita ut aliquis ex ipsis non vocatus, cum vocari posset, et ipso reclamante, electio sit hoc ipso irrita. (C. *Quod sicut* 28, cap. *Bonæ memoriæ* 36, tit. VI *De electione*, lib. I *Decret.* ibi : « Tum quia inventus est H. fuisse contemptus, licet unus solus exstiterit, cum plus in talibus consueverit contemptus unius obesse, quam multorum contradictio in præsenti... (electionem cassavimus).»

4. « Electio vicarii capitularis debet fieri a capitulo more solito capitulariter congregato et per secreta suffragia, alioquin nulla est, ut declaravit sacra congr. Episcoporum *in una Siculana*, 18 Novembr. 1625 et sacr. congr. Concil. super caput 6 *De regul.* sess. 25, apud FERRAR. verb. *Capitulum*, art. 3, n. 39. Item ex cap. *Quia propter*, tit. VI *De elect.* lib. I *Decret.* Electio episcopi, quando ad capitula pertinebat, celebranda erat per secreta suffragia. Inde aliqui auctores inferunt formam suffragii secreti esse pariter necessario servandam a capitulo in electione vicarii capitularis. Alii tamen negant hanc necessitatem suffragiorum secretorum, inter quos cardinalis de Luca, adnot. ad concil. Trident. discurs. 26, n. 4 : et memorat declarationem sacr. congr. Concil. a Garcia relatam, *De benefic.* part. V, c. 7, n. 22, quæ omne dubium tollit. Postea, testans ita etiam frequenter a Rota fuisse decisum, remittit ad decisiones Rotæ... » (Apud BOUIX, *De capit.* p. 593.)

Nihilominus tutior est sententia tenens pro necessitate suffragiorum secretorum;

ut tradit Monacelli, t. I, tit. I, formul. 2, adnot. 10 et 11, his verbis: « Quanquam concil. Trident. in cap. 16 sess. 24, *De reform.*, formam scrutinii in habenda electione vicarii capitularis non præscribat, adhuc cum agatur de electione et deputatione prælati habentis jurisdictionem, videtur quod in dandis suffragiis servanda sit dispositio, c. *Quia propter*, *De elect.* ad tradita per Passerin. *De elect.* cap. 9, quæst. 8, n. 53 et seqq.»

« Et si forte in aliqua cathedrali esset usus, sive potius abusus suffragia publice et in aperto præstandi, omnino tollendus esset non solum in ista vicarii electione, sed etiam in aliis resolutionibus capitularibus, ut liberius quisque valeat suam sententiam dicere, propriamque exonerare conscientiam, et ut ita evitentur jurgia, rixæ et inimicitiæ inter capitulares, prout expedire censuit sacr. congr. Concilii *in Melevitana*, 23 Nov. 1697 et 20 Septem. 1698. Et sanctissima esse statuta, quæ mandant ut secretis suffragiis negotia capituli resolvantur, dicit Garz. *De benefic.* part. V, cap. 4, n. 185.»

5. *Irrita evadit electio si quis idoneus rejectus fuerit per capitulares a numero eligendorum.* — Posset enim evenire ut capitulares inter sese statuerent excludere talem vel talem, cæteroquin idoneum. Quod si accidat, quæritur an valeat electio vicarii capitularis? « Respondeo negative, ait Pignatellus (t. VI, cons. 92); quia quilibet idoneus de jure potest eligi, atque adeo non potest a concursu repelli. (Rota decis. 65, n. 6, parte I, recent.) Eadem ratione non potest episcopus repellere concurrentem ad parochialem. Rejectio enim idonei vim habet voluntariæ coarctationis ad certum numerum eligendorum; quæ non permittitur electoribus in præjudicium aliorum; solumque coarctationes permittuntur post factum scrutinium, dummodo omnes in eo fuerint admissi et tanquam minus idonei rejecti; at a scrutinio non debent repelli; et si quis repellatur, ex hoc ipso electio dicitur restricta et coarctata...» Colligitur ex cap. *Cum terra* 14, tit. VI *De elect.* lib. I *Decret.* cap. *Ubi periculum* 3, *De elect.* in 6, § *Cæterum* ibi: «Cessat electio dum libertas adimitur eligendi.» Unde nulla est electio, sine auctoritate apostolica limitata et restricta ad aliquos, cæteris exclusis, ut habetur ex sacr. congr. Concil. responso ad sequens dubium: *An stante libertate electionis liceat prælato regulari proponere duos, vel tres, ex quibus eligatur unus?* sacr. congr. censuit *non licere*. Sic ex aliis refert Donat... et teste Fagnano in cap. *Cum dilectus* 8, *De consuetud.* n. 21, eadem sacr. congr. consulta a generali ordin. Sancti Augustini : *An liceat in electione provincialium, priorum, aliorumque officialium facienda, aliquos nominatim proponere, ex quibus unus canonice per secreta suffragia ad officium eligatur?* respondit *negative*. Et quod capitulum celebratum cum restrictiva personarum eligendarum, et cum impressione sæcularis potestatis sit nullum expresse declaravit congregatio capitularis *in Taurinen.* Nullitatis capitulis 2 Sept. 1708. (Ferrar. verb. *Electio*, art. 4, n. 51 et 52.)

6. Ut electio sit valida, requiritur ut in ipsam concurrat saltem major pars capituli, ita ut, si sint 35 vocales, requiritur ut electus habeat ad minus 18 vota. (Cap. *Cumana*, 50, *De elect.* et cap. *Sicut* 23, eodem, in 6.) Et si tantum sint octo vocales, requiritur ut electus habeat ad minus quinque vota. Ubi autem vota essent paria, præses capituli nequit dare votum decisivum, cum nec jus canonicum, nec constitutio particularis, imo nec ullus auctor quem viderim, illud ipsi concedat. Unde vocalibus in paritate votorum persistentibus, transacto tempore ad electionem præfixo, devolvitur electio ad immediatum superiorem.» (Ferrar. *ibid.* n. 44 et 45.)

« Vota, inquit Pignatellus t. I, cons. 23, n. 7, debent dari collegialiter et in capitulo; ita ut non sufficiat consensus postea datus uti a singulis... Non enim dicitur (electio) facta a capitulo, dum non est facta a majori parte collegialiter congregata, etiamsi postea canonici uti singuli accesserint in numero sufficienti... et proinde non sufficit subscriptio facta a canonicis uti singulis.» Hanc doctrinam quæ est communis canonistarum, tenuit constanter Rota. Unde in paritate votorum, aut suffragia iterum colligenda sunt, aut alii capitulares in capitulo congregato accedere sive ad majorem sive ad minorem partem eligentium possunt, vel etiam electio per omnium compromissum ad unum aut plures remitti potest. (C. *Causam* 8, cap. *In causis* 30; cap. *Cum dilectus* 32, *De elect.* lib. I *Decret.*)

7. « Publicato scrutinio variare nequeunt electores, cum sit facienda collatio et electio celebranda. Ad quod per superiorem, si oportuerit, compellantur. (Textu expresso in cap. *Publicato* 58, *De elect.* lib. I *Decret.*) Ideoque debent capitulares expedire, subscribere et sigillare litteras deputationis electi per scrutinium in vicarium capitularem; si tamen rite electus consentiat in sui electionem. »

VII. *Ad quem devolvatur deputatio vicarii capitularis in casu non aut nulliter factæ electionis a capitulo. Et quale sit jus illius ad quem fit devolutio?* — 1. « Si capitulum in vicario intra octo dies eligendo negligens fuerit; 2. si non eligitur doctor, vel isto deficiente, alias idoneus; tunc si agatur de ecclesia suffraganea, ad metropolitanum; si de ipsa ecclesia metropolitana, ad antiquiorem ex suffraganeis; si de ecclesia exempta, ad propinquiorem episcopum electionem vicarii pertinere, voluit Tridentinum, sess. 24, cap. 16. Idemque juris est si ecclesia vacans careat capitulo, a quo vicarius constitui queat. Si tamen contingat vacare ecclesiam suffraganeam carentem capitulo, tempore quo etiam metropolitana est suo pastore viduata, in hoc casu electionem vicarii non spectare ad antiquiorem ex suffraganeis, ut nonnulli opinabantur, sed ad capitulum vacantis ecclesiæ metropolitanæ, censuit sacr. congr. Concil., 28 August. 1683 et 14 April. 1685. » (Lib. XXXIII *Decretor.* p. 261; et lib. XXXV, p. 190.)

3. Si autem electio sit nulla ex aliis capitibus quam ex duobus Tridentinis casibus supradictis, qui contendit electionem fuisse nullam debet adire tribunal superius respective ad capitulum, seu superiorem capituli, id est metropolitanum, si agatur de suffraganeo capitulo, et sacram congregationem Concilii, quando agitur de capitulo ecclesiæ metropolitanæ, vel exemptæ. Si autem illud tribunal pronuntiet nullitatem, debebunt capitulares ad novam electionem procedere. Sacra autem congregatio solet usque ad exitum causæ manutenere eum cujus electio controvertitur, supplendo ipsi auctoritatem in quantum indigeret: vel etiam aliquem ipsa deputat pro toto sedis vacantis tempore.

4. Quando nullitas procedit ex violatione dispositionis Tridentinæ: 1° statim in casu omissæ electionis, expletis octo diebus, potest ille ad quem electio devolvitur vicarium eligere et constituere. 2° At in casu electi *non doctoris*, debet monere capitulum de nullitate electionis factæ et ipsi constituere octo dierum spatium ad eligendum vicarium doctorem; et eo non electo, omnis potestas ad archiepiscopum transfertur; ita sacra congr. Concil., 19 Decembr. 1569. Aliqui tamen sentiunt posse archiepiscopum immediate alium vicarium doctorem deputare.

5. Quoad qualitates requisitas in vicario quem deputat metropolitanus, vel respective antiquior vel vicinior episcopus, in casu juris sibi devoluti, eædem sunt ac in vicario a capitulo deputando. Unde quem non potuisset valide eligere capitulum, nec eum deputare poterit metropolitanus. (Bouix, *De capit.*, p. 588.)

6. « At si vicarius deputatus per metropolitanum vel viciniorem, ob negligentiam vel malam electionem capituli, decederet, tunc posset capitulum novum eligere vicarium infra octo dies, ut prius, quia pro prima vice tantum jus amisit. (Barbosa, *De jur. eccles.*, cap. 7, n. 102; Monacelli, t. I, tit. I, formul. 2, adnot. 6.)

7. In casu appellationis ad sacram congregationem interjectæ a capitulo contra deputationem vicarii factam a metropolitano, hæc appellatio effectum suspensivum causare non videtur, ut resolutum a sacr. congr. affirmat card. de Luca, *Adnotat. ad concil. Trident.*, *discurs.* 31, n. 26.

§ IV. — De collegiatis, vacante sede sui prælati jurisdictionem quasi episcopalem habentis.

Capitula harum collegiatarum possunt jurisdictionem per seipsa exercere; et si aliquem vicarium deputent, non necesse est ut ille sit gradibus academicis decoratus; sic declaravit sacr. congr. Concilii, teste Fagnano, in c. *His quæ*, *De majorit. et obed.*, n. 77.

CAPUT IV.

De potestate et jurisdictione vicarii capitularis.

§ I. — Simul ac electus, protinus privatam quoad capitulum habet jurisdictionem.

Vicarius capitularis statim ac legitime electus est, totam ad capitulum pertinentem jurisdictionem privative quoad capitulum exercere potest, etiam ante acceptas patentes litteras, quæ tamen ipsi a capitulo tradi debent ad fidem faciendam de electione. Hæc est sententia canonistarum communis; et

probatur decisionibus sacrarum congregationum.

I. Capitulum non potest in electione, seu deputatione vicarii, apponere restrictivam, ut vicarius capitularis non possit procedere contra aliquem capitularem, absque consensu capituli (S. congr. Episcop. *in Regien.*, 16 Julii 1593), vel sine adjunctis. (Ead. sacr. congr. *in Salernitana*, 16 Julii 1628.)

II. Nec potest apponere in electione conditionem, ut participet capitulum de emolumentis ex officio vicariatus provenientibus. (S. congr. Episcop. *in Brundusina*, 8 Maii 1606.) Nec potest capitulum reservare sibi facultatem signandi supplicationes, distribuendi conciones, vel habendi superintendentiam seminarii (S. congr. *in Tudertina*, 11 Decemb. 1654), vel faciendi gratiam condemnatis ab ipso vicario, vel cognoscendi de causis suspicionis ipsius vicarii, ac judicem non suspectum partibus deputandi, vel cum alia quacunque restrictiva insolita. Quod si vicarius capitularis electus fuerit cum hujusmodi restrictionibus, potest nihilominus libere uti sua jurisdictione absque ullo respectu supradictarum conditionum, ut declaravit sacr. congr. Episcop. *In Salernitana*, 16 Julii 1628 ; et *in Venusina*, 14 Novembr. 1698. Capitulum enim post electionem vicarii nullam exercere potest jurisdictionem, quia post electionem tota jurisdictio episcopalis transit in vicarium capitularem privative quoad capitulum, non cumulative. (S. congr. Episc. *In Hydruntina*, 1 Octobr. 1655 ; et *in alia Neritonen.*, 17 Septembr. ejusdem anni.)

III. «Unde substitutio facienda propter absentiam vicarii spectat ad ipsum vicarium et non ad capitulum. (Sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. refert Garcias, *De benefic.*, part. v, cap. 7, n. 23, decis. 6 ; Fagnan., in c. *His quæ* 11, *De major. et obed.*, n. 74. » (Ferrar., verb. *Capitulum*, art. 3, n. 58 ad 64.)

IV. « Non enim potest capitulum in deputatione vicarii seu litteris patentibus aliquid sibi reservare, aut potestatem electi coarctare, seu restringere : et si de facto conditione aut modificatione aliqua vicarium eligeret, posset iste restrictionibus non obstantibus munus suum libere exercere usque ad adventum novi episcopi, prout passim solet rescribere sacr. congr. Episc., et egomet obtinui pro D. archidiacono..... et firmant auctoritates supra allegatæ. » (Ita Monacelli, part. I, tit. I, formul. 2, adnotat. 16.)

V. « Non potest capitulum vicarium eligere ad tempus, puta ad sex menses, sed debet illum constituere pro toto tempore sedis vacantis ; quidquid in contrarium dixerint Quaranta et alii.... Quod comprobatur decretis sacræ congregationis Episcoporum quibus prohibetur amotio vicarii capitularis sine justa causa cognoscenda et approbanda ab eadem congregatione, ut *in Montis Regalis*, 17 Junii, *in Neapolitana*, 1 Septembr.; *in Tarantina*, 22 ejusdem 1603 ; et *in Aretina*, 26 Octobr. 1604, cum aliis apud Nicol. in *Floscul.* verb. *Vicarius capitularis*, n. 54. » (Monacelli, ubi supra, adnot. 14.)

« Facta semel per capitulum electione vicarii capitularis, non potest illum ad libitum revocare et novum constituere..... Imo Barbosa in *Summa apostolicar. dec.*, collectan. 716, n. 17, dicit non posse per capitulum revocari vicarium capitularem, etiamsi sit electus cum clausula, quod possit revocari ex causis sibi benevisis, ut declaravit sacr. congr. Concil. *in Ecclesien.*, 1 April. 1628. Quæ tandem remisit ad congr. Episc. et Regul. ut cognosceret causam. (Ferrar., verb. *Capitulum*, art. 3, n. 42 et seqq.)

VI. Tandem cum nullo jure cautum sit litteras patentes requiri de substantia, ut tenent communiter, sequitur vicarium capitularem, statim ac legitime electus est, totam jurisdictionem privative quoad capitulum exercere posse.

§ II. — Extensio jurisdictionis vicarii capitularis.

Vicarius capitularis, sicuti capitulum sede vacante, succedit episcopo in his quæ illi competunt de jure communi, non vero in his quæ sunt de jure speciali, sive delegato. *Communis* per text. in cap. *Eam te* 7, *De rescriptis* ; cap. *Cum olim* 14, *De major. et obed.* cum similibus. In vicarium enim capitularem canonice electum transfertur tota jurisdictio capituli, et jurisdictio vicarii capitularis in supradictis eadem est, quæ fuit episcopi. (S. congr. Episc. *in Reatina*, 21 Novembr. 1603, apud Nicolium in *Flosculis*, verb. *Vicarius capitul.*, n. 68. (Ferrar., verb. *Vicarius capitularis.*)

I. Vicarius capitularis non tenetur rationem suæ administrationis reddere capitulo.

—Non potest capitulum cognoscere de criminibus quibus accusaretur vicarius capitularis, nec eum judicare aut etiam syndicare. In nullo casu vicarius capitularis indiget mandato speciali capituli. Non potest capitulum constituere officiales quibus teneatur uti vicarius capitularis et quos removere nequeat. Ideoque potest vicarius capitularis aut vicarios foraneos confirmare, aut alios deputare cum sibi benevisa jurisdictione, non tamen suæ jurisdictioni æquali.

II. Ex eo quod jurisdictio vicarii capitularis sit ordinaria et capitulum nihil possit sibi reservare eligendo vicarium capitularem, non est quod vicarius capitularis opus habeat speciali mandato, sed ut primum electus est, potest ea etiam exercere, quæ vicarius generalis episcopi nonnisi speciali mandato exercere valet. (Leuren., *De vicar.* tract. III, c. 5, quæst. 568, n. 2.)

III. Ad vicarium capitularem non doctorem pertinet sibi assumere consultorem doctorem ; non autem hujusmodi a capitulo venit deputandus : quia si hoc faceret capitulum, deputatio esset nulla, ut decisum refert Nicol, *in una Acernen.* 1604. (Monacelli, t. I, tit. I, formul. 2, adnot. 27.)

Item potest sibi substituere vicarium ad modicum tempus propter ejus absentiam vel infirmitatem ; hoc enim spectat ad ipsum, et non ad capitulum. (S. congr. Concil. apud Pellegrin, *Vic. Cap.*, n. 26, et Barbosam, in *Summa*, collect. 717, n. 9.)

IV. Etsi ante annum elapsum nequeat concedere dimissorias nec testimoniales ad ordines nisi in casibus exceptis (*Trident.* sess. 7, c. 10), potest tamen etiam ante lapsum anni dare licentiam episcopo extero exercendi pontificalia in ecclesiis diœcesis, confirmandi, ecclesias consecrandi, reconciliandi et etiam ordines conferendi clericis exteris habentibus litteras suorum episcoporum, non tamen clericis subditis vacantis sedis, nisi post annum a die vacationis. (S. congr. Concil. *in Brixien.*, 16 Maii 1705 ; et sacr. congr. Episc. *in Nepesina*, 15 Decembr. 1603.) Potest ipsemet vicarius ecclesiam non consecratam reconciliare. (S. congr. Rit. *in Hydruntina*, 15 Decembr. 1632.)

V. Potest diœcesim visitare per se vel per alium, et in visitatione decreta facere, dummodo sit lapsus annus a postrema visitatione, nec faciat novitates (S. congr. Episc. pluries) ; cum famulatu et comitatu solito a concil. Trident., sess. 24, c. 3, *De reform.* præscripto. (Sacr. congr. Concil. *in Limana*, 10 Maii 1629 ; apud Ferraris, verb. *Vicarius capitularis*, art. 2, n. 7 ad 11.)

Ritus hujusmodi visitationis decreto Gregorii XVI præscriptus est per sacr. congr. Rituum ; qui ritus observari etiam potest ab aliis visitatoribus non episcopis ; in hoc decreto sic habetur :

« Vicarius capitularis procedat ad ecclesiam cathedralem veste talari indutus, ubi intra portam recipietur ab universo capitulo. Cum eo pervenerit, assumet superpelliceum, vel alia insignia canonicalia si sit canonicus, eidemque biretum presbyterale manutenenti, dignior ex capitulo stans aspersorium per contactum exhibebit. Præcedente cruce capitulari, cæterisque de clero recta statim inter duos digniores ex capitulo perget ad sacellum ubi SS. Sacramentum asservatur ; atque paratis super genuflexorio pulvinaribus una cum prædictis dignioribus in genua provolutus orabit. Assurgens inde, principem petit aram, et brevi oratione super infimo gradu peracta, sedebit in camerali sede ante latus Epistolæ, super altaris suppedaneum præparata, cæterisque in propriis subselliis consedentibus, et caput bireto cooperiens, tradet (si moris est) cancellario visitationis edictum legendum, et deinde proponet causas adventus sui, ut habetur in Pontificali Romano (*ordo ad visitandas parochias*). His absolutis, ab altari descendet, et in plano extra latus Epistolæ stans, supra superpelliceum, vel rochettum si eo utatur, amictum, stolam et pluviale nigrum induat, eique duo sacerdotes assistent. Interim sedes ab altari amovebitur, cujus frons pallio itidem nigro obtegetur. Visitator autem adhuc stans juxta altare in cornu Epistolæ versus ad populum incipit antiphonam *Si iniquitates*. Cætera peragantur ut in *Pontificali Romano*, loco citato. — Quam methodum Sanctitas Sua firmitate sua communivit, die 8 mense Novembri eodem anno 1843. » (Apud Gardellini, tom. VIII, n. 4826.)

Circa alia visitationis et procurationem visitatori debitam, vide supra, lib. II, cap. 4, *De visitatione ab episcopo facta* ; et cap. 15 *De visitatore ab episcopo deputando*.

Si vicarius capitularis exigit procurationem officio visitationis non impenso, vel si exigit plus debito, vel si munera recepit, incurrit pœnam suspensionis. (Ex cap.

Exigit, De censuris, in 6; et ex cap. 3, sess. 24 *Concil. Trident.*) Si ergo novus episcopus vicarium capitularem syndicando, invenerit eum hac prævaricatione reum, debet illum exemplariter punire, et curare ut restituat quæ indebite exegit.

VI. Potest, imo debet vicarius capitularis, sede vacante, diœcesanam synodum congregare elapso anno ab altera synodo ultimo celebrata. Sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. referunt Garcias, *De benef.* part. IX, cap. 2, n. 8; cardin. Petra, tom. V *Comment.* ad constit. 4 Calixti III, sect. 2, n. 113, et alii plures. Et ad id teneri docent multi, apud Ferraris, verb. *Synodum*, seu *Concilium episcopale*, art. 3, n. 11. — Imo subdit Ventriglia : « Potest in ipsa synodo vicarius juxta consuetudinem Ecclesiæ exigere manualem obedientiam, quam clerici suo exhibere solent episcopo. » Pro quo citat Quarantam et Merollum. (VENTRIGLIA, t. II, annot. 15, § 2, n. 49. — Idem sentit LEUREN., apud BOUIX, *De capitulis*, p. 640.)

Et eo tempore, quo synodum celebrat, debet eligere examinatores synodales, extra vero illam non potest, sed uti debet electis antea. (Sacr. congr. Episcop. *in Neapolitana*, 12 Januar. 1604 et sacr. congr. Concil., ad instantiam capituli Toletani, an. 1577, infra citand.) Potest et debet in synodo diœcesana facere omnia facienda et nominare et deputare omnes officiales, etc., in synodo deputandos. (*Vide* l. II *De episcopis*, cap. 4, *De synodo diœcesana.*)

VII. Concursum ad parochiales vacantes, tempore sedis vacantis facere potest, ut poterat episcopus, servata forma concilii Trident. sess. 24, c. 18, *De reform.*, magis idoneum eligere, et approbationem ad sanctissimum Dominum ejusque eminentissimum datarium mittere pro confirmatione electionis. (S. congr. Episcop. *in Ravennaten.*, 3 Febr. 1604.)

Item potest vicarios idoneos parochialibus vacantibus deputare, donec de rectore provisum sit, et proponere edicta ad concursum. (S. congr. Concil. apud Aldan. et alios. FERRAR. verb. *Vicar. capit.*, art. 2, n. 14 et 17.) — Exstat de hac materia valde notabilis instructio sacræ congregationis Concilii, ad instantiam capituli Toletani facta, an. 1577; hanc ex Fagnano, c. *Illa, sede vacante*, et ex Garcia, *De benefic.* p. IX, c. 2, n. 8, correctam refert D. BOUIX *De capit.* p. 648 et seqq. ut sequitur.

« Observanda in examinibus faciendis pro collatione parochialium, sede cathedrali vacante.

« 1. Imprimis capitulum nullum sibi in hisce examinibus auctoritatem vindicabit; sed constituet officialem seu vicarium infra octo dies post mortem episcopi, prout mandat concilium Tridentinum (sess. 24, c. 16).

« 2. Is vicarius obibit illa omnia munia quæ concilium (sess. 24, c. 18) statuit obeunda ab episcopo seu ejus vicario, cum parochialis ecclesiæ vacatio contigerit.

« 3. Et in specie statim habita notitia vacationis ecclesiæ, et antequam ullum fiat examen, constituet idoneum in ea vicarium cum congrua fructuum portionis assignatione, reservatis reliquis fructibus iis quibus jure debebuntur. Hic vicarius sic positus ejusdem parochialis onera sustinebit, donec de rectore provideatur.

« 4. Postea per edictum publicum vocabit eos omnes qui voluerint examinari pro obtinenda ea parochiali vacante.

« 5. Deinde examinabit eos qui concurrerint, adhibitis etiam aliis examinatoribus saltem tribus; quorum vota si paria aut singularia fuerint, accedere possit ipse vicarius quibus magis ei videbitur.

« 6. Curabit idem vicarius ut singulis annis in diœcesana synodo probentur examinatores saltem sex, ex quibus tres ipse eliget, eosque congregabit, qui secum examen perficiant ad singulas vacantes parochiales. Et si duo vel unus tantum ex dictis examinatoribus, cum vicario, vel omnes tres aut etiam sex absque vicario seipsas congregaverint, ac examen perfecerint, nullum erit.

« Et si ex dictis examinatoribus aliqui intra annum suæ electionis mortui fuerint, tota facultas examinandi una cum vicario ad superstites, etiamsi unus tantum superesset, spectabit eo anno durante.

« 7. Si contingat sequentibus annis nullos examinatores eligi in synodo diœcesana, illi sex qui semel præcedente anno ex decreto concilii fuerint electi, pro legitimis habeantur, etiam post lapsum annum suæ electionis, et sic in officio suo perseverare possint, donec alii servata forma concilii electi fuerint. Etsi ex dictis sex examinatoribus aliqui mortui fuerint, curabit vicarius

ut, lapso anno, alii in locum mortuorum sufficiantur seu eligantur in synodo diœcesana : alioquin qui supererunt pro legitimis non habeantur (9).

« 8. Examen et approbatio pro legitimis non habeantur ad parochiales vacantes, si antea ad alias parochiales quæ prius vacaverint fuerint facta ; ita ut non sufficiat quem judicatum fuisse idoneum præteritis mensibus aut annis ad aliquas parochiales, sed semper opus sit novo examine et nova approbatione ad ipsam parochialem de cujus collatione singulis vicibus agetur.

« 9. Examinatores ex pluribus examinatis, non unum solum, sed plures quos judicaverint idoneos significabunt vicario ; et ex illis pluribus per examinatores indicatis, non ipsi examinatores, sed ipse vicarius eliget quem cæteris magis idoneum judicaverit. Hæc enim facultas nullo modo examinatoribus competit, cum soli episcopo a concilio sit attributa, cujus loco erit vicarius, sede vacante.

« 10. Ipse etiam vicarius solus, absque examinatoribus scribet litteras ad sanctissimum Dominum nostrum, ad quem collatio parochialis spectabit (10), quibus præcipue testabitur vacasse parochialem, propositum fuisse edictum, et ex examinatis fuisse tot idoneos a tribus saltem examinatoribus judicatos ; se vero ex istis idoneis talem cæteris magis idoneum judicasse et elegisse.

« 11. Capitulum aut decanus Ecclesiæ cathedralis nullum jus sibi vindicet proponendi edictum, aut deputandi seu eligendi vel convocandi coram se examinatores, nec jubendi aut curandi ut coram se aut examinatoribus ab eo deputatis examen fiat (multoque) minus eligendi magis idoneum, aut litteras testimoniales de eo scribendi ; sed hæc omnia, ut supra dictum est, exsequetur partim synodus diœcesana, partim vicarius, sede vacante, constitutus, quem capitulum omnino (ut supra quoque in principio injunctum est) constituere debebit, ex dicto capite 16. (Sess. 24 Trident.)

« 12. Multo magis idem capitulum abstineat a conferendo parochialem in commendam temporalem ei qui magis idoneus fuerit judicatus ; maximeque etiam caveat ne concedat omnes fructus ipsius parochialis eidem, dicta commenda durante ; quoniam concilium hæc omnia prohibuit, dum statuit debere episcopum, statim habita notitia vacationis parochialis, idoneum in ea vicarium cum congrua fructuum portione constituere ; quod munus (ut supra quoque dictum est) obibit præcise vicarius, sede vacante, deputatus.

« Cavebitque ipse (vicarius capitularis) a dicta commenda et concessione omnium fructuum ; et illud quoque sibi interdictum sciet, ne eum quem magis idoneum ipse judicaverit constituat vicarium in parochiali, aut ei quoquomodo præficiat, donec collatio fiat : sed debebit omnino a principio vacationis, et antequam ullum examen fiat, constituere in ea alium vicarium, qui curam animarum interea gerat, donec parochialis fuerit a sede apostolica collata magis idoneo.

« Hæc celebris declaratio, quæ totam formam concursuum in conferendis beneficiis parochialibus, non solum vacante sede, sed etiam plena (ut recte advertunt auctores), tam præclare determinat, ita etiam clare exponit quænam sint in hac materia capituli et vicarii capitularis partes, ut quidquam addi fere supervacaneum sit. » (Bouix, *ibid.* p. 651.)

Quod spectat ad Galliam ex Concordato 1801, nullum dubium quod concilium Tridentinum et declarationes sacrarum congregationum sicut et jus commune vigeant et obligent, ut toties inculcatum est. Ideoque, etsi episcopi non observaverint has canonicas sanctiones, forsan ex ignorantia aut ex speciali indulto, vicarii capitulares tenentur tamen easdem servare, cum non succedant episcopo nisi in jurisdictione ordinaria a jure determinata.

Tenentur igitur vicarii capitulares conferre vacantes parochiales, sede vacante, ad formam Tridentini sess. 24, c. 16 : et suprascriptæ instructionis sacræ congregationis Concilii.

In conventione autem anni 1801 sic habetur :

« Iidem episcopi ad parœcias nominabunt, nec personas seligent, nisi gubernio acceptas. »

Attamen in titulo erectionis ecclesiarum Galliarum a cardinali legato Caprara, die 10

(9) Ex quo infertur pro vicario capitulari obligatio congregandi diœcesanam synodum, saltem in hoc casu.

(10) Nempe secunda ex regulis Cancellariæ, quæ hic vigere supponuntur, collationem beneficiorum vacantium vacante sede, reservat summo pontifici

Aprilis 1802 dato, statuitur « ut præter collationem parœciarum eo modo qui in supra memorata conventione ac in præsenti decreto statutus est, quæcunque alia cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus, personis idoneis pleno jure conferantur. »

Atqui in Concordato anni 1516 (rubrica II) sublatæ sunt pro Gallia tum speciales tum generales reservationes beneficiis vacaturis, præter tamen reservationes in rubrica IV statutas ad quas non pertinent parochiales vacantes, sede vacante. Ex his peculiaribus pro Gallia juribus, sufficit ut vicarius capitularis quem post concursum magis idoneum judicaverit et elegerit, illum gubernii acceptationi præsentet, et semel a gubernio acceptum instituat et confirmet ; nec debet scribere ad sanctissimum, nec ad eminentissimum datarium, quia jus istud fuit pro Gallia abrogatum per præfata concordata. Unde ex consuetudine quæ legitima videtur, vicarii capitulares Galliarum, sede vacante, parochiales conferunt.

VIII. Ad capitulum pertinet, sede vacante, collatio beneficiorum, quorum collationem vel exclusivam vel simultaneam cum episcopo ante vacationem habebat. (Cap. unic. *Si ad episcopum*, tit. VIII, lib. III Sexti decret. ibi : « Si ad episcopum et capitulum communiter pertineat collatio præbendarum, mortuo episcopo, vel a beneficiorum collatione suspenso, poterit capitulum vacantes conferre præbendas : etiamsi episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi, ut prælatus. Idem poterit episcopus, si capitulum ab ipsa collatione suspendi contingat, vel singulariter omnes in capitulo majoris excommunicationis vinculo innodari. »

« Collatione spectante ad episcopum de consilio vel assensu capituli, illo exsistente inhabili (nisi sit in mora) non confert capitulum. » (In eodem cap.)

« Habens conferre cum consilio episcopi, sine illo confert, morte et remota absentia interveniente. » (In eodem cap.)

Fagnanus in hoc capite *Si ad episcopum*, n. 9, expresse subjungit, quod caput unicum *Ne sede vacante* in 6, locum habet non solum in collatione beneficiorum, sed etiam in aliis, quæ spectant communiter ad episcopum et capitulum.

Atqui « probavimus de jure communi ad capitulum pertinere quoad canonicatus illam simultaneam collationem. In hoc autem casu certissimum est, sede vacante, totum jus conferendi in capitulo consolidari, ut omnes canonistæ docent, et ut supra etiam exposuimus. (Part. II, cap. 4.) »

« Cum autem jus illud capitulum habeat ex se, non autem ex transmissione jurisdictionis episcopalis, vacante sede, illud servat constituto vicario capitulari; ad quem capitulum transmittit quidem jurisdictionem ordinariam episcopi nihil sibi ex illa reservando, non vero jura sibi propria. Nihil ergo potest vicarius capitularis circa illas collationes quæ titulo simultaneitatis ad capitulum pertinent. » (Bouix, *De capitulis*, p. 643 et seq.)

Ad capitulos Galliarum, sede vacante, pertinet igitur canonicos eligere et instituere, si forte aliqua præbenda vacaret. Et in praxi vicarius capitularis debet electum a capitulo ad gubernii recognitionem præsentare, ut eidem electo et instituto solvatur pensio.

IX. Potest vicarius capitularis, etiam extra visitationem, de delictis contra certas personas inquirere; cognoscere causas judiciales etiam criminales; punire crimina et excessus; suspendere ab officio, deponere seu privare beneficiis; procedere contra clericum ad verbalem degradationem, nequaquam tamen ad actualem et solemnem degradationem. (Communis ex cap. *His quæ, De majorit. et obed.* lib. I *Decret.* et cap. unico, ejusdem tit. in 6.

Potest vicarius capitularis infligere censuras quatenus id poterat episcopus. Non potest tamen anathematizare, id est, excommunicare cum solemnitate (Fagn. in cap. *His quæ, De major. et obed.* n. 49). Aliqui auctores excipiunt etiam suspensionem perpetuam, ex eo quod sit de *arduis*, ita ut etiam episcopus eam ferre non possit sine capitulo.

Potest vicarius capitularis excommunicare, suspendere et interdicere singulares personas de capitulo. Nec tenetur procedendo contra eas adhibere duos adjunctos judices a capitulo electos, quando capitulum non est exemptum ; quod decisum a sacra congregatione Concilii testatur Garcias, part. V, c. 7, n. 23. — Non tamen potest totum

capitulum excommunicare, suspendere, vel interdicere. (Communis.)

Utrum vero possit vicarius capitularis suspensionem ferre, *ex informata conscientia*, id est extrajudicialiter, juxta caput 1, sess. 14 Trident, non videtur decisum. Certum est id non posse ex jure communi sub pœnis et censuris a jure latis contra sic suspendentes, præsert. in cap. *Cum medicinalis* 1, *Desent. excom.* in 6. Non videtur etiam fuisse in mente sacrosanctæ synodi Trident. hanc potestatem ferendi suspensiones *ex informata conscientia;* quia, sess. 7, cap. 10, interdicitur capitulis, et vicario capitulari, sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias, seu reverendas ... concedere. Ex hac prohibitione, nec capitulum, nec vicarius capitularis occasionem habent utendi concessa prælato facultate interdicendi ascensum alicui ad sacros ordines, ex quacunque causa, etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extrajudicialiter, in cap. 1, sess. 14. — In cap. 10, sess. 6, reservantur episcopo futuro tum ordinationes tum dimissoriæ infra totum annum, quia raro evenit ut sedes vacet per tam longum temporis terminum; proptereaque non erat locum tribuendi alio quam proprio prælato facultatem cap. 1, sess. 14, interdicendi ascensum ad ordines ex informata conscientia. Non videtur ergo hac facultate gaudere vicarius capitularis.

Alia ratio est quod sententiæ ex *informata conscientia* debeant ab ipso episcopo subscribi, non autem ab ejus vicario, ut tenet Monacelli, part. III, tit. II, formul. 6; ex tali sententia non datur appellatio, sed tantum recursus ad sanctam sedem, in quo exstat juri ordinario et communi derogatio. Atqui vicarius capitularis non succedit episcopo, nisi in jure ordinario et communi. Ergo concludendum est non licere vicario capitulari suspensionem ferre *ex informata conscientia*.

X. Potest vicarius capitularis absolvere ab excommunicatione et aliis censuris (papæ non reservatis), sive a jure, sive a seipso, sive a defuncto episcopo aut ejus prædecessoribus latis, textu expresso in cap. unic. *Episcopali*, tit. XVII *De major. et obed.* in 6, ibi : « Episcopali sede vacante, potest capitulum, seu is ad quem episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis, quibus posset episcopus, si viveret, ab excommunicationis sententia, sive juris, sive hominis fuerit, absolutionis beneficium impartiri : nisi ei fuerit a sede apostolica specialiter interdicta potestas. »

Potest absolvere a censuris, et dispensare in irregularitatibus ex delictis occultis sedi apostolicæ reservatis provenientibus, in quibus est id concessum episcopis a concilio Trident. sess. 24 *De reform.* cap. 6. Sic sacra congreg. Concil., 3 Decembr. 1632 apud Barbosam, *De canonicis et dignitatibus*, cap. 24, n. 62. Notandum est tamen id non posse nec episcopum, nec vicarium capitularem in locis ubi non fuit recepta disciplina Tridentina. Item potest absolvere ab omnibus censuris papæ reservatis omnes impeditos quos de jure absolvere potest episcopus.

Potest dispensare cum illegitimis, etiam ex damnato coitu, ad minores ordines, et ad beneficium simplex cum causa. (Communis.)

Dispensare potest in interstitiis, in casibus in quibus concedere potest dimissorias, sicuti potest episcopus virtute concilii Trident. sess. 23 *De reform.* cap. 11, 13, 14, ex causis ibi expressis. Sic declarasse sacr. congr. Concilii testantur plures apud Ferrar. verb. *Vicarius capit.* art. 2, n. 32.

Potest monitoria ad finem revelationis concedere, quia est actus jurisdictionis necessariæ, ut est excommunicationis promulgandæ facultas. Sic declaravit sacr. congr. Concil. 26 Octob. 1590. .. Et tenent doctores communiter. (Id. *ibid.* n. 30.)

XI. Potest exsecutioni demandare litteras episcopo per sacram congregationem directas, et ab eo non exsecutas. (S. congr. Episc. et Regul. 10 April. 1615.)

XII. Potest cognoscere causas matrimoniales (S. congr. Concil. 30 Maii 1602); matrimonio celebrando assistere, et alteri sacerdoti assistendi licentiam concedere. (Communis.)

XIII. Potest approbare confessarios pro sacramentalibus confessionibus excipiendis. — Item potest ex causa confessarios sæculares a se vel a defuncto episcopo approbatos ad examen revocare, et inventos inidoneos reprobare. Idem dicendum quoad confessarios regulares nisi habeant a sancta sede privilegium, quo non possint revocari, sede vacante.

XIV. Potest visitare moniales non exemptas, exemptas vero non potest nisi in iis, in quibus datur episcopis facultas perpetua visitandi tanquam sedis apostolicæ delegatis. (Ferrar. verb. *Vicarius capit.*, art. 2, n. 21 et 22.)

XV. Potest post anni lapsum a die vacationis dimissorias et testimoniales omnibus concedere ad ordines suscipiendos ab extero episcopo; et arctatis etiam infra primum annum. (*Trident.* sess. 7, cap. 10.)

§ III. — Limitatio jurisdictionis vicarii capitularis.

I. Non potest vicarius capitularis infra annum a die vacationis sedis episcopalis concedere dimissorias ad ordines non arctatis, sub pœna interdicti pro vicario, et suspensionis pro sic ordinatis ad beneplacitum futuri prælati. (Textu expresso cap. 10, sess. 7 *Trident.*)

II. Non potest concedere indulgentias. (S. congr. Concil., 13 Novembr. 1688.)

III. Nequit, sede vacante, quidpiam innovare in præjudicium ecclesiæ, aut episcopi. (Textu expresso in cap. *Novit ille* 1, *Ne sede vac.*) Neque potest consumere, aut aliquo modo in proprios vel alienos usus convertere bona, sede vacante, ecclesiæ relicta, aut eo tempore collecta; et si secus fecerit, tam ipse quam quilibet alius id faciens, remanet suspensus ab officio et beneficio, non obstantibus quibuscunque privilegiis, statutis, consuetudinibus. (Textu expresso in cap. *Quia sæpe* 45, *De elect.* in 6.) Et præterea subjacet aliis pœnis et censuris in cap. 11, sess. 22 *Trident.* latis.

IV. Neque potest donationem juris patronatus confirmare, nam in illa debet necessario intervenire episcopi consensus. (Rota apud Farinac. decis. 257, n. 1, part. II, recent., etc.)

V. Neque potest substituere novos examinatores in locum examinatorum absentium, aut defunctorum; sed curare debet ut, elapso anno, alii in locum demortuorum eligantur in synodo; alioquin pro legitimis non habebuntur qui supererunt. (S. congr. Concil.)

VI. Neque potest exsequi commissiones apostolicas in *forma dignum*, et alias directas episcopo, vel ejus vicario generali intuitu officii, vel sub nomine dignitatis. (S. congr. Concil., 2 August. 1631.) — Neque potest expedire dispensationes matrimoniales directas episcopo et ejus vicario generali. (S. congr. Concil., 24 Maii 1721.) Executio esset nulla, nullumque matrimonium vigore talis dispensationis contractum. (Ita Corradus, in *Praxi dispensa*, lib. VII, c. 4. n. 15.)

VII. Neque prohibere potest ne quis, sede vacante, promoveatur ad ordines. (S. congr. Episcop. *in Syracusana*, 13 Martii 1604. Quo confirmatur quod non possit suspendere *ex informata conscientia.*

VIII. Neque potest, neque debet expedire causas, quæ patiuntur dilationem, imminente provisione Ecclesiæ, nisi fuerint sibi specialiter delegatæ, sed relinquere expeditionem novo episcopo. (Sic declaravit sacr. congr. Episcop. *in Neapolitana*, 17 Maii 1594, et *in Narnien.*, 15 Maii 1601 et 21 Maii ejusdem anni.) Sic pariter debet tali tempore imminentiæ novi episcopi abstinere a dandis dimissoriis seu testimonialibus ad ordines. (S. congr. Episc. *in Brixien.*, 20 Novembr. 1654.)

IX. Non potest cognoscere causas confugientium ad ecclesiam vel ab illa extractorum. (S. congr. Immunit., 15 Febr. 1633.) Sed potest et debet procedere pro defensione immunitatis et jurisdictionis ecclesiasticæ. (S. congr. Immunit., 8 Apr. 1624.) Non habet tamen facultatem, quam habet episcopus in casibus bullæ Gregorii XIV super immunitate, ideoque cognitio spectat ad viciniorem episcopum. (S. congr. Immunit., 9 Novembr. 1650. — *Vide* plura apud Ferrar. verb. *Vicar. capit.*, art. 2.)

X. Nequit gratiam facere subditis, ipsisque remittere pœnas per episcopum impositas, verb. gr. si mulctæ non fuerint per episcopum in vita applicatæ, non possunt ad minorem summam per vicarium capitularem reduci. (Sic respondit sacr. congr. Concil. *in Ripana*, 18 April. 1654. — Apud Ferrar., verb. *Pœna*, art. 1, n. 64.)

CAPUT V.

De vicarii capitularis competenti salario.

I. Vicarius capitularis debet provideri de competenti salario. (S. congr. Concilii, *in una Ventimilien.*, 15 Oct. 1601; apud Barbosa, in *Summa*, loc. cit. n. 13; et *De canonic. et dignit.* cap. 42; et apud Pellegrinum loc. cit., sub sect. 1, n. 30.) Quod potest esse ad rationem scutorum quatuor pro singulis mensibus, ut declaravit ead. sacr. congr. *in*

una Calen., 21 August. 1654. Non tamen debet esse majus eo quod habebat vicarius episcopi defuncti. (Ead. sacr. congr. *in Ventimilien.*, 15 Januar. 1602, apud PELLEGRIN. loc. cit.) Attendenda tamen est circa supradicta omnia legitima locorum consuetudo. (Arg. cap. *Cum tanto* 11, *De consuetudine.*)

An vicarius capitularis lucretur distributiones quotidianas, si choro propter munus non intersit, variant doctores ; affirmant alii, negant alteri.... Ut autem concilientur doctores, dicendum est standum esse legitimis locorum consuetudinibus, ut ibi vicarius capitularis absens a choro lucretur distributiones, ubi adest legitima consuetudo eas lucrandi; et ibi non lucretur, ubi adest legitima consuetudo eas non lucrandi. (Arg. cap. *Cum tanto* 11, *De consuetud.* Et sic tenent Rota et multi doctores apud FERRAR., verb. *Vicar. capit.*, art. 1, n. 50.

Debetur vicario capitulari salarium ex redditibus ecclesiæ vacantis, ex quibus deduci etiam debent aliæ expensæ necessariæ pro charta, et ministris curiæ, ad quas tenetur camera apostolica in locis ubi vigent, et percipit spolia. Ita communiter, apud MONACELLI, t. I, tit. 1, form. 2, adnot. 15.)

II. Debetur vicario capitulari habitatio in ædibus episcopalibus ; aut, si non est possibile, alia conveniens sumptibus episcopatus.

CAPUT VI.

De cessatione potestatis capituli et vicarii capitularis.

I. In extravag. *Injunctæ*, de electione, inter extrav. communes, sic decernit Bonifacius VIII : *Præsenti itaque perpetuo valitura constitutione sancimus ut episcopi et alii prælati superiores.. quocunque nomine censeantur, qui apud dictam sedem promoventur, aut confirmationis, consecrationis vel benedictionis munus recipiunt, ad commissas eis ecclesias et monasteria, absque dictæ sedis litteris hujusmodi eorum promotionem, confirmationem, consecrationem seu benedictionem continentibus, accedere, vel bonorum ecclesiasticorum administrationem accipere non præsumant: nullique eos absque dictarum litterarum ostensione recipiant, aut eis pareant vel intendant. Quod si forsan contra præsumptum fuerit, quod per episcopos, prælatos.. et alios prædictos medio tempore actum fuerit, irritum habeatur.. Capitula vero et conventus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum, ipsos absque hujusmodi dictæ sedis litteris recipientes vel obedientes eisdem, tandiu sint a beneficiorum suorum perceptione suspensi, donec super hoc ejusdem sedis gratiam meruerint obtinere.*

Ex canonistis et decisionibus Rotæ « concluditur, ait Leurenius (tract. *De capit. Sede vac.* quæst. 615), ad exspirationem potestatis capituli ejusque vicarii requiri, non solum propositionem in consistorio, factamque in eo promotionem, et dein litterarum expeditionem, etiam cum certa prædictorum scientia habita a capitulo ; sed insuper opus esse actuali ostensione et præsentatione dictarum litterarum, sive brevis loco ipsarum, facta capitulo. » Unde vicarii capitularis jurisdictio cessat solum post possessionem realem captam a novo episcopo. Communis, et sic decisum fuisse Ferrar. testatur, verb. *Vicarius capit.* art. 1, n. 56.

II. Terminatur autem vicarii capitularis jurisdictio cum mittitur vicarius apostolicus a Papa, vel a sacra congregatione Episcoporum, quod fit si ecclesia diu vacaverit, ut censuit sacr. congr. Episc. *in una Alatriana*, 28 Junii 1649, præsertim si subditi in administratione justitiæ aliquod inconveniens experiantur. (Ead. sacr. congr. *in Ungentinen.*, 17 Septembr. 1665.)

Item cessat jurisdictio vicarii capitularis, quando removetur a sacra congregatione, vel vocatur ad urbem pro justificandis rebus de quibus fuit inculpatus. (S. congr. Episcop. *in Spoletana*, 12 Novembr. 1600, *in Asten.*, 30 Septembr. 1650, et *in Menopolitana*, 2 Maii 1653.)

« Plures autem sunt causæ, propter quas solet sacra congr. Episc. facultatem concedere removendi vicarium capitularem, ut indignum. *Prima*, si vicarius capitularis non resideat. — *Secunda*, si patitur multas exceptiones, et propter malos mores sit exosus clero et populo. — *Tertia*, si patitur aliquid fieri contra libertatem ecclesiasticam. — *Quarta*, si vicarius capitularis sit debitor capituli. — *Quinta*, si accipit pecuniam pro dimissoriis, quam jussus a superioribus non restituit statim. — *Sexta*, si sit vicarius capitularis in metropolitana, et sine causa inhibeat suffraganeo, vel ejus vicario exercitium sui officii. » Ita per omnia decisum fuisse a sacr. congr. Episc. refert Ferrar. verb. *Capitulum*, art. 3, n. 45.

CAPUT VII.

Quomodo capitulum et vicarius capitularis teneantur novo episcopo rationem reddere suæ administrationis

1. Ex concil. Trident. cap. 16, sess. 24, supra cit. capite 2, potest, imo debet successor episcopus rationem exigere a capitulo et ejus vicario. Et si episcopus vicarium illum aut alios officiales culpabiles invenerit, potest punire, juxta concilium Tridentinum et declarationes sacræ congregationis Concilii. (Apud Monacelli. part. III, tit. I, form. 41, annot. 1.)

« Hunc autem syndicatum episcopus facere non omittat, nec reputet hanc omissionem esse levem: quia concilium Trident. d. c. 16, sess. 24, non consulit, aut hortatur episcopum, ut recipiat rationem administrationis officii a vicario, et aliis officialibus capituli, sed ei præcipit, et imperat illis verbis *rationem exigat*, et per consequens episcopus scienter omittens id facere contra præceptum concilii non est immunis a culpa mortali, per text. satis clarum in cap. *Nulli fas*, 19 dist., et ex aliis juribus ad hoc probandum adductis a Fagnan. in cap. *Quoniam* n. 22 *De constit.*; et in cap. *A crapula*, n. 21 *De vit. et honest. cleric.*

« Sacr. congr. Concil., 8 April. 1595, censuit episcopum per se rationem administrationis gesti a vicario capituli, sede vacante constituto, exigere, atque alicujus delicti reum compertum punire auctoritate sibi tributa decreto concil. 16, sess. 24. » *Adnot. ad dict. cap. Concil. Trident.*)

II. Debet omnibus subditis notificari de syndicatu vicarii capitularis habendo per cancellarium episcopi.

Notificatio autem debet concipi modo ut non appareat episcopum vicarium capitularem adigere invitum (sicut potest); sed ut videant subditi ipsum sponte syndicatui se subjicere voluisse; ita enim syndicatus honorem servat, et episcopus congruentius munus suum implet. (Monacel. Addit. ad III part. ad form. 41. — Hunc auctorem adire debent qui variis formulis fori ecclesiastici indigent.)

—

Sectio III.

—

CAPUT UNICUM.

De variis ex capitulo commissionibus extractis et a jure decretis.

De capitulo ut est corpus, cujus episcopus est caput, huc usque tractavimus; ad instar vero sacri cardinalium collegii congregationum, Ecclesia etiam suis sacris legibus statuit plures ex capitulo commissiones ad episcopum adjuvandum in sua administratione.

De his igitur commissionibus variis habemus dicendum.

§ I. — Commissio fabricæ ecclesiæ cathedralis.

Ad capitulum et canonicos pertinet de iure administratio ecclesiæ cathedralis, sub tamen episcopi auctoritate. Capitulum hanc administrationem per se aut per commissionem canonicorum cum aliquo œconomo gerere potest. Sed ex cap. 8, sess. 7; cap. 7, sess. 21; et præsertim cap. 9, sess. 22 Trident., ad reddendam quotannis rationem administrationis fabricæ ecclesiæ cathedralis, ordinario (nisi constet ex institutis et ordinationibus ejus, non posse ordinarium se intromiscere), tenentur capitulum et canonici.

Quoad Gallias Ecclesiæ cathedrales sicut aliæ ex necessitate patiuntur ordinationes civilis potestatis super fabricarum administratione. Tenentur tamen, in quantum possunt, canonici, parochi et alii ad leges canonicas in hisce materiis sicut in aliis observandas.

§ II. — Commissio deputatorum canonicorum pro administratione spirituali seminarii.

Ex cap. 18, sess. 23 Trident. tenentur episcopi eligere duos canonicos pro regimine spirituali seminarii, textu expresso: *Quæ omnia* (nempe quæ respiciunt seminariorum regimen) *atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria*, EPISCOPI SINGULI *cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum quos ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent; eaque ut semper observentur, sæpius visitando operam dabunt.*

I. Electio duorum canonicorum pro regimine spirituali seminariorum ad solum episcopum pertinet. (Textu expresso, *Quos*

ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit.)

II. Requirit concilium ut sint *graviores*, prudentia scilicet et scientia atque virtutis fama, quæ eos reddat ad tale officium idoneos. Requiritur ut sint *seniores*, non ita tamen intelligendum ut duo canonici magis ætate provecti debeant ab episcopo ad id munus eligi, dum e contra senectus, infirmitas et similis alia est causa legitima eos amovendi. Unde etiam validam fore videtur electionem duorum juniorum, si isti dictis qualitatibus plus cæteris fulgerent. Magis habiles et idoneos ad recte explendum tam grave officium eligere debet episcopus, cujus conscientiæ judicium omnino permittitur.

III. Duo canonici, statim ac electi sunt ab episcopo, perpetui sunt et non ad libitum episcopi revocabiles; sic decisum fuisse a sacr. congr. Concilii refertur in tomo VII *Thesauri resolutionum*, pag. 212, *in Salernitana:* « An duo canonici, electi ab archiepiscopo ad constituendam educationem puerorum seminarii, possint pro libito archiepiscopi mutari? — Responsum fuit ad 1, *Non posse amoveri, nisi ex legitima causa.*» (Lib. IV *Decret.* p. 22 et seq.)

« *In Papiensi*, 7 Julii 1591, eadem congregatio censuit canonicos ab episcopo electos ad seminarii administrationem (ad præscriptum capitis 18, sessionis 23, versus *Quæ omnia*) esse perpetuos, nec posse amoveri nisi ex justa et legitima causa.» (Ut in l. XVI *Decret.* p 221.) Ita etiam concilium Mediolanense V et unanimis doctorum, absque ulla controversia.

IV. Est autem causa legitima duos istos canonicos amovendi, senectus, infirmitas et similis alia. (S. congr. Concil. *in Cremon.*, 5 Septembr. 1602.—Apud PIGNATELLI, t. IX, consult. 81, n. 56, et alii.)

V. Omnino tenetur episcopus de jure communi consilium dictorum deputatorum adhibere in iis omnibus quæ ad hanc commissionem spectant ex decreto concilii Tridentini et sacræ congregationis declarationibus, sub pœna nullitatis actorum. (Ut in tom. VII *Thesauri resolutionum*, p. 212, decisum habetur pluribus decretis sacræ congr. Concil.

VI. Episcopus tamen, nec ejus vicarius, eorum deputatorum consilium sequi non tenetur; sed dictorum consilio adhibito potest episcopus statuere et deliberare quæ pro prudentia sua magis expedire judicaverit... (Ut in lib. IV *Decretorum*, p. 84, et alibi sæpius.)

VII. Quænam pertineant ad commissionem pro regimine spirituali institutam? melius dicetur in sequenti libro, ubi de seminariis.

VIII. « Dicti duo canonici deputati si quando contingat ea de causa sine fraude ab ecclesia abesse cum episcopo, non sunt privandi quotidianis distributionibus, tanquam absentes propter ecclesiæ utilitatem ex officio eis attributo.» (FERRAR. et ab ipso alii citati verb. *Seminarium*, n. 16.)

Id vero extendendum est ad canonicos aliarum commissionum pro seminario, ex eadem ratione et jure eodem.

§ III. — Commissio deputatorum pro administratione temporali seminarii.

Sic statuit Trident. synodus sess. 23, c. 18: *Et quia ad collegii fabricam instituendam, et ad mercedem præceptoribus et ministris solvendam et ad alendam juventutem; et ad alios sumptus certi redditus erunt necessarii; ultra ea quæ... sunt aliquibus ecclesiis et locis destinata... iidem episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum quidem alter ab episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum, alterius vero ad clerum pertineat; ex fructibus integris mensæ episcopalis et capituli... et hospitalium... et beneficiorum quorumcunque... partem aliquam vel portionem detrahent: et eam portionem sic detractam... huic collegio applicabunt et incorporabunt.*

I. Hæc administrationis temporalis commissio constat quatuor deputatis; scilicet duobus canonicis et duobus de clero civitatis extra capitulum.

II. Ex duobus vero canonicis deputatis, alter eligatur ab episcopo, alter a capitulo, textu expresso Trident. decret. Quoad duos assumendos de *clero civitatis*, certum est alterius electionem ad episcopum pertinere; alterius vero electio ad totum diœcesis clerum, id est ad omnes rectores et parochos seu ad omnes ad synodum vocandos, pertinere videtur ex discussis a sacr. congr. Concil. *in Tudertina*, 15 Septembris 1792; et ex eo quod regulariter deputati seminarii in diœcesana synodo eliguntur ex canonistarum sententia a sacra congregatione pro-

bata in eadem causa Tudertinæ; et etiam ratione congruentiæ ab eadem congregatione ibidem allata; nam universus diœcesis clerus taxam solvit seminarii, ideoque habere videtur jus ad correspectivum honorem eligendi ejus deputatos. (*Thesaurus resolution.* tom. LXI, p. 160.)

III. Semel electi ad Tridentini normam, quatuor deputati pro administratione temporali seminarii, sunt inamovibiles, nisi ex justa et legitima causa. In tom. VII *Thesauri resolutionum*, p. 212, sic refertur declaratum fuisse. « In *Salernitana* propositis hisce dubiis... 4. *An hi quatuor deputati sint perpetui, vel etiam amovibiles servata ratione concilii in eorum electione?* — Respondit sacr. congr. Concil. ad 4, *esse perpetuos;* ut in lib. VI *Decretor.* p. 22 et seq. — Idem constat ex concilio Mediolanensi V et unanimi canonistarum hac de re sententia. — Possunt tamen ex legitima causa removeri, ex sacr. congr. Concil., cum scilicet unus ex deputatis pro administratione temporali seminarii, Filliucci nomine, varios excessus patrasset, inter alia dubia propositum est: 3. *An sit locus remotioni canonici Filliucci deputati seminarii?* — Et sacr. congr. rescripsit ad 3, *Affirmative.*

IV. Tenetur episcopus requirere consilium hujus commissionis in his omnibus quæ ad eam pertinent, ita ut acta absque hoc consilio sint irrita. Ita Benedict. XIV, *De synod. diœc.*, lib. IX, c. 7, n. 2: « Quorum quidem (quatuor seminarii deputatorum) consilium a Tridentina synodo in unionibus hujusmodi *pro forma*, ut dici solet, requiritur, ut observat Lotterus (*De re benefic.* lib. I, quæst. 27, n. 60), et ut resolutum fuit a congregatione ejusdem Concilii interprete (*in causa Giennensi*, 14 Februar. 1544; lib. VIII *Decretor.* p. 14), *Sacra congregatio censuit uniones factas seminario absque consilio eorum quatuor quos jubet concilium adhiberi, minime valere.* » — Et quoad taxam imponendam et generatim quoad alia omnia sic concludit Monacelli: « Taxa pro seminario constitui debet, ut concilium mandat, cum consilio deputatorum; aliter solus episcopus inutiliter taxaret: nam obligatus ad petendum consilium alicujus (licet sequi non teneatur), si illud non petat, nulliter agit; ex congestis a Pignatelli (Cons. 180, n. 7, t. I); et in terminis declaravit sacra congr. Concil. in *Salernitana*, quam refert Crispinus, *De visit.* part. II, § 31, n. 6.). » — (Monacel. t. I, tit. XII, formul. 2, adnot. 1.)

V. Episcopus non tenetur sequi consilium deputatorum pro administratione temporali seminarii; ut pluries declaravit sacr. congr. Concil., et est unanimis in hac re canonistarum sententia.

VI. Quoad materias hanc commissionem spectantes melius determinabuntur, libro sequenti, ubi de seminariis agetur.

§ IV. — Commissio deputatorum pro reddenda ratione administrationis seminarii.

Sic statuit Trident. sess. 23, c. 18 : *Rationes autem reddituum hujus seminarii episcopus annis singulis accipiat, præsentibus duobus a capitulo et totidem a clero civitatis deputatis.* Hi quatuor deputati, a prima et secunda commissione de quibus egimus, omnino distincti sunt, ut patet textu expresso Trident. decreti.

I. Electio duorum canonicorum hujus commissionis non ad episcopum, ut in præcedentibus commissionibus, sed ad solum capitulum pertinet. Similiter, electio duorum de clero civitatis ad solum clerum pertinet; ideoque videntur eligendi in synodo diœcesana, sicut alii de clero deputati.

II. Non videntur quatuor ultimi esse inamovibiles; sed probabiliter eligi possunt quotannis.

III. Quando rector seminarii episcopo rationem reddit administrationis annuæ, adesse etiam et his quatuor a capitulo et clero deputatis adjungi debent quatuor alii quibus constat commissio administrationis temporalis seminarii. Unde congregatio totalis coram qua episcopo reddi debet ratio administrationis annuæ constat octo his deputatis. (Sic expresse *concil. Trident.* cit. cap. 18, ut testantur Ferrar. verb. *Seminarium*, n. 9, et Bouix, *De capitul.* p. 490.)

De commissionibus de libera episcopi electione, quas saltem partim advocare convenit.

§ V. — Commissio super ordinandorum examinibus.

Sic statuit sancta synodus Tridentina: *Episcopus autem sacerdotibus et aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem, diligenter investiget et examinet.* Hic sacrosanctum concilium non obligat episcopum ad sibi asciscendum canonicos pro ordinan-

dorum examine; sed ex jure antiquo, quod non abrogavit Tridentinum, requiritur capituli consilium in clericorum ordinationibus. Concilium Carthaginens. IV, cap. 22, statuit: *Episcopus sine consilio clericorum suorum non ordinet.* Distinct. 24, cap. 4, sacr. Rituum congr. supponit dignitates et canonicos debere assistere examini ordinandorum, dum decrevit quod, *si vicarius generalis episcopi examini ordinandorum assistat in habitu vicariali, præcedit omnes dignitates et canonicos etiam pronotarios.* (GARDELLIN. n. 1390.) Ex his juribus colligitur esse de decentia et convenientia, si non de stricto jure, ut episcopus sibi adjungat canonicos ad ordinandos examinandos.

§ VI. — Commissio super librorum examine.

Leo papa X, in concilio Lateranensi, sess. X, sic statuit: *Statuimus et ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, nullus librum aliquem, seu aliam quamcunque scripturam, tam in urbe nostra, quam aliis quibusvis civitatibus et diœcesibus imprimere, seu imprimi facere præsumat, nisi prius in urbe per vicarium nostrum et sacri palatii magistrum; in aliis vero civitatibus et diœcesibus per episcopum, vel alium habentem peritiam scientiæ, libri seu scripturæ, hujusmodi imprimendæ, ab eodem episcopo ad id deputandum ac inquisitorem hæreticæ pravitatis civitatis, sive diœcesis, in quibus librorum impressio hujusmodi fieret, diligenter examinentur, et per eorum manu propria subscriptionem sub excommunicationis sententia, gratis, et sine dilatione imponendam, approbentur. Qui autem secus præsumpserit (ultra pœnas pecuniarias et alias hic statutas)... excommunicationis sententia innodatus exsistat.*

Sancta synodus Tridentina, sess. 4, *Decretum de editione et usu sacrorum librorum*, decernit, et statuit, *ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero hæc ipsa vetus et vulgata editio quam emendatissime imprimatur; nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, sub pœna anathematis et pecuniæ in canone concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si regulares fuerint, ultra examinationem et probationem hujusmodi licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum. Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi ante examinati probatique fuerint, eisdem pœnis subjaceant, quibus impressores. Et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint auctores, pro auctoribus habeantur. Ipsa vero hujusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri vel scripti, vel impressi authentice appareat; idque totum, hoc est, et probatio, et examen gratis fiat: ut probanda probentur, [et reprobentur improbanda.*

Clemens VII in instructione super correctione et impressione librorum, regulis Indicis adjecta, præscripsit episcopis, *De correctione librorum*, § 1, ut sequitur: *Librorum vero expurgatio nonnisi viris eruditione, et pietate insignibus committatur, iique sint tres; nisi forte, considerato genere libri, aut eruditione eorum, qui ad id deligentur, plures, vel pauciores judicentur expedire.*

Ex his et pluribus aliis juribus patet quam stricta sit episcopis obligatio præscripta deligendi viros idoneos ad libros sive examinandos, sive expurgandos, sive approbandos, sive reprobandos. Nequeunt episcopi, absque gravi culpa, recusare librorum ipsis ab auctoribus submissorum examen, nec etiam approbandorum approbationem denegare *sub excommunicationis sententia.* In casu vero istiusmodi injustæ et culpabilis recusationis vel denegationis, de jure naturali possunt auctores librorum, eos libros imprimere in fronte declarando se judicio et examini ordinarii libros istos subjecisse, addendo clausulam se iterum Ecclesiæ judicio et personam et librum humiliter subjicere, vel ad metropolitanum aut ad S. sedem appellare.

Commissio vero librorum examinandorum, maxime convenit ut e capitulo assumatur; non est tamen necesse ut omnes examinatores sint canonici, sed aliunde episcopus potest eosdem eligere: quicunque vero sint librorum examinatores, præ oculis semper habere debent et observare tenentur tum regulas Indicis, tum præcipue bullam Benedicti XIV *Sollicita;* qua methodus præscribitur in examine, et proscriptione librorum servanda. Quamvis enim hæc bulla ad sacr. Indicis congr. principaliter spectet, debet tamen ut vera examinis, etc., norma accipi tam ab episcopis, quam ab examinatoribus ab ipsis deputatis.

§ VII. — Consilium episcopi peculiare.

Episcopus prudens debet sibi efformare consilium constans viris doctrina, prudentia et pietate præstantibus, inter quos numerandi sunt consultores episcopales theologi et canonistæ. Tales sane consiliarios sibi benevisos eligere potest episcopus; maxime vero decet ut plerosque assumat de capitulo cathedralis ecclesiæ. Quod vero nullam auctoritatem canonicam habeat hoc consilium peculiare, episcopus oblivisci nequit, et semper tenetur suum capitulum consulere in his saltem omnibus a jure præscriptis.

§ VIII. — Judices synodales.

« Judices synodales, quibus a Romana curia committuntur judicandæ causæ in partibus a curia remotis, designari debent personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, quæ sive personatum, sive canonicatum in aliqua cathedrali ecclesia obtineant. Hi vero desigandi sunt ab episcopis in synodis; et si aliqui ante novarum synodorum celebrationem obierint, substitui alii possunt etiam extra synodum ab episcopo cum consensu capituli usque ad novam synodum perseveraturi. Designatorum vero sive in synodis, sive extra, nomina secretario supplicum libellorum S. sedis deferantur. Designentur vero saltem quatuor in quacunque diœcesi, vel plures, si amplitudo ejusdem postulet. » (Benedict. XIV, tom. I *Bullar.*, const. 28, incip. *Quamvis paternæ.* — Apud Ferrar., verb. *Judex*, n. 66.)

§ IX. — Judices conservatores.

Conservatores communiter definiri solent, quod sint particulares judices a summo pontifice delegati ad aliquos defendendos contra manifestas injurias, et molestias, et violentias absque indagine judiciali, ut deducitur clare ex cap. *Statuimus* 1, *De offic. judic. de legati* in 6, ubi sic præcise habetur : *Statuimus, ut conservatores, quos plerumque concedimus a manifestis injuriis et violentiis defendere possint, quos eis committimus defendendos : nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem.* Et consimiliter colligitur ex cap. *Hac constitutione* 15, eod. in 6.

Conservatores debent eligi ad præscriptum cap. *Statutum* 11, *De rescriptis ;* cap. *Statuimus* 1, et cap. *Hac constitutione* 15, *De of. c. judic. delegati* in 6; et præcipue ad præscritum constitutionis Gregorii XV incip. *Sanctissimus*, quæ est specialis norma et regula pro conservatoribus. In hac constitutione sic habetur :

§ 2. *In futurum vero Sanctitas sua hac generali, et perpetuo valitura constitutione statuit, et decrevit, ut judices conservatores hujusmodi sive principales, sive subrogati, eligi, nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas, et descriptas in constitutione simil. recordat. Bonifacii papæ VIII, etiam prædecessoris sui, quæ incipit :* Statutum, *ita ut vel dignitate ecclesiastica præditi, vel personatum obtinentes, vel ecclesiarum cathedralium canonici exsistant ; sed etiam in conciliis provincialibus, aut diœcesanis juxta decretum concilii prædicti judices electi, seu designati sunt.*

§ 5. *Cæterum ut latius pateat conservatorum hujusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum ordinarios, ut in synodis provincialibus, aut diœcesanis quamplures personas, ex habentibus qualitates in prædicta constitutione hujusmodi Bonifacii prædecessoris contentas, et alioquin ad id aptas designari procurent, et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat ordinarius loci cum consilio capituli alium in ejus locum, usque ad futuram provincialem, aut diœcesanam synodum.*

§ X — Examinatores synodales.

Canonici possunt nominatim eligi in examinatores synodales ad parochialium concursum. Notandum autem est quod examinatores necessario eligi debeant, qui sint magistri seu doctores, aut licentiati in theologia vel jure canonico, si exstent; et quod non possint eligi alii clerici sæculares, aut regulares, qui dictis gradibus non sint insigniti, nisi ulli viri qualitatis superius expressæ non exstent, quo casu sunt eligendi, qui ad munus exercendum magis idonei videbuntur, eorumque vota æqualis valoris, et efficaciæ erunt, sicut aliorum. (Textu expresso in concil. Trident. sess. 24 *De reform.*, c. 18 ; et sacra congr. Concilii, *in una Senonensi*, 19 Februarii 1628, *pro Gallia*, et *in una Turritana* 10, Martii 1629.)

CONCLUSIO.

Ex omnibus in præsenti libro et præsertim in ultimo capite expositis manifestatur :

I. Stricta et urgens episcoporum obligatio fovendi sua capitula eaque constituendi viris doctrina, prudentia et pietate præstantibus, qui possint tot labores et tanta munia adimplere, memorantes capitula non esse refugium quietis, infirmitatis et senectutis quorumlibet, nec merces eorum presbyterorum qui episcopo aut diœcesi inservierunt, qui vero nullum servitium amplius præstare possunt ; sed capitulum est senatus ecclesiæ, consilium episcopi necessarium et obligatum, thesaurus virorum ad omnia munia regiminis et administrationis ecclesiæ fungenda aptorum.

II. Quantum sit sapiens et considerandum Tridentini sess. 24, cap. 12, decretum ubi sic habetur : *Hortatur etiam sancta synodus, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes, et saltem dimidia pars canonicatuum, in cathedralibus ecclesiis, et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia vel jure canonico.*

Et sess. 25, cap. 5 : *Ratio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur : quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur. Idem in præbendis theologalibus, magistralibus, auctoralibus, aut presbyteralibus, quandocunque ita constituta fuerint, observetur, ut eorum qualitatibus, vel ordinibus nihil in ulla provisione detrahatur : et aliter facta provisio subreptitia censeatur.*

Quod autem ad Gallias attinet, in decreto erectionis uniuscujusque ecclesiæ cathedralis a legato Caprara die 10 Aprilis 1802 dato, statuitur : *Ut præter collationem parœciarum.... quæcunque alia cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immmutationem statutas, ... personis idoneis (conferantur)...*

Atqui Concordatum anni 1516 inter Leonem X et Franciscum I, vigens in Galliis *ante* et usque ad *regiminis immutationem*, statutum erat ut præbenda theologalis conferretur doctori, sive licentiato in theologia ; præterea ut tertia pars omnium dignitatum, personatuum, administrationum et officiorum graduatis in universatibus conferretur.

Ergo hodie in capitulis Galliarum, quando adsunt canonice graduati in theologia et jure canonico in diœcesi, collatio præbendæ theologalis et aliorum canonicatuum, aliis quam graduatis facta *subreptitia censenda est*, si saltem tertia pars præbendarum non sit collata graduatis.

III. Quam optandum est ut Christifideles exhortentur ecclesiis cathedralibus et bono diœcesis regimini consulere novis canonicatuum fundationibus ; utque episcopi zelo Dei et ecclesiasticæ disciplinæ amore incensi numerum canonicorum adaugere omnimode nitantur.

LIBER V. — DE SEMINARIIS, ET ORDINANDIS CLERICIS.

SECTIO I. — DE SEMINARIIS.

CAPUT PRIMUM.

De origine et institutione seminariorum.

I. Perantiqua sunt seminaria in Ecclesia Christi. Et Dominus noster Jesus Christus ipse dedit exemplum vocando et docendo suos apostolos et discipulos. In arabicis concilii Nicæni canonibus seminariorum vestigia fuisse a dicto concilio delineata testantur plures apud Benedictum XIV *De synod. diœces.* lib. v, cap. 11. Multa de seminariis seu ecclesiasticis scholis conciliorum decreta reperiuntur ab anno 531 in conc. Toletano II, usque ad sacrosanctum Tridentinum concilium a quo decreta fuit institutio et ultima seminariorum forma. Ante concilium Tridentinum alumni eccle-

siastici educabantur vel sub scholastro aut scholastico ecclesiarum cathedralium aut collegiatarum, vel in universitatibus et collegiis.

II. Sancta synodus Tridentina sess. 23, cap. 18 *De reformatione*, sic igitur decrevit: *Cum adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona sit ad mundi voluptates sequendas; et nisi a teneris annis ad pietatem et religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines possideat, nunquam perfecte, ac sine maximo ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseveret : sancta synodus statuit ut singulæ cathedrales, metropolitanæ, atque his majores ecclesiæ, pro modo facultatum et diœcesis amplitudine certum puerorum ipsius civitatis et diœcesis vel ejus provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in collegio ad hoc prope ipsas ecclesias, vel alio in loco convenienti, ab episcopo eligendo, alere, ac religiose educare, et ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur. In hoc vero collegio recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere, et scribere competenter noverint ; et quorum indoles et voluntas spem afferat , eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult ; nec ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur, et studium præ se ferant Deo et ecclesiæ inserviendi. Hos pueros episcopus in tot classes, quot ei videbitur, divisos, juxta eorum numerum, ætatem, ac in disciplina ecclesiastica progressum, partim cum ei opportunum videbitur, ecclesiarum ministerio addiscet; partim in collegio erudiendos, aliosque in locum eductorum sufficiet : ita ut hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit. Ut vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim atque habitu clericali semper utentur : grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent : S. Scripturam, libros ecclesiasticos , homilias sanctorum atque sacramentorum tradendorum, maxime quæ spectant ad confessiones, et rituum et cæremoniarum formas addiscent. Curet episcopus, ut singulis diebus missæ sacrificio intersint; ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, et juxta confessoris judicium sumant corpus Domini nostri Jesu Christi; cathedrali, et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant...*

1. Seminaria igitur erigenda sunt in qualibet ecclesia metropolitana vel cathedrali, et in eis tenendi et erudiendi sunt clerici adolescentes. Et etiam erigenda sunt in ecclesiis abbatialibus habentibus proprium territorium privative quoad episcopos. (Sic declarasse sacr. congr. Concilii testatur ex aliis Ventriglia, part. II, adnotat. 29, § unic. n. 2.) Contra vero negligentes in erectione et conservatione seminarii prælatos , sic statuit eadem sancta synodus, sess. 23, cap. 18 : *Quod si cathedralium, et aliarum majorum ecclesiarum prælati in hac seminarii erectione, ejusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectaverint ; episcopum archiepiscopus , archiepiscopum et superiores synodus provincialis acriter corripere, et ad supradicta cogere debeant, et ut quam primum hoc sanctum et pium opus, ubicunque fieri poterit, promoveatur, studiose curabit.*

2. Si vero non possit erigi seminarium in omni cathedrali, debent erigi duo, vel unum saltem in provincia per synodum provincialem, et debent aliæ ecclesiæ concurrere ad expensas. Concil. Trident. cit. cap. 18, ibi : *Si vero in aliqua provincia ecclesiæ tanta paupertate laborent, ut collegium in aliquibus erigi non possit, synodus provincialis, vel metropolitanus cum duobus antiquioribus suffraganeis in ecclesia metropolitana vel alia provinciæ ecclesia commodiori unum, aut plura collegia, prout opportunum judicabit, ex fructibus duarum, aut plurium ecclesiarum, in quibus singulis collegium commode institui non potest, erigenda curabit, ubi pueri illarum ecclesiarum educentur. . .*

3. In diœcesi autem ampla , seminaria plura fieri possunt , omnia tamen ab eo, quod est in cathedrali, dependere debent in omnibus, consequenter in regimine spirituali et administratione temporali et sub eodem rectore principali ; textu expresso in eod. cap. 18, sess. 23 Trident. ibi : *In ecclesiis autem amplas diœceses habentibus possit episcopus, unum vel plura in diœcesi, prout sibi opportunum videbitur, habere seminaria : quæ tamen ab illo uno, quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeant.*

4. Seminarium censetur vere et formali-

ter erectum, quoties alumni in aliqua etiam domo conducta collegialiter vivunt, et juxta formam concilii inibi erudiuntur. (*Communis et Rota.*) — Seminarium erigi non potest in ædibus canonicorum, nisi de consensu canonicorum, et ita separatum, ut presbyteri vel clerici nullam communicationem habeant cum seminaristis. (S. congr. Episcop. *in Mutinen.*, 3 Febr. 1604. — Apud FERRARIS, verb. *Seminarium*, n. 4 et 5.)

CAPUT II.

De supremo regimine seminariorum a concilio Tridentino instituto et decreto.

§ I. — De necessitate consilii deputatorum in regimine seminariorum.

Regimen tum spirituale tum temporale seminariorum pertinet ad ipsummet episcopum, sed cum necessaria adjunctione commissionum de quibus actum est in capite ultimo libri præcedentis. Tres sunt, ut vidimus, illæ commissiones a concilio Tridentino institutæ, ut forent necessarium et obligatorium consilium episcopi in seminariorum regimine : *prima* scilicet, commissio duorum canonicorum pro administratione spirituali ; *secunda* commissio deputatorum quatuor pro administratione temporali seminarii ; *tertia* commissio deputatorum pro reddenda ratione administrationis seminarii. De earumdem commissionum electione, perpetuitate et consilii necessitate jam diximus.

I. Clare sanxerunt Tridentini Patres, omnia ejusdem diœcesis seminaria tam parva quam magnum (ut in Galliis appellantur) cum eodem trium prædictarum commissionum interventu fore administranda, cum expresse statuerit, ut *ab illo uno quod in civitate erectum et constitutum fuerit in omnibus dependeant* ; hocque expressis terminis in toto eodem cap. 18, sess. 23, comprehenditur.

II. Hinc, in institutione et regimine omnium seminariorum diœcesis tam parvorum quam magni, episcopus tenetur omnino requirere consilium duarum primarum commissionum, spiritualis scilicet et temporalis, respective, alias actus non valet, cum tale consilium videatur requisitum a sancta synodo pro forma. Ita unanimis doctorum apud Ferraris, verb. *Seminarium*, n. 11 ; et habemus magistralem declarationem sacr. congr. Concil. interpretis a Crispino relatam in part. II *Visitat. pastor.* § 31, n. 6, quamque transcribemus infra. « Unde videtur posse concludi, verbi gratia, non teneri rectorem seminarii ad exsecutionem deducere ordinationem episcopalem aliquid circa mores, disciplinam institutionemve seminaristarum disponentem, si episcopus inconsultis duobus deputatis processerit. Ordinatio scilicet, utpote destituta conditione illa necessaria, invalida tunc remaneret nec obligandi vim haberet. » Ita Bouix, *De capit.* p. 476, et idem concludi debet de omnibus in quibus requiritur consilium omnium deputatorum ad formam Tridentinam ; nec rector, nec professores seminarii, nec canonici, nec sacerdotes diœcesis tenentur exsequi ordinationes episcopales pro seminario, si episcopus inconsultis deputatis respectivis processerit.

III. « Licet autem episcopus teneatur deputatorum consilium requirere, non tamen tenetur sequi. Seminarii deputati et alii officiales habent votum consultivum, non autem decisivum. » (S. congr. Concil. 1620 ; ita communis apud FERRAR. *ibid.* n. 12 et 13.) Idem colligitur ex concilio provinc. Mediolanensi V *De seminar.*, ibi : *Eorum igitur, quos episcopus delegerit, ubi illorum sententiam de re, quæ in consultationem cadit, audierit, ipse tamen deliberet, statuat et exsequatur, quæcunque pro sua pietate et prudentia, quæ coram Deo potiora atque præstantiora esse existimaverit, ad instituti seminarii optimam, tum conservationem, tum administrationem.*

§ II. — De quibusnam rebus consuli debent deputati.

1. Quoad duos canonicos commissionis spiritualis, postquam Tridentina synodus in citato cap. 18 sess. 23, statuit ab initio : *Cum adolescentium ætas* ... usque ad verba, *et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant* (supra cap. 1) sic pergit : *Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria episcopi singuli cum consilio duorum canonicorum seniorum, et graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus sanctus suggesserit, constituent, eaque ut semper observentur, sæpius visitando operam dabunt. Dyscolos, et incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter punient ; eos etiam, si opus fuerit, expellendo, omniaque impedimenta auferentes, quæcunque ad conservandum et*

augendum tam pium, et sanctum institutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt.

II. Quoad deputatorum commissionem temporalem, sic pergit sancta synodus : *Et quia ad collegii fabricam instituendam, et ad mercedem præceptoribus et ministris solvendam et ad alendam juventutem, et ad alios sumptus certi redditus erunt necessarii ; ultra ea, quæ ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis, et locis destinata, quæ eo ipso huic seminario sub eadem episcopi cura applicata censeantur : iidem episcopi cum consilio duorum de capitulo quorum alter ab episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur; itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad episcopum, alterius vero ad clerum pertineat ; ex fructibus integris . . . . . partem aliquam, vel portionem detrahent; et eam portionem sic detractam, necnon beneficia aliquot simplicia ..... huic collegio applicabunt et incorporabunt . . . . .*

III. Quoad tertiam commissionem pro redditione rationis administrationis sic pergit sacra synodus : *Rationes autem reddituum hujus seminarii episcopus annis singulis accipiat, præsentibus duobus a capitulo, et totidem a clero civitatis deputatis.*

Atqui lex Tridentina a sacra congregatione interpretata fuit ut sequitur, *in Salernitana*... Julii 1589, quam correctam et completam ex Crispino et Bouix transcribimus :

1. « An duo canonici electi ab archiepiscopo ad constituendam educationem puerorum seminarii, possint pro libito archiepiscopi mutari.

2. « An eorum consilium adhibendum, tum in constituendis regulis universalibus seminarii, electione locorum, et similibus ; an etiam in singulis rebus, ut puta electione puerorum introducendorum, electione magistrorum, librorum legendorum, confessoris, (in) punitione dyscolorum, et expulsione, visitatione (seminarii) et similibus.

3. An alii quatuor sint deputandi, et deputati adhibendi sint in consilio tantummodo in taxatione, contributione fructuum, et unione beneficiorum, et in aliis difficultatibus, ob quas seminarii institutio vel conservatio impediretur, aut perturbaretur; an etiam in exactione, et temporalium administratione, tam dicti seminarii, ut puta, deputatione vel expulsione ministrorum et famulorum temporalium, expensis quotidianis, quam etiam bonorum quorumcunque et reddituum ipsius seminarii, etiam ex beneficiis unitis, ut puta locationibus, concessionibus, aliisque contractibus, litibus, etc.

« Ad *primum* congregatio Concilii respondit *non posse amoveri, nisi ex legitima causa.*

« Ad *secundum* resp. *In omnibus his et similibus esse adhibendum.*

« Ad *tertium* resp. *Teneri episcopum adhibere deputatorum consilium, tum circa institutionem, disciplinam, et mores, quam temporalium rerum administrationem.* »

Notanda sunt ad *secundum*, hæc verba, *et similibus :* congregatio scilicet non tantum declarat requiri consilium commissionis in casibus enumeratis, sed etiam in similibus; quod congruit textui Tridentino, *quæ omnia atque alia ad hanc rem opportuna.*

Item ad *tertium*, notanda sunt hæc verba *tam circa institutionem, disciplinam et mores, quam temporalium rerum administrationem.* Congregatio scilicet declarat consilium quatuor de capitulo et clero deputatorum requiri etiam *circa institutionem, disciplinam et mores*, consequenter in electione et organisatione locorum et in electione officialium omnium, in regulis universalibus, in correctione et expulsione dyscolorum, quæ omnia pertinent ad institutionem, disciplinam et mores.

Ad commissionem pro regimine spirituali institutam pertinent attributiones sequentes, ex declarationibus sacræ Congregationis *in Mediolanensi.*

« Canonici electi ab episcopo ad constituendam educationem puerorum mutari non debent, nisi ut supra, et eorum consilium episcopi tenentur adhibere, sed non tenentur sequi; et adhibendum est in omnibus infrascriptis :

1. « In constituendis regulis universalibus seminarii.

2. « In electione singulorum introducendorum.

3. « In electione librorum legendorum.

4. « In punitione dyscolorum.

5. « In visitationibus.

6. « In electione loci.

7. « In electione magistrorum.

8. « In electione confessoris.

9. « In eorumdem expulsione.

« Alii quatuor adhibendi sunt deputati in consilio :

1. « Circa taxationem fructuum contributionis.

2. « Circa unionem beneficiorum.

3. « In difficultatibus ob quas seminarii instructio vel conservatio impeditur aut perturbatur.

4. » In omni temporali administratione seminarii.

5. « In expulsione et deputatione ministrorum seminarii, in expensis quotidianis, in provisionibus bladorum, in administratione bonorum quorumcunque ac reddituum ipsius.

« Non autem etiam in iis episcopus tenetur sequi eorumdem consilium, sed ut supra solummodo adhibere. » (Apud FERRARIS, verb. *Seminarium*, n. 91, 92 et 93; et apud PIGNATELL. t. IX, *Consult.* 81, n. 62.)

Idem decisum fuit a sacr. congr. Concilii, *in Oscensi*. Octobr. 1585, et *in Curiensi*, 1594, in quibus expresse declaravit : *Exactionem vero quæ fit pro seminario ad solum episcopum pertinere*. Et: *Præterquam in exactione, quæ ad solum episcopum spectat*. Et in *Nullius*, 1595 : *Præterquam in compulsione ad portionem seminario debitam, cujus facultas ad solum episcopum spectat;* et sæpius in *Thesauro resolut.* tom. VII, pag. 212 et seq.

Ex citatis declarationibus plene constant hæc duo :

1. Adhibendum esse consilium deputatorum de quibus agimus generatim in *tota* administratione temporali;

2. Excipi tamen exactionem taxæ. Hanc scilicet taxam imponere nequit episcopus sine consilio commissionis; at semel impositam exigere potest absque ullo ejusdem commissionis interventu. Cum vero sit nulla absque dictorum deputatorum consilio requisito, debet constare de hujusmodi requisitione omnibus interessatis per signaturam verbi gratia deputatorum.

Tandem, *in Fundana*, tom. VII, p. 213 *Thesaur. resolut.*, inter cætera fuerunt discussa duo hæc dubia :

« *Primum*. An episcopus potuerit et possit deputare rectorem aliosque officiales seminarii absque consilio deputatorum a capitulo.

« *Secundum*. An episcopus in revisione et solidatione computorum dicti rectoris debuerit sequi consilium eorumdem deputatorum.

« Die vero 26 Martii 1689 responsum fuit, ad *primum*, negative. — Ad *secundum* teneri adhibere consilium, sed non sequi. »

Non potest igitur episcopus rectorem et officiales in seminario constituere absque deputatis a capitulo. « Porro capitulum pro commissione administrationis temporalis non deputat nisi *unum* canonicum, cum alter ab episcopo eligatur. Pro commissione autem *reddendæ rationis*, deputat duos alios. Cum ergo dicatur in plurali *deputatorum a capitulo*, concludendum videtur pro nominatione rectoris et officialium requiri consilium trium deputatorum a capitulo, ac proinde duarum commissionum, nempe commissionis pro temporali administratione, et commissionis pro reddenda ratione. *Eorumdem* autem quorum consilium requiritur in nominandis rectore et officialibus, dicitur et requiri dum a rectore redditur ratio administrationis. » (BOUIX, *De capit.* p. 489.)

Ad intelligentiam præcedentis declarationis memoranda est alia declaratio his verbis : « Seminarii deputati et alii *officiales* habent votum consultivum, non autem decisivum. (S. congr. Concil. 1620 apud BARBOS. etc.; FERRARIS, verb. *Seminarium*, n. 13.) Hi officiales de quibus agitur non possunt esse ministri mere temporales et domestici, cum habeant votum consultivum, ideoque tales officiales sunt substitutus rectoris, œconomus, et alii similes ad disciplinam, mores, etc., invigilantes.

Ex præmissis igitur textibus et declarationibus potest et debet deduci ut sequitur :

1. Ad rectorem seminarii eligendum et deputandum episcopus adhibere debet consilium : 1° duorum canonicorum ab ipso electorum pro regimine spirituali; 2° octo deputatorum duarum commissionum pro administratione temporali et pro reddenda ratione. — Idem videretur dicendum de officialibus qui habent votum consultivum.

2. In institutione seminarii, electione et organisatione loci, in constituendis regulis universalibus seminarii, in omnibus quæ ad disciplinam et mores, consequenter in punitione dyscolorum et expulsione, in visitatione et similibus, episcopus tenetur adhibere consilium deputatorum duarum commissionum, scilicet spiritualis et temporalis.

3. In electione singulorum puerorum introducendorum, in electione librorum le-

gendorum, in electione magistrorum et confessoris, et similibus, tenetur episcopus adhibere consilium duorum canonicorum, quos ipse elegerit in commissione spirituali.

4. Circa taxationem fructuum contributionis; circa unionem beneficiorum; in difficultatibus ob quas seminarii instructio vel conservatio impeditur aut perturbatur; in omni temporali administratione seminarii, in expulsione et deputatione ministrorum (etiam domesticorum) seminarii, in expensis quotidianis, in provisionibus bladorum, in administratione bonorum quorumcunque ac redditnum ipsius, et in omnibus similibus, tenetur episcopus adhibere consilium quatuor deputatorum commissionis pro temporali administratione.

5. In reddenda ratione administrationis et redditnum, in revisione et solidatione computorum rectoris seminarii et œconomi, tenetur episcopus adhibere consilium : 1° quatuor deputatorum partim a semetipso, partim a capitulo et clero in commissione temporali; et 2° quatuor aliorum deputatorum ad hoc specialiter, quorum duo a capitulo, et duo a clero eligantur.

6. Tandem, in his omnibus, in suum locum vicarium generalem deputare potest episcopus.

§ III.—De commissione administrationi seminariorum præposita quoad Galliam.

Ad Galliam quod attinet, « legem modo expositam sanctæ Tridentinæ synodi, in praxim generaliter deductam fuisse, etiam in Gallia, ex multis documentis demonstrari posset et videri potest in publicatione periodica *La Correspondance romaine* (anno 1851, pag. 241 et 273) fusa eruditione evolutum. »

Certum est jus Tridentinum revixisse in integrum per Concordatum anni 1801 et ejusdem bullas, in quibus quoad capitula et seminaria, sedulo monetur et præcipitur ut in ipsis ordinandis ratio habeatur sanctionum conciliarium et sacrorum canonum.

Fatendum quidem est ex decreto 6 Novembris 1813 tit. IV, art. 62, decretam et episcopis impositam a potestate laicali fuisse commissionem pro administratione bonorum seminarii, hoc modo :

Il sera formé, pour l'administration des biens du séminaire de chaque diocèse, un bureau composé de l'un des vicaires généraux qui présidera en l'absence de l'évêque, du directeur et de l'économe du séminaire, et d'un quatrième membre remplissant les fonctions de trésorier, qui sera nommé par le ministre des cultes sur l'avis de l'évêque et du préfet.

At primo, commissio illa est tantum pro administratione temporali... cum hujusmodi commissio sit anticanonica, utpote constituta a sola potestate laicali, cui de talibus absque assensu summi pontificis decernere non licet, satis profecto erit illam solummodo adhiberi in quantum necessitas exigit ad vitanda cum gubernio intempestiva jurgia,.... nihil vero impedit quin constituantur aliæ tres commissiones legitimæ a concilio Tridentino præscriptæ. Commissioni autem gubernii poterit dari tantum communicatio eorum quæ episcopus jam cum legitimis deputatis decreverit. Sacerdotes vero commissionem hanc gubernii efformantes, si recusent pro legitimis habere administrationis actus per episcopum cum commissione canonica gestos, poterunt tanquam schismati faventes ad tribunal ecclesiasticum vocari et debitis pœnis et censuris plecti. (Ita Bouix, *De capit.* p. 500.)

§ IV. — Praxis administrandi cum prædictis commissionibus seminarii a sancto Carolo Borromæo statuta.

« Habetur perpetuo congregatio seminarii in ædibus archiepiscopalibus semel in hebdomada, feria tertia mane post divina peracta; sæpius etiam ut opus fuerit; præter eas quæ quotannis in ipsius seminarii visitatione haberi solent. Huic congregationi intersint constituti ex decreto concilii Tridentini, pro ratione materiæ de qua agendum est. In iis quæ ad mores pertinent, delecti pro moribus : in temporali administratione, electi pro temporalibus. Præter alios rector seminarii, tum etiam qui ministri aliquando vocandi erunt pro negotiis tractandis. In congregatione spiritualium rerum, ea proponantur ac deliberentur quæ ad disciplinam, mores ac studia pertinent. In temporali autem congregatione ea pertractentur quæ ad domesticas rationes, jurium conservationem, bonorum amplificationem, prædiorum et ædium instaurationem et locationem, fructuum exactionem, expensarum totius anni rationes, et quæ ad alia ejusdem generis spectant. Res omnes de quibus in congregatione inita est consultatio, ad reverend. archiepiscopum, cum ipse congregationi non interfuerit, referan-

tur; qui sive congregationi intersit, sive non, ubi deputatorum sententiam (quam tamen ex decreto provinciali sequi non cogitur) audierit, ipse deliberet ac statuat quæcunque pro sua pietate ac prudentia ad seminarii utilitatem potiora esse existimaverit. Quidquid deinde reverend. archiepiscopo videbitur, rector ipse quamprimum et diligenter exsequatur, nisi alium idem archiepiscopus delegarit. » (*Acta ecclesiæ Mediol.* t. V, p. 863.)

§ V. — Ex commissionibus pendent omnia diœcesis seminaria.

Officium dictarum commissionum extenditur ad omnia diœcesis seminaria; sequitur ex Tridentini textu : *Possit episcopus unum vel plura in diœcesi habere seminaria : quæ tamen ab illo uno quod in civitate erectum fuerit, in omnibus pendeant;* et ex contextu totius capitis 18, sess. 23.

CAPUT III.

De sustentatione temporali seminariorum.

§ I. — Quibus redditibus suppeditatur expensis seminariorum.

Sic decrevit S. Tridentina synodus, eod. cap. 18, sess. 23.

Ultra ea, quæ ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis et locis destinata, quæ eo ipso huic seminario sub eadem episcopi cura applicata censeantur : iidem episcopi cum consilio (commissionis administrationis temporalis), ex fructibus integris mensæ episcopalis et capituli, quarumcunque dignitatum, personatuum, officiorum, præbendarum, portionum, abbatiarum et prioratuum cujuscunque ordinis, etiam regularis, aut qualitatis vel conditionis fuerint, etiam exempta, etiamsi nullius diœcesis, vel aliis ecclesiis, monasteriis et hospitalibus, et aliis quibusvis locis piis, etiam exemptis, annexa, et ex fabricis ecclesiarum et aliorum locorum, etiam ex quibuscunque aliis ecclesiasticis redditibus, seu proventibus, etiam aliorum collegiorum : in quibus tamen seminaria discentium vel docentium ad commune Ecclesiæ bonum promovendum actu non habentur : hæc enim exempta esse voluit, præterquam ratione redditiuum, qui superflui essent ultra convenientem ipsorum seminariorum sustentationem, seu corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis scholæ appellantur, et omnium monasteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacunque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solvi solent, et milites cujuscunque militiæ aut ordinis pertinentibus, fratribus sancti Joannis Hierosol. duntaxat exceptis, partem aliquam, vel portionem detrahent : et eam portionem sic detractam, necnon beneficia aliquot simplicia, cujuscunque qualitatis et dignitatis fuerint, et etiam præstimonia, vel præstimoniales portiones nuncupatas, etiam ante vacationem, sine cultus divini, et illa obtinentium præjudicio, huic collegio applicabunt et incorporabunt ; quod locum habeat etiam si beneficia sint reservata, vel affecta ; nec per resignationem ipsorum beneficiorum, uniones et applicationes suspendi, vel nullo modo impediri possunt ; sed omnino quacunque vacatione, etiamsi in curia effectum suum sortiantur, et quacunque constitutione non obstante. Ad hanc autem portionem solvendam, beneficiorum, dignitatum, personatuum et omnium, et singulorum supra commemoratorum possessores, non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus solverent, retinendo tamen pro rata, quidquid pro dictis pensionibus, illis erit solvendum, ab episcopo loci per censuras ecclesiasticas, ac alia juris remedia compellantur ; etiam vocato ad hoc, si videbitur, auxilio brachii sæcularis : quibusvis, quoad omnia et singula supradicta, privilegiis, exemptionibus, etiamsi specialem derogationem requirerent, consuetudine, etiam immemorabili : quavis appellatione et allegatione, quæ executionem impediat, non obstantibus. Succedente vero casu, quo per uniones effectum suum sortientes, vel aliter seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur : tunc portio ex singulis beneficiis, ut supra, detracta et incorporata ab episcopo, prout res ipsa exegerit, in totum vel pro parte remittatur.

Ex hoc decreto : 1. Pro expensis erectionis et manutentionis seminarii applicandi sunt eo ipso eidem seminario redditus omnes, ac bona omnia, quæ ad instituendos vel alendos pueros sunt in aliquibus ecclesiis et locis piis destinata ; dummodo in illis ecclesiis et locis piis actu erectum non sit collegium puerorum, nec seminarium actu habeatur : secus enim est de tali collegio, sive alio seminario, quia illud non tollitur per Trident. decret., licet ex fructibus superexcrescentibus portio detrahatur. (S. congr. Concil., 27 Julii 1570.)

II. Ubi supradicti redditus non habentur, seu non sufficiunt pro erectione et integra manutentione seminarii, debet episcopus ex ejus episcopali mensa ratam fructuum seminario contribuere, et postea suo exemplo capitulum et cæteros beneficiatos ad id compellere ; sic de mente concil. Trident. declaravit sacra congregatio. A seminarii enim contributione nullus est exemptus, nisi qui nominatim a concilio excipiuntur, ut declaravit sacr. congr. 11 Januarii 1601.

III. Eximit autem concilium ab hac contributione facienda seminario omnia monasteria regularium Mendicantium, quorum nomine veniunt omnia monasteria Dominicanorum, Franciscanorum, Augustinensium, Carmelitarum et aliorum omnium, qui ex particularibus privilegiis summorum pontificum participant de privilegiis Mendicantium. (Communis.)

IV. Moniales non tenentur contribuere seminario ; attamen monasteria Mendicantium et monialium, si habeant beneficia unita, tenentur ad contributionem seminarii. (S. congr. Concil.)

V. Confraternitates laicorum, si habeant beneficia annexa, vel redditus, seu proventus ecclesiasticos, tenentur contribuere. (S. congr. Concil., 5 Julii 1628.)

VI. Capitulum non tenetur solvere taxam seminarii de distributionibus quotidianis. (S. congr. Concil., 5 Julii 1628.) Item non tenetur capitulum, sive alius beneficiatus solvere taxam seminarii ex emolumentis, proventibus et legatis relictis pro celebratione missarum, nec etiam ex iis, quæ in incerto et in eleemosynis et similibus consistunt. (S. congr. — Apud Ferrar., verb. *Seminarium*, n. 18 ad 44.)

VII. Ex textu Tridentino et sacræ congr. declarationibus patet quod sola beneficia, non vero personæ nisi ratione beneficii, tenentur ad seminarii contributionem. Unde, v. gr. vicarii parochiales, in Galliis, non videntur teneri.

VIII. Fabricæ tamen ecclesiarum parochialium ad hanc contributionem tenentur, etsi parochi etiam ex sua parte ratione beneficii teneantur. Capellæ publicæ tenentur etiam si habeant redditus.

§ II. — Quomodo taxa, diœcesanis pro seminariis imposita, solvitur.

I. Seminarii contributio anticipate solvenda est de quadrimestri in quadrimestre vel de semestri in semestre. (S. congr. Episc., 8 Martii 1788.)

II. Quantitas taxæ solvendæ seminario constitui debet ab episcopo cum consilio duorum deputatorum de capitulo et totidem de clero. Textu expresso Trident. taxam aliter factam solvere nulli tenentur.

III. In taxanda portione beneficiorum habenda est ratio ad onera perpetua eorumdem, et ad alias expensas necessarias a beneficiariis faciendas, quæ prius deducendæ sunt. (S. congr. Concil., 17 Novembr. 1629.)

Taxa instituenda est juxta beneficii qualitatem, loci et diœcesis ubertatem et charitatem. Alibi enim summa duorum cum dimidio pro centenario sufficit, et alibi etiam quatuor approbatur, ut decisum refert Pignatelli... novissime autem Benedictus XIII, const. *Creditæ nobis*, § 2, pro Italia statuit quod taxa nunquam minor sit scutis tribus, neque major scutis quinque pro quolibet centenario.

IV. « Taxa juxta temporum et rerum exigentiam augeri potest, ut in casu, quo redditus seminarii essent ita diminuti, ut ad victum scholarium, aliaque onera subeunda non sufficerent. »

« Ita econtra est reducenda et moderanda, si redditus beneficii taxati absque culpa beneficiati notabiliter diminuantur. » (S. congr. Concil.)

V. Si seminarium in totum vel in partem reperiatur dotatum, vel alias auctum redditibus, tunc quantum seminarium lucratum fuerit, tantumdem demi debet de taxa. (Textu expresso *Trident.*)

VI. « Episcopus potest compellere debitores taxæ seminarii ad solvendum etiam censuris aliisque juris remediis. » (Textu expresso *Trident.* et sacr. congr. Concil. *in Mexicana.*)

« Quod si episcopus denegaverit suam portionem, potest compelli et acriter corripi ab archiepiscopo, et archiepiscopus a concilio provinciali, uti etiam si adesset negligentia in seminarii erectione, ejusque conservatione. »

§ III. — De unione beneficiorum simplicium seminariis facta.

I. « Episcopus potest, imo tenetur unire seminario beneficia aliquot simplicia cujuscunque qualitatis et dignitatis fuerint sine cultus divini et obtinentium præjudicio, etiamsi essent affecta, aut in curia effectum

sortirentur. » (Textu expresso *Trident.*; Ferrar., *ibid.*, n. 48 et seqq.)

II. Ex quo aliquæ canonicales præbendæ uniri possunt seminario et etiam debent certo modo pro scholasticis seu magistris, qui tenentur in seminario docere. (Textu expresso *Trident.*, ut videbimus infra.)

III. Pro hujus unionis forma tamen requiritur primo, quod seminarium jam sit erectum et formaliter institutum ad normam Tridentinam. (Sic auctoritate Rotæ et sacr. congr. probat Garcias, *De benefic.*, part. XII, cap. 2, et multi alii apud Ferrar., *ibid.*, n. 57.)

In Galliis propter difficultates beneficiorum jam non exsistentium, et quia fructus beneficiorum curatorum sunt adeo tenues ut vix ad sustentandos possessores sufficiant, optandum foret ut episcopi imitarentur exemplum reverend. Decrousheil olim Corisopitensis episcopi, qui statuerat ut seminarium haberet in omnibus parochialium funeralibus partem vicarii, et etiam aliquam partem in omnibus capellis redditus seu oblationes habentibus; quæ aliquo modo considerari possunt tanquam unio beneficiorum simplicium seminario facta. In pluribus aliis diœcesibus quæstæ fiunt in omnibus parochialibus, in quatuor præcipuis anni festis.

Quidquid sit, omnes sive oblationes, sive redditus, ex quacunque parte proveniant administrari debent ab episcopo cum consilio commissionum Tridentinarum.

CAPUT IV.

De rectore, magistris seu præceptoribus et aliis ministris seu officialibus ecclesiasticis seminariorum.

§ I. — Prænotanda ex jure antiquo et jure Tridentino.

I. In libro V *Decretalium*, tit. V, *De magistris*, sic statuitur: cap. 1 *Quoniam Ecclesia*, in concilio Lateranensi, anno 1162, quod sic summatur :

« Ecclesia cathedralis providere debet magistro de beneficio, qui clericos ejusdem ecclesiæ, et alios pauperes gratis doceat, et vendens licentiam docendi, aut interdicens idoneum ad docendum, beneficio privatur.»

Cap. 2. *Prohibeas* præcipitur ut pro licentia docendi nihil exigi debeat, vel promitti, et exactum restitui, et promissum remitti debeat : et ut, negligente inferiore prælato, ad magistrum constituendum, suppleat superior.

Cap. 3. *Quanto Gallicana Ecclesia* (an. 1180) Alexander III, ibi : *Mandamus, quatenus, consuetudine ipsa (scilicet pecuniam exigendi* etc.) *de vestris ecclesiis exstirpata, sub anathematis interminatione hoc inhibere curetis; districte præcipientes, ut quicunque viri idonei et litterati voluerint regere studia litterarum, sine molestia et exactione qualibet scholas regere permittantur. Si qui vero hujusmodi prohibitionis vel præcepti exstiterint transgressores, eos officiis et dignitatibus spolietis.* — Ita per leges universales Ecclesiæ statuitur libertas docendi, sub ejusdem Ecclesiæ auctoritate.

Cap. 4. *Quia nonnullis*, Innocentius III, in concilio generali Lateranensi, anno 1216, innovans præcedentis concilii Lateran. 1162, statutum, sic præcipit : *Nos prædictum roborantes statutum adjicimus, ut non solum in qualibet cathedrali ecclesia, sed etiam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur magister idoneus, a prælato cum capitulo, seu majori et saniori parte capituli eligendus, qui clericos Ecclesiarum ipsarum gratis in grammatica facultate, ac alios instruat juxta posse. Sane metropolis Ecclesia theologum nihilominus habeat qui, sacerdotes et alios in sacra pagina doceat, et in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur. Assignetur autem cuilibet magistrorum a capitulo unius præbendæ proventus, non quod propter hoc efficiatur canonicus, sed tandiu redditus ipsos percipiat, quandiu perstiterit in docendo.*

Non erat igitur necesse ut magister qui etiam scholaster et scholasticus vocabatur fuerit de capitulo; poterat tamen esse canonicus, et in multis Ecclesiis hujusmodi officium in titulum beneficii canonialis et etiam dignitatis constitutum fuit. (*Thesaur. juris ecclesiast.* ab Antonio Schmidt, t. III, p. 218, apud Ferrar. verb. *Scholasticus*, n. 5; et apud Bouix, *De capit.* p. 161, qui addit : « Et quia illud obtinentes per alios suo muneri satisfaciebant, concilium Tridentinum, sess. 23, c. 18, statuit ut per seipsos explere deberent, non obstantibus consuetudinibus etiam immemorabilibus. Item decrevit ipsis necessarium fore doctoratum aut magisterium in sacra theologia vel jure canonico. »

Cap. 5. ejusdem lib. I *Decret. Super speula : Docentes vero in theologica facultate, dum in scholis docuerint ... integre percipiant de licentia sedis apostolicæ proventus*

præbendarum et beneficiorum suorum, non obstante aliqua alia consuetudine vel statuto, cum denario fraudari non debeant, in vinea Domini operantes. Et hæc decretalis semper applicata fuit canonicis docentibus.

II. Concilium vero Tridentinum, sess. 5, cap. 1, decretales de scholastris sive grammatico, sive theologo innovat aliquid immutando.

1. Sancta synodus statuit et decrevit quod in omnibus ecclesiis, in quibus præbendæ, aut præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium, pro lectoribus theologiæ deputatum episcopi et ordinarii locorum eos qui hujusmodi obtinent ad ipsius sacræ Scripturæ expositionem et interpretationem per seipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ordinariis eligendum, etiam per substractionem fructuum, cogant et compellant. De cætero vero præbenda, etc., hujusmodi nonnisi personis idoneis, et quæ per seipsos id munus explere possint, conferantur. Et aliter facta provisio nulla sit et invalida. Hujus autem lectoris electio ad quos ante concilium de jure spectabat, pertinet, quia nihil ea de re statuit concilium; ex jure vero a prælato cum consensu capituli deputari debet, nisi de jure patronatus ad alium pertineat.

2. « In qualibet autem ecclesia seu metropolitana, seu cathedrali, seu collegiata insigni non mandat constitui nisi theologum cum assignatione præbendæ proxime vacaturæ; quod si illarum proventus tenues fuerint, vel tam exigua sit clerici et populi multitudo, ut theologi electio in eis haberi non possit; tunc mandat ut saltem magistrum habeat, qui clericos aliosque scholares pauperes grammaticam gratis doceat. Atque ita concilium non mandat constitui grammaticum nisi in defectum theologi, et in subsidium ... Fateor tamen concilium non improbare, quin potius velle, ut quæcunque aliæ lectiones, vel consuetudine vel quavis alia ratione jam constitutæ, propter id minime prætermittantur, ut patet in eodem c. 1, vers. *Ita tamen.* »

3. « In electione sive theologi sive magistri grammatices, in metropolitanis, cathedralibus et collegiatis, sancta synodus non exigit capituli consensum, sed ut patet ibi *ab episcopo cum consilio capituli eligendum.* Theologus autem rite semel electus et institutus canonicus efficitur, ut declaravit sacr. congr. Concil. » Ita Fagnan. in part. 1 l. v *Decretal.* tit. *De magistris*, cap. *Quia nonnullis.*

4. Decretalem *Super specula* innovat Trident. sess. 5, cap. 1, in fine ibi : *Docentes vero ipsam sacram Scripturam, dum publice in scholis docuerint, et scholares qui in scholis student, privilegiis omnibus de perceptione fructuum præbendarum, et beneficiorum suorum, in absentia a jure communi concessis, plene gaudeant et fruantur.* — Idem dicendum est de magistris et studentibus theologiæ et juris canonici, ut sæpius declaravit sacra congr. Concilii, teste Fagnano in dicto cap. *Super specula*, ibid. num. 2 et seq. Hoc autem privilegium vindicat sibi locum tam in docentibus, quam in studentibus, et tam in theologica facultate quam in jure canonico. Quinimo censuit sacr. congregatio docentes jus canonicum in publica universitate gaudere et potiri privilegio de percipiendis in absentia suarum præbendarum fructibus, quamvis præbendæ, quas obtinent, sitæ sint in cathedrali ejusdem civitatis, in qua publici lectoris munere funguntur. » (Fagnan. in part. 1 l. III *Decretal. De præbendis.* (*Licet*, n. 8 et 9.)

Tandem sanctum concilium Tridentinum scholas in seminariis erigens sess. 23, cap. 18, ascripsit seminariis scholasterias præbendas, et firmum jus earum collationum statuit et decrevit his verbis : *Deinde, ut cum minori impensa hujusmodi scholis (scilicet seminariis) instituendis provideatur; statuit sacra synodus, ut episcopi, primates, et alii locorum ordinarii scholasterias obtinentes, et alios, quibus est lectionis munus annexum, ad docendum in ipsis scholis instituendos, per se ipsos, si idonei fuerint; alioquin per idoneos substitutos, ab eisdem scholasticis eligendos, et ab ordinariis approbandos, etiam per substractionem fructuum, cogant, et compellant. Quod si judicio episcopi digni non fuerint, alium qui dignus sit nominent, omni appellatione remota; quod si neglexerint, episcopus ipse deputet. Docebunt autem prædicti, quæ videbuntur episcopo expedire. De cætero vero officia, vel dignitates illæ, quæ scholasteriæ dicuntur, nonnisi doctoribus, vel magistris, aut licentiatis in sacra pagina, aut in jure canonico, et aliis personis idoneis, et qui per seipsos id munus expleant, conferantur; et aliter*

facta provisio nulla sit et invalida, non obstantibus quibusvis privilegiis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus.

Ex hoc decreto igitur omnes magistri sacræ Scripturæ, theologiæ et juris canonici in seminariis debent esse doctores aut licentiati respective in sacra theologia aut in jure canonico. Et talibus doctoribus idoneis debent officia, aut dignitates quæ scholasteriæ dicuntur conferri; aliter facta provisio nulla sit et invalida. Si tamen non adsint idonei doctores, permittitur aliis personis idoneis conferre scholasterias.

Præterea sacr. congr. Concil., 5 Jun. 1723, censuit canonicum theologum debere esse doctorem in sacra theologia. Et in bulla *Pastoralis* Benedicti XIII 1725, apud Ferraris, verb. *Canonicatus*, sic statuitur : *Volumus insuper ut tam illa* (præbenda theologalis cathedralis) *quam reliquæ omnes aliæ præbendæ theologales hactenus constitutæ, et deputatæ, conferri semper debeant doctori in sacra theologia, vel qui infra annum doctoralem Lauream in eadem facultate suscipiat; et cæteroquin magis idoneo in formali concursu ab examinatoribus renuntiato, eo plane modo, quo parochialis ecclesiæ conferuntur.* Ideoque non satis est ut theologiæ magistri sint licentiati, sed omnino semper esse debent doctores. Obligatio tamen concursus spectat tantum ad Italiam et insulas adjacentes.

§ II. — De pensionibus seminariorum professoribus concessis; et de scientia et aliis dotibus quæ ex istis requiruntur.

I. His positis nemo non videt quod in Galliis, omnes magnorum seminariorum professores obtineant pensiones in loco præbendarum, eodem modo ac canonici, parochi et omnes beneficiarii. Atqui sæpe sæpius sive a sacra Pœnitentiaria, sive ab alia congregatione, declaratum est tales pensiones naturam induere præbendarum et beneficiorum, quoad obligationes. Ergo in quantum fieri potest, omnes cathedræ saltem magnorum seminariorum debent semper conferri doctoribus idoneis, si adsint. Aliter facta provisio est nulla et invalida. Aliunde dictæ cathedræ sunt scholasteriæ in vero juris sensu, sunt officia, et possent esse etiam dignitates de consensu episcopi et capituli; atqui præcipit sancta synodus ut illa officia, illæ scholasteriæ nonnisi doctoribus conferantur.

Præterea sancta synodus, sess. 5, c. 1, *statuit et decrevit, quod in illis Ecclesiis in quibus præbendæ, aut præstimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum stipendium, pro lectoribus sacræ theologiæ deputatum reperitur, . . . ordinarii eos qui . . . stipendium hujusmodi obtinent* (per se ipsos docere) *cogant et compellant. De cætero vero præbendæ, præstimonium, aut stipendium hujusmodi nonnisi personis idoneis, et quæ per se ipsos id munus explere possint, conferantur. Et aliter facta provisio nulla sit et invalida.* In sess. 23, capit. 18 : *Statuit sacra synodus ut* (ordinarii has) *scholasterias obtinentes, et alios, quibus est lectionis munus annexum, ad docendum in ipsis scholis* (seminariis) *instituendos* (in futuro) *per se ipsos ... cogant et compellant. . . . De cætero vero officia, vel dignitates illæ, quæ scholasteriæ dicuntur* (id est præbendæ, præstimonia, seu alia quovis nomine nuncupata stipendia), *nonnisi doctoribus ..... conferantur.* Et sic S. synodus opus docendi quod inchoaverat in cap. 1, sess. 5, explicat, declarat et perficit in cap. 18 sess. 23.

II. Nullum igitur, præsertim post bullam Benedicti XIII *Pastoralis* et sacræ congregationis declarationes, remanere potest dubium de necessitate doctoratus in professoribus magnorum seminariorum.

Quantum igitur miserum et lamentandum est juniores scholares, qui vix aliquid de sacra theologia infra tres annos legerunt, fieri magistros theologiæ in seminariis ! hæc praxis est maxime legibus Ecclesiæ opposita et juris naturalis tum erga sanctam Ecclesiam tum erga discipulos violatio.

1. Hæc praxis est legibus Ecclesiæ opposita. (L. 1 *Decretal.* tit. VI, *De electione*, cap. 49 : *Cum in magistratum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus qui subesse non novit.* « Nota primo, ait Fagnanus, proœmium (hujus capitis) multum allegabile contra religiosos et scholares, qui gradum magisterii, seu doctoratus præpropere, et immature suscipiunt : nam miserum est eum fieri magistrum, qui formam discipuli non assumpsit, ut *hic*, et in cap. *Miserum* 4, dist. 61, ubi papa Innocentius : *Miserum est, eum magistrum fieri, qui nunquam discipulus fuit...* Debet enim esse discipulus quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quæ didicit : alias qui minime litteris operam

dedit, præceptor non potest esse litterarum, ut legitur in c. *Ordinatos* 4, dist. 59. Est enim præposterum, et impossibile prius docere, quam doceri, ut ait Baldus *in princ.*; prius ergo multo tempore addisce quæ postmodum doceas. (C. *Sic vive* 26, causa 16, quæst. 1, et cap. *Si officia*, dist. 59.) Quoniam nemo repente fit summus ... nec ipse te doceas, nec absque ductore regrediaris in viam quam nunquam ingressus es. (C. *Si clericatus* in fin. causa 16, quæst. 1.) — Ibi etiam : *Discas, quod possis docere ... ne miles ante, quam tyro, ne prius magister sis, quam discipulus.* — Cum aliis (capitibus) hic allegat. *Per Host.* in princ. Bellam. n. 2; et cardin. in 1 notab. Addunt Vincent. et Collectar. non prodesse magistro, quod millies fuerit approbatus, si aperte indignus sit.» (C. *Qui de mensa*, dist. 73, et cap. *Cum sit ars*, infra, *De ætat. et qualit.* — Ita Fagnan. in cap. *Cum in magistratum*, supra.) Et addi possunt cap. 12, *De quibusdam*, dist. 37, ubi ex synodo Eugenii papæ II præcipitur ut «magistros et doctores episcopi congruis locis constituant.» C. *Ignorantia* 1, dist. 38, ibi : «Sciant igitur sacerdotes Scripturas sanctas, et canones, ut omne opus eorum in prædicatione et doctrina consistat.» Et ejusdem distinct. per totum.

2. Hæc praxis est juris naturalis et divini violatio erga sanctam Ecclesiam quæ jus habet ut qui volunt ejusdem esse ministri præfulgeant scientia et doctrina sine quibus ministerium verbi et salutem animarum præstare non possunt; quia instituta et missa est Ecclesia ad docendum per suos ministros omnes gentes. Ejusdem juris erga discipulos violatio manifesta est; quia ad seminarium veniunt ut scientiam saltem competentem ex magistrorum lectionibus acquirant.

§ III. — Duplex genus seminariorum.

I. Seminaria sunt duplicis generis : Seminaria in quibus nullæ scientiæ præcise docentur, quorumque seminaristæ frequentant universitates et scholas publicas. Patet in his seminariis non esse necesse ut magistri seu officiales sint doctoratu aut aliis gradibus insigniti.

II. In aliis vero seminariis alumni docentur in omnibus scientiis ecclesiasticis quas etiam docent universitates; ideoque ad præscriptum Tridentinum magistri horum seminariorum debent esse doctores, sicut et professores universitatum. Alicujus vero universitatis rector esse nullus potest nisi sit doctor. De eadem congruentia videtur deducenda esse necessitas doctoratus pro rectore seminarii, in quo alumni docentur de qua multæ rationes afferri possent; quæ cum sint in omnium oculorum prompta, inutile foret eas etiam indigitare.

§ IV. — His prænotatis, quid juris sit de electione rectoris magistrorum et aliorum officialium seminarii.

I. In seminariis in quibus non docetur, quorumque alumni scholas exteriores frequentant, rector debet eligi ab episcopo cum consilio decem deputatorum trium commissionum a Tridentino concilio institutarum. Alii vero officiales ecclesiastici eligendi sunt ab episcopo de consilio duarum commissionum, scilicet regiminis spiritualis et administrationis temporalis.

II. In seminariis in quibus docentur clerici, rector debet esse doctor sive in theologia sive in jure. Ex capite 1, sess. 5 Trident. et ex jure communi, debet eligi ut scholaster ab episcopo saltem cum consilio capituli, sed etiam ex cap. 18, sess. 23 Trident. cum supracitatis sacræ congregationis interpretis declarationibus debet eligi cum consilio decem deputatorum trium commissionum. Ex jure et concilio Tridentino cap. 18 eod., potest esse canonicus et etiam dignitas capituli ut scholaster; et eximitur a residentia et facit tamen fructus suos. Votum consultivum habet in omnibus seminarii negotiis. Tenetur ad professionem fidei faciendam, quia potest docere.— Sanctus Carolus Borromæus loquendo de seminarii rectore, sic illum describit: « In se ipso eas ad vivum virtutes exprimat, quas in clericis requiret: ita ut qui illi subjecti sunt in eo tanquam in speculo, expressam videant ejus vitæ imaginem.» (*Instit. seminar.*)

III. Magistri seu professores in seminario magno docentes, debent esse doctores respective sive in sacra theologia, sive in jure canonico; et aliter facta electio seu provisio nulla est et invalida, nisi desint doctores idonei; textu expresso cap. 18, sess. 23 Trident., eligi debent ab episcopo saltem cum consilio duorum canonicorum commissionis spiritualis, et tutius cum consilio etiam quatuor deputatorum commissionis

temporalis, qui « ad collegii fabricam instituendam, et ad mercedem præceptoribus et ministris solvendam...., et ad moderanda omnia et singula, quæ ad felicem hujus seminarii profectum necessaria et opportuna videbuntur, » a sacro concilio instituti sunt. (C. 18, sess. 23.) — Possunt etiam ex jure esse canonici, et a residentia eximuntur facientes tamen fructus suos, exceptis distributionibus quotidianis. Habent votum consultivum in iis quæ ad sua munia spectant.

IV. Confessor eligendus est ab episcopo cum consilio duorum canonicorum commissionis spiritualis.

V. OEconomus ab episcopo cum consilio quatuor deputatorum commissionis temporalis est eligendus.

VI. Alii officiales seu ministri eligendi sunt cum consilio sive commissionis spiritualis, sive commissionis temporalis.

§ V. — De digna, gravi et stabili seminarii constitutione cum melioribus, tum pro clericis educandis, tum pro diœcesi fructibus sperandis.

Omnes fere viri graves, et Ecclesiæ amore zelantes, in Galliis de caduca et inconsistenti seminariorum constitutione quotidie lamentantur. Leges tamen Ecclesiæ perpulchram et dignissimam hujusmodi institutionem et constitutionem quasi præ oculis episcoporum ostendunt et ad manum afferunt. Etenim de jure episcopi cum capituli consensu possunt a jure recognitas dignitates capitulorum constituere, et canonicorum numerum augere. Ad hoc sufficit ut de capitulo consensu cum approbatione episcopi statuatur ut superior seu rector et professores seu magistri seminarii gaudeant omnibus canoniæ juribus, et pensionem quam ex seminario ipsis tribuitur habeant tanquam præbendam. Eo facili modo capitula in Galliis sex aut septem canonicis accrescerentur, absque ulla nova pro gubernio obligatione; proindeque cum integra talium electionis libertate. Rector seu superior magni seminarii, qui simul debet esse principalis rector omnium diœcesis seminariorum, *quæ* ab *illo uno, quod in civitate erectum et constitutum fuerit, in omnibus dependeant* (*Trident.* sess. 23, c. 18), posset de consensu episcopi et capituli esse dignitas capitularis, ut admittitur in eodem capite 18 Trident. Hac facili institutione capitulum decoraretur, et vere fieret utilis episcopi senatus, haberet idoneos ad sua munia viros, et consultores ad omnes capitulares commissiones proprios. Seminarium honoraretur, veram doctrinæ et scientiæ scholam perpetuam efformaret, ad quam semper recurrere in suis dubiis possent omnes diœcesis clerici. Magistri majori reverentia et honore coram discipulis præfulgerent ; ad parochiales seu alias præbendas non aspirarent, et de die in diem maturiores et doctiores efficerentur.

Hujusmodi professores canonici, de jure Tridentino eod. cap. 18, sess. 23, possent sibi eligere *substitutos ab ordinariis approbandos*, qui sub oculis titularium in magisterio sese efformarent et proficerent. Quid tunc impediret quin bulla Benedicti XIII *Pastoralis* in usu adduceretur in Galliis per concursum; ita ut concursus institueretur inter jam formatos et probatos substitutos et alios quoties opus esset successorem eligere alicui magistro titulari. Judices concursus forent deputati juxta formam Tridentinam pro administratione seminarii, adjunctis professoribus jam intitulatis et ex concursu dignior eligeretur ab episcopo judice. Et sic perpulchre adimplerentur præscripta Tridentina. Ad hujusmodi institutionis canonicitatem, necesse foret ut per statutum capituli de consensu episcopi et approbatione cathedræ et superioritas seminarii erigerentur in præbendas doctorales, quorum titulares in seminario docere in perpetuo tenerentur.

§ VI. — De parvis seminariis.

I. Superior seu rector parvi seminarii eligendus est ab episcopo cum necessario de jure decem deputatorum Tridentinorum consilio; quibus de congruentia adjungi deberet consilium rectoris magni seminarii. Rector parvi seminarii habet votum consultivum in omnibus ejusdem negotiis. Posset esse canonicus cum omnibus canoniæ juribus, et prærogativis absentiæ docentibus a jure communi et tridentino ut supra concessis.

II. Omnes alii professores, officiales et ministri ecclesiastici, eligendi sunt ab episcopo cum consilio deputatorum commissionis spiritualis pro magistris, et commissionis temporalis pro magistris et aliis. De congruentia adjungi deberet etiam consilium rectoris magni seminarii.

III. Professores saltem aliqui possent etiam

esse canonici cum omnibus canoniæ juribus, etc., ut supra.

§ VII. — De professione fidei ab omnibus magistris facienda.

Quoquomodo magistri seu professores seminariorum et rectores seu superiores eligantur, tenentur omnes a primo ad ultimum, absque ulla exceptione, fidei professionem emittere ad normam Bullæ Pii IV, *In sacro sancta*, lib. III septimi *Decretalium* tit. V.

§ VIII. — Materies studiorum.

Professores seu magistri seminariorum quorumcunque tenentur docere eas materias quas episcopus expedire judicaverit, textu expresso, cap. 18 sess. 23 Trident., ibi: « Docebunt autem prædicti, quæ videbuntur episcopo expedire. »

CAPUT V.

De ministris inferioribus seu laicis seminariorum.

I. De omnibus seminarii ministris sic præscribit sanctus Carolus Borromæus : « Alii ecclesiastici, laici alii esse debent, omnes vitæ integritate conspicui, maximeque expediret, ut eorum numero deligerentur, qui olim in seminario fuerint instituti. »

II. Ministri inferiores laici, qui quocunque modo seminario deserviunt, eligi debent ab episcopo cum necessario consilio quatuor deputatorum commissionis administrationis temporalis; in hac electione audiendi sunt etiam rector et œconomus.

III. Si contigerit tales ministros esse expellendos, dimitti nequeunt nisi ab episcopo de eorumdem deputatorum consilio.

IV. Omnes seminarii servitores, ex sancto Carolo, debent quotidie missam audire, in omnibus Dominicis et festis ad doctrinæ Christianæ explicationem convenire; omnibus primis mensis Dominicis, et festis solemnioribus anni ad sacram communionem accedere; omnibus sabbatis aut feria sexta præcedentibus sua peccata confiteri et de hac confessione attestationem confessarii in scripto referre ad ministrum; debent tandem omnem ipsis præscriptam regulam observare. (S. Carolus Borrom. *Instit. seminar.*)

CAPUT VI.

De alumnis seu scholaribus seminariorum, de eorum electione, regula, correctione et expulsione.

§ I. — De alumnorum electione et admissione.

I. Electio et admissio puerorum in seminario parvo educandorum, et eorum qui institui et doceri debent in magno seminario, ad solum episcopum pertinet cum consilio necessario duorum canonicorum commissionis regiminis spiritualis. Rector et alii episcopo benevisi possunt etiam audiri, sed electio et admissio ad rectorem seu superiorem nullo modo potest pertinere.

II. Pueri admittendi debent esse ipsius civitatis et diœcesis vel ejus provinciæ, si ibi non reperiantur... « Recipiantur, qui ad minimum duodecim annos, et ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere et scribere competenter noverint; et quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum autem filios præcipue eligi vult (S. synodus); nec ditiorum excludit, modo suo sumptu alantur, et studium præ se ferant Deo et Ecclesiæ inserviendi. » (*Conc. Trident.* sess. 23, c. 18.) Super his et aliis debent examinari ab episcopo cum advocatis examinatoribus. Et pro admissione in magno seminario pastoralis Bononiensis, part. V *De semin.* præscribit congregationem « in quam conveniebant nonnulli deputati, canonici, doctores, religiosi, allique graves et periti viri. » — Recipi non possunt in seminario clerici sine licentia ordinarii. (S. congr. Concil. *in Salernitana*, 10 Julii 1590.)

III. *Regula.* « Ut vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim, atque habitu clericali semper utentur. » (Hic agitur de pueris in parvo seminario admissis. — Trident. eod. cap. 18.) *Curet episcopus, ut singulis diebus Missæ sacrificio intersint; ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, et juxta confessoris judicium sumant corpus Domini nostri Jesu Christi; cathedrali et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant.* (*Trident.* eod. cap. 18.) Ex hoc textu S. Carolus deduxit sanctissimas regulas, quas hic referre longius esset. Sed formulam litterarum commendatitiarum, quas ut parochi darent alumnis ad seminarium reddituris post vacationis tempus, sanctus cardinalis præscripserat tenore sequenti :

« Carolus S. R. E. presbyter cardinalis tit. *S. Praxedis*, Dei, et apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Mediolani.

« Reverende Paroche. Cum hoc tempore, ut valetudinis ratio postulat, dilectis in Christo nostri seminarii clericis, ad suos

lares redeundi facultatem fecerimus, ut ingenii corporisque vires, assiduis studiorum laboribus defatigatas, per dies aliquot reficiant, instaurentve (sed ita tamen, ut relaxatio ecclesiasticam disciplinam redoleat) quo vegetiores ad intermissa litterarum studia revertantur : Joannem Perascum ejusdem seminarii alumnum, isthuc proficiscentem, his tibi litteris commendamus, atque jubemus, ut quandiu isthic morabitur, ejus totam vivendi rationem diligenter observes, atque hæc præcipue :

« An quotidie mane, et vesperi orationi vacet. An singulis quindecim diebus peccata sua probato sacerdoti confiteatur, sanctissimam Eucharistiam sumat.

« An diebus festis, missæ conventuali, reliquisque officiis in ecclesia tua, superpelliceo indutus religiose intersit, inserviatque.

« An ordines, quibus est initiatus, functiones frequenter exerceat.

« An doctrinam Christianam in ecclesia tua, horis statutis, doceat singulis diebus festis.

« An clericali vestitu talari decenter utatur, et eum jugiter deferat, tonsuramve gestet.

« An aliquod armorum genus deferat, vel quidpiam aliud, in conciliis nostris, clericis prohibitum committat.

« An cum laicis, et præsertim mulieribus versetur. Hæc et si quæ sunt alia, a te quam diligentissime animadverti volumus.

« Ubi vero redeundi tempus advenerit, tu litteris, sigillo tuo munitis, prius tamen vicarii foranei approbatione subscriptis, quidnam in singulis dictis capitibus, aut alia in re, excessus vel affectus exstiterit (super quo conscientiam tuam oneramus) sigillatim nobis cumulatissime significabis.

« Illud te admonemus, hoc nobis ita cordi esse, ut si unquam alios, hoc tempore in primis a te præstari diligentissime velimus. Datum Mediolani, etc. »

§ II. — De correctione et expulsione seminaristarum.

Ad episcopum pertinet cum consilio duorum canonicorum commissionis spiritualis corrigere et etiam in casu expellere dyscolos et incorrigibiles. Textu expresso Trident. cap. 18, sess. 23, ibi : *Dyscolos, et incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter vunient ; eos etiam, si opus fuerit, expellendo, omniaque impedimenta auferentes, quæcunque ad conservandum et augendum tam pium, et sanctum institutum pertinere videbuntur, diligenter curabunt.* Sapientissime statuit sancta synodus ut gravis correctio et præsertim expulsio seminaristarum non relinqueretur judicio nec rectoris seu superioris nec magistrorum, qui potuissent se male affectari erga aliquos juvenes aliquando inconsideratos et leviores, quorum tamen tempus et patientia indolem maturabunt, noluit sortem et vitam eorum forsan præjudiciis et præventioni committere. Ideoque tum gravem correctionem, tum præcipue expulsionem dyscolorum et *incorrigibilium* ad tribunal sapientiæ episcopi et duorum seniorum et graviorum canonicorum remisit. Itaque rector seu superior etiam de consensu et consilio aliorum magistrorum et ministrorum seminarii nullum jus, nullam auctoritatem habet expellendi quemcunque seminaristam ex quacunque causa; nec episcopus potest rectori et aliis magistris hanc potestatem tribuere, cum necessario episcopus teneatur causam examinare cum consilio duorum canonicorum, posteaque ipsemet sententiam ferre debet ; aliter lata sententia est nulla et irrita. Hocque Tridentinum statutum non tantum ad magnum, sed etiam ad parva seminaria spectat. Quæ omnia confirmantur multis supra citatis sacræ congregationis interpretis declarationibus.

CAPUT VII.

De institutione alumnorum seminariorum in ecclesiasticis scientiis et disciplinis.

I. Sic statuit sanctum concilium Tridentinum, sess. 23, c. 18 : « Ut vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur ; .. grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discent : sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias sanctorum, atque sacramentorum tradendorum, maxime quæ spectant ad confessiones, et Rituum ac cæremoniarum formas, addiscent. »

Pius IX, in sua encyclica *Inter multiplices angustias*, 21 Martii 1853 approbavit ut alumni parvorum seminariorum uterentur libris celeberrimis auctorum etiam paganorum, *ab omni labe expurgatis*.

Textum vero Tridentinum paucis omnia comprehendens, egregie evolverunt concilia Galliarum provincialia. (Concil. provi: c.

Turonensis, apud Redones celebratum anno 1849.) Concil. provinc. Burdigalensis anno 1850 vult ut *urbanitatis leges addiscant pueri, et ad quamdam morum elegantiam informentur.* (Tit. v, cap. 2.) Concilium vero provinciæ Rhemensis, tit. XVIII, c. 1 et 2, tam eximie evolvit studiorum rationem ut textum ejusdem adire exhortemur.

1. In minoribus seminariis, sic ordinem docendi statuit, *Doctrina Christiana* præcipuum locum habebit. *Quare magistri.. tironibus qui nondum divinæ mensæ maturi exstiterint, genuinum diœcesani catechismi sensum, quotiescunque utile erit, simplici interpretatione enodabunt. — Iis qui nonnihil in studiis jam progressi sunt, nec adhuc ad tertiam classem pervenere, doctrinam Christianam amplioribus explicationibus evolvent, identidem credendorum et agendorum rationes, sicuti patientur vires mentium afferendo. — Illis autem qui litteras humaniores attigerint.. Christianæ societatis historia exponenda erit.. Rhetorices, demum et philosophiæ candidatis demonstrabunt fundamenta fidei, scilicet Dei exsistentiam, divinam Christi missionem, atque catholicæ matris Ecclesiæ auctoritatem.. Denique satagant ut quæ variis in istis lectionibus, una saltem vice per hebdomadam, dicta demonstrataque fuerint, hæc auditores ore resumant, styloque enucleato consignent.*

Linguarum studium ; præscribit linguam vernaculam, Latinam et Græcam.

Auctores admittendi : Hæc in admittendis scriptoribus ratio erit, ut quæ castas mentes possunt offendere suppressa expellantur. Copiosæ sane suppeditabuntur alumnis perveterum auctorum paginæ. Sed ut eis pariter subministrentur, præsertim in scholis superioribus, non pauca e sanctis Ecclesiæ Patribus et doctoribus selecta summopere curandum erit.

Præscribit rationem tradendæ historiæ etiam profanæ.

« Præterea utile erit mathematica, necnon naturalium et physicarum rudimenta scientiarum alumnis tradere. »

Præscribit frequentes exercitationes et collationes inter discipulos, præside magistro ; tandem tradit rationem tradendi scientias philosophicas et logicas.

2. In *seminario majori*, clerici addiscent theologiam, Scripturam sacram, jus canonicum, et historiam ecclesiasticam ; quibus ex Tridentino decreto supra cit. addere oportet libros ecclesiasticos, homilias sanctorum, seu *patrologiam*, atque sacramentorum tradendorum, maxime quæ spectant ad confessiones, seu *morales theologicas*, et rituum et cæremoniarum formas, seu *liturgiam*. Methodum syllogisticam argumentationis præscribit idem concilium.

II. Libros a seminaristis legendos eligere, scientias ab ipsis addiscendas, methodum docendi determinare et eligere, juxta tamen Tridentina præscripta, ad episcopum pertinet cum necessario duorum canonicorum deputatorum consilio, et etiam cum libero consilio virorum prudentium et doctorum episcopo benevisorum.

CAPUT VIII.

De vræcedentia et servitio in divinis seminarii, et ejus administratione et visitatione.

I. Seminarium non est membrum Ecclesiæ cathedralis, licet in ea clerici seminarii officient. (S. *Rit. congr.*, 1 Septembr. 1620.)

§ I. — De præcedentia et servitio.

II. Statuit sancta synodus cap. 18, sess. 23, ut seminarii clerici *cathedrali, et aliis loci ecclesiis diebus festis inserviant.*

III. Clerici seminarii non præcedunt canonicis collegiatæ, sacr. Rit. congr. *in Fundana*, 20 Decembr. 1601 ; in processionibus præcedunt aliis clericis, ead. sacr. congr. *in Adriensi*, 21 Maii 1620 ; debent in publicis processionibus primi incedere ante clerum sæcularem, et relinquere locum digniorem curatis, ead. S. cong. in Capuana, 1 Sept. 1620.

§ II. — De administratione.

Ad rectorem pertinet administratio tam spiritualis quam temporalis seminarii, et sub eodem administratio temporalis ad œconomum devolvitur. Œconomus vero, omnibus mensibus, ex institutione S. Caroli, rationem reddituum, etc., reddere debet rectori. Rector autem et œconomus, bis in anno, eamdem rationem reddere debent episcopo cum commissione quatuor deputatorum commissionis temporalis. Et tandem, singulis annis, rationem generalem totius anni administrationis reddere tenentur coram octo deputatis ad hoc a concilio Tridentino institutis.

§ III. — De visitatione seminarii.

Sic decrevit sancta synodus sess. 23, cap. 18 : *Eaque (id est omnia a concilio de seminariis statuta) ut semper observentur, sæpius*

visitando, episcopi operam dabunt. Ut hoc visitationis frequentis decretum ad mentem sacr. concilii observaretur, sanctus Carolus Borromæus, in concilio provinc. Mediolan. decret. 25 statuit: « Episcopus ipse, tertio quoque mense saltem, nisi justa causa impeditus sit, seminarium visitet, in eoque visitationis munere, adhibitis etiam, si modo ei videbitur, aliis doctis et piis viris, tum de magistrorum diligentia, tum de progressibus, quos et in vitæ disciplina, et in litterarum studiis seminarii clerus habuerit, accurate inquirat. »

Præterea idem sanctus cardinalis duas generales visitationes seminarii quotannis præscripsit, et de hac generali visitatione sic statuit (*Institut. seminar.* c. 8): « Episcopus tum ascitis rerum temporalium deputatis, rationes accepti, et expensi diligenter inspiciat, et alia, ad temporalem administrationem spectantia, cognoscat; si quid in his omnibus innovandum sit decernat. »

De modo visitationem faciendi vide quod diximus in lib. II *De visitatione diœcesis* et qui vult plura scire, adeat Crispinum *Tratato della visita pastorale.*

CAPUT IX.

De seminariis ordinibus vel congregationibus religiosis commissis.

I. Non potest seminarium tradi regendum alicui ordini religioso vel alicui congregationi nisi interveniente auctoritate apostolica. Quia ex natura ipsa ordinum regularium et etiam congregationum, requiritur ut prælatus totius ordinis aut congregationis possit, juxta instituti sui regulas, subditos suos a muneribus amovere et his vel illis in hac vel illa domo muniis addicere. Præterea solet exigi ut libera eidem congregationi gubernatio seminarii committatur. Ut ergo hujusmodi familia curam seminarii accipere possit, derogandum est Tridentinæ legi. Porro de jure communi solus papa dispensationem in lege universali Ecclesiæ concedere potest. Juri quidem suo posset renuntiare episcopus; non autem id potest pro successoribus, nec privare capitulum et clerum jure ipsis a concilio Tridentino attributo in regimine et administratione seminarii; et hinc est quod episcopus et ordo religiosus cui committendum est seminarium, postquam pacti ad hoc iniți articulos determinarunt, pactionem illam Romam mittere solent, ut a sancta Sede confirmetur. Quæ confirmatio seu concessio omnino necessaria est et a sacra congregatione concilii impetrari solet. Ita Bouix fere ad verbum *De capitulis*, p. 493. Et confirmatur sequentibus. « Id quod dicitur, seminarii rectorem esse constituendum ab episcopo, cum consilio deputatorum, limitationem recipit quoad seminaria, quæ *legitima auctoritate* tradita sunt curæ et regimini alicujus ordinis regularis, data prælato ejusdem ordinis facultate eligendi quem maluerit ex suis religiosis in rectorem seminarii magni. (Benedict. XIV, *De synodo diœces.* l. v, cap. 11, § 9.) *Legitima*, inquam, *auctoritate*, scilicet sacræ congregationis Concilii interpretis; nam ab episcopo propria auctoritate haud potest seminarium tradi curæ et regimini alicujus ordinis regularis. Hinc episcopus civitatis Conceptionis, in America meridionali die 13 Junii 1722, hanc facultatem impetravit a mox dicta sacr. congr. » (Ferrar. verb. *Seminarium*, addit. n. 197 et seq.) Et ibidem afferuntur plura alia hujusmodi concessionis exempla, ut seminarium Romanum Patribus societatis Jesu concessum; seminarium Bononiense Barnabitis, etc.

Sic legitur in tomo XI *Thesauri resolutionum*, pagin. 111:

« Sanctæ memoriæ Clemens XI, ad cleri et civium Albanensium preces sub anno 1708, clericis regularibus scholarum piarum per litteras in forma Brevis expeditas concessit, ut ad juventutem Christianis moribus humanisque litteris probe instruendam, perpetuum seminarii in ea civitate pridem erecti regimen et curam gererent; his inter cæteras legibus constitutis, quod præter usum perpetuumque regimen et ministerium eorumdem seminarii et Ecclesiæ, in omnibus et per omnia salva remaneat in reliquis jurisdictio ordinarii, exercenda quoad seminarium juxta normam sacri concilii Tridentini et sacræ congregationis ejusdem interpretis decreta. Secundo, quod ex redditibus seminarii ipsi Patres alantur. Unus tamen et idem sit cibus et potus et unica mensa, tam illis et convictoribus quam alumnis. Tertio, singulis quibuscunque mensibus, ad instituti seminarii optimam conservationem et administrationem semel saltem coram ordinario congregatio habeatur, eique intersint canonici ad id ex norma sacri concilii Tridentini deputati, et P. rector oro tempore, qui suam de re quæ in

consultationem cadit sententiam proferat; ut inde quæ coram Deo potiora et præstantiora esse existimaverit ordinarius ipse deliberet. Quarto, ad seminarium et ecclesiam spectet quidquid eorum respective contemplatione in posterum quomodocunque provenerit. Cæterum, si quid ipsismet Patribus nominatim expressis ex donatione, legato, vel alio quocunque titulo, aut quomodolibet in futurum fuerit relictum, vel aliter ab istis acquisitum, in redditum seminarii ratione nullatenus computentur. Quinto, demum rationes redditûum seminarii eminentissimus episcopus vel ejus vicarius generalis, juxta formam a sacro concilio Tridentino præscriptam singulis annis exiget a Patre rectore et dicti seminarii ministris.»

II. Sicut episcopus propria auctoritate seminarii curam et regimen alicui congregationi religiosæ committere nequit; ita etiam non potest semel auctoritate pontificia commissum alicui congregationi regimen seminarii ab eadem congregatione tollere absque novo summi pontificis interventu; quia quod a superiore statutum aut dispensatum fuit, nequit ab inferiore abrogari aut tolli. Præterea contractum inter episcopum et dictam congregationem judicio et auctoritate pontificia sancitum et confirmatum fuit; ideoque dissolvi nequit absque ejusdem auctoritatis judicio; jus enim acquisivit congregatio ista a quo spoliari nequit absque legitimis causis et judicio tribunalis competentis.

Si vero contra jus seminarium fuerit ab episcopo alicui congregationi absque pontificia dispensatione et concessione commissum, cum istiusmodi commissio nullam pareret perpetuam obligationem, episcopus ipse aut successor ejus semper poterit plenum seminarii regimen ad se revocare, congregationem istam a seminarii regimine retrahere, et aliis rectori et magistris dictum seminarium committere.

—

Sectio II. — De ordinandis clericis.

—

Seminaria sanctissime instituta sunt ad Dei ministros Ecclesiæ præbendos; *Ita ut*, ait sancta synodus Tridentina, *hoc collegium Dei ministrorum perpetuum seminarium sit.* (Sess. 23, c. 18.) Quomodo igitur seminaristæ quasi plantæ in hoc sanctitatis et scientiæ horto cultivatæ et irrigatæ, incrementum vero a gratia Dei accipientes, fiunt Dei ministri, nunc ex sanctis Ecclesiæ legibus exponendum hic commodius videtur. Itaque inquiremus : De ordinis hierarchia a quo sit quisque ordinandus; de titulo ordinandorum; de ætate, qualitatibus et scientia ordinandorum; de examine ordinandorum et tempore ac loco ordinandi; de obligationibus ordinandorum; de juribus et privilegiis ordinandorum et ordinatorum; de potestate episcopi prohibendi ascensum ad ordines quoad seminaristas et alios; de regularibus ordinandis; de pœnis et censuris male ordinantium episcoporum et male ordinatorum clericorum.

CAPUT I.

De ordinis hierarchia.

§ I. — Definitio hierarchiæ ecclesiasticæ.

I. « Hierarchia ordinis est series personarum quæ secundum diversos gradus habent potestatem peragendi ex officio ritus sacros, aut saltem in eisdem ministrandi. Per *ritus sacros* intelliguntur in genere omnes actus cultus publici, qui nomine Ecclesiæ ex professo Deo exhibentur, specialius autem oblatio sacrificii et confectio sacramentorum, aliæque consecrationes per quas hominibus procurantur dona gratiæ cœlestis.»

« Ad theologos pertinet demonstrare quod vere exsistat in Ecclesia hierarchia ministrorum ecclesiasticorum, quæ differat a statu laicorum, seu simplicium fidelium, eo quod istis talis potestas non competat; itemque probare quod ea potestas, saltem quoad actus præcipuos, ut sacrificii oblationem et sacramentorum confectionem, conferatur per ordinis sacramentum. » (Ita Lequeux, *Manuale comp. jur. canon.* t. I, p. 537. *Vide* quæ diximus in libro I *De jure Ecclesiæ constitutivo*, cap. III, p. 188 et 238 et seq.)

§ II. — Quot sunt gradus ordinis.

De fide est ex sacr. concilii Trident., sess. 23, definitionibus :

I. Esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum; vel potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et

sanguinem Domini et peccata remittendi et retinendi. (Can. 1.)

II. Præter sacerdotium esse in Ecclesia catholica alios ordines et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tenditur. (Can. 2.)

III. Ordinem sive sacram ordinationem, esse vere et proprie sacramentum, a Christo Domino institutum. (Can. 3.)

IV. Per sacram ordinationem dari Spiritum sanctum, ac proinde efficaciter episcopos dicere : Accipe Spiritum sanctum; ac per eam (ordinationem) imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri non posse. (Can. 4.)

V. In Ecclesia catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, et ministris. (Can. 6.)

VI. Ordines ab episcopis collatos sine populi, vel potestatis sæcularis consensu, aut vocatione, legitimos et validos esse; et eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos non esse verbi et sacramentorum ministros. (Can. 7.) *Vide etiam* cap. 1, 2, 3, et 4 ejusdem sess. 23, initio. Et in capite 2 sic describitur hierarchia ordinis :

Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures, et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed etiam de diaconis sacræ Litteræ mentionem faciunt; et quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent, et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi, scilicet, acolyti, exorcistæ, lectoris, et ostiarii, in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu. Nam subdiaconatus ad majores ordines a Patribus et sacris conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.

Igitur per primam tonsuram patet aditus ad hanc sacram potestatem; quicunque ea semel initiati sunt, vocantur et sunt *clerici.*

« Numerantur exinde septem ordines, quorum ultimus, nempe sacerdotium, subdividitur in duas species, nempe sacerdotum simplicium, seu secundi ordinis, et episcoporum. » Hæc tamen est sententia theologorum.

« Secundum autem canonistas magis communiter, ordines sunt novem, videlicet septem mox assignati, et prima tonsura ac episcopatus, de quibus omnibus fit mentio in cap. *Clericos* 1, dist. 21. » Pro et contra adducuntur a theologis et canonistis varii canones. Canones vero a theologis allegati silent tantum de tonsura ut ordo; canones vero quos canonistæ afferunt, expresse et præcise declarant tonsuram esse ordinem, et sacramentum characterem clericalem imprimens; cap. *Clericos* 1, dist. 21; cap. *Cum contingat* 11, *De ætat. et qualit.*, et pluribus aliis capitibus. Variæque non spernendæ rationes, quarum universi viginti duas affert Fagnanus in cap. *Cum contingat* 11, *De ætat. et qualit.*

Canonistarum sententiæ videtur clare adhæsisse Sixtum V in constit. 91 *Sanctum et salutare :* ubi primam tonsuram appellat clericalem characterem. Et hanc canonistarum sententiam probavit etiam sac. cong. Episcop., et apertius sac. cong. Concil. apud Fagnanum loc. cit., et Ferraris, v. *Ordo.* art. 1, n. 11 et seq.

Juxta canonistas, episcopatus etiam est ordo; ex quo de eorumdem sententia, ordines sunt novem; « et hoc non sine mysterio, sed ad formam cœlestis hierarchiæ, et juxta novem ordines, seu choros angelorum.

« Et objectionibus respondetur hac ratione, quod characteres particulares singulorum ordinum insimul constituunt unum duntaxat characterem totalem, et completum ordinis. » Ferrar. ibid. n. 20 et 21.

§ III. — Variorum graduum ordinis enumeratio.

I. *Prima tonsura* quæ secundum theologos non est ordo, sed dispositio ad ordines, definitur, « quod sit signum distinctivum ministrorum ecclesiæ a plebe communi. » — Secundum canonistas autem, qui tenent primam tonsuram esse ordinem, definitur, quod sit *potestas per quam tonsuratus potest officium amare in ecclesia Dei, et redditur capax beneficii ecclesiastici et privilegiorum clericalium.* Sic in re com-

munis canonistarum. (Arg. c. *Psalmista* 20, dist. 23.) Et Pontifical. Roman. tit. *De degradatione*, ubi cavetur, quod episcopus dicat clerico degradando : « Quod ore cantasti, corde non credidisti, nec opere complevisti : ideo officium cantandi in ecclesia Dei a te amovemus. »

Materia remota primæ tonsuræ secundum canonistas est superpelliceum; proxima autem est traditio, et acceptatio ipsius superpellicei. Forma sunt illa verba prolata ab ordinante : *Induat te Dominus novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis.* (Sic FAGNAN. lib. 1 *Decret.* in cap. *Cum contingat* 11, *De ætat. et qualitat.*; et alii apud FERRAR. ubi supra, n. 24.)

II. *Ostiariatus* est *potestas, per quam ordinatus in ostiarium, potest recipere dignos, et excludere indignos ab ecclesia, et eam custodire.* (Sic in re communis.) Materia remota sunt claves Ecclesiæ, proxima est traditio et acceptatio dictarum clavium. Forma sunt verba illa ab episcopo prolata : *Sic age quasi rationem Deo redditurus pro his rebus, quæ clavibus recluduntur.* (Communis.)

III. *Lectoratus* est *potestas, per quam ordinatus in lectorem potest legere lectiones et prophetias.* Est in re communis. Materia remota est liber sacras lectiones et prophetias continens; materia proxima est ejusdem libri traditio et acceptatio. Forma, verba ab episcopo prolata : *Accipe potestatem* . . . etc.

IV. *Exorcistatus* est *potestas, per quam ordinatus in exorcistam potest expellere diabolum, ne impediat aliquem a sumptione Eucharistiæ.* (Communis.) Materia remota est liber exorcismorum; proxima, ejusmodi libri traditio et acceptatio. Forma, verba ab episcopo prolata : *Accipe, et commenda,* ... etc.

V. *Acolythatus* est *potestas, per quam ordinatus in acolythum potest accendere lumina, et portare urceolos cum vino et aqua.* (Communis.) Materia remota est duplex partialis, una est candelabrum cum cereo distincto; alia sunt urceoli vacui. Materia proxima est horum traditio et acceptatio. Forma etiam est duplex partialis, scilicet verba ab episcopo prolata : *Accipe ceroferarium* ... etc. et : *Accipe urceolos,* etc.

VI. *Subdiaconatus* est *potestas, per quam ordinatus in subdiaconum potest portare calicem cum vino ad altare, præparare necessaria ad Eucharistiam, et legere epistolam.* (Communis.) Materia remota est duplex partialis, una est calix vacuus sine vino, et patena vacua sine hostia; alia est liber Epistolarum ; materia proxima est horum traditio et acceptatio. Forma etiam est duplex partialis, verba prolata ab episcopo : 1° *Vide cujus ministerium,* . . . . etc.; et 2° *Accipe librum Epistolarum,* etc.

VII. *Diaconatus* est *potestas, per quam ordinatus in diaconum potest proxime sacerdoti in ministerio altaris assistere, et Evangelium legere.* (Communis.) Materia remota est duplex partialis, una est manus dextera episcopi imponenda super caput ordinandi ; alia est liber Evangeliorum Proxima autem est duplex partialis, una est impositio ipsius manus dexteræ facta ab episcopo supra caput ordinandi ; alia est traditio et acceptatio libri Evangeliorum. Forma autem est duplex partialis : 1° *Accipe Spiritum sanctum,* ... etc. 2° *Accipe potestatem legendi Evangelium* ... etc.

VIII. *Presbyteratus* est *potestas, per quam ordinatus in presbyterum potest consecrare corpus et sanguinem Christi, et remittere peccata fidelibus.* (Communis.) Materia remota est duplex partialis, una est calix cum vino, et patena cum hostia; alia sunt manus episcopi imponendæ supra caput sacerdotis. Proxima etiam est duplex partialis, una est traditio et acceptatio ipsius calicis cum vino, et patenæ cum hostia ; alia est ipsa ultima impositio manuum facta ab episcopo super caput sacerdotis. Forma etiam est duplex partialis, una sunt hæc verba : *Accipe potestatem offerendi sacrificium* ... etc. Alia sunt verba hæc : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseris,* etc.

IX. *Episcopatus*, qui ex dictis supra, probabilius est ordo sacramentalis ab ordine presbyterali realiter et adæquate distinctus secundum communem canonistarum et plurimorum theologorum, *est potestas, per quam ordinatus in episcopum potest conferre sacramenta confirmationis et ordinis;* id est potest conficere sacramentum, chrisma et oleum sanctum, etc., et ordinare sacerdotes et episcopos. (Est in re communis.) Materia remota est duplex partialis, una est liber Evangeliorum imponendus super cervicem et scapulas consecrandi. Alia sunt manus consecratoris,

et duorum assistentium episcoporum imponendæ super caput consecrandi. Proxima etiam est duplex partialis, una est ipsa libri Evangeliorum impositio super cervicem et scapulas consecrandi; alia est ipsa impositio manuum consecratoris, et duorum episcoporum assistentium super caput consecrandi : forma sunt illa verba quæ, dum ipsum electum consecrant, proferunt consecrator, et duo episcopi assistentes, videlicet : *Accipe Spiritum*, etc. (FAGNAN. lib. I *Decretal.* in cap. *Requisivit* 1, *De ordinatis ab episcopo qui renuntiavit*, etc.; et alii apud FERRAR. verb. *Ordo*, art. 1.)

Omnes ordines et etiam prima tonsura seu clericalis ordo fuerunt ab ipso Christo instituti juxta communem canonistarum sententiam, ut videre est apud Fagnanum et Ferraris, locis citatis. Aliqui tamen theologi negant tonsuram et minores ordines fuisse a Christo institutos. Certum est tamen pro omnibus omnes quoscunque ordines fuisse si non immediate, saltem eminenter et remote in sacerdotio institutos, sed ab Ecclesia, crescente fidelium multitudine, fuisse distincte collatos pro locorum, et temporum necessitate et opportunitate. Tutior vero et probabilior sententia, a sacro concilio Tridentino consecrata, affirmat omnes etiam minores ordines in usu fuisse in Ecclesia ab exordio.

CAPUT II.

A quo sit quisque ordinandus?

§ I. — Potestas summi pontificis quoad ordines.

Papa, ut ordinarius ordinariorum, et omnium et singulorum Christi fidelium, potest ordinare quoscunque sine dimissoriis suorum ordinariorum. (Communissima et certissima, cap. *Nunc vero* 20; cap. *Per principalem* 21, causa 9, quæst. 3, et arg. cap. *Proposuit* 4, *De conces. præbendæ*, ibi : « Qui secundum plenitudinem potestatis de jure possumus supra jus dispensare; et expresse Pius II const. 7, *Cum ex sacrorum*, ubi excipit ordinatos a summo pontifice, ibi : Præterquam si per sedem apostolicam juxta ejus stylum ordinati fuerint. » Ordinatos autem a papa nullus ad superiores ordines promovere potest sine ipsius licentia. cap. *Filium* 122, caus. 1, q. 1, et cap. *Cum in distribuendis* 12, *De tempor. ordin.* (Communis, et BENEDICT. XIV, constit. *In postremo.*) A papa ordinati præcedentiam habent super omnes alios ejusdem ordinis.

§ II. — Quibus modis quis subditus episcopi fieri potest.

I. Suos subditos possunt ordinare episcopi quoad omnes ordines, ex omnibus juribus. (C. *Illud De aliena* 2; *Si quis* 3; *Clericus* 5; *Primatus* 6; *Extraneo* 7; *Hortamur* 8, dist. 71; *Clericum alienum* 2, dist. 72; c. *Eos qui* 3; *Nullus episcopus* 4, *De tempor. ordin.* in 6; et *Concil. Trident.* sess. 14, cap. 2 et 3, *De reform.*; et sess. 23, cap. 8 *De reform.* ubi sub gravibus pœnis prohibetur, ne quis alienum seu extraneum audeat ordinare absque proprii superioris licentia.

II. Subditus episcopi quoad ordines licite ab ipso recipiendos potest quis fieri quatuor modis; scilicet ratione originis, ratione domicilii, ratione beneficii, et ratione triennalis familiaritatis seu commensalitatis cum episcopo. (C. *Cum nullus* 3, *De temp. ordinat.* in 6; et cap. 9 *De reform* sess. 23 *Trident.* — Et quoad quatuor dictos modos, quibus potest quis fieri subditus episcopi quoad ordines licite ab ipso recipiendos, adest constit. Innocentii XII edita 4 Novemb. 1694, *Speculatores*, quæ debet inservire pro quotidiana regula.

Ex his capitibus, ut quis possit ordinari ab episcopo requiritur :

1. *Ratione originis*, ut naturaliter ortus sit in ea diœcesi, in qua ad ordines promoveri desiderat; dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirum itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus patris in illo loco : quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantum, et naturalis patris origo erit attendenda. (Constit. *Speculatores*, § 9.) — Si quis autem tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, ut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc ab ordinario ejus loci litteras testimoniales obtinere debet et illas præsentare episcopo ordinanti per eum in collatorum ordinum testimonio recensendas. (*Ibid.* § 9.) — Si vero pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tandiu ac eo animo permanserit, ut inibi vere domicilium de jure contraxerit, tunc non origo patris, sed domicilium per patrem legitime, ut præfertur, contractum, pro ordinatione ejusdem filii attendi debet. (*Ibid.* n. 10.) Quomodo acquiratur domicilium, dicetur numero sequenti.

Origo matris quoad receptionem ordinum non attenditur, quia filius sequitur solummodo originem patris et non matris. (Lib. *Filius* 3, cod. De municipiis et originariis.) Si autem filius sit illegitimus, tunc si super defectum natalium dispensetur ad ordines recipiendos, debet attendi origo matris et non patris, quia de jure filii illegitimi sequuntur matrem ejusque originem. Expositus tamen, cujus parentes ignorantur, potest ordinari in diœcesi, in qua, ut supra, naturaliter ortus est. Vel si de hoc constare nequeat, potest ordinari in diœcesi loci ubi expositus est. (Communis.)

2. *Ratione domicilii.* — Ut quis fiat subditus episcopi, et ab eo ordinari possit ratione domicilii, requiritur quod illud adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit ; et nihilominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. (Cit. const. *Speculatores*, n. 11.)

Verum enim domicilium, non nuda voluntate et assertione, sed animo et facto simul constituitur... Unde domicilium contrahitur *animo* permanendi, videlicet perpetuo in tali loco, alioquin enim non contrahitur domicilium. Hinc, si quis inhabitet locum animo inde recedendi, non contrahet ibi domicilium, quamvis mille annis ibidem habitet. (Communis.) Exacto tamen alicubi decennio, si de opposito non constet, præsumptione juris censetur ibidem contractum domicilium. Sufficit autem animus perpetuo manendi in tali loco perpetuitate saltem propositi, licet postea progressu temporis hujusmodi propositum, sicuti et domicilium mutari ob supervenientem causam possit. Dummodo quoad ordines se vere et realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet, ut in cit. const. *Speculatores*, n. 11.

Si quis tamen a propriæ originis loco in ea ætate discesserit, quia potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici ; etiam ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum ordinum litteris faciendæ erit. (Const. *Speculatores*, n. 12.)

3. *Ratione beneficii.* — Ut quis ordinari possit ab alieno episcopo ratione beneficii in ejus diœcesi obtenti, requiritur quod beneficium sit ibi revera obtentum et pacifice ab ordinando possessum ; item quod tale beneficium, detractis oneribus, per se sufficiat ad congruam clerici sustentationem, adeo ut non possit defectus fructuum ejus suppleri per adjectionem patrimonii. — Item quod ordinandus ante ordinationem obtineat testimoniales litteras proprii episcopi, tam originis, quam domicilii super suis natalibus, ætate, moribus et vita, et eas exhibeat episcopo ordinanti in actis illius curiæ conservandas. — Insuper requiritur quod episcopus sic ordinans, tam de prædictis testimonialibus litteris, quam redditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum ordinum attestatione mentionem faciat. (Ita cit. constit. *Speculatores*, n. 7 et 8.)

4. Ut quis fiat subditus episcopi et ab ipso ordinari possit *ratione familiaritatis*, seu *commensalitatis*, requiritur quod, sit vere familiaris episcopi, id est dominicæ potestati episcopi vere subjiciatur, ejusque expensis tanquam domesticus commensalis continue alatur, ut cap. ultimo, *De verborum significat.* in 6, et c. 2 *De reform.* sess. 14 Trident. et const. *Speculatores* supra, n. 13. Item requiritur quod ipsum secum retinuerit per integrum et completum triennium. (*Trident.* sess. 23, c. 9 *De reform.* const. *Speculatores* n. 13.) Item requiritur quod is ante receptionem ordinum obtineat testimoniales litteras proprii, originis scilicet, aut domicilii, episcopi super suis natalibus, ætate, moribus et vita, et eas episcopo ordinanti consignet in actis illius curiæ conservandas. Item requiritur quod episcopus ordinans suum familiarem, statim, id est saltem intra terminum unius mensis a die ordinationis, quacunque fraude cessante, reipsa conferat illi beneficium sufficiens ad ejus congruam sustentationem, ac in ordinationis hujusmodi testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem faciat. (*Trident.* sess. 23, c. 9 *De reform.* et expresse quoad omnia in cit. const. *Speculatores*, 13.)

In regionibus vero ubi, sicut in Galliis, non sunt amplius beneficia, episcopi suos familiares ordinantes, ut supra, tenentur in se suscipere honestam clerici sic ordinati sustentationem et suæ diœcesi eum

aggregare sub iisdem conditionibus ac alii clerici subjecti.

Tali autem facultate ordinandi suos triennales familiares non gaudent episcopi titulares, adeoque nequeunt ipsos ordinare absque sui proprii prælati expresso consensu et dimissoriis. (Sic expresse Trident. sess. 14, c. 2 *De reform.*) Imo ordinati ab episcopo titulari sine expresso consensu proprii episcopi, ipso jure suspensi sunt donec suo proprio episcopo visum fuerit. (*Trident.*, ibid.) Et ipse episcopus titularis, ordines conferens, seu pontificalia exercens sine licentia ordinarii diœcesani, est suspensus per annum ab usu pontificalium. (Sic expresse *Trident.* loc. cit.)

Ex præfatis patet quod pro ordinibus suscipiendis possit fieri variatio de uno episcopo ad alium, si subjectus variet locum sive ratione originis, sive domicilii, sive ratione beneficii aut familiaritatis. Et sic resolutum fuit a sacr. congr. Concil. *In fundana*, 27 Februar. 1666, ibi :

« 1. An in suscipiendis minoribus ordinibus sit permissa variatio, ita ut qui ab episcopo originis, seu domicilii tonsura, aut altero ex minoribus ordinibus initiatus fuerit, possit ad alium ordinem minorem ab episcopo beneficii promoveri ?

« 2. An sit permissa variatio in ascensu ab acolythatu ad subdiaconatum?

« 3. An sit permissum subdiacono in promotione ad diaconatum, vel diacono in promotione ad sacerdotium variare?

Sacr. congr. Concil. respondit « variationem in unoquoque ex prænarratis casibus (dummodo non in fraudem fiat) licitam esse, » ut in lib. XXV *Decret.* p. 26. Sicque conciliari possunt dissidentes doctorum opiniones, ut scilicet variatio bona fide facta liceat, secus vero in fraudem, ut observat emin. Petra, t. I, ad constit. unic. Urbani II, sect. 1, n. 64; apud Ferrar. verb. *Ordo*, art. 5, n. 98.

§ III. — De litteris dimissoriis.

I. Nemo potest ordinari ab alio quam a proprio episcopo ratione originis, sive domicilii, sive beneficii, sive familiaritatis, ut mox dictum fuit, nisi de licentia et cum litteris dimissorialibus et testimonialibus ejusdem proprii episcopi, sub gravibus pœnis tam pro ordinante quam pro ordinato.

II. Litteras dimissorias pro ordinibus ab alieno episcopo recipiendis ultra Romanum pontificem, qui eas concedere potest pro omnibus ordinandis totius orbis, potest quilibet episcopus concedere suis subditis, sive is sit episcopus originis, sive domicilii, sive ratione beneficii, sive ratione triennalis familiaritatis. (Textu expresso c. *Cum nullus* 3, *De tempor. ordinat.* in 6.) Qui enim potest ordinare, potest etiam dimissorias ad ordines dare; *Glossa* ibi, verb. *Ordinandi;* arg. cap. *Potest* 67, *De regulis juris*, in 6, ibi : *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.* Et declaravit sacr. congr. Concil., 22 Januar. 1602. In supradictis omnibus tamen semper est servanda dispositio Innoc. XII, in cit. const. *Speculatores*, ut supra.

III. Vicarius generalis episcopi non potest dimissorias concedere, nisi episcopo absente, seu, si præsente, id ei concedente, alioquin enim ad hoc se non extendit ejus officium. (C. *Cum nullus* 3, § *Inferiores*, *De tempor. ordinat.* in 6, et communis.)

IV. Vicarius capitularis, sede vacante, non potest infra annum a die vacationis computandum, dimissorias concedere ; præterquam illi, qui alicujus beneficii recepti, vel recipiendi ratione arctatus fuerit; alias vicarius capitularis contraveniens, ecclesiastico subjacet interdicto. Et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudent; in majoribus vero, ab exsecutione ordinum ad beneplacitum futuri prælati, sunt ipso jure suspensi. (Sic expresse *Trident.* sess. 7, cap. 10, *De reform.*)

« Arctatus ratione beneficii recepti ad finem obtinendi a vicario capitulari etiam infra annum a die vacationis sedis dimissorias ad ordines, dicitur omnis ille qui obtinet aliquod beneficium requirens servitium personale, et ratione cujus de jure, consuetudine, privilegio, statuto ecclesiæ intra annum tenetur se ordinari facere, ut qui assumitur ad parochiam, cum is teneatur intra annum se promoveri facere ad sacerdotium. (C. 14 *De elect.* in 6.) Et qui obtinet dignitatem, seu canonicatum, seu capellaniam habens sibi adnexum ordinem, cum is teneatur intra annum ad talem ordinem se promoveri facere. (*Trident.* sess. 22, cap. 4, et sess. 24, c. 12, *De reform.*)

« Arctatus autem ratione beneficii recipiendi dicitur omnis ille, qui habet jus, seu vocatus est ad aliquod beneficium vacans requirens actu certum ordinem, quo ille

caret. Huic enim potest vicarius capitularis concedere infra annum dimissoriam pro tali ordine recipiendo, juxta Trident. sess. 7, cap. 10 *De reform.* Imo si quis nondum tonsuratus vocetur ad aliquod beneficium, potest vicarius capitularis infra annum concedere ei dimissoriam pro recipienda tonsura. » (Card. De Luca, *De beneficiis*, disc. 71, n. 7, et alii referentes sacr. congr. Concil. hac de re declarationes.) — (Ferrar. verb. *Ordo*, art. 3, n. 12 et seq.)

Post annum a die vacationis elapsum, potest vicarius capitularis, sede vacante, dimissorias omnibus concedere, vel omnes ordinare facere ab alieno episcopo. In quibusdam tamen regionibus, ut in dominiis regis Sardiniæ, id non potest absque consensu capituli. (Ex instruct. Benedict. XIV, dependenter a Concordatis Benedict. XIII.)

V. Abbates aliique exempti, licet in parochos et parochianos jurisdictionem quasi episcopalem privative ad episcopum habeant, nequeunt suos subditos sæculares ordinare nec illis litteras dimissorias ad ordines suscipiendos concedere. (*Trident.* sess. 23, c. 10 *De reform.*) Neque ipse episcopus tanquam abbas, nec alius prælatus loci potest subditis sæcularibus nullius diœcesis concedere litteras dimissorias, sed has debet concedere episcopus vicinior (Ex pluribus sacr. congr. Concil. decretis, apud Ferrar. verb. *Abbas*, n. 26; et verb. *Ordo*, art. 3, n. 53.)

VI. Dimissoriæ ab episcopis aliisque ordinariis dirigi non possunt abbatibus regularibus sub pœna suspensionis a collatione ordinum, præter alias pœnas arbitrio sacræ congregationis reservatas, tam contra concedentes quam contra ordinantes. Decretum sacr. congr. Episcop. et Regul., 3 Novemb. 1593, et expresse declaravit sac. congreg. Conc., 13 Nov. 1641; quam declarationem fel. rec. Urbanus VIII, die 17 Jan. 1642 approbavit et inviolabiliter observari jussit. Imo talis ordinatio abbatum conferentium ordines minores sibi non subditis, licet cum dimissoriis sui superioris, esset irrita et invalida, ut, eminentissimo card. Giptio referente, decrevit sac. cong. Epis. et Reg., 27 Junii 1631. (Ferrar. verb. *Abbas*, n. 22 et 23.)

§ IV. — Valide, sed non licite, quis a quocunque episcopo consecrari potest.

Etsi non licite, tamen valide potest quisque a quocunque episcopo etiam valide consecrato ordinari absque speciali dispensatione seu privilegio, aut extra tempora, vel ante legitimam ætatem, aut sine litteris dimissoriis. (Communis.) Quod *illicite* conferantur et recipiantur ordines sic collati, patet ex toto tit. *De temporibus ordinationum*, et multis aliis capitibus juris, et Trident. sess. 14, cap. 2, *De reform.*, sess. 23, cap. 8 et 13 *De reform.* et alibi; const. Pii II, *Cum ex sacrorum*; Urbani VIII, *Secretis*; Innocentii XII, *Speculatores*, et aliis. — Quod *valide* adhuc conferantur et suscipiantur, clare constat ex variis sacris canonibus, et signanter ex cap. *Consultationi* 16, *De tempor. ordin.*; c. *Cum quidam*; 8, c. *Quod translationem* 11; c. *Vel non est compos* 14, ejusdem tituli; c. *Sæpe contingit* 1, etc.; *Eos qui* 2, eod. in 6, et communis.

CAPUT III.

De impedimentis quibus prohibetur et conferre et suscipere ordines, et de irregularitatibus et censuris quoad ordines suscipiendos.

§ I. — De impedimentis quoad validitatem.

I. Ad valide recipiendos ordines, necesse est quod ordinandi sint masculi; feminæ enim sunt omnino incapaces recipiendi ordines, ut desumitur ex cap. *Mulieres* 19, dist. 32; et cap. *Nova* 10, *De pœnit. et remiss.*, et tenent communissime omnes doctores catholici docentes hoc esse de jure divino, et ordinatione Christi, cum ipse nullam feminam, imo ne propriam quidem Matrem ordinaverit, quamvis fuerit dignior et excellentior universis apostolis. Vide Apostolum, *I Cor.* xiv, 34; et *I Tim.* ii, 11.

II. Item ad valide recipiendos ordines requiritur, quod ordinandi sint baptizati; baptismus enim est fundamentum et janua omnium sacramentorum novæ legis. (C. *Cum itaque* 112, *De consecrat.*, dist. 4; C. *Veniens* 3, *De presbytero non baptizato*; c. *Si quis per ignorantiam* 59, causa 1, quæst. 1.) Unde in c. *Si quis presbyter* 1, *De presbyt. non baptizato*, expresse statuitur: *Si quis presbyter ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur.*

III. Item ad valide recipiendos ordines requiritur, quod ordinandi adulti habeant debitam intentionem virtualem saltem externam, et voluntatem ipsos recipiendi, unde invalide suscipiunt ordines omnes adulti, inviti vel non voluntarii, utpote vel animo repugnante, vel ficte, et simulate tantum ipsos recipientes. (Communis.) Quod si quis coactus gravis mali metu animum intendat ad suscipiendos ordines, ut malum illud vitet,

tunc utique ordinatio valet. Si vero recipiat absque intentione interna, profecto ordinatio non valet. Nec valet etiam, si habuerit animum indifferentem, id est, nec voluntatem suscipiendi et non suscipiendi ordines. Pro invaliditate hujus ordinationis refertur decretum sacr. congr. Benedict. XIV, *De sacrif. Missæ*, lib. VII, c. 10, n. 12.

IV. Super his impedimenits quoad validitatem nemo potest dispensare.

§ II. — De impedimentis quoad liceitatem ordinationis ; seu de irregularitatibus et censuris.

I. *Enumerantur omnes irregularitatis species.* — Irregularitas est inhabilitas seu impedimentum canonicum quo quis inhabilis redditur ad primam tonsuram et ordines suscipiendos, vel ad susceptos exercendos.

Irregularitas est duplex, totalis et partialis. Totalis est quæ omni ordine suscipiendo et suscepti omni exercitio privat, ut est illa proveniens ex homicidio vel bigamia. Partialis est quæ privat solum aliquo ordinum exercitio. (C. *Presbyterum*, *De cleric. ægrotante.*)

Irregularitas alia est ex delicto, et alia est ex defectu. Irregularitas ex defectu contrahitur sine culpa, cum sit a jure imposita ob solam indecentiam quam aliquis defectus affert sacro altari et ministerio. — Irregularitas vero ex delicto ad hoc, ut contrahatur, requiritur actus externus consummatus. (C. *Si quis non iratus*, causa 15, quæst. 1.)

Notandum est quod nulla irregularitas unquam incurritur nisi sit in jure expressa, ut clare desumitur ex cap. *Is qui*, *De sent. excom.* in 6, ubi habetur : « Licet in hoc temere agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit. » Hinc in dubio sive juris sive facti potest quis tenere quod non sit irregularis, cum sit melior conditio possidentis et pro tali dubio nulla reperiatur in jure imposita irregularitas. — Excepto in dubio de homicidio, in quo dubitans an vere homicidium commiserit, tenendus esset irregularis : c. *Ad Audientiam* et c. *Significasti*, *De homicidio*, ubi expresse statuitur quod sic dubius non debeat in sacris ministrare nec celebrare, præcisis verbis : « Cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, et in hoc casu cessare sit tutius quam temere celebrare. »

II. *Irregularitas ex delicto est multiplex, et enumerantur casus in quibus incurritur.* —

1. Evadunt irregulares ex delicto hæretici et apostatæ a fide (c. *Presbyteros*, dist. 50; c. *Qui in aliquo*, dist. 51); et eorum receptores, et fautores, et defensores (c. *Quicunque*, *De hæreticis*, in 6); et eorum filii usque ad secundam generationem ratione hæresis patris, et usque ad primam ratione hæresis matris, nisi parentes ante mortem abjuraverint hæresim. (C. *Statutum* 15, *De hæretic.* in 6.)

2. Evadunt irregulares iterantes serio et scienter baptismum, et rebaptizati. (C. *Ex litterarum*, tit. 9, lib. V *Decret.*; et c. *Confirmandum* 65, dist. 50.) Per rebaptizationem occultam non solemnem probabilius non incurritur irregularitas, colligitur ex c. *Ex litterarum.* Rebaptizans, vel rebaptizatus ex metu sine intentione, vel sub conditione, etsi temere et culpabiliter fiat, probabiliter non fiunt irregulares. Ignorantia culpabilis tamen hos non excusat ; secus si inculpabilis. (S. Liguor. lib. VII, cap. 5, n. 356.) Irregulares sunt adulti qui scienter sinunt se ab hæreticis extra casum necessitatis baptizari. (C. *Eos quos* 118, *De Consecrat.* dist. 4; et cap. *Afros* 3, dist. 98; et can. *Ventum est* 18, causa 1, quæst. 1.) Insuper qui differt baptizari usque ad mortis periculum. (C. *Si quis* 1, dist. 57.)

3. Evadunt irregulares clerici censuras temere violantes ; v. gr. si excommunicati, interdicti, vel suspensi, ordinum munera exerceant, divinis scienter se ingerendo, scienter celebrando in loco interdicto in casibus non permissis. (C. *Si quis episcopus* 6 et 7, causa 11, quæst. 3, cap. *Is qui* 18, et *Is cui* 20, *De sent. excom.* in 6.)

Notandum 1° quod suspensus a suo ordinario extrajudicialiter sine scriptis, si celebrat, non fit irregularis. (S. congr. Concil. *in Vercellen.*, 18 August. 1703.) Secus autem si fuerit suspensus juridice. (Monacell. tom. IV, Supplem. ad tom. III, n. 6.) — Irregularis non fit violans censuras nullas. (S. congreg. Concil. sæpius.) — Irregularis non est ministrans in ordine suscepto, postquam appellavit a sententia excommunicationis contra ipsum lata. (S. congreg. Concil. sæpius ; apud Ferrar. verb. *Irregularitas*, art. 1, n. 36, 37.)

Notandum 2° quod qui celebrat innodatus excommunicatione minori, non incurrit irregularitatem. (C. *Si celebrat*, *De cleric. excom. min.*) Imo nec irretitus excommunicatione majori, si exerceat actum ordinum minorum, adhuc solemniter et ex officio...

nec si exerceat actum ordinum majorum, sed non solemniter, id est diaconus sine stola, subdiaconus sine manipulo... nec qui canit solemniter officium, nisi sit hebdomadarius capituli... nec qui concionem habet... nec qui exercet actum non ordinis, sed jurisdictionis, scilicet si episcopus excommunicet, si parochus assistat matrimonio.

Notandum 3° : ad incurrendam hanc irregularitatem requiri, ut censuratus scienter actum ordinis exerceat, quia illa tantum ob contemptum censurarum imposita est. Episcopus vel alius sacerdos censuratus cogens alium ad celebrandum coram se, fit irregularis ex c. *Illud*, *De cleric. excom. min.* — (S. Liguor. lib. VII, c. 5, n. 358.)

Notandum 4° : at clerici ab exercitio sui ordinis suspensi, si ab eo se abstinuerint, esto absque prævia absolutione ad altiorem ordinem transierint, quanquam id agant sacrilege, irregularitatem non incurrunt, quæ est magis communis sententia. (Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. XII, c. 2, n. 6.)

Notandum 5° : ab hac autem irregularitate tantum pontifex potest absolvere, vel episcopus, si sit occulta; et prælati regulares cum suis religiosis, etiamsi sit publica..... Imo etiam cum sæcularibus... ex privilegiis Mart. V et Julii II.

Notandum 6° : quod si quis celebret in ecclesia polluta, non fit irregularis; fit vero qui celebrat scienter in loco interdicto, quia jam violat censuras per exercitium ordinis. (C. *Is qui* 18, *De sent. excom.* — S. Liguor. lib. VII, c. 5, n. 358.)

4. Evadunt irregulares indebite et male ordines suscipientes, scilicet suscipiendo furtive sine episcopi ordinantis scientia et voluntate, non vocati, nec legitime examinati, nec admissi, nomen alterius approbati et admissi usurpando, vel alium in examine sub suo nomine dolose supponendo. (C. *Veniens*, de eo qui furtive ordines suscipit. — Aliqua censura irretiti, ordines suscipiendo. (C. *Cum illorum*, *De sent. excom.*) — Per saltum ordines suscipiendo, ut subdiaconatum, omisso ostiariatu, etc. (C. *Sollicitudo*, dist. 52.) — Absque dispensatione canonica ante ætatem legitimam, vel extra tempora a jure statuta, vel absque dimissoriis litteris aliquem ex sacris ordinibus suscipientes, et durante suspensione eo ipso contracta, in iisdem ordinibus ministrantes. (C. *Dilectus*, *De tempor. ordinat.*; Pii II const. *Cum ex sacrorum.*) — Ab episcopo excommunicato, schismatico, hæretico denuntiato, suspenso, interdicto, seu non habente jurisdictionem ordines recipientes. (C. *Cum clerici* 2, *De ordinatis.*) — Ab episcopo qui renuntiavit episcopatui. (C. *Statuimus*, causa 1, quæst. 1; c. *Convenientibus*, vers. *Constantinus*, causa 1, quæst. 7.) — Conjugati præsumentes suscipere sacrum ordinem, etiam nondum consummato matrimonio. (Extravag. *Antiquæ consecrationi*, *De voto et voti redemptione.*) — Suscipientes plures ordines sacros eodem die. (C. *In Singulis*, et c. *Quicunque*, dist. 57.)

5. Evadunt irregulares exercentes solemniter et scienter actum ordinis sacri quem non habent, ut clerici in minoribus exercentes solemniter et scienter et adhibitis eorum insignibus, ordines majores. cap. 1 et 2. *De clerico non ordinato ministrante.* — Clerici et subdiaconi solemniter baptizantes. (C. 1, *De cleric. non ordin. minis.*) Item probabilius diaconus solemniter baptizans, absque commissione episcopi vel sacerdotis. (S. Liguor. lib. VI, cap. 1, n. 116.) — Diaconi nondum sacerdotes missam celebrantes. (C. *Ex litteris* 2, *De cleric. non ordinat. minist.*) Nondum sacerdotes serio et sacramentaliter alios a peccatis absolventes...; non sacerdotes benedicentes sponsis...; sicuti etiam diaconi benedicentes aquam solemniter cum hoc munus ad sacerdotem spectet. (C. *Aquam*, *De consecrat.* dist. 3.) Non episcopi confirmantes et ordines conferentes... Imo etiam episcopi promoti per saltum, si conferant illum ordinem quem ipsi ratione saltus non receperunt... — Laici etiam exercentes actus majorum ordinum. (Ex cap. 1, *De cleric. non ordinat. minist.*); quidquid dicant alii, evadunt irregulares. Et suam sententiam bene probat, hic Ferraris, verb. *Irregularitas*, art. 1, n. 11

6. Evadunt irregulares, ita ut nequeant ad ordines promoveri, omnes enormiter criminosi, si eorum crimina sint notoria et publica quæ habent annexam infamiam, ut sunt Sodomia, incestus, raptus virginis, maleficium, veneficium, adulterium, simonia, sacrilegum, perjurium in judicio, crimen læsæ majestatis et alia hujusmodi enumerata, cap. *Infames*, causa 6, quæst. 1, ubi sic concluditur : « Hi omnes, inquam, nec ad sacros gradus debent provehi. Notanter dicitur, *si eorum crimina sint notoria et publica;*

quia, si sint occulta, excepto homicidio, non inducunt irregularitatem. Ex cap. *Ex tenore* 4, et cap. ultim. *De tempor. ordinat.*, ubi expresse habetur: «Si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii) post pœnitentiam in jam susceptis vel suscipiendis ordinibus impediri.»

7. Evadunt irregulares homicidæ voluntarii, quamvis occulti. (C. *Suscepimus, De homicidio*; c. *De cætero*, dist. 5; *Trident.* sess. 14, c. 7, *De reform.*) — Homicidium mandantes. (C. *Si quis vidua* 8, dist. 59.) — Etiamsi mandatum revocaverint, si revocatio non innotuit mandatario; et etiam, si occasione sui mandati occidatur ipse mandatarius. (Arg. c. ultimo, *De homicid.* in 6.) — Et eam incurrunt mandantes aliquem verberari, licet expresse inhibeant ne occidetur vel mutiletur, si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occidat... (Cap. *Is qui, De homicid.* in 6.) — Homicidium injustum efficaciter consulentes. (C. *Si quis viduam*, dist. 50; et cap. *Sicut, De homicid.*) — Etiamsi consulentes ante homicidium suum consilium revocaverint... Unde si plures communi consensu conspiraverint in mortem alicujus, et is ab uno tantum sit occisus, nec sciatur a quo sit ictus inflictus, sunt omnes irregulares. (Cap. *Significasti* 18, *De homicid.*) — Si plures sine prævia deliberatione et sine communi consensu occidendi in subita rixa eumdem aggressi fuerunt, nec scire possit a quo lethale vulnus sit inflictum, etiam tunc pro foro externo omnes sunt irregulares. (C. *Ad audientiam*, et c. *Significasti, De homicid.*) — Si vero sciatur quis illum occiderit, tunc solum iste erit irregularis. (Eisd. cap.) — Irregulares fiunt, obligati ex justitia impedire homicidium et non impedientes. (C. *Sicut* 6, *De homicid.*) — Procurans abortum fœtus animati, secuto effectu est irregularis, (C. *Sicut ex litterarum. De homicid.*)

Si patronus beneficii rectorem interfecerit, ejus filii post homicidium nati, non vero ante, et descendentes usque ad quartum gradum fiunt irregulares et patronatum amittunt. (Benedict. XIV, *De synod. diœc.* lib. XIII, c. 14.)

8. Evadunt irregulares mutilatores; mutilare enim et occidere, quoad incurrendam irregularitatem æquiparantur. (Ex Glossa, in Clement. *Si furiosus, De homicidio.*) — Dummodo mutilatio inducat separationem et truncationem membri alicujus principalis habentis in corpore humano distinctum et peculiare officium, ut manus, pedis, brachii, nasi, auris, etc., (C. *Clerici vel monachi*; c. *In archiepiscopatu, De raptoribus*, et cap. final. dist. 55.) — Et ideo abscissio digiti, cartilaginis, excussio dentis, etc., non est mutilatio sufficiens ad inducendam irregularitatem (Glossa citat. in Clement. *Si furiosus*); abscindens tamen digitum pollicem aut indicem debet petere dispensationem ad cautelam. (S. congr. Concil., 19 Junii 1687.) Irregulares etiam evadunt mutilantes seipsos, aut mutilationem sine justa causa procurantes in quacunque parte sui corporis, aut castrari permiserint, etiamsi ex zelo indiscreto. (C. *Si quis abscidit*, et c. *Hi qui se*, dist. 55, et c. *Significavit* 4, *De corpore vitiatis.*)

Mutilationem autem patientes ignoranter, ut pueri secti in infantia, *invite*, ut violenter a latronibus vel barbaris mutilati, vel ad evitandum gravius malum corporis de consilio medicorum, non fiunt irregulares, quia cessat hic ratio incurrendi irregularitatem, puta perversa voluntas et sævitia in seipsum; c. *Si quis a medicis*, dist. 55, et cap. 3 et 5 *De corporis vitiatis.*

9. Occidens alium ad vitæ suæ defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non fit irregularis: Clement. *Si furiosus, De homicid.*, ubi expresse dicitur illum non incurrere irregularitatem, « qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem. » Requiritur tamen ut non possit aliter vitare mortem: nam si potest sese defendere absque invasoris occisione et mutilatione, et nihilominus occidat vel mutilet, fit irregularis; requiritur ut fiat in injusta aggressione actualiter repellenda et non ex mera vindicta; secus fit irregularis. (C. *Significasti* 18, *De homicid.*; c. *Ut famæ* 35; cap. *Si vero, De sent. excom.*)

Occidens aggressorem ne fugiendo ignominiosæ timiditatis notam incurrat, fit irregularis, ex Alexand. VII, qui 24 Sept. 1665 damnavit propositionem hanc secundam in ordine: « Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.»

Fiunt irregulares omnes occidentes, de quibus mentio habetur in damnatis propositionibus: primo ab Alexand. VII, 18ª pro-

positio: « Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damna evitare.» — Secundo 17ª propositio: « Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minitantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, aut suppetere non videtur si calumniator sit paratus, vel ipsi religioso, vel ejus religioni, publice et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur; » et ex declaratione Innocentii XI, qui die 2 Martii 1679 damnavit hanc propositionem, 30 in ordine. « Fas est viro honorato occidere invasorem qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.»

Occidens invasorem bonorum propriorum fortunæ etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ, fit irregularis. (Arg. ex cap. *Si furiosus* Clement..; c. *Significasti*, *De homicid.* et *Suscepimus* 10, ejusdem tit.)

Occidens aliquem propter defensionem proximi, quantumvis propinqui, ut patris, matris, filii, uxoris, fratris, etc., licet non peccet occidendo, tamen incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis, quidquid sentiant aliqui in contrarium. (Ita Ferrar. verb. *Irregularitas*, art. 1, n. 11, et probat suam sententiam.)

10. Dantes operam rei licitæ, et adhibita diligentia debita, ne mors aut mutilatio sequatur, non evadunt irregulares si aliquis casu interficiatur. — Dantes autem operam rei licitæ, et non adhibentes debitam diligentiam ne mors seu mutilatio sequatur, evadunt irregulares, si ex defectu debitæ diligentiæ aliquis casu interficiatur aut mutiletur. Colligitur ex c. *Hi qui arborem*, dist. 50; c. *Presbyterum* 7; c. *Continuabitur* 8, *De homicid.*)

Dantes operam rei illicitæ, etiam adhibita diligentia ne homicidium sequatur, eo secuto, evadunt irregulares. (Expresse habetur cap. *Suscepimus* 10; c. *De cætero* 11; c. *Dilectus* 13; c. *Joannes* 23, et c. final. *De homicid.*; et cap. *Sententiam* 9, *Ne clerici vel monachi*). Declarantur irregulares clerici in sacris constituti, et monachi, exercentes medicinam vel chirurgiam, et mortem alicui casualiter inferentes, non obstante peritia et adhibita diligentia ad ipsam evitandam, præcise per hoc quod clerici et monachi chirurgiam et medicinam exercentes extra casum necessitatis, dant operam rei illicitæ.

Ex homicidio vel mutilatione casuali irregularis evadit ebrius qui ex proposito se inebriavit, licet sciret se consuevisse in ebrietate arma sumere et homines percutere, colligitur ex cap. *Si constiterit* de accusationibus. — Dormiens, sciens se dormiendo consuevisse a lecto surgere, ensem evaginare, et ferire, si diligentiam non adhibuit claudendo ostium vel removendo arma. (Colligitur ex cap. *Ad audientiam*, *De homicid.* — Tenens animalia consueta nocere, ut ursum, leonem, etc., si ab eis quis interficiatur ex quo ipsos non custodierit debito modo ligatos. (Colligitur ex c. *Hiqui arborum;* c. *Sæpe contingit*, dist. 50.) — Laicus chirurgus vel medicus, si propter suam imperitiam vel negligentiam moriatur infirmus. (Colligitur ex c. *Tua nos*, *De homicid.*) Et in casu dubii an ex sua negligentia vel imperitia decesserit, habendus est ut irregularis; (Habetur expresse cap. *Ad aures*, *de ætat. et qualit. ordinand.*) — Medicus et chirurgus, sive laicus sive ecclesiasticus, præbens infirmo medicamentum quod nescit vel saltem dubitat an ei acceleraverit mortem, debet se habere pro irregulari. (Ut habetur expresse in cap. *Petitio tua*, *De homicid.*)

11. Assignantur qui evadunt vel non evadunt irregulares ex homicidio commisso auctoritate publica et juridica, vel in bello. Omnes physice vel moraliter concurrentes ad mortem malefactorum ex defectu lenitatis evadunt irregulares. (C. fin. *Ne clerici vel monachi*, in 6; c. *Si quis viduam;* c. *Clericus*, dist. 50.) Ut omnis judex, sive clericus, sive laicus, qui fert vel dictat sententiam mortis aut mutilationis in reum, effectu secuto. (C. *Ex litteris* 10, *De excessibus prælatorum;* et c. *Sententiam* 9, *Ne clerici vel monachi.*) Excipiuntur tamen papa, inquisitores et judices ecclesiastici, seu prælati jurisdictionem temporalem habentes. (C. *Licet vitanda*, *De election.;* c. *Ubi periculum* 4, eod. in 6.) Inquisitores hæreticæ pravitatis, etiamsi hæresis reos ad pœnas jure statutas, etiam mortis, condemnent, non evadunt irregulares, ex privilegio, favore fidei eis concesso per Paulum IV et Pium V. Et judices ecclesiastici, seu prælati jurisdictionem tempo-

ralem habentes, licet per se ipsos sententiam mortis vel mutilationis ferre non possint, possunt tamen tales aliis delegare jurisdictionem criminalem et causas sanguinis. (C. final., *Ne clerici vel monachi.*) — Irregulares evadunt assessores et consiliarii qui vel judici in ferenda sententia assistunt, vel suo suffragio aut consilio juridice promovent, advocati, accusatores, testes contra reum in causa criminali pœnam sanguinis inducente (jurati, *jurés*). — (Arg. c. *Aliquantos* dist. 51, c. *His a quibus* 30, caus. 25, quæst. 8.) Notarii sententiam sanguinis scribentes, dictantes, vel subscribentes, legentes, sigillo authenticantes, publicantes; reum pro confessione torquentes, sententiam exsequentes, ut carnifices, lictores, satellites, reum ad supplicium ducentes, accelerantes, effectu secuto; hi enim omnes vere propinque ad pœnam sanguinis concurrunt. (Colligitur ex c. *Sententiam, Ne clerici vel monachi;* arg. c. 1, dist. 51; c. *His a quibus* 30; c. *Si quis membrorum* 31, caus. 23, quæst. 8.)

Quamvis autem incurratur irregularitas accusando, denuntiando, vel voluntarie testificando criminaliter, et in causa sanguinis coram judice laico, non incurritur tamen accusando, seu denuntiando solum ex causa civili pro proprio interesse, etiamsi crimina essent de iis quibus debetur pœna sanguinis, dummodo accusator expresse protestaverit se non ad pœnam sanguinis, sed præcise ad suum justum interesse accusare. . . (Ex cap. *Postulasti* 21, *De homicid.;* cap. *Prælatis* 2, eod. in 6.) Advertendum tamen hanc exemptionem irregularitatis habere locum in causa propria accusatoris tantum, non autem in aliena.

Clerici et religiosi non possunt coram judice laico criminaliter in causa sanguinis esse accusatores. (C. *Sicut sacerdotes*, causa 2, quæst. 7.) Nec testes (c. *Testimonium*, causa 11, quæst. 1); nisi ad innocentis liberationem, de licentia suorum superiorum. — Nec judices (nec jurati, *jurés*) — (c. *His a quibus*, causa 23, quæst. 8). — Nec notarii seu scribæ. (C. *Sententiam* 9, *Ne clerici vel monachi.*) Et si hæc præstiterint, non solum irregularitatem incurrunt, sed etiam grave peccatum committunt, cum in re gravi canonum præscripta transgrediuntur. (Argum. c. *Postulasti* 21, *De homicid.*) Laici tamen hæc præstando, irregulares fiunt defectu lenitatis, sed non peccant, nulla lege id eis prohibente.

Clerici theologi, et canonistæ, seu confessarii non incurrunt irregularitatem, si consulti in genere tantum respondeant, et explicent quid jura statuant de hujusmodi malefactoribus, nil suadendo circa reum in particulari. (Glossa communiter recepta in cap. *Ex litteris* 10, *De excess. prælat.*)

In bello manifeste injusto, sive offensivo, sive defensivo, licet pauci occidantur seu mutilentur, vel etiam unus solus occidatur vel mutiletur, evadunt irregulares ex delicto omnes militantes, quamvis non omnes suis manibus occidant vel mutilent, quia omnes ad homicidium seu mutilationem cooperantur, et constituunt unam causam totalem ad eam occisionem vel mutilationem, cum omnes ad invicem sese excitent ad illam. (Argum. c. *Sicut dignum* 7, *De homicid.;* c. *Quod in dubiis* 5, *De pœnis.*)

In bello autem manifeste justo, sive offensivo, sive defensivo, evadunt irregulares ex defectu lenitatis solum occidentes vel mutilantes propriis manibus. Pugnantes autem et neminem occidentes vel mutilantes non fiunt irregulares, licet ab aliis multi occidantur vel mutilentur. (C. *Petitio tua* 24, *De homicid.;* c. *Si quis* 4, dist. 51; et doctores communiter.) Nec etiam evadunt irregulares, si aliquos ipsi vulnerent et percutiant solum, dummodo non occidant, nec mutilent. (Cit. cap. *Petitio tua.*) Ob solam enim vulnerationem et percussionem non reperitur in jure imposita ulla irregularitas, adeoque non contrahitur, cum ista non contrahatur, nisi sit in jure expressa. (C. *Is qui* 18, *De sent. excomm.*) — Clerici tamen, si sint in sacris vel beneficiati, peccant mortaliter pugnando in tali bello aggressivo, quamvis justo, cum eis sit absolute prohibitum propriis manibus pugnare in bello offensivo, quamvis justo. (C. *Eos qui* 3, causa 20, quæst. 3; c. *Clerici* 5; et c. *Quicunque ex clero* 6, causæ 3, quæst. 8, et c. *Ex multa* 9, *De voto.*) Clerici tamen non peccant pugnantes in bello justo ob necessariam defensionem sive sui et suorum, sive patriæ.

12. « Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. » (Textu expresso, c. *Si furiosus*, Clement. unic. *De homicid.*)

An autem si infans, ante septennium completum, plenumque usum rationis habeat, ac sit capax, et occidat hominem, fiat irregularis? Negant plures; at vero probabilior est sententia affirmativa... Si autem legitime dubitetur, an infans cum homicidium commisit, fuerit doli capax necne, et habuerit usum rationis sufficientem ad peccandum mortaliter, probabilius censendus est irregularis; cum in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, ut ad rem statuit Clemens III, in cap. *Ad audientiam* 12, *De homicid.*, ac Innocentius III in cap. *Significasti* 18, eod. ibi : *In dubio tanquam homicida debet haberi sacerdos, et si forte homicida non sit, a sacerdotali officio abstinere debet, cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temere celebrare.* — Et id certius tenendum est de puero ætatis decem, vel circiter annorum, si non adhibuit debitam diligentiam ad evitandum homicidium, quamvis reputetur casuale. (c. *Pueris grandiusculis* 1, *De delictis puerorum;* et Glossa in cap. *Referente* 2.)

Hinc clericus, qui sese exercens cum sclopeto hominem, quem non videbat, occidit; seu venando telum in feram misit, et hominem occidit, irregularis est, etiamsi adhibuerit omnem diligentiam. (Communis apud Ferrar. verb. *Ordo*, art. 2, n. 42.) — Irregularitas ob homicidium casuale saltem indirecte voluntarium in casibus supra expressis consimilibus incurritur ab Homicida, quamvis ob id non fuerit a tribunali laicali condemnatus, sed innocens declaratus. (Id. *ibid.* n. 52.)

13. Irregularitates ex defectu sunt multæ et assignantur. Prima est ex defectu animæ, ratione cujus irregulares sunt amentes, lunatici, et furiosi, licet habeant aliquod lucidum intervallum. Epileptici, seu laborantes morbo caduco. (C. *Maritum* 2; c. *Communiter* 3, dist. 33.) Dæmoniaci, seu obsessi a dæmone. (C. *Clerici* 4, dist. 33.) Omnes tamen isti si a sua respectiva ægritudine liberati fuerint, possunt susceptos ordines respective exercere, si constet eos per integrum annum ab ultimo lapsu non amplius fuisse correptos. (C. *Communiter.*) Imo amentes, seu furiosi constantia lucis intervalla habentes, et epileptici, quamvis nondum perfecte sanati, si raro cadant et deficiant, possunt privatim celebrare cum assistentia unius sacerdotis jejuni, qui missam prosequi posset si alter deficeret, ut colligitur ex cap. *Illud* 15; cap. *Nihil* 16, causa 17, quæst. 1. — Clericus qui levi epilepsia semel affectus fuit, et deinde per plures annos amplius dicti morbi signa non dedit, non est irregularis, et promoveri potest. (S. congr. Concil. in *Turretina*, 9 Jul. 1704; apud Monacelli t. II, tit. xiii, formul. 3, n. 36.)

Ex defectu animæ irregulares sunt etiam illitterati. (C. *Illitteratos*, dist. 36, ubi Glossa notat sufficere scientiam mediocrem.) Trident. autem, sess. 23 et 22, præscribit scientiam competentem pro prima tonsura et unoquoque ordine usque ad episcopatum inclusive, ut infra dicemus; qui talem competentem scientiam non habet, irregularis est etiam jure naturali; unde cum eo nequit dispensari, nisi scientiam deficientem acquirat.

Irregulares etiam sunt ex defectu animæ omnes neophyti, scilicet primo, qui nuper exsistentes in adulta ætate a paganismo, judaismo, et atheismo convertentur ad fidem catholicam. (Ex c. *Sicut Neophytus*, dist. 48; et c. *Neophyti*, *De consecrat.* dist. 5; c. *Miserum*, dist. 61.) *Secundo*, qui cum diu fuerint sæcularibus curis addicti, recenter a sæculari vita promoti ad ecclesiasticam, statim sine mora contendunt ad sacros ordines, et dignitates ecclesiasticas promoveri, isti enim sunt vere irregulares, nec possunt ad ordines et dignitates sic promoveri. (Ex iisdem cit. et c. *Qui ecclesiasticus*, dist. 59; c. *Hoc ad nos*, dist. 60; c. *Sacerdotali*, dist. 61.) *Tertio*, qui a sæculo recenter conversi sunt ad religionem aliquam, et nondum anno probationis elapso contendunt ad ordines et dignitates promoveri, isti etiam sunt vere pro tali tempore irregulares quoad ordines suscipiendos et dignitates in religione acquirendas, ut expresse habetur in cap. *Monasteriis* 19, dist. 3.

Secunda, ex defectu corporis, ratione cujus irregulares sunt omnes qui ita sunt corpore vitiati, ut absolute non possint peragere ordinis ministeria, vel si aliqualiter possunt, non sine aliorum horrore, ut colligitur ex cap. *Illitteratos*, dist. 36; cap. *Presbyterum;* c. *Tua nos*, *De clerico ægrotant.*) Sic irregularis est manu mutilatus; deformiter gibbosus. (C. *Hinc etenim* dist. 49.) Claudus nequiens sine pede ligneo vel sine baculo incedere. (C. *Nullus episco-*

pus, *De consecrat.* dist. 1. Oculo orbatus, seu cui oculus erutus est, si absque notabili deformitate canonem legere nequeat. (C. *Si evangelica* 13, dist. 55.) Et omnes notabiliter impediti aliquo usu membrorum. (Eod. cap. et tot. tit. *De corpore vitiat.*) — Si autem quis aliquem defectum corporalem habeat qui neque notabilem deformitatem contineat, ita ut scandalum in celebratione non causet neque exercitium celebrationis impediat, talis non est irregularis. Unde si reipsa alicui erutus esset unus oculus, et alius, v. gr. vitreus ita artificiose esset compositus ut vix adverti posset, docet Sylvius, part. I, verb. *Irregularitas*, casu 1, talem non fore irregularem, quia, quando in jure dicitur quod qui amisit oculum sit irregularis, causa est uti communiter explicant doctores, quia in hoc est deformitas; ergo si nulla adsit deformitas, non sequeretur inde irregularitas. Sic Lacroix lib. VII, n. 500; et cum aliis Layman lib. I, tract. V, part. V, cap. 7, in cujus summario. n. 2, sic præcise dicit : « Unius oculi etiam sinistri privatio sine notabili deformitate irregularem non efficit. » Sic qui caret visiva virtute in oculo sinistro, sive canonis, et tanta pollet virtute in dextro, ut sine deformi faciei conversione possit legere canonem, non est irregularis, et ut commodius possit legere, potest Missale tanto magis ad medium altaris attrahere et sibi approximare. (Ita multi apud Ferrar. verb. *Irregularitas*, n. 12.)

Advertendum tamen est quod si defectus corporis absque propria culpa superveniat post susceptos jam ordines, tunc ordinatus non redditur ex toto irregularis, sed solum quoad illum actum ordinis quem ob talem corporis defectum, vel nullo modo, vel saltem non sine aliqua notabili deformitate exercere potest. (Ex cap. 2, *De clerico ægrotante.*) Si autem talis defectus jam reperiatur in laico antequam sit promotus, licet sit duntaxat celebrationem impediens, ut defectus pollicis seu indicis, sacræ hostiæ fractionem impediens, non potest absque dispensatione promoveri ad ordines, etiam minores. (Ex cap. *Non confidat*, dist. 50.)

Tertia, ex defectu lenitatis, ratione cujus sunt irregulares omnes qui directe concurrunt ad mortem aut mutilationem, etiam justam effectu secuto, ut judices sententiam mortis vel mutilationis pronuntiantes, accusatores sine protestatione, testes ultronei et voluntarii, notarii sententiam scribentes, dictantes, subscribentes, legentes; assessores, consultores, advocati et omnes ministri justitiæ sententiam exsequentes. (Ex c. *Aliquantos*, dist. 51, et c. *Si quis viduam*, dist. 50.) Et omnes pugnantes in bello injusto, et etiam justo, in casibus supra enumeratis. (*I Paral.* XXII, 9, 10.) Quia non perfecte imitantur lenitatem et mansuetudinem Christi.

Quarta, ex defectu natalium, ratione cujus irregulares sunt omnes illegitimi, ut filii naturales, id est nati ex soluto et concubina; mamzeres, id est nati ex meretrice; nothi, id est nati ex conjugato et soluta; spurii, id est nati ex copula a jure civili damnata, ut ex incestu, stupro, raptu et sacrilegio. (C. *Per venerabilem*, *Qui filii sint legitimi*; c. 1 et final. *De filiis presbyterorum*; c. *Innotuit*, *De elect.*; et ex *Concil. Trident.* sess. 22 *De reform.* cap. 2, sess. 23, cap. 5.) — Illegitimi tamen qui per subsequens matrimonium legitimantur, non sunt irregulares (Arg. cap. *Conquestus*, et c. *Tanta*, *Qui filii sint legitimi*), sicuti etiam non sunt irregulares aliquam religionem intrantes, tunc enim illegitimi possunt ad sacros ordines promoveri, licet non ad prælaturas, ut expresse habetur cap. 1, *De filiis presbyterorum*. Filii expositi reputantur pro illegitimis; in jure enim reputantur illegitimi qui nequeunt parentes suos ostendere, per textum cap. 1, *De infantibus expositis*.

Illegitimi sunt irregulares ex defectu, adeoque ordinum et beneficii incapaces; attamen pro minoribus ordinibus et beneficium non habentibus annexam animarum curam, potest episcopus cum iltis dispensare; nonnisi vero Romanus pontifex in aliis omnibus, ut ex cap. *Si qui*, *De filiis presbyter.* in 6; Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. XIII, c. 24. — Hinc ad rem notanda sequentia.

Filii illegitimi clericorum consequi non possunt beneficia et pensiones in ecclesiis in quibus parentes eorum obtinuerunt aliquod beneficium, licet dissimile, neque in eisdem ecclesiis ministrare : neque tandem pensionem habere ullam super fructibus beneficiorum quæ ab eorum parentibus possessa sunt. (*Trident.* sess. 25, cap. 15, *De reform.*)

Quinta, ex defectu sacramenti, scilicet

matrimonii : matrimonium enim consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia per carnis assumptionem, juxta Apostolum ad *Ephes.* cap. v. Hæc autem significatio deficit in bigamis; ideoque irregularitatem incurrunt omnes bigami (c. *Ut Bigami;* c. *Super eo, De bigamis*), sive sint bigami bigamiæ veræ, id est qui contrahunt et consummant matrimonium cum pluribus uxoribus (c. *Debitum*, *De bigamis*, et c. ultim. dist. 34); sive sint bigami bigamiæ interpretativæ, id est qui contrahunt et consummant cum vidua, vel cum corrupta ab alio (c. *Maritum*, dist. 33, c. *Si cujus;* et c. *Si laici*, dist. 34); sive sint bigami bigamiæ similitudinariæ, id est qui post votum solemne castitatis emissum in religione approbata, vel post receptionem sacrorum ordinum matrimonium quamvis invalidum contrahunt et consummant... (C. *Nuper a nobis* 5; c. *Quosquos;* cap. *Monacho* causa 27, quæst. 1, et cap. ultim. *De bigamis non ordinandis.*)

Hanc autem irregularitatem non incurrit qui prius cum pluribus fornicatus est, et postea virginem ducit. (C. *Quia circa, De bigamis.*) Nec eam incurrit qui contrahit cum vidua in articulo mortis constituta ad ejus honorem tuendum, cum qua antea rem habuerat, si matrimonio consummato vidua decesserit, ut declaravit sacr. congr. Concil. *in una Burgen.* bigamiæ, remissa ad pœnitentiariam 17 Julii 1688. Nec qui ducit feminam prius a se solo corruptam (Glossa in c. *Sane* 1, *De cleric. conjugato*, et in c. *Debitum*, *De bigamis* et communiter.)

Sexta, ex defectu libertatis, ratione cujus irregulares sunt servi proprie dicti seu mancipia. (C. *Nullus* 1; c. *Nulli* 2; et cap. 6, dist. 54; et cap. *Consuluit, De servis non ordinandis.*) Famuli autem illi qui pro annua mercede dominis suis inserviunt, in sensu juris non sunt irregulares. Sunt etiam irregulares obligati ad ratiocinia, ut qui generalem aliquam rerum sæcularium administrationem habent vel habuerunt, et exinde principalibus suis ad reddendas rationes sunt obstricti, ut sunt procuratores, rectores, tutores, syndici, officiales, fiscales, curiales publici, et hujusmodi. Isti enim ordinari non possunt nisi deposito onere, seu relicto officio, atque reddita ratione. (C. *Curiales*, dist. 53; c. *Unico*, *De obligatis ad ratiocinia.*)

Quia tamen clerici possunt esse tutores et curatores suorum agnatorum : et etiam administratores rerum ecclesiarum, pupillorum, viduarum, aliarumque miserabilium personarum quæ potissimum indigent ecclesiastico adjutorio. (C. *Pervenit*, dist. 86; et cap. 1, causa. 21, quæst. 3.) Ideo etiam talia munia et officia gerentes, et adhuc perseverantes, possunt ad ordines promoveri, ut notat Glossa in cap. *Unico de obligatis ad ratiocinia.*

Septima, ex defectu legitimæ ætatis, ratione cujus irregulares sunt omnes qui nondum habent legitimam ætatem ad susceptionem ordinum requisitam, quandiu durat defectus.

Octava, ex defectu bonæ famæ, seu ex infamia. Et hæc irregularitas duplici modo contrahitur, ex culpa et sine culpa. — Infamia cum propria culpa est illa quæ oritur ex delicto enormi et notorio. (c. *Infames*, causa 6, quæst. 1.) Et de ista satis fuit dictum supra, de irregularitatibus ex delicto.

Irregularitas ex infamia sine culpa est quæ contrahitur ex exercitio artium vel officiorum ex jure infamium, vel alio modo sine culpa, ut sunt histriones, mimi, comœdi, filii publicæ meretricis quamvis conjugatæ, et omnes in scena ludentes; aleatores publici, et pro ludo mutuantes, per textum in cap. *Inter delictos*, *De excessibus prælat.;* aurigæ, gladiatores, cursores, citharœdi, lyristhæ, saltatores, caupones, per ea quæ tradit Clemens V, Clement. 1, *De vita et honest. cleric.;* macellarii, satellites, cloacas emundantes; pelles expurgantes, ut habetur in cit. Clement. 1; et ibi Glossa, omnes istas artes enumerans. Omnium horum tamen irregulares non sunt filii, ut habetur ex Anthero papa in Epistola ad episcopos Boeticos præcisis his verbis : *In episcoporum negotio prosapiam non agnosco; apostolicus ordo hoc probat, et tot pontificum et episcoporum numerus, qui, vilibus parentibus nati dignissime sacerdotio functi sunt.* (Qui uberiorem supradictorum notitiam desiderat, adeat Ferrar., *Biblioth.* verb. *Irregularitas*, art. 1, n. 14, ubi adduntur varii speciales casus a sacris congregationibus resoluti. Eumdem auctorem secuti sumus.)

Notandum super irregularitatem ex delicto : Ad incurrendam irregularitatem ob crimen, necesse est ut crimen sit externum

et consummatum, sive publicum, sive occultum; verior etenim sententia universe irregularitatem incurri ob crimina etiam occultissima.

2. Ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiritur scientia legis Ecclesiæ prohibentis, ut tenet sententia communissima et probabilior; excepta tamen irregularitate ex homicidio, quia est etiam irregularitas ex defectu lenitatis.

3. An ad incurrendam irregularitatem ex delicto requiratur etiam scientia pœnæ, id est irregularitatis?

Prima sententia negat; secunda sententia vero affirmans satis etiam probabilis videtur. — (Ita S. Liguor. lib. VII, cap. 5, n. 349 et seqq.)

III. *Irregularitatis effectus* sunt specialiter tres. Primus est inhabilitas seu impedimentum ad licite primam tonsuram et ordines suscipiendos. Irregulares tamen qui recipiunt ordines, recipiunt valide, sed mortaliter peccant. Secundus effectus est inhabilitas seu impedimentum ad exercendos quoscunque ordines, si sit totalis; vel aliquem tantum, si sit partialis. Irregularis potest tamen absque peccato recipere omnia alia sacramenta, excepto ordine. Possunt etiam irregulares licite exercere quoscunque actus sacros, qui non sunt ordinum, ut missæ privatæ ad modum laici deservire, baptizare sine solemnitate et privatim, officium divinum recitare, cantare et psallere ad modum laici, conciones habere. (*Communis.*) — Tertius effectus est inhabilitas seu impedimentum ad beneficia recipienda; et collatio irregularibus facta, est nulla et invalida; ex multis capitibus, et unanimis. Irregularitas non inhabilitat tamen ad beneficia antecedenter obtenta retinenda; ideoque irregularitas non inducit beneficii antecedenter obtenti privationem, nisi per judicis sententiam; ut colligitur ex cap. *Ex litteris, De excessibus prælatorum.*

IV. *De irregularitatis dissolutione et dispensatione.* — Quatuor modis tollitur irregularitas :

1. Per cessationem causæ, si irregularitas sit ex defectu, v. gr. ætatis, ignorantiæ. (Arg. cap. ultimo *De tempor. ordin.* cap. *Neophytus*, dist. 61.) Et in obligato ad publica ratiocinia statim ac ab ipso sunt redditæ rationes, cessat irregularitas, arg. cap. unico *De obligat. ad ratiocinia.* — « Cum quis est irregularis ob infamiam, si infamia sit *popularis*, tollitur per emendationem, ex cap. 3 et 18, dist. 56. Si est infamia *facti*, tollitur per mutationem loci. Si vero infamia est *juris*, scilicet per sententiam judicis, tunc ad eam tollendam omnino requiritur dispensatio. (S. Liguor. lib. VII, c. 5 n. 352.)

2. Per baptismum tolluntur irregularitates ex delicto, uti homicidii, mutilationis, etc. (Arg. cap. *Si quis viduam*, dist. 50.) Non tamen tollitur per baptismum irregularitas orta ex bigamia, ut tenent plures, et expresse habetur in cap. *Acutius*, dist. 36.

3. Per professionem religiosam; per hanc enim tollitur irregularitas orta ex defectu natalium quoad ordines suscipiendos, non tamen quoad dignitates et prælaturas, ut expresse habetur cap. 1 *De filiis presbyterorum.*

4. Per dispensationem, et per hanc Papa potest tollere quascunque irregularitates, sive ex delicto, sive ex defectu provenientes; papa enim potest dispensare in omni jure ecclesiastico. Et notandum est quod, si dispensaretur a Papa super aliqua irregularitate sine justa causa, dispensatio erit valida (quamvis non licita); si vero dispensaretur ab inferiore, erit et amplius nulla.

Archiepiscopi in actu visitationis et in causis appellationis, virtute concilii mox citandi possunt dispensare in irregularitate occulta subditos suorum suffraganeorum: tunc enim fiunt sui subditi, ut cum plurimis tenet Barbosa, *De offic. et potest. episcop.* part. II, alleg. 39, n. 10.

Episcopi dispensare possunt cum suis subditis et in sua diœcesi in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario injusto et ex animo patrato, et aliis deductis ad forum contentiosum, ex Trident. sess. 24, *De reform.* cap. 6. Hinc possunt dispensare in irregularitate ex homicidio occulto causa defensionis, non servato moderamine inculpatæ tutelæ, quia hujusmodi homicidium volitum non in se, sed causa necessariæ defensionis non comprehenditur sub homicidio voluntario, ut cum multis tenet Barbosa, *De officio et potest. episcop.* part. II, alleg. 39, n. 53 et 54. Et in omni homicidio casuali occulto. Possunt etiam dispensare in irregularitate orta ex mutilatione occulta licet voluntaria, cum hæc in jure non sit excepta. Non possunt tamen dispensare super irregularitate ex defectu leni-

tatis absque delicto. Probabilius tamen non possunt dispensare in irregularitate contracta ex hæresi occulta, ut colligitur ex cap. *Cum illorum* 32, *De sent. excom.*, ubi habetur quod episcopi non habent facultatem dispensandi in illis casibus in quibus non habent facultatem absolvendi; sed hodie per bullam *Cœnæ* est abrogata episcopis facultas absolvendi ab hæresi occulta. Circa irregularitates autem provenientes ex defectu, episcopi possunt dispensare etiam quoad ascensum ad sacros ordines in sola irregularitate proveniente ex bigamia similitudinaria, ut tenet communis ex cap. *Sane, De clericis conjugatis*, et cap. 1, *Qui clerici vel voventes*. Non possunt autem in irregularitate ex bigamia vera et interpretativa. Communis ex cap. *Super eo*, et c. *Nuper*, *De bigamis*.

Potest episcopus dispensare in irregularitate occulta ob reiterationem baptismi; in suspensione, vel in irregularitate occulta ob duos ordines sacros, vel acolythatum cum subdiaconatu, eodem die susceptos; cum irregulari ob administrationem in ordinibus male susceptis, si sit occultus; cum irregulari ob exercitationem ordinum quos non habebat, ut exerceat susceptos, ac alios suscipiat, modo delictum sit occultum; item super suspensione et irregularitate contracta ab eo, qui ante legitimam ætatem ordines suscepit. In suspensione contracta ab eo qui ordines suscepit dum vinculo censuræ obstrictus esset. Item in suspensione contracta a conjugato suscipiente ordinem sacrum. Item cum suspenso ob ordines furtive susceptos. Item in suspensione occulta, quam quis contraxit recipiendo ordines sine litteris dimissoriis. Item cum eo, qui ordines minores suscepit ab episcopo qui renuntiavit episcopatui. Item cum eo, qui per saltum promotus ad ordines celebravit. Item cum simoniaco occulto. Item super irregularitate contracta ab excommunicato celebrante, quando excommunicatio est occulta, licet celebratio sit manifesta. Sic quoad omnes supradictos casus cum pluribus aliis Barbosa in concil. Trident. sess. 24, *De reform.* cap. 6, n. 11 ad 22 et n. 29. Dummodo in omnibus delictum sit occultum, ut etiam alii passim tenent doctores. (Ferrar. verb. *Ordo*, art. 2, n. 66, et verb. *Irregularitas*, Additiones Casinenses.)

« Occultum autem quantum ad hoc dicitur, quod probari non potest; unde, ubi delictum probari potest per duos testes, occultum non est, nec absolutus et dispensatus est tutus in conscientia. »(Ut declaravit sacr. congr. Concil., apud Ferrar. verb. *Ordo*, art. 2, n. 67.)

In casibus quomodocunque occultis ex nova lege post conc. Trident. sedi apostolicæ reservatis, nequeunt episcopi dispensare et absolvere, ut expresse declaravit sacr. congr. Concil. (Teste Fagnan. lib. I *Decretal.* in cap. *Dilectus* 15, *De tempor. ordinat.* n. 30 et 37.)

Capitulum, sede vacante, probabilius eamdem habet potestatem dispensandi et absolvendi concessam episcopis a Tridentino, sess. 24, *De reform.* c. 6. Nam licet illa facultas videatur concessa episcopis jure speciali, tamen competit ei jure communi et jurisdictione ordinaria ei tributa; et sic tenent Barbosa et alii plurimi apud eum, *De offic. et potest. episc.* part. II, alleg. 39, n. 16.)

« Prælati inferiores episcopis jurisdictionem quasi episcopalem habentes, quamvis habeant proprium territorium et subditos, non gaudent prædicta facultate dispensandi et absolvendi concessa episcopis a concilio Tridentino, sess. 24, *De reform.* cap. 6, quia concilium in hac parte derogat juri communi.

« Prælati regulares, licet a Trident. non habeant facultatem dispensandi concessam episcopis, eamdem tamen habent in suos subditos per concessionem variorum pontificum et præcipue sancti Pii V, const. *Romani pontificis*, pro prælatis ordinis Prædicatorum; amplissimum privilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto et etiam ex defectu et ex quavis causa, præterquam homicidii voluntarii, bigamiæ et mutilationis membrorum, concessit prælatis ordinis Minorum Sixtus IV, in bulla *Magni maris* incip. *Regimini*, uti etiam in bullis *Maris magni* aliorum Mendicantium reperitur concessum, et signanter præpositis generalibus societatis Jesu, dispensandi, tam per se quam per alios a Paulo III, 18 Octobr. 1549 const. *Licet debitum*. »(Ferrar. verb. *Irregularitas*, art. 3, n. 14 et seqq.)

« Quod vero ad sæculares, docent (multi...) posse confessarios regulares dispensare in omnibus irregularitatibus in quibus possunt dispensare episcopi cum subditis suis, ex privilegio Sixti IV in bulla 9, Minimis con-

cesso, et confirmato a Julio II in sua constit. quæ incipit, *Dummodo ad sacrum ordinem* (ut testatur Peyrin...) : ibi confessariis illorum concessa facultas *ab omnibus excommunicationibus, suspensionibus et interdictis, et super quacunque irregularitate ordinaria, tam a jure quam ab homine reservatis, toties quoties opus fuerit absolvendi et dispensandi ac vota quæcunque permutandi, sicut potest diœcesanus.*» (S. Liguor. lib. VII, cap. 5, n. 355.)

Major pœnitentiarius in casibus occultis et pro foro conscientiæ tantum dispensat in irregularitate ex quocunque delicto vel defectu proveniente tam cum laicis quam cum ecclesiasticis, vel sæcularibus, vel regularibus ad hoc ut possint initiari ordinibus, vel in susceptis ministrare, ad superiores gradus ascendere, ac dignitates etiam cathedrales et quæcunque beneficia ecclesiastica quandoque ante dispensationes alioquin canonice obtenta retinere, necnon ut hujusmodi beneficia et dignitates (exceptis quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, ecclesiis cathedralibus et metropolitanis), etiam post delictum assequi valeant. (Benedict. XIV const. 95, t. I, incip. *Pastor bonus*, n. 15.)

Forma verborum sub qua irregularitas dispensari et tolli debet, nulla reperitur distincte præscripta; poterit tamen inservire hæc sequens, vel alia consimilis: *Dispenso tecum super irregularitate quam contraxisti ob hanc causam, et te habilem declaro ad suscipiendum vel exsequendum ordinem, et restituo te ad legitimos actus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* (Sic docent communiter doctores.)—Ferrar., ubi supra, n. 21, etc.)

Adde «episcopum eo ipso quo aliquem irregularem admittit ad ordines, aut concedit litteras dimissorias, censeri cum eo dispensare in irregularitatibus aut concedere facultatem, ut dispensetur ab episcopo ad quem mittitur pro recipiendis ordinibus, modo sciat ordinandum esse irregularem, et intentionem habeat dispensandi, quia episcopus non præsumitur velle delinquere ordinando irregularem, aut concedendo facultatem ut promoveatur. » (Barbosa, *De offic. et potest. episc.* alleg. 39, n. 9.)

V. *De censuris.* — Requiritur quod ordinandi nulla censura sint ligati. (Communis.) Qui enim sunt aliqua censura irretiti, ipsa durante, nequeunt licite ullum ordinem suscipere. (C. *Illorum* 22, *De sent. excom.*; c. *Sæpe contingat* 1, *De temp. ordinat.* in 6.'— Vide lib. III, *De episcopis*, cap. VIII; et infra *De censuris.*)

CAPUT IV.

De titulo ordinandorum, et de pœnis et obligatione episcopi absque titulo ordinantis.

Antiqui canones irritant ordinationem absolutam, seu sine ullo titulo factam. Can. *Neminem* 1, *Sanctorum* 2, dist. 70, ibi: *Sanctorum canonum statutis consona sanctione decernimus, ut sine titulo facta ordinatio irrita habeatur et in qua ecclesia quilibet titulatus est, in ea perpetuo perseveret...* Jus decretalium ordinationis irritationem sustulit et ordinatorem vel successorem compellit in necessariis providere ordinato ad sacros sine titulo, donec titulum habuerit. (C. *Cum secundum* 16, tit. V, *De præbendis*, lib. III *Decretal.*) Quod, quia doctrinam exponit, afferre decet, ibi: *Cum, secundum Apostolum, qui altario servit, vivere debeat de altari : et qui ad onus eligitur, repelli non debeat a mercede : patet a simili, ut clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Christi, cujus obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet. Cum a* κλῆρος *quod est* sors *vel* hæreditas *clerici appellentur, quia in sui ordinatione vel assumuntur in hæreditatem Domini, vel assequuntur hæreditatem in ipso, ut vere possint psallere cum Propheta dicente: « Dominus pars hæreditatis meæ : » dignum est, ut Ecclesiæ stipendiis sustententur, in qua et per quam divinis obsequiis ascribuntur. Licet autem prædecessores nostri ordinationes eorum qui sine certo titulo promoventur, in injuriam ordinantium irritas esse voluerint et inanes : nos tamen benignius agere cupientes, tandiu per ordinatores vel successores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur.*

Concilium Tridentinum jus antiquum de titulo ordinationis confirmavit, sess. 21, cap. 2, *De reform.* ibi : *Statuit sancta synodus, ne quis deinceps clericus sæcularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, ætate, ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero benefi-*

cium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus : neque ea resignatio admittatur, nisi constito quod aliunde vivere commode possit; et aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse quæ eis ad vitam sustentandam satis sint; atque deinceps sine licentia episcopi, alienari, aut exstingui, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti; vel aliunde habeant, unde vivere possint : antiquorum canonum pœnas super his innovando.— Ergo ex hoc capite tenentur episcopi ad sustentandos clericos sine titulo ab ipsis ordinatos in sacris, juxta cap. *Cum secundum*, supra.

I. Ad titulum autem beneficii, ut quis licite ordinetur, requiritur quod sit beneficium proprie dictum; quod definitur : *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, ratione spiritualis officii personæ ecclesiasticæ auctoritate Ecclesiæ constitutum.* Et quod tale beneficium sit sufficiens ad honestam ipsius sustentationem et pacifice possessum. (Textu expresso, *Trident.*, supra.) Unde, qui non habet beneficium sufficiens, non debet ordinari cum supplemento patrimonii, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiæ id exigat. (S. congr. Concil. pluries.) Et si beneficium, ad cujus titulum ordinatur ab episcopo non suo, non esset sufficiens juxta taxam sui ordinarii, esset suspensus quoad exercitium ordinum. (S. congr. Concil. *Arimin.* 10 Januar. 1705.) Imo nedum ipse ordinatus esset suspensus ab exercitio ordinum, quandiu proprio ordinario videbitur expedire, sed etiam episcopus ordinans esset suspensus per annum a collatione ordinum, et uterque subjaceret gravioribus pœnis pro modo culpæ arbitrio summi pontificis infligendis. (Sic expresse statuit Innocentius XII, 1694 constit. *Speculatores domus Israel.*) Et tale beneficium non potest ordinatus postmodum resignare, nisi cum conditionibus a Tridentino supra præscriptis.

II. Ad titulum patrimonii vel pensionis, ut quis licite ordinari possit, requiritur, quod episcopus judicet talem pro necessitate vel commoditate suarum ecclesiarum esse assumendum, illudque patrimonium, vel pensionem et ad vitam sustentandam sufficiens esse et vere ab ipso obtineri. (*Trident.* sess. 21, cap. 2, supra.) — Unde clericus suscipiens ordines sacros cum patrimonio ficto, sicuti etiam cum ficto beneficio, suspensionem incurrit, ob fraudem. (C. *Neminem* 1, et *Sanctorum* 2, dist. 70; quoad hoc a *Trident.* sess. 21, supra, innovatam, et sic pluries declarasse sacr. congr. Episc., et sacr. congr. Concil. refert PIGNATELL. t. VI, consult. 77, n. 15 et 16, ubi et de stylo curiæ, et praxi pœnitentiariæ testatur, et plurimos affert doctores.) Sic etiam tenent communiter multi alii per constitutionem 35 Urbani VIII, incip. *Secretis*, ubi sic expresse habetur : *Insuper promotos hujusmodi ac etiam eos qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis, scienter se ad ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solum prædictis* (scilicet inter alias pœnas suspensionis perpetuæ absque spe dispensationis a sede apostolica obtinendæ), *verum etiam majoribus arbitrio nostro et pro tempore exsistentis Romani pontificis infligendis pœnis subjectos esse volumus.*

III. Non esset tamen suspensus ipse ordinatus, si bona fide et sine ulla sua fraude et dolo absque legitimo titulo ordinaretur, ut tenent supra citati doctores et alii passim; ex arg. cap. *Cum secundum* 16, *De præb.* supra cit., ubi suspensio ordinati per jura antiqua inducta, fuit sublata ex parte bona fide, et sine ulla sua fraude ordinati, et solus episcopus ordinans per impositionem oneris ordinatum sustentandi fuit punitus; et ex const. cit. Urbani VIII, *Secretis*, ubi declarantur suspensi solum, qui *scienter* se ad ordines hujusmodi promoveri fecerint.

Et tale patrimonium, vel pensio, posthac sine licentia episcopi alienari, aut exstingui vel remitti, donari, in emphyteusim concedi, nullatenus potest, donec ordinati beneficium ecclesiasticum sufficiens statui suo sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint. (Textu expresso Trident. supra, et sæpius declaravit sacr. congr. Concil. apud FERRAR, verb. *Ordo*, art. 2, n. 94 et seqq.)

IV. Ad titulum paupertatis, seu professionis religiosæ, ut quis licite ordinari possit, requiritur, quod sit vere professus. (*Pontifical. Roman.* tit. *De ordinatione subdiaconi*, et communis doctorum.) Unde novitii sine

titulo beneficii, vel patrimonii, aut pensionis nequeunt promoveri ad sacros ordines. (Arg. *Concil. Trident.* supra cit. sess. 21, cap. 2, et expresse sanctus Pius V, const. 75, *Romanus Pontifex.*) Et hoc ipsum habet locum non solum in novitiis, seu non professis, sed etiam in nulliter professis. Patribus autem societatis Jesu, quia tria vota in societate emiserunt, de licentia præpositi generalis possunt promoveri ad sacros ordines absque titulo etiam ante solemnem professionem. Patribus societatis Jesu sic ordinatis nulla debentur alimenta a dicta societate, si contingat eos ante solemnem professionem a præposito generali a dicta societate dimitti. (Ferrar. verb. *Ordo*, art. 2, n. 101 et seq.) Alii regulares ante professionem promoti ad sacros ordines, ipso facto suspensi sunt, et ita ordinum susceptorum actus exercendo fiunt irregulares. (Ita Pius V, const. *Romanus pontifex*, 1568.)

V. Nullus requiritur titulus nec beneficii, nec patrimonii, ut quis promoveri possit ad primam tonsuram aut ad quatuor minores ordines; titulus requiritur tantum ad subdiaconatum.

VI. Ex cap. *Cum secundum*, *De præbend.* supra cit. a concilio Tridentino, sess. 21, cap. 2, innovato tenent omnes doctores episcopum teneri et cogendum esse de honesta sustentatione providere omnes a se ordinatos ad sacros ordines absque titulo. Et plures decisiones sacræ congregationis pro hac parte adducunt Gonzales, ad regul. 8 cancellariæ; Garcias et multi alii in adnotationibus ad cap. 2, sess. 21 Trident. Hæc episcoporum obligatio firmatur pluribus aliis capitibus, signanter lib. III *Decret.* tit. V, cap. 2 quod sic summatur : *Non licet episcopo aliquem ordinare sine titulo;* ibi : *Non licet ulli episcopo ordinare clericos, et eis nullas alimonias præstare : sed duorum alterum eligat, vel non faciat clericos, vel si fecerit, det illis, unde vivere possint.* C. *Episcopus* 4, ibi : *Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinaverit : tandiu ei necessaria subministret, donec in aliqua ecclesia ei convenientia stipendia militiæ clericalis assignet. Nisi talis ordinatus de sua vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.* — Et amplius, *Sext. Decretal.* lib. III, tit. IV, *De præbend.* cap. *Si episcopus* 37, ibi : *Si episcopus, cui nullis personis expressis in genere commisisti, ut vice tua ordines in tua diœcesi celebraret, ad sacros ordines promoverit quempiam titulum non habentem : ei (cum in culpa fuerit taliter ordinando eumdem) tenebitur vitæ necessaria ministrare, donec sibi per eum vel alium de competenti beneficio sit provisum. Si vero certas commisisti eidem ordinare personas, tu (qui prævidere hoc casu, an haberent titulum, debuisti) taliter ordinato ad prædicta, donec per te beneficiatus fuerit, obligatus exsistis. Eis autem, quibus a diœcesanis datur licentia, ut possint a quo voluerint episcopo, ad omnes sacros ordines promoveri, non qui ordinant, sed qui tribuunt licentiam (cum eam dare non debeant titulum non habenti) ad præmissa, si titulum non habeant, obligantur.*

Si episcopus aliquem ordinet sine titulo, sub pacto et promissione, quod ordinatus non possit expost ab ipso petere alimenta, tunc episcopus ordinans suspenditur a collatione ordinum per triennium, et sic ordinatus est perpetuo suspensus ab ordine recepto, donec a summo pontifice dispensetur. (Textu expresso in c. *Si quis ordinaverit* 45, *De simonia.*)

VII. *An hodie in Gallia et Belgio episcopis liceat sæculares ordinare absque titulo canonico?* — Certum est hodie in Gallia non exstare beneficia, ad ordinationis titulum apta, quæ clericis nondum subdiaconis conferri valeant. Omnia enim beneficia per Concordatum anni 1801 reipsa suppressa sunt ex condonatione omnium bonorum Ecclesiæ alienatorum; nec alia in hodiernis Galliæ diœcesibus reperiuntur beneficia, quam pensiones canonicorum et parochorum inamovibilium. Porro clericis nondum subdiaconis beneficia illa conferri nequeunt; tum quia, ex eodem Concordato, parochiis præficere nequit episcopus nisi gubernio acceptos; gubernium autem acceptos non haberet clericos nondum subdiaconos. Plures alias rationes affert D. Bouix, *De episcopo*, t. II, p. 177 et seq, et concludit :

« Unde revera dici potest hodie in Gallia, regulariter loquendo, non posse clericos ad titulum beneficii sacris initiari. Idem autem, et quoad Belgium, concludendum est, ex rationibus a Brugensi episcopo expositis. »

Ex altera parte : « Maxima pars clericorum nequeunt hodie in Gallia et Belgio ordinari cum canonico patrimonii aut pensio-

nis titulo, quia nempe paucissimi sunt qui exhibere valeant patrimonium iis conditionibus vestitum, quas lex ecclesiastica requirit. »

« Ex eo quod dicti clerici canonicum titulum habere nequeant, et simul eos ordinari deposcat diœceseon necessitas, non sequitur fas esse episcopis eos promovere absque dispensatione pontificia. » Quia nulli fas est ante obtentam dispensationem contra legem universalem Ecclesiæ agere, et hic agitur de tali lege.

« Quod hodierna consuetudo episcoporum Galliæ, propria auctoritate ordinandi absque canonico titulo, legitime jam sit præscripta, et tuta in praxi, non videtur certum. » Quod probat Bouix, *De episcopo*, t. II, p. 178 et seq., et præcedentia asserta facto sequenti confirmantur.

Brugensis episcopus, in Belgio regione Concordato anni 1801 submissa, postulaverat ut possent clerici ad sacros ordines promoveri absque canonico titulo; sub conditione tamen quod unusquisque solveret ducentos francos, ad constituendam massam, ex qua egenis presbyteris provideretur. De hac præfati episcopi postulatione actum est in sacra congr. Concil. die 24 Augusti 1850. Quam causam reperies in *Thesauro resolutionum*, tom. anni 1850, pag. 295, sub rubrica, *Brugensis*, tit. *Sacræ ordinationis;* et relatam apud Bouix, *De episcopo*, t. II, p. 173, etc., ex qua emin. Patribus solvenda proponuntur hæcce dubia.

1. « An concedendum episcopo oratori Indultum promovendi clericos ad sacros ordines absque legitimo nec sufficienti titulo; ita ut sit approbanda institutio novæ tituli ordinationis formæ? Et quatenus affirmative. »

2. « An permittenda sit insertio ejusdem novæ formæ tituli in futura aliqua editione Pontificalis romani? »

Sacr. congr. respondit : « Ad primum *negative*, et providebitur in casibus particularibus. — Ad secundum, *provisum in primo*. »

Et hæc fuit constans praxis sanctæ sedis, ut videre est in Appendice ad tom. V *Biblioth.* Ferraris, verb. *Ordo*, ibi : « .... Et licet interpretando allegatum textum concilii (Trident.) sacra hæc congregatio de mense Octobris anni 1589 ut in *Regestis*, *lib. VI*, *pag.* 58, plura proposuerit generalia dubia examinanda, inter quæ illud reperitur : *An habens ex propria industria, et honesto labore tantum lucrum, quantum satis est ad vitæ sustentationem, promoveri valeat:* negative responderit. »

« Exempla nihilominus non desunt, in quibus, urgente ecclesiarum necessitate, concessum fuit, ut fieri posset ab episcopis ordinatio clericorum sæcularium, etsi illi nec beneficium, nec patrimonium obtineant; et prætermisso quidem exemplo Ecclesiæ metropolitanæ Florentinæ, in qua usque adhuc viget privilegium ab Eugenio IV concessum, ut clerici qui eidem inservierint spatio decem annorum, ordinibus sacris initiari subinde valeant, licet nec beneficium, nec patrimonium obtineant, a summo pontifice Urbano VIII, die 13 Martii 1640, concessum alumnis seminarii Pragensis, ut ordines recipere valeant sine titulo beneficii, aut patrimonii, sed solum ad titulum missionis, prout ab eodem pontifice præcedenter concessum fuerat die 18 Maii 1638 alumnis collegii de Propaganda Fide. Alumni collegii Illyrici a Gregorio XIII instituti, et ab Urbano papa VIII restaurati in civitate Lauretana, privilegio potiuntur ordinationis sine beneficio ecclesiastico, et patrimonio, nulla facta mentione tituli missionis, ut legitur in privilegio ab eodem Urbano concesso primo Junii anno 1627. Consimile est privilegium ab eodem pontifice concessum collegio Fuldensi pro scholaribus Germanicæ nationis, necnon collegio Pragensi, uti plenius deprehendi valet ex collectione Bullarum et Decretorum congregationis de Propaganda Fide, impressa, sed nunquam absoluta, nec publicata.

« Cohærenter ad hæc, episcopus S. Crucis *della Sierra* in Indiis Occidentalibus, cum in suis litteris ad summum dominum nostrum datis, exposuerit, quod in civitate S. Laurentii *della Baranca*, quæ loco alterius S. Crucis, quæ amplius non exsistit, subrogata fuit, duo tantum sunt parochi, et duo ministri in cathedrali, decanus videlicet et archidiaconus, quodque nullus superest modus capellanias aut beneficia erigendi, ad quorum titulos clerici ordinari valeant, et quod tandem impossibile est extraneos advocare, qui ad dictas regiones accedant, ex quo nullum est hujus provinciæ cum aliis commercium, et sic sanctitati suæ supplicaverit pro facultate initiandi su-

cris ordinibus ejus regionis incolas, licet titulum beneficii, aut patrimonii non habeant, et multo magis, cum nullum adsit periculum, quod promoti mendicare conspiciuntur, quia nullus in dicta regione est, qui mendicet, et a sanctitate sua fuerint preces remissæ ad hanc sacram congr., disputandum in præsenti proponitur dubium :

« An episcopo S. Crucis *della Sierra* sit indulgendum, ut promovere valeat ad sacros ordines in civitate S. Laurentii *della Baranca* eos, quos ipse necessarios judicaverit, licet nec beneficium, nec pensionem, nec patrimonium obtineant.

« Pro gratia dummodo non excedat numerum duodenarium. (Ex *Thes. resolut.* sacr. congr. Concil. tom. I, pag. 215 et seqq. 8 Julii 1719.)

« Si igitur in anno 1719 pro Indiis Occidentalibus sancta sedes noluit a lege universali tituli ordinationis dispensare nisi in casibus particularibus, si in anno 1850 voluit observandum esse in Belgio jus commune quoad titulum; id est recurrendum esse ad sedem apostolicam pro ordinandis clericis canonico titulo destitutis; si proinde sacr. congr. pro legitima non habuit consuetudinem in Belgio inductam ordinandi ad titulos patrimonii, debitis conditionibus destitutos: nullum dubium remanere potest, quod si hæc Belgii consuetudo legitima non evasit, multo minus consuetudo Galliæ, ordinandi absque ullo omnino titulo. »

Postulat quidem necessitas et utilitas Ecclesiæ, ut ordinentur in Gallia clerici absque titulo canonico : at nequaquam postulat ut id fiat absque pontificia dispensatione, seu ex propria episcoporum auctoritate. « Hinc, cum tam facile sit mentem summi pontificis hac de re sciscitari, tutam in praxi dicere non auderem præfatam consuetudinem. » (Bouix, *De episcopo*, t. II, p. 182.)

Quascunque autem dispensationes sine titulo canonico ordinandi obtineant episcopi, nihilominus semper tenentur clericis ab ipsis ordinatis in sacris de honesta sustentatione providere, donec beneficium ecclesiasticum aut pensionem vel hujusmodi sufficiens ad vitam consequantur... Et episcopo ordinatore jam mortuo, tenetur sic ordinatis providere de necessariis alimentis capitulum, sede vacante, et deinde novus episcopus. (Textu expresso in capite *Cum secundum* 16, *De præbend.* — Ferrar. verb. *Ordo*, art. 4, n. 29. — Vide quæ diximus lib. II, cap. VIII, n. 6.)

CAPUT V.

De ætate, scientia et qualitatibus ordinandorum.

§ I. — De ætate.

I. Ex jure requiritur quod ordinandi sint in ætate canonica constituti. (Communis; argum. c. *Nullus* 4, *De tempor. ordinat.* in 6.) Bonifacius VIII sub pœna suspensionis per annum ipso facto incurrenda, prohibet ne quis infanti clericalem præsumat conferre tonsuram. Infantes tamen quamvis illicite, valide tamen ordinantur ad quemcunque ordinem, etiam presbyteratus. (Communis, cum S. Thoma, S. Bonaventura, et Scoto in 4, dist. 25, et desumitur ex c. unico, *De clerico per saltum promoto.*) Nec lex divina reddit infantem incapacem sacramenti. Imo infantes ordinantur valide etiam ad episcopatum, ut communius tenent doctores. (Ferrar. verb. *Ordo*, art. 2, n. 71 et seqq.)

II. Ætas igitur canonica pro prima tonsura, ostiariatu, lectoratu et exorcistatu sunt anni septem completi. (C. *In singulis* 2, dist. 77.) — Pro acolythatu sunt anni duodecim completi, eod. cap., et colligitur ex textu et Glossa in c. *De iis* 5, dist. 28 et c. *Cum nullis* 3, *De tempor. ordinat.* in 6. — Pro subdiaconatu sunt anni 21; pro diaconatu sunt anni 22; pro presbyteratu sunt anni 24 completi, seu anni 22, 23 et 23 incœpti respective pro tribus ordinibus sacris. (Ex *concil. Trident.* sess. 23, cap. 12; et sacr. congr. Concil. 7 Septembr. 1594; et in praxi receptum est apud omnes.) — Circa ætatem episcopus non potest dispensare, quia agitur de lege universali Ecclesiæ. (Communis.)

§ II. — De scientia.

I. Requiritur quod ordinandi sint scientia sufficienti instructi pro quolibet ordine suscipiendo. Et defectus scientiæ est irregularitas. Cap. 1, dist. 39, ubi Gelasius papa expresse habet : *Illitteratos nullus præsumat ad clericatus ordinem promovere, quia litteris carens sacris non potest esse aptus officiis.* Unde conc. Trident. sess. 23, cap. 4, statuit, quod prima tonsura non initientur, qui ... fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant.

II. Ibid. cap. 11 pro ordinibus minoribus requirit *ut saltem Latinam linguam intelli-*

gant, et sciant quæ ad officium suum spectant. (Ferrar. verb. *Ordo*, art. 2, n. 81.) Id est, ut sciant quam potestatem accipiant, cæremonias et modum officii sui adimplendi. *Cumque hinc ad altiores gradus, et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat.* (*Trident.* ibid.)

III. Ibid. c. 13, pro subdiaconatu et diaconatu requirit *ut sint litteris et iis quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi.*

IV. Ibid. c. 14, pro presbyteratu requirit, quod *ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministranda sacramenta, diligenti examine præcedente idonei comprobentur.* (Id. *ibid.*) Nota : Promovendos ad sacerdotium et regimen animarum esse examinandos super divinis officiis, et ecclesiasticis sacramentis. Quod plene fieri non potest sine scientia canonum. (C. *Inter cætera, De off. ordinar.*; c. 1 *De feriis*; c. 1 *De celebratione miss. et de consecrat.* per tot. Et patet in hoc tractatu, et aliis hoc tangentibus. Hæc autem secundum Hostiens. n. 8, ignorant puri theologi non sine periculo animarum; quia ad canonum observationem, quæ censetur regula omnium, et ipsi et omnes Catholici astringuntur, ut c. 1, supra, *De const.* Non est ergo modicum periculum suam regulam ignorare et inniti prudentiæ suæ contra canonicas sanctiones, ut cap. *Ne innitaris*, eod. tit. et religiosi, qui canones ignorant; reputandi sunt idiotæ, ut legitur, et notatur in cap. *Ex multa, De voto;* ergo debent tales esse gnari divinæ legis, et exercitati in ecclesiasticis sanctionibus secundum Goffred. et Joan. Andr. n. 12. (Ita Fagnan. in c. *Cum sit ars, De ætat. et qualit.* in II part. lib. I *Decret.*)

V. Quoniam vero ad sacros ordines requirit Tridentinum scientiam requisitam ad docendum populos necessariam ad salutem, ac administranda sacramenta ; ideo subdiaconatui convenit, ut præcedat annus integer studii, sive theologiæ moralis, sive scholasticæ, sive juris canonici. Biennium vero ad diaconum ordinandum; triennium ad sacerdotem. Nec impletur mens Tridentini, si quis in theologia morali tantum studuerit de contractibus, cambiis, etc. Concilium enim exigit ut possit erudiri populus quoad necessaria ad salutem. Ita censet pontifex Bened. XIV, *Instit. eccles.* 42, n. 3. Addit « non esse positum in arbitrio episcopi, ut ordines minores det ignorantibus linguam Latinam, si spem ostendant futuri profectus : nam concilium exigit, ut saltem linguam Latinam intelligant; et arbitrium episcopi, de quo ibidem, cadit super interstitia, non super scientiam Latinæ linguæ. (*Ibid.* n. 2.)

§ III. — De qualitatibus ordinandorum.

Qualitates autem ordinandorum ad licite recipiendos ordines sunt multæ.

I. Igitur requiritur, quod sint in statu gratiæ ; status enim gratiæ requiritur ad licitam et dignam receptionem cujusvis sacramenti novæ legis; unde si qui scienter exsistentes in peccato mortali reciperent aliquem ordinem, peccarent mortaliter. (Communis.)

II. Requiritur quod sint confirmati. Communis, textu expresso *Trident.* sess. 23, cap. 4, ibi : *Prima tonsura non initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint.* Unde, si qui non confirmati scienter ad ordinationem accederent, peccarent, saltem venialiter, ut tenent communius doctores, vel etiam mortaliter, ut tenent Toletus, Bonacina, Nugnus, Tannerus, Castropalaus, et alii.

III. Requiritur quod ordinate, et gradatim, et non per saltum ordines suspiciant. (Communis per textum in cap. unico, *De clerico per saltum promoto;* et in *Concil. Trident.* sess. 23, cap. 2, *De sacr. ordin.*; et cap. 14, *De reform.*) Unde si qui scienter per saltum ordinarentur, recipiendo v. gr. presbyteratum, nondum suscepto diaconatu, graviter peccarent, et indigerent absolutione et dispensatione. Et si quis sic ordinatus etiam ex bona fide, et ignorantia invincibili in susceptis ordinibus ministraret, indigeret absolutione, et respective dispensatione saltem ad cautelam, ut mandavit sacr. congr. Concil. *in Florentina ordinum*, 5 Decembr. 1744; apud *Thesaurum resolut.* tom. XIII. — *Cum promotos per saltum, si non ministraverint, episcopus ex legitima causa possit dispensare.* (*Concil. Trid.* sess. 23, c. 14.) Si vero ministraverint, ad papam recurrendum est. — « Ea non solum intelligenda sunt de promotis per saltum, aliquo sacrorum ordinum omisso, imo vero etiam de promotis ad majores ordines omissis minoribus, sive omnibus, sive uno tantum,

et etiam casu quo aliqui omiserint primam tonsuram. Congregatio enim censuit, anno 1588, habere locum decretum concilii in omnibus casibus positis. » (Adnotat. ad dictum cap. 14, *Concil. Trident.*)

IV. Requiritur quod serventur interstitia. Interstitia nihil aliud sunt quam illud intervallum temporis quod ex Ecclesiæ constitutione interjacere debet inter susceptionem unius et alterius ordinis. Talia interstitia constituta sunt ab Ecclesia ut nota esse posset atque perspecta vocationis clericorum veritas, morum probitas, et capacitas, seu peritia pro cujuscunque ordinis exercitio, ut habetur ex concilio Trident. sess 23, c. 11, *De reform.*, et ex constit. Innocent. XII, *Speculatores.*

1. Interstitia temporum etiam in minoribus ordinibus sunt servanda (cap. *In singulis* 2, dist. 73, et *concil. Trident.* loc. cit.) Quodnam autem intervallum inter unum et alterum ex minoribus ordinibus intervenire debeat non reperitur expresse statutum : unde variant doctores. Praxis hodierna in multis regionibus est ut episcopi de interstitiis minorum ordinum dispensent; ideoque ordinarie quatuor minores ordines eisdem clericis in eodem die conferant.

2. Pro suscipiendis vero ordinibus sacris habetur expresse statutum quod intercedere debeat intervallum unius anni a receptione unius usque ad receptionem alterius. (*Concil. Trident.* sess. 23, c. 11, 13 et 14.) Hinc a receptione postremi gradus minorum ordinum non potest quis promoveri ad subdiaconatum nisi elapso interstitiorum anno. (*Trident.* c. 11, cit.) — Non requiritur tamen ut anni cursus sit naturalis, sed sufficit quod sit ecclesiasticus, videlicet ab una Quadragesima ad aliam, et a Pentecoste ad Pentecosten et hujusmodi. (Sic tenent, et a sacr. congr. Concil. referunt decisum plures apud Ferrar. verb. *Interstitia* n. 9.) Episcopus, vicarius generalis, et etiam capitularis, sede vacante, dispensare possunt super hujusmodi insterstitiis cum suis subditis. (*Trident.* loc. cit. et sacr. congr. Concil.) Episcopus autem ordinans alienos subditos cum litteris dimissoriis advenientes non potest cum istis quoad interstitia dispensare, nisi hoc in dimissoriis expresse ei concedatur. (S. congr. Episc., 9 August. 1593.) — Ad dispensandum inter minores ordines et subdiaconatum, sicut et inter diaconatum et presbyteratum requiritur *necessitas aut Ecclesiæ utilitas judicio episcopi* ; inter subdiaconatum et diaconatum requiritur solum prudens episcopi arbitrium.

Quamvis tam ordinans quam ordinatus, non servatis interstitiis sine dispensatione, nullam canonicam pœnam incurrant, ex quo in jure nulla expresse reperiatur pœna imposita adversus ipsos, tamen uterque graviter peccat, ex eo quod uterque sit transgressor sacrorum canonum in materia gravi cujusmodi est illa ordinum. . . (Ita communis apud Ferrar. verb. *Interstitia*, n. 19.)

Episcopus ordinans aliquem eodem die ad duos sacros ordines, secundum aliquos, est ipso facto suspensus a collatione utriusque ordinis, donec a sede apostolica absolutionem et dispensationem impetraverit. (Ita plures in c. *Litteras* 13, *De tempor. ordinat.*; et c. *Dilectus*, eod. tit.) — Secundum autem plures alios non est ipso facto suspensus sed solum suspendendus. Ferrar. verb. *Ordo*, art. 4, n. 40.) — Ordinatus eodem die ad duos ordines sacros, secundum aliquos, est suspensus solum ab exsecutione ultimi ordinis sacri illo die sibi collati. Alii autem dicunt sic ordinatum esse suspensum quoad omnes ordines receptos. (In c. *Litteras*, etc.) Sed quidquid sit de intelligentia antiquorum canonum, tollitur difficultas ex const. Pii II, incip. *Cum ex sacrorum*, *Contra male promotos*, ut suspensi maneant indefinite loquendo. Unde sacr. congr. Concil. indiscriminatim hujusmodi ordinatos supponit incursos in suspensionem, et concedit absolutionem, quæ reservata est sedi apostolicæ tantum, sed etiam dispensationem ab irregularitate ob administrationem ordinum fortioribus terminis ordinatorum eodem die in ordinibus minoribus et subdiaconatu, ut *in Bovensi* 7 Maii 1707 et alibi. (Ferrar. *ibid.* n. 41.) Attamen qui ex consuetudine alicujus regionis quatuor minores ordines et subdiaconatum eodem die susceperunt, non sunt ob hoc suspensi. (Adnot. ad cap. 13, sess. 23, *Trident.*)

V. Requiritur quod ordinandi non sint irregulares, nec aliqua censura sint ligati. Unde, durante irregularitate, nemo licite ordinari potest, nec in suscepto jam ordine ministrare. (C. *Sæpe contingit* 1, *De tempor. or-*

dinat. in 6 ; et cap. *Illorum* 22, *De sent. excom.*)

VI. Requiritur, quod sint in ætate canonica constituti. (C. *Nullus* 4, *De tempor. ordinat.* in 6.)

VII. Requiritur, quod sint scientia sufficienti instructi pro quolibet ordine suscipiendo. (Ut supra.)

VIII. Requiritur quod ordinentur a suis propriis respective episcopis, vel ab aliis de eorum licentia et cum suis dimissoriis. (*Trident.* sess. 23, c. 8, *De reform.* et Innocent. XII, const. *Speculatores.*)

IX. Ordines sacri conferendi sunt primario titulo beneficii ecclesiastici ; nec, nisi in subsidium, pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum conferri possunt ab episcopo ad titulum pensionis, vel patrimonii, ex Trid. sess, 21, c. 2. *De reform.* Nec nisi concurrat necessitas vel commoditas Ecclesiæ, licitum id esse edixit sacra congreg. Concil. in Encyclica die 13 Maii 1679 jussu Innocentii XI exarata. *Instit. eccles.* 26, n. 1.

X. Minores ordines conferantur iis, qui... ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum, et doctrina major accrescat, quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in ecclesia ministerium, atque major erga presbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior, quam antea, corporis Christi communio maxime comprobabunt. (*Trident.* sess. 23, cap. 11.) — Subdiaconi et diaconi ordinentur, ut habentes bonum testimonium, et quorum vita senectus sit, qui sperent, Deo auctore, se continere posse. (*Trident.* sess. 23, cap. 13.) Qui pie et fideliter in ministeriis ante actis se gesserint, et ad presbyteratus ordinem assumuntur, bonum habeant testimonium . . . et hi sint qui ... ad populum edocendum ea, etc., idonei comprobentur : atque ita pietate ac castis moribus conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum et vitæ monita ab eis possint exspectari. (*Trident.* sess. 23, c. 14.)

XI. Hic transcribere ex Monacelli, tom. I, tit. III, form. 1, *requisita ordinandorum* utile duximus. — Requisita ordinandorum sunt :

« *Pro prima tonsura :* 1° Fides baptismi pro ætate septem annorum. (C. *In singulis*, 77 dist.) ; 2° fides confirmationis (*Trident.* sess. 23, c. 4 *De reform.*) ; 3° examen testium super legitimis natalibus, vita et moribus ; 4° fides magistri scholæ ; 5° fides parochi de vita et moribus et doctrinæ Christianæ frequentatione ; 6° examen et approbatio. — Pro alienis dimissoriæ ; et in Italia pro ultramontanis, dimissoriæ sint recognitæ a nuntiis apostolicis, et deinde in curia ; ex *bulla* Urb. VIII, const. 33 *Secretis.*

« *Pro ordinibus minoribus :* 1° Fides seu testimoniales de tonsura et ordine jam suscepto ; 2° fides magistri scholæ, necnon servitii præstiti Ecclesiæ, cui sunt ascripti et doctrinæ Christianæ frequentationis, nisi absint causa studiorum ; 3° fides parochi de vita et moribus, habitus clericalis gestatione, et de frequenti perceptione communionis ; 4° pro acolythatu fides ætatis 12 ann. ; 5° examen et approbatio ; 6° si ordinandus sit exterus, litteræ dimissoriæ etiam pro prima tonsura contineant causam, ob quam a proprio episcopo ordinari non possit, alias non admittetur. (*Conc. Trident.* sess. 7, c. 11 *De reform.*)

« *Pro subdiaconatu :* 1° Beneficium, vel pensio ecclesiastica vel patrimonium annui redditus scut... quod jure realiter et pacifice possideatur. (*Trident.* sess. 21, cap. 2, *De reform.*) — Vel dispensatio sanctæ sedis, v. gr. pro Galliis et similibus regionibus. — 2° Attestatio parochi de publicatione patrimonii (pro his qui ordinantur ad hunc titulum, inter missarum solemnia, necnon nominis et desiderii personæ ordinandæ. 3° Testimonialis de ultimo ordine minori suscepto anno jam elapso, nisi utilitas, vel necessitas Ecclesiæ aliud suadeat. 4° Fides de ætate viginti duorum annorum incœptorum. 5° Fides de ordinum jam susceptorum exercitio, servitio Ecclesiæ, cui est ascriptus, præstito, et clericalis habitus et tonsuræ gestatione. 6° Fides parochi de vita et moribus, doctrinæ Christianæ ac communionis frequentatione. 7° Fides de exercitiis spiritualibus in loco destinato peractis. » (Ex decret. sacr. congr. Episc. et Regul. jussu san. mem. Innocent. XI, 9 Octob. 1682.)

« *Pro diaconatu :* 1° Testimonialis de ordine subdiaconatus suscepto. 2° De denuntiationibus factis in parochia. 3° De ætate viginti trium annorum incœptorum. 4° De subdiaconatus exercitio et servitio ecclesiæ, cui est ascriptus, præstito, ac clericalis

habitus et tonsuræ gestatione. 5° De vita et moribus doctrinæque Christianæ et sacræ communionis frequentatione. 6° De pacifica possessione et fructuum perceptione beneficii seu pensionis, seu patrimonii, ad quod, seu quam petit ordinari. 7° De exercitiis spiritualibus in loco destinato peractis.

Pro presbyteratu : 1° Testimonialis de ordine diaconatus suscepto. 2° Denuntiationibus factis in parochia. 3° De ætate 25 annorum incœptorum. 4° De exercitio ordinis diaconatus, servitio ecclesiæ cui est ascriptus, præstito et clericalis habitus et tonsuræ gestatione. 5° De pacifica possessione et fructuum perceptione tituli, ad quem petit ordinari. 6° De exercitiis spiritualibus in loco destinato peractis. »

« *Promoveri non possunt :* non baptizati (c. *Veniens, De presbyt. non baptizat.*) ; illegitimi (c. *Presbyter*, 57 dist.); minores natu (c. *Qui in aliquo*, 51 dist.); non confirmati (*Trident.* sess. 23, c. 4, *De reform.*); Neophyti (d. c. *Qui in aliquo*, et c. *Quoniam*, 48 dist.) ; uxorati (extrav. Joan. XXII, *Antiquæ*, etc.); bigami (c. *Si quis*, 33 dist. et tot. tit. *De big. non ord.*); criminosi (c. *Laici*, dist. 33; *Trident.* sess. 14, c. 7, *De reform.*) ; infames (c. *Infames*, causa 6 , quæst. 1); publicis rationibus impliciti (c. *Legem*, 63 dist.); servi (c. *De servorum ; De serv. non ordinand.*); eunuchi (c. *Si quis*, 55 dist.); corpore vitiati (c. *Illitteratos*, 35 dist.); insigniter deformes (c. fin. 51 dist.); amentes, et furiosi (cap. *Qui in aliquo*); energumeni (c. *Communiter*, 33 dist.); *peregrini et ignoti* (cap. *Qui in aliquo*); ebrietati et gulæ dediti (c. 23, *De vit. et honest. cler.*) ; usurarii manifesti (c. *Episcopus*, 47 dist.); rudes et ignari (*Trident.* sess. 23 per tot.) ; irregulares (c. *Sæpe, De tempor. ordin.* in 6); suspensi, interdicti, excommunicati ; morbo comitiali laborantes; lanii, cauponæ, mimi, histriones; qui sæva exercuit, vel denuntiavit, secuta pœna, vel mutilatione (c. *Communiter*, c. *Clerici*, dist. 33; cap. unico, *De vit. et honest. cleric.* in 6 Clement. I, eod. tit.; c. *His qui*, causa 23, quæst. 8; c. *Sententia sanguinis, Nec cleric. vel monach.*; c. *Ex litteris, De excess. prælat.*) » — (Ita Monacel.)

—

CAPUT VI.

De examine ordinandorum, et tempore ac loco ordinandi.

§ I. — De examine ordinandorum.

Sic statuit sancta synodus Tridentina : *Episcopi per seipsos ordines conferant : quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam jam probatos, et examinatos, ad alium episcopum ordinandos dimittant.* (Sess. 23, c. 3.) — *Ad minores ordines promovendi bonum a parocho, et magistro scholæ in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, et vita a fide dignis diligenter inquirat ; et litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quam primum transmittat.* (Sess. ead. c. 5.) — *Sancta synodus antiquorum* (c. *Quando*, dist. 14) *canonum vestigiis inhærendo, decernit, ut quando episcopus ordinationem facere disposuerit ; omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem sacerdotibus, et aliis prudentibus viris, peritis divinæ legis, ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi ascitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem, diligenter investiget et examinet.* (Ead. sess. 23, cap. 7.)

I. Ultra examinationes quæ haberi debent per annum in visitationibus seminarii, stricte tenentur episcopi alia examina pro ordinatione instituere (textu expresso *Trid.*, supra, et communis) ; et graviter peccant episcopi qui aliquos ad ordinationem admittunt absque ullo examine.

II. Premitur episcopus obligatione examini ordinandorum præsentialiter interessendi, et a personarum acceptione cavendi. (Glossa in cap. *Ad hæc De offic. archidiac.* vers. *Examinentur ;* Piasec. *Prax. episc.* part. I, cap. 1, art. 7, n. 5 et 6 ; Barbosa *De offic. et potest. episc.* alleg. 10, n. 1 ; apud Monacelli, t. I. tit. I, form. 1, adnot. 7 et 11.) Nec potest episcopus hoc examen committere alicui soli examinatori ; nec ipse illud facere solus ; nam sancta synodus *decernit, ut.. sacerdoti-*

bus, et aliis, etc., *sibi ascitis. diligenter investiget et examinet.* Et hoc decretum in re gravi graviter obligat. Quoad seminarii clericos ordinandos, tenetur certo episcopus saltem duos canonicos pro regimine spirituali constitutos ad examen ordinandorum vocare ; nam sancta synodus, cap. 18, sess. 23, nihil excepit de eorumdem consilio, statuit e contra : *Quæ omnia, atque alia ad hanc rem opportuna et necessaria episcopi singuli, cum consilio duorum canonicorum.. constituent*, etc.

Ordinandi examinari debent super omnibus capitibus supra expositis, quæ sancta synodus revocat his verbis : *Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem.* — Congregatio Concilii censuit (per genus) non tamen eos ab ordinatione, nisi aliud canonicum obesset impedimentum, qui a Judæis originem trahunt, vel quorum majores, etsi hæretici fuerint, emendatos tamen esse constet, et reincorporatos Ecclesiæ unitati, et pro culpa hujusmodi ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam recepisse, quam vel perfecerunt, vel perfectioni ejus insistunt, aut paratos fuisse ad recipiendum eamdem juxta constitutionem Bonifacii VIII, quæ incipit : *Statutum.* Id tamen intelligendum esse, nisi aliter privilegio apostolico aut confirmatione caveretur. (Adnot. ad d. c. 7, sess. 23 *Trident.* et ex doctoribus verbum *Genus*, de quo in præsenti, proprie idem significat quod legitimus, vel liber. — (*Ibid.*)

IV. Ordinandi examinandi sunt supra fidem. (Textu expresso *Trident.* c. 7, sess. 23.) Ideoque fidei professio simul, et specialis promissio de eadem usque in finem, sincera cordis devotione, ac constantissime retinenda, debet emitti ab illis, qui ad sacros ordines sunt promovendi. (C. *Quanquam* 6, dist. 23 ; ita Ferraris, verb. *Fidei professio*, n. 11.)

V. Potest tamen episcopus legitime impeditus vicarium generalem seu alium in suo loco deputare pro clericis examinandis ad ordines.

VI. Ordinandus tenetur prodere impedimentum suum, alias amoveri debet a beneficio post ordinationem obtento. (Fagnan. in c *Quæris*, n. 36, *De ætat. et qualitat. ordin.*)

VII. Exteri qui ordines suscipere cupiunt, non est necesse quod examinentur, dummodo in litteris dimissorialibus a suis ordinariis quoad litteraturam et idoneitatem approbentur. Quidquid enim dixerint doctores affirmativam sententiam in praxi tenendam esse, hodie contraria sententia verior est ; quam amplexa fuit sacr. congr. Concil. *in Verulana*, 17 Januar. 1693, ex qua episcopus ordinans exteros sic approbatos iterum examinare non tenetur, sed potest. Et si aliquod impedimentum etiam ex notitia privata deprehenderit, potest exteros ab ordinibus repellere. At episcopus suffraganeus ad supplendas diœcesani vices assumptus, nec tenetur, nec potest ordinandos iterum examinare, ut ab ead. congr. decisum est *in Elboren.* dubior. 22 August. 1721. Cui tamen fas est ab ordinatione alicujus abstinere, si aliqua justa causa suppetat ad eum removendum. (Bened. XIV, *De synod. diœces.* lib. xii, cap. 8, n. 7.)

VIII. Minus idoneus in sacerdotium promoveri, vel ad regimen animarum assumi non debet. (C. *Cum sit ars* 14, tit. xv, *De ætat. et qualit.* lib. i *Decret.* — Ex concil. general. Romæ an. 1215, ibi : *Cum sit ars artium regimen animarum, districte præcipimus, ut episcopi promovendos in sacerdotes diligenter instruant et informent, vel per se ipsos, vel per alios idoneos viros super divinis officiis, ecclesiasticisque sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare. Quoniam si de cætero rudes et ignaros ordinare præsumpserint* (quod quidem facile poterit deprehendi) *et ordinatores et ordinatos ultioni gravi decernimus subjacere. Sanctius enim est* (in ordinatione maxime sacerdotum) *paucos bonos, quam multos malos habere ministros ; quia si cæcus cæcum ducit, ambo in foveam dilabuntur.* Et super hoc capite Fagnanus, sic loquitur : « Nota differentiam esse inter rudes et ignaros, quia rudes dicuntur quoad temporalia, ignari quoad spiritualia, sive jura : nam utrumque requiritur in sacerdotibus, et rectoribus animarum, ut in c. *Petrus*, 39 dist.. Ignorantiam promoti facile probari potest, id est per examinationem, ut c. *Si forte, De elect.* in 6..... Eo ipso quod constat de inhabilitate promoti, pariter constat de delicto promoventis, ut *hic*, et in cap. *Tantis, Daniel*, 81 dist. ibi, qualis enim ipse sit, quisquis tales ordinaverit, ostendit, et arg. c. *Quamvis, De regul. jur.* ; quod intelligunt doctores, quando promovens per seipsum examinavit. Secus si per alios, quia tunc examinatores tantum punientur, ut in c. *Quando*, 24 dist. et c. *Ad*

hæc, De offic. archid., et hic declarant Glossa et doctores.., qui tamen hoc ultimum sublimitant, nisi ordinatori sit imputandum quod insufficientes, malos, vel negligentes ad officium examinationis elegerit. »

IX. Notandum, quod commorantes in urbe (Romæ) per quatuor menses, non possunt ordinari extra urbem cum litteris dimissoriis proprii ordinarii, sed debent se præsentare eminentissimo cardinali vicario, a quo debent ordines recipere vigore edicti tempore Clem. VIII de anno 1603 emanati, ac Alexandri VII, anno 1664, die 15 Maii, et declarationis congregationis deputatæ ab eodem pontifice approbatæ, alias contraveniendo suspensionem papæ reservatam incurrunt. » (Monacelli, t. II, tit. XIII, form. 3, adnot. 44.) — « Examinato et approbato in urbe ad curam animarum non possunt ab episcopo ordines denegari sub prætextu insufficientis litteraturæ. (S. congr. Episc. et Regul. *in Sutrina*, 26 Januar. 1594. Generaliter approbatus ad aliquod officium in curia non examinatur ad idem ab ordinario. (S. congr. Episc. et Regul., 15 Maii 1647.

§ II. — De tempore ordinandi.

I. Prima tonsura conferri potest quocunque die, et hora, et loco. (Ita expresse *Pontificale Rom.* in rubric. *De ordin. conferend.*)

II. Ordines minores conferri possunt non solum in generalibus ordinationibus, sed etiam singulis Dominicis, atque festis diebus, qui a populo coluntur et servantur, etiam extra missam. (Sic *Pontificale Rom.* tit. *De minor. ordin.*) Et habetur ex cap. *De eo* 3, *De tempor. ordinat.* ibi : *Licitum est episcopis Dominicis, aut aliis festivis diebus unum, aut duos ad minores ordines promovere.* Imo non solum unum, aut duos possunt episcopi promovere ad ordines minores dictis diebus, sed etiam plures, dummodo non tot ordinentur, quod videatur esse generalis ordinatio. *Glossa, ibid.* v. *Aut duos*, et sic tenent multi, et servat praxis. (Ferrar. verb. *Ordo*, art. 2, n. 2.)

« Ex consuetudine tamen plurium ecclesiarum ordines minores conferuntur, non in Sabbato, sed in feria sexta, vel quarta quatuor temporum, quæ consuetudo, ut aiunt Layman, Fagnanus et alii passim, tolerari potest. Et sacr. congr. Concil. respondit ad dubium :

« An, supposita consuetudine immemorabili, licitum sit conferre primam tonsuram, et minores ordines feria sexta post prandium ante diem Sabbati ? » — « Ad quod sacr. congr. die 13 April. 1720 respondit : *Affirmative* quoad primam tonsuram, et quatuor minores ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse, sed expedire ut episcopus se conformet Pontificali Romano tit. *De minoribus ordinibus.* »

Hinc non est necesse, quod conferens, et recipiens ordines minores sint jejuni.

III. « Ordines majores de jure conferri possunt solummodo in Sabbatis omnium Quatuor temporum, in Sabbato ante Dominicam Passionis et in Sabbato sancto tempore missæ. (C. *De eo* 3, *De tempor. ordin.*, c. *Ordinationes* 7, dist. 75), Cum similibus, in quibus licet dicatur *in quatuor temporibus* et hujusmodi non debet intelligi, quod ordines majores possint de jure conferri, die Mercurii, et Veneris, sed solum die Sabbati earumdem hebdomadarum. (C. *ordinationes* 3; cap. *Quod a Patribus* 4, dist. 75 ; c. *Litteras* 13, *De tempor. ordin.* et communis.) Nec potest induci consuetudo conferendi dictos ordines majores in aliis temporibus. » (Textu expresso in c. *Sane* 2, *De tempor. ordin.*)

« Dicitur autem notanter *de jure*, quia ex privilegio summi pontificis possunt valide, et licite conferri ordines majores extra dicta tempora ; papa enim secundum plenitudinem potestatis de jure potest supra jus dispensare. (Textu expresso in c. *Proposuit* 4, *De concession. præbend.*) Et de facto sæpe sæpius dispensat cum pluribus. »

Et ad hoc validum et stabile privilegium habent regulares omnes, ut novissime declaravit Benedictus XIII, in concilio Romano celebrato anno 1725.

« Supra dicta tempora a jure statuta ad conferendos ordines non sunt de substantia collationis illorum : unde, si, illis non servatis, conferantur, imprimitur nihilominus character. » (Glossa in c. *Ordinationes* 1, dist. 75 ; et communis.) — Ferrar. verb. *Ordo*, art. 4, n. 9 et seqq.)

§ III. — De loco ordinandi.

Ordinum sacrorum collationes publice in cathedrali ecclesia, vocatis, præsentibusque ad id ecclesiæ canonicis, celebrari debent. Sic expresse *Concil. Trident.* sess. 23, cap 8, ibi : *Ordinationes sacrorum ordinum statutis a jure temporibus, ac in cathedrali*

ecclesia, vocatis, præsentibusque ad id ecclesiæ canonicis, publice celebrentur ; si autem in alio diœcesis loco, præsente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur. (Et sic decisum fuisse refert ex multis BARBOSA. in d. concil. loc. cit. n. 12; et novissime statuit Benedict. XIII, const. *In supremo*, n. 15.) — Ordines autem minores potest episcopus conferre in ejus domo episcopali. (BARBOSA, *ibid.* n. 13, cum pluribus ibi citatis.) — Quod ordines majores in cathedrali vel insigniori diœcesis ecclesia conferri debeant, intelligendum est tamen ordinationibus generalibus. (Const. *Ad audientiam*, n. 18.) Ex mitiori tamen interpretatione apud omnes recepta, non prohibetur episcopus, quin, justa aliqua suadente causa, possit aliquos privatim in episcopi sacello majoribus ordinibus initiare. (*Ibid.* — FERRAR. verb. *Ordo*, art. 2, n. 22 et 121.)

CAPUT VII.

De exercitiis spiritualibus, et requisitis in collatione ordinum circa materiam et formam sacramenti.

§ I. — De exercitiis spiritualibus.

Potest et debet episcopus cogere omnes ordinandos ad exercitia spiritualia facienda in loco ab ipso designato ante ordinationem. Per constitutionem 126, Alexandri VII, *Apostolica sollicitudo*, omnes promovendi tum ad minores ordines, tum ad sacros, debent per decem dies continuos ante ordinationem sese recolligere ad facienda exercitia spiritualia. Hæc constitutio pro ordinandis in Urbe data fuit. Sed sacr. congr. Episc. et Regul. jussu Innocentii XI, per suas litteras 9 Octob. 1682, eamdem obligationem exercitia spiritualia in conformitate præscriptorum ordinandis Romæ in constit. Alexand. VII supra, faciendi, omnibus extendit. (Apud MONACELLI, tom. I Append. ad Formulare.)

§ II. — De requisitis in collatione ordinum circa materiam et formam.

I. « Contactum realem, et physicum materiæ remotæ cujusque respective ordinis esse necessarium necessitate præcepti ecclesiastici, adeo ut sine dubio peccaret mortaliter, qui advertenter et deliberate illum omitteret, est certissima et communissima omnium doctorum tam canonistarum quam theologorum sententia, quia graviter delinqueret contra præceptum ac morem universalis Ecclesiæ, rubricas Pontificalis id præscribentes omittendo, ac susciperet sacramentum dubium. »

II. « An autem contactus realis et physicus sit etiam necessarius ad valorem, et essentiam ordinis, adeo ut sine ipso sit invalida ordinatio et non recipiatur sacramentum ? variant doctores. Negativam sententiam tuentur plures.... »

« At vero affirmativam, quam nos sequimur, sententiam, nempe contactum physicum et realem, saltem mediatum, requiri ad essentiam et valorem ordinis, et neque sufficere contactum moralem, defendit sanctus Thomas in dist. 4, quæst. 24, art. 1; quæst. 5, ad 3, expresse dicens : « Tamen ipsa verba formæ videntur ostendere, quod tactus materiæ sit de essentia sacramenti, quia dicitur : *Accipe hoc vel illud.* » Ita multi de communi contra supra citatos.... Quia *Pontificale Romanum* in rubric. *De episcopo consecrante*, sic expresse habet : *Moneat ordinandos ut instrumenta in quibus character imprimitur tangant ;* ut advertit Fagnanus lib. 1 *Decret.* in cap. *Cum venisset* 1 *De sacra unctione*, n. 34. Quod ex perpetua Ecclesiæ praxi ab omnibus episcopis observatur sollicite requirendo, ut omnibus ordinandis, vere, physice et realiter tangatur materia tradita, quæ praxis per traditionem ex Christi institutione profecta esse videtur. Tum etiam, quia in quolibet sacramento habente materiam, necesse est, ut suscipiens contingat illam, sicuti patet in baptismo, confirmatione et aliis, adeoque, etc. »

III. « Fuit dictum notanter requiri contactum physicum *saltem mediatum*, quia certum est non exigi contactum immediatum materiæ ad essentiam sacramenti requisitæ; presbyterandi enim nunquam tangunt immediate vinum contentum in calice, quod tamen spectat ad materiam essentialem sacramenti. Hinc, si quis claves, urceolos, librum Epistolarum et Evangeliorum, calicem, etc., tangeret manu obvoluta chirotheca, strophiolo, superpelliceo, etc., non ideo esset irritus ordo, quia communissime et rectissime dicitur tangere, vel palpare hominem qui eum apprehendit manu, ut supra, obvoluta. Sic doctores communiter, tradentes insuper non esse necesse ad valorem sacramenti, quod materia utraque manu vel uno tantum digito tangatur, quia sic adhuc verificatur tactus, et quælibet res sufficienter est, et dicitur tacta. Imo etiam, si solis manus unguibus, quia ipsi pars digiti censentur, ut tradunt in terminis card. de

Lugo *Resolut. moral.* tit. I, dub. 1, n. 8, et alii... In praxi tamen tenendum est, quod materia tangenda sit nuda, altera saltem manu. Insuper advertunt et tradunt plures contactum faciendum esse utraque manu ex præcepto ad scrupulum vitandum. »

IV. « Etiam notanter fuit dictum, non sufficere *contactum moralem*, videlicet si quis manum extendat, et appropinquet materiæ, et non tangat illam, seu inclinatione capitis vel alio æquivalenti signo significet se materiam oblatam ab episcopo acceptare, quia cum sententia nostra requirens ad valorem sacramenti contactum physicum saltem mediatum, sit tutior sententia contraria docente sufficere contactum moralem, non videtur posse tute illum sequi post damnatam ab Innocentio XI propositionem primam, quæ dicebat licitum esse in conferendis sacramentis sequi sententiam probabilem, relicta tutiori, etiam quando agitur de valore sacramenti. Unde, ut refert Mastrius, dist. 19 *Theolog. moral.*, n. 26, Clemens VIII aliquos sic ordinatos ab episcopo Sagiensi sub conditione reordinari præcipit. Quod et docet Pontas, verb. *Ordines*, cas. 13, 14, 15, per text.; in cap. *Pastoralis* 1, *De sacrament. non iterand.*, ubi Innocentius III statuit, quod *caute supplendum* (est), *quod incaute fuerat prætermissum;* et in c. *Presbyter* 3, eod. tit., ubi Gregorius IX decrevit, quod *statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos caute supplendum* (est), *quod per errorem exstitit prætermissum.* »

V. Aliqui defendunt « non esse necesse ad valorem sacramenti, ut contactus materiæ fiat simul physice cum prolatione formæ, sed sufficere, si fiat simul moraliter, id est paulo ante, vel paulo post. » — Navarrus vero, et alii multi sustinent, ad valorem sacramenti traditionem materiæ, et prolationem formæ debere esse simul, non tantum simultate morali, sed etiam physica, saltem in aliqua parte, adeo ut, si totaliter ponatur prolatio formæ ante vel post contactum materiæ, nullo modo subsistat sacramentum. Hinc quia hæc sententia est tutior prima, et cum agatur de valore sacramenti, sequenda sit tutior, ut ex propositione 1 inter damnatas ab Innocentio XI, die 2 Martii 1679, non est in praxi ab hac posteriori recedendum, nisi aliter constet esse vere a sancta sede decisum. Unde consultissimum est ut minister sacramenti curet majorem, quam potest facere simultatem materiæ et formæ in omnibus sacramentis

VI. Episcopus ordinans, qui profert formam, debet etiam per se ipsum porrigere materiam tangendam ab ordinandis. (Sic Suarez, t. V, disp. 42, sect. 3, n. 12 et alii.) — Et expresse decrevit sacr. congr. S. Officii, die 1 Augusti, 1697, apud Pacuc. *In Compend.*; Pignat. *De ordine et ordinatione.* Qua re mature perpensa statuit ordinatos ab episcopo, qui per alium fecerat porrigere materiam, esse reordinandos sub conditione ad formam Pontificalis Romani, non servatis tamen interstitiis, et extra tempora habilitando, et dispensando forsan inhabiles ad quæcunque beneficia et dignitates, etiam curata, et absolvi mandavit eosdem ab irregularitate, exercitio ordinum forsan contracta. Et sic ordinatos ab episcopo Sagiensi, qui non tradiderat per seipsum instrumenta ordinandis, reordinari, saltem sub conditione, mandavit Clemens VIII, teste Mastrio, citat. disp. 19, n. 26. » (Ferrar. verb. *Ordo*, art. 1, n. 54 et seqq.)

Notandum est in ordinatione presbyterorum, quod ordinandi manus unctas, clausas et alligatas tenent. « Omnium manibus unctis et consecratis, pontifex pollicem cum medulla panis abstergit; tum tradit cuilibet successive calicem cum vino et aqua, et patenam superpositam cum hostia et ipsi (manus unctas et clausas tenentes) illam accipiunt inter indices et medios digitos, et cuppam calicis et patenam simul tanguni, pontifice singulis dicente : *Accipe*, etc. » — Post evangelium « dum offertorium cantatur, vel etiam prius (postquam tetigerunt calicem et patenam) ordinati sacerdotes poterunt lavare manus suas cum medulla panis, atque extergere mappulis illis, quibus ligatæ erunt. » (*Pontificale Roman.* rubr. *De ordinatione presbyteri.*) — Et ideo est contra rubricam extergere manus unctas priusquam accipiantur et tangantur calix et patena, ut notum est nobis factum fuisse in aliqua Galliarum diœcesi.

Possunt neo-mystæ primam missam cum episcopo ordinante lectam, seu celebratam, offerre pro altero, non aliter ac si soli illam legerent; reipsa enim consecrant et substantialiter ponunt sacrificium. At vero videtur quod pro tali missa non possunt stipendium accipere, quia petens et offerens elcemosynam pro una missa censetur velle

aliam cum omnibus cæremoniis, actionibus solitis ad altare peragendam ; tum quia dubium est an consecrent ; cum dubium sit quod forte verba consecrationis non absolvant cum episcopo, sed post, jam ab ipso peracta consecratione.

Hinc monendi sunt neo-mystæ, quod omni diligentia curent verba consecrationis una cum episcopo, non ante, nec post, incipere et absolvere ; sicque consultum est, ut consimilem forment intentionem : « Si verba consecrationis incepero, et absolvero cum episcopo, volo consecrare, alias non ; » quia si aliquis neo-presbyter absolute volens consecrare verba consecrationis absolveret ante episcopum, episcopus nihil consecraret, cum jam esset tota materia consecrata : quod videtur inconveniens. Et econtra, si dicta verba absolveret post episcopum, ipse neomysta nihil posset consecrare, quia nihil superest consecrabile, adeoque frustra proferret formam volens consecrare, ut recte notant doctores. Et præsertim Lacroix, subdens quod ad tollendum omnem scrupulum, sufficit quod neo-presbyter conetur verba absolvere cum episcopo, et velit solum facere quod ibi vult fieri Ecclesia, aut sicut meliori modo fieri potest. (Ferrar., verb. *Ordo*, art. 2, n. 115.)

VII. Sacri vero ordines intra missarum solemnia nec ab alio quam ab episcopo ordinante celebranda conferendi sunt, et reum se gravis culpæ episcopus constitueret, qui, alio sacerdote celebrante, ipse interim sacræ ordinationis ministerium præsteret. Valeret tamen ordinatio. (Bened. XIV, *De synod. diœc.*, lib. VII, cap. 26, n. 5 et 6.)

CAPUT VIII.

De episcopi potestate jubendi et ex informata conscientia prohibendi ascensum ad ordines pro seminaristis et pro non seminaristis.

§ I. — De episcopi potestate jubendi ascensum ad ordines.

Episcopus non potest cogere clericos minorum ordinum ad suscipiendos sacros ordines. (S. congr. Immunitat., 23 August. 1662 ; lib. I, decis. *Rocci*, fol. 102, a tergo.) Ita nec in ordinibus conferendis promissiones sacros ordines suscipiendi ab ordinatis recipere, et ob observantiam promissionis eos privilegiis clericalibus privare. (Ead. sacr. congr. *in Hyeracen.*, 12 August. 1642 ; lib. III, decis. *Paul.* fol. 181.) Quia in malis promissis non expedit fidem observare. (Dyn., *De regulis jur.*, c. *In malis.*) Et axioma dicit : *In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum.*) (C. *In malis* 22, quæst. — Ita Monacelli, tom. II, tit. XIII, formul. 3, adnot. 45.)

Attamen hæc Monacelli sententia limitatur ex cap. *Quæris* 6, *De ætat. et qualitat.*, lib. I *Decret.* quod sic summatur : *Propter necessitatem et utilitatem Ecclesiæ, compelluntur clerici ipsius recipere ordines, suis beneficiis non annexos.* Ibi : *Quæris a nobis, quid agendum sit de clericis tuæ jurisdictioni commissis, qui cum beneficiis ecclesiasticis multis abundent, a te commoniti nolunt ad majores ordines promoveri, sed tale quid secreto, commisisse dicentes, quod eos salva conscientia ordinari non sinit. Cum igitur super hoc casu videantur sacri canones discordare (cum quidam dicant eos minime compellendos, alii vero contrarium asseverent), omnis contrarietatis vinculum præsenti pagina enodamus : statuentes, ut si prædicti clerici perceptione majorum ordinum propter occulta sua peccata se indignos esse fatentur, inferiores in Ecclesia, quorum sit vita probabilis, præferantur eisdem. Et nisi forte illi, qui ordinari pro jam dicta causa recusant, in aliis Ecclesiæ servitiis valde utiles fuerint, auferantur eis beneficia, et aliis canonice conferantur. Quod si pro sola voluntate renuerint ordinari, et suaserit utilitas Ecclesiæ aut necessitas, ipsos (dummodo idonei sint) ad majores ordines recipiendos, per amissionem locorum et beneficiorum substractionem appellatione cessante compellas.*

Super hoc capite, notat Fagnanus : « 1° Clericos beneficia simplicia obtinentes per amissionem locorum et beneficiorum substractionem cogendos ad suscipiendos ordines sacros suis beneficiis non annexos ex causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ...—2° Episcopum non teneri statim credere beneficiato dicenti se non posse ad sacros ordines promoveri, eo quod læsam habeant conscientiam, sed posse nihilominus eum compellere ad ordines suscipiendos... — 3° Nota secundum Innocent. n. 2, in verb. *Compellas*, duas differentias inter eos, qui renuunt ordinari ex causa, eo quod fateantur se aliquid tale secreto commisisse, quod eos salva conscientia ordinari non sinit, puta enorme, vel mediocre delictum, ut in cap. *Ex tenore*, supra, *De tempor. ordinat.*, et eos, qui renuerant ordinari pro sola voluntate.

« *Prima differentia* est, quia in primo casu nisi sint valde utiles in aliis ecclesiæ negotiis (puta temporalibus) perpetuo beneficiis privantur, ut patet ibi... In secundo autem casu cum renuunt ordinari pro sola voluntate, non ex toto auferuntur eis locus et beneficium, sed tantum redditus subtrahuntur ad tempus, quousque ordines recipiant, et hoc innotuit verbum *compellas*. Si enim auferrentur eis ex toto, iniquum esset eos ulterius compellere ad ordines suscipiendos, ut bene advertit hic Innocent. num. 2, in verb. *Per amissionem*... Verum hoc limitat Host. n. 6, nisi rebelles exstiterint, quia tunc ex toto privandi sunt beneficiis ; et est ratio secundum eum, quia magis contemnit is qui sua voluntate ordinari recusat, quam is qui justum impedimentum allegat. Ergo cum magis rebelli durius, et cum minus rebelli mitius est agendum...

« *Altera differentia* est, quia in primo casu cum beneficiati renuunt ordinari propter occulta peccata, non coguntur præcise, sed causative, ut sic de nolentibus fiant volentes ; nam si voluerint promoveri non sunt privandi secundum Gloss. hic in verb. *Utilitas*, et Innocent. n. 2, in verb. *Auferantur ;* cum quibus alii consentiunt, et est simile in cap. *Consuluit*, dist. 74. Unde nec possunt hoc casu excommunicari, cum nemo præcise cogendus sit crescere. (C. *Gesta* et c. *Ubi*, ead. dist.) In secundo autem casu absolute cogi possunt ad sacros ordines recipiendos, cum impedimentum criminis non allegent, sed pro nuda voluntate contumaciter resistant.

« Ultimo nota textum ad hoc valde notabilem, quod clericus inhabilis promoveri non debet ad sacros ordines etiam subsistente causa necessitatis et utilitatis Ecclesiæ... et sacr. congr. Cardinalium concil. Trident. interpretum..., respondit ignaros nullo modo promovendos ad sacros ordines. »

« Quæro si episcopus ex causa necessitatis vel utilitatis Ecclesiæ velit compellere clericos suæ diœcesis ad suscipiendos ordines sacros suis beneficiis annexos, et ipsi fateantur se peccatum aliquod secreto commisisse, quod eos ordinari non sinat, an talis confessio præjudicet, adeo ut sic renuentes beneficiis privari possint ?

« Pro solutione distinguendum est triplex forum, ex mente doctorum hic... Et quidem si beneficiati fateantur in foro contentioso se hujusmodi peccata commisisse, utique talis confessio præjudicat, adeo ut secundum quantitatem delicti beneficiis privari possint, quia facit notorium juris, ut in c. *Quæsitum*, supra, *De temp. ordinat.* — Sin autem confiteantur in foro pœnitentiali, nullatenus privari debent, quia sic proderetur peccator pœnæ impositione : contra jura, ut in c. 2 *Infra*, *De offic. ordin.* cum suis concordant. in quo similiter omnes conveniunt. Debent tamen in ipso pœnitentiæ sacramento instrui et informari, quod salva conscientia beneficium retinere non possunt, et suaderi ut cedant si crimina sint talia, quæ post pœnitentiam impediant ordinis exsecutionem, secundum ea quæ leguntur et notantur in cap. *Nisi cum pridem*, *De renunt.* Ac deinde conscientiæ suæ sunt relinquendi, secundum Hostien. et alios prælegatos. Si tamen postea ex contemptu renuerent ordinari, et de hoc constaret judicialiter, bene privari possent..... Si vero talis confessio fiat in judicio misto, puta in examinatione ordinandorum, vel si audita monitione prælati secreto confiteantur ei, non tanquam sacerdoti, sed tanquam episcopo ; tunc quia judiciale, repelluntur, et quia pœnitentiale pœna ordinaria non puniuntur, ut formaliter inquit Hostiens. num. 2, in verb. *Secreto*, id est, realis confessio cum emanaverit in judicio misto partim sapit naturam fori judicialis, partim fori pœnitentialis. In quantum participat de foro contentioso, clerici qui confitentur talia, repelluntur. In quantum participat de foro pœnitentiali non plectuntur pœna ordinaria. Quod ipsum notat Hostien. in *Summa de scrutin.*, ubi ait hujusmodi confessionem in judicio misto habere effectum et finem repellendi, non autem effectum et finem puniendi allegat cap. *Cum dilectus*, *De ordin.* »

« *Secundo*, quæro generaliter, an, et quatenus episcopus possit cogere clericos sibi subditos ad ordines suscipiendos. Hæc quæstio plures implicat inspectiones. Unde sic distingue ex mente Glossæ in *Summa*, 74 dist. et doctores.

1. « Aut clerici sunt non beneficiati, nec habentes titulum, et hos episcopus compellere non potest, quia sacramentum ordinis est voluntarium, ut legitur et notatur in c. 39, § *Si ergo sacramenta*, causa 1, quæst. 1 ; in § ultim. c. 23, causa 22, quæst. 4 ; et c. *Veniens*, *De transac.*, etc., etc. Quod procedit etiamsi

sint exspectantes auctoritate apostolica vigore mandati, de providendo, seu ad vacatura ; nam tales, etiamsi velint, ad titulum hujusmodi exspectationum ad sacros ordines promoveri non possunt...

« Rursus hoc procedit etiamsi sint pensionarii, nam nec tales etiam volentes ad titulum pensionis promoveri possunt, cum pensio non sit titulus ad ordines nisi dispensative, ut sacr. congr. declaravit... Et cum hæc materia compulsionis ad ordines in non arctatis ratione beneficii sit exorbitans, appellatione beneficii non venit pensio, ut est text. in c. *Quamvis, De præb.* in 6.

2. « Aut clerici sunt beneficiati, et tunc subdistinguenda sunt duo membra. Primum est, cum beneficia hujusmodi habeant ordinem annexum ; secundum est, cum non habent.

« In primo membro principali, si quidem nullum appareat canonicum impedimentum quod obsistat, utique poterit prælatus compellere clericos ad suscipiendos ordines suis beneficiis annexos, sub distinctione tamen beneficiorum, secundum Gloss. præallegat. in cap. *Licet canon*... Nam si beneficium sit parochiale, et non fecerint se promoveri infra annum, absque monitione aliqua sunt ipso jure beneficio privati, ut in d. c. *Licet canon, De elect.* in 6. Idemque dicendum de prioratibus conventualibus, ut in Clement. *Ne in agro, De statu monac.* et est simile in episcopatu in quo non requiritur monitio, sed sufficit negligentia per lapsum temporis, a canone præfiniti, ut in d. c. *Quoniam quidem*, dist. 100, et in d. c. *Cum in cunctis, De elect.* Et hodie est expressum in concil. Trident. c. 2, sess. 23.

« Si beneficium sit collegiatum et curatum, privari possunt, ut in d. c. *Cum in cunctis.*

« Si sint dignitates non curatæ, puta archidiaconatus, abbatia, decanatus, præpositura et archipresbyteratus, similiter cogi poterunt per subtractionem beneficii monitione præmissa...

« Si sit canonicatus, vel præbenda, aut portio in cathedrali, vel collegiata Ecclesia, quandiu non promoventur ad ordinem illi annexum, privantur voce in capitulo, eisque subtrahitur pars dimidia distributionum. Hic est textus in Clement. *Ut ii, De ætat. et qualitat.* innovata et ampliata a concilio Trident. in cap. 4, sess. 22 ; et sæpius respondit sacr. cong. Concil...

« In secundo autem membro principali, id est cum episcopus vult cogere clericos ad suscipiendos ordines suo beneficio, vel dignitati non annexos juxta terminos hujus decretalis, si quidem necessitas vel utilitas Ecclesiæ non exigit eos promoveri, non sunt ullatenus cogendi. Quinimo puniendus esset episcopus si eos cogeret, ut cap. 1 et 2, et cap. *Ubi ista*, dist. 74. Si vero id exigat Ecclesiæ necessitas vel utilitas, refert an clerici renuant ordinari propter crimen, quod fatentur se commisisse, aut propter aliud impedimentum quod asserunt se contraxisse, aut pro nuda voluntate.

« In primo casu, cum, excepto homicida et simoniaco, et aliis criminosis, qui post peractam pœnitentiam ordinis exsecutionem non habent..., quilibet peccator occultus, peracta pœnitentia, salva conscientia possit promoveri, et in susceptis ministrare..., cogendi erunt se dignos facere per pœnitentiam..., ut scilicet episcopus dispenset cum eis... Quod si pœnitere, ac se dignos facere recusaverint, episcopus debet alios inferiores ad illos ordines promovere, et renuentes a beneficiis amovere, et illa conferre clericis, ut præfertur, promotis, ut hic et in hoc casu potest intelligi, cap. *Consuluit*, dist. 74... Possunt etiam compelli per suspensionem ab ordinibus jam susceptis, et sic possunt intelligi textus in cap. *Si qui clerici*, et cap. *Placuit*, dist. 79.

« In secundo casu, id est, cum renuunt ordines suscipere propter impedimentum puta infirmitatis, vel aliud temporale, aut perpetuum non proveniens ex delicto suo, tunc non sunt cogendi. Quod si cogerentur, et appellarent, esset eorum appellatio admittenda. (Arg., lib. 1, § *Si quis tutor.* ff. *Quand. appelland. sit.*)

« In tertio denique casu, scilicet cum renuunt ordinari pro sola voluntate; seu, quod idem est, ex injusta causa... primum debet episcopus eos privare loco, auferendo vocem in capitulo, vel quotidianas distributiones, vel aliter aggravando, ut hodie patet in Clement. *Ut ii, De ætat. et qualit.*... Quod si in contumacia perstiterint, debebit eis beneficiorum redditus subtrahere.... et durante contumacia, poterit eos privare beneficio appellatione remota.... » (Huc usque

FAGNAN. in II part. primi decret. *De ætat. et qualit.*, c. *Quæris*, per tot.)

Quoad Gallias, manifestum est ex huc usque dictis episcopos in statu rerum non posse ullos clericos compellere ad ordines sacros suscipiendos; quia nulli sunt clerici beneficiati, nisi sint jam presbyteri.

§ II. — De episcopi potestate ex informata conscientia prohibendi ascensum ad ordines.

I. Concilium Tridentinum per caput 1, *Cum honestius*, *De reform.* sess. 14, novum jus induxit. Ex juris enim communis dispositione episcopo non licebat suos subditos suspendere extrajudicialiter, et ex quacunque causa etiam ob occultum crimen; monere quidem poterant criminosos occultos, ne ordinarentur, sed prohibere non debebant. (C. *Ex tenore*, *De tempor. ordin.*; ita FAGNAN. in c. *Ad aures*, eod. tit. in II part. primi decret.) — At ex capite 1, sess. 24 Trident., concessa fuit episcopis auctoritas etiam suspendendi criminosos occultos ab ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus, et etiam prohibere ob occultum crimen ascensum ad ordines. (Ita FAGNAN. *Ibid.*)

« Episcopus potest ob crimen occultum, etiam extrajudicialiter cognitum, clericis interdicere ascensum ad ordines superiores, et susceptorum ministerium, seu exercitium. (BENED. XIV, *De synod. diœces.* lib. VII, c. 71, n. 3 ad 5; ubi scite adducuntur *Concil. Trident.* sess. 14, cap. 1, *De reform.*, et decreta sacræ congregationis ejusdem concilii interp.) — Et adeo verum est posse episcopum, virtute prædicti decreti concilii Tridentini, ex causa sibi nota clericum interdicere tam sacrorum exercitio, quam ascensu ad altiores ordines, ut neque teneatur *causam suspensionis, seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum sedi apostolicæ, si suspensus ad eam recursum habuerit;* quod præcisis verbis respondit sacr. congr. Concil. episcopo Vercellensi die 21 Mart. 1643, lib. XVII *Decretor.*, p. 170 et seq. — Et universim loquendo, episcopum renuentem alicui ordines conferre, nullo jure obstringi ad manifestandam causam cur eum repellat, neque ei, qui repulsus est, nullam competere appellationem, sed tantum permitti adire sedem apostolicam, eique suas querelas exponere declaravit ead. sacr. congr. *In Rhemensi* die 21 April. 1668. » (FERRAR. verb. *Ordo*, art. 2, n. 124 et seq. — Ita etiam MONACELL. tom. II, tit. XIII, formul. 3, adnot. 45.)

II. « Si (de hac potestate episcopi) abuterentur, subditi haberent remedium recursus ad sedem apostolicam. (C. *Ex litteris*, *De in integr. restitut.*) Ideoque cum olim de hoc ipso dubitatum esset quoad episcopos, sacr. congr., re ad Gregorium XIII delata, edidit decisionem, quæ postea perpetuo obtinuit in Dataria, videlicet: quotiescunque ordinarius recusaverit quemquam ordinare, committendum esse metropolitano, vel viciniori episcopo, ut ab eodem ordinario prius requirat cur recusaverit; quo causam legitimam non allegante, liceat illi eumdem recusatum ordinare. » (FAGNAN. in c. *Ad aures*, *De temporibus ordinat.* in II part. primi decretal. n. 22.) — « Ex motivo, addit Monacelli, quod ordines absque legitima causa nemini denegari debeant; et cum Fagnano concordat Nicolius, *Lucubr. can.* lib. I, tit. II, *De tempor. ordinat.* n. 12, vers. *Praxis.* »

« Tondut. *Quæst. benef.* tom. II, cap. 127, n. 1, docet, quod episcopo recusante prætextu non juridico clericum beneficiatum examini paratum se exponere, ad sacros ordines promovere, eoque appellante ad superiorem, committatur viciniori illius ordinario: et hanc praxim ad clericum non beneficiatum extendit Passerinus in c. *Cum nullus*, n. 138, in fin. *De tempor. ordin.* in 6.

« Sacr. congr. Concil. *in una Majoricen. ordinationis*, in qua quidam clericus degens in Urbe adversus denegatas dimissorias ab ordinario recursum porrexerat, ut episcopus cogeretur ad illas transmittendas die 14 Januarii et 4 Martii 1690, rescripsit *Lectum.*

« Sacr. congr. Episc. et Regul. recursui Nicolai Resta, laici Brundusini, præsentati ad beneficium juris patronatus, adversus archiepiscopum, qui ad primam clericalem tonsuram eum promovere recusabat, 31 Augusti. 1691 rescripsit ad archiepiscopum, *ut initiet oratorem in casu de quo agitur intra mensem, et quatenus non initiaverit, initietur a quocunque servatis servandis.*

« Item eadem sacr. congr. *in alia Montis Falisci* appellante clerico Candelori 26 Septembr. 1696; et *in Calaguritana* recurrente clerico Dominico Frexenda, in Urbe commorantibus, adversus denegationem litterarum dimissorialium suorum ordinariorum, recursus omnino, et absolute rejecit.

« Ex quibus resolutionibus (quidquid

dixerint supra citati doctores, regula constitui potest, quod quando agitur de aliquo modo arctatis, beneficio provisis, vel in sacris constitutis, dimissoriæ absentibus denegari non debent, si non adsit aliquod canonicum impedimentum, et quatenus episcopus deneget datur ad superiorem recursus, et tunc intrat doctrina Tonduti.

« Si vero agatur de his, qui ex devotione, et ex mera libera voluntate et motivo cupiunt ordinari, et tunc nec ordines conferre, nec dimissorias concedere episcopus compellitur, quia concil. Trident. sess. 21, cap. 2, *De reform.*, hos ordinari non deberi decernit, nisi episcopus assumendos esse pro utilitate Ecclesiæ judicaverit. Si ergo arbitrium, quod habet, juste et cum causa non interponat, Deum solummodo judicem habebit. (Barbos. *De offic. et potest. episc.* alleg. 4, n. 66.) Hancque distinctionem veram esse tenet quoque card. de Luca *De benef.* dist. 71, n. 3 et seq.

« Censeo tamen quod episcopi, qui absentibus moribus, scientia et virtute præditis, quamvis non arctatis, neque beneficio provisis dimissorias denegant, non sint laudandi, quia tunc irrationabiliter arbitrio abutuntur quod semper etiam libere et absolute concessum regulari debet ad normam boni viri, ut dixit Rota, decis. 188, n. 31, p. 17 *rec.* Et quod propterea pro his, juste illorum dissensum superior supplere possit, et arbitrium interponere. » (Monacelli, t. I, tit. IV, formul. 2, adnot. 6 et seq.)

III. Ex præallegatis nequit episcopus aliquem ab ordinibus ex informata conscientia repellere absque legitimis causis, quas probare possit coram sacr. congr. Patribus; quia recursus semper patet recusato, et si legitimæ recusationis causæ non allegantur, sacr. congr. jubet recusatum ordinari, aut ad alium episcopum remittit ut ordinetur ab eo.

IV. Hæc est doctrina generalis doctorum. Nobis tamen distinguendum esse videtur in praxi inter seminaristas et non seminaristas. Quoad non seminaristas, quæ dicta sunt absolute applicanda veniunt. Sed aliqua moderatio in seminaristarum favore videtur erui posse ex cap. 18, sess. 23 Trident. Ibi enim statuit sancta synodus omnia ad seminaristas spectantia tractanda esse ab episcopo cum concilio duorum canonicorum ad hoc perpetuo deputatorum. Unde videtur quod episcopus teneatur duorum istorum canonicorum consilium requirere, quando agitur de seminarista repellendo ab ordinibus etiam extrajudicialiter.

V. Videtur etiam sententia Monacelli et aliorum de arbitrio episcopi recusandi eos qui ex mera devotione promoveri ad ordines postulant, limitanda esse quoad seminaristas in minoribus constitutos. Etenim sancta synodus Trident. cap. 11, sess. 23, statuit : *Minores ordines iis, qui saltem..... conferantur, cumque hinc ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur quem non scientiæ spes majoribus ordinibus dignum ostendat.* Ex hac lege sequitur promotos in minoribus scientiæ spe majoribus ordinibus repertos fuisse, et in rerum præsertim Galliarum statu dictos clericos non consensisse ad minores promoveri nisi cum spe certa sacrorum ordinum si nullum tamen impedimentum ponant; in hac spe consumant suæ annos juventutis, omnibus aliis laicorum muniis et officiis ex quibus honorabilem vitæ sustentationem habere possent renuntiantes; publice noscuntur tanquam ad clerum pertinentes, clericaturamque absque aliquo certo reputationis suæ detrimento valedicere nequeunt. Unde in eorum ad minores ordines promotione ipsosmet inter et episcopum ordinantem fit verum quasi contractum. Proindeque consequitur tales clericos jus naturale et etiam canonicum saltem in sacrosanctæ synodi mente fundatum ad majores ordines acquisivisse, dummodo aliis canonicis impedimentis non arceantur.

Certum igitur videtur episcopum non posse absque legitimis causis coram sacr. congr. probandis seminaristas in minoribus constitutos ab ordinibus sacris repellere. Certissimum vero est nec rectorem seu superiorem seminarii, nec magistros seu professores per se ipsos solos absque episcopi judicio et consensu posse illos seminaristas ab ordinibus quibuscunque repellere. Hoc sequitur ex omnibus juribus et præsertim ex cap. 18 et 7, sess. 23 *Trident.*

CAPUT IX.

De obligationibus, juribus et privilegiis ordinandorum et ordinatorum.

§ I. — De obligationibus.

I. Preces et missæ in ordinatione injunguntur ab episcopo secundum *Pontificale Romanum*, his verbis : *Singuli ad primam*

tonsuram, vel ad quatuor minores ordines promoti, dicite semel septem psalmos pœnitentiales cum litaniis, versiculis et orationibus. Ad subdiaconatum vel diaconatum, nocturnum talis diei. Ad presbyteratum vero ordinati, post primam vestram missam tres alias missas, videlicet unam de Spiritu sancto, aliam de B. Maria semper Virgine, tertiam de fidelibus defunctis dicite et omnipotentem Deum etiam pro me orate. Quod illi devote suscipiunt et respondent sic facturos. Unde Suarez et alii volunt ista persolvenda esse sub mortali; quam sententiam Stephanus, tract. 5, disp. 4, num. 72, dicit esse probabiliorem; quia episcopus potest, et quando aliud non declarat, censeri debet graviter imperare; cum hæc materia sit gravis. Econtra Diana et alii defendunt esse tantum obligationem decentiæ, non autem sub peccato mortali; præsertim quia, licet sub mortali possint id episcopi imperare, tamen id hactenus non declaraverunt; unde videtur tuenda benignior sententia, quod non peccetur mortaliter, sed solum venialiter, si id negligatur. (Lacroix, lib. VI, part. II, n. 1319; argum. c. *Statutum* 22, *De elect.* in 6, c. *In pœnis* 49, *De regulis jur.* in 6, etc.)

« Nocturnum autem, quod præscribitur subdiaconis et diaconis est nocturnum feriale, non vero necessario est illud ipsius diei quo fit ordinatio, sed cujuscunque quem episcopus designat. (Communis.) Si vero episcopus nullum determinatum diem designat, probabilius debet recitari Nocturnum talis diei ordinationis, uti colligitur ex verbis Romani Pontificalis.

« Missæ tamen presbyteris injunctæ non debent necessario celebrari primis diebus post ordinationem impeditis post primam missam; sed primis diebus non impeditis, id est quibus licebunt post primam missam missæ votivæ et de *requiem*. Et has tres missas possunt neopresbyteri offerre pro quibuscunque voluerint stipendium accipiendo. Et sufficit quod pro episcopo ordinante orent, ut patet ex verbis solitis ab episcopis post ordinationem proferri : *Et omnipotentem Deum etiam pro me orate.* » — (Ferrar. verb. *Ordo*, art. 2, n. 112 et seqq.)

II. Ut prima tonsura initiati et ad minores ordines promoti gaudeant clericalibus privilegiis, necesse est ut clericalem habitum, id est vestem talarem seu subtanam et tonsuram deferant. (*Trident.* sess. 23, c. 6.) Idem clerici debent in unoquoque suorum ordinum munere juxta præscriptum episcopi, se exercere et Ecclesiæ inservire, doctrinam Christianam frequentare : *Atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate vitæ meritum et doctrina major accrescat, quod et bonorum morum exemplum et assiduum in Ecclesia ministerium, atque major erga presbyteros et superiores ordines (id est diaconos et subdiaconos) reverentia et crebrior, quam antea, corporis Christi communio maxime comprobabunt.* (*Trident.* sess. 23, c. 11.)

III. Ad sacros ordines assumptorum probata vita senectus sit. (*Trident.* sess. 23, c. 12.) Castitatem, Deo auctore, servare stricte tenentur subdiaconi et superiores. (C. *Diaconus* 1, c. *Presbyteris, diaconis et subdiaconis* 8, dist. 27; c. *Nullum* 1; *Decernimus* 2, *Quando* 3, dist. 28 et per tot., et omnia jura et *Trident.* sess. 23, cap. 13, *De reform.*)

IV. « Titulo sacri ordinis obligantur sub mortali ad recitandum divinum Officium, seu Horas canonicas omnes majoribus ordinibus initiati, scilicet subdiaconi, diaconi et presbyteri, quamvis nullum habeant beneficium, nec aliquo voto ad id sint astricti. (Communis.) De sacerdotibus et consequenter de episcopis habetur in c. *Presbyter* 1, et cap. *Dolentes* 9, *De celebrat. missar.* De diaconis colligitur, ex cap. *Si quis presbyter* 9, dist. 92. De omnibus etiam subdiaconis habetur expresse in concilio Basileensi sess. 21, § *Quoscunque*. Quia tamen cit. cap. *Si quis presbyter*, dist. 92, non satis convincit de diaconis et cit. concil. Basileense fuit acephalum et sine capite, adeoque non satis ex ipso inducitur obligatio de omnibus constitutis in sacris ordinibus, dicendum est obligationem recitandi divinum Officium respectu diaconorum et subdiaconorum fundari in communi et antiqua Ecclesiæ consuetudine, vim legis secundum omnes obtinente; cum consuetudo legitime præscripta habeat vim legis, simulque ea sit optima legum interpres. » (C. *Cum dilectus* 8, *De consuetudine.*)

« Obligatio recitandi Horas canonicas incipit a prima die et hora suscepti subdiaconatus; ita ut ordinatus in subdiaconum teneatur recitare illas Horas, quæ correspondent horæ suæ ordinationis, sicque sua obligatio a Sexta, vel Nona, si illo tempore,

II. Clerici in minoribus constituti non eximuntur a patria potestate, nisi in iis quæ spectant ad res Ecclesiæ et beneficia ecclesiastica; ideoque secundum communem expositionem sunt sub patria potestate etiam quoad violentam manuum injectionem.

Per sacros ordines funditus non tollitur patria potestas; tolluntur tamen illius effectus ordini sacro improportionabiles et incongrui. Hinc in bonis patrimonialibus et profectitiis adhuc remanent effectus patriæ potestatis; remanet naturalis reverentia, quam tenentur patri exhibere. Sicut e converso pater exhibebit reverentiam filio in oblationibus, confessionibus, et aliis id genus, et sic erit inter eos reciproca reverentia, quia aliud domi, et aliud in ecclesia. In omnibus causis ecclesiasticis, ut in beneficialibus, et aliis causis spiritualibus et ab eis dependentibus filius familias clericus, etiam in minoribus tantum, agere potest sine patris auctoritate. Quoad violentam manuum injectionem sacer ordo tollit effectum patriæ potestatis, ita ut pater percutiens filium in sacro ordine constitutum, in excommunicationem incidat. Propter nimiam egestatem non licet patri distrahere filium in sacris constitutum. Fatetur etiam Hostien. filium in sacris constitutum esse privilegiatum quoad peculium adventitium. — Ita fere ad verbum Fagnan. et apud eum multi in II part. primi decret. *De ætat. et qualit.* cap. *Indecorum*, passim.

III. Ad sacros ordines promoti gaudent omnibus privilegiis, exemptionibus, etc., a servitiis, decimis, impositionibus ex parte civilis potestatis, ut in omnibus Ecclesiæ juribus statuitur.

CAPUT X.

De regularibus ordinandis.

§ I. — De abbatum potestate tonsuram et minores ordines licite et valide conferendi.

I. Abbates sæculares, etiam benedicti, quantacunque gaudeant exemptione, non possunt ullum, quanquam suæ jurisdictioni subjectum, ad primam tonsuram ordinesque minores promovere; nisi hanc potestatem a sede apostolica post Tridentinum concilium impetraverint. (Argum. ex cap. 10, sess. 23 *Trident.*, ita Bened. XIV, *De synod. diœces.*, lib. XII, c. 10, n. 10.) Quia concilium facultatem tantum regulares subditos ordinandi reliquit abbatibus, sed abbates sæculares *regularibus* non præsunt.

II. Abbates regulares et benedicti possunt absque speciali privilegio et pleno jure, subditis suis religiosis tonsuram et minores ordines conferre. (C. *Cum contingat* 9, *De ætat. et qualitat.*, c. *Abbates* 4, *De privilegiis* in 6; et communis.) Quod jus confirmatum fuit a Tridentina synodo sess. 23, cap. 10.

III. Abbates non benedicti, nisi sedis apostolicæ privilegium habeant, nequeunt etiam suis religiosis tonsuram aut minores valide conferre. (C. *Cum contingat* 9, *De ætat. et qualitat.* Et decisum fuit a sacr. congr. Concil. ut refert cardinalis Petra, tom. V, ad constit. 9 Pii II, sect. unica, n. 34.)

IV. Attamen, si abbas non benedictus habeat speciale privilegium, vel non habens privilegium si ter ab episcopo benedictionem postulaverit, isque renuerit, potest tonsuram et minores ordines religiosis suis conferre. Quoad speciale privilegium, patet ex sacr. congr. decisionibus supra citatis; et quoad secundum, ita communiter doctores ex cap. *Statuimus* 1, *De supplenda neglig. prælat.*, ibi: *Statuimus præterea ut, si episcopus tertio cum humilitate ac devotione (sicut convenit) requisitus, substitutos abbates benedicere forte renuerit, eisdem abbatibus liceat proprios monachos benedicere, et alia quæ ad officium hujusmodi pertinent exercere, donec ipsi episcopi suam duritiam recogitent, et abbates benedicere non recusent.* Et nostram conclusionem affirmant card. Petra, ubi supra, et Fagnanus, in dicto cap. *Statuimus*, n. 53.

V. Abbates, etiam vere nullius seu cum territorio separato, nulli sæculari tonsuram aut minores ordines conferre possunt: item nulli regulari alterius congregationis, quamvis dimissorias proprii superioris afferenti. (Constat ex Trident. cap. 10, sess. 23, *De reform.*, et pluribus sacr. congregationum declarationibus, et præsertim sacr. congr. Concil. ab Urbano VIII, 17 Januar. 1642, approbata.)

Si tamen abbas, cui facultas competit religiosis suis tonsuram et minores conferendi, ea conferat sæcularibus, vel regularibus subditis, collatio, etsi illicita, valida tamen erit, nec proinde iteranda. Quatuor sacr. congr. declarationes hanc sententiam firmantes adducit Bened. XIV, *De synod. diœc.*, lib. II, c. 11, n. 12. Plures etiam ejusmodi

declarationes citat card. Petra, ubi supra, n. 40 et seqq., et hæc doctrina jamdudum apud doctores communis evasit contra aliquos antiquiores.

VI. « An abbas qui potest minores ordines religiosis suis conferre, possit etiam eosdem conferre suis novitiis? Controvertitur. Affirmativam defendit Fagnanus in cap. *Cum inter*, *De sentent. et re jud.*, n. 7 et seqq.; negativam Ferraris, verb. *Novitius*, n. 93.

§ II. — De potestate episcopi quoad ordinandos regulares, et de horum juribus.

De hac quæstione exstant decreta Sixti V, Clementis VIII, 15 Martii 1596; constitutio Innocentii XIII, *Apostolici*, 30 Maii 1723; constitutio Benedicti XIV, *Impositi*, 27 Februarii 1746, et multæ sacrarum congr. declarationes et decreta.

I. Episcopus proprius quoad ordines regularibus conferendos est regulariter episcopus loci monasterii, in quo resident ordinandi; et pro monasteriis nullius est episcopus vicinior.

II. Prælati regulares possunt concedere suis subditis regularibus litteras dimissorias ad ordines. (Communis et habetur ex c. *Abbas* 3, *De privilegiis* in 6; ex *concil. Trident.*, sess. 23, *De reform.*, cap. 10; et expresse ex decreto Sixti V, et decreto sacræ congr. Concil. de mandato Clementis VIII edito, 15 Maii 1596.) Sed, secluso speciali privilegio, non possunt ipsas dimissorias concedere suis regularibus subditis, nisi ad episcopum diœcesanum, id est, ad episcopum intra cujus diœcesim situm est monasterium ordinandi, dummodo ipse episcopus diœcesanus ordinationes habuerit; alioquin, si diœcesanus ordinationes non sit habiturus, possunt prælati regulares, servatis servandis, concedere suis subditis regularibus dimissorias ad quemcunque alium episcopum catholicum. (Sic expresse cit. decret. de mandato Clement. VIII editum.)

III. Si regulares ordinandi morentur in monasterio nullius diœcesis, dimissoriæ concedendæ sunt ad episcopum viciniorem. (Sic expresse cit. decret. Clement. VIII adduct.) In casu, quo proprius episcopus ordinationes non teneat, possunt dimissoriæ regularium dirigi ad quemcunque alium episcopum, etiam ultra montes. (Ita multi apud Ferraris, verb. *Ordo*, art. 3, n. 61.) Expedit tamen ut dimissoriæ in similibus casibus dirigantur a regularibus superioribus ad aliquem episcopum viciniorem. (Id., *ibid.*, n. 64.)

IV. Benedictus XIV, constitutione *Impositi nobis*, 27 Februar. 1747, quæ nunc attendenda est omnino et observanda, confirmat decreta Gregorii XIII, Sixti V et Clementis VIII, ex quibus supradicta colliguntur. Præterea statuit ut superiorum regularium dimissoriæ, quæ ideo ad alium antistitem directæ fuerint, eo quod episcopus diœcesanus extra diœcesim commoretur, vel ordinationem non sit habiturus, nullius sint valoris et momenti, nisi illis adjuncta fuerit authentica attestatio vicarii generalis, vel cancellarii, vel secretarii ejusdem episcopi diœcesani, ex qua constet vel ipsum a diœcesi abesse, vel clericorum ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore per ecclesiasticas leges ad hunc effectum statuto. Quod si aliquis antistes regularem virum in sua diœcesi proprium domicilium non habentem, solis ipsius superioris dimissorialibus litteris contentus, sine adjuncta præfata attestatione in forma probante, ad ordines promovere præsumpserit, decernit et declarat hunc ipso facto incurrere in pœnas canonicas adversus eos constitutas, qui alienum subditum legitimis dimissoriis destitutum ordinaverint. Declarat tamen regulares volentes se promovere ad ordines non teneri ostendere dimissorias ordinariorum propriæ originis, sed sufficere ut observent formam præscriptam in decreto Clementis VIII, ut censuit etiam sacra congr. Concil., 28 Februar. 1654, et amplissime confirmavit 7 Martii 1674.

V. Quoad privilegia regularium ordines recipiendi a quocunque episcopo, notandum est contra aliquorum antiquorum sententiam : 1° hæc privilegia a Tridentino concilio fuisse sublata; 2° ex decretis sacræ congregationis ab Innocentio XIII deputatæ, ex ejusdem constitutione *Apostolici*, confirmata a Benedicto XIII const. *In supremo*; et constit. Benedicti XIV, *Impositi*, hæc privilegia suscipiendi ordines a quocunque catholico antistite non communicantur, et necesse est ut nominatim atque directe concessa fuerint. Hinc invalida sunt illa privilegia, si fuerint ante Tridentinum concessa, et dein non fuerint in forma specifica confirmata. Item invalida sunt, si fundentur duntaxat communicatione ordi-

num in privilegiis. (Ita expresse decrevit Benedict. XIV dict. const. *Impositi.*)

VI. Ex eo quod regulares privilegium habeant ordines recipiendi extra tempora, sequitur posse episcopum diœcesanum extra tempora regulares illos ordinare : at non sequitur dictum episcopum ad id teneri. (Ex citat. const. Benedict. XIV *Impositi*, § 1, n. 5.) Si renuat diœcesanus episcopus extra tempora ordinare illos regulares, qui habent privilegium ordines recipiendi extra tempora, non ideo possunt ii regulares ordinari ab alio episcopo; nisi forte simul habeant privilegium ordines a quocunque antistite recipiendi. (Ex cit. const. Benedict. XIV, *Impositi.*)

VII. Regulares vere professi, non autem alii ad titulum paupertatis religiosæ possunt et debent ordinari (*Pontificale Roman.* tit. *De ordinat. subdiaconi*), estque id extra controversiam apud doctores. (*Vide* Ferrar. verb. *Ordo*, art. 2, n. 100.) Scholastici Societatis Jesu, qui vota simplicia, non autem professionem emiserunt, de licentia generalis præpositi, absque titulo ordinari possunt. (Ferrar. *ibid.* n. 103.) Ita pluries a sacr. congr. Concil. declaratum est, apud Ferraris, verb. *Novitiatus*, n. 92.

VIII. Novitii sine titulo beneficii, vel patrimonii aut pensionis, nequeunt promoveri ad sacros ordines. (Argum. ex cap. 2, sess. 21 *Trident.*) Atque expresse sancivit Pius V, constit. *Romanus pontifex*, apud Ferrar. verb. *Novitius*, n. 89. Ideoque episcopus, in cujus diœcesi exstat domus novitiorum, potest tanquam proprius episcopus novitios cum aliquo titulo sacris initiare, non vero ad titulum paupertatis. Novitii etenim domicilium acquirunt in diœcesi ubi probationem agunt, ut communius existimant doctores apud Fagnanum, in cap. *Cum inter*, *De sentent. et re jud.* n. 7 et seq. Et rem tanquam certam affirmat Ferraris, verb. *Novitiatus*, n. 95. Plures tamen contradicunt.

IX. Superior vero regularis nequit dimissorias suo novitio concedere, ut ordinetur. (Communis, apud Ferrar. verb. *Ordo*, art. 3, n. 69; et verb. *Novitiatus*, n. 93 et seqq.)

X. Tenetur episcopus regulares examinare antequam ipsos ordinet; ut habetur in concil. Trident. sess. 23, c. 12, ibi : *Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur; privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.* — «Regulares, si fuerint ab episcopo diœcesano in examine reprobati, non possunt a suis superioribus mitti ad alios episcopos pro ordinibus suscipiendis, et si hoc faciant, ultra pœnas in citat. decreto Clementis VIII, quas incurrunt superiores regulares, episcopus non diœcesanus sic eos ordinans, a collatione ordinum per annum erit suspensus et ordinati a susceptorum ordinum exsecutione suspensi erunt, quandiu episcopo diœcesano expedire videbitur manere suspensos, ut sacra congr. Concil. respondit archiepiscopo novi regni Granatæ, 14 Maii 1620, lib. LVI *Decret.* p. 610. Sed si rejiciantur, debent recurrere per viam appellationis ad legitimum superiorem.» (Ead. sacr. congr., 23 April. 1604, lib. LV *Decret.* p. 859; apud Monacell. t. II, tit. XIII, form. 4, n. 29. — Ita Ferrar. verb. *Ordo*, art. 3, n. 67.)

« Superiores regulares, si ex industria et per fraudem transferant subditos de una diœcesi ad aliam, ut facilius ad examen admittantur, ac statim ordinati redeant ad primam diœcesim, peccant, et sunt punibiles in foro externo, ut contraventores præcepti summi pontificis, ut ex multis probat card. Petra, tom. I *Comment.* ad constit. unic. Urbani II, sect. 2, n. 34, ubi sub n. 37 subjungit quod ad rem proposito dubio in sacr. congr. Concil. *in una Neapolitana* die 8 August. 1692 : *Per quantum tempus regulares ordinandi commorari debeant in conventu diœcesis episcopi ordinantis, ad hoc, ut dici possint de familia ipsius conventus ?* sacr. congr. respondit: *Providebitur in casibus particulariter proponendis.*» (Ferraris, *ibid.* n. 65 et seq.)

« Cum regularibus faciliorem se præbere potest episcopus in ordine ad examen, ut ex Salmantic. *Theol. moral.* tract. VIII, cap. 5, dub. 2, punct. 2, n. 47.

XI. Ad episcopum pertinet dispensare cum regularibus in interstitiis, non autem ad eorum superiores regulares, nisi his concessum fuerit, post Tridentinum, privilegium in contrarium. (S. congr. Concil., 17 Maii 1593, et Benedict. XIV, institut. 58.) —Constat autem regularibus Societatis Jesu concessum fuisse a Gregorio XIII, const. *Pium et utile*, ut possent ordinari extra tempora, tribus festivis diebus consecutivis, a quocunque antistite catholico. Ejusmodi privilegio gaudent et alii regularium or-

dines. Ab iis proinde regularibus exigere nequit episcopus, ut, vel interstitia servent, vel ab ipso dispensationem obtineant. De quo vide Benedictum XIV, *De synod. diœces.* lib. IX, c. 16, n. 6; ubi narrat contrariam cujusdam episcopi constitutionem a sacr. congr. Concil. fuisse reformatam.

« Sacra congregatio sæpius declaravit remissionem interstitiorum, ex causis a concilio expressis, pertinere ad episcopum ordinantem, quoad regulares ab eo ordines suscipientes, non autem ad regulares superiores; ipsum tamen episcopum de causis remissionis teneri fidem adhibere ac deferre testimonio superioris regularis. » (12 Septembr. 1609, lib. II *Decret.* p. 65 et sæpius.)

CAPUT XI.

De pœnis male ordinantium et male ordinatorum.

§ I. — Utrum valida sit ordinatio illicita.

I. Ordines absque speciali dispensatione, seu privilegio, illicite, sed valide conferuntur, et suscipiuntur, aut extra tempora, vel ante legitimam ætatem, aut sine litteris dimissoriis. (Communis.)

II. Si autem episcopus ante ordinationem protestaretur se vere et absolute non habere intentionem ordinandi eos, qui non habent legitimam ætatem, dimissorias, vel alia requisita necessaria, aut qui censuris, irregularitatibus sunt ligati, invalida esset ordinatio illorum qui ordinati essent contra dictam absolutam, et veram non retractatam intentionem episcopi eos non ordinandi; deficeret enim in tali casu intentio ministri quæ necessario requiritur ad validitatem sacramenti. Et taliter ordinati reordinari deberent. Sic pluries sacr. congr. Concil. declaravit, apud Ferraris, verb. *Ordo*, art. 4, n. 4 et seq., et Benedict. XIV, *De sacrificio Missæ*, sect. 2, n. 70 et *De synod. diœces.* l. IX, c. 11, num. 1 et seq.

Episcopus autem qui talem generalem protestationem emitteret, graviter peccaret... « Ne enim, ait Benedictus XIV *De synod.* supra, gravis peccati reus fiat, tenetur episcopus absolutam intentionem habere ordinem conferendi homini, præsenti, cui manus imponit et consueta porrigit instrumenta, quemadmodum recte animadvertunt Navarrus... Gobat... De Lugo, etc... Quare, ne cum maximo totius Christianæ reipublicæ detrimento, et perturbatione, dubii atque incerti ministri sacris ministeriis addicantur, præstat omnino, ut episcopus ab illa generali protestatione abstineat....

§ II. — Pœnæ jure canonico constitutæ.

I. Episcopus ordinans scienter aliquem ante legitimam ætatem, est a collatione omnium ordinum suspendendus per sententiam; non tamen ipso jure suspensus. Episcopus autem sic suspensus a collatione ordinum, non est suspensus ab aliis actibus ordinis : unde si missam celebret non incurrit irregularitatem. (Ferrar. verb. *Ordo*, art. 4, per totum, et in sequentibus.)

II. Ordinati scienter ordinibus majoribus, ante legitimam ætatem, sunt ipso jure suspensi in perpetuum, id est, donec absolutionem obtinuerint. Ac proinde si ordinem exerceant, evadunt irregulares. (Const. Pii II *Cum ex sacrorum.*) Sic suspensi et irregulares solent recurrere ad sacram Pœnitentiariam cum delictum est occultum; et sacr. Pœnitentiaria solet concedere confessario facultatem eos absolvendi a suspensione et dispensandi ab irregularitate, cum clausula, *dummodo de præsenti habeant ætatem*, et solet injungere confessario, ut tales pœnitentes per aliquod tempus sibi benevisum suspensos detineat ab ordinibus..... Quamvis tamen possint absolvi et respective dispensari a proprio episcopo vigore concilii Trident. sess. 24, *De reform.* cap. 6. — Si autem delictum evadat publicum, causa devolvitur ad sacram cong. Episcop.

III. Episcopus scienter ordinans aliquem extra tempora a jure statuta sine dispensatione aut privilegio, non est suspensus ipso jure, sed suspendendus est per sententiam a collatione illius ordinis, quem male contulit, et aliorum majorum, sed non a collatione inferiorum illius.

IV. Ordinati scienter in sacris extra tempora sine legitima dispensatione, seu privilegio, sunt ipso jure suspensi; et si ministrent fiunt irregulares. Si talis suspensio et irregularitas sit occulta, possunt absolvi et respective dispensari ab episcopo. (*Trident.* sess. 24, c. 6.) Si autem sit publica, recurrendum est ad summum pontificem pro absolutione et dispensatione.

V. Episcopus ordinans scienter alienum subditum sine dimissoriis sui proprii superioris, est ipso facto suspensus per annum a collatione illius ordinis et aliorum

majorum, sed non a collatione inferiorum illius. (C. *Eos qui* 2, *De tempor. ordin.* in 6; *Trident.* sess. 23, c. 8, *De reform.*; et const. INNOC. XII *Speculatores.*) Potest insuper aliis pœnis, et etiam episcopatus privatione a summo pontifice puniri.

VI. Ordinati scienter ab alieno episcopo sine dimissoriis sui proprii ordinarii, sunt suspensi ipso facto ab exsecutione susceptorum ordinum, quandiu proprio ordinario videbitur expedire. (Ex iisdem capitibus.) Ultra pœnas arbitrio summi pontificis infligendas in sic ordinatos, qui possunt puniri privatione beneficii ecclesiastici. (PII II, const. *Cum ex sacrorum.*)

VII. Suspensio sancita contra ordinatos cum falsis dimissoriis est reservata summo pontifici, ut expresse statuit Urbanus VIII, const. *Secretis.* Item summo pontifici est reservata suspensio lata contra eos qui, postquam permanserunt per quatuor menses in Urbe, faciunt se promoveri extra Urbem cum litteris dimissoriis proprii ordinarii, et idem est contra ordinatos ex sex episcopatibus cardinalitiis prope Urbem cum litteris dimissoriis ab alio quam cardinali vicario. (Ex edicto CLEMENTIS VIII, et const. ALEXANDRI VII *Apostolica sollicitudo.*)

VIII. Ab irregularitate incursa propter administrationem in ordinibus sic male susceptis, si sit publica, dispensat solus summus pontifex. Si autem esset occulta, tunc posset dispensare episcopus vigore concil. Trident. sess. 24, c. 6.

IX. Episcopus scienter ordinans aliquem ad sacros ordines sine titulo sustentationis, ultra grave peccatum, quod committit agendo contra justam prohibitionem Ecclesiæ in materia gravi, tenetur item sic ordinato providere de necessariis alimentis, donec beneficium ecclesiasticum consequatur; et post episcopum ordinatorem ad idem tenetur capitulum, sede vacante, et deinde novus episcopus, textu expresso, c. *Episcopus* 4, et c. *Cum secundum* 16, *De præbendis.*

X. Si episcopus aliquem ordinet sine titulo, sub pacto et promissione, quod ordinatus non possit ex post ab ipso petere alimenta, tunc episcopus ordinans suspenditur a collatione ordinum per triennium, et sic ordinatus est perpetuo suspensus donec a summo pontifice dispensetur. (C. *Si quis ordinaverit* 45, *De simonia.*)

XI. Si episcopus religiosum nondum professum, aut nonnisi ad certum tempus ordinet ad sacros ordines sub prætextu religionis, et absque titulo beneficii vel patrimonii, tunc ipse est ipso jure suspensus per annum a collatione talium ordinum, et religiosus sic ordinatus est suspensus ab exsecutione ordinum donec beneficium ecclesiasticum sit adeptus, vel aliunde habeat unde vivere possit. Et si ministraverit, efficitur irregularis. Sancti Pii V const. *Romanus pontifex* excipiuntur Patres Societatis Jesu, qui tria vota simplicia emiserunt; hi possunt promoveri absque titulo, etiam ante solemnem professionem.

XII. Promoti ad sacros ordines cum falsis et fictis titulis sunt ipso facto perpetuo suspensi absque spe obtinendæ dispensationis a sede apostolica, et subjacent adhuc majoribus pœnis arbitrio summi pontificis infligendis. (URBANUS VIII, const. *Secretis.*)

XIII. Episcopus ordinans aliquem eodem die ad duos sacros ordines, secundum aliquos, est ipso facto suspensus a collatione utriusque ordinis, donec a sede apostolica absolutionem et dispensationem impetraverit. Secundum autem plures alios, non est ipso facto suspensus, sed solum suspendendus.

XIV. Ordinatus eodem die ad duos ordines sacros est suspensus quoad omnes ordines receptos, quidquid dicant auctores, ex Pii II const. *Cum ex sacrorum*, qua tollitur difficultas, et ex decisionibus sacr. congr. Concil.

XV. Episcopus conferens ordines sacros absque celebratione missæ graviter peccat sicut et graviter peccant ipsos sacros ordines extra missam recipientes. Ipsa missa debet celebrari ab eodem ordinante, nec sufficit ut celebretur ab alio coram illo. Missæ tamen celebratio non est de substantia et essentia ordinationis; unde quamvis collatio et receptio sacrorum ordinum sine celebratione missæ sit illicita, est tamen valida. Hinc non est iteranda tota ordinatio, sed solum supplenda est missa ipsius ordinantis, et donec suppleatur dicta missa, remanent suspensi ordinati.

XVI. Ordinans, et ordinatus, non exspectatis temporum interstitiis, graviter peccant, et quamvis in jure nulla reperiatur expressa pœna contra ipsos, potest superior eos punire pœna arbitraria.

XVII. Ordinati per saltum, vel alias male

promoti dispensationem obtinere possunt in casibus occultis a Pœnitentiaria apostolica. (Benedict. XIV, const. 95 *Pastor bonus.*) Ordinati a schismaticis, exercitium ordinis non recipiunt, sed absolutionem recipere tenentur, et dispensationem ab irregularitate, et schisma erroresque abjurare. (Id., const. 57 *Et si pastoralis*, n. 7.)

XVIII. Pro ordinum collatione nihil a collatoribus, aut eorum ministris, etiamsi sponte oblatum, est accipiendum. (Textu expresso *Trident.* sess. 21, cap. 1, *De reform.*)

LIBER VI. — DE PAROCHIS, RECTORIBUS, CAPELLANIS ET PAROCHIALIBUS VICARIIS.

Sectio I. — De parochis et rectoribus ecclesiarum parochialium.

CAPUT 1.

De origine et notione parochiæ et parochorum.

§ I. — Notio historica.

« Inter eos, qui episcopo opem ferunt in procuratione diœceseos, nobile in primis est officium parochorum, qui semel ab episcopo constituti jure proprio concrediti sibi populi curam exercent (11). Per tria priora Ecclesiæ sæcula nulla in ecclesiasticis monumentis parochorum est men-

Adnotator Institutionum Devoti, *qui fuit Pius Papa VIII, ad locum citatum addit :*

(11) Parochos a Christo ipso fuisse institutos, ut una cum episcopis, subjecta tamen ipsis potestate, Ecclesiam regerent, quorumdam opinio est; et id quidam demonstrari vellet libro, qui ex Gallico in Italicum sermonem conversus Florentiæ prodiit an. 1783 cum titulo : *L'instituzione divina de' parochi e loro diritto al governo generale della chiesa.* Eadem est sententia Petri Tamburini in libro, cujus titulus : *Vera idea della S. Sede.* Verum quam falsa hæc opinio sit, satis ostendit ipsa parochorum origo, quæ certe in sæculo antiquior non est. Imo in civitatibus ante annum Christi millesimum nullos fuisse parochos, ostendit Marius Lupus Bergomensis *De parochiis ante annum Christi millesimum.* Certe antiquiori ætate nulli erant hujusmodi presbyteri, qui proprium haberent officium regendi populum, sed episcopus unum aut alterum eligebat sacerdotem, cui modo unam, modo alteram populi partem committebat et cui adimebat officium eodem arbitrio, quo dederat. Nemo enim, uti nunc parochi sunt, certo erat addictus populo, quem perpetuo regeret jure officii sui; dabat episcopus subditos cuivis presbytero, a quo episcopus repetebat subditos suos, quos vel ipse per se regeret, vel alteri presbytero regendos committeret. Lapsu temporum maluerunt episcopi parochos eligere, hoc est presbyteris quibusdam certam populi partem perpetuo regendam committere; atque ita parochorum potestas ab episcopali ordine, tanquam a fonte, procedens instituta est; sed ita tamen instituta, ut hujusmodi presbyteri in rebus omnibus ab episcopo penderent, ac nihil agerent sine mente aut conscientia episcopi, ut inquit concilium Laodicenum can. 57; apud Labbeum tom. I *Concil.* col. 1559, edit. Venet. et Toletanum I can. 20, col. 1474, tom. II. Nam constans est Patrum regula, presbyteros in rebus omnibus episcopo obnoxios esse oportere, neque eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent, quidquam sine episcopo ab illis esse faciendum. « Necessarium itaque est, » inquit S. Ignatius martyr, *Epist. ad Trallian.* num. 2, apud Cotelerium *PP. Apostol.* tom. II, pag. 22, edit. Antuerp. 1698, « quemadmodum facitis, ut sine episcopo nihil agatis » Et *Ad Philadelp.* num. 7, p. 32 : « Testis autem mihi is est, in quo vinctus sum, quod a carne humana non cognoverim, sed Spiritus annuntiavit, dicens ita : Sine episcopo nihil facite. » Et *Ad Smyrn.* num. 8, pag. 37 : « Sine episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa, quæ sub episcopo fuerit, vel cui ipse concesserit... non licet sine episcopo, neque baptizare, neque agapen celebrare; sed quodcunque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut tutum ratumque sit quodcunque agitur. » Idem docent Tertullianus *De baptism.* cap. 17; S. Cyprianus, epist. 27 *Lapsis;* S. Hieronymus *Dial. advers. Luciferian.* n. 9; S. Cœlestinus I, epist. 27, *Ad episc. Galliar.* cap. 1... Demum cuncti Patres. Confer etiam canonem apostolorum 40 apud Cotelerium, loc. cit. p. 443; concilium Gangrense, c. 6, apud Labbeum, tom. II *Concil.* col. 442; Antiochenum can. 24, *ibid.* col. 603. — Qui divinitus parochos institutos putant, eorum originem repetunt a septuaginta duobus discipulis, quos Christum sacerdotes fecisse arbitrantur. Verum hi discipuli missi quidem sunt in omnem locum, et civitatem, quo Christus erat venturus, ad animos ejus adventui præparandos, sed neque erant sacerdotali charactere insigniti, neque ipsis erat tributa potestas regendi populos, neque electi ad sacramenta administranda, cum potestas clavium nonnisi in Petrum et apostolos a Christo collata fuerit. Itaque procul aberant discipuli ab iis, quæ proprie parochum constituunt. Sane ex septuaginta duobus discipulis septem viri electi sunt, quos apostoli manuum impositione diaconos ordinarunt (*Act. apost.* VI). Quomodo igitur iidem a Christo sacerdotes creati esse poterant? S. Epiphanius, hæres. 20, num. 4, l. I, id rectissime animadvertit, inquiens : « Præter (apostolos) septuaginta duo alios ad eamdem functionem allegat, e quibus septem illi fuere, qui ad viduarum obsequium delecti sunt, Stephanus, Philippus, etc.....» Dionysius Petavius, *De ecclesiast. hierarch.* l. III, cap. 16, n. 2, tom. VI *Theolog. dogmat.* loquitur de missione, quam septuaginta duo discipuli a Christo acceperunt, nullam autem in hac missione ordinis aut jurisdictionis potestatem agnoscit. « Prior ista missio, inquit, nullam aliam quam prædicandæ pœnitentiæ, ac tam doctrina, quam miraculis, præparandi ad Christi fidem populi, facul-

tio (12). Una in principe diœceseos civitate erat ecclesia, ad quam Christiani omnes non modo urbis, sed etiam vicinorum oppidorum, die solis, hoc est Dominico, confluebant; et præsentibus quidem distribuebatur Eucharistia, ad absentes per diaconos mittebatur (13). Huic ecclesiæ, quæ cathedralis erat, ipse præerat episcopus, qui suum habebat senatum et presbyterium (14), hoc est illi addictos presbyteros, quorum erat episcopo dare operam in Ecclesiæ regimine et administratione. » (DEVOTI, *Institut. canonic.* lib. I, tit. III, sect. 10, § 87.)

Pergit Devoti, ubi supra, § 88 : « Cum aucto Christianorum numero, plures in una civitate ecclesiæ conditæ sunt, ad eas episcopus diebus Dominicis mittebat ex ecclesia cathedrali presbyteros, quorum erat sacra obire munera et præesse populo, qui ad ecclesias illas confluebat. Verum hi presbyteri non erant perpetui rectores harum ecclesiarum, cum episcopus eos modo uni, modo alteri committeret ex clericis ecclesiæ cathedralis, eorumque officium finiretur tempore quod ab illo constituebatur (15). Itaque una tantum in singulis civitatibus erat ecclesia, quæ proprie parochia, uti nunc est, dici posset, nimirum ecclesia cathedralis; reliquæ minores ecclesiæ nulli separatim presbytero addictæ erant, sed ad eas regendas singulis diebus Dominicis clerici de ecclesia episcopi mittebantur. »

Pergit Devoti, § 89 : « Constitutæ sunt parochiæ primum in vicis et villis, quarum incolæ cum ad civitatem commode ire non possent, eorum gratia ibi conditæ sunt ecclesiæ, quibus præpositi sacerdotes, qui populum illum regerent muneraque ecclesiastica exercerent (16). Serius in civitatibus ortæ sunt parochiæ (17), neque ubique omnes eodem tempore initium habuerunt. Cum enim ea res tota ab episcoporum arbitrio penderet, alii citius, serius alii parochos in civitate constituerunt, uti major, minorve numerus Christianorum, eorumque utilitas atque necessitas postulabat (18). »

§ II. — Notio ex canonibus desumpta.

« Parochia sumitur dupliciter, scilicet stricte seu proprie, et large seu improprie. » (Communis.)

« Parochia large et improprie sumpta intelligitur pro tota diœcesi, ut clare patet ex c. *Si quis ordinatus* 5, dist. 92, ibi : *Si quis ordinatus episcopus ad parochiam, cujus est electus*, etc. Et ex cap. *Si qui epi-*

Adnotator Institutionum DEVOTI, *qui fuit Pius Papa VIII, ad locum citatum addit :*

tatem illis indidit; non regendi gubernandive jus ullum, aut potestatem sive ordinis, quam sub cœnam ultimam contulisse creditur, sive jurisdictionis, quam post resurrectionem suam reipsa et, ut loquuntur, actu tradidit. » Petrus Paludanus, *De caus. immediat. Eccles. potest.*, latissime ostendit septuaginta duos discipulos haud fuisse sacerdotes a Christo constitutos, idque ex eo præsertim conficit, quod illi ab apostolis diaconi ordinati fuerunt. (*Ibid.* art. 3) Facile ex his intelligitur, quam leve et infirmum sit fundamentum, quo nititur opinio eorum, qui presbyteros et præsertim parochos septuaginta duos discipulorum locum tenere existimant; unde repetunt jura parochorum, quos pene episcopis pares faciunt. Late hoc argumentum persequitur Corgnius peculiari dissertatione, quam descripsit tomo II Operis, quo jura defendit episcoporum; et vide etiam Bolgenium, *Esame della vera idea della S. Sede* p. 7 et seq., atque auctorem Operis *De l'autorité des deux puissances*, t. II, part. III, cap. 1, p. 3.....

(12) Sane in epistolis Ignatii ac Cypriani, in epistola Dionysii Corinthiorum episcopi ad Soterem P. apud Eusebium, *Histor. eccles.* lib. IV, cap. 23... In epistola, quam Cornelius P. ad Fabium Antiochenum dedit apud Coustantium, col. 146.... Itemque in canonibus apostolorum tantum maximarum urbium ecclesiæ memorantur. Si quando *parochiæ* vox occurrit, ea diœcesis universa comprehenditur; quoniam antiquitus παροικία et διοίκησις eamdem significationem habebant.....

(13) S. Justinus M. Apolog. 1, n. 67.

(14) In hoc tamen presbyterio suum etiam diaconi habebant locum, qui ea gerebant, quæ sui ordinis propria erant, uti observat Thomassinus, *Vet. et nov. Eccles. discipl.* part. I, lib. II, cap. 22, num. 2.

(15) Romæ tamen et Alexandriæ minoribus quoque ecclesiis certi presbyteri, qui iisdem præessent, jam inde ab antiquissimis temporibus affixi erant. Id de Ecclesia Alexandrina testatur dissertissime Epiphanius, hæres. 49, sive 69, *Arian.* num. 1..... Certe Romanos presbyteros titulis quos S. Evaristus distribuit, affixos fuisse censeo; et Biton presbyter Romanus, cujus meminit S. Athanasius *Apol. advers. Arian.*, n. 20, addictus firmiter erat ecclesiæ in qua colligebat populum...

(16) Parochiæ nomen, quo nunc etiam civitatis ecclesiæ designantur, proprium initio erat ruralium ecclesiarum. Concilium Chalcedonense, can. 7, apud Labbeum, tom. IV *Concil.*, col. 1687, edit. Venet, « Quæ sunt, inquit, in unaquaque provincia rurales, vicinasque parochias firmas et inconcussas manere apud eos, qui illas tenent, episcopos. » Vide etiam Socratem; — Severum Sulpicium; — Innocentium I, epist. 25; — Petavium; — Thomassinum; — Muratorium...

(17) Ante annum Christi millesimum nullas, ut supra dixi, in civitate (præter Romam et Alexandriam), parochias fuisse ostendit Marius Lupus, *De parochiis ante annum Christi millesimum.*

(18) Binghamus, *Origin. ecclesiast.* lib. IX, c. 8.

scopi 6, ead. dist. 92, ibi : *Si qui episcopi ordinati sunt, neque recepti ab alia parochia, in qua fuerant denominati...* Et ex cap. *Ad apostolicæ sedis regimen* 20, *De decimis*, ibi : *De parochia unius episcopi in diœcesi alterius transferatur*, etc. Unde etiam parochianus pro diœcesano sumitur in cap. *Nullus episcopus* 3, *De parochis*, ibi : *Nullus episcopus alterius parochianum judicare præsumat.*

Parochia stricte et proprie sumpta est certus territorii districtus per papam, vel episcopum determinatus, habens unum rectorem stabilem, cum potestate populum ibidem exsistentem regendi et judicandi, eique sacramenta, aliaque divina administrandi. (Est in re communis.) Parochia ita nuncupatur quasi portio curæ. (Rota rec. part. XV, dec. 39, num. 10; ABBAS, in *Rubr. De parochiis*, num. 1; ARCHIDIAC. in c. *Ecclesias* 1, causa 13, quæst. 1; FAGNAN. in c. *Litteræ* 1, *De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ*, n. 12; BARBOSA, *De offic. et potest. parochi*, part. I, c. 1, n. 16; cum pluribus ibi citatis.). *Parochia* enim Græce, Latine *partitio* dicitur. (FAGNAN. loc. cit. et alii.) Et sic parochia dicitur, quasi partitio curæ, quia parochus, seu rector Ecclesiæ curam habere debet animarum totius populi intra limites Ecclesiæ sibi assignatæ congregati. (C. *Ecclesias* 1, causa 13, quæst. 1; c. *In ecclesiis* 1, *De capellis monachor.*; c. *Cum singula* 32, *De præbend.* in 6, cum similibus.) Parochia vocatur etiam *paræcia*, hoc enim nomine usos fuisse antiquos Christianos demonstrat Augustinus, lib. XIV *De civit. Dei*, his verbis : « Fuit presbyter nomine Restitutus in paræcia Calamensis ecclesiæ. » Paræcia autem Latine *accolarum conventus*, seu *habitatio*, aut *cura* dicitur... (FERRARIS, verb. *Parochia*, n. 1 et seq.)

Parochiæ antiquitus non erant distinctæ. Sanctus Evaristus papa, primus Ecclesiam Romæ civitatis distinxit in parochias proprie dictas, ut refertur in lectione Breviarii Urbis, 26 Octobris, ibi : *Ecclesiarum titulos urbis Romæ presbyteris eum divisisse legimus, ut unusquisque suæ paræciæ terminis, ac limitibus distingueretur...* Liber pontificalis si inspiciatur, videtur secunda parochiarum divisio contigisse ann. 268, sedente adhuc Dionysio, successore Evaristi et papa XXIV post sanctum Petrum. Baronius enim dicti Pontificalis verba ad dictum annum, § 17, ita exponit : « Dionysii opus fuit parochias a decessoribus suis distinctas limitibus certis, presbyterisque divisas, quas persecutio Valeriani turbaverat, iterum dividere, ac pro ratione distribuere, cœmeteriisque singulis consignare. » Et expresse habetur in cap. *Ecclesias* 1, causa 13, quæst. 1, ubi dictus papa Dionysius sic ait : *Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus, parochias, et cœmeteria eis divisimus, et unicuique jus proprium habere statuimus, ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terminos, aut jus invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus, et taliter ecclesiam, et plebem sibi commissam custodiat.* Etsi epistola Dionysii ex qua testimonium hoc affertur, supposititia reputetur ab aliquibus, facta ab ipso divisio certa est; et confirmatur ab eruditis ex cap. *Pastoralis* 9, *De his quæ fiunt a prælat. sine consensu capituli.*

Igitur parochiæ rurales fuerunt primæ a diœcesi distinctæ, et initium habuerunt tertio circiter sæculo; et parochiæ urbis Romæ divisæ sunt a papa Dionysio anno 268. Nomina quibus singuli parochiarum rectores antiquitus vere compellati reperiuntur, sunt propemodum hujusmodi : *Presbyteri qui per diœceses Ecclesias regunt.* — Concil. Carthagin. IV, an. 396, can. 34 et can. 102 : *Presbyter qui parochiæ præest; diœcesani presbyteri.* — Conc. Tarraconensi, an. 510, et Toletano III, an. 589 : *Parochiarum presbyteri.* — Conc. Emeritensi, ann. 666, can. 14, et can. 10 : *Parochiales presbyteri;* et alibi : *Parochiam; Parochiales sacerdotes.* — Conc. Valentino III, can. 9 et 17 : *Presbyteri qui præsunt Ecclesiis.* — Conc. Aquisgranensi : *Presbyteri plebium.* — Et concil. Forojuliensi : *Sacerdotes plebium*; alibi aliquoties, *plebani*, et aliis hujusmodi nominibus appellantur. (MARIUS LUPUS, *De parochiis*, etc., dissert. 1, cap. 8, p. 113.)

Parochus, rector ecclesiæ, rector curatus, sunt in jure synonymi. Vicarius curatus in jure est vicarius habens curam parochiæ cujus titulus est apud alium, ut v. gr. capitulum, monasterium seu principalis parochus, qui potest esse episcopus, qui de jure habent curam animarum, sed eam exercere debent per vicarium curatum.

Qui plura desiderat de hac origine parochiarum et parochorum adeat Marium Lu-

pum, *De paræciis ante annum* 1000; Petavium, *Theolog. dogmat. de ecclesiast. hierarch.* lib. II, c. 12; cardinalem de la Luzerne, *Des droits et des devoirs des évêques et des prêtres*, Paris, Migne, 1844; Nardi, tom. I; et multos alios : Bouix tract. *De parocho*, part. I.

CAPUT II.

De essentia parochiæ et parochiatus, contra parochismi seu presbyterianismi systema.

§ I. — Quid sit parochismus.

« *Presbyterianismus* inde dictus est, quod *presbyteros* faciat episcopis æquales, ita scilicet ut nihil potestatis de jure divino ad episcopos pertineat, quod æque presbyteris non sit ascribendum. Quod hæreseos monstrum auctorem habuit quarto sæculo Aerium. Damnatum Aerii errorem non impari zelo renovarunt Wiclefus, Joannes Hus, Lutherus, Calvinus, et plures subsecutæ protestantium sectæ. Et hi quidem omnes dici possunt presbyteriani radicales seu primi gradus... » — Ast presbyteriani etiam merito dici solent ii qui, superiores presbyteris episcopos, licet (aperte saltem) non negent, et definitionem Tridentinæ synodi, superioritatem hanc divinæ institutioni ascribentis, non impugnent, multa nihilominus indebita secundi ordinis sacerdotio attribuunt, potestatemque episcopalem in presbyteros multiplici modo ex divina pariter ordinatione restrictam erronee sustinent; atque ita tandem jurium presbyterialium ædificium exstruunt, ut admisso eorum systemate, inermis prorsus remaneret episcoporum auctoritas, totaque ecclesiastici regiminis ratio subverteretur.

« Presbyterianorum autem posterior descripta classis, non presbyteris quibuslibet sua jurium divinorum commenta attribuit; sed iis tantum qui curam animarum exercent, id est, parochis. Parochialis scilicet muneris natura, ejusque divina (quam audacter asserunt) institutione, totam suam rebellionis fabricam fundant, ex qua dehinc certissimam episcoporum, atque ipsius etiam sedis apostolicæ auctoritatem explodant. Atque ideo ... præfatam presbyterianorum classem ... *parochismi* nomine machinam designatam. » (Bouix *De parocho*, part. I. sect. 2, cap. 1, p. 83.)

Parochismi genesis refertur ad parochorum Parisinorum sæculo decimo tertio infensissimum in regulares odium, in Franciscanam præsertim et Dominicanam familiam. Orto vero Jansenismo, in immensum excreverunt patronorum parochismi copiæ. At cæteris presbyteriana audacia antecelluit Edmondus Richer, doctor Sorbonicus et Sorbonæ syndicus, cujus omnibus notum systema in hunc scopum vergit, ut totum ecclesiasticum regimen penes parochos reponat; ita ut ejus doctrina sic resumi possit : Nihil posse sedem apostolicam in diœcesibus absque consensu episcoporum; nihil vicissim posse episcopum in paræciis nisi consentientibus parochis.

Parochis *votum deliberativum* in ecclesiæ regimine asseruit Simon Vigor, ardens Richerista, qui primas partes egit in congressu vulgo dicto *Projet de Bourg-Fontaine*.

Parochismi defensores fuerunt Marinus, Juvenius, Van-Espenius, Sorbona, Lovaniensis academia, juxta Nardi, et multi alii; item synodi schismaticæ Ultrajectensis et Pistorensis, in quibus parochi tanquam judices fidei sederunt, et hac formula usi sunt, *Ego N. judicans subscripsi*. Tandem omnes increduli et rationalistæ extollunt *pastores* secundi ordinis ad evellendam divinam Ecclesiæ constitutionem. (*Vide* Bouix, *De parocho*, part. I.)

Quos omnes refutare habemus, sed servando, ut par est, verum Ecclesiæ jus circa parochos, ne errori evellendo alium substituamus.

§ II. — Refelluntur parochismi defensores.

I. Parochi non sunt divinitus instituti. Etenim Ecclesiæ catholicæ hierarchia divina ordinatione instituta, constat ex episcopis, presbyteris, et ministris. (De fide, can. 6, sess. 23 *Trident.*) Omnes vero presbyteri potestate ordinis coæquales ad secundum hujus hierarchiæ gradum coæqualiter pertinent, et quoad divinam potestatem in ordinatione acceptam nihil amplius habent parochi quam cæteri presbyteri. Atqui si aliquem gradum hierarchiæ formarent parochi, ad secundum gradum assignari deberent; cæteri vero presbyteri ad tertium; ministri ad quartum quod est inconveniens contra fidei definitionem, quæ tres tantum gradus, scilicet episcoporum, presbyterorum, et ministrorum assignat. Ergo parochi, ut tales, non pertinent ad hierarchiam divina ordinatione institutam.

II. Singuli episcopi potestatem sacramentorum, magisterii seu doctrinæ, et regiminis cum episcopatu accipiunt; quas tamen potestates de fide est episcopos explicare et legitime exercere non posse nisi per missionem. (Can. 7, sess. 23 *Trident.*) Christus solam Petri sedem in universum orbem instituit et circumscripsit; soli Petro missionem singularem ordinariam in universum orbem, et in Petro omnibus et singulis ejus successoribus dedit Christus. Missio particularis uniuscujusque episcopi in sua diœcesi, etsi origine divina, ipsis tamen immediate distribuitur et conceditur per Petrum aut ejus successorem. Unde papa est totius Ecclesiæ ordinarius. Episcopus sub summi pontificis auctoritate est totius suæ diœcesis ordinarius et proprius pastor; ibi, per missionem, omnes in sacramento acceptas potestates in suo proprio nomine explicat et exercet. (Hæc omnia demonstravimus l. II, cap. IV. p. 188 et seqq.)

III. Presbyteri autem cum sacerdotio accipiunt potestatem sacramentalem Eucharistiæ et pœnitentiæ, etc; nequaquam vero magisterii seu doctrinæ et regiminis potestatem, sed tantum ad easdem potestates in papæ vel episcopi nomine exercendas aptitudinem accipiunt. Unde presbyteri eas potestates non in proprio nomine exercere possunt, nisi improprie et ex similitudine juris ecclesiastici humani.

Presbyteri igitur jure divino inferiores sunt episcopis (de fide, can. 7, sess. 23 *Trident.*) in potestate magisterii et regiminis et etiam in potestate sacramentali confirmandi et ordinandi. (Can. 7 eodem.) Ergo etiam jurisdictione presbyteri episcopis inferiores sunt.

IV. Presbyteri potestates divinas sacramentales potestati regiminis subjectas, ut v. gr. absolvendi in pœnitentiæ foro nisi ex missione papæ aut episcopi, legitime et quandoque valide exercere nequeunt. (De fide, can. 7, sess. 23 *Trident.*) Et absque hac missione non sunt legitimi verbi et sacramentorum ministri. Ergo parochi qui tantum sunt presbyteri nullam potestatem habent in parochia et parochianis, nisi ex missione canonica papæ vel episcopi.

Præterea oberratio parochismi expresse condemnata fuit per bullam dogmaticam *Auctorem fidei:*

9. *Doctrina quæ statuit reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam, in synodis diœcesanis, ab episcopo et parochis æqualiter pendere ac stabiliri debere; ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus episcoporum, falsa, temeraria, episcopalis auctoritatis læsiva, regiminis hierarchici subversiva, favens hæresi Aerianæ a Calvino innovatæ* Ergo parochi nullam habent regiminis hierarchici potestatem. — 10. *Item doctrina qua parochi, aliive sacerdotes in synodo congregati pronuntiantur una cum episcopo judices fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto, — Falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve dogmaticorum ecclesiæ, ad minus erronea.* Ergo nec parochi, nec presbyteri potestatem magisterii seu doctrinæ in ordinatione accipiunt. — 11. *Sententia enuntians veteri majorum instituto ab apostolicis usque temporibus deducto, per meliora Ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse, ut decreta, aut definitiones, aut sententiæ etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent et approbatæ a synodo diœcesana, falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiæ debitæ constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchia superiore legitima potestate manantibus schisma fovens et hæresim.*

Ergo synodus diœcesana, quæ constat presbyteris et parochis, nullam habet potestatem magisterii et regiminis seu recognoscendi et approbandi decreta aut definitiones sive sanctæ sedis, sive aliarum sedium.

Præterea pluries decisum fuit parochos tertium hierarchiæ ecclesiasticæ gradum nequaquam constituere, neque esse in causis fidei judices: 1. A sacr. congr. Concil. in responsione cardinalis Gerdil ad Ebredunensem archiepiscopum, et alibi. — 2. In responsione ejusdem congregationis per Gregorium XIII approbata ad concilium Rothomagense, ibi responsum est: *Abbates, commendatarios, capitulorum deputatos vocem duntaxat consultivam habere: episcoporum procuratores posse, si concilio provinciali placuerit, et decisivam habere.* — 3. In Burdigalensi anni 1624.. decretum edendum Patres præformarunt his verbis: *Sacro approbante concilio, decretis ultimi concilii Burdigalensis inhærentes, opinionem quorumdam,*

qui ausi sunt asserere, præter episcopos, quosdam alios habere vocem decisivam in concilio provinciali, ut erroneam judicamus. (Apud Gerdilii opera, t. XV, p. 347, edit. Romæ 1809.) Cui addemus duntaxat postulationem episcoporum Ægypti in œcumenica Ephesina synodo : *Petimus*, inquiunt, *superfluos foras mittite ; synodus episcoporum est, non clericorum.* (Labbe. tom, IV, p. III, apud Bouix, *De parocho*, p. 122.)

« In tradenda eadem doctrina tanquam certa unanimes sunt probati doctores scholæ, quos supervacaneum esset adducere, cum nulla de hoc exstet controversia. » Neque in hac re dissentiunt Gallicani ; neque etiam primi Jansenistæ, ut videre est apud Bouix, loc. cit.

Totam quæstionem ita dilucide resumit adnotator Devoti *Instit. canonic.* lib. IV, tit. IV, ad part. II.. « Denique qui consensum secundi ordinis presbyterorum requirunt, ut Ecclesiæ judicium ratum firmum sit, ii revocant errorem Aerii, de quo loquitur sanctus Epiphanius hæres. 75, num. 3, t. I. Quem antea revocarunt Waldenses, Wiclefitæ, Calviniani, Angli presbyteriani, Richerius ; quemque inter cæteros refutarunt Bellarminus, *De eccles. milit.* lib. III, c. 16 ; Petavius, *De hierarch. eccles.* lib. IV, cap. 2, num. 5 ; N. Alexander, *Inst. eccles. Ad sæcul.* IV, dissert. 44, tom. IV ; Nicolius, *Les prétendus reformés convainc. de schisme* lib. III, ch. 10 ; Veith, *Richerii system. confut.* sect. 2, part. LIV, n. 46 et seq.; Bolgenius, *Esame della vera idea della S. sede*, num. 1 et seq. Sane docendi, pascendi, regendi potestas non presbyteris, sed apostolis eorumque successoribus a Christo data est ; semper ecclesiarum regimini et administrationi episcopi sunt præpositi, non presbyteri ; in conciliis œcumenicis ab episcopis editum est judicium, quod Christianis omnibus veritatis loco esse deberet. Atque id adeo verum est, ut semper Ecclesia generalia concilia designaverit tantum expresso numero episcoporum, qui iis interfuerant. Ita cum memorat episcopos 318, aut episcopos 600, intelligit concilium Nicænum, aut Chalcedonense, quoniam a totidem episcopis duo illa concilia constituuntur. Quod si aliquibus conciliis etiam presbyteros interfuisse constat, id factum est vel ex consensu episcoporum, quibus certos presbyteros vocare placuit, qui sapientia præstarent, vel ut absentium episcoporum vices agerent, ut ostendi in *prolegomen.* c. 3. Hinc episcopi subscribebant hac formula ; *N. episcopus judicans subscripsi ;* sed a subscriptionibus presbyterorum aberat τὸ *judicans*, ut pateret in conciliis episcopos proprie judices esse : et in concilio Chalcedonensi, act. 1, col. 886, tom. IV *Coll.* Labbei, habentur hæc : *Foras mittite superfluos; concilium episcoporum est.* Rem concludam egregiis verbis cleri Gallicani, *Harangue faite au roi à Versailles le 17 Septembre 1730, pour la clôture de l'assemblée générale du clergé de France*, tom. XII *Actor. Eccles. Gallican.* p. 1760, Paris. an. 1740, quæ verba sunt hæc: *Le calme après lequel nous soupirons ne saurait se trouver que dans la soumission aux décrets de la foi, et dans l'obéissance à ceux qui en sont les juges. Ce sont les évêques et les évêques seuls. C'est à eux qu'il appartient d'en décider les dogmes, de les expliquer, de les garantir, d'en établir également la certitude et l'œcuménicité, et d'y soumettre les peuples.* Et pag. 1634, ubi exstat *la Lettre écrite au roi par l'assemblée générale du clergé de France tenue à Paris en l'année 1731 : Nous le disons*, inquiunt, *avec douleur, la subordination s'affaiblit. Le simple prêtre se met au rang des premiers pasteurs, prend la place des juges de la foi ; des curés de la capitale de votre royaume osent dans un mémoire imprimé attaquer ouvertement une ordonnance et une instruction pastorale de leur archevêque, qui sont hors de toute atteinte*, etc. Paucis abhinc annis Bergami prodiit egregius liber Marii Lupi *De parochiis ante an. Christi millesimum*, quo in libro evidenter ostenditur, « quam sero parochi instituti fuerint in Eccles., ut proinde audiri nequeant, qui divinam eorum institutionem jactant. »

Concludendum est igitur parochos : 1° non habere gradum ut parochos in hierarchia divinitus instituta ; 2° non habere potestatem magisterii et regiminis ; 3° non posse exercere potestatem sacramentalem quam divinitus presbyteri in ordinatione accipiunt, absque missione sive papæ sive episcopi. Proindeque parochi nequaquam pertinent ut tales ad hierarchiam ordinis, nec ad hierarchiam jurisdictionis seu regiminis. Atqui tota institutio divina hierarcharum stat in his duabus hierarchiis. Ergo parochi non sunt ex institutione divina.

V. Parochi nequaquam sunt 72 discipu-

lorum successores ; quia 72 discipuli non erant presbyteri ; quia non erant parochi ; ex eo quod per aliquot sæcula nulli in mundo exstiterint parochi presbyteri. Asserit quidem traditio secundi ordinis sacerdotes, id est presbyteros, in 72 discipulis fuisse quodammodo adumbratos ; ast illud asserit de presbyteris quatenus presbyteris, non quatenus parochis. In veteribus canonibus presbyteri, non parochi, dicuntur *gerere typum 72 discipulorum, ad similitudinem quamdam, in eorum locum constituti* sed eo sensu, quod priores *typus* fuerint posteriorum. At vero corruit omnino parochistarum deductio, si attendatur ibi agi de 72 discipulis *ab apostolis* electis, aut saltem ordinatis, non vero de 72 quos elegerat ipse Christus. Ergo etiamsi his 72 vere successissent presbyteri, non sequeretur, vi illius textus, eos esse institutionis divinæ, sed tantum institutionis apostolicæ. Sed in canonibus Anacleto papæ tributis, agitur de presbyteris omnibus, sive sint, sive non sint parochi. Parochi initium ad majus tantum sæculo tertio habuerunt, ergo non sunt 72 discipulorum successores, siquidem successio interrupta fuerit per tria sæcula. Non sunt igitur hac parte ex institutione apostolica.

Parochos non fuisse vetus presbyterium in antiquis monumentis ecclesiasticis memoratum probat Bouix, *De parocho*, part. I, pagin. 75 et seq. ; cum Mario Lupo, *De paræciis*, etc. — Parochi, ex superius probatis, ante annum 1000 in civitatibus episcopalibus (exceptis Roma et Alexandria) fuerunt nulli ; ergo non potuerunt constituere presbyterium episcopi.

In libro IV *De capitulis*, « probavimus ejusmodi presbyterium fuisse cathedrales presbyteros et diaconos, qui episcopo in diœcesis regimine auxiliabantur, et quorum cœtus postea capitulum cathedrale vocatum est ; ergo antiquum presbyterium canonicis, non parochis, constabat. » (Ita Bouix, *ibid.*) Ergo, hac altera parte, parochi non sunt ex institutione apostolica.

« Tandem, nedum aliquo traditionis testimonio nitatur divinæ parochorum institutionis opinio, tota antiquitatis monumentor. m mole contrarium evincitur, ut ex professo demonstravit Marius Lupus ; qui adducta ab adversariis documenta fuse recenset, eaque nihil probare et ad rem non esse demonstrat.

« Sed neque apostolicam fuisse parochorum institutionem aperte sequitur ex eo quod non apostolicis, sed longe sequentibus temporibus induci cœperint parochi, ut supra etiam probavimus. Remanet ergo ut *ecclesiasticæ* duntaxat institutionis esse parochos admittatur. » (Bouix, *De parocho*, p. 81.)

§ III. — De parochiatus essentia et recta notione.

Dicemus primo quid non sit, postea quid proprie sit parochus.

I. *Parochus non est stricto sensu pastor.* — Vox *pastor* in sacris Scripturis et sanctis Patribus et stylo ecclesiastico significat potestatem gubernandi cum jurisdictione proprie dicta et legislativa. « *Pascere* in Scripturis significat regere : et principes vocantur *pastores*, quia si recte subditos suos regere velint, debent facere id quod faciunt pastores, dum suas oves pascunt. Unde psalmo XXIII, v. 1 : *Dominus regit me*, Hebraice est, *Dominus est pastor meus*, sive *pascit me*. Et Psal. LXXVII, 71 ; Isaiæ XLIV, 28 ; Psal. II, 9 ; Michææ V, 2 ; Matthæi II, 6 ; Act. XX, 28 ; Apoc. II, 7 ; XII, 5, et XIX, 15, *Regere et rex*, *princeps* Latine, dicuntur Græce et Hebraice *pascere et pastor*. Sic Homerus Agamemnonem regem Græcorum vocat *pastorem populorum*. Ex verbis a Christo ad Petrum directis : *Pasce agnos, pasce oves*, patet sanctum Petrum et ejus successorem Romanum pontificem esse caput et principem Ecclesiæ, omnesque fideles, etiam episcopos, patriarchas et apostolos illi subjici, et ab eo pasci regique debere. » (Cornelius a Lapide, in vers. 15 cap. XXI *Joan.*)

Communem autem illam doctorum sententiam probavit et confirmavit Tridentina synodus, dum sensum declaravit versiculi 28 capitis XX Actuum apostolorum, qui sic habet : *Attendite ergo vobis ipsis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos pascere* (ποιμαίνειν) *Ecclesiam Dei*. Decernendo enim episcopos a Spiritu sancto positos fuisse ad gubernandam Ecclesiam Dei, præfati versiculi auctoritatem memorat synodus hoc modo : *Sacrosancta synodus declarat, præter cæteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere; et po-*

sitos, sicut idem apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei. (Sess. 23, c. 4.) Et tandem prædicto sensu a tota traditione intellectos fuisse sacræ Scripturæ textus in quibus occurrit vox *pastor*, erudite probat Nardi, *dei Parochi*, t. I, c. 1.

Ergo revera in sacris Paginis pastoris denominatio in sua significatione includit veram et proprie dictam jurisdictionem in foro externo, veram scilicet gubernandi et regendi potestatem.

« Tota antiquitas et traditio pastoris denominatione episcopos designavit.

« Ante recentiora tempora, aut nunquam aut rarissime parochi reperiuntur pastorum nomine insigniti. »

« Genuinus sensus vocis *pastor* includit potestatem legislativam et jurisdictionem externi fori; ita scilicet ut prædicta jurisdictio sit de essentia pastoratus. (Bouix *De parocho*, p. 151 et seq.) Qui pastor est, regit et gubernat oves. Ille vere et proprie pastor est cujus oves sunt propriæ, qui eas regit proprio nomine. Christus qui est pastor bonus, dedit oves suas Petro pascendas, et in Petro dedit easdem episcopis ut eas regerent et pascerent proprio nomine. Nullibi vero presbyteris dantur oves ut eas proprio nomine pascant et regant.

« Merito igitur concluditur denominationem pastoris, etiam secundi ordinis, parochis non competere. » (Bouix, *ibid.*) Parochi non habent potestatem magisterii ad populos doctrina fidei pascendos, nec potestatem regiminis ad populos regendos. Soli episcopi has potestates in ordinatione accipiunt, et possunt eas per missionem proprio nomine explicare et exercere. Parochi sunt tantum adjutores et auxiliarii pastorum.

« Hinc nuper, cum in cujusdam concilii provincialis Galliæ statutis, de parochis sub *pastorum* nomine sermo esset, a Romanis revisoribus vox illa expuncta est » (Bouix *De parocho*, (p. 165) ad præcavendos sane errores parochismi. « Etiamnum hodie Romana Ecclesia parochiales presbyteros non appellat nisi *parochialium ecclesiarum rectores.* » (Christianus Lupus, Operum, tom. II, p. 302.)

II. *Parochi non sunt proprie prælati.* — Est doctrina communis canonistarum, prælatum proprie dictum illum duntaxat vocari, qui jurisdictionem fori externi habet in subditos. Eadem est celeberrimi Fagnani doctrina : *Stricte illi tantum dicuntur prælati qui habent jurisdictionem aliquam fori contentiosi.* Ad caput *Cum ab ecclesiarum, De officio ordinarii.* Porro in cap. *Cum ab ecclesiarum*, quod ibi explanat Fagnanus, agitur de quodam plebano sancti P..., qui habebat jurisdictionem contentiosam. Ex quo potuissent incauti concludere proprie dictos prælatos esse plebanos seu parochos. Ad quem præcavendum errorem sic, loco citato, disserit Fagnanus : « Sed tu adverte, quia iste plebanus sancti P .. habebat jurisdictionem contentiosam de jure speciali, videlicet ex privilegio vel præscriptione; et ideo poterat excommunicare et interdicere. At secus est de jure communi; quia plebani et presbyteri parochiales, quamvis habeant curam et jurisdictionem ordinariam fori pœnitentialis, tam in clericos quam in laicos habitantes ipsorum parochiam, tamen nullam habent jurisdictionem fori contentiosi; et ideo potestatem non habent excommunicandi nec in genere, nec in specie. Nec prælati proprie appellari possunt; nam stricte illi tantum dicuntur prælati qui habent jurisdictionem aliquam fori contentiosi. Et propterea prælati a parochialium ecclesiarum rectoribus distinguuntur; licet, late sumpto vocabulo, etiam plebani et alii presbyteri parochiales dici possint prælati, hoc respectu, quia præsunt parochianis suis, in foro animæ, et ita intelligas textum in capite *Tuâ, De clericis ægrotantibus.* »

Ex hac communiter recepta notione, facile deducitur quinam sint veri prælati, tum majores, tum minores : « Prælati *majores* sunt episcopi, et præcipue cardinales in quantum universali Ecclesiæ regimini adlaborant. *Minores* vero sunt ii omnes, qui, prædictis inferiores, distinctum honoris gradum cum aliqua externa jurisdictione obtinent. Sunt autem numero plures; principaliores nempe, ordinarii *nullius* et exempti, qui usum pontificalium cum jurisdictione fori externi habent; item generales et provinciales religiosorum superiores; item vicarii generales episcoporum et antiqui archidiaconi : inferioris vero classis, superiores conventuum et abbatissæ, quibus prælatura ideo competit, quia jurisdictionem externam (etsi valde limitatam) veram tamen habent in subditos, quos possunt præceptis ligare et punire. Unde in *Clementinis*, lib. III, tit. VIII, cap. *Dudum, De sepul-*

turis, glossa 6, dicitur nomine prælatorum non venire rectores ecclesiarum, id est parochos. Ergo prælatus minor est quidem abbatissa et minimus Capuccinorum guardianus; at vero parochus minime. » (Nardi, *Dei parochi*, tom. I, pag. 394.) — Curiæ Romanæ prælati, cardinalibus et episcopis inferiores, sunt veri prælati : « Quia præter præcedentiam, iis incumbunt aliqua jurisdictionalia, quæ cathedram apostolicam, et sic aliquo modo regimen universale respiciunt. » (Id. *ibid.* p. 395.)

« Ex dictis, potest quoad parochos sic tota res concludi : ii soli sunt proprie prælati majores aut minores, qui aliquam in foro externo jurisdictionem obtinent; atqui parochis nulla competit hujusmodi jurisdictio; ergo parochi non sunt proprie prælati, nec majores nec minores, nec minimi. » (Bouix, *De parocho*, p. 170.)

III. « *Parochiale munus nec tanquam dignitas, nec tanquam personatus habendum est.* — Dignitas est, *præcedentia cum jurisdictione* (fori externi), *vel saltem cum titulo dignitatis canonice possesso*... Jam vero parochi, nec jurisdictionem fori externi habent, nec pro dignitatibus a lege ecclesiastica agnoscuntur aut unquam agniti sunt, nec in parochiarum erectione speciali statuto hac prærogativa donantur, neque illam ex Ecclesiarum consuetudine obtinuerunt. Ergo parochi nullatenus sunt dignitates in sensu juris. »

Expositam autem doctrinam, certam omnino facit doctorum sententia et tribunalium romanorum auctoritas.

« Non tantum parochus non est dignitas, sed, attento jure communi, et abstrahendo a particularibus locorum consuetudinibus, ne *personatus* quidem est. Nam personatus est *merum jus præcedendi*, nullam scilicet sibi habens adjunctam fori externi jurisdictionem. Qui nempe beneficium vel officium habet, cui de jure personatus annexus est, cæteros, etiam antiquiores, præcedit in Ecclesia, choro et processionibus. Sic verbi gratia, præpositura in iis capitulis et collegiatis ubi non est dignitas, est saltem personatus. Item quilibet cathedralis canonicus, cum vi ipsiusmet sui canonicatus præcedentiam relative ad simplices presbyteros non canonicos de jure habeat, personatum seu quasi dignitatem obtinere censendus est. At vero jura nullam hujusmodi præcedentiam parocho (extra propriam ejus ecclesiam) in cæteros attribuunt. Cum tamen ex mera locorum consuetudine alicui officio accedere possit jus illud alios præcedendi, reperiri possunt parochi personatus honore condecorati : et revera multis in locis quodlibet beneficium curatum pro personatu haberi adnotat cum Pirrhing Leurenius. (*Forum benef.* t. I, quæst. 32, n. 3.)

« Concludendum ergo parochiatum, per se solum, et attento jure communi, merum esse officium, et nihil aliud.

« Hinc est quod causæ ad sedem apostolicam perlatæ, et quarum processum eadem sedes apostolica vult fieri in regionibus ipsis, in quibus sunt ortæ, cum ex decretis pontificiis non debeant committi nisi personis in *dignitate* aut *personatu* seu quasi dignitate exsistentibus, nunquam committuntur parochis; sed vel prælatis, vel dignitatibus capitulorum, vel canonicis. » (Bouix, *De parocho*, p. 172 et seqq.)

IV. Parochi, sicut alii presbyteri, sunt jure divino instituti tanquam auxiliarii et adjutores episcopi, tanquam ipsius membra ad attingendum omnem gregem episcopo commissum, nullam in grege potestatem aliam habent quam eam quæ ipsis ex jure ab episcopo committitur. Unde locum tenent episcopi in iis quæ ipsis committuntur. Cum tamen parochi non sint jure divino, sed tantum ex jure ecclesiastico instituti, quærendum est quid sint parochia, parochus, et parochiatus, tum ex Ecclesiæ legibus, tum ex consuetudinibus vim juris habentibus, tum ex harum legum et consuetudinum interpretatione per decisiones tribunalium ecclesiasticorum, Romanarum præsertim congregationum, et per communem doctorum sententiam.

CAPUT III

De essentia et natura parochiæ et parochiatus, ex Ecclesiæ juribus; et de parochiano.

§ I. — Notio historica et theorica.

In origine parochia et diœcesis unum et idem erant; episcopus vero solus erat parochus cum suis cathedralibus presbyteris, quibus utebatur tanquam vicariis in administrandis sacramentis fidelibus. Crescente autem fidelium numero non tantum in civitatibus episcopalibus, sed etiam in villis, vicis et pagis, necesse fuit ad curam animarum diœcesim in plures ecclesias parochiales, seu parochias dividere, atque singulas

has parochias singulis sacerdotibus assignare, ut unusquisque proprium haberet territorium, seu certum districtum, ut supra dictum fuit, appellatum, *parochia*, intra cujus fines ac limites populum inibi exsistentem in spiritualibus debite pasceret ac regeret, nec unus alterius fines ac limites ingrederetur, ut expresse habetur in cap. *Ecclesias* 1, causa 13, quæstio 1.

Primo Christus assignavit Petro et ejus successoribus totum orbem ut diœcesim, omnes populos ut gregem; et hæc assignatio fuit ordinaria, ideoque perpetua et usque ad finem sæculorum duratura. Christus eumdem totius orbis diœcesim eumdem omnium gentium gregem Apostolis sub Petri auctoritate assignavit; et hæc assignatio fuit extraordinaria in apostolis tanquam apostolis, sed ordinaria in quantum apostoli erant episcopi. Ideoque divinam ordinationem exsequentes, Petrus, et sub ejus auctoritate alii apostoli potestate extraordinaria diviserunt populos per eorum verbum credentes in certas diœceses, quæ magnæ Petri diœcesis partitiones fuerunt; atque singulas has diœceses singulis episcopis assignaverunt, ut unusquisque populum inibi exsistentem in spiritualibus debite pasceret ac regeret pari auctoritate divinitus collata episcopis sicut apostolis tanquam ordinaria. Hinc semper ad sanctam sedem apostolicam jure divino pertinuit, dividere et circumscribere diœceses seu episcopatus, hisque episcopos præficere.

Cum autem episcopi ubique et omnes incolas suarum diœcesium attingere non possent, necesse fuit secundariam diœcesium partitionem facere sub auctoritate tamen episcoporum penes quos remanebat et remansit divina potestas regendi et pascendi omnes oves ipsis commissas. Sed in locum suum instituerunt et miserunt presbyteros qui curam habere deberent animarum totius populi intra limites ecclesiæ sibi assignatæ congregati.

Igitur parochia proprie dicta nihil aliud est quam dismembratio seu pars diœcesis episcopo commissæ et parochus proprie dictus nihil aliud est quam locum tenens episcopi, qui est primus et principalis parochus. Prima hæc diœcesis partitio in parochiis videtur facta fuisse Romæ a sancto papa Evaristo, deinde restaurata et confirmata a *sancto papa* Dionysio anno 268. Exstitit etiam Alexandriæ in primis sæculis; in aliis vero regionibus parochiæ rurales tantum exstiterunt, forte ad instar Romæ et Alexandriæ; civitas vero episcopalis remansit ut una sola parochia, cujus episcopus fuit solus cum suo presbyterio parochus usque circiter ad annum millesimum. Partitio diœcesium in parochiis ab episcopis facta fuit, et evenit lapsu temporis ut lex Ecclesiæ universalis.

Ex hac parochiarum origine leges ecclesiasticæ circa diœcesium limites et jura, circa episcoporum obligationes et jura applicandæ naturaliter venerunt parochiis et eorum rectoribus presbyteris. Ideoque traditio, praxis perpetua et canonistæ canones et jura de parochiis episcopalibus similiter parochiis presbyteralibus applicaverunt; ut videre est in *Decretalium* titulo *De parochiis*, qui titulus realiter exsistit, etsi negatus fuerit. Hac historica notione ab omnibus nota præmissa, quid canones de parochiis dicant requirendum est.

§ II. — Ex antiquis canonibus.

I. Canone 13, inter Canones apostolicos, legitur : *Episcopo, qui parochiam suam dereliquerit, alteram insilire nefas esto..., nisi rationabilis aliqua causa subsit... Neque hoc tamen a seipso, sed multorum episcoporum judicio, et exhortatione maxima.* — Can. 14, ibid.: *Si quis presbyter, aut diaconus, aut quicunque tandem de clericorum consortio, relicta parochia sua, in aliam concesserit, et omnino transmigratione facta præter voluntatem sui episcopi in alia parochia moram traxerit, hunc jubemus, ne porro in ministerio publico sit Ecclesiæ, maxime si accersente ipsum episcopo ejus redire contemnat, perverso illic ordine perseverans.* His duobus canonibus æquiparantur parochia et diœcesis quoad obligationes episcopi et parochi, utrique prohibetur derelinquere parochiam. In canone vero apostol. 33, prohibetur quidquam facere in parochia sine episcopi voluntate, etc.

II. In canonibus 4, 5 et 6, distinct. 92, quorum duo ultimi canones ex conciliis Antiocheno et Ancyrano extracti sunt, parochia appellatur diœcesis et prohibetur episcopo usurpare alterius parochiam sicut et in canone 34 Apostol.

III. De parochiis proprie dictis sic habetur, causa 13, quæst. 1, can. unic. *Singuli*

sacerdotes proprias debent habere ecclesias. Dionysio papæ attribuitur iste canon sic concinnatus : *Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus : parochias et cœmeteria eis divisimus : et unicuique jus proprium habere statuimus : ita videlicet, ut nullus alterius parochiæ terminos, aut jus invadat ; sed sit unusquisque suis terminis contentus, et taliter ecclesiam et plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal æterni Judicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat : et non judicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat.* Unde unusquisque parochus debet habere suam propriam parochiam, et jus proprium, et nullus potest alterius parochiæ terminos aut jus invadere ; ex quo concluditur quod parochus debeat esse unicus, et jura imprescriptibilia habeat.

Ad episcopum pertinet ecclesias et beneficia ecclesiastica distribuere et concedere. Can. 11, causa 16, quæst. 7, ibi Calixtus papa : *Nullus omnino archidiaconus, aut archipresbyter sive præpositus, vel decanus animarum curam vel præbendas ecclesiæ sine judicio vel consensu episcopi alicui tribuat. Imo, sicut sanctis canonibus constitutum est, animarum cura, et pecuniarum ecclesiasticarum dispensatio in episcopi judicio et potestate permaneat. Si quis vero contra hoc facere, aut potestatem, quæ ad episcopum pertinet, sibi vindicare præsumpserit, ab ecclesiæ limitibus arceatur.* — Causa 7, quæst. 1 per totum, deponi debent episcopi et presbyteri qui suam ecclesiam deserunt et alienam usurpant : et can. 41, ibi : *In una ecclesia duo prælati esse non debent.* Ibi : *In apibus princeps unus est... singuli ecclesiarum episcopi, singuli archipresbyteri, singuli archidiaconi, et omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur.* — Causa 21, quæst. 2, can. 4 : *Sicut una ecclesia duobus sacerdotibus dividi non potest.* — Unde in Rhemensi concilio legitur : *Sicut in unaquaque ecclesia unus presbyter debet esse, ita ipsa, quæ sponsa, vel uxor ejus dicitur, non potest dividi inter plures presbyteros, sed unum tantummodo habebit sacerdotem, qui eam caste et sincere regat. Unde interdicimus ut nullus præsumat ecclesiam inter duos vel plures dividere : quia Ecclesia Christi uxor et sponsa debet esse, non scortum sicut Callixtus papa testatur.* Et *ibid.* can. *Præcipimus* 5, statuitur ut *conductitiis presbyteris ecclesia non committatur,* sed proprio sacerdoti ideoque perpetuo. Unde Innocentius II in synodo Romana, c. 10 : *Præcipimus etiam ne conductitiis presbyteris ecclesiæ committantur : et unaquaque ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem.* Hoc caput iisdem verbis repetit Eugenius III in concilio Lateranensi; quod exstat in Vaticana bibliotheca. (*Correct. Rom.* ad dict. cap. *Præcepimus.*)

§ III. — Ex decretalibus.

Si ab antiquis canonibus transeamus ad *Decretales,* quæ sunt jus Ecclesiæ authenticum, eadem jura sancita reperiemus.

Lib. III *Decretalium,* tit. XXXVII, *De capellis monachorum,* etc., cap. *In ecclesiis* 1, quod sic summatur : *Ad curam monasterio subjectam non monachi sed sæculares clerici præficiuntur, et episcopis subsunt.* Ibi Urbanus III, an. 1186, Romæ, ait : *In ecclesiis ubi monachi habitant populus per monachum non regatur ; sed capellanus qui populum regat, ab episcopo per consilium monachorum instituatur : ita ut ex solius episcopi arbitrio tam ordinatio ejus, quam depositio, et totius vitæ pendeat conversatio.*

In cap. *Dilectus* 2, ejusd. tit. agnoscitur jus ecclesiæ parochialis non cathedralis acquirendi jura præscriptione, vel alio legitimo modo.

Eod. lib. III, tit. V, *De præbendis,* cap. *Cum non ignores* 15, Alexander III, an. 1170, ait : *Cum non ignores, quod una ecclesia unius debeat esse sacerdotis.* Quæ verba ab omnibus fere canonistis intelliguntur de unico parocho in una ecclesia, quidquid dicant aliqui ; et iste sensus hujus canonis probatur aliis ejusdem tituli canonibus ; sic can. *Avaritiæ* 10, ibi idem papa Alexander III, an. 1180, ait : *Ideoque mandamus, quatenus, si quas portiones vel antiquos redditus clericorum sine consensu archiepiscopi vestri minuere, vel parœcias dividere præsumpsistis, ad integritatem pristinam revocetis.*

Rector ecclesiæ parœcialis debet esse perpetuus ; et privandus est parœciali ecclesia rector in ea non residens, nisi sit annexa dignitati vel præbendæ : quo casu debet ibi habere perpetuum vicarium ; cap. *Exstirpandæ* 30, ejusd. tit. *De præb.*, ibi : *Qui vero parœcialem habet ecclesiam, non per vicarium, sed per seipsum illi deserviat in ordine, quem ipsius ecclesiæ cura requirit, nisi forte dignitati vel præbendæ parœcialis ecclesia*

sit annexa : in quo casu concedimus, ut qui talem habet præbendam vel dignitatem, cum oporteat eum in majori ecclesia deservire, in ipsa paræciali ecclesia idoneum et perpetuum habeat vicarium canonice institutum, qui (ut prædictum est) *congruentem habeat de ipsius ecclesiæ proventibus portionem : alioquin illa se sciat auctoritate hujus decreti privatum, libere alii conferenda, qui velit et possit, quod dictum est adimplere.* (Id est perpetuo et per seipsum deservire, vel si sit dignitas, vicarium perpetuum habere.) *Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus ecclesiæ, quæ curam habere debet proprii sacerdotis, pensionem alii quasi pro beneficio conferre præsumat.*

Multa alia in hoc titulo *De præbendis* circa parochos et vicarios curatos statuuntur.

In Sexto *Decretalium*, lib. III, tit. IV *De præbendis*, etc., cap. *Cum singula* 32 : *Cum singula officia sint singulis committenda personis.... præsenti.... edicto....* Statuitur quod *Religiosus habens prioratum vel ecclesiam curatam, si recipit secundum sine licentia Papæ, ipso jure vacat primum. Quod si statim non dimiserit, efficitur ineligibilis, et privatur utroque. Eadem est pœna in iis, qui habebant ante hanc constitutionem, nisi intra mensem alterum elegerint et alterum dimiserint.*

Lib. III *Decretalium*, tit. X, *De his quæ fiunt a prælato sine consensu capituli;* ex cap. *Tua nuper* 8, Innocent. III : *Non potest episcopus sine consensu capituli concedere ecclesias aliis ecclesiis, etiamsi habeat jus patronatus in ecclesiis concessis.* Et sequenti cap. *Pastoralis* 9, quod sic summatur : *Episcopus paræciales ecclesias, vel obventiones ipsarum, de consensu patroni sine consensu capituli sui monasterio conferre non potest.* Ibi Innocent III. episcopo Helien. an. 1210 : *Pastoralis officii diligentia : Præterea quæsivisti* (cum auctoritate Dionysii fuerint paræciæ limitatæ) *qualenus singularum paræciarum proventus in usus ecclesiæ cederent necessarios, et stipendia ministrorum : si episcopo liceat sine auctoritate summi pontificis vel saltem sine capituli sui voluntate, viris religiosis conferre obventiones alicujus paræcialis ecclesiæ, sustentatione vicarii reservata. Et cum Lateranen. concilii statuta prohibeant ecclesiis novam imponi, vel augere veterem pensionem, postulas edoceri, an episcopus valeat religiosis, consentiente patrono, totam ecclesiam, vel de novo conferre aliquam portionem. Ad quod breviter respondemus, quod salva constitutione canonica, de concedenda piis locis quinquagesima portione, neque primum, neque secundum potuit facere episcopus, nisi de licentia Rom. pontif. præter capituli sui voluntatem.* Ex quo capite plura deducuntur advertenda : 1° quod divisio paræciarum a Dionysio papa facta anno 268 in jus universale revocetur, et consequenter cap. *Ecclesias* unic., causa 13, quæst. 1, innovetur quidquid sit de ejusdem authenticitate. 2° Quod non liceat episcopo parochias nec earum obventiones conferre religiosis nisi de licentia summi pontificis, præter capituli sui voluntatem. 3° Consequenter et divisio parochiarum et eorum jura, lege universali Ecclesiæ præservantur, et non possunt immutari absque auctoritate summi pontificis.

Lib. III. *Decret.* tit. XIII, c. *Non licet* 1, ex concilio Lugdunensi IV, an. 1055, ibi : *Non licet episcopo vel abbati terram unius ecclesiæ vertere ad aliam, quamvis ambæ in ejus sint potestate : tamen si commutare voluerit terras earum, cum consensu ambarum faciat.* — Tit. XXVIII, cap. 5, 6, etc. determinatur jus parochiæ et parochi quoad sepulturas. — Tandem in multis aliis capitibus quæstio est de parochiis et earum rectoribus.

Causa 16, quæst. 1, c. *Et temporis* 48; *Duos episcopatus in unum redigere apostolica potest auctoritas.* Ex Gregorio papa. Unde conceditur duas parochias in unam redigi posse ab auctoritate competenti et ex causis a jure præfixis. De nova parochialium ecclesiarum erectione agitur titulo XLVIII, *De ecclesiis ædificandis vel reparandis*, lib. III *Decret.* — In titulo VI ejusdem lib. III *Decr. De clerico ægrotante vel debilitato*, statuitur ut rector ecclesiæ infirmus non amoveatur nec privetur, sed eidem detur coadjutor.

§ IV. — Ex concilio Tridentino.

Sess. 21, cap. 4, sancta synodus statuit quod, ubi unus rector non sufficit populo, adjungat sibi sacerdotes competentes. Et datur modus erigendi novas parochias etiam invitis rectoribus et præfectis : in novis parochiis danda portio ex fructibus quomodolibet ad matricem ecclesiam : qua portione non sufficiente, compellendus populus dare necessaria. — In cap. 5 ejusdem sess. 21, statuitur ut, propter ecclesiarum pauper-

tatem et in casibus a jure permissis, faciat episcopus uniones perpetuas quarumcunque ecclesiarum parochialium, et aliorum beneficiorum, etiam non curatorum cum curatis. — Cap. 9 ejusd. sess. 21, statuitur ut imperiti sed honestæ vitæ rectores non amoveantur, sed ipsis vicarii pro tempore deputentur cum parte fructuum assignanda. Scandalose autem viventes et vivere perseverantes, juxta sacrorum canonum constitutiones, nudentur beneficiis suis. — Sess. 24, c. 13 statuit sancta synodus de unionibus beneficiorum et de redditibus pro rectoris et parochiæ necessitate decenti; postea addit: *In iis quoque civitatibus, ac locis, ubi parochiales ecclesiæ certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant; mandat sancta synodus episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum, qui eas cognoscere valeat, et a qua solo licite sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus, ac locis, ubi nullæ sunt parochiales, quamprimum fieri curent: non obstantibus quibuscunque privilegiis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus.*

Hic, 1° mandat sancta synodus ut lex parochiarum distinctarum universaliter ubique observetur in tota ecclesia; 2° ut unaquæque parochia suum perpetuum peculiaremque parochum habeat: hoc est mandatum primarium et principale; ubi vero id non potest fieri, permittitur episcopis *alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, providere.* Hæc permissio concessa fuit ad servandum jura capitulorum, monasteriorum et dignitatum, quibus annexa est cura animarum seu parochia, ut scilicet episcopus, *utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, providere* possit, et, ut alibi statuitur, de uno aut pluribus vicariis, de vicario perpetuo ubi est sæcularis, et de vicario curato amovibili, quando est regularis, non vero de parocho seu rectore amovibili, quod est contra jus commune et mandatum ipsius concilii. Sic interpretata et intellecta fuit hæc clausula, *aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit*, a cardinali De Luca, discurs. 9 ad *Concil. Trident.* et ab aliis.

Et confirmatur capite 7, sess. 7, ubi statuitur, circa *beneficia ecclesiastica curata, quæ cathedralibus, collegiatis, seu aliis ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu collegiis, aut piis locis quibuscunque unita et annexa.... quod ordinarii locorum sollicite providere procurent, ut per idoneos vicarios, etiam perpetuos, nisi ipsis ordinariis, pro bono ecclesiarum regimine aliter expedire videbitur.* Ad quod referri debet etiam caput 16, sess. 25. Hic conceditur episcopo ut possit instituere vicarios etiam perpetuos, non vero ut possit eos qui jam sunt perpetui in non perpetuos mutare.

Tandem capite 18, sess. 24, sancta synodus ut omnes parochiales ecclesiæ, et etiam ecclesiæ curatæ de jure patronatus ecclesiastico quocunque conferantur post examen in forma concursus, et ecclesiæ curatæ de jure patronatus laico conferantur præsentatis si idonei reperti fuerint prævio examine, et ita statuit denegandam expresse tam patronis ecclesiasticis quam laicis et episcopis facultatem semel institutos amovendi ad nutum. Ita adnot. ad dictum caput 18; et ita decisum fuit a sacr. congr. Concil. in præsentatione communitatis Campi Tosti, quæ allegabat antiquam consuetudinem amovendi rectorem ad libitum. Ideoque voluit sacrosancta synodus omnes parochos et vicarios curatos esse perpetuos, præter parochos et vicarios regulares quos convenit esse amovibiles ad nutum eorum superiorum.

§ V. — Conclusio, quæ ex juribus erui videtur.

Si ex canonibus antiquis, ex Decretalibus et concilio Tridentino conclusionem de essentia et natura parochiæ et parochiatus requiramus, ad sequentia adhærere debemus.

I. Parochia est partitio diœcesis, et ideo in certis et determinatis a jure rebus, obligationibus et juribus locum episcopatus tenet parochiatus.

II. Parochus est proinde locum tenens episcopi primi et principalis parochi, ideoque omnia jura episcopo tanquam parocho convenientia applicanda veniunt presbytero parocho.

III. Ad solum papam primario pertinet dividere, circumscribere et unire diœceses, easque subdividere in parochias proprie dictas. (C. unic. *Ecclesias*, causa 13, quæst. 1; et c. *Pastoralis* 9, tit. x, ib. III *Decret.*; et c. *Non licet* 1, tit. XIII ejusd.

libri.) Parochias erigere et dividere, præter papam, in diœcesi jam creata, solus potest et debet episcopus. (C. *Nullus omnino* 11, causa 16, quæst. 7; *Trident.* sess. 21, *De reform.* cap. 4; et sess. 24, *De reform.* cap. 13.)

IV. Ad constitutionem parochiæ, seu ad hoc, ut aliqua ecclesia dicatur, sit, et probetur parochialis, plura requiruntur. Primo igitur requiritur ut auctoritate papæ vel episcopi sit erecta, ut patet ex dictis numero præcedenti; erecta tamen præsumitur auctoritate papæ vel episcopi, ex lapsu temporis, quo rector ecclesiæ publice divina officia peregit, sacramenta administravit ac reliqua parochialia præstitit et recepit. (Barbos. *De offic. et potest. parochi*, part. I, cap. 1, n. 39, et alii communiter.)

V. Secundo requiritur certum territorium, seu certus locus, ac districtus cum certis limitibus ab episcopo determinatis. (C. *Ecclesias* 1, causa 13, quæst. 1; *Trident.* sess. 21, c. 4 *De reform.*, et sess. 24, c. 13 *De reform.*)

VI. Tertio requiritur ut unum solum rectorem, seu parochum habeat cum cura animarum, et potestate fori pœnitentialis ipsi soli competente, ita ut jure ordinario nullus alius, sed solus ac unicus parochus prædictam habeat curam et potestatem. (C. unic. *Ecclesias*, caus. 13, quæst. 1, et cap. *In apibus* 41, causa 7, quæst. 1, can. *Sicut* 4, causa 21, quæst. 2; c. *Præcipimus* 5, *ibid.*; c. *Cum non ignores* 15, tit. v, *De præl.* lib. III *Decret*; c. *Cum singula* 32, tit. IV, l. III, in 6 *Decret.*; *Trident.* sess. 24, cap. 13, *De reform.* et argum. ex c. 18, sess. 24, *De reform.*)

VII. Quarto requiritur ut parochus seu rector ecclesiæ parochialis unicus sit etiam perpetuus et non possit removeri nisi de causis legitimis et a jure determinatis. Quia quemadmodum episcopus est sponsus Ecclesiæ episcopalis, parochus est quasi sponsus Ecclesiæ parochialis. (C. *Sicut* 4, causa 21, quæst. 2; c. *Præcipimus* 5, ibid.; c. *Exstirpandæ* 30, tit. v, lib. III *Decret.*; et tot. tit. VI *De clerico ægrotante*, lib. III *Decret.* et *Trident.* sess. 21, cap. 6; et sess. 24, cap. 13; et sess. 7, c. 7; et argum. ex c. 18, sess. 24.) Non tantum parochi proprii debent esse perpetui, sed etiam omnes vicarii curati sæculares, quando cura pertinet sive ad episcopum, sive ad dignitatem ecclesiasticam, aut ad personatum sive ad capitulum vel ad monasterium, quia in his omnibus casibus vicariatus debet conferri per concursum juxta formam cap. 18, sess. 24 *Trident.* Vicarius est etiam perpetuus, quando cura est de jure patronatus laici, quia ex eodem capit. 18, sess. 14 Trident. debet conferri prævio examine. Igitur ex jure Tridentino omnes parochi et vicarii curati sæculares sunt perpetui; et soli parochi et vicarii curati regulares sunt ad nutum suorum superiorum revocabiles.

§ VI. — Ex canonistis et decisionibus tribunalium Romanorum.

Confirmantur nostræ conclusiones ex sententia doctorum et decretis sacrarum congregationum et declarationibus tribunalium Romanorum.

I. Quod parochia sit partitio diœcesis et curæ, ideoque locum episcopatus teneat parochiatus est unanimis sententia canonistarum. (Pirrhing. lib. III, tit. XXIX, *De parochiis*; Schmalz. in eod. titulo, et libro.) — Fagnan. in lib. IV *Decret. De matrimon. contrah.*, etc.; c. *Litteræ quas*, n. 12, ibi: « Potestas parochi subalternatur episcopo in his quæ ad jurisdictionem pertinent, et sacramentorum administrationem, cum tota diœcesis sit parochia episcopi, cap. *Apostolicæ, de donat.*, quam partitur inter ipsos sacerdotes parochiales, qui inde nomen assumpserunt. Parochia enim Græce, Latine partitio dicitur, et dicitur parochia quasi partitio curæ. » (Archid. in c. *Ecclesias* 1, causa 13, quæst. 1.) — Id fuse exponit Ferrar. verb. *Parochia*, n. 1 et seqq., et multi alii ab istis citati.

II. Ideoque omnia jura episcopo tanquam paroche convenientia applicanda veniunt presbytero parocho. Est conclusio adeo certa apud omnes canonistas, qui omnes de juribus et obligationibus episcopi tractantes canones presbytero parocho applicant, ut supervacaneum foret citationes afferre; quia hæc canonistarum et etiam tribunalium Romanorum praxis et consuetudo est generalis, perpetua et in omni occurrentia.

III. Ad solum papam primario, et secundario ad episcopum pertinet erigere, dividere, circumscribere et unire parochias. (Communis et certissima apud omnes.) Deducitur ex multis sacr. congr. Concil. declarationibus, in cap. 4, sess. 21 *Trident.*;

Barbosa *De offic. et potest. parochi*, part. I, c. 1, n. 39; Fagnan. in II part. tertii *Decretal.* tit. *De ecclesiis ædific.*; c. *Ad audientiam*, *Il primo*, per totum. — Schmalzgrueber, part. III, tit. XIX *De parochiis*, sic ait : « Dicendum diœcesium et parochiarum limites constitui et mutari sola ecclesiastica auctoritate posse. (Sumitur ex can. *Lege imperatorum* 1, dist. 10, et c. *Sicut unire* 8, *De excess. prælat.*) Nec aliter habet perpetua et antiquissima praxis Ecclesiæ; sic enim quædam diœceses jam ab apostolis, et sancto Clemente sunt instituta. (Cap. *Urbes* 1 et seq., dist. 80; can. *Provinciæ* 1, juncta Glossa V, ead. dist. 99.) Aliæ fundatæ sunt ab aliis sancti Petri successoribus, ut recte monet Barbosa, *De offic. episc.* part. I, tit. I, c. 7, n. 7. Idem constat de institutione et divisione parochiarum ; nam istas primum Dionysius papa divisit, vel saltem divisionem, ab Evaristo prædecessore suo factam, sed Valeriani persecutione sublatam aut confusam restituit, ut constat ex can. *Ecclesias unic.*, causa 13, quæst. 1, et c. *Pastoralis* 9, *De his, quæ fiunt a prælat.* Reliquarum deinde parochiarum erectiones, divisiones et uniones factæ sunt, et de facto solum fiunt a summis pont. et episcopis in propriis suis diœcesibus. Neque obstat ratio dubitandi; etsi enim quædam diœceses fundatæ, et institutæ legantur ab imperatoribus et regibus, semper tamen id factum est, interveniente auctoritate apostolica, ut notat Tholosan. *Synt.* lib. XV, c. 12, n. 4. » (Ita Schmalz. ubi supra, § 3, n. 19 et 21.)

« Ad hoc ut ecclesia censeatur parochialis, non attenditur exsistentia actus, sed auctoritas superioris, qui eam constituit parochialem. » (C. *Nullus omnino*, causa 16, quæst. 7. — Fagnan. in part. I, decret. 3, *De præb.* c. *De multa*, n. 36.)

« Parochias erigere et dividere, præter papam, solus potest et debet episcopus. » (Ferraris, qui hoc fuse demonstrat, verb. *Parochia*, n. 7 et seq.)

Et quod primaria alicujus diœcesis in parochias subdivisio pertineat ad summum pontificem, patet ex ejus auctoritate absoluta in Ecclesia, sed etiam ex jure ordinario et praxi sanctæ sedis eruitur. Probatur ex Concordato Galliæ anno 1801, et bulla Pii VII *Ecclesia Christi*, ibi : *Constitutis diœcesibus, cum omnino necesse sit limites etiam paræciarum constitui, earum circumscriptionem ab episcopis fieri volumus, quæ tamen circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam gubernii consensus accesserit.* Et in bulla ejusdem pontificis *Qui Christi Domini*, datur legato Caprara omnis auctoritas ad antiquas parochias supprimendas, novasque erigendas et certis limitibus circumscribendas. Ideoque cardinalis legatus novos episcopos ut erigerent parochias delegavit. Et in decreto erectionis ecclesiarum eamdem delegationem renovat episcopis. Ex quibus patet auctoritatem sanctæ sedis esse necessariam ad primariam diœcesis in parochias divisionem. Postea de jure communi et Tridentino, servatis servandis, potest episcopus dividere et unire parochias, novasque erigere, juxta tamen juris sanctiones.

IV. Quod necesse sit ut territorium parochiæ certis limitibus ab episcopo determinetur, ab omnibus recipitur. (Et ita decisum fuit sæpius a Rota Romana, recent. part. II, decis. 228, num. 5 et seq.; et part. XVIII, tom. I, decis. 32, num. 2 et seq.) « Requiritur . . . locus certis limitibus constitutus, in quo populus alicui ecclesiæ deputatus degit, prout sumitur ex can. unic., causa 13, quæst. 1, *Trident.* sess. 24, cap. 13, *De reform.* ibi : *In locis ubi parochiales ecclesiæ certos non habent limites*, etc. Quia parochi populum regere dicuntur. (C. *In ecclesiis* 1, *De capell. monach.*) Auctoritas episcopi designantis eidem limites, et constituentis populum parochianum. (C. *Nullus* 11, causa 16, quæst. 7.) Præsumitur autem ecclesia erecta auctoritate episcopi ex lapsu temporis, ex celebratione divinorum officiorum, et sacramentorum administratione, ut cum aliis notat Barbosa, *De offic. paroch.* c. 1, n. 38 et 39. » Ita Schmalzg. part. III, tit. XXIX, § 1, n. 3 et 4; Ferraris, verb. *Parochia*, n. 12, qui addit : « Requiritur, quod in ipso designato loco, seu districtu sint saltem decem mancipia, seu, ut alii legunt, municipia, id est decem domus, aut familiæ. » (C. *Unio* 3, causa 10, quæst. 3; Et ibidem multi alii citati cum Rota recent. part. II, decis. 348, n. 38.)

V. Unitas rectoris seu parochi ab omnibus fere canonistis defenditur tanquam de jure. — Schmalzgrueber, ubi supra, n. 4, sic loquitur : « Ut habeat (parochia) rectorem

certum, et quidem unicum. (C. *In apibus* 41, causa 7, quæst. 1; c. *Præcipimus* 5, causa 21, quæst. 2; c. *Cum non ignores* 15, *De præbend.*) Sicut enim una mulier duos sponsos, et unum corpus duo capita sine monstruositate habere non potest, ita nec una parochia duos parochos. (C. *Sicut* 4, causa 21, quæst. 2.) Neque obstat, quod aliquando cura parochialis spectet ad capitulum Ecclesiæ collegiatæ, vel regularis; nam capitulum est una persona ficta, et cons. licet constituatur ex pluribus canonicis, vel religiosis, fictione juris tamen adhuc est unicus rector. » (Videatur HIERON. GONZAL. ad reg. 8 Cancell. gloss. 6, n. 34 et seq. Ita etiam FERRAR. verb. *Parochia*, n. 14, et apud eum Rota et multi.) — « Si tamen, ait Ferraris, *ibid.*, ob nimiam frequentiam rector electus nequeat ecclesiastica ministrare sacramenta, et impar sit divino cultui peragendo, tot sibi debet ad hoc munus perficiendum adjungere sacerdotes juxta dispositionem concilii Tridentini sess. 21, cap. 4, *De reform.*; Barbosa, *ibid.* verb. *Ut unus rector* 1; Leuren. *For. benefic.* part. III, quæst. 958, n. 4. » — Cæterum, hac seclusa circumstantia, unico rectori inesse debet necessitas ministrandi sacramenta, et habitantibus eadem suscipiendi. (CORRAD. *Prax. benefic.* lib. III, c. 5; BARBOSA, *Jur. eccles.* lib. I, cap. 20, num. 18.) Qui vero hodie vocantur capellani, vel vicecurati, non nomine proprio, prout opus est sacramenta ministrant, sed alieno, nempe rectoris, ideo cooperatores, non rectores debent appellari, licet curam animarum exerceant; et quod dicitur unicum esse debere rectorem, intelligi debet, de jurisdictione ordinaria, non delegata, qualis est jurisdictio capellani vel vicecurati. Si enim cum ordinaria jurisdictione duo vel plures alicui ecclesiæ præficiantur, curati vel rectores nequeunt appellari. (RICC. *Prax. for. Eccles. resolut.* 561; LEUREN. *For. benefic.* part. I, quæst. 146.)

VI. « Præcipue ad constituendam parochiam requiritur potestas ligandi et solvendi in foro pœnitentiali, seu interno conscientiæ : idque ex necessitate muneris parochialis, cujus præcipua pars est fidelibus administrare sacramenta; Gloss. in Clem. 2, v. *Impendant De sepultur.*; Abb. *ibid.* n. 28; card. de Luca, Théatr. v. et j., *De parocho*, discurs. 23, n. 8, et hanc sententiam sequuntur omnes canonistæ. — « Parochialis ecclesia dicitur, quæ habet jus consistens in cura animarum parochianorum, ipsis sacramenta ministrans, et proprium habens rectorem, seu parochum; parochialitas enim nihil aliud est quam cura animarum. (Rota, recent. part. XV, dec. 49, n. 3 et multi). Parochialis ecclesia ut probetur, non sufficit, quod rector administret sacramenta, nisi etiam ostendat, quod de necessitate administret, et populus ab eodem de necessitate recipiat. Glossa in clementin. *Dudum*, *De sepulturis*, et multi cum Rota ... » (Apud Ferraris v. *Parochia*, n. 18 et 19.)

VII. Perpetuitas seu inamovibilitas parochi seu rectoris, est jus tam perpetuo agnitum et receptum ab omnibus, ut non revocetur in dubium et de eo non fiat quidem quæstio, nisi a quibusdam modernis. Hæc vero perpetuitas parochi fundatur in eo quod parochus sit quasi sponsus ecclesiæ parochialis, proprius ejusdem sacerdos; eamque curat proprio nomine. Si parochi dicuntur et sunt veluti vicarii et coadjutores episcopi (FAGNAN. in cap. *Litteræ quas*, *De matrimon. contrah. contra interd. Eccl.* n. 18), sunt etiam quasi vicarii papæ ad curam animarum in foro conscientiæ; nam papa omnia potest et facit in ecclesia, magna per episcopos, minima per plebanos seu parochos adimplet, ut dicitur a Fagnano. Ideoque ex lege pontificia parochi positi removeri nequeunt nisi juxta ejusdem legis sanctiones. Satis erit hic citare aliquos canonistas; et primo cardinalis de Luca, *De unitate et perpetuitate parochi*, sic habet :

« Quamvis etenim rectorum, seu parochorum pluralitas de jure prohibita sit ob inconveniens, ne una mulier duos, vel plures habeat viros; attamen id procedit in eo, qui sit verus rector, ac sponsus Ecclesiæ, non autem in hujusmodi vicariis, qui potius famulorum ac operariorum jure censendi sunt, cum id dictæ unitati non adversetur, eodem modo quo eidem non adversatur, ut ipsamet cura habitualis sit penes aliquod capitulum, vel collegium, constitutum ex pluribus personis, quoniam unicus censetur parochus repræsentatus ab ipso corpore mystico, seu politico, constituente unam personam formalem, seu intellectualem, singuli autem non sunt parochi, ut

de hoc advertitur supra...» (Sub tit. *De benefic.* disc. 55 et 95.)

« Minusque expresse, ac determinate statutum est in concil. Trident. (sess. 7, c. 7; sess. 21, c. 6; sess. 25, c. 16); de vicario, quam de parocho, sess. 24, c. 13, ibi: *Unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent.* — « Circa vicarii qualitatem, an scilicet perpetuus, vel manualis esse debeat, cum id ordinarii arbitrio remissum sit; constitutionibus comprobatum est, ut perpetuus esse debeat (vicarius curatus), quatenus ille particularis extra gremium capituli, seu collegii deputari soleat, vel expediat; ubi vero de ipso capitulo vel collegio, tunc destinetur canonicatus, cui fixa sit ista vicaria, ut præsertim super hujusmodi perpetuitate per constitutionem Pii V provisum est in capitulis ecclesiarum Urbis, quibus cura animarum incumbat. (Tit. *De parocho*, disc. 22.) In ecclesiis autem regularibus manualitas magis congrua est. » (Adnotat. ad SS. *Concil. Trident.* disc. 9.)

Addit: « Quandoque autem etiam ipsosmet principales curatos, qui cum dicta solemnitate concursus, tanquam per speciem doctoratus approbati sint, possit ordinarius occasione visitationis ac etiam extra eam ex suspicione ab aliquo justo motivo concepta (ad cujus formalem justificationem non tenetur) examinare ac etiam, ubi non bene versatos comperierit, suspendere, donec profecerint, vicarium vel coadjutorem interim provisionaliter, non autem in titulum deputando.» (*Ibid.* disc. 32. Quia nequit amoveri parochus defectu litteraturæ.

Clarissimum canonistam Romanum, secretarium olim sacræ congregationis Concilii, Fagnanum audiamus: « Beneficium ecclesiasticum ex sui natura debet esse perpetuum. (C. *Præcepta*, 55 dist.; c. *Sanctorum*, 70 dist.; c. *Veniens*, *De fil. presbyter.*; c. penultimo, *De cleric. ægrot.*; et notatur in c. *Si gratiose*, *De rescriptis* in 6; et citat. multos canonistas.) Pensio autem non est perpetua, sed temporalis... Nec vacat per obitum pensionarii, sed exstinguitur... At beneficium ecclesiasticum uti perpetuum vacat, et alteri confertur. (C. 2, cum duobus sequentibus; c. *Ex tenore*, et c. fin. *De concess. præbend.*, cum multis similibus.) Secundo beneficium ecclesiasticum requirit canonicam erectionem, alias non est beneficium. (C. *Nemo*, *De consecr.*, dist. 1; cap. 1, dist. 22.) Unde sacra congregatio Concilii alias respondit vicarios perpetuos constitui non posse in vim capitis 7, sess. 7 Trident. absque erectione tituli vicariæ. Item beneficium sine canonica institutione obtineri non potest, ut in regula beneficium, *De regul. jur.* lib. VI... Tertio inter beneficiatum et ecclesiam contrahitur matrimonium spirituale. (C. *Sicut in unaquaque*, causa 21, quæst. 2; c. fin. *Inter corporalia*; c. *Quanto*, etc. *De translat. episc.*; c. *Requisisti*, *De testam.*) Vel quasi matrimonium. Glossa 1, in c. *Ne pro defectu*, *De elect.*)... Quarto, ut inquit Petr. de Anchar. in c. *Quamvis*, *I primo*, in 3 not. *De præb.* l. VI, propter beneficia quis intitulatur et obligatur ecclesiæ; et tenetur ad continuam residentiam. (C. fin. *De cler. non resid.*)—Quinto, beneficium ecclesiasticum resignari non potest sine superioris auctoritate. (C. *Admonet*, *De renunt.*) ... In materia favorabili appellatione beneficii includuntur etiam beneficia manualia, quæ tamen vere et proprie non sunt beneficia, ut tenent (plures) et Duaren. in tract. *De benef.* lib. II, c. 4, ubi ait prioratus claustrales beneficiis non adnumerari, quia perpetui non sunt. (Quintanadven. l. I *Ecclesiasticor.* c. 3, n. 12; et *Navarr.* cons. 5, *De præb.* et cons. 8, n. 7, *De jurepatr.*) Dicens capellaniam sic fundatam, etiam auctoritate episcopi, non esse beneficium. (Ex cons. 9 *De offic. ordinar.*; et cons. 27, *De præb.*) Ibi ait capellaniam desinere esse beneficium si ex perpetua fiat ad nutum amovibilis. Et hanc distinctionem inter materiam odiosam et favorabilem in proposito sæpius probaverit sacra congregatio cardinalium Concilii Trident. interpretum. Quinimo et Gregorius XIII, ut patebit infra n. 129, 131 et 134. » (Fagnan. in I part. lib. I *Decretalium*, tit. *De rescriptis*, c. *Ad audientiam*, passim.)

« Nota omne beneficium curatum habere ordinem presbyteratus annexum ut hic, et in cap. *Præterea*, infra, *De ætat. et qual.*, et in cap. *Licet canon*, et cap. *Commissa*, *De elect.* lib. VI, cum suis concordan. Quod absque dubio procedit, si beneficium habeat curam animarum in foro pœnitentiali, ut in juribus præallegatis... — 4° Nota... differentiam esse inter beneficium curatum, et parochialem ecclesiam : differunt enim primo, quia beneficium curatum est nomen generis, quod complectitur non tantum Ec-

clesias parochiales, sed etiam dignitates, et alia beneficia in Ecclesia, quibus cura animarum incumbit, puta decanatum, archidiaconatum, etc., de quibus hic : in quorum vacatione non dicitur Ecclesia viduata, cum sit ibi prælatus, qui solus est sponsus Ecclesiæ, ut notat gloss. in cap. *Quia propter, De elect.* Parochialis vero est beneficium curatum sonans in nomen Rectoriæ, cap. *Licet canon*, § *Iis etiam*, ibi in parochiali Ecclesia cujus rector exsistit; infra, eod. lib. VI, in cujus vacatione Ecclesia viduatur, ut d. cap. *Quia propter*, et in cap. *Ne pro defectu*, infra eod., et cujus rector non habet beneficium in ecclesia, sed ecclesiam ipsam seu beneficium Ecclesiæ, ut inquit Glossa in Clem. *Ut ii, De ætat. et qual...* Deinde differunt, quia beneficium curatum dicitur etiam ratione jurisdictionis spiritualis in foro contentioso..... Sed parochialis non dicitur nisi curam habeat animarum in foro pœnitentiali, ut Host. in *Summa de paroch.* et Joan. Andr. in rubr. *Paroch.* n. 2. Itaque omnis Ecclesia parochialis est beneficium curatum, sed non convertitur, quia non omne beneficium curatum est parochialis. » (FAGNAN. in II part. lib. I, *Decretal. De elect.*, c. *Cum in cunctis*, § *Inferiora.*

« Titulos beneficiales... Romana fundavit Ecclesia... Tituli autem beneficiales, ut prædixi, sunt de jure positivo, d. c. 1 et 2, dist. 22; c. *In illis*, dist. 80; c. 1, dist. 86. Notatur per Innocent. et alios (et hic agitur de translatione episcoporum, et pro ratione affertur), n. 50, quarto, idem suaderi potest exemplo inferiorum sacerdotum, qui etiam inviti possunt a suis episcopis ex una ad aliam Ecclesiam transferri. (C. *Quæsitum, De rer. permut.* Gloss. ; in c. *Omnis*, in verb. *Coacte*, causa 7, quæst. 1.)... Et n. 88, ad quartum respondetur retorquendo argumentum. Quoniam etsi inferiores sacerdotes transferri possunt inviti; tamen ad hoc requiritur causa necessitatis, vel utilitatis ecclesiarum, ut probatur in juribus in contrarium adductis, et notat Archid. in c. *Episcopus, De loco*, in fine, causa 7, quæst. 1. Ergo idem, et multo fortius, dicendum in translatione episcopi. » (FAGNAN. in II part. primi decret. *De translat. episcop.* c. *Quanto.*) Et hi textus Fagnani probant assimilationem parochi cum episcopo quoad jura, quæ utrisque applicantur a canonistis, ut diximus supra.

« Dignitates et beneficia quæ a sæcularibus obtinentur sunt perpetua. (C. *Præcepta*, etc.) At religiosi, præsertim claustrales nequeunt in beneficiis perpetuari, ut dicit Frederic. *De sent.* et alii... Et sacra congregatio sæpius censuit eos non posse Ecclesiis præfici, nisi ad nutum amovibiles..... (FAGNAN. in II part. lib. I *Decretal. De tempor. ordin.* c. *Ad aures*, n. 19.)

« Ex sola enim collatione, seu institutione sine alia traditione, vel adeptione possessionis jus in beneficio tribuitur. (C. *Si tibi absenti. De præb.* in 6, et notat Gloss. in extravagant. JOAN. XXII, *Exsecrabilis.*) Beneficia enim æquiparantur ultimis voluntatibus. (Glossa, in c. 1, vers. *In ultimis vol. De conces. præbend.* in 6; et est textus in cap. *Auctoritate*, eod. tit. et lib.) Sed in ultimis voluntatibus dominia, ac jura recta via, ipsoque jure sine traditione aliqua transferuntur.... ergo et in beneficiis ecclesiasticis. Ad quod facit textus in cap. *fin.* § *Sane*, ubi etiam Gemin. hoc adnotavit, *De conces. præb.* in 6. Quinimo usque adeo dicitur beneficium illius esse, qui solam collationem obtinuit, licet alius possessionem occupet, ut beneficium dicatur vacare per obitum ipsius, et non possessoris, quamvis tantum supplicationem signatam habuerit, ut decidit Rota decis. ult. in antiq. sub tit. *De rescriptis...* Et est casus expressus in dicto cap. *Si tibi absenti, De præbend.* in 6. » (FAGNAN. in II lib. *Decretal. De foro compet.*, c. *Si quis*, n. 30 et seq.)

« Nota ibi, *Nec afflictio*, et signa rationem cur ægrotus non sit removendus a beneficio, videlicet, quia non est addenda afflictio afflicto, ut hic, et in c. *Cum percussio*, causa 7, quæst. 1, in c. *Indicas*, causa 3, quæst. 9, et in c. *Ad ejus*, 5 dist., sed potius illius miseriæ miserendum, ut in littera, et in c. *Licet, De cens...* Aliam rationem, et quidem valde notabilem adducit textus in c. 1 *Supra eod.* qui est pars dicti cap. *Cum percussio*, videlicet exempli perniciem; nam alii qui vident clericos ita inhumaniter tractari, ex hoc arcentur a clericatu, et status Ecclesiæ turbatur, circa quod vide quod dixi infra, in cap. seq. n. 49. Aliam denique rationem affert hic Glossa fin. Host. n. 3, Joan. And. n. 5; Cardin. n. 3 in oppos. Quia scilicet beneficia ecclesiastica debent esse perpetua... » (FAGNAN. in I part. lib. III *Decret. De cleric. ægrot.* c. *Ex parte*, n. 5 et seq.)

Et in capite sequenti, *Consultationibus*, num. 49 supra indicato :

« 48. Ad id est textus notabilis in cap. *Cum percussio*, causa 7, quæst. 1, ubi glossa format casum. (Calumniosus clericus corporalem patiebatur percussionem, cujus occasione Candidus episcopus de urbe veteri ipsum beneficio ecclesiæ spoliavit. Super quo cum Gregorius querela pulsaretur, præcepit Candido quatenus omnia sibi restituat; quia si pro ægritudine ecclesia privaretur, et Deus offenderetur, et alii non invenirentur, hoc exemplo deterriti, qui vellent ecclesiæ militare.) Hactenus verba glossæ, quæ subdit illum casum colligi ex textu ibi, juncto c. 1, supra hoc. tit. quæ est pars d. c. *Cum percussio*, ut patet ex parte decisa, et ex suprascriptione, ut ibi notant Joan. Andr. et Cardin., ambo in princ. Hæc autem jura dupliciter probant clericos inferiores non esse ab officio removendos, etiam per papam ex causa ægritudinis corporalis. Primo, quia id fieri non potest sine offensa Dei, et peccato, ut patet ex littera d. c. *Cum percussio*, ibi : *Ne nos culpæ quod absit, offensa respiciat.* Et post gloss. præalleg. et Hugon. notant in d. c. *Cum percussio*, Archidiac. n. 1; Bellam. et Gemin. ambo in princ.; et Turrecrem. in fin. Papæ autem auctoritas, ut prædixi, ad peccatum non se extendit, et propterea Gregorius aperte ibi loquitur de peccato papæ, dum ait : *Ne nos culpæ*, etc. Deinde quia textus in d. c. 1, reddit rationem illam cur hoc fieri non possit, videlicet quia si alii hoc essent exemplo deterriti, non invenirentur qui vellent Ecclesiæ militare. Ex quibus verbis Abbas, in 2 notab. singulariter ait : « Nota quod clerici non debent inhumaniter tractari, ne alii terreantur a clericatu; hoc enim videtur turbare statum ecclesiasticum nedum præsentem, sed etiam futurum, et potest adduci hæc ratio multum notabilis in argumentum, quod clericus non debet privari beneficio suo sine causa, etiam per Romanum pontificem; nam si exsistenti in infirmitate, et sic in impotentia serviendi, non debet subtrahi beneficium, ne ex hoc turbetur status Ecclesiæ: ergo multo fortius ubi nulla subest causa rationabilis. Papa autem non est tolerandus volens turbare statum ecclesiasticum sine causa rationabili, ut notabiliter dicit Innoc. in c. *Quanto*, ad fin. vers. *Tamen si papa talia faceret, de consuet.* » Hactenus verba Abbatis. — Idem firmat Cardinalis, cons. 142, incip. *Punctus quæstionis*, n. 3 et 4... Nam, ut (ibi) formaliter inquit Cardin. « Hoc est contra æquitatem naturalem, ut quis jure suo sine culpa, et sine justa causa privetur, cap. 2 *De constitut.* et reg. *Sine culpa*, lib. VI. Unde dicit canon : *Quisquis alicui jus suum detrahit, injustitiam facit.* (C. 1, dist. 22.) Et Gloss. ibi in verb. *Injustitiam* dicit, nec papam debere uni detrahere, ut det alteri, nisi subsit causa. Quod si hoc est injustum, ergo illicitum et peccatum, et sic etiam papæ inconveniens, qui debet omnino juste judicare. (C. *Ex ore, De privileg.*) Cum ejus sententia faciat jus quoad omnes, ut cæteri debeant similiter judicare. (C. *In causis, De re judic.*) Nam et ejus gesta conformari debent Redemptori nostro. (C. *Significasti, De elect.*) Dicunt autem theologi, omne indecens esse Deo impossibile. Quæ autem decentia vel justitia potest esse, ut quis privetur jure suo forte vigiliis, expensis, et laboribus quæsito? (C. *Super hoc, De renunt.*) Et præcipue in papa, qui debet habere meliorem solum omnibus aliis. (C. *Officiis*, causa 24, quæst. 1.) » Hactenus verba Cardinalis, cujus consil. sequitur. Jas... et Rebuff. in *Praxi benefic.*, in tit. *De non tollend. jus quæsit.* in Gloss. 6, n. 13, ubi ait : « Quamvis papa in beneficialibus plenariam habeat potestatem conferendi, uniendi, dividendi et alias jure disponendi, tamen jus parti quæsitum tollere non intendit, nec potest sine peccato; nam quæ justitia potest esse, ut alicui tollatur beneficium tot laboribus acquisitum, sine causa? Sane hoc esset exercere potestatem ad destructionem non ad ædificationem, quæ tamen ædificatio papæ incumbit, ut divus testatur Paulus in suis epistolis. » Hæc Rebuffeus... Unde non abs re Bart. in l. fin. c. *Si contra jus, vel util. publ.* dixit nunquam potuisse intrare in caput suum quod Deus dederit istam potestatem papæ, vel imperatori, ut possit mihi auferre rem meam, vel beneficium sine causa..... (et citat multos). Et quamvis nonnulli dissentiant, hæc tamen opinio est communis et rationabilior, ut patet ex relatis ab Anton. Gabriel. in præalleg. tit. *De jure quæs. non tollend.* conclus. 1, n. 10; et est ex mente sancti Thomæ, ut dicam infra, n. 67... Per quæ jura dicunt doctores, non posse principem etiam de potestatis plenitudine sine

causa auferre rem privati, nisi data æquivalenti restauratione (et citat multos)... Et quamvis hæc ardua sit quæstio, et utrinque sit doctorum caterva, tamen negativa opinio est communior et rationabilior, teste Fulgos... Et patet ex congestis ab Anton. Gabriel. — Et eam amplectitur sanctus Thomas, *quodlib.* 12, art. 24, in fin. dicens contrarias leges esse tyrannicas; et in propriis terminis officii late consuluit Bolognet. causa 3, num. 16. » (Fagnan. in I part. lib. III *Decretal. De clerico ægrot.*, c. *Consultationibus*, passim.)

Ex hac Fagnani et tot ab ipso allatorum doctorum doctrina, certum est 1° beneficium ecclesiasticum, et parochiam consequenter, esse de natura sua perpetuum; 2° beneficiatum, et parochum jus habere acquisitum per solam collationem; 3° beneficiatum et parochum non posse amoveri, nec transferri absque eorum culpa, aut rationabili causa; 4° Amotionem seu translationem beneficiati et parochi absque causa rationabili et jure probata, esse contra æquitatem naturalem, injustitiam, violationem juris parti quæsiti, et perturbationem status ecclesiastici, nedum præsentis, sed etiam futuri : unde amotio et translatio beneficiati et parochi sine legitima et rationabili causa est contra jus naturale, contra jus Ecclesiæ divinum, et contra jus canonicum; 5° quæstionem tantum esse, utrum ipse papa, qui est supremus omnium beneficiorum et parochialium Ecclesiæ universalis administrator, possit sine injustitia et peccato amovere et transferre beneficiatum quemcunque absque rationabili causa. Et sententia multo communior et rationabilior est papam hoc non posse. Ergo a fortiori hoc non possunt inferiores papæ.

Sed in jure hodierno Tridentino parochus jus in beneficio parochiali non habet, nisi collatio facta fuerit ad formam concursus Tridentino præscripti, ut docet cum communi Fagnanus in multis capitibus et præsertim in. I part. lib. V *Decretal. De simonia*, cap. *Mandato.*

Eamdem doctrinam de inamovibilitate beneficiatorum et parochorum defendit Pirrhing in tit. VI, lib. III *Decretalium.* Idem sentit Schmalzgrueber. Postquam firmitatem et perpetuitatem beneficiorum et titulorum probavit sic pergit : « Nullus prælatus, sine culpa sua, removeri debet ab officio suo. » — « Controversia est de *parochis*, in qua non idem omnium sensus est; nam aliqui cum Innocent. volun' casu, quo impedimentum parochi est perpetuum, ex. gr. morbus incurabilis, hunc ab Ecclesia sua omnino removendum; et probari istud videtur ex pluribus juris nostri textibus : 1° ex can. fin. dist. 55, ubi diaconus, cui nulla sua culpa oculus erutus fuit, propter hujusmodi impedimentum removeatur ab Ecclesia; 2° ex can. *Si quis abbas* 15, causa 18, quæst. 2, ubi abbas effectus inhabilis *ab episcopo*, et *a vicinis abbatibus* præcipitur a *suo arceri honore*, ut textus loquitur; 3° ex can. *Tua nos* 4, hujus tit. ubi absolute dicitur, quod *sacerdos a lepræ morbo percussus, ab administrationis debeat officio removeri.* Confestim in officio hoc substituendus eidem est alius qui rector sit beneficii. 4° C. eod. dicitur ejusmodi presbyter parochialis, ubi remotus fuerit ab administrationis officio, Ecclesiæ facultatibus sustentandus, scilicet pensione eidem relicta : igitur beneficio privari jubetur. 5° C. *Ut abbas* 1, *De ætat. et qualit.* ubi beneficiis et dignitatibus suis privari jubentur, qui propter superveniens impedimentum ordinem illis annexum suscipere, et officium obire nequeunt.

« Sed his non obstantibus, dicendum probabilius etiam parochos et religiosos curatos, si ad curam animarum per se exercendam ex causa aliqua fiunt inhabiles, non removendos, sed coadjutore assignato, adjuvandos. Ita Abbas, in c. 4 hujus tit. n. 4; Garcias, p. 4, *De benef.* c. 5, n. 5 et 6; Suarez, *De censur.* dist. 51, s. 2, n. 18; Pal. tract. 13, d. 1, p. 9, n. 1; Fagnan. in c. *De rectoribus* 3, hujus tit. n. 4; Barbosa, *ibid.* 2 et 3; Gonzal. in c. 6, n. 4; Passer. in 1, n. 4 et 23; Leuren. *For. benef.*, part. 1, quæst. 238; Honor. hic, n. 1; Engl. n. 1; Pirh. n. 7; Scham. n. 2 et 3; Kanig. n. 8; Wies. n. 9, et novissime clariss. P. Schmier p. II, *De reb. eccl.* c. 3, n. 285. Sumitur ex can. *Satis perversum* 7, dist. 56, can. *scripsit* 1, can. *Cum percussio* 2, can. *Quamvis* 14, can. *Petiisti* 17, causa 7, quæst. 1; c. *Ex parte*, etc. *De rectoribus* cit. Quoad posterius de hoc casu expresse videtur loqui; nam ut Fagnanus in id cap. n. 5, notat, appellatione *rectorum* ex proprietate vocabuli veniunt inferiores curati.

« Neque contrarium suadent allati textus ad 1. Diaconus ille habebat præbendam sa-

cerdotalem, ut ex textu patet; ad quam quia ea conditione promotus fuit, ut susciperet sacerdotium, postquam ad hoc suscipiendum factus est inidoneus, mirum non est quod etiam præbenda sua ceciderit. — Ad 2. Textus ille loquitur de abbatibus vitiosis ex causa damnabili, non autem de senio confectis, aut corpore vitiatis, ut patet ex littera, ibi, *Etiamsi omnis congregatio vitiis suis consentiens.* — Ad 3. Textu illo, ut loc. cit. explicant Garc. n. 6; Pall. n. 1; Fagnan. n. 7; Gonz. n. 4; Passer. n. 7, jubetur ejusmodi parochus ab officio removeri solum quod exercitium cum retentione illius in habitu. — Ad 4. Textus ille concordandus, et explicandus est juxta cap. fin. hujus tit. in 6, ubi præcipitur ut *coadjutores hujusmodi de proventibus prælatorum, in quorum assumentur auxilium, sumptus recipiant moderatos;* cons. ipsis pensio danda, reliqui fructus relinquendi sunt coadjuto. — Ad 5. Ibi sermo est de abbatibus, præpositis, etc., qui dignitates suas nondum cœperunt administrare; imo illas nondum plene et omnino absolute, sed sub tacita conditione suscipiendi intra annum ordinis sunt assecuti; et hi, si ordinem requisitum ob impedimentum perpetuum, vel diu valde duraturum suscipere nequeant, merito a dignitatibus sic collatis removeri jubentur, cum deficiat conditio, sub qua collatæ iisdem sunt. »

Ergo ex communiore et saniore juris interpretatione absque legitima et rationabili causa amoveri parochi nequeunt.

Id docet Ferraris, verb. *Parochia*, n. 14, ibi : « Quarto requiritur, ut unum solum ac *perpetuum* rectorem, seu parochum habeat cum cura animarum, et potestate fori pœnitentialis ipsi soli competente, ita ut jure ordinario nullus alius, sed solus ac unicus parochus prædictam habeat curam et potestatem. Concil. Trident. sess. 24, *De reform.* c. 13, ibi: *Cuicunque parochiæ suum perpetuum peculiaremque parochum assignet, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant.* » (C. *Cum non ignores*, 15 *De præb.*)

Et idem auctor, in verb. *Beneficium*, art. 1, n. 6 et seqq. sic definit beneficium: « Beneficium ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis ratione spiritualis officii personæ ecclesiasticæ auctoritate Ecclesiæ constitutum. Colligitur ex cap. *Cum secundum apostolum* 16, *De præbend.* et ex cap. *Si quis amodo* 16, dist. 18. Unde ad verum beneficium ecclesiasticum sex requiruntur ex communi canonistarum. Primum requisitum est quod beneficium ecclesiasticum episcopi auctoritate sit erectum; requirit enim canonicam erectionem, alias non est beneficium. (C. *Nemo* 9, *De consecrat.* dist. 1; cap. *Omnes* 1, dist. 22.... Secundum requisitum est quod habeat aliquid spiritualitatis annexum, scilicet quod detur propter divinum officium. Cap. ult. *De rescriptis*, in 6, ubi dicitur: *Propter officium datur beneficium ecclesiasticum.* Tertium requisitum est quod conferatur a persona ecclesiastica, scilicet a papa, vel ordinario, non vero a laico; nam laici non possunt conferre beneficia ecclesiastica (non obstante, quod jus patronatus eisdem competat; sicque idoneum clericum ad beneficium vacans præsentare valeant), sed ea conferunt talis ecclesiæ prælati eorumque officiales. (C. *Ex frequentibus* 3, *De constit.*; c. *Si quis deinceps* 12; c. *Si quis clericus* 16; c. *Nullus laicorum* 18, causa 16, quæst. 7.) Quartum requisitum est quod conferatur clerico, id est personæ saltem prima tonsura initiatæ, taliter quod non sufficiat post illum jam acquisitum tonsurari. (Arg. c. *Ex litteris* 6, *De transact.*) — Quintum requisitum est quod sit perpetuum. (C. *Præcepta* 12, dist. 55; c. *Sanctorum* 2, dist. 70, etc., etc.) — Sextum requisitum est quod sibi non possit retinere, sed necessario sit conferendum alteri. (C. *Cum ad nostram* 7, *De institution.*)

Præterea Ferraris parochias ad beneficia curata et duplicia refert. Sed ad hunc articulum Ferraris *Additiones ex aliena manu* sic animadvertunt, n. 44 : « Definit auctor, num. 6, beneficium cum canonistis. Theologi vero definiunt beneficium : *Jus perpetuum in Ecclesia ministrandi auctoritate episcopi constitutum cum annexo, atque inseparabili jure percipiendi fructus ecclesiasticos.* Secundum igitur canonistas beneficium consistit principaliter in jure percipiendi redditus et accessorie in jure ministrandi, seu officium obeundi. At juxta theologos in jure ministrandi principaliter, accessorie vero in jure percipiendi redditus. Agit auctor a num. 7, ad num. 14, de iis quæ essentiam beneficii constituunt. Utile autem, imo necessarium est hæc nosse; nam conditio essentiæ beneficii contraria,

ne in limine quidem fundationis admitti ab episcopo potest, et admissa non sustinetur. (Piton. *De controvers. patron.* alleg. 24, n. 10 ; Rota *in Casertan.* benef., 28 Jun. 1745). Affert auctor., n. 13, inter beneficii essentialia et hoc, quod sit illud perpetuum. At num perpetuitas pertineat ad essentiam beneficii, in medio reliquit Rota, in dicta *Casertana* beneficii, 28 Jun. 1742 et 24 Januar. 1746, coram R. V. D. Elephant. »

Attamen si dubium esse possit de essentia perpetuitatis pro beneficio in genere, non videtur sustineri posse dubium pro beneficiis curatis et præsertim pro parochiis, ex juribus tam antiquis quam decretalium, et præcipue post concilium Tridentinum. — Sacr. congr. Concil. beneficium capellaniæ in ecclesia plebis S. Petri civitatis Guastallæ cum onere missarum fundatum, manuale, et non perpetuum esse beneficium ecclesiasticum decidit. S. congr. C. *Nullius Guastallæ*, 31 Maii 1784, dub. 1, et alibi, sed semper de beneficiis simplicibus, in Appendic. tom. I Ferraris, ad verb. *Beneficium.*) At vero de ecclesiis parochialibus perpetuitas decisa fuit a sacr. Rota et sacr. congr. Concilii, teste Leurenio :

« Num, ait, manualitas cadat in beneficia parochialia sæcularia ? Respondeo probabilius quod non : Etsi enim Castropalaus.. dicat istiusmodi beneficia raro vel nunquam esse manualia, et Corradus.. in ecclesiis parochialibus difficulter admitti manualitatem, quia parochorum remotio et variatio non leviter præjudicat Ecclesiæ ; Rota tamen, ut testatur Gonzal., postquam eadem ex causa dubitasset, an laicus fundans ecclesiam parochialem possit parochum constituere ad nutum amovibilem, in partem negativam inclinavit. » (Leuren. *For. beneficiale.* p. I, quæst. 66.) Et Pyrrhus Corradus addit : « In earumdem parochialium ecclesiarum erectione non debet admitti ista manualitas, seu ad nutum remotio ; cum illæ debeant conferri in perpetuum, non obstante quacunque contraria consuetudine, teste Gonzal.. ad Reg. 8 Cancellar., gloss. 5, § 6, n. 60, ubi ait, ita fuisse per sacr. congr. Concil. declaratum super sess. 24, cap. 18, *De reform.* ; necnon in præsentatione cujusdam communitatis, quæ allegabat antiquam consuetudinem amovendi rectorem ad libitum. » (Pyr. Corrad. *Praxis beneficiaria*, lib. III, cap. 1, n. 2, et cap. 9, n. 39 et seq.) Cardinalis Soglia, *Instit. jur. privat. Eccles.* l. I *De personis*, cap. 1, § 25, sic definit parochum : *Parochi sunt presbyteri, quibus intra certos limites diœcesis assidua et perpetua animarum cura tradita est.* Hanc parochorum germanam indolem exhibet Tridentina synodus sess. 24, cap. 13, *De reform.* »

§ VII. — Ex conciliis particularibus.

Concilia particularia præsertim Galliarum eamdem perpetuitatem parochorum sæpius decreverunt. Thomassinus, *Disciplin.* verb. *Inamovibilité*, edit. Migne 1856, probat beneficiarios præsertim parochiales nunquam fuisse amovibiles ad nutum episcoporum : et affert canones conciliorum. (*Le concile de Nîmes*) an. 1096, can. 9 : *Sacerdotes, quando regendis præficiuntur ecclesiis, de manu episcopi curam animarum suscipiant, ubi et in tota vita sua Deo deserviant, nisi canonico degradentur judicio.* — (*Le concile de Londres*) an. 1125, can. 9 : *Nullus abbas, nullus omnino clericus vel laicus quemquam per episcopum in Ecclesia ordinatum, absque proprii episcopi judicio præsumat ejicere.* (*Le concile de Reims*) an. 1131, can. 7 : *Placuit etiam ne conductitiis presbyteris Ecclesiæ committantur, et unaquæque Ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem.* Hoc decretum iisdem terminis confirmavit concilium Lateran. II an. 1139, et fuit insertum in corpore juris. Anno vero 1148 concil. Rhemense innovavit eumdem canonem cum hac notabili additione, can. 10 : *Præcipimus etiam ne presbyteris conductitiis ecclesiæ committantur : et unaquæque ecclesia, cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem : nec ab ejus regimine, alicujus, nisi episcopi, in cujus parochia fuerit vel archidiaconi, canonico judicio depellatur. Cui de bonis Ecclesiæ tantum beneficii præbeatur, unde convenienter valeat assignari.* — (*Le concile de Tours*), an. 1163, can. 5 : *Quoniam enormis quædam consuetudo in quibusdam locis contra sanctorum Patrum constitutiones invaluit, ut sub annuo pretio sacerdotes ad Ecclesiarum regimen constituantur ; id ne fiat, modis omnibus prohibemus.* (*Le concile d'Avranches*), an. 1272. can. 4 : *Ecclesiæ vicariis annuis non committantur.* (*Le concile de Mayence*) an. 1225, can. 12 : *Quia enormis quædam consuetudo in quibusdam Alemanniæ partibus contra canonicas sanctio-*

nes invaluit, ut ponantur in ecclesiis conductitii sacerdotes, vicarii temporales, ne id fiat de cætero, auctoritate legationis qua fungimur, inhibemus. Sed cum vicarius poni debet et potest, perpetuo instituatur, idque assensu et auctoritate diœcesani, et archidiaconi loci illius. » — (*Le concile de Béziers*) an. 1233, can. 11 et 12 : *Volumus igitur et districte præcipimus, ut quælibet parochialis ecclesia proprium habeat et perpetuum sacerdotem, qui personaliter deserviat in eadem.*

Unde Braschi affirmat : « Parochiales ecclesiæ de sua natura conferri debent in perpetuum, et non amovibiliter, non obstante quacunque contraria consuetudine, clamantque sacri canones, ne parochus sit conductitius, et ne vicarii curam animarum exercentes, sint annui et amovibiles, sed perpetui. » Braschi, *Promptuarium synodale*, cap. 115, n. 12, citatum in periodica publicatione, *Revue théologique*, etc. 4ᵉ *série*. 2ᵉ *cahier*, *Avril* 1859, *Paris*, *chez Jouby rue des Grands-Augustins*, 7, pag. 153 et 154. In eadem publicatione, *ibid.*, sic, citatus Howen, ait : « Indubium est, a tempore concilii Tridentini, sicut antea, parochos perpetuos *ex Ecclesiæ mente*, idque in maximum fidelium bonum ubique constitutos fuisse. » (*De parochorum statu dissertatio historico-canonica*, cap. 3, § 2, p. 112.)

§ VIII. — Quorumdam parochorum amovibilitas nihil probat contra perpetuitatem officio parochiali essentialem.

Objiciunt aliqui concilium Tridentinum admisisse curatorum, non tantum perpetuorum, sed et amovibilium institutionem. Probavimus supra, et omni legenti manifestum est hoc non esse verum nisi de vicariis curatis, qui parochiam regunt, cujus cura habitualis seu primitiva est penes parochum vere perpetuum.

Nihilominus adducitur auctoritas Giraldi qui (in suis additionibus ad tractatum Barbosæ *De officio parochi*, pag. 341, n. 11, edit. Romæ 1831), postquam nonnulla retulit, quibus innuitur perpetuos esse debere, quicunque animarum curam exercent, sic addit : « Tamen concilium Tridentinum (sess. 23, c. 7; et sess. 25, c. 11, *De regular.*) admittit parochos amovibiles. Ita nihilominus ut valeat ordinarius semper et quandocunque parochias illorum vertere in perpetuas, erigendo easdem in vicarias perpetuas; nisi pro bono ipsarum regimine judicet expedire ut permaneant amovibiles.. Prohibebit episcopus ne ullibi deputetur parochus amovibilis absque sua auctoritate et approbatione, non modo quoad scientiam, verum etiam quoad mores, prudentiam ac idoneitatem ad parochiale munus laudabiliter exercendum. Pro ipso vero parocho amovibili examinando, non tenetur ordinarius uti examinatoribus synodalibus, sed uti potest quibus ipse maluerit, nec pariter fieri debet concursus. (Sacr. congr. Concil. 12 Januarii. 1619.) »

Hic agitur tantum de vicariis curatis, et præsertim regularibus, qui etiam de jure communi amovibiles sunt; et quamvis concilium Tridentinum optaverit hujusmodi vicarios curatos fieri perpetuos, tamen hoc reliquit episcoporum judicio; sed parochus cujus vicarius curatus curam in actu gerit, est semper perpetuus. Et sacra congregatio determinavit tantum jura applicanda his vicariis; ideoque ut pergit Giraldi : « Parochi amovibiles gaudent prærogativis perpetuorum. (Sacr. congr. Concil. *in Comensi*, 27 Martii 1706.) »

« Amovibilis parochus ad residentiam non secus ac perpetuus tenetur (Sacr. congr. Concil. *in Helborensi*, 14 Martii 1615) ; cogique potest ad sacras functiones obeundas... Demum ad ea omnia munia parochialia obeunda, ad quæ parochi perpetui tenentur : nulla etenim, quoad curam animarum exercendam, datur differentia inter parochos amovibiles et perpetuos. »

« Etsi parochi amovibiles valeant toties quoties opus est amoveri, attendere tamen oportet, ut de facto non amoveantur absque legitima causa. (S. congr. Concilii, 11 Julii 1628; sacr. congr. Episc. *in Sulmonensi*, 24 Maii 1645, et 16 Maii 1653, ac alibi pluries.) Regulares nihilominus parochi ad nutum suorum superiorum, et ordinarii quoque, amoveri possunt etiam sine causa. Quamobrem edicere potest episcopus, quod parochi amovibiles, qui a laicis, vel collegio, sive societate laicali nominantur, absque illius licentia et auctoritate non valeant amoveri. (Rota, decis. 53, n. 90, coram Peutinger; cardin. De Luca, *De beneficiis*, discurs. 80, n. 20.) »

« Omnes vero amovibiles curati amoveri possunt arbitrio episcopi diœcesani. (C. 1, *De capell. monach.*) Sed non debent amoveri nisi ex causa rationabili et justa.. Nam et in hoc habenda est ratio justitiæ, ac amoven-

dorum honori consulendum est Verum tamen episcopus nec illis, neque ipsorum nominatoribus allegare tenetur causas remotionis. » (S. congr. Concil. *in Camerinensi*, 18 Septembris 1627.)

Ex quibus laudati auctoris verbis abunde patet, omnino tanquam certum et extra controversiam positum recipi, dari posse de jure communi vicarios curatos amovibiles, qui nempe ad nutum revocari queant, non vero proprie dictos parochos. Unde auctoritas Giraldi, sicut ab ipso citatæ sacrarum congregationum declarationes nihil probant contra perpetuitatem a jure essentialem parochorum; nam de jure perpetui sunt veri parochi, et etiam de jure amovibiles esse possunt vicarii curati; concilium Tridentinum tamen optat istos vicarios esse, quantum fieri potest, perpetuos. Et ex sacrarum congregationum declarationibus non debent amoveri *absque legitima causa... Nam et in hoc habenda est ratio justitiæ, ac amovendorum honori consulendum.* Quod est de jure naturali. Quia vero episcopus allegare non tenetur causas remotionis, sequitur quod vicarius curatus amotus recursum tantum ad sedem apostolicam habeat, ubi se credit injuste et absque legitima causa remotum.

Tandem praxis Ecclesiæ perpetua, ex quo exsistunt parochi, voluit eosdem esse perpetuos, ergo perpetuitas parochorum est lex universalis Ecclesiæ.

Ex his omnibus, quidquid dicant aliqui, videtur concludendum perpetuitatem esse de essentia et natura parochiatus.

§ IX. — Definitiones ex prædictis deductæ.

Si igitur ex hucusque adductis licet definire quid sint parochia, parochiatus et parochus, dicemus :

I. Parochia est « societas quædam publica ecclesiastica ex parocho seu sacerdote proprio, unico et perpetuo, et parochianis composita in certo districtu, constitutis et certis limitibus circumscriptis, vi cujus parochiani ecclesiæ in illo districtu sitæ obligantur ad peragenda ibi sacra, et ad onera tum parocho, tum ecclesiæ præstanda, parochus vero ad illa, quæ sui officii sunt. » In parochia igitur considerari debent parochus, ecclesia parochialis, et parochiani. Ita fere ad verbum, novæ Additiones ex aliena manu, ad Ferraris. verb. *Parochia*, n. 78.

II. Parochiatus est « beneficium curatum perpetuum canonice erectum, vi cujus beneficiatus seu rector ecclesiæ parochialis potest jure proprio et tenetur sacramenta ministrare parochianis, et eorum animarum curam in foro tantum conscientiæ habere loco et sub auctoritate episcopi, cum annexo atque inseparabili jure percipiendi fructus ecclesiasticos. »

III. Parochus seu rector ecclesiæ parochialis, « est presbyter ab episcopo canonice electus et institutus ad curam animarum alicujus parochiæ perpetuo ex obligatione exercendam, cum potestate fori pœnitentialis ipsi soli jure ordinario competente, et ad ecclesiam parochialem administrandam, in eaque cultum divinum perficiendum, ideoque jus habet percipiendi fructus ecclesiæ cui canonice præficitur. »

Istæ definitiones ex sacris canonibus et juribus Ecclesiæ deductæ sunt. Cum vero tota essentia et natura parochiæ, parochiatus et parochi fluant ab Ecclesiæ legibus, consequitur quod papa possit easdem mutare, ipsisque derogare.

§ X. — De variis parochiarum speciebus.

I. « Plures autem sunt parochialium ecclesiarum species. Aliæ alias habent inferiores ecclesias tanquam adjutrices; aliæ, distinctos fines, et populum habent; aliæ fines non habent distinctos, sed tantum familias; aliæ neglecta quacunque distinctione finium et familiarum, quælibet promiscue universo populo, et accedentibus sacramenta ministrant, quam tamen speciem reprobat, et episcopis mandat ut tollatur conc. Trident. sess. 24, c. 13, *De reform.* Aliæ matrices, aliæ filiales appellantur, quæ tamen, ut plurimum æqualem habent jurisdictionem, et quoad curam animarum filiales nullam habent a matricibus dependentiam, servata tantum matrici præeminentia quadam ad instar decani, et primæ dignitatis in capitulo. Quod si filiales omnimode sint matricibus subordinatæ, tunc amplius dici non poterunt parochiales, sed tantum ecclesiæ adjutrices. (Card. De Luca, *De paroch.*, dist. 32 et seq.; *De decimis*, dist. 12, n. 12; in *Miscell.* disc. 1, n. 31; Leurenius, etc.; apud Ferraris, verb. *Parochia*, n. 21.)

Sunt etiam ecclesiæ parochiales liberæ et independentes ab alio titulo, et aliæ sive capitulo, sive monasterio, sive dignitati etiam episcopali, sive præbendæ canoniali

unitæ. Unde contingit ut parochiales liberæ et independentes a proprio rectore sive parocho regantur; parochiæ vero unitæ si non regantur a titulari qui curam habet habitualem, sed a vicario sæculari et extraneo capitulo sive collegio, iste vicarius curatus debet esse perpetuus. Parochia unita autem potest regi a prælato sive capituli collegiati, sive monasterii, et tunc parochus, qui est etiam prælatus, est perpetuus. Si parochia fuerit capitulo cathedrali unita, parochusque de capitulo assumatur, tunc destinari debet canonicatus, cui fixa sit ista vicaria, ex constitutione Pii V, apud card. De Luca, tit. *De parocho*, disc. 22; in parochia vero monasterio unita, si regatur a vicario regulari, talis vicarius curatus est revocabilis ad ejus superiorum nutum; ista vero revocabilitas nequit objici contra essentialem de jure perpetuitatem parochiatus, quia regulares vovendo renuntiaverunt omni proprietatis juri, et consequenter jus acquisitum sibi proprium habere non possunt; ideoque revocabilitas vicarii curati regularis nullam ei facit injuriam. Beneficio tamen perpetuitatis pro parochianis satis providetur per monasterii parochi habitualis perpetuitatem.

Possunt tandem esse parochiæ de jure patronatus laicorum, scilicet quando laici ecclesiam parochialam fundaverunt et dotaverunt de bonis suis, et in limine fundationis sibi et hæredibus suis jus parochum præsentandi ad institutionem episcopi reservarunt, in hujusmodi parochiis, parochus a patronis præsentatus et ab episcopo semel canonice examinatus et institutus est etiam perpetuus.

§ XI. — De juribus parochialibus Ecclesiæ.

Jura parochialia, ut parocho competentia, ultra potestatem fori pœnitentialis, sunt sequentia :

I. Quod parochiani proles suas proprio parocho teneantur baptizandas offerre. (Arg. *Concil. Florent.* in decreto Eugenii IV.) Et tenent communiter doctores, dicentes parochianum graviter pecasse, si absque licentia proprii parochi prolem suam baptizandam alieno offerat; intellige tamen ubi non reperitur specialis ecclesia baptismalis assignata pro omnibus baptizandis cujuscunque parochiæ : quia tunc presbyter ibi ad hoc deputatus habetur pro proprio omnium parocho quoad collationem baptismi.

II. Ut saltem in Paschate Eucharistiæ sacramentum suscipiant in propria ecclesia parochiali. (C. *Omnis utriusque sexus*, 12, *De pœnit. et remiss.*) Unde si quis communicaret in ecclesiis regularium infra tempus Paschale animo satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, non satisfaceret, quia in canone *Omnis utriusque* præcipitur a proprio parocho Eucharistiam sumi. (Sacr. congr. Concil., 23 Januar. 1588.) Imo regulares non possunt in die Paschatis administrare sæcularibus Eucharistiam, neque per modum devotionis, etiamsi tales personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto, ut respondit sacr. congr. Concil. *in Burdigalen.*, 9 Jun. 1644; *in Senonen.*, 11 Jun. 1650; et *in Mechlin.* 31 Januar. 1682.

III. Ut solum a proprio parocho sacramentum extremæ unctionis percipiant. (Clement. 1. *De privilegiis*, ubi etiam exemptis et privilegiatis regularibus sub pœna excommunicationis prohibetur, ne absque licentia parochi sacramentum hoc alicui parochiano administrent.)

IV. Quod mortui in parochiali ecclesia sepeliri debeant, nisi alibi sepulturam majorum habeant, vel propriam eligant. (Arg. cap. *Nos instituta* 1, c. *Ex parte* 5, et cap. *In nostra* 10, *De sepulturis*, juncto c. 1 et 3 eod. in 6.) Et si alibi sepulturam majorum habeant, vel propriam eligant (quod facere quisque libere potest), debent canonicam portionem, vulgo *quartam funeralem parochiæ*. (Cit. c. *Nos instituta* 1; c. *Fraternitatem* c. 3, *De his* 4; c. *Cum supra* 8; c. *Certificari* 9; c. *In nostra* 10, *De sepulturis*, cum similibus.)

V. Quod in ecclesia parochiali coram proprio parocho matrimonia solemni ritu celebrentur. (C. 1 *De clandest. desponsat.* cap. 1, causa 30, quæst. 5, juncto concil. Trident. sess. 24, *De reform. matrim.* cap. 1.)

VI. Quod parocho solvi debeant decimæ, primitiæ et oblationes; ut fusius dicetur infra.

VII. Olim ad jura parochialia spectabat, quod parochiani diebus Dominicis et festivis missam audirent in ecclesia parochiali. (C. *Ut Dominicis* 2, *De parochiis.*) Nunc autem possunt parochiani missas audire in ecclesiis regularium, et aliis non parochialibus, et ibi satisfacere præcepto de audiendo missam. (Ex constitutionibus : Leonis X, *Intelleximus* 13 Nov. 1517 ; Pauli III

in extravag. *Licet debitum*, Novembr. 1549; S. Pii V, *Etsi mendicantium*, 16 Maii 1567; Clementis VIII, decreto 22 Decemb. 1592,) Ex quibus patet non posse fideles constringi ad missam audiendam in ecclesia parochiali. Sacr. congr. Concil. declaravit : « Non posse ordinarium, mulctis et pœnis cogere populum ad audiendam missam, aut concionem in propria parochia, etiam in casu negligentiæ aut contumaciæ; ut refert Azorius, tom. I, lib. VII, cap. 8, quæst. 6; Lugo, *De Eucharist.*, dist. 22, sect. 1, n. 3 et alii. Nec ullam censuram meretur, qui docet in foro conscientiæ nullum teneri in diebus festis parochiæ suæ interesse ad missam audiendam, ut declaravit Alexander VII in speciali decreto anno 1659, die 29 Januarii emanato, ibi : *Supposito itidem privilegiis apostolicis, nullam meretur censuram, verum ista non est prædicanda, nec publice docenda, prout nec præcedens quarta.*

« Fideles satisfaciunt præcepto, audiendo missam etiam in oratoriis et capellis domesticis regularium, cardinalium; etiam in oratoriis de licentia episcopi erectis in quibusdam domibus, dummodo ab ipsis domibus ita sint separata, ut per eas ad illam minime iri possit, et a via publica pateat cunctis accessus. (S. congr. Episcop. et Regul., et sacr. congr. Concil. sæpius.) In oratoriis vero privatis, quæ a sede apostolica aliquibus in propriis domibus solent concedi, satisfaciunt audiendo missam solummodo in indulto privilegiati, non autem alii etiam familiares et domestici, nisi servitio domini, cui facultas conceditur, fuerint necessarii. » (S. congr. Concil., 4 Maii 1604. — Apud Ferraris, verb. *Missa*, art. 16, n. 9 et seq., et verb. *Parochia*, n. 23.)

VIII. Olim ad jura parochialia spectabat etiam, quod parochiani semel in anno sua peccata proprio parocho confiterentur. C. *Omnis utriusque* 12, *De pœnit. et remiss.*, ibi : « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno proprio confiteatur sacerdoti; » nunc autem certo satisfaciunt, qui confitentur regularibus aliisque confessariis ab ordinario approbatis, ut patet ex Clement. *Dudum* 2, *De sepulturis*; extravag. Joan. XXII *Vas electionis, De hæreticis*; extravag. Bened. XI *Inter cunctas, De privilegiis*; ex constit. Leonis X *Dum intra mentis arcana*; ex const. Pauli III *Licet debitum*; Clementis VIII *Significatum fuit nobis*. Hinc dicentes nunc, quod confessi religiosis ab episcopo approbatis teneantur iterum eadem peccata proprio parocho confiteri, suspecti sunt de hæresi, et possunt per inquisitores puniri, quibus sunt denuntiandi. (Diana, part. IV, tract. VIII, resolut. 102; Nicol. in *Flosculis*, verb. *Confessio*, n. 7; Viva ad propositionem 21, ex damnatis ab Alexandro VII, n. 1, ubi ex Joanne De la Cruz, *De statu religioso*, lib. II, cap. 6, advertit id fuisse statutum a Sixto IV. — Ferrar. verb. *Parochia*, n. 24.)

§ XII. — De parochianis.

I. « Parochianus alicujus parochiæ ut quis efficiatur, sufficit solum habitationis principium, nec requiritur quod illibi pro majori anni parte habitaverit. (Rota recentior. part. IV, decis. 629, n. 3 et 9; part. XV, decis. 252, n. 20; Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, part. II, cap. 2, n. 35 et seq., cum pluribus ibi citatis.) — Intellige tamen de eo, qui contrahit domicilium animo non redeundi; secus vero, si de tali animo nullibi constet. » (Rota. recent. part. IV, t. III, decis. 629, et sæpius.)

II. Efficitur tamen parochianus illius parochiæ, qui ad habitandum in ea se contulit ad evitanda impedimenta, quæ parentes suo matrimonio præbere intenduut. (Rota recent. p. 15, decis. 60, n. 28.) Et quoad hoc habentur plures casus sic decisi a sacr. congr. Concilii et referentur infra, ubi agetur de matrimonio.

III. « Quando quis habitat in confinio duarum ecclesiarum parochialium, censetur parochianus illius, in qua domus aditum magis frequentatum habet. (Rota, et communis.)

IV. « Parochianus, si in una ecclesia solet audire missam, in altera vero recipere sacramenta, canonica portio debetur ei, a qua recipit sacramenta. (C. *Nos instituta* 1, *De sepultur.* et communis.)

V. « Parochianus ex justa causa eximi potest pro determinato tempore a jurisdictione sui parochi. » (Sic *in una Romana*, 5 April. 1690, ut refert Ursaya, tom. I, part. I, decis. 10, a n. 90. Ferrar.) verb. *Parochia*, n. 33 et seq.)

CAPUT IV.

De variis parochorum speciebus, de vicariis curatis, et de utrorum jurisdictione.

§ I. — De parocho generatim.

Parochus, seu parœcus dicitur a *parochia* seu *parœcia*, sicut et parochiani seu parœciani. Ex parochis aliqui vocantur plebani, ut in cap. *Scriptum est* 40, *De elect.* Qui videlicet curam exercent animarum in plebania habente sub se plures ecclesias vel capellas. (C. *Statutum* 1, *Ne clerici vel monachi* in 6.) Et sunt sic dicti a plebe, vel populo, qui sub eorum cura regitur, et habet se plebanus cum cæteris curatis unius plebis, sicut archiepiscopus cum suffraganeis provinciæ. (Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, part. I, cap. 1, n. 5 et alii passim.) Idem etiam vocantur archipresbyteri rurales, et quandoque sunt vicarii foranei episcopi. — Aliqui vero appellantur rectores, quia plebem et populum sibi commissum cum cura regunt. (C. *Ut quisque presbyter, De vita et honest. cleric.*; et c. *In ecclesiis* 1, *De capellis monachor.*) Et eorum beneficium vocatur rectoria. (C. *Cum olim* 28, De præb.) Aliqui vocantur capellanii seu vicarii, et sunt illi, qui in ecclesia monachorum curam animarum exercent, ut cap. *In ecclesiis* 1, *De capellis monachor.* Aliqui vocantur sacerdotes proprii; sacerdos enim proprius vocatur parochiæ rector. (C. *Omnis utriusque sexus* 12, *De pœnit. et remiss.*) Aliqui vocantur simpliciter curati, sic dicti a *cura*, quam de regendis ovibus susceperunt. Qui curati alicubi sunt insigniti nomine *archipresbyteri*, et alicubi nomine *præpositi*, et hujusmodi. (Ferrar. verb. *Parochus*, n. 4 et seq.) Alii tandem dicuntur vicarii curati, seu vicarii perpetui. (*Conc. Trident.* sess. 7, c. 7; sess. 24, c. 13, et alibi.)

§ II. — De qualitatibus parochi generatim.

Pro parocho, quocunque nomine nuncupetur, eligi debet persona idonea, quæ in propria parochia residere, et per se ipsum animarum curam exercere valeat, ut colligitur ex c. *In parochia* 31, causa 16, quæst. 1; c. *Cum in cunctis* 7, *De elect.*, § *Inferiora*, ibi : *Alia quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec parochialis ecclesiæ regimen, nisi qui 25 annum ætatis attigerit, et scientia, et moribus commendandus exsistat.* Cum similibus, c. *Eam te decet* 4, tit. XIV, *De ætat. et qualit.*, lib. I, ibi : *Arctius inhibemus ne personas, quæ in ecclesiis tui episcopatus ad curam animarum fuerint ordinandæ, in ipsis instituas, nec aliqua occasione, vel etiam litterarum obtentu institui patiaris, quæ scientia, moribus, et ætate, concilii non congruant institutis.* (C. *Quia nonnulli* 3, c. *Relatum* 4, *De clericis non resident.*) — Cap. *Grave nimis* 29, tit. V, *De præb. et dignitatib.* lib. III, ibi, Innocentius III in concil. generali an. 1216, sic statuit : *Grave nimis est et absurdum, quod quidam Ecclesiarum prælati, cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis; unde quanta Ecclesiæ damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus, ut prætermissis indignis, idoneos assumant, qui Deo et Ecclesiis velint et valeant gratum impendere famulatum, fiatque de hoc in provinciali concilio diligens inquisitio annuatim : ita ut qui post primam et secundam correctionem fuerit repertus culpabilis, a beneficiis conferendis per ipsum concilium suspendatur, institutis in eodem concilio persona provida et honesta, quæ suspensi suppleat defectum in beneficiis conferendis. Et hoc ipsum circa capitula quæ in his deliquerint observetur. Metropolitani vero delictum superioris judicio relinquatur. Ut autem hæc salubris provisio pleniorem consequatur effectum, hujusmodi suspensionis sententia præter Romani pontificis auctoritatem, aut proprii patriarchæ, minime relaxetur, ut in hoc quoque quatuor patriarchales sedes specialiter honorentur.* Idem et de residentia et cura personali, statuitur, c. *Licet canon* 14, tit. VI *De elect.* lib. I, in 6, cum similibus.

Et concil. Trident. sess. 7, *De reform.* cap. 3, sic habet : *Inferiora beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia, personis dignis et habilibus, et quæ in loco residere, ac per se ipsas curam ipsam exercere valeant, juxta constitutionem Alexandri III in Lateranensi, quæ incipit,* Quia nonnulli, *et aliam Gregorii X in generali Lugdunensi concilio, quæ incipit* Licet canon, *editam conferantur, aliter autem facta collatio sive provisio, omnino irritetur; et*

ordinarius collator pœnas constitutionis concilii generalis, quæ incipit GRAVE NIMIS *(supra) se noverit incursurum.*

Hinc parochi in actu exercentes, et vicarii curati debent eligi et institui ad præscriptum concilii Tridentini, sess. 24, *De reform.* c. 18, etc. Nempe per examen, et concursum coram episcopo, vel ejus vicario generali, et saltem tribus examinatoribus synodalibus. Vicarii curati non perpetui et parochi a patronis præsentati concursus legi non astricti sunt, sed debent examinari et approbari ab episcopo. Hæc est canonica et necessaria institutio parochorum. Collatio parochiæ aliter facta, est subreptitia (*Trident.* sess. 24, c. 18), irrita et nulla, et nequidem coloratum titulum, nec jurisdictionem ex titulo et jure confert, ibid. et const. Pii V *In conferendis*, et aliis, infra citandis.

§ III. — De jurisdictione parochorum generatim.

I. Omnes sive parochi proprie dicti per se ipsos curam exercentes, sive vicarii curati, perpetui, et regulares amovibiles, si, ut modo dictum est, canonice instituantur, gaudent jurisdictione, quam a jure tenent et in proprio nomine ut ordinariam exercere possunt. Etenim in ordinatione omnes presbyteri cum presbyteratu accipiunt divinam sacramentorum potestatem; et per institutionem canonicam a lege pontificia determinatam accipiunt missionem, per quam sub episcopi auctoritate divinam potestatem explicare et exercere possunt parochi. Ideoque parochus potest et debet absque alia auctoritate et delegatione omnia sacramenta, exceptis confirmatione et ordine, administrare suis parochianis in sua parochia.

II. Parochus potest simplici sacerdoti licentiam concedere administrandi sacramenta in sua parochia, excepta pœnitentia, nisi de episcopi approbatione. (S. congr. Episc. et reg. *in Castellaneten.* 20 August. 1602.) Nequit approbare confessarios non approbatos ab ordinario ad audiendas confessiones suorum parochianorum. (Communis.) Et colligitur ex concil. Trident. sess. 23, cap. 15', et expresse declaravit sacr. congr. Episcop. supra. Imo nequidem potest sibi in confessarium eligere simplicem sacerdotem non approbatum ab ordinario; nam Alexander VII, die 24 Septembr. 1665, damnavit expresse hanc propositionem, 16 in ordine : *Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab ordinario.*

III. Vi suæ jurisdictionis propriæ, « parochus (canonice institutus) potest suorum parochianorum confessiones audire, etiam in aliena diœcesi sine approbatione episcopi illius diœcesis, quia in eos ordinariam habet jurisdictionem, et cum actus audiendi confessiones sit jurisdictionis voluntariæ, potest etiam in alieno territorio exerceri. (Communis et certa.) Et sic resolutum est a sacr. congr. Concil. 3 Dec. 1707, in *una Posnanien.* :

Ad 1 ; « An curati unius diœcesis vocati a parochis alienæ diœcesis, possint in ista audire confessiones tam suorum subditorum quam alienorum absque licentia episcopi ? Responsum fuit : *Affirmative quoad subditos, negative quoad alios.* — Diximus *canonice institutus;* unde parochi absque concursu instituti nequeunt suorum subditorum confessiones audire in aliena Diœcesi vel parochia vi tituli quem non habent.

Potest tamen, ait Giraldi (Addit. ad Barbos. *De parocho*, c. 19, n. 3.), parochus in propria ecclesia absolvere parochianos alterius parochiæ, absque alia licentia, ut declaravit laudata congregatio (*in Vilnensi*, 25 Junii 1639, lib. XVI *Decr.* p. 213 ad 5.)

Parochus, dimisso beneficio parochiali, non potest absque nova approbatione confessiones audire; facultas enim ad absolvendum est connexa cum assecutione parochiæ, adeoque ista dimissa, facultas cessat, quia sicut statim, ac consequitur beneficium parochiale, modo sit sacerdos, et non sit suspensus, consequitur etiam approbationem ad audiendas confessiones in sua parochia, ita statim dimissa parochia, desinit etiam approbatio et facultas. (Com., apud FERR., v. *Parochus*, art. 3, n. 24)

CAPUT V.

De canonica parochiarum constitutione et suppressione.

§ I. — De canonica parochiarum constitutione.

I. Universus orbis est institutione divina tanquam diœcesis et parochia papæ ; ideoque ad papam primo, et quidem jure divino pertinet diœceses et parochias creare, dividere, unire et certis limitibus circumscribere. Nulla igitur nec diœcesis, nec parochia po-

test creari, erigi, uniri, etc., nisi secundum leges pontificias.

II. Nova parochia constituitur vel per meram creationem, vel per dismembrationem.

« Quando efformatur nova parochia, non ex portione vel portionibus parochiæ vel parochiarum jam exsistentium, sed ex populo vel territorio nondum ulli parochiæ ascripto, dici potest erigi per viam creationis. Ita fit in regionibus infidelium, ad fidem catholicam noviter subactis; datur enim locus novarum diœceseon et parochiarum erectioni. Item in Gallia anno 1801 erigendæ fuerunt per viam creationis parochiæ. Nam Pius papa VII omnes hujus regionis parochias suppresserat et exstinxerat, ut fieret nova circumscriptio et erectio. Unde parochiæ in vim pontificii decreti tunc erectæ, non per dismembrationem antiquarum, quæ jam non exsistebant, sed per creationem constitutæ sunt.

Dicitur e contra erigi nova parochia per dismembrationem, quando ex una vel pluribus parochiis jam exsistentibus aliquæ partes distrahuntur, et ex iis partibus alia efformatur et constituitur; et hoc modo frequenter in omnibus diœcesibus contingit novas exsurgere parochias.

III. « Novæ parochiæ erigi possunt vel per se stantes, vel annexæ. Quandoque scilicet contingit ut cura animarum quoad certum populum annectatur alicui monasterio, vel alicui capitulo, vel præbendæ alicujus dignitatis (verbi gratia, archidiaconatus, vel præposituræ), vel alicui beneficio simplici, quod sic transit in curatum seu parochiale. Ejusmodi autem parochiæ dicuntur annexæ et considerantur tanquam quid accessorium ad capitula, monasteria, etc., quibus annectuntur et plerumque reguntur per vicarium curatum; secus quando locum non habet ejusmodi annexio: tunc enim parochia est quid principale et per se stans, et regitur per parochum proprie dictum. »

IV. « Nova parochia efformari potest vel per unionem, vel absque unione. Quando nempe duæ vel plures parochiæ ad unam reducuntur, ex ista unione exsurgit parochia aliquatenus nova. »

V. « Tandem erigi potest parochia, vel cum jure patronatus, vel absque isto jure. Quando nempe quis ecclesiam, quæ parochialis efficitur, ædificavit, vel perpetuis redditibus dotavit, contingit nonnunquam ut sibi suisque in perpetuum hæredibus jus præsentandi ad ejusmodi beneficium parochiale quoties vacaverit, et similes alias prærogativas. Qua dispositione, si ab auctoritate ecclesiastica acceptetur et firmetur, dictus fundator jus illud, quod *patronatus* nuncupatur, sibi suisque in perpetuum hæredibus acquirit; sicque erecta parochia sub jure patronatus constituta dicitur. » (Ita Bouix, *De parocho*, pag. 242.)

§ II. — De parochiarum erectione per viam creationis.

Quando nova diœcesis in parochias dividitur, plerumque auctoritate summi pontificis fit divisio; ut in Galliis anno 1801. Dubium tamen non est ad ordinariam episcopi potestatem pertinere eam diœcesis suæ regiunculam plebemve, quæ nondum ulli parochiæ ascripta foret, in parochiam erigere; id est ibi sacerdotem constituere, qui proprio nomine et ex officio illarum animarum curam exerceat. In hoc autem rarissimo casu ad nullas alias de jure conditiones tenetur episcopus, nisi ut provideat de sufficienti dote ad honestam curati sustentationem.

§ III. — De parochiarum erectione per viam dismembrationis.

I. Dubium non est quin ea potestate plena et absoluta Romanus pontifex quoad totum orbem polleat. Minusque causæ requisitum desideratur, nisi quatenus ex illa præsupposita quæ non exsistat, resultet subreptio seu defectus voluntatis... « Ubi vero ordinaria auctoritate hujusmodi actus, vel eorum alter sequantur, utpote speciem alienationis redolentes, causa necessitatis, vel nimiæ utilitatis, pluresque solemnitates... exiguntur. » (Cardin. De Luca, lib. XII, *De beneficiis*, n. 206.)

II. Ad episcopos, seu locorum ordinarios pertinet etiam ex jure canonico potestas novas per dismembrationem parochias erigendi, cum certis tamen conditionibus et formalitatibus. Ad hanc episcoporum potestatem astruendam adduci solet, cap. *Ad audientiam* 3 [Alexandri] III, tit. XLVIII, *De ecclesiis ædific.*, lib. III *Decretal.* et cap. 4, sess. 21 Tridentinæ synodi, in quo sic decernitur: *Episcopi etiam tanquam apostolicæ sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quo populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant recto-*

res, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. In iis vero in quibus, ob locorum distantiam sive difficultatem, parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias, etiam invitis rectoribus, juxta formam constitutionis Alexandri III, quæ incipit AD AUDIENTIAM, *constituere possint. Illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio, arbitrio episcopi, ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus ; et si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam ; quacunque reservatione generali, vel speciali, vel affectione, super dictis ecclesiis, non obstantibus. Neque hujusmodi ordinationes et erectiones possint tolli, nec impediri, ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis resignationibus, vel suspensionibus.*

Ex his juribus igitur, episcopis, tum quatenus ordinariis, tum etiam quatenus a sede apostolica delegatis, competit potestas per viam dismembrationis novas erigendi parochias, et quidem invitis etiam dismembrandarum parochiarum rectoribus, etiam in iis parochiis quæ regularium sunt. Adnot. ad cap. 4, sess. 21 Trident.

III. Episcopi tamen, etiam quatenus sedis apostolicæ delegati, præfatam potestatem non habent absolute ut papa, sed certis et a jure determinatis conditionibus et formalitatibus subjectam. Nam 1° ex Tridentino decreto, cap. 4, sess. 21. Id episcopis conceditur duntaxat quoad ea loca *in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem, parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt.* Ergo ad dismembrationem, tanquam necessaria conditio requiritur *magnum* parochianorum incommodum. — 2° In eodem decreto statuunt Tridentini Patres, ut procedatur juxta formam constitutionis Alexandri III, *Ad audientiam.* Ex communi doctorum consensu, « recepta conclusio est, ait cardinalis De Luca, *De parochiis*, discurs. 35, n. 6, dismembrationem unius Ecclesiæ ab altera sapere speciem veræ alienationis ; ideoque requiri copulativum concursum solemnitatis, ac justæ causæ, juxta doctrinam abbatis... » (Item LAURENTIUS, in *Foro benefic.* part. I, quæst. 154 ; FAGNAN. in cap. *Ad audientiam, De eccles. ædific.*, n. 13; sacr. congr. Concil., *in causa Massanensi*, 9 Maii 1840, tom. C. *Thesauri resolut.*) — Constat etiam ex prohibitione, ipsos episcopos attingente, res Ecclesiæ alienandi. Const. *Ambitiosæ*, Extravag. comm. lib. III, tit. IV, cap. unic. ejusmodi alienationem districte prohibuit, ipsis etiam episcopis, excipiendo duntaxat casus in jure permissos ; atqui hoc argumentum ex prohibitione bona ecclesiastica alienandi deductum, canonistis solemne est tanquam peremptorium contra dismembrationem parochiarum, absque causa legitima. (Ita LAURENT., *For. benefic.*, part. III, quæst. 947 ; cardin DE LUCA, *De regular.* discurs. 5, n. 4 ; discurs. 64, n. 9, et apud ipsos citati, CORRADUS, etc.)

IV. Justa autem causa novam parochiam per dismembrationem erigendi, non alia esse potest, quam vel distantia, vel alia difficultas parochianorum, accedendi ad recipienda sacramenta et audienda divina officia. (Ex cap. 4, sess. 21, *Trident.* et FAGNAN. in dict. cap. *Ad audientiam.*) — Ingens populi multitudo non est per se causa legitima dismembrationis ; nam in hoc casu sancta Tridentina synodus vult ut cogatur parochus tot sibi adjungere vicarios, quot necessarii erunt ad sacramenta ministranda, aliaque ad curam animarum opportuna peragenda, cap. 4, sess. 21. Et ita sæpius declaravit sacr. congr. Concilii non posse episcopum in hoc casu nec coadjutoriam instituere, nec parochiam dismembrare. Sed in iis parochiis, in quibus numerus parochianorum ita exorbitanter adauctus est, ut ad viginti millia, triginta millia et amplius animarum pertingat, manifeste reperitur non solum magna difficultas, sed etiam physica impossibilitas parochianorum accedendi ad recipienda sacramenta et audienda divina officia. Etenim quando quidem missæ etiam *privatæ* sibi succederent de semi hora in semi hora, vix medietas parochianorum inveniret locum ad solam missam in Dominicis audiendam. Certo in his casibus ante recentiora tempora inauditis, adest causa necessaria dismembrationis antiquarum et erectionis novarum parochiarum. Id certe dubium nunquam habuit Pius VI, qui, in suo brevi *Quod aliquantum*, diei 10 Martii 1791, statutas, per

civilem cleri Gallicani *constitutionem* sex millium animarum parochias, tanquam *longe longeque unius parochi vires excedentes* lamentabatur.

Ut Constet de magno incommodo vel ex alia difficultate accedendi, necesse non est aliquos infantes absque baptismate, vel alios absque sacramentis decessisse, et fuit a sacr. congr. Concil. expresse decisum, ut refert Fagnanus in cap. *Ad audientiam, De ecclesiis ædif.* n. 16. Judicare vero de magno incommodo sive ex distantia, sive ex alia difficultate, ordinarii judicio relinquitur. Regulariter loquendo distantia sufficiens ad dismembrationem æstimatur, si duplicis sit milliaris, ut docet Ursaya, discept. 14, n. 11, tom. I; et Rota, decis. 39, n. 4, coram Peutinger; et sic adnotatur in sacr. congr. Concil. *Thesauro resolut.* tom. an. 1800, pag. 178, et alibi.

Sed ex eo quod adsit justa dismembrationis causa, non potest episcopus partem populi distrahere a sua parochia, et alteri jam exsistenti parochiæ addicere, in vi cap. 4 sess. 21 Trident.: ut reponsum est a sacr. congr. Concil. apud Fagnan. in cap. *Ad audientiam*, et ita reperies a doctoribus communiter traditum. Unde ad hoc faciendum episcopus recurrere debet ad sanctam Sedem.

Cæterum in omnibus casibus ad rectorem parochiæ dismembratæ pertinet appellare, si putet non adfuisse justam causam; quæ tamen appellatio non habet nisi effectum devolutivum.

V. Formalitates requisitæ ut canonice fiat ab episcopo dismembratio et erectio sunt plures. 1. Debet fieri processus ad verificandum an revera adsit justa causa novam erigendi parochiam. (Ita doctores et sacr. congr. *in una Toletana*, parochialis de Madrito, 19 Novemb. 1601.)—« Sufficiet tamen, ait Leurenius, *For. benef.* part. 1, quæst. 157, n. 21, pro verificatione causæ accessus ordinarii ad locum, illiusque inspectio. »

2. Requiritur sufficiens numerus parochianorum novæ parochiæ ascribendorum, et ex c. *Unio*, causa 10, quæst. 3, et communi doctorum requiruntur saltem decem familiæ : « Ecclesia vero quæ minus decem mancipia habuerit, aliis conjungatur ecclesiis. (C. *Unio.*)

3. Requiritur ad erectionem novæ parochiæ ut citetur rector matricis ecclesiæ. c. *Multis consiliis*, c. *Felix*, et cap. seq. causa 16, quæst. 1; et tenet Glossa, et declaravit sacr. congr. Concil. apud Fagnan. in cap. *Ad audientiam*, n. 29, qui addit: « Nec tantum rectoris Ecclesiæ, sed etiam aliorum omnium quorum interest, prærequiritur citatio, v. gr. parochus *habitualis*, si ipse non sit curatus; patronus, si ecclesia fuerit patronata, et si vacaret ecclesia, vel procrastinanda est dismembratio, donec novus parochus præficiatur, vel debet episcopus aliquem deputare, qui sub *defensoris parochiæ* nomine, quoad hoc vices rectoris atque ipsius jura exercere possit. In quibus casibus sufficit dismembrandæ parochiæ rectorem citari, et postulari ejus consensum; quem si renuat, valebit nihilominus decretum episcopale dismembrationis; et appellatio rectoris dissentientis non habebit nisi effectum devolutivum.

4. Dum erigitur nova parochia, debet determinari ejus extensio, sive per certi alicujus territorii, sive saltem per certarum familiarum assignationem; et tanquam canonicam a sacr. congr. Concil. haberi eam formam, patet ex variis causis in *Thesauro resolutionum* relatis, et passim adnotant canonistæ.

5. Requiritur capituli consensus, tum quando episcopus procedit jurisdictione ordinaria; tum etiam quando procedit tanquam sedis apostolicæ delegatus, modo dismembratio sit de iis quas posset ex jurisdictione ordinaria facere. Sic tenent communiter canonistæ et variis sacræ congregationis Concilii decisionibus firmatur, satis patebit ex Fagnan. in cap. *Ad audientiam* 3, *De eccl. ædif.* n. 49, ibi: « An episcopus, inquit, in nova parochia intra fines parochiæ alterius erigenda teneatur adhibere consilium vel consensum capituli?—Hostiensis et Joannes Andreas tenent episcopum debere hoc facere de capituli *consilio* (per c. *Pastoralis*, *De donationibus*) ; et consentiunt Butrio, Cardinalis et alii. Sed certe ille textus exigit *consensum*, ut patet extremis verbis, ibi: *Consensus est sui capituli requirendus;* ubi hoc tenet glossa.... et merito: quia, cum hæc divisio parochiæ, et dismembratio reddituum ad matricem ecclesiam pertinentium, sit instar alienationis rerum ecclesiæ, sine capituli consensu fieri non potest. (Ut cap. *Cum nos*; cap. *Tua*, et cap. *Pastoralis*, *De his quæ fiunt a prælato*; et cap. *Dudum*, *De rebus Ecclesiis non alienan-*

dis, in 6.) Præterea in ecclesiis ad invicem uniendis necessarius est consensus capituli (Clement. *Si una* 2, tit. IV, lib. III; et cap. *Pastoralis*, *De donat.*) Ergo et in parochiis dividendis. » Et concilium Tridentinum statuit novarum parochiarum erectionem faciendam esse juxta formam constitutionis Alexandri III quæ incipit *Ad audientiam*, et sic videtur se restringere ad formam juris communis. Attamen cum aliquid dubium remanere posset, expositis pro et contra rationibus, quid tenendum sit concludit Fagnan. his verbis: Quid dicendum? — Cum episcopus hoc casu duplicem habeat potestatem, unam scilicet ordinariam, quæ illi competit ex dispositione hujus decretalis (*Ad audientiam*), eique non fuit adempta a concilio Tridentino; alteram vero delegatam, quæ illi tribuitur in dicto cap. 4, et accumulatur potestati ordinariæ per illa verba, *etiam tanquam Sedis apostolicæ delegati* (ponderando vocem *etiam*, quæ est augmentativa et implicativa præcedentium); videtur sic distinguendum: aut in erectione novæ parochiæ episcopus procedit jure delegato *in eo casu in quo jure ordinario non potest procedere* (puta quia erectionem facit in parochia subjecta regularibus exemptis); et hoc casu existimo « non requiri consensum capituli. Capitulum enim hoc casu non potest conqueri, quod se inconsulto fuerit processum ad erectionem; cum papa, cujus vices gerit delegatus, ad illius consensum requirendum non astringatur. — Aut procedit ad erectionem auctoritate delegata, *in eo casu in quo potest jure ordinario* (puta, in parochia non exempta); et tunc censeo necessarium esse consensum capituli, sicut erat in jure veteri cujus dispositionem hac in parte concilium Tridentinum non sustulit.... Et hanc distinctionem in legato de latere probavit in effectu Marianus Socinus... ut scilicet si procedat *jure ordinario legationis*, teneatur adhibere capituli consensum, ad eum modum quo ordinarius tenebatur: secus si procedat *speciali jure delegationis*. Et eamdem distinctionem probavit sacr. congr. in materia appellationis interponendæ, ad metropolitanum, vel ad sedem apostolicam.»

6. Requiritur ut novæ parochiæ assignetur dos competens, ex qua parochus convenienter sustentari possit. (C. *Nemo*, *De consecrat.* dist. 1.) Et jam censuit sacr. congr. in erectione novarum parochiarum prius cogitandum de dote, ut refert Fagnan. in cap. *Ad audientiam*, n. 31. Ex hoc regula omnino certa et ab omnibus admissa:

Primo, desumenda est dos ex redditibus antiquæ parochiæ, modo tamen ita abundent ut, distractione facta, adhuc sufficiant ad convenientem parochi sustentationem. (*Trident.* sess. 21, c. 4, et c. *Ad audientiam* 3, *De eccles. ædif.* et communis doctorum.)

Secundo, casu quo antiqua ecclesia nihil habet præter necessariam sustentationem, tradunt communiter doctores, « cogendum esse ab episcopo subjectum parochiæ populum, ut presbytero instituendo necessaria ministret. Arguitur cap. *Cum sit Romana*, *De simonia*; et expresse cautum est decreto concilii Trident. c. 4, sess. 21, ubi innovatur hoc caput, et statuitur ut, si necesse fuerit, compellere possit episcopus populum ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam ipsius sacerdotis sustentandam. Facit cap. 7, sess. 21, ibi: *In illorum defectum parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant.* Et cap. 13, sess. 24, in illis verbis: *Per parochianorum symbola aut collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum rediguntur, quod pro rectoris aut parochiæ necessitate decenter sufficiat.* (Fagnan. in c. *Ad audientiam* 3, *De eccles. ædif.* n. 5.)

Tertio, Sin minus paupertas parochianos excuset, cogat episcopus abbatem vel præpositum, cui parochia illa in temporalibus subest ad suppeditanda vitæ necessariæ sacerdoti instituendo, ut cap. *Sanctorum*, dist. 70, et c. *Exstirpandæ*, *De præbend.*

Quarto, Quod si et illos excuset inopia, provideat episcopus ex mensa sua. (C. *Inter cætera*, *De officio ordin.*) Ad hoc enim tenetur episcopus, si commode potest. (Ut c. 2, causa 16, quæst. 3; c. *Præcipimus*, et c. *Ecclesiasticum*, causa 12, quæst. 1; c. *Regenda*, et per totam caus. 10, quæst. 1. c. *Episcopus habeat potestatem.* causa, 10, quæst. 2.

Quinto, Ad extremum, si neque id fieri possit, et egestate omnes laborent, novus parochus propriis manibus ex artificio victum sibi quærat (c. *Clericus* 1 et 2, dist. 91); et sic dabitur casus in quo parochialis ecclesia construi poterit sine dote, cum scilicet urget necessitas, et alia ratio non suppetit; quod nota singulariter, secundum Abbatem..., ad limitationem capitis *Nemo*, *De consecrat.* dist. 1, prohibentis ecclesiam ædificari sine competenti dote. Itaque se-

cundum ordinem superius propositum procedendum erit ab episcopo in assignatione reddituum pro sustentatione rectoris novæ parochiæ; prout concludunt Joan. Andreas, Hostiensis,.. cardinalis,.. Ancharanus,... Abbas; et alias declaravit sacr. congr. Cardinalium concilii Trident. interpretum. Censuit enim in terminis concilii assignationem faciendam ex fructibus ad ecclesiam matricem pertinentibus; et si ii non sufficiant, tunc demum populum compellendum; quod si nec ipse ob paupertatem compelli possit, episcopum de suo dare debere. (Fagnan. in c. *Ad audientiam. De ecclesiis ædific.* n. 6 et seq.)

Sexto, Quanta debeat esse dos novæ parochiæ assignanda? « Respondet in genere Azor. part. II, lib. III, c. 12, dotem parochialis ecclesiæ debere esse tantam, ut ex ea unus presbyter cum altero clerico ministro commode sustentari possit, et quando opus sit, uti hospitalitate. » (Leuren. *For. benef.* part. I, quæst. 159, n. 2.)

« Oblationes parochianorum novæ parochiæ ascriptorum de jure ad novam parochiam, tanquam pars ipsius dotis, transeunt. At vero decimæ provenientes ex ea portione territorii quæ novæ parochiæ addicta fuit, non transeunt *de jure* ad novam parochiam, sed pergunt pertinere ad ecclesiam matricem; nisi tamen ex decreto episcopali novæ parochiæ tanquam dos expresse assignatæ fuerint. Nam potest episcopus et ex istis decimis novæ parochiæ dotem constituere. De quo vide Leurenium, loc. cit. quæst. 157, n. 8. » (Bouix, *De parocho*, p. 276.)

VI. In dotanda nova parochia ex redditibus seu fructibus antiquæ, curandum est ut rectori antiquæ remaneat conveniens sustentatio. Colligitur ex textu decretalis *Ad audientiam* 3, tit. XLVIII, lib. III *Decretal.*

VII. Matricis ecclesiæ rectori debetur jus patronatus in noviter erectam, si hæc ex alterius redditibus dotata fuerit, ut probat decret. *Ad audientiam;* ita Fagnanus, in dict. cap., unde tunc quoties nominandus erit novæ parochiæ parochus, jus habebit parochus antiquæ parochiæ illum eligendi et præsentandi; et debebit episcopus illum, et non alium præficere; nisi forte eum non reperiat idoneum, quo casu rector antiquæ parochiæ alterum præsentare debebit. Si vero antiqua parochia nihil contulerit ad dotandam novam, nullum jus patronatus acquirit antiquæ parochiæ rector, ut declaravit sacr. congr. Concil. teste Fagnan. in cap. *Ad audientiam*, n. 39; et ibid. n. 35 ad 39, notanter addit idem Fagnanus: « Sexto principaliter requiritur in erectione novæ parochiæ, ut jus patronatus et præsentandi sacerdotem noviter instituendum reservetur illis, quibus de jure: Et quidem si reperiatur aliquis, qui velit ecclesiam fundare, et sufficienter dotare, planum erit jus patronatus eidem fore reservandum; quinimo ad eum pertinebit ipso jure etiam sine alia episcopi reservatione, ut est textus in cap. *Significavit*, ubi Joannes Andr., Baldus, Butr. et alii notant.. Et est receptissima conclusio, ut dicunt domini de Rota, decis. 167, n. 4, p. 2 *Diversor.* Similiter si nova ecclesia fuerit dotata ex redditibus ad matricem ecclesiam pertinentibus, planum erit jus præsentandi sacerdotem pertinere ad rectorem matricis ecclesiæ, ut probat hæc littera... Sed nihilominus etiam fundator ecclesiæ noviter ædificatæ habebit jus patronatus, ut hic concludunt gloss. 3, in fin.; Innocentius, Abbas, Hostiensis, etc., et Abbas, n. 9. qui testatur hanc opinionem communiter teneri. Atque ita secundum eos duo erunt patroni parochialis noviter erectæ, videlicet ecclesia matrix ex causa dotationis, quia ex propriis bonis eam dotavit; et fundator ex causa fundationis et dotationis, si simul dedit fundum et dotis residuum, prout fecit in casu hujus decretalis (*Ad audientiam*) dominus villæ, qui pro dotis residuo dedit viginti acras terræ frugiferæ.. Et ad prædicta vide gloss. notab. *In summa*, in fin. 63 dist. quæ vult ut, quamvis fundatores ecclesiæ æqualiter non contribuerint ad dotationem ipsius, tamen omnes efficiantur patroni; et ita sit patronus ille, qui dedit modicum, sicut est ille qui dedit multum. Quod tamen limita, et declara, dummodo omnibus simul conflatis ecclesia remaneat competenter dotata. Secus si dos non fuerit integra, ut tenet glos. in c. *Quicunque*, causa 19, quæst. 7: quam multum extollit Abbas, hic. n. 4 in 3 notab. Et hanc sententiam alias probavit sacr. congr. Concil. Censuit enim donationem obventionum ad matricem ecclesiam pertinentium, si alius concurrat ad dotationem ecclesiæ noviter ædificatæ, efficere ecclesiam matricem patronam simul cum alio dotante. » (Ita Fagnan.) Unde familiæ alicujus parochiæ quæ ecclesiam fundarunt, aut ædificaverunt, aut dotaverunt, jus habent

ad præsentandum rectorem instituendum; sunt adhuc in nostra Gallia aliquæ talium fundatorum familiæ, quæ possent jus patronatus exercere; sed tantum evenit aliquando ut tales familiæ ab episcopo postulent aliquem ab ipsis designatum sacerdotem, in qua postulatione nedum laicismum committant, ut conclamare audivimus per juris ignorantiam, non toto earum jure utuntur. Ideoque ecclesiæ injuriosæ et nocivæ sunt istæ conclamationes. Omnino autem aliud est laicismus; in eo enim consistit quod potestas civilis, sive major, sive minor, sive minimus, qui nullo modo ecclesiam dotavit, prætendat ecclesiam regere, rectores ecclesiarum episcopis designare et sæpius imponere.

VIII. Requiritur ecclesiam constructam infra limites alterius parochiæ teneri aliquem honorem impendere matrici ecclesiæ, scilicet annuum censum in signum subjectionis. (Arg. c. *Omnis anima*, supra *De censib.*) Moderandum tamen arbitrio episcopi. (Arg. cap. *De causis*, supra *De offic. deleg.* secundum glossam, hic in ver. *Honor.*) « Vel dic clericos Ecclesiæ noviter ædificatæ teneri majorem ecclesiam adire pro baptismo, scrutinio, capitulo, et consimilibus, vel solvere illa jura, quæ capellæ debent ecclesiæ matrici, ut cap. 2, *De cappel. monachor...* » (Fagnan. in dict. cap. *Ad audientiam*, il primo, in II part. lib. III *Decretal.* tit. 48, *De ecclesiis ædific.*)

IX. « Principaliter requiritur, ut novam parochiam episcopus erigat ipse per se, vel per suum generalem vicarium ad id speciale mandatum habentem, ut probat textus in cap. *Nemo*, juncta gloss... *De consecrat. dist.* 1, et jam pridem visa est sentire sacr. congr. Concil..... » (Id. *ibid.* n. 41.)

X. In Gallia et nonnullis aliis regionibus, ubi viget Concordatum anni 1802, requiritur etiam Gubernii assensus ad novarum parochiarum erectionem. Et ita in praxi a tempore Concordati fuit observatum.

XI. « Demum cum ex concilio Tridentino episcopus procedere possit ad erectionem novæ parochiæ, etiam uti Sedis apostolicæ delegatus, sit cautus ut, vel in decreto exprimat se procedere utraque potestate, ordinaria scilicet et delegata: nam si non valebit ex una, valebit ex altera, et abundans cautela non nocebit, nec vitabit adjectio supervacua; vel procedat simpliciter nulla facta expressione auctoritatis delegatæ, vel ordinariæ: nam duplicem potestatem habens censetur ea usus, quæ facit actum valere. Vel demum exprimat se uti potestate delegata, si procedat contra exemptos, alioquin si procederet jure ordinario, cum in eo casu non habeat, nisi potestatem delegatam, erectio non valeret, prout hæc omnia late comprobat Feder. *De sent....* et alii... »

« His omnibus observatis, et causa cognita, in processum redactis, tuto poterit episcopus procedere ad erectionem novæ parochiæ, etiam in parochiis exemptorum: nam cum in hoc vota cardinalium in sacra congregatione essent divisa, Sanctissimus respondit facultatem erigendi novas parochias, et assignandi portionem novis parochiis, attributam episcopis, habere locum etiam in parochiis regularium... » (Fagnan. in cit. cap. *Ad audientiam*, n. 42 et 43.)

§ IV. — De appellatione a decreto episcopi novam parochiam erigentis per dismembrationem.

« Cum concilium det episcopis facultatem erigendi ad præscriptum hujus decretalis, et hic tollatur appellationis obstaculum, utique ex hoc manifeste liquet episcopum posse hoc casu procedere *appellatione remota*. Quæ tamen clausula non impediret appellationem ad effectum devolutivum, sed suspensivum duntaxat; ut est textus in cap. *Pastoralis*, *De appellationibus*: et est communis opinio..... Datur ergo se læsas esse credentibus, et præcipue rectori ecclesiæ dismembratæ appellatio ad effectum devolutivum.

De hujus appellationis variis casibus exponit Fagnanus (in cit. c. *Ad audientiam*, n. 45 et seq.) doctrinam, quæ communiter a doctoribus traditur, et est omnino tenenda, quamque sic bene resumit D. Bouix, *De parocho*, p. 282.

I. « A decreto episcopi novam parochiam erigentis cum antiquæ dismembratione, semper potest appellari ad Sedem apostolicam.

II. « Si erectionem et dismembrationem potuerit episcopus perficere ex jure suo ordinario, quamvis eam perfecerit ex jure delegato, potest appellari ad metropolitanum. »

III. « Si non potuerit episcopus erectionem et dismembrationem decernere nisi ex solo jure delegato, non potest appellari ad

metropolitanum, sed duntaxat ad Sedem apostolicam. »

IV. « Quocunque modo fiat appellatio, non habet nisi effectum devolutivum ; unde firmum remanet episcopi decretum, nisi a superiore annulletur ; nec impedit interposita appellatio, quin ad exsecutionem deduci possit. »

§ V. — De unione parochiarum.

I. Quid sit unio beneficiorum, et quotuplici modo fieri possit. — « Unio est beneficiorum seu ecclesiarum ab episcopo, seu alio superiore, ob utilitatem seu necessitatem ecclesiæ, facta annexio. Est in re communis. — Unio prædicta fit potissimum tribus modis..... (Et citat Gloss. et alios).

« *Primo* modo fit talis unio, cum ex duobus beneficiis fit tantum unum, ita ut neutrum eorum uniatur alteri, sed ambo simul uniantur, ut patet ex can. *Decimas*, causa 16, quæst. 1, ibi : « Papa episcopatus in unum redigere potest. » Et talis unio præsertim fit, cum duæ parochiales ecclesiæ vicinæ, et populo ratione belli, pestis et hujusmodi valde destitutæ, ita ad invicem uniuntur, ex duabus sic unitis resultans retinet consuetudines ac privilegia favorabilia utriusque ecclesiæ sic in unam redactæ. Unde hæc unio dicitur *exstinctiva*, seu *translativa*, eo quod ex duabus ecclesiis fiat unica tantum, sicque altera minus privilegiata exstinguatur, ac perimatur, et in aliam magis privilegiatam, ac potioribus juribus gaudentem transferatur, ac cum ipsa omnino incorporetur. (Fagnan. in c. *Exposuisti* 34, *De præb...* et alii.)

« *Secundo* modo fit talis unio, cum duæ ecclesiæ ita uniuntur, ut non coalescant, sicuti dicto primo modo in unum corpus, sed una sit superior, et alia inferior, ac accessoria superiori, seu principaliori, et solet fieri pro augmento dotis alterius beneficii non habentis sufficientes redditus pro congrua beneficiarii sustentatione. Unde talis unio nuncupatur *accessoria*, seu *subjectiva*, ut ex communi notant Fagnan. in cap *Novit. Ne sede vacante*, et alii. Sicque ecclesia accessoria alteri unita assumit naturam, consuetudines et privilegia principalis, cui est annexa. (Arg. cap. *Recolentes* 3, *De statu monachor.*, et cap. *Accessorium naturam sequi congruit principalis. De regul. jur.*)

« *Tertio* modo fit talis unio, cum neutra ecclesia alteri subjicitur, sicuti dicto secundo modo, nec ipsæ coalescunt in unum corpus, sicuti dicto primo modo, sed ambæ ecclesiæ ita æque principaliter invicem uniuntur, ut ambæ adhuc suum titulum atque honoris gradum retineant, et solum ab uno eodemque rectore regantur; sicque adhuc remaneant duo beneficia omnino distincta, v. gr. duo distincti episcopatus, quamvis sit unicus, et idem utriusque episcopus. (Arg. c. *Et temporis*, causa 16, quæst. 1, juncta glossa; Fagnan. in cap. *Novit*, n. 4 *Ne sede vacante*, et alii.) Et talis unio appellatur *unio æque principaliter facta*, quæ aliud non operatur, nisi ut rector unius sit etiam rector alterius, cum in reliquis utrumque beneficium remaneat adhuc distinctum beneficium, sicuti prius, cum propriis redditibus, privilegiis, honoribus, etc. »

« Unio beneficiorum est duplex, alia perpetua, et alia temporalis. Perpetua est illa, in qua exprimitur, ut perpetuo duret, ut cap. *Exposuisti* 32, *De præbendis*.... unio *temporalis* e contra est illa, quæ fit ad tempus, v. gr. ad vitam ejus cui conceditur et fit contemplatione personæ; proinde per illius mortem exspirat. (Arg. c. *Quoniam* 14, *De officio delegati*, cum similibus.) Et talis unio in effectu est quædam dispensatio retinendi plura simul beneficia etiam de se incompatibilia... » (Ferrar. verb. *Unio beneficiorum*, n. 1, ad 6.)

II. *Quis possit unire ecclesias et beneficia.* — « Unire episcopatus ad solum pertinet papam. (Textu expresso in c. *Sicut unire* 8, *De excessib. prælat.*) Papa non solum episcopatus, sed etiam quæcunque alia beneficia unire potest, cum in omnibus beneficiis plenariam habeat potestatem. (C. *Licet* 2, *De præbend.* in 6, et Clement. 1 *Ut lite pendente.*)

« Episcopus potest ex legitimis causis unire beneficia, et ecclesias suæ diœcesis. (Cit. c. *Sicut unire* 8, *De excessib. prælat.*; c. *Exposuisti* 33, *De præb.*; c. *Consultationibus* 4; et c. *Pastoralis* 7. *De donationibus*; Clement. *Si una, De rebus eccles. non alienand.*, cum similibus.)

« Archiepiscopus, seu metropolitanus potest quidem unire beneficia suæ diœcesis, sicuti quilibet episcopus per jura (citata); atvero nequit unire beneficia diœcesum suo-

rum suffraganeorum (Ita communis et decisum a sacr. congr. Concil.); nisi tamen in casu legitimæ appellationis..; nam episcopus, stante justa causa, tenetur unire... Et proinde, si legitime interpellatus denegat unionem, gravat, et consequenter justam viam parat appellationi; quo casu, quia proprium appellationis est suspendere, et devolvere negotium, metropolitanus valide potest unire beneficia suffraganei. » (Ita Ventriglia, *Præx. for. eccles.* part. II, annot. 8, § 1, n. 6.)

« Capitulum sede vacante potest unire ea beneficia, quæ potest episcopus : dummodo per eam unionem jurisdictioni episcopali nihil detrahatur. (*Communis.*)

« Legatus a latere, in provincia sibi concredita, potest unire beneficia dictæ provinciæ suæ legationis absque tamen præjudicio episcopi. Legatus enim a latere potest in sua provincia omnia, quæ episcopus in sua diœcesi. (Arg. c. 1, *De offic. legati*, in 6; et *communis.*)

« Vicarius generalis episcopi non potest beneficia unire, nisi specialiter ab episcopo committatur. (Arg. c. ult *De offic. vicarii* in 6 ; et tenent multi.)

« An abbates et alii prælati episcopo inferiores habentes jurisdictionem quasi episcopalem hac potestate polleant, disputatur.. (Ferrar. verb. *Unio*, etc., n. 7 ad 16.)

III. *De conditionibus requisitis ad unionem beneficiorum.* — « Ad faciendam beneficiorum unionem, præter legitimam facultatem, requiruntur tres præsertim conditiones. (*Communis.*)

« *Prima* conditio requisita ad faciendam legitimam unionem beneficiorum est causa justa, et prævia cognitio de ejus veritate. (Arg. c. *Exposuisti* 33, *De præbend.*; et Clement. *Si una* 2, *De rebus eccles. non alien.*) juncto concilio Trident. sess. 7, *De reform.* cap. 6, ubi expresse dicitur, quod *Uniones perpetuæ... quæ deinceps ad cujusvis instantiam fierent, nisi eas legitimis, aut alias rationabilibus causis coram loci ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur, ac propterea, nisi aliter a Sede apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.*

« Justa causa uniendi beneficia est Ecclesiæ necessitas, vel ipsius utilitas. (C. *Exposuisti* 33 *De præb.* cap. *Dudum* 1, *De rebus eccles. non alien.* in 6.) Necessitas autem Ecclesiæ tunc censetur intervenire, quando præbenda, cui unio facienda est, caret sufficientibus redditibus ad alendum ministrum. (Cit. c. *Exposuisti*, *Trident.* sess. 21, *De reform.* cap. 5, ibi : *Propter eorum paupertatem.*) Item quando ecclesia est destructa ab hostibus, vel desolata. (C. *Quia monasterium* 8, *De religiosis domibus.*) Item, quando ecclesiæ sunt vicinæ, et restant pauci de populo, aliis mortuis. (C. *Et temporis*, causa 16, quæst. 1.) Utilitas vero tunc intervenit, quando propter fructuum tenuitatem non inveniuntur clerici idonei ad deserviendum, ut habetur ex c. cit. *Exposuisti ;* et tenent doctores.

« Si autem unio beneficiorum fiat sine causa, vel ex causa falsa, tunc cæteroquin servata sit forma juris, ipsa, vel est nulla ipso jure ut volunt probabilius multi .. vel saltem declaranda nulla, ut tenent alii. »

« *Secunda* conditio requisita ad legitimam beneficiorum unionem est, quod citentur omnes interesse habentes in dicta unione facienda, eorumque consensus requiratur. (Clement. *Ne in agro* 1, *De statu monachor.*; *Concil. Trident.* sess. 7, *De reform.* cap. 6, supra.) Unde si ecclesia sit subjecta.... requiritur respective, consensus abbatis, vel collatorum, vel patronorum. Non requiritur tamen consensus rectoris ecclesiæ ; nec plebis, quamvis, si sponte compareat, ut allegat rationabilem causam impeditivam talis unionis, sit audienda. (Arg. c. *Si quis presbyterorum* 6, *De rebus eccles. non alien.*; et c. *Si una* 2; Clement. *De rebus eccles. non alien.*)

« *Tertia* conditio requisita ad legitimam unionem faciendam per episcopum est consensus capituli cathedralis. (Communis, textu expresso, in cit. Clement. *Si una* 2, *De rebus eccles. non alien.*, c. *Pastoralis* 7, *De donationibus.*) Præter vero consensum dicti capituli, qui semper requiritur, requiritur etiam respective consensus prælati inferioris, vel ecclesiæ collegiatæ et ipsius capituli, vel patroni, prout beneficum ab uno aut aliis pendeat. (*Trident.* sess. 7, c. 6, et communis.)

« Si unio facienda sit seminario, ultra consensum capituli requiritur etiam consilium quatuor deputatorum, duorum de capitulo, et duorum de clero. (*Trident.* sess.

24, c. 18, et sic declaravit sacr. congr. Concil. et Rota.)

« Si capitulum, vel alii, quorum interest, sine justa causa consensum præstare nolint, possunt ad id compelli per superiorem, imo quando evidens causa necessitatis subest, potest talis unio fieri etiam ipsis invitis..... Non requiritur tamen quod talis consensus necessario interveniat ante, vel in unione, sed sufficit, etiamsi interveniat post unionem, dummodo antea lis non fuerit incœpta... Imo talis unio fieri potest sine requisito tali consensu, si adsit alicubi consuetudo legitime præscripta ipsam faciendi sine requisitione dicti consensus...» —« Ubi vero non adest talis legitima consuetudo, si unio fiat sine requisitione consensus capituli, patronorum, aut quorum interest, est invalida, cum in tali casu facta sit, non servata forma. »

« Unio facta sine consensu rectoris ecclesiæ, qui consensus necessario non requiritur, effectum suum non est habitura nisi post mortem, vel amotionem illius rectoris. » (C. *Consultationibus* 4, *De donation.* etc.) — (Ferrar, ubi supra.)

IV. *De potestate episcopi uniendi beneficia.* — « Episcopus, concurrentibus supradictis tribus requisitis conditionibus, potest unire beneficia suæ diœcesis. (Communis, per text. in cap. *Si cui unire* 8, *De excess. prælat.*; c. *Exposuisti* 33, *De præb.*; c. *Consultationibus* 4; etc. *Pastoralis* 7, *De donation.*; Clement. *Si una* 2, *De rebus Eccles. non alien.* cum similibus.) Et concil. Trident. sess. 21, cap. 5, ibi : *Possint episcopi, etiam tanquam apostolicæ sedis delegati, juxta formam juris, sine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcunque ecclesiarum parochialium et baptismalium, et aliorum beneficiorum curatorum vel non curatorum, cum curatis, propter earum paupertatem, et in cæteris casibus a jure permissis, etiamsi dictæ Ecclesiæ vel beneficia essent generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercunque affecta.*

Nequit tamen episcopus parochiam accessorie unire alicui beneficio non curato, ex decreto Trident. sess. 24, c. 13, hujusce tenoris : *Ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscunque, abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ cathedralis, vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non uniantur.* Sed potest beneficia simplicia accessorie unire parochiæ, sess. 21, cap. 5, supra.

« Prohibita videtur æque principalis etiam unio parochiam inter et beneficium simplex. (Ex eod. c. 13, sess. 24; Fagnan. in c. *Exposuisti, De præb.*, n. 12.; Riganti. in reg. 13 Cancellariæ, n. 158; Leurenio, *For. benefic.* part. 1, quæst. 164, n. 2.)

Episcopus nequit valide dictas parochiarum uniones peragere, nisi ex causa necessitatis vel utilitatis et cum formalitatibus de jure supra relatis, et præsertim requiritur consensus capituli cathedralis et eorum quorum interest, ut dictum est supra.

V. De appellatione a decreto episcopali unionis, idem currit jus, ac de appellatione a decretis episcopalibus dismembrationis, ut supra expositum fuit.

In Gallia præter cætera ad unionem parochiarum requisita, intervenire etiam debet Gubernii consensus, ex Concordato an. 1801.

§ VI. — De jure patronatus in ecclesiis parochialibus.

I. « Jus patronatus definitur quod sit *jus*, seu potestas a sanctis canonibus concessa nominandi sive præsentandi clericum promovendum ad beneficium ecclesiasticum vacans (Est in re communis); seu jus patronatus est jus honorificum, onerosum et utile, alicui competens in ecclesia, eo quod de ordinarii consensu eam construxerit, fundaverit vel dotaverit; aut id a suis antecessoribus factum fuerit. » (Ita Abbas in *Rubrica de jure patronatus*, et multi alii.)

Dicitur autem jus *honorificum*, quia patronus habet honorem, ut ad beneficium sui juris patronatus alius non admittatur, seu in ipso instituatur, quam ille quem ipse præsentaverit superiori; dicitur *onerosum*, quia patronus tenetur defendere ecclesiam suam, ne ejus bona depereant, eamque, cum opus fuerit, reparare atque impensis necessariis regere. (C. *Filiis* 31, causa 16, quæst. 7, cum similibus.) Dicitur *utile*, quia, si patronus vergeret ad inopiam, ecclesia teneretur eum potius alere ac juvare, quam cæteros alios pauperes, ex redditibus qui, detractis necessariis expensis, supersunt. (C. *Quicunque* 2, causa 16, quæst. 7; c. *Nobis* 25, *De jure patronatus*, cum similibus.)

« Jus patronatus dividitur primo in hereditarium, gentilitium seu familiare, et mistum (communis); secundo, in activum et passivum. — *Activum* est ipsum jus, quod

patronus habet præsentandi aliquem ad beneficium. *Passivum* est jus competens aliquibus de tali familia vel loco, quod si idonei sint, exclusis extraneis, per patronum necessario debeant præsentari. (Communis cum Rota.) Jus patronatus *activum* subdividitur in personale et reale. *Personale* est, quod competit personæ patroni independenter a re aliqua, vel loco, ubicunque exsistat. *Reale* est quod est annexum alicui certæ rei vel loco, v. gr. castro, prædio, pago, et hujusmodi; et cum eo transit ad quemlibet, etiam non hæredem, qui rem talem emptione, v. gr. vel donatione acquirit. (Communis.) Dividitur tertio in *ecclesiasticum*, *laicale* et *mistum* utroque... Quæ definita vide apud Ferraris, verb. *Jus patronatus*, art. 1, n. 12 et seq.

II. « Jus patronatus tribus potissimum modis de jure potest acquiri, scilicet fundatione, ædificatione et dotatione. (Communis, cum Glossa in c. *Piæ mentis* 26, causa 16, quæst. 7.) Ibi ad rem dat sequentem receptum versiculum :

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Et quidem quod sola fundatio sufficiat ad acquirendum jus patronatus, habetur clare ex cap. *Decernimus* 32, causa 16, quæst. 6; cap. *Quoniam* 3, et *Nobis* 25, *De jure patronatus*. Fundasse autem ecclesiam ad propositum proprie dicitur, sive quis eam in proprio fundo, seu solo suis sumptibus omnino construxerit. (C. *Abbatum* 4, causa 18, quæst. 22; c. *Nobis* 25, *De jure patron.*) Sive etiam tantummodo fundum, seu solum ad eam ædificandam obtulerit ac donaverit. (Communis.)

« Quod sola ædificatio, seu constructio ecclesiæ sufficiat ad acquirendum jus patronatus, habetur expresse ex cap. *Monasterium* 33, causa 16, quæst. 7; et cit. cap. *Nobis* 25, *De jure patron.* ibi : *Si quis ecclesiam cum consensu diœcesani construxit (propriis sumptibus), ex eo jus patronatus acquirit...* Qui vero sine consensu ordinarii eam construit, cum illicite agat (C. *Nemo* 8, *De consecrat.* dist. 1), non acquirit jus patronatus. (Communis.) Item ædificasse censetur quantum ad præsens, qui ecclesiam cum consensu ordinarii totaliter eodem tempore reædificat. Qui vero partim tantum ædificat et reparat, non fit patronus, sed solummodo benefactor.

« Quod sola dotatio sufficiat ad acquirendum jus patronatus, habetur clare ex c. *Filiis* 31, causa 16, quæst. 7, et concil. Trident. sess. 14, *De reform.* c. 12; et sess. 21, c. 7. Dotasse autem ecclesiam quantum ad propositum censetur ille, qui ei sine dote fundatæ vel constructæ congruam dotem assignat, tribuendo ei sufficientes redditus, seu annuos census pro ministris ecclesiæ, pro paramentis, pro luminaribus, aliisque necessariis. (Arg. c. *Quicunque* 30, et c. *Filiis* 31, causa 16, quæst. 7.) Qui tamen non tribueret dotem sufficientem, non diceretur *patronus*, sed tantum benefactor Ecclesiæ ut expresse declaravit sacra congregatio, apud Garciam, *De beneficiis*, p. v, cap. 9, n. 52, his verbis : *Dotans insufficienter, quod arbitrabatur ordinarius, non acquirit jus patronatus, sed dicitur benefactor.*

« Quando unus et idem simul fundat, ædificat et dotat ecclesiam, tunc solus ipse acquirit jus patronatus. Quando vero plures concurrunt, ita ut unus fundet, alter ædificet, et tertius dotet, tunc acquirunt omnes jus patronatus in solidum, et una simul in solidum evadunt patroni. (Arg. cap. *Filiis* 31, causa 16, quæst. 7, et communis.) Item quando plures concurrunt ad unam ex tribus causis, seu modis allegatis, v. gr. ad solam fundationem, vel ad solam ædificationem, vel ad solam dotationem, evadunt omnes simul patroni, et æquale jus patronatus acquirunt respectu illius tituli, quamvis unus plus cæteris erogaverit. Sed si plures fundaverunt, unicum habent suffragium; item si plures ædificaverunt, unicum habent suffragium tituli ædificationis; item si plures dotaverunt, unicum habent suffragium tituli dotationis. » (Leurenius, *For. benef.* part. II, quæst. 31.) Et in his casibus instituendus est ille clericus qui plura obtinet suffragia, dummodo sit idoneus. (Fagnan. in c. *Quoniam*, n. 1, *De jure patronat.*)

« Jus patronatus tamen non acquiritur, nisi hæc tria copulative concurrant, videlicet fundi collatio, ecclesiæ constructio, et dotatio auctoritate diœcesani. » (Fagnan. hanc conclusionem late probat in c. *Quoniam*, *De jure patronat.* in II part. lib. III *Decret.* n. 26 et seq.) Etenim qui dat fundum, non potest esse patronus ecclesiæ non ædificatæ; qui ædificat, non potest esse patronus ecclesiæ non dotatæ; nam ecclesia consecrari non debet nisi prius fundator eam dotet.

(Ut sunt jura clara in cap. *Piæ mentis*, et c. *Frigentius*, causa 16, quæst. 7; et in cap. *Placuit*, causa 1, quæst. 2.) Et tradit Lambertinus quod si contra juris dispositionem ecclesia esset fundata, et consecrata sine competenti dote, consecrator teneretur eam dotare, ut tenet Glossa unica communiter approbata in cap. *Cum sicut*, *De consecrat.* Exemplo episcopi qui ordinans aliquem sine titulo tenetur illi de suo providere... Et in defectum episcopi consecrantis, ut dicit illa Glossa, fundator dotabit eam, et poterit ad hoc compelli... » (FAGNAN. *ibid.* n. 26 et 35.) Sed quocunque modo dotata fuerit ecclesia, qui eam ædificaverit, est patronus; et dummodo ædificata et dotata fuerit, qui eam fundavit est patronus.

« Ex constructione ecclesiæ acquiritur jus patronatus construenti dummodo tamen id faciat de consensu episcopi diœcesani, ut hic est casus secundum omnes in summario textus. Quod locum habet etiamsi in constructione, vel fundatione ecclesiæ jus patronatus sibi explicite non reservaverit, quia nihilominus ei acquiratur juris ministerio, dummodo expresse illud non remiserit, ut cap. *Significavit*, *De testibus*, et satis probat hæc littera, quæ simpliciter dicit jus patronatus acquiri, ex ipsa constructione, nec ullam facit mentionem reservationis. Et ita declarat Joan. Andr., Bald. Butr., Cardin. Imol., Abb., Aretin., Felin. in d. c. *Significavit*... et alii... Et Rota, decis. 167, n. 4, part. II, divers., ubi attestatur hanc esse receptissimam conclusionem... » (FAGNAN. in II part. lib. III *Decretal.* tit. *De jure patronat.* c. *Nobis*, n. 4.) Idem dicendum est de dotatione ecclesiæ. Unde consensus diœcesani non requiritur præcise in jus patronatus, sed tantum in fundationem, constructionem et dotationem; ideoque ex eo quod episcopus consenserit ut quis fundet, seu ædificet vel dotet ecclesiam, pleno jure fundatori, ædificatori et dotanti acquiritur jus patronatus, etiamsi de eo nulla facta fuerit mentio, dummodo expresse illud non remiserint. « Ratio est, ait Schmalzgrueber, *De jure patr.* tit. XXXVIII, part IV, quia hoc jus fundantibus, construentibus, et dotantibus ecclesias acquiritur ex dispositione juris: unde non est necesse illud deduci in pactum vel reservari expresse. »

Jus patronatus acquiri potest a quocunque fideli, tam masculo quam femina; non vero ab infideli, Judæo, vel pagano, nec ab hæretico, etiamsi fundaverint, ædificaverint aut dotaverint ecclesiam. (FAGNAN. *ibid.* n. 7 et seq.; SCHMALZ. p. IV, tit. XXXVIII *De jure patronat.* § 3, et ab ipsis citatis. Communis.)

« Ex constructione ecclesiæ conventualis seu collegiatæ etiam de diœcesani consensu non acquiritur construenti jus patronatus, seu præsentandi prælatum absque privilegio apostolico, ut hic et in cap. *Hinc est etiam*, causa 16, quæst. 1; — Rota, decis. 421, n. 2, part. II recent. Quod locum habet sive ecclesia collegiata sit sæcularis, sive regularis, juxta textum in Clement. *Ut ii*, *De ætat. et qualit.* » (FAGNAN. *ibid.* n. 14.)

Universitas potest acquirere jus patronatus et parochiani possunt etiam acquirere jus patronatus suæ ecclesiæ parochialis sive in totum sive pro parte, ut habetur *in causa Aurien.* « In declaratione infra scripta, videlicet: Parochialis ecclesia de Pao Aurien. diœcesis prætenditur de jure patronatus parochianorum dictæ ecclesiæ pro quarta parte, item trium familiarum aliorum laicorum nobilium extra parochiam commorantium ex aliis duabus, nec non unius monasterii monialium pro reliqua parte. Supplicatur declarari an in hujusmodi patronatu ratione misturæ requiratur probatio de qua in cap. 9, sess. 25 ejusdem concilii, vers. *In iis vero personis*, vel sufficiat probatio, de qua supra in eod. cap. vers. *Ut igitur*, die 15 Maii 1603, sacr. congr. censuit sufficere eam probationem quæ requiritur in personis, in quibus non præsumitur usurpatio. » (FAGNAN. *ibid.* cap. *Cum propter*, n. 86.)

« Ut ex memoratis capitibus aliquis acquirat jus patronatus, requiritur ut quod dat, expresse, vel tacite animo fundandi, construendi, aut dotandi ecclesiam faciat; nam si donet, vel leget aliquid solum animo donandi, aut benefaciendi, non acquirit jus patronatus, cum potius benefactor, quam patronus censeatur, et sancti canones jus patronatus non benefactori, sed dotanti indulgeant. » (C. *Filiis* 31, causa 16, quæst. 7; et ita multi, et est sæpius decisum a Rota.) (SCHMALZ. p. IV, t. 38, *De jur. patr.* n. 34.)

« Nomine ordinarii, ut consensus ejusdem sit requirendus (in fundatione, ædificatione et dotatione ecclesiæ), venit episcopus et quilibet prælatus, jurisdictionem quasi episcopalem obtinens in loco construendæ ecclesiæ, vel capellæ, aut beneficii erigendi,

quia hic consensus est actus jurisdictionis. Ex quo fit, quod consensum hujusmodi possit dare etiam capitulum, et vicarius capitularis, sede vacante, et quivis alius prælatus habens jurisdictionem quasi episcopalem in clerum et populum: et hac auctoritate præstita, eo ipso ab ædificante, fundante, dotante acquiri jus patronatus; quia hoc ædificationem, fundationem et dotationem subsequitur. (Garc. part. v, *De benefic.*, c. 9, n. 71; Barbos. n. 31; Pal. tr. 13, d. 2, p. II, n. 8; et his testibus est decisum a Rota.) Vicarius generalis episcopi sine speciali mandato consensum istum præstare nequit... Si ordinarius requisitus consensum præstare, sine justa causa recuset, adeundus est ipsius superior, v. gr. metropolitanus, vel primas aut si exemptus sit, papa, ut compellatur ad consensum præstandum. » (Schmalz., *ibid.*, n. 37, 38 et 39.)

III. Patronorum jura duobus versiculis comprehendit Gloss. in cap. *Nobis* 25, *De jure patronat.*

> Patrono debetur honos, onus utilitasque;
> Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

Ratione patronatus debetur patrono præ aliis laicis dignior sedes in ecclesia et honoratior locus in processionibus, suscipienda pace, et thurificatione, oblatione palmarum, candelabrum, etc., ut satis colligitur ex can. *Piæ* 26, causa 16, quæst. 7, et cap. *Nobis* 25, *De jure patronat.* Potest in ecclesia patronata... ponere arma et insignia suæ familiæ. (Schmalz., *ibid.*, n. 94.) Alia patronorum jura ex jam dictis et infra dicendis satis deduci possunt.

Quoad *jus* vero præsentandi, in eo consistit ut, vacante beneficio, novum quem maluerit rectorem possit patronus ei præficere. Nam tenetur episcopus præsentatum seu designatum a patrono, in vacante beneficio instituere; nisi tamen aliqua obstaret ratio canonica; quo casu rejici quidem potest ab episcopo præsentatus; sed remanet patrono jus alterum præsentandi. De hoc fusius infra dicemus, ubi de parocho instituendo.

IV. Tandem acquiritur jus patronatus *privilegio apostolico*; acquiritur etiam *consuetudine* et *præscriptione* præsertim contra patronum, sed difficilius contra Ecclesiam. « Si (ecclesia) *libera fuit*, ut in ea præscriptum dicatur jus patronatus, opus est possessione 40 annorum cum titulo, aut, sine hoc, temporis immemorialis... *Si patronata jam fuit antea, adversus laicum* absentem 20 annis cum titulo; annis 30 præscribitur eo prorsus modo, ut alia bona et jura. *Contra ecclesiasticum*, dicendum ab ecclesiasticis præscribi annis 40, a laicis post Trident. tempore immemoriali. (Schmalz., *ibid.*, n. 166.)

V. Sex præcipue enumerantur modi, quibus jus patronatus transferri potest, scilicet per successionem hæreditariam, per donationem et legatum, per venditionem, sed accessorie tantum cum castro, cui annexum est; per mutationem, per infeudationem et emphyteuticationem, per locationem. De quibus vide auctores et præsertim Schmalz., part. IV, tit. XXXVIII, *De jure patronatus*, § 5; Ferrar., verb. *Jus patronatus*, etc., etc.)

VI. Ad Galliam quod attinet, notandum est: 1° omnia patronorum jura exstincta fuisse cum suppressione omnium ecclesiarum per Concordatum anni 1801; 2° Gubernium nequit esse patronus nec titulo fundationis, nec titulo ædificationis, nec titulo dotationis ecclesiarum; quia ex articulis 12, 13 et 14, Gubernium ob condonationem bonorum ecclesiasticorum ab ipso alienatorum, in se recepit obligationem ex justitia restituendi omnes ecclesias cultui necessarias et sustentandi omnes episcopos et parochos. Ideoque fundatio, ædificatio et dotatio ecclesiarum non est liberalitas ex parte Gubernii, sed mera restitutio de stricta justitia debita, et consequenter gubernium nequit esse nec fieri patronus in rerum statu Ecclesiarum Galliæ. Attamen Gubernium tenetur fundationem, ædificationem et dotationem ecclesiarum præstare.

3° Sæpe vero contingit ut aliquæ familiæ fundent ecclesiam, quam parochiani ædificant propriis sumptibus, et Gubernium semper dotat solvendo pensionem rectori. Cum ad hoc teneatur Gubernium, nequit fieri patronus; secus vero familiæ fundantes et parochiani ædificantes, utrique fieri possunt veri de pleno jure canonico patroni; ad hoc sufficit, ut intendant fundare et ædificare de consensu episcopi legitime petito et authentice concesso, absque alia conditione ut eruitur ex omnibus supradictis. Tuncque fundantes sicut ædificantes jus habent præsentandi rectorem ecclesiæ, et eumdem, dummodo sit canonice idoneus, instituere tenetur episcopus.

Antiqua jura patronatus in lege 12 Julii 1790

et 20 Aprilis 1791 abolita fuere ; et supremum tribunal civile (*la cour de cassation*) decrevit 18 Julii 1838 hæc antiqua jura patronorum restaurari non posse. Attamen decretum 30 Decembris 1809 aliquid jus patronatus agnovit, his verbis :

ART. 62. *Celui qui aurait entièrement bâti une église, pourra retenir la propriété d'un banc ou d'une chapelle pour lui et sa famille, tant qu'elle existera.—Tout donateur ou bienfaiteur d'une église pourra obtenir la même concession, sur l'avis du conseil de fabrique, approuvé par l'évêque et par le ministre des cultes.*

Sed quidquid leges civiles de hac re disposuerint, nunquam potuerunt sacros canones et leges ecclesiasticas abrogare ; ideoque ex hac sola conclusione incontestabili omnia jura patronalia ab ecclesia sancita et recognita semper restaurari possunt.

Præterea legem civilem 12 Julii 1790 et 20 Aprilis 1791 de jure et facto suppressit et abrogavit Concordatum anni 1801. Hæ leges enim latæ fuerunt contra antiquam Galliæ ecclesiam et ejusdem jura et prærogativas ; atqui Concordatum 1801 omnes Galliarum ecclesias cum earum juribus et prærogativis suppressit et exstinxit, novasque de integro ecclesias sub jure ecclesiæ communi creavit quas certo certius nequiverunt attingere leges 12 Julii 1790 et 20 Aprilis 1791. Ergo decretum curiæ supremæ (*la cour de cassation*) 18 Julii 1838, falso applicavit leges jam abrogatas ; ideoque nullitate laborat et nequit jurisprudentiam etiam civilem constituere.

Præterea expresse sancitum fuit per Concordatum anni 1801, quod de sua natura est lex status fundamentalis, art. 15, *ut Catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, ecclesiis consulere novis fundationibus.* Atqui pleno jure canonico jura patronorum ex fundationibus fluunt. Ergo Gubernium cum recepit et agnovit fundationum libertatem, admisit etiam jura patronalia canonice consequentia ; nulla etenim reservatio fundationum libertati apposita fuit. Ergo textu Concordati expresso jus fundationum et eo ipso jura patronalia reviviscunt pro ecclesiis Galliarum. Curia igitur suprema (*la cour de cassation*) per suum 18 Julii 1838 decretum contra legem Status fundamentalem seu Concordatum judicavit ; ideoque ejusdem judicium omnino est nullum nullamque jurisprudentiam etiam civilem introducere potuit.

Ex dictis tam jure ecclesiastico quam jure civili, ex Concordato 1801, omnia jura patronalia tum fundantium, tum ædificantium ecclesias, legitime reviviscunt in Gallia.

§ VII. — De ecclesiarum parochialium alteratione et suppressione.

I. *Quid sit beneficiorum alteratio seu mutatio.* — « Alterari dicitur beneficium, quando ita mutatur ejus status, ut ejusdem speciei esse desinat ; prout contingit, v. gr. quando ecclesia non curata mutatur in parochialem, vel simplex parochialis in collegiatam aut cathedralem. »

II. Solus papa potest aliquam ecclesiam parochialem, sive aliam, mutare in cathedralem et in collegiatam. Item solus papa potest mutare ecclesiam regularem in sæcularem, et sæcularem in regularem.

III. Potest episcopus potestate sua ordinaria mutare ecclesiam simplicem in curatam et parochialem.

IV. Episcopus nequit parochialem ecclesiam convertere in simplicem, potestate ordinaria ; quia id ei inhibetur a Tridentino, sess. 25, c. 16. Id non potest nisi ex speciali summi pontificis delegatione.

V. *Quid sit suppressio beneficiorum.* — « Suppressio est exstinctio tituli beneficialis, per quam beneficium desinit esse in rerum natura ; ejusque fructus seu redditus, si qui sunt, applicantur aliis beneficiis aut locis piis. »

VI. Potest episcopus, tum parochialem ecclesiam, tum cætera etiam beneficia supprimere, in iis casibus, in quibus potest ea aliis accessorie unire. Quippe illa unio non fit sine suppressione, et suppressionis filia est unio. — Requiri autem ad ejusmodi suppressionem eamdem justam causam, easdemque solemnitates, ac in unione accessoria, *vide* apud Leurenium. (Apud Bouix, *De parocho*, p. 299 et seq.)

CAPUT VI.

De capellis parochiarum, et de fundationibus missarum, etc., sive in capellis sive in ecclesiis parochialibus.

§ I. — De capellaniis generatim.

Ad parochiarum constitutionem attinent capellaniæ et alicujus servitii divini fundatio sive in capellis, sive in ecclesiis parochialibus. Ideoque de his tractare convenit

ad completam parochiæ constitutionis notionem.

Capellaniæ, et quæcunque servitii divini fundationes ad beneficia simplicia aliquo modo revocantur, quamvis in quibusdam differre possint.

Capellaniæ duplicis generis sunt quoad præsens propositum; vel fundantur in capellis ab ecclesia parochiali separatis, sed in territorio parochiæ, vel in capellis intra ecclesiam parochialem exsistentibus.

§ II. — De capellis separatis.

Quando rector ecclesiæ parochialis non potest sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, sive ob distantiam, sive ob difficultatem pro parochianis, et non potest tamen nova erigi parochia; tunc « remedium est, ut rector majoris ecclesiæ, si redditibus abundet, novam capellam fundet in dicta villa (seu parochia), et eam dotet pro sustentatione unius sacerdotis ibidem deputandi, et constituat ipsam capellam manualem matricis ecclesiæ ita ut illius capellanus sit ad ejus nutum amovibilis, de quibus manualibus notatur in Clement. unic. *De supplend. negl. prælat.*, et in cap. *Cum singula, De præbend*, lib. VI. (Lapus, alleg. 66. — « Item censuit sacr. congr. Concil. ad providendum necessitati parochianorum extra civitatem exsistentium, quorum parochialis est intra civitatem, novam capellam extra civitatem esse erigendam, quæ non sit ecclesia ipsa per se, sed in proprietate matricis ecclesiæ, in qua constituatur sacerdos amovibilis ab ordinario approbatus, qui administret sacramenta illis, qui sunt extra civitatem, ad quos non potest parochus in nocte, quia portæ civitatis clauduntur, accedere. Rursus *in causa Novarien.*, censuit episcopum posse compellere regulares, quibus concessa fuit parochialis ecclesia civitatis Novarien. ad erigendam novam capellam extra civitatem, ubi plures familiæ sub dicta cura exsistunt, cui capellæ possunt vel per se ipsos prævia ordinarii approbatione inservire, vel per capellanum ad nutum amovibilem. » (Fagnan. in II part. lib. III *Decretal.*, tit. *De ecclesiis ædificandis*, c. *Ad audientiam it primo*, n. 20 et 21.)

Tales capellæ possunt etiam fundari, ædificari et dotari ab aliis sive ecclesiasticis, sive laicis; tuncque, dummodo adsint conditiones a jure requisitæ; capella evadit de jure patronatus. Hæ vero capellaniæ, sicut alia beneficia ecclesiastica, debent erigi cum auctoritate expressa episcopi. « Beneficii erector, seu fundator, potest in limine erectionis, seu fundationis adjicere quascunque qualitates, leges et conditiones sibi bene visas, etiam juri communi contrarias, dummodo non sint turpes, impossibiles, et contra naturam juris patronatus, et ab episcopo sint concordatæ et admissæ. (C. *Significatum* 11, *De præbend.*; c. *Præterea* 22, *De jure patronat.*; et c. *Quanto* 16, *De censib.* Et est communis doctorum cum Rota, decis. 1, *De præb. In novis*, et alibi.) Et tales qualitates, leges et conditiones in limine fundationis adjectæ debent omnimode integre observari. Clement. *Quia contingit*, c. 2; c. *Nos quidem* 3, *De testament.*) Et expresse conc. Trident. sess. 25, c. 5, præcisis his verbis : *Ratio postulat ut illis quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur, quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certo illis onera sunt injuncta, in beneficiorum collationes, seu in quacunque alia dispositione eis non derogetur.* Et in fine : *Aliter facta provisio subreptitia censeatur.* — Unde infertur quod patronus hæres, sive fundatoris successor, non potest neque cum consensu episcopi alterare seu mutare leges, conditiones, seu qualitates in limine fundationis a fundatore oppositas, quamvis juri communi contrarias. Et Fagnanus, in c. *Conquerente* 6, *De clericis non resident.* n. 24, dicit sacr. congr. censuisse quod hodie ex decreto concilii Tridentini, sess. 25, cap. 5, *De reform.*, non sit in facultate ordinarii derogare qualitatibus in fundatione appositis etiam de consensu patronorum, ut etiam dixit Rota in Alexandrina, *Decanatus*, 12 Junii 1595, coram Orano. Imo neque ipse fundator etiam de consensu episcopi potest mutare leges et conditiones a se in fundatione positas et ab ordinario acceptatas, si talis mutatio esset in præjudicium ecclesiæ, vel tertii, quia Trident. et declarationes cit. sacr. congr. non distinguunt inter patronum viventem et defunctum. Secus vero si mutatio esset in favorem ecclesiæ.

« Unde episcopus, neque de consensu et positivo voluntate hæredis, seu patroni, potest quoquomodo testatoris voluntatem immutare nec etiam in erectione capellaniæ, seu

beneficii eis injungere onus residentiæ, quod testator non injunxit ; nec addere quod beneficiatus, sive capellanus pro tempore per se ipsum missas celebret. (S. congr. Concil. pluries, apud Ferrar. verb. *Beneficium*, art. 2, n. 19.) — Nec episcopus, etiam de consensu patroni, potest reducere et moderari missas in limine fundationis beneficii impositas, quamvis redditus ipsius beneficii ob temporum injuriam sint diminuti, ex decreto de celebratione missarum a sacr. congr. Concil. de mandato Urbani VIII, edito 2 Junii 1625, et confirmato ab Innocentio XII 23 Decemb. 1697 ; in cujus decreti § 1, sic præcise habetur : *Districte prohibet, atque interdicit ne episcopi in diœcesana synodo aut generales in capitulis generalibus vel alias quomodolibet reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem concilium imposita, aut in limine fundationis, sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis ad apostolicam sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur. Alioquin reductiones, moderationes, et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit :* Et clarissime habetur in declarationibus sacr. congr. Concilii eidem decreto subjunctis, quod sedes apostolica sit omnino adeunda pro hujusmodi missarum reductionibus, seu moderationibus, ut patet in responsione ad hoc primum dubium : « Quæritur, quid si legatum sit ita tenue, ut non sit qui velit onus illi injunctum subire, et si recurrendum sit ad sedem apostolicam pro moderatione oneris, totum aut fere totum insumendum sit pro expensis ad id necessariis ? » — Ad primum respondit : Etsi legatum sit adeo tenue, nihilominus pro reductione oneris, ut supra impositi ab iis ad quos pertinet, sedem apostolicam esse adeundam, quæ absque ulla impensa id statuet quod magis in Domino e re esse judicaverit. » Et sic stat clarum quod episcopus nequit ullimode onera et missas reducere ac moderari, nisi sit ei concessum in ipsa beneficii erectione, ex citata responsione sacr. congr. ad primum dubium, ubi sic expresse subjungit : « Verumtamen si in ipsa beneficii erectione expresse cautum fuerit, ut liceat episcopo injunctum onus reducere ac moderari, legem hanc fundationis, quam decreta hac de re non sustulerunt, esse validam et observandam. » (Huc usque Ferr. v. *Beneficium*, art. 2.)

« Licet testator, seu fundator possit in limine fundationis adjicere quascunque leges, et conditiones sibi benevisas, etiam juri communi contrarias, requiritur tamen quod tales leges et conditiones non sint contra naturam capellaniæ, et juris patronatus, et quod sint ab episcopo concordatæ et admissæ. (C. *Significatum* 11, *De præbend.* ; c. *Præterea* 23, *De jure patronat.*, et c. *Quando* 16, *De censib.* et est communis doctorum cum Rota decis. 1, *De præb. in novis*, et decis. 2 *De testament. in antiq.*) Unde non potest episcopus ullimode excludi a collatione, seu institutione talis capellaniæ gentilitiæ, seu juris patronatus, etiamsi fundator in ejus fundatione asseruerit, quod episcopus nequeat se ingerere ; et si se ingesserit, institutio capellani nullius sit roboris : talis enim capellania, hoc non obstante, subsistit ; nam quod de jure non tenet, vinculo pœnæ nequit constringi.. Unde cum talis conditio a testatore, seu fundatore posita, esset contra naturam veræ capellaniæ, ex quo requiritur quod vera capellania conferatur a solis Ecclesiæ prælatis, eorumque officialibus. (C. *Ex frequentibus* 3, *De institutionibus* ; c. *Si quis deinceps* 12 ; c. *Si quis clericus* 16 ; c. *Constitutiones* 17 ; c. 18 et 20, causa 16, quæst. 7.) Ideo habenda esset pro non adjecta. (Communis.) (Ferrar. verb. *Capellania*, n. 7 et seq.)

§ III. — Quotuplicis generis sint capellaniæ.

Capellaniæ sunt in triplici differentia : scilicet capellaniæ mercenariæ, capellaniæ collativæ, et capellaniæ gentilitiæ seu juris patronatus.

I. *Capellaniæ mercenariæ* sunt illæ, quæ ita instituuntur, ut non conferantur sacerdoti in titulum, sed eligatur ad implendum munus impositum a testatore, ita tamen, ut possit ad nutum hæredis removeri. Ut cum, v. gr. testator relinquit laico bona temporalia cum onere faciendi celebrari in tali altare certas missas a sacerdote sibi bene viso ; et hac ratione capellania dicitur mercenaria, cum missæ celebrentur recepta mercede sine titulo, et tunc bona relicta pro hoc onere remanent in sua temporalitate, nec episcopus potest se intromittere. Licet enim talia bona sint affecta onere missarum, possiden-

tur tamen a laico, et sub ejus sunt regimine et dispositione, ut notavit Gamma in decis. 288, n. 4, arg. text. in l. fin. c. *De ben. vacant.* lib. x. Et tales capellaniæ dicuntur etiam manuales, et ad nutum revocabiles, quia in alterius manu, et dispositione stat illa relinquere, vel auferre, et istæ, rigorose loquendo, non sunt proprie beneficia ecclesiastica, cum de natura beneficii ecclesiastici proprie dicti sit, ut institutum perpetuo duret. (C. *Sanctorum* 2, dist. 70.)

Ad hujusmodi capellanias, seu fundationes revocantur bona temporalia a testatore seu fundatore relicta fabricæ ecclesiæ cum onere faciendi celebrari certas missas a sacerdotibus parochialibus. Attamen in his fundationibus episcopus potest et debet se intromittere.

II. *Capellaniæ collativæ* sunt illæ, quæ ita sunt institutæ, ut conferantur in titulum, ut cum, v. gr. testator reliquit bona temporalia, ut ex eorum redditibus celebrari debeat in tali altare missa quotidiana, vel certus missarum numerus singulis annis, quam capellaniam debet hæres cum episcopi auctoritate erigere, et fundare, quia nullus privatus sine ordinarii auctoritate potest locum sacrum, vel rem spiritualem constituere. (Arg. c. *Ad hoc, De religios. domib.*) Si enim episcopi auctoritas, et assensus in erectione deficeret, non dicerentur beneficia ecclesiastica proprie dicta. (Arg. c. *Nemo* 9, dist. 1, *De consecrat.*; Rota part. II, recent. decis. 371, n. 3.) Dicuntur autem collativæ, quia ad episcopum pertinet eas conferre, et quamvis nominatio ad easdem capellanias possit esse a laico, non potest testator apponere conditionem, quod episcopus se non intromittat ad conferendum, supposito quod sint institutæ cum recensitis conditionibus per text. cap. *Si quidem* 2, causa 10, quæst. 1.

III. *Capellaniæ gentilitiæ seu juris patronatus* sunt ejusdem rationis cum collativis, hoc solum adjecto, ut ad hæredes, seu electos, seu vocatos a testatore pro tali jure patronatus, pertineat jus nominandi ad hujusmodi capellanias, servatis, quæ in hoc genere quoad nominationem servanda sunt. Licet enim nominatio fiat a patrono, institutio tamen, seu collatio ad episcopum pertinet. (Ferrar. verb. *Capellania*, num. 1 et seq.)

Omnes hujusmodi capellaniæ erigi possunt et fundari sive in capellis separatis, sive in capellis intra parochialem ecclesiam; sed semper ab ecclesia parochiali dependent.

Aliquando etiam capellæ separatæ non habent peculiarem sacerdotem, sed reguntur a parocho et sacerdotibus parochialibus.

Capellaniæ aliæ habent obligationem residendi, aliæ vero non habent; aliæ sunt perpetuæ, aliæ manuales; et his applicanda veniunt jura de beneficiis manualibus, quæ falso applicantur parochiis. Leges capellaniarum desumendæ sunt ex earum fundatione, et jure communi.

§ IV. — De jure capellaniarum.

I. Capellania erecta in una ecclesia non potest sine necessitate transferri de jure communi ad aliam ecclesiam; etiamsi sit capellania de jure patronatus. Et ratio est, quia capellania collativa procul dubio est affixa ecclesiæ; est enim beneficium ecclesiasticum, quod erigi non potest nisi ad altare. (C. *Nemo* 9, dist. 1, *De consecrat*) Eo ipso tamen quod altare erigitur, remanet affixum ecclesiæ, in qua erigitur. Unde Tridentinum sess. 25, *De reform.* cap. 5, supra *citatum*, jubet quod his capellaniarum, seu beneficiorum erectionibus non derogetur. . . Missarum enim onera relicta in determinata ecclesia, seu capella, non possunt alio transferri absque Sedis apostolicæ licentia. (Ex sacr. congr. Concil. *in Hispalen.*, 30 Sept. 1580; et *in Brixien.*, 1 Decemb. 1684.) Imo neque nuntius apostolicus potest concedere indultum, quod missæ celebrandæ in loco a testatore designato alibi celebrentur. (S. congr. Concil. *in Genuen.*) 18 August. 1703.) Alias translatio esset nulla, quamvis fieret auctoritate exsecutorum testamentariorum, qui talem facultatem expressam non haberent. (S. congr. Concil. *in Derthonen.*, 4 Julii 1701.) Videtur tamen esse a sancta sede indulgendum, ut capellania jurispatronatus possit transferri de loco ad locum, ut de facto fuit indultum : ut revera censuit sacr. congr. Concil. *in Viterbien.*, 25 Jun. 1663. (Ferrar. verb. *Capellania*, n. 13 et seq.)

II. Convenit capellania cum beneficio in eo, quod in utroque certum sit sacrum officium obeundum, aut saltem religiosa, vel pia quædam munera exercenda, adeo ut capellanus ea non implens removeri ab

jure capellaniæ possit, monitione tamen præmissa, nisi fundator jure ipso capellanum a capellania cadere voluisset. Deinde illud est et beneficiis et capellaniis commune, ut certa quoque in capellaniis constituta sint bona, quasi dos a capellano in perpetuo possidenda, nisi fuerit amovibilis ex lege fundationis.

E converso, a beneficio capellania differt primum in eo, quod beneficium ecclesiasticum clerico semper concedatur, at capellania non semper clericum exigat possessorem ... potissimum autem discrimen, ... illud est, quod beneficium vere inter jura ecclesiæ recenseatur, et titulus semper penes ecclesiam sit, manente administratione generali penes ecclesiæ prælatum, licet identidem reserventur quædam jura honorifica gratia patronorum; at capellania proprie non est inter jura ecclesiastica, cum titulus remaneat penes fundatorem, sive iste laicus sit, sive ecclesiasticus...

III. Item etiam capellania distinguitur ab anniversariis. Commune est et capellaniæ, et anniversario, et piis relictis, ut perpetua censeantur, quoscunque hæredes, etiam seros obligatura, nisi expresse constet aliter fundatorem voluisse... Distat vero capellania ab anniversariis cæterisque relictis piis defunctorum, quod in capellania certi fundi demonstrantur, atque a patrimonio seu hæreditate fundatoris segregantur, quasi dos ejusdem capellaniæ adsignata capellano; sed in anniversariis, cæterisque piis relictis præcipua habetur personalis obligatio hæredibus imposita, etiam sine ulla designatione certorum fundorum; quod si quando contingat certos fundos pro exsecutione pii relicti demonstrari a testatore, hæc demonstratio est tantum ut noverint hæredes ex quibus fundis luere quantitatem debeant, fundosque designatos, causa pii relicti hypotheca obligatos esse. Ex quo proficiscitur capellaniam prorsus exstingui, ubi fundi perierint, quanquam non pereant cætera pia relicta etiam pereuntibus fundis, causa exsecutionis aut hypothecæ demonstratis, manente semper in hæredibus quibuscunque personali obligatione; proficiscitur insuper fundos capellaniæ assignatos alienari non posse sine solemnitatibus requisitis in alienatione rerum ad rempublicam pertinentium, et sinè causæ cognitione; e contrario alienari posse ab hæredibus fundos demonstratos pro anniversariis cæterisque piis relictis sine ulla solemnitate, et sine causæ cognitione, nisi aliud fundatorem voluisse probetur, manente tamen penes hæredem alienantem personali obligatione. (Ferrar. verb. *Capellania*, Additiones Casinenses, ex Berardi Commentariis, n. 61 et seq.)

IV. Capellæ debent reparari sumptibus patronorum et possessorum ex bonis capellaniam fundantibus, et etiam ubi hæc bona non sufficerent ex oblationibus. Posset etiam episcopus capellanum astringere (non censuris) ad providendum de proprio paramenta, ut respondit sacr. congr. Episcoporum *in Surrentina*, 11 Aprilis 1589, apud Ferrar. v. *Capellanus*, n. 25.

§ V. — De capellaniis ad parochiam essentialiter pertinentibus.

In quibusdam Galliarum regionibus multæ sunt capellæ in territorio parochiarum ædificatæ et parochiæ pertinentes. Ex his capellis aliquæ servant adhuc bona beneficialia sive capellaniæ, quæ alienata non fuerunt ante Concordatum anni 1801; proindeque hæc bona temporalia, sive fundi, ad capellam pertinent, et ejusdem sortem sequuntur. Nequit igitur episcopus has capellas earumque fundos transferre de una ecclesia parochiali ad aliam, nisi in casibus a jure permissis, et cum juris solemnitatibus. (C. *Non licet* 1, tit. XIII, lib. III *Decretal.*) Nequeunt bona temporalia harum capellaniarum possideri ab una ecclesia parochiali seu fabrica ejusdem, dum servitium spirituale et divinum per alterius parochiæ sacerdotes adimpleretur et ab iisdem capella repararetur. Ideoque missæ fundatæ et alia servitia divina debent in his capellis celebrari, et redditus percipi a sacerdotibus parochiæ cui capellæ fuerunt annexæ.

Alienatio, usurpatio et detentio bonorum temporalium hujusmodi capellarum et capellaniarum stricte subjacentur sanctionibus, censuris et pœnis a sacris canonibus latis contra alienantes, usurpantes, detinentes bona ecclesiastica, sicut et contra consulentes et clericos consentientes alienationi, usurpationi seu detentioni. (Causa 12, quæst. 2 per totum; lib. III *Decret.* tit. XIII *De rebus Ecclesiæ alienandis vel non;*

c. *Non licet* 1, et per totum; in *Sexto*, lib. III, tit. IX; *Extravag. com.* lib. III, tit. IV; c. *Ambitiosæ;* et *Trident.* sess. 22, *De reform.* c. 11 *Si clericorum*, et bulla, *Pastoralis*, in Cœna.

CAPUT VII.

De promotione et institutione parochorum, et electione vicariorum curatorum, sive perpetuorum sive revocabilium.

§ I. — Ad quem pertineat potestas rectores parochiis præficiendi.

I. Universalis ecclesia catholica est quasi diœcesis et parochia summi pontificis; nam papæ a Christo concessum esse in omnibus beneficiis jus plenum seu summum, absolutamque potestatem, et plenariam dispositionem tenent omnes catholici, juxta caput 2 *De præbendis;* « ita ut non solum dicatur beneficiorum *administrator absolutus*, ut cum Divo Thoma, 2-2, quæst. 100, ad 7; tam theologi omnes quam canonistæ, sed etiam *dominus* ... in tantum ut, ubi constat de ejus voluntate, frustra quæratur de potestate, stante ei in his pro ratione voluntate... Quemadmodum enim, quandiu beneficium persistit in suo esse, negari non potest papæ absoluta ejus administratio, ita nec absolutum dominium respectu ipsius formæ seu tituli beneficialis; qui uti creatur per papam, ita et per illum destrui et annihilari potest. Utitur proinde papa jure suo, nec alterius juri contravenit aut detrahit, dum fructus beneficiorum gravat pensione, etiam invito beneficiato, aut alteri ecclesiæ applicat ... dum beneficia quæcunque, in quantumcunque alienis diœcesibus (quanquam totus terrarum orbis stet papæ pro diœcesi) confert. Quin et utendo hac libera et plena dispositione, beneficiatum, etiam sine causa, privare potest beneficio. Garcias, part. V, c. 1, n. 2, addens hinc omnia beneficia respectu papæ esse manualia. Sed neque prærogativam hanc et potestatem ullum ei concilium adimere et minuere, aut restringere potest : aut etiam papa concedens ordinariis aliisque facultatem conferendi beneficia, se privat aut privare potest dicta potestate a Christo accepta. » (Leuren. *Forum beneficiale*, part. II, quæst. 512, et unanimis doctorum.)

Ex hac doctrina catholica consequitur omnia beneficia ecclesiastica cum cura aut sine cura, quocunque nomine nuncupentur, non posse valide et licite conferri nisi juxta leges pontificias collationem et institutionem regulantes.

II. Quoad vero ecclesias parochiales et curatas sunt ex lege canonica aut liberæ collationis, aut juris patronatus, vel juris unionis et vicariatus curati.

« Dicitur beneficium aliquod esse *collationis liberæ*, quando potest quis, independenter a quolibet alio, quem voluerit (ex iis tamen qui requisitas a jure qualitates habent), huic beneficio præficere, seu illud ei conferre. E contra dicitur non esse collationis liberæ, quando, etsi quis possit contribuere ut aliquis beneficio donetur, non tamen per se solum et independenter ab aliis potest facere ut is beneficium obtineat. Sic, verbi gratia, quando parochia vacans est juris patronatus, nequit patronus eam novo rectori conferre, sed duntaxat eum præsentare : atque item episcopus nequit quem voluerit, parochiæ proficere, sed duntaxat præsentatum a patrono instituere. . . (Idem dicendum est de vicariis curatis) parochiarum alicui capitulo, monasteriove, aut beneficio unitarum. (Bouix, *De parocho*, p. 302.)

III. Atqui multiplex distinguitur jus Romani pontificis beneficia conferendi : potest nimirum ea conferre :

1. « *Jure concursus*, quatenus tanquam episcopus universalis, ordinarius ordinariorum, et totius orbis, in quo (veluti in capite et origine) residet ecclesiastica jurisdictio, et potestas ordinandi ecclesias, *concurrit* cum cæteris omnibus collatoribus inferioribus in provisione beneficiorum quorumcunque, etiam in mensibus ordinariis ordinariorum, hoc est, a jure illis concessis. Non enim nisi cumulative cum papa pro his mensibus ordinarii habent facultatem conferendi; dum papa pro his mensibus non abdicavit a se totaliter potestatem conferendi, aut manus sibi ligavit;

2. « *Jure devolutionis*, dum ex causa aliqua a collatoribus inferioribus ad papam fit devolutio juris conferendi;

3. « *Jure præventionis*, dum nimirum præveniendo vacationem beneficii, mandat hac vacatione subsecuta conferri, vel etiam ipse ex tunc confert certæ personæ;

4. « *Jure reservationis*, dum confert certa

beneficia, quæ ipse sibi privative reservavit.» (Leurenius, *For. benef.* p. II, quæst. 513.)

« De jure papali *concursus* et *præventionis* non est cur fusius disseramus, cum de facto Sedes apostolica hoc jure uti non soleat. Item quoad *jus devolutionis*, sat erit hic generatim adnotasse fieri ad papam devolutionem, quando inferiores, ad quos pertinebat beneficii collatio, illud conferre neglexerunt intra tempus a jure præscriptum, vel eo modo contulerunt, quem jus irritat, et propter quem devolutionem decernit. » (Bouix, *De parocho*, p. 312.)

At vero de jure pontificio *reservationis*, quoad parochiarum cæterorumque beneficiorum collationem, exponenda est doctrina catholica, quia materia hæc quotidianam praxim attingit.

§ II. — De jure reservationis.

Romano pontifici competere jus sibi reservandi beneficiorum cujuslibet diœcesis collationem, omnino certum est, ex præfatis.

I. *Quid sit reservatio?* — Solet describi reservatio, « beneficii vacaturi ad se avocatio, vi cujus nimirum ligantur manus aliis omnibus collatoribus, subduciturque beneficium ordinariorum potestati (qua alias, cessante hac avocatione, quilibet episcopus in suo episcopatu beneficia omnia conferre potest), ita ut attentata jam ab aliis provisio evadat nullius valoris... verum melius videtur definiri a Lottero...: interdictum papæ, factum inferiori circa usum potestatis ordinandi beneficium, gratia providendi bene meritis... (Leurenius, *Forum benef.* part. II, quæst. 522.)

II. *Varii reservationis modi.* — « Quando papa ponit actum aliquem, ex quo sequitur beneficii reservatio (v. gr., quando beneficium, statim ac vacabit, concedit alicui), ille reservationis modus dicitur *affectio*, et tunc beneficium dicitur *affectum*; nequit scilicet ordinarius collator de eo disponere, quia jam de eo papa disposuit. Unde *reservatio* solet fieri verbali dispositione, qua declarat summus pontifex se sibi tale beneficium reservare, et solet esse pro semper, seu quoad omnes in perpetuum beneficii vacationes; *affectio* vero fit facto aliquo et dispositione transitoria; qua scilicet semel expleta et beneficio iterum vacante, jus suum recuperat ordinarius collator.» (Bouix, *De parocho*, p. 314.)

III. *Causa reservationis.*—Respondit Leurenius : « Causam finalem reservationum esse bonum commune reipublicæ ecclesiasticæ, deque elegantissime discurrentem et defendentem reservationes apostolicas contra obtrectatores earum, ex verbis ipsiusmet Pii V. vide Lotterum, lib. II, quæst. 36, potissimum a n. 12. *Prima* itaque causa est, quod, cum ad papam spectet remunerare bene meritos de Ecclesia, præsertim qui sibi aut suis antecessoribus servierunt et erga egentes clericos, qui undequaque ad Sedem apostolicam confluunt, se liberalem exhibere iisque subvenire. Hinc, inquam, æquum fuit amplissimam esse papæ potestatem, beneficia vacantia, quasi bona communia, aliis conferendi; adeoque et quamplura earum suæ collationi reservandi. *Altera* causa est, ut ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum toto orbe existentium major sit communicatio cum Ecclesia Romana omnium matre, dum non solum in spiritualibus, sed et in temporalibus beneficiorum proventibus ab ea dependent. Quo enim in pluribus ab ea dependent et ad eam confugere debent, eo magis reverentur et amant, et in eis quæ ad fidem, mores et sacra ministeria spectant se ei submittunt.» (*Forum benef.* part. II, quæst. 525.)

IV. *Reservationes in corpore juris sancitæ.* — Ex legibus in corpore juris clausis, non reperitur nisi unica reservatio proprie dicta, beneficiorum nempe quæ vacant *apud Sedem apostolicam* seu *in Romana curia*. Capite 2, tit. IV, lib. III *Decretal.* in *Sexto*, sic decernitur : *Licet ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad romanum noscatur pontificem pertinere, ita quod non solum ipsa cum vacant potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis; collationem tamen ecclesiarum, personatuum, dignitatum et beneficiorum apud Sedem apostolicam vacantium, specialius cæteris antiqua consuetudo Romanis pontificibus reservavit. Nos itaque laudabilem reputantes hujusmodi consuetudinem et eam auctoritate apostolica approbantes ac nihilominus volentes ipsam inviolabiliter observari, eadem auctoritate statuimus, ut ecclesiæ, dignitates, personatus et beneficia, quæ apud sedem ipsam deinceps vacare contigerit, aliquis præter*

Romanum pontificem (quacunque super hac sit auctoritate munitus, sive jure ordinariæ potestatis ipsorum electio, provisio seu collatio ad eum pertineat)... conferre alicui seu aliquibus non præsumat. Nos enim si secus actum seu attentatum decernimus irritum et inane.

Item in VI Decretalium, c. 34, *De præbendis*, sic occurrit a Bonifacio VIII decretum: *Præsenti declaramus edicto, statutum felicis recordationis Clementis papæ prædecessoris nostri, de beneficiis apud Sedem apostolicam vacantibus, per alium quam per Romanum pontificem minime conferendis, locum habere in beneficiis, quæ legati aut nuntii sedis ejusdem, vel quivis alii ad romanam curiam venientes, vel etiam recedentes ab ipsa, obtinere noscuntur, si eos in locis vicinis ipsi curiæ mori contingat, quemadmodum si in loco ubi eadem curia residet, morerentur... loca vero intelligantur vicina eidem curiæ in præmissis quæ remota ultra duas dietas legales a loco ubi moratur ipsa curia non existunt.*

Beneficium igitur vacare dicitur in curia Romana, seu apud Sedem apostolicam, quando possessor hujus beneficii moritur: 1° in eo loco ubi residet pontificia curia; 2° in loco ubi papa resideret etiam absque sua curia; 3° si beneficiatus, veniens ad Sedem apostolicam, aut ab ipsa recedens, moriatur in loco non plus distante quam duobus dietis, id est, quadraginta millibus passuum.

Certa est generalis regula, parochiarum, sicut et cæterorum beneficiorum, in curia Romana vacantium collationem esse Romano pontifici de jure communi reservatam; si quidem hoc in citatis duobus decretalibus decernitur de *ecclesia* et *beneficiis* absque distinctione; ac proinde etiam de curatis seu parochialibus.

Dari tamen ad prædictam generalem regulam nonnullas exceptiones, tradunt communiter canonistæ. Excipiuntur nempe: 1° beneficia collata quidem, sed nondum acceptata; 2° ecclesiæ cathedrales et abbatiæ vacantes in curia, aliæque dignitates electivæ; 3° beneficia ad nutum revocabilia, sive sæcularia sive regularia; 4° beneficia juris patronatus laicalis; 5° beneficia regularia; 6° beneficia parochialia vacantia in curia *dum Sedes apostolica vacat.* (*Vide* apud LEURENIUM, *For. benef.* part. II, quæst. 534.)

Dum autem parochia vacans in curia et reservata Sedi apostolicæ, non confertur a papa intra mensem, a die vacationis computandum, cessat reservatio, et eam ordinarius collator conferre potest; ut expresse habetur quoad omnia generaliter beneficia, sancitum a Gregorio X in concilio generali Lugdunensi cap. *Statutum* 3, *De præbendis* in VI *Decretalium*.

V. *Reservationes ex cancellariæ regulis.* — 1. Per primam cancellariæ regulam, reservata Sedi apostolicæ declarantur beneficia omnia, quæ ab ordinariis aliisve collatoribus contra præscriptam a Tridentino synodo formam collata fuerint; ibi: *Et ea etiam beneficia omni dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos ordinarios aut alios collatores, contra ejusdem concilii decretorum formam, dispositum fuerit.* Quod ad parochias applicando, si de iis ordinarius collator disposuerit contra Tridentinæ synodi decreta, verbi gratia, eas conferendo absque prævio concursu, vel ætatem requisitam non habentibus, etc., jus suum collationis amittit; nec poterunt jam ejusmodi parochiæ ab alio quam a Romano pontifice conferri. (LEUREN. *Forum benefic.* p. 2, q. 543, n. 3.)

2. Reservatur parochiarum collatio vi regulæ nonæ, quæ dicitur regula *de mensibus*. In hac regula sic disponitur: *Cupiens sanctissimus dominus noster papa pauperibus clericis et aliis bene meritis personis providere, omnia beneficia ecclesiastica cum cura et sine cura, sæcularia et quorumvis ordinum regularia, qualitercunque qualificata, et ubicunque exsistant, in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Junii, Augusti, Octobris et Novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum, extra Romanam curiam, alias quam per resignationem quocunque modo vacatura, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem et quamvis aliam dispositionem quorumcunque collatorum... quomodolibet pertinentia, dispositioni suæ generaliter reservavit...*

Insuper Sanctitas Sua, ad gratificandum patriarchis, archiepiscopis et episcopis intenta, ipsis, quandiu apud ecclesias aut diœceses suas vere ac personaliter resederint duntaxat, de omnibus et quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, cum cura et sine cura, sæcularibus et regularibus (ad liberam ipsorum duntaxat, non autem aliorum cum eis,

dispositionem... pertinentibus), quæ in antea in mensibus Februarii, Aprilis, Julii, Augusti, Octobris et Decembris, extra curiam ipsam vacare contigerit..., libere disponendi facultatem concedit...

Illi vero qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes litteras, manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, et in sua quisque civitate vel diœcesi datas declarare, et litteras ipsas huc ad Datarium Sanctitatis suæ transmittere teneatur.

Ex hac lege ecclesiastica hæc deducuntur.: 1° « nisi acceptata fuerit ab episcopis alternativa, parochiæ quæ vacant in aliquo ex supra nominatis octo mensibus, conferri nequeunt nisi a Romano pontifice. Quæ autem vacant in quatuor aliis mensibus, a collatoribus ordinariis conferri possunt; modo tamen ex alio aliquo titulo (verbi gratia, ex eo quod vacent in Romana curia) non sint apostolicæ Sedi reservatæ.

2° « Si acceptetur ab episcopo alternativa, tunc parochiæ (quæ, seclusa reservatione papali, pertinerent ad liberam episcopi collationem) conferri poterunt ab episcopo, si vacent in aliquo ex mensibus sex, in secunda parte regulæ designatis; si vero vacent in sex aliis mensibus, ad Romanum pontificem earum collatio pertineat.

3° « Quando parochiæ vacantis collatio ad papam pertinet, non ideo omittendus est concursus; sed etiam tunc instituendus est, ut dicetur postea.

4° « Sub hac regula de mensibus, non comprehendi parochias juris patronatus, neque etiam beneficia ad nutum amovibilia, vide probatum a Leurenio, *For. benef.* p. II, quæst. 556. » (Bouix, *De parocho*, p. 321 et seq.)

VI. *Reservationes quoad Gallias.* — Ex hodierno jure particulari Galliarum videtur parochiarum et beneficiorum aliorum collatio non reservari ex jure communi, nec ex regula cancellariæ nona de mensibus. Articulo enim decimo Concordati anni 1801, a Pio papa VII per bullam *Ecclesia Christi* confirmati, sic statuitur: *Episcopi ad parœcias nominabunt; nec personas seligent, nisi Gubernio acceptas.* Porro ex isto textu, qui nullam distinctionem, nec exceptionem, nec reservationem inducit, colligendum videtur omnium Galliæ parochiarum collationem ad episcopos, absque ulla pontificia reservatione, pertinere.

« Idem suadetur ex Concordato Pium VII inter et Napoleonem inito, quatuor post annis, quoad rempublicam Italicam. Ibi nempe expressis terminis Sedes apostolica episcopis tribuit jus parœcias omnes conferendi: *Sanctitas Sua concedit episcopis jus conferendi parœcias, quæ quovis anno tempore erunt vacaturæ.* Porro verisimile non est alio sensu intelligendam esse formulam *Ad parœcias nominabunt*, in Concordato anni 1801 adhibitam. » (Bouix, *De parocho*, pag. 324.)

Præterea in decreto erectionis uniuscujusque cathedralis, die 10 Aprilis 1802, cardinalis legatus Caprara, ex auctoritate pontificia episcopis concedit « ut præter collationem parœciarum eo modo qui in supra memorata conventione ac in præsenti decreto statutus est, quæcunque alia cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata juxta formas relate ad-Gallias ante regiminis immutationem statutas, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus, » conferre pleno jure possint. Atqui per rubricam II Concordati anni 1516 vigentis usque ad Concordatum 1801, suppressæ fuerunt quoad Gallias omnes reservationes, præter canoniam pro dignitatibus, et mandata aliqua apostolica pro tempore unius pontificatus, reservata per rubricam IV ejusdem Concordati anni 1516 Patet igitur ex textu Concordati 1801 et tituli cathedralium a legato Caprara editi, reservationes juris communis et regulæ nonæ cancellariæ de mensibus non habere locum pro Galliis et aliis regionibus, quarum Ecclesiæ ex dicto Concordato anni 1801 reguntur.

Aliter autem dicendum videtur de reservationibus per primam cancellariæ regulam statutis. Istæ enim reservationes positæ sunt ad tuenda concilii Tridentini decreta, ad sacros canones firmandos; sunt pœnæ contra collatores formam canonicam et Tridentinam violantes latæ, ad corruptelam disciplinæ ecclesiasticæ consuetudinem removendam et abolendam. Non sunt meræ et proprie dictæ reservationes, sed sanctio et tutamen sacrorum canonum; ideoque comprehendi non possunt in concessionibus Concordati anni 1516, et tanto minus quod concilium Tridentinum posterius sit dicto Concordato,

et tamen observatum fuerit in Galliis quoad formam concursus pro parochialibus ecclesiis. Atqui pœna contra violantes decreta Tridentini concilii lata post Concordatum anni 1516 non potuit per dictum Concordatum abrogari; et de facto hæc disciplina viguit in Galliis, non obstante dicto Concordato, ut constat ex multis decretis sacr. congr. Concil. super causis concursus ad parœcias Galliarum. v. gr. in *Tarraconensi*, 2 Decemb. 1634, et 12 Martii 1635; in una *Senonensi*, 19 Febr. 1628. (Apud Ferrar., verb. *Concursus*, art. 3, et alibi.)

Quocunque tandem titulo beneficium quodcunque sit papæ reservatum, nemo potest defectu potestatis illud conferre; in jure vero particulari Galliarum hodierno reservationes titulo devolutionis, et reservationes per primam cancellariæ regulam statutæ videntur solæ in ecclesiis Galliarum obligare.

§ III. — Jure pontificio ad episcopos pertinet potestas rectores parochiis præficiendi.

I. Quis dicatur ordinarius collator? — « Respondeo : Ille qui jure proprio beneficia confert, tametsi jurisdictionem nullam habeat, et sive hanc potestatem conferendi habeat a jure, sive ex præscriptione, consuetudine, privilegio. » Et sic in specie capitulum, dum legitime justificavit privative ad episcopum, venire sub nomine ordinarii collatoris, ait cardinalis De Luca, *De beneficiis*, discurs. 31, n. 15. (Leuren. *Forum beneficiale*, part. II, quæst. 664.)

II. « Episcopus inter collatores ordinarios primum locum habet; utpote cui ex jure communi, et ratione episcopatus, concessa est hæc potestas conferendi beneficia diœcesis suæ, juxta cap. *Omnes basilicæ;* cap. *Nullus omnino*, causa 16, quæst. 7; cap. *Conquerente, De officio ordin.;* cap. *Ex frequentibus*, *De instit.* Cum interim collatoribus aliis, quales sunt abbates, priores, collegia canonicorum, etc., ea potestas potius ex præscriptione, consuetudine, privilegio, quam de jure competat. Ac proinde cessantibus reservationibus, omnium beneficiorum in diœcesi exsistentium collatio de jure communi spectat ad episcopum, isque de iis conferendis de jure communi fundatam intentionem habet (sub limitatione tamen et exceptione danda inferius circa beneficia ecclesiæ cathedralis). Idque non solum ratione beneficiorum tunc exsistentium, sed et in posterum erigendorum. Neque solum respectu sæcularium, sed et regularium beneficiorum hoc jus commune ei assistit : hoc tamen ipsum... intelligitur de non exemptis. » (Id. *ibid.* quæst. 665.)

III. « Tametsi hoc jus beneficia conferendi bene dicatur originari in episcopo a jure communi, non tamen originatur in episcopis immediate (sicut in papa), sed defluxive; nimirum defluere a papa in eos, utpote in quo sola hujus potestatis plenitudo residet, cui omnes alii episcopi subsunt tanquam membra, et vocati in partem sollicitudinis. » (Id. *ibid.* quæst. 666.)

Hæc potestas episcopi circa conferenda beneficia, « nullatenus, saltem proprie, ad potestatem jurisdictionis spectat, seu competit ei, jure magistratus. Non enim omnia quæ magistratui alicui competunt, competunt ei jure magistratus; sed aliqua competere possunt a lege, citra imperium et jurisdictionem. Multoque minus hæc potestas est potestas ordinis; cum (ut dicitur, cap. *Nosti*, *De elect.*) conferre possit statim ac electio ejus fuit confirmata, etsi nondum sit consecratus; sed est accidentalis cujusdam potestatis, eodem nihilominus tempore impressæ, quo imprimuntur jurisdictionalia; nimirum ex speciali concessione legis, nempe capitis *Omnes basilicæ*. » (Id. *ibid.* quæst. 667.)

IV. « Præmissa hac Leurenii doctrina, quæ communiter a canonistis tradi solet, facilis jam præsentis quæstionis solutio.

I. Nempe nequibit episcopus parochiam vacantem conferre, si reservata sit Romano pontifici, juxta normam superiori capite expositam.

II. Pertinere potest parochiæ alicujus collatio ad alios quam ad episcopum, quamvis episcopo inferiores; jure scilicet præscriptionis, consuetudinis, aut privilegii; quo etiam casu non poterit episcopus eam conferre.

III. Quando autem parochia vacans, neque est reservata Sedi apostolicæ, neque ullus alius jus suum conferendi probare potest, hoc ipso ad episcopum collatio pertinet. Tunc scilicet episcopus, ex sola episcopatus sui ratione, et quin ullo speciali ad hoc titulo indigeat, hanc potestatem habet ex jure communi, dummodo ejus electio confirmata fuerit et possessionem cœperit; sed non ante. (Bouix, *De parocho*, p. 327.)

V « *An hodie in Gallia præter episcopos*

alii existant parochiarum collatores? Respondendum negative; ob expressam nempe Concordati anni 1801 dispositionem, *Episcopi ad paræcias nominabunt*. Quæ verba excludunt (ut superiori capite diximus) quamlibet pontificiam reservationem, necnon simul quemlibet alium collatorem... » (Ita Bouix. *De parocho*, p. 327.) Contra quem videtur, ut supra annuimus, dicendum quod de jure vigeant in Galliis : 1° reservationes devolutionis, et reservationes pœnales ex regula cancellariæ prima; 2° quod jus patronatus sive ex fundatione, sive ex ædificatione, subsistere et exerceri possit in Galliis, præter forte in parochiis a Gubernio recognitis, ut parochiæ (*de canton*), in quibus solis clausula *episcopi ad paræcias nominabunt et eeligent personas Gubernio acceptas*, habet locum et difficultatem facere potest. Quod etiam tamen nobis discuti posse videtur.

De cætero D. Bouix excipit parochias alicui capitulo vel monasterio unitas. Cur vero parochias de jure patronatus non exceperit, cum de jure communi adsint æquales rationes excipiendi, nescimus. nisi ex indulgenda omissione.

§ IV. — De potestate vicarii generalis episcopi quoad paræciarum collationem.

I. Ex eo solo quod sit vicarius generalis, neque parochias, neque ulla beneficia conferre potest; sed eget ad hoc speciali concessione.

II. Potest tamen ratione vicariatus sibi concessi sine speciali mandato, dum beneficium vacat et non providetur de rectore, vel rector impeditus est, constituere vicarium, qui beneficium regat et animarum curæ prospiciat; quia hæc designatio rectæ episcopatus administrationi necessaria est, et non est collatio. Leuren. *ibid.* q. 682, n. 3.)

§ V. — De potestate capituli et vicarii capitularis circa eamdem collationem.

Capitulum et vicarius capitularis, sede vacante, conferre non potest parochias cæterave beneficia, quæ sunt liberæ collationis episcopi. « Licet enim capitulum succedat in iis quæ episcopo jure ordinario competunt, attamen collatio beneficiorum casus unus est, isque præcipuus, ab ista regula exceptus, per caput 2, tituli, *Ne sede vacante* et caput unicum ejusdem tituli, in sexto. » (Leuren. *ibid.* quæst. 708.)

« Parochiæ autem, cæterave beneficia ad liberam episcopo collationem pertinentia, quando vacante Sede episcopali vacant, de jure communi reservantur sedi apostolicæ, non autem successori episcopo; ita scilicet disponente regula 2 cancellariæ. » (Leuren. *ibid.* quæst. 709.)

« At vero hodie in Gallia, ejusmodi parochiarum collatio videtur ad successorem episcopum pertinere; ob memorata nempe Concordati anni 1801 verba, *Episcopi ad paræcias nominabunt*. Hac enim formula videtur Romanus pontifex renuntiasse etiam juri suo conferendi parochias, episcopali vacante sede, vacantes. Et sic in praxi rem a tempore dicti Concordati intellectam fuisse certum est... Unde (nec capitulum) nec ipse (vicarius capitularis) potest parochias conferre; sed duntaxat vicarium in eis constituere, usque dum de parocho provideantur. » (Ita Bouix, *De parocho*, pag. 330.)

Attamen vicarius capitularis potest concursum ad parochiales vacantes tempore sedis vacantis facere, ut poterat episcopus, servata forma sacr. concil. Trident. sess. 24, c. 18 *De reform.* et magis idoneum eligere et approbationem ad sanctissimum Dominum, ejusque eminentissimum cardinalem datarium mittere pro confirmatione electionis. (Ita declaravit sacr. congr. Episc. *in Ravennaten.*, 3 Februar. 1624, et sæpe alibi.) Tota enim jurisdictio capituli sede vacante ad vicarium capitularem devolvitur. (Bened. XIV, *De synod. diœces.* lib. IV, c. 8, § 10; et ita decisum a sacr. congr. Concil. refert fuse Fagnan. lib. III *Decret.* in cap. *Illa* 2, *Ne sede vacante*, n. 18 et seq.)

§ VI. — Quis valeat constitui parochus seu de requisitis ad parochiale officium qualitatibus.

I. Pro parocho, (et vicario curato), quocunque nomine nuncupetur, eligi debet persona idonea, quæ in propria parochia residere, et per seipsum animarum curam exercere valeat, ut colligitur ex c. *In parochia* 31, causa 16, quæst. 1; c. *Cum in cunctis* 7, *De elect.*; c. *Eam te decet* 4, *De ætat. et qualit.*; c. *Quia nonnulli* 3, *De clericis non resident.*; c. *Grave nimis* 28, *De præbend.*; c. *Licet canon* 14, *De elect.* in 6, cum similibus, juncto concil. Trident., sess. 7, *De reform.* c. 3.

« Idonea persona in hac materia dicitur prædita ætatis maturitate, morum gravitate

et litterarum scientia. Cap. *Cum in cunctis* 8, *De elect*, ibi : *Alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipit, sed nec parochialis ecclesiæ regimen, nisi qui* 25 *annum ætatis attigerit, et scientia, et moribus commendandus exsistat.* (Cum similibus.)—(Ferrar. verb. *Parochus*, num. 11 et 12.)

II. « Non obstante canonistarum controversia, ob praxim et decisiones sacræ congr. Concilii, dicendum est, neque minores ordines requiri, ut quis in parochum constitui valeat; sed sufficere simplicem tonsuram. (Fagnan. in c. *Præterea, De ætat. et qualit.* n. 8.) Omnino vero requiritur ut qui parochiam, nondum sacerdos, obtinuit, presbyteratus ordinem recipiat *intra annum a die adeptæ pacificæ possessionis computandum.* » (C. *Cum in cunctis* 7, *De elect.*, et expressius in c. *Licet* 15, eod. titulo in 6.)

III. Requiritur ut parochi sciant inter peccata distinguere, evangelium declarare, sacramenta rite administrare. (*Trident.* sess. 24, c. 18, *De reform.*) Adeoque major in iis requiritur scientia quam in simplice sacerdote.

« Nota, ait Fagnanus, in 1 part. lib. III *Decret.* tit. *De præbendis;* cap. *Exstirpandæ*, n. 14, nullam vel modicam peritiam æquiparari, quod bene probat littera ibi, *Nullam vel modicam.* Imo secundum Abbat. n. 3, interdum deterius est habere modicam peritiam, quam nullam; quia modica aliquando in errorem perducit; sed prorsus ignarus consulit alios. Sed modicam intellige, id est minus sufficientem, et infra mediocritatem; alioquin contra, ut in cap. *Nisi cum pridem*, § *Pro defectu, supra de renunt.*, per quem textum Baldus ibi ait : *In prælato desideratur scientia eminens ; competens tamen toleratur ; sed nihil sciens debet deepiscopari.* . . Idem Fagnanus in 1 part. lib. V *Decret. De magistris;* c. *Super specula*, n. 12, ait : Joan. Monic. in cap. *Super specula*, n. 1, dicit : *Cum indigentiæ Ecclesiæ sit subveniendum, ipsa est personis litteratis implenda, non nepotulis, nec asinis deferratis.* » Item Ancharanus et Geminius in 2 notab. dicunt : *Nota quia Ecclesia Dei summe indiget viris litteratis, non porcis, vel asinis ferratis, et ob eorum carentiam dicitur sustinere jacturam.* (Ut in dict. c. *Cum ex eo, De elect.* in 6.)

De jure communi non requiritur ut sint in sacris facultatibus doctores vel licentiati. De cætero æstimanda etiam necessaria parocho scientia ex conditione parochiæ cui præficiendus est, prout dicetur infra, ubi de forma concursus in provisione parochiarum vacantium observanda.

IV. In Galliis tamen videtur quod ecclesiæ civitatum parochiales debeant conferri tantum graduatis. Ex titulo enim omnium cathedralium a legato Caprara edito, omnia beneficia cum vel sine cura debent conferri *juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas...* Atqui ante regiminis immutationem, ex Concordati anni 1516 rubrica III ecclesiæ parochiales in civitatibus aut muratis oppidis debebant solummodo graduatis conferri. Ergo hodierno jure debent eædem parochiales graduatis conferri.

§ VII. — De canonica forma constituendi parochos.

I. *Tridentina lex de servanda in constituendis parochis concursus forma.* — Sic decretum fuit in cap. 18, sess. 24, *De reformatione :*

« Expedit maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis parochias gubernari : idque ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit sancta synodus, ut cum parochialis ecclesiæ vacatio, etiamsi cura ecclesiæ vel episcopo incumbere dicatur, et per unum vel plures administretur, etiam in ecclesiis patrimonialibus seu receptivis nuncupatis; in quibus consuevit episcopus uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen teneri mandat, per obitum vel resignationem, etiam in curia seu aliter quomodocunque contigerit, etiamsi ipsa parochia ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium seu abbatum, vel capitulorum; debeat episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur. Porro episcopus et qui jus patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus ab episcopo præscribendum, idoneos aliquot clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis

examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cujuslibet ætate, moribus et sufficientia fieri diligens inquisitio. Et, si episcopo aut synodo provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum publicum vocentur, qui volent examinari. Transacto constituto tempore, omnes qui descripti fuerint, examinentur ab episcopo, sive, eo impedito, ab ejus vicario generali, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus, quam tribus; quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit episcopus, vel vicarius, quibus magis videbitur. Examinatores autem singulis annis in diœcesana synodo, ab episcopo vel ejus vicariis, ad minus sex proponantur, qui synodo satisfaciant, et ab ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet ecclesiæ, tres ex illis eligat episcopus, qui cum eo examen perficiant; indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat. Sint vero hi examinatores, magistri, seu doctores, aut licentiati in theologia, aut jure canonico; vel alii clerici, seu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam sæculares, qui ad id videbuntur magis idonei, jurentque omnes ad sancta Dei Evangelia se, quacunque humana affectione postposita, fideliter munus exsecuturos. Caveantque ne quidquam prorsus occasione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant; alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrant; a qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quomodocunque etiam antea obtinebant; et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in synodo provinciali, si opus fuerit, rationem reddere teneantur; a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter ejus arbitrio puniri possint. Peracto deinde examine renuntientur quotcunque ab his idonei judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis; ex hisque episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit; atque illi, et non alteri, collatio ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si vero juris patronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad episcopum et non ad alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab episcopo, erit facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. Quod si jus patronatus laicorum fuerit, debeat qui a patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis, ut supra, examinari, et non nisi idoneus repertus fuerit, admitti. In omnibusque supra dictis casibus non cuiquam alteri, quam uni ex prædictis examinatis, et ab examinatoribus approbatis, juxta supradictam regulam, de ecclesia provideatur: nec prædictorum examinatorum relationem, quominus exsecutionem habeat, ulla devolutio aut appellatio, etiam ad Sedem apostolicam, sive ejusdem Sedis legatos, aut vicelegatos, aut nuntios, seu episcopos, aut metropolitanos, primates, vel patriarchas interposita, impediat aut suspendat; alioquin vicarius, quem ecclesiæ vacanti antea episcopo arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsan postea deputabit, ab ejus ecclesiæ custodia et administratione non amoveatur, donec aut eidem aut alteri, qui probatus et electus fuerit, ut supra, sit provisum; alias provisiones omnes seu institutiones, præter supradictam formam factæ, subreptitiæ esse censeantur: non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, præventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscunque. Si tamen adeo exigui redditus dictæ parochiales fuerint, ut totius hujus examinationis operam non ferant; aut nemo sit, qui se examini quærat subjicere; aut ob apertas factiones seu dissidia, quæ in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixæ ac tumultus possint excitari; poterit ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen, cæteris tamen, ut supra, servatis adhibere. Licebit etiam synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda remittendave esse censuerit, providere. »

II. *Constitutio* S. Pii V, *In conferendis.* — Hac constitutione Tridentinam legem magis determinavit in pluribus dispositionibus, ut sequitur :

« In conferendis beneficiis ecclesiasticis et præsertim parochialibus ecclesiis personnis

dignis et habilibus, quæ in loco residere, et per seipsos curam exercere valeant quantam diligentiam adhiberi oporteat, Alexandri III in Lateranensi, et Gregorii X in Lugdunensi generalibus conciliis, Innocentii similiter III, et aliorum Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum editæ constitutiones testantur ; quod, ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit etiam synodus Tridentina, ut..... Sed quoniam res humanæ semper in deterius prolabuntur, nisi sit qui eas retineat, ac debitæ exsecutioni demandet, et verendum sit, ne propter constitutionum hujusmodi transgressionem maximi abusus oriantur ; nos ad quorum notitiam non sine gravi molestia pervenit, nonnullis ex venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis occurrente vacatione parochialium ecclesiarum, eas nullo, aut minus rite servato examine, præsertim illo, quod per concursum fieri debet ex concil. Trident., vel etiam examine rite servato, personis minus dignis, carnalitatis, aut aliæ humanæ passionis affectum, non rationis judicium sequentes contulisse, et de eis providisse; volentes quantum cum Domino possumus, hujusmodi, atque etiam futuris periculis occurrere, eorumdem prædecessorum nostrorum constitutiones præfatas etiam innovando, auctoritate apostolica tenore præsentium.

« 1. Omnes et singulas collationes, provisiones, institutiones parochialium ecclesiarum ab eisdem episcopis et archiepiscopis, quibusvis aliis collatoribus, tam ordinariis quam delegatis, etiam S. R. E. cardinalibus, ac Sedis apostolicæ legatis, vel nuntiis præter et contra formam ab eodem concilio Tridentino, præsertim in examine per concursum faciendo præscriptum, factas, aut in futurum faciendas, *nullas, irritas, ac nullius roboris, vel momenti, fore et esse, nullumque provisis jus, aut titulum, etiam coloratum possidendi præbere.*

« 2. Et parochiales ecclesias hujusmodi, quæ vacabant, extunc vacare statuimus, decernimus et declaramus, easque omnes eorum, quibus jus conferendi eas, præterquam episcopis et archiepiscopis, qui curam dicti examinis juxta decretum ejusdem concilii habere debent, competet, dispositioni reservamus.

« 3. Insuper ne parochiales ecclesiæ diu in suspenso maneant, in maximum animarum periculum, quarumcunque parochialium ecclesiarum, quarum, dum pro tempore vacant, ad episcopos, etc.; et quosvis alios ordinarios collatores, in mensibus ordinariis collatoribus etiam per nostras regulas assignatis provisio et collatio spectat et pertinet, de quibus eisdem episcopi et ordinarii intra sex mensium spatium a die vacationis earumdem, perfecto examine, juxta formam concilii Tridentini, non providerint, ac illarum etiam, quarum collatio nobis, et dictæ sedi generaliter, vel specialiter ex quavis causa reservatæ, seu affectæ exsistunt, aut aliis ex indulto Sedis apostolicæ competunt, ad quas occurrente illarum vacatione episcopi, et archiepiscopi præfati personas pro examine concursu mutuo habito juxta dicti concilii Tridentini formam approbatas, et magis idoneas non elegerint, aut electas nobis vel successoribus nostris, aut iis, ad quos collatio spectabit pro collatione obtinenda, intra quatuor mensium spatium a die illius vacationis non significaverint, necnon parochialium ecclesiarum similium, quæ juris patronatus ecclesiastici, vel laicorum, vel clericorum et laicorum simul fuerint, si præsentatus intra tempus eisdem patronis a jure præfixum, prævio examine juxta formam dicti concilii approbatus petatur institui, institutioque ipsa per duos menses a die præsentationis dilata fuerit, collationem, provisionem, institutionem, ac omnimodam dispositionem *nobis, et ipsi sedi, ac personis* indulta hujusmodi conferendi, providendi ac instituendi obtinentibus, *respective reservamus*, data tamen in parochialibus juris patronatus optione ipsis patronis, ut si institutio ad ordinarios spectabit, ipsis ordinariis illam facere negligentibus, et ultra dictos duos menses differentibus, possint pro hujusmodi institutione obtinenda habere recursum ad metropolitanum, vel viciniorem ordinarium, aut ad Sedem apostolicam.

« 4. Prohibentes etiam eisdem ordinariis, ne tempus decem dierum eisdem ordinariis, et patronis, ab eodem concilio Tridentino ad nominandum idoneos clericos coram deputatis examinatoribus præfixum, ultra alios decem dies prorogare audeant, vel præsumant.

« 5. Districtius inhibentes, ne quis præter Romanum pontificem aut alios indulta hujusmodi obtinentes, ut præfertur, quacunque sit super hoc auctoritate munitus, de hujusmodi beneficiis sic reservatis, ut præfertur, disponere, vel circa illa, etiam per viam per-

mutationis vel alias innovare quoquomodo præsumat.

« 6. Ut autem non solum dignis, sed magis idoneis repertis juxta ejusdem concilii decretum parochiales ecclesiæ conferantur, volumus, et eadem auctoritate declaramus quod si episcopus, minus habilem, posthabitis magis idoneis, elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint, a mala electione hujusmodi ad metropolitanum, vel si ipse eligens metropolitanus aut exemptus fuerit, ad viciniorem ordinarium uti nostrum, et sedis hujusmodi delegatum, aut alias ad ipsam sedem apostolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis judice, et ejus examinatoribus provocare, et constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, parochialis magis idoneo per eumdem judicem appellationis auctoritate nostra (quatenus collatio ad episcopum, a quo appellatum fuit, spectaret) conferantur; alias eidem magis idoneo per judicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, provisio, vel institutio spectabit. Hæc tamen appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat, quominus electio per ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur exsecutioni, et provisus ab eadem ecclesia, causa appellationis hujusmodi pendente, non amoveatur. Et si quis a sententia per judicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad sedem ipsam apostolicam appellabit.

« 7. Si secus in præmissis omnibus, et singulis actum, et attentatum fuerit, irritum decernimus et inane. — Volumus, etc. — Datum Romæ anno ab Incarnatione Dom. 1566, 15 Kal. April.

III. Innocentius XI eorum damnavit opinionem, qui tenebant a Tridentina synodo præscribi duntaxat eligendum ab episcopo dignum, non autem digniorem. (Propositio 47, inter damnatas die 9 Maii 1679.)

IV. *Epistola encyclica methodum ac normam præscribens observandam ab omnibus episcopis, aliisque prælatis facultatem habentibus indicendi concursum ad parochiales ecclesias, in examine, sive concursu ad easdem ecclesias quoties earum vacatio contigerit, instituendo,* — Clementis XI auctoritate firmata, et a sacra congregatione Concilii die 10 Januari 1721 edita et ad locorum ordinarios transmissa, tenoris sequentis :

« Reverendissime domine, uti frater. Quo parochiales ecclesiæ dignioribus personis gubernandæ traderentur, statuit, ut notum est, sacrosancta Tridentina synodus (sess. 24, c. 18) ut, vacante ecclesia parochiali, indiceretur et fieret concursus; ac, postquam concurrentes ab episcopo, vel ejus vicario generali, atque ab examinatoribus synodalibus saltem tribus, examinati et approbati essent, episcopus eum eligeret, quem ætate, moribus, doctrina, prudentia aliisque rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam necessariis et opportunis, digniorem cæteris magisque idoneum judicaret. Adjecitque ad hanc concilii sanctionem validius confirmandam, re et nomine sanctissimus pontifex Pius V, quod, si unquam episcopus minus habilem, postpositis magis idoneis, elegisset, possent ii, qui rejecti essent, a mala ejusmodi electione ad metropolitanum, vel, si ipse eligens metropolitanus aut exemptus foret, ad viciniorem ordinarium, ut sedis apostolicæ delegatum, vel alias ad ipsam sedem apostolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis judice, et ejus examinatoribus, provocare : ea tamen cautione, ut appellatio non in suspensivo, sed in devolutivo esse deberet; quemadmodum in ejus constitutione quæ 33 est, latius cavetur ; concludendo quod, constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, parochialis ecclesia magis idoneo conferatur.

« Cum autem neque concilii decreto, neque pontificis bulla, examinis in concursu peragendi forma, seu methodus ulla certa ac peculiaris servanda proponatur, difficile dictu est quanta examinum aliorum alibi diversitas exstiterit, atque hinc occasio querelarum. Nam alicubi cum non eædem omnibus quæstiones, non iidem casus propositi fuissent, erant identidem qui, vel in judicio, vel extra conquererentur, sibi quidem postpositis difficiliores, præelecto autem faciliores ad solvendum quæstiones obtigisse. Alibi vero eædem quidem omnibus quæstiones propositæ fuerunt, sed neque hæc, neque datæ a concurrentibus responsiones, scripto seu litteris consignabantur. Cumque postmodum, nec raro contingeret, ut e postpositis quispiam, jure bullæ supradictæ, novum ad examen coram judice appellationis, ejusque examinatoribus, electum provocaret, sacra congregatio usque ab

anno 1603, considerans gravamen non alia ratione, quam novo examine probari posse, provocationem ad novum examen censuit admittendam, gravamine necdum probato, et requisitis tantummodo probationibus in subsequenti judicio : in quo, probato per novum examen appellantis gravamine quoad doctrinam, probanda superest ejusdem præ jam electo in reliquis ad regendam ecclesiam requisitis præstantia, ut de majore alterutrius ad parochialis ecclesiæ gubernium idoneitate sententia ferri possit; cum non continuo, si quis est doctior, is etiam aptior, seu magis idoneus ad id regimen habeatur, vel etiam habendus sit. Quam sacr. congr. sententiam scriptores et tribunalia laudarunt. Aliis demum in diœcesibus laudabilis invaluit consuetudo, ut eædem omnibus quæstiones, iidemque casus proponantur, ac (ne qua detur ansa cancellario quidquam suo marte addendi, minuendi, mutandi) ut ipsimet concurrentes, qui interrogati fuerint, quæque responderint, sua manu perscribant. Atque ordinarii, qui morem hunc longe optimum in examinando tenuere, sacr. deinde congr. etiam atque etiam considerandum reliquerunt, his qui sic examinati essent atque postpositi, in posterum, ut solent, appellantibus, indulgenda necne statim electi novum ad examen provocatio, nulla gravaminis prærequisita probatione, videretur; cum isti ex actis primi examinis gravamen doctrinæ facile alioquin probare possint; quod alii, aliter nimirum examinati, probare, nisi secundo seu novo examine, non poterant. Nec defuere alii probitatis ac peritiæ in administrandis diu ecclesiis laude præstantes, qui monerent, frenum aliquod hujusmodi appellantium licentiæ tandem injiciendum, eorumque jam nimis crebras novum ad examen provocationes esse reprimendas; quippe quæ vix unquam sine magno ecclesiarum damno contingunt. Nam cum novum examen coram judice appellationis longe procul a parochia peragendum sit, electus ab episcopo qui provocatur, parochiam quam possidet cogitur interea temporis deserere, eamque œconomo, vel vicario cuipiam, veluti sponsam ignotis custodibus relinquere, sponsc non parumper, sed diu sane abfuturo; dum nempe, implicita, ut fit, lite, terna etiam vel quaterna alia ex aliis examina, super præstantia primum doctrinæ, tum deinde aliorum quæ ad integrandam idoneitatem opportuna sunt, contentiose multiplicentur, et commode, ne dicam otiose, transigantur, antequam deliberari possit utri concurrentium parochia sit adjudicanda.

« Ad tollendam ejusmodi non minus querelarum, quam incommodorum occasionem, sacra congregatio concilii Tridentini interpres, postquam rem omnem a capite repetitam in gemina sessione, 1 Octobris et 16 Novembris 1720, summo studio recognovit, tandem, Sanctissimo etiam annuente, statuit (quod per præsentes litteras encyclicas exsequitur) omnes et singulos episcopos aliosque prælatos, penes quos sit jus et auctoritas faciendi concursum, hortari ut examen ejusmodi instituere non graventur, quale jam et multæ diœceses, et Urbs ipsa observat, atque apostolica etiam Dataria postulat, sive cum, sede vacante, vacat aliqua ecclesia parochialis, cujus collatio ad sedem apostolicam pertineat, sive cum vacat parochialis aliqua, ut dicitur, juxta decretum, sive demum, cum vacante in collegiatis, aut cathedralibus ecclesiis dignitate aliqua majori, annexam habente curam animarum, faciendus est concursus, atque ad apostolicam Datariam transmittendus, ut notum est, atque in litteris, quæ de ordine Sanctissimi tunc e Dataria prodeunt, clare præscribitur.

« Vacante itaque ecclesia parochiali, quæ conferenda sit per concursum, atque hoc solitis formulis indicto, hæc quæ sequuntur, ex sacr. congr. sententia, consilio, suasione, servanda proponuntur.

« Primum nempe, ut assignentur eædem omnibus concurrentibus quæstiones, iidem casus, iidemque textus Evangelii, super quo sermonis aliquid perscribant, ad probandam dicendi pro concione facultatem.

« Alterum ut casus et quæstiones resolvendæ dictentur omnibus eodem tempore, atque omnibus pariter eodem tempore textus Evangelii tradatur.

« Tertium, ut certum idemque omnibus spatium temporis constituatur, intra quod casus resolvant, quæstionibus respondeant, conciunculam componant.

« Quartum, ut eodem concurrentes omnes in conclavi claudantur, unde quandiu scribent (dabitur enim omnibus scribendi copia), nemo eorum egredi, neque alius quispiam eo ingredi possit, nisi postquam scripta confecerint et exhibuerint.

« Quintum, ut omnes sua quisque manu tum responsa, tum sermonem scribant subscribantque.

« Sextum, ut responsa quidem Latine, sermo autem ex qua ad populum haberi solet lingua subscribatur.

« Posterum, ut unumquodque responsum, et unusquisque sermo, cum ab unoquoque concurrentium exhibebitur, non solum ab eo qui scripsit, atque a cancellario concursus, verum etiam ab examinatoribus, et ab ordinario, vel ejus vicario, qui concursui interfuerunt, subscribatur.

« Peracto secundum hanc formulam concursu, collataque ei qui magis idoneus ac dignior judicatus fuerit, ecclesia parochiali, non admittatur appellatio, aut a mala relatione examinatorum, aut ab irrationabili judicio episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur.

« Si quis autem hoc intra spatium appellaverit, actaque concursus petat ad judicem appellationis transferenda, mittantur vel acta ipsa originalia concursus clausa, et obsignata vel certe unum aliquod authenticum eorum exemplum, a cancellario concursus, atque altero notario collatum, et auscultatum coram vicario, vel alio in ecclesiastica dignitate constituto, quem eligat ordinarius, ad quem etiam notarii cancellario adjungendi electio pertinebit; necnon ab examinatoribus synodalibus, qui concursui interfuerunt, subscriptum.

« Ex quibus actis, vel authentico eorum exemplo, nisi gravamen quoad doctrinam probet is, qui sic, ut præmittitur, examinatus, aut a mala relatione examinatorum, aut ab irrationabili judicio episcopi appellaverit, novum ad examen provocandi facultatem a sacr. congr. frustra postulabit.

« Quemadmodum et in judicio appellationis persequi jus suum frustra tentabit is, qui forte se gravatum doleat quoad reliqua, nisi, interposita mature, ut dictum est, appellatione ab irrationabili judicio episcopi, gravamen quoad illa ostenderit, vel ex actis primi concursus, vel saltem ex attestationibus et documentis, extrajudicialibus etiam, sed non levibus. Atque ita quidem sensit sacr. congr., et sanctissimus assensit.

« At si quis tamen ordinariorum aliter, ac supra descriptum est, concurrentium examina instituere perrexerit, perget et sacra ipsa cong. more pristino appellantibus, qui se gravatos dixerint, provocationem ad novum examen, nulla gravaminis prævia probatione, indulgere. Interim tamen, ne harum litterarum memoria dilabatur, vult eadem sacra congregatio eas in uniuscujusque ordinarii cancellaria perpetuo conservari. Cujus interea consilium, tum voluntatem, dum ego omnibus significo, amplitudini tuæ fausta omnia e cœlo precor. Romæ hac die 10 Januarii 1721. »

Uti frater.

P. M. card. Corradinus præfectus.

P. Lambertinus secretarius. »

Has encyclicas sacr. congr. litteras inseruit Benedictus XIV constitutioni suæ *Cum illud*, quæ est sexagesima octava in ipsius Bullario.

V. *Ultima concursus forma a Benedicto XIV statuta.* — Id præstitit clarissimus pontifex citata jam pluries constitutione *Cum illud;* ubi postquam ostendit statutam normam adhuc indigere aliquo complemento et moderamine, sic rem totam auctoritate apostolica ordinat et servandam præscribit:

« Ut in hujusmodi negotio apte omnia atque composite peragantur, officii nostri duximus eum vobis, venerabiles fratres, gerendarum rerum ordinem præscribere, quem longo usu utilem agnovimus instituendis animarum rectoribus, qui credito sibi gregi præesse et prodesse possint.

« 1. Episcopus, habita notitia vacationis ecclesiæ, statim, ad præscriptum Tridentini, idoneum in ea deputet vicarium, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provideatur.

« 2. Publico evulgetur edicto notitia concursus congruo et ab episcopo præfinito tempore celebrandi : eodemque edicto omnes clare et aperte moneantur, ut interim decurrente termino assignato, coram cancellario episcopali, vel altero ab episcopo deputando, suarum qualitatum, meritorum et munerum probationes, attestationes tam judiciales quam extrajudiciales, aliaque id genus documenta, quæ fraude vacent, exhibeat: alioquin, dicto termino elapso, documenta hujusmodi, quæcunque et qualiacunque ea sint, nullatenus recipientur.

3. Eveniente die concursus, a cancellario episcopali singulorum merita, qualitates et requisita (ut vocant), incorrupta fide deprompta a juribus tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur. Porro,

copia epitomes tradetur non solum episcopo, vel vicario generali vices illius obeunti, sed sigillatim omnibus examinatoribus ad concursum ascitis, ut cum de scientia, tum de vita, moribus, aliis regendæ ecclesiæ necessariis dotibus ferant judicium.

« 4. Die præstituta ab episcopo habeatur concursus, servata accurate in omnibus forma tradita in supra relatis litteris (sacr. Congr. numero præcedenti transcriptis) anno 1721 editis, totaque rerum in eo gestarum series scriptis diligenter enucleetur. Porro examinatores, ad assequendam certam et indubiam conjecturam scientiæ, postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in evolvendo explicandoque ore tenus aliquo ecclesiasticæ doctrinæ capite, vel a sanctis Patribus, vel a sacro concilio Tridentino, vel a catechismo romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas responsiones quæstionibus propositis ; et postquam demum deprehenderint qua quis polleat gravitate sententiarum, et elegantia sermonis in conciuncula, scripto pariter exarata, et textui evangelico, vel alteri dato themati accommodata ; parem, ni forte majorem solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis ; morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, præstita hactenus Ecclesiæ obsequia, acquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinæ arcto fœdere consocianda ; hisque omnibus conjunctim expensis, inhabiles per sua suffragia rejiciant, et idoneos episcopo renuntient.

« 5. Absoluto concursu ab episcopo, vel, impedito, a vicario generali una cum examinatoribus synodalibus, non paucioribus quam tribus, notula compendiaria requisitorum antea distributa tradatur cancellario, qui illam comburat, vel penes acta secreta custodiat, et nemini ostendat, nisi de mandato episcopi, vel ejus vicarii generalis. Subinde ordinarius, cum primum ei libuerit, eligat ex approbatis digniorem ; nec illi possessio ullo appellationis vel inhibitionis obtentu retardetur.

« 6. Si quem clericum appellare contigerit a mala relatione examinatorum, vel ab irrationabili judicio episcopi coram judice appellationis acta concursus integra omnino producat. Et judex, nisi illis visis, et gravamine comperto, sententiam non pronuntiet. Præterea in ferenda sententia ac reparando gravamine, idem judex innitatur solummodo probationibus ab actis elicitis, tam respectu doctrinæ, quam aliorum meritorum. Quia vero, a publica indictione usque ad diem habiti concursus, tantum temporis intercessit, quantum satis fuit commode exhibendis necessario juribus, attestationibus, requisitis, aliisque meritorum documentis, idcirco, ut quævis via fraudibus præcidatur, volumus ac districte mandamus, ne dictæ attestationes, fides, tam judiciales quam extrajudiciales, et documenta quæcunque studiose conquisita, et post concursum (ut aiunt) exspiscata, ullo modo recipiantur : non obstantibus supra memoratis litteris a congr. Concil. Tridentini interprete anno 1721 editis, quibus ad præmissorum effectum in hac parte derogamus. Illis tamen in reliquis, una cum omnibus in eis contentis, firmiter in suo robore permansuris.

« 7. Ubi vero episcopus, posthabito uno vel altero ex approbatis, ecclesiam contulerit magis idoneo, ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari oportere judici appellationis, ad detergendam injustæ fortasse præelectionis notam ; familiaribus litteris judicem certiorem efficiat, inviolabilis secreti lege adjecta. Sciant porro judices, delatas ab episcopo causas et rationes inviolabilis secreti fide esse custodiendas ; nec parvi pendendum esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere..

« Si vero episcopo fuerit suspecta fides judicis ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit hujusmodi occulta rationum momenta, illa significet secretis litteris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali præfecto pro tempore congr. Concil. ; qui nec consilio, nec auctoritate deerit, quominus a judice appellationis debitus justitiæ locus tribuatur..

« Ubi a judice appellationis lata sit sententia, quæ præelectioni factæ ab episcopo omnino sit conformis, nullus pateat novæ appellationi aditus, sed auctoritate rei judicatæ controversiæ finis imponatur. Sin vero judex appellationis aliter quam ordinarius pronuntiaverit, liceat præelecto ab episcopo, qui causa cecidit, ad alium judi-

cem appellare, firmiter interim retenta parochialis ecclesiæ possessione. Tandem postquam tertius quoque judex sententiam dixerit.., is legitimum regendæ ecclesiæ jus obtineat, cui duæ conformes assistunt sententiæ, nec ullum novæ appellationis remedium succumbenti suffragetur.. »

Quoad casum vero quo parochiæ vel beneficii curati collatio est, quacunque ex causa, sedi apostolicæ reservata, decernit Benedictus XIV in hunc modum :

« Nos prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, præcipimus et mandamus ut concursus ab episcopo.., indicatur, nulla ad hunc actum petita venia vel licentia, quam nostris hisce litteris tributam episcopi intelligant. Absoluto concursu, si res sit de beneficiis curatis quæ tantum *ratione mensium* reservata sint, episcopus inter approbatos eligat magis idoneum, et datariæ significet. Nec acta concursus transmittat, nisi a dataria, cum id opportunum duxerit, requiratur. Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet animarum, *ex alio quovis capite quam mensium apostolicorum*, sanctæ sedi reservata sint, eo sane casu, veteri non immutato more abstineat episcopus a ferendo dignioris judicio, et acta concursus ultro datariæ exhibeat. »

§ VIII. — Series actuum et requisitorum pro canonica parochorum institutione.

Ex legibus supra transcriptis sequuntur plures in praxi utiles notatu deductiones.

1. *De examinatoribus synodalibus.* — Examinatorum synodalium electio fieri debet nomine et cognomine, non vero titulo officii seu dignitatis tantum expresso, et clero synodoque congregato nominatim, non autem in genere proponendi sunt, ut ab eodem approbentur, alias illorum deputatio nulla esset, et nullum foret examen concursus peracti coram examinatoribus male in synodo deputatis. (S. congr. Concil. 14 Februar. 1693 ; Rota 4 Maii 1693 ; Monacel. tit. v, form. 3, n. 16 ; Ferrar. verb. *Examinatores*, n. 23, et multi ab ipsis citati.) Ideoque sequentem electionis formulam proponit Monacellus, ibid. :

Cum ex concil. Trident. sess. 24 cap. 18, pro ecclesiis parochialibus vacantibus in diœcesana synodo ab episcopo ad minus sex viri qui sint magistri, seu doctores, aut licentiati in theologia vel jure canonico, ex clero seculari, vel regulari proponi debeant, ut ab eodem synodo probentur, nos Tridentinum decretum exsequi volentes, pro diœcesis nostræ amplitudine delegimus, et vobis proponimus infra scriptos R. R. viros, quorum officium duret, et munus hoc examinatorum synodalium gerant, donec altera synodus habeatur, videlicet :

Rev. D. Paulus Fuschus I. U. D. protonotarius apostolicus, cathedralis ecclesiæ archidiaconus.

Rev. D. Joseph Allegrinus I. U. D. canonicus theologus cathedralis.

Rev. P. theologiæ professor, et magister Dominicus Sanctorius ordin. prædicat.

Rev. D. I. U. D. Petrus Vignatus parochus Ecclesiæ S. N.

Rev. N., etc.

« Quibus nominibus per se ipsum episcopum vel synodi secretarium intelligibili voce recitatis (si nolit ut per secreta suffragia approbentur, quod demandare potest, sed per vota aperta) dicat : *Placentne vobis*, et si responsum fuerit : *Placent*, adnotari faciat responsum, quia tunc canonica erit electio. » —Quod si aliqui a synodo aut omnes rejecti fuerint, alios immediate proponere debet episcopus, qui a synodo approbentur.

Examinatores synodales in synodo ad minus sex, ad summum viginti eligi posse, tenent Aldan... et Barbosa... attestantes ita fuisse decisum a sacr. congr. Concil. in Cæsaraugustana 13 Martii 1623. (Ferrar. verb. *Examinatores*, n. 29; Benedict. XIV, *De synod. diœc.* lib. IV, c. 7, n. 3.)

Electio examinatorum synodalium facienda est in synodo formali, non autem in congregatione cleri, licet congregatio synodalis denominaretur. (Sacr. congr. Concil. 8 Maii 1684.) Et potest fieri approbatio per vota secreta, aut aperta. (Ex ead. sacr. congr.) — Examinatores synodo proponi possunt per vicarium episcopi generalem et etiam per vicarium capitularem, sede vacante.

Examinatores necessario eligi debent, qui sint magistri seu doctores, aut licentiati in theologia, vel jure canonico, si exstent; alioquin alii clerici sunt eligendi, qui ad id videbuntur magis idonei, textu expresso in Trident. supra. Unde sacr. congr. Concil. *in una Senonensi* (Galliarum) *sub die 19 Februarii* 1628 censuit « episcopum non posse eligere examinatores synodales, qui non sunt doctores, seu magistri, aut licen-

tiati in theologia, aut jure canonico, si existent; alioquin alios clericos esse eligendos, qui ad id magis idonei videbuntur; » et pluries alibi. Possunt eligi tum ex capitulo, tum ex clero sæculari, tum ex regularibus, dummodo habeant qualitates requisitas.

Examinatores electi in synodo perdurant usque ad novam synodum, licet quolibet anno non celebretur. (S. congr. Concil. in una immol. 10 Decembr. 1695.)

Si examinatores ante celebrationem alterius synodi moriantur, vel in longinqua recedant, sive omnes, sive tot ut non remaneant tres, episcopus cum approbatione capituli subrogabit alios æque idoneos, dummodo semper utatur exsistentibus. (Sic pluries censuit sacr. congr. Concil.) — Ferrar. verb. *Examinatores*, n. 33 et seq.

Si *infra annum*, aliquorum obitu vel immigratione pauciores quam sex remaneant, « Clementis VIII decreto (relato a Garcia... et Fagnano...) facultas data est episcopis alios subrogandi; modo iis qualitatibus præstent, quas Tridentinum requirit; a capitulo approbentur; et una simul cum superstitibus ex electis in synodo senos non excedant. » Sed hoc intelligitur de casu quo deficit senarius numerus *infra annum* ab ultima celebrata synodo. Si annus elabatur et nova synodus non celebretur, « certum est statim ac effluxit annus ab ultima synodo, cessare officium examinatorum, qui intra ejusdem anni intervallum in demortuorum seu absentium locum forte fuerint ab episcopo suffecti: ita enim diserte statuit Clemens VIII in citato decreto. Quoad alios porro non subrogatos, sed in ultima synodo electos, hoc censuit sacra congregatio Concilii; quandiu sex illorum superstites sunt, omnes perseverant in munere: sed si vel unus ex illis decesserit, ita ut sex non remaneant, omnium officium exspirat, et nullus adhiberi potest concursibus, neque post annum datum est episcopo in demortui locum quemquam sufficere... Quapropter ut, elapso anno et non exsistentibus sex examinatoribus in synodo electis, institui valeat validum experimentum concurrentium ad vacantes ecclesias parochiales necesse est ut episcopus, vel novam synodum cogat, vel facultatem petat a sacra congregatione concilii novos examinatores extra synodum deputandi. Etenim si concursus fiat coram examinatoribus extra synodum designatis ab episcopo, nulla ad hoc instructo speciali facultate, parochialium collationes, institutiones seu provisiones erunt *irritæ*... Nec sacra congregatio facultatem, de qua loquimur, renuit unquam petentibus concedere: quoniam, cum probe noverit non facile esse episcopis, singulis prorsus annis suas synodos cogere, ne idcirco legitimis careant examinatoribus, statim ac episcopus eidem exponit, sex ex electis in postrema synodo amplius non exstare, potestatem ei facit novos eligendi, a majori parte capituli approbandos; quorum tamen officium duraturum decernit tantum ad annum; quo elapso, iterum ad preces episcopi illos in munere confirmat, quod et deinceps semper in annum iisdem prorogat. » (Bened. XIV, *De synod. diæc.* lib. IV, c. 7.)

Tales electi examinatores sive in synodo, sive extra suffecti, omnes debent ad sacra Dei Evangelia jurare se fideliter munus suum exsecuturos; textu expresso Trid hoc juramentum est de forma essentiali, eoque deficiente examinatores non dicuntur legitimi et concursus factus coram eis ante præstitum juramentum, est nullus. (S. congr. Concil. 2 Decembr. 1628.) Ideoque collationes ex tali concursu secutæ, sunt irritæ. Sufficit tamen ad validitatem concursus quod hoc juramentum sit semel præstitum, sive in synodo, sive extra synodum, ut tradunt communiter.

Formula juramenti præstandi ab examinatoribus in synodo.

Ego N. deputatus in præsenti synodo examinator eorum qui eligentur ad parochiales ecclesias, juro me fideliter hoc examinandi munus perfuncturum, rejecto omni humano respectu. Ita me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Formula ejusdem juramenti extra synodum.

Ego N. examinator in synodo electus (aut legitime suffectus) promitto, spondeo, ac juro munus et officium mihi demandatum me fideliter, quacunque humana affectione postposita, et sincere quantum in me est exsecuturum; sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

Juramentum hujusmodi non præsumitur præstitum, sed debet probari *ex Rota*; ideoque in regestis cancellariæ episcopalis nominatim certificari debet et uniouique exa-

minatori authentica juramenti præstiti attestatio danda est.

Concursus est nullus, in quo cum examinatoribus synodalibus alius intervenit, qui non erat de synodalibus, isque dedit suffragium. Sac. congr. Concil. 2 Septembr. 1634, censuit *Concursum esse nullum, quando examinator non synodalis suffragium suum dat cum aliis synodalibus; secus autem si tantum interroget et alii suffragium ferant in numero debito.*

In concursu possunt adhiberi plus quam tres examinatores synodales, sed non pauciores. (Sic decisum fuisse a sacr. cong. Concil. refert Garcias *De benef.* p. v, c. 9; et Barbosa...)

« Sua suffragia ferre debent priusquam a loco examinis discedant et ab episcopo, ejusque vicario sejungantur... Nec quidquam refert an suffragia secreto vel palam ferantur, cum nihil de hac re fuerit a Tridentino sancitum... In hoc examinatorum judicio nullæ sunt partes episcopi, vel vicarii qui episcopi loco examini assistit, nisi forte examinatorum vota sint paria aut singularia: tunc enim integrum erit episcopo vel vicario cui voluerit accedere, juxta Tridentinum... At, sicut ab examinatoribus suffragia ferenda sunt statim peracto examine, ita etiam in eventu, quod episcopus aut ejus vicarius alicui accedere possit, coram iisdem examinatoribus explicare debet cuinam accedat cum id pertineat ad examinis complementum. » (Benedict. XIV, *De synod. diœc.* lib. iv, c. 8.)

Vota singularia sunt, v. gr. quando tres adsunt concurrentes aut quinque, etc., tresque duntaxat examinatores aut quinque etc., et unusquisque concurrens unum votum obtinet. Tunc episcopus potest accedere cui voluerit.

« Approbatus autem nemo censetur, si ex tribus examinatoribus quilibet eorum unum approbaverit, et alii duo approbatum ab altero reprobaverint, licet episcopus uni accedat. Idem dicendum quando sunt quinque examinatores et quilibet eorum approbat unum ex examinatis, et cæteri quatuor reprobant approbatum ab altero, tunc enim nemo approbatus censetur, licet episcopus uni accedat. Idem etiam dicendum, si unus tantum compareat ad se examinandum coram tribus examinatoribus, uno illorum approbante et aliis duobus reprobantibus, quia illi non potest accedere episcopus, et talis examinatus dicitur reprobatus. (Ita decisum fuisse a sacr. congr. Concil. refert Garcias, *De benef.* p. ix, c. 2, n. 60; apud Ferrar. verb. *Concursus*, n. 48 et seq.)

Examinatores synodales non possunt quidquam prorsus occasione examinis, nec ante, nec post accipere, alioquin simoniæ vitium tam ipsi, quam alii dantes incurrunt, a qua absolvi nequeunt nisi dimissis beneficiis, quæ quandocunque etiam antea obtinebant et ad alia in posterum inhabiles redduntur, textu expresso Trident.

II. *De parochiis necessario concursui subjectis.* — Concursus necessarius est in provisionibus omnium parochialium liberæ collationis, necnon illis, quæ de jure patronatus ecclesiastico exsistunt et ad hunc concursum admitti debere tam nominatos a patronis quam alios censuit sacr. congr. Concilii *in una Florentina*, paroch. de anno 1593. Quam declarationem secuta fuit Rota, pluries apud Ferraris, verb. *Beneficium*, art. iii, n. 30 et seq.

In capellania pro coadjutoria in parochiali sita; et etiam in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis, in quibus exercetur cura animarum per capellanos amovibiles ad nutum capitulorum vel ipsosmet canonicos absque examinatione ab immemorabili tempore, quo non obstante omnes tenentur ad subjiciendum se examini episcoporum. Quod tamen in dubium revocatur a quibusdam; sed non intelligitur hoc de canonicis cathedralis vel collegiatæ ecclesiæ, quibus cura animarum incumbit et per quos ipsa cura animarum exercetur. (Adnot. ad cap. 18, sess. 24 *Trident.*)

Concursus necessarius est in beneficiis curatis reservatis sedi Apostolicæ, et quibusvis aliis sive patriarchis, sive episcopis, sive abbatibus, sive capitulis... (*Ibid.*)

Concursus requiritur in vicaria perpetua, quando in vicarium est translata totalis cura; secus vero quando est translatum solum exercitium curæ. (Rota part. ii, recentior. decis. 579 et sæpius.) Dicitur autem totalis cura in vicarium translata, quando certa portio, seu congrua assignatur rectori ecclesiæ, cæteris fructibus remanentibus penes vicarium; et e contra, ubi certa portio, seu congrua assignatur vicario, cura beneficii uniti dicitur translata in rectorem ecclesiæ, cui fit unio, et solum nudum exercitium

remanet penes vicarium. (Rota, *pluries*, apud (Ferraris, verb. *Beneficium*, art. 3, n. 33 et 34.) Ex quibus patet curam cathedralium totalem in vicarium translatam esse in Galliis; proindeque in cathedralibus, in quibus cura capitulo unita est et a vicario administrata, talis vicarius eligendus est per concursum.

Adhibendus est concursus, quando parochia unita est *æque principaliter* alicui canonicatui, vel dignitati. (Leuren. *For. benef.* part. I. quæst. 206, n. 7.)

Etiam beneficium parochiale jurispatronatus laicalis confertur per concursum inter plures præsentatos, si ipsi præsentati habeant æquales voces, sed tunc ipsi soli præsentati admittuntur ad concursum. (Ferraris, *ibid.* n. 35 et sic decisum a sac. cong. Concil. refert Fagnan. in II part. lib. III *Decret. De jure patronatus*, c. *Cum propter*, n. 10.)

Episcopus parochialem ecclesiam jurispatronatus laicorum conferens jure devoluto eo quod patroni infra quatuor menses non præsentaverint, aut quæstio super patronatu infra dictum tempus non fuerit decisa, tenetur servare formam examinis per concursum (Et ita decisum a sacr. congr. Concil., 29 Novemb. 1600 refert Fagnan. in II part. lib. III *Decret. De jure patron.* c. *Cum propter.*)

III. *De parochiis concursui non subjectis.* Sine concursu conferuntur *primo* vicariæ perpetuæ parochialium unitarum, seu incorporatarum aliis ecclesiis, monasteriis, beneficiis, collegiis, vel locis piis, in quibus non proprie parochus, sed vicarius ponendus est. Hujusmodi enim vicariæ, in quibus vicarius habet solum exercitium curæ, non conferuntur per concursum, sed solum ad nominationem, seu præsentationem illorum quorum dignitati, ecclesiæ, monasterio, collegio, vel loco pio parochialis unita est, vicarii prævio ordinarii examine sunt instituendi. (Sic expresse statuit S. Pius V, constit. 47 *Ad exsequendum.*)

« *Secundo*, sine concursu pariter confertur parochialis unita, seu annexa dignitati, seu canonicatui ecclesiæ cathedralis, seu Collegiatæ: Rota... et sic censisse sac. cong. conc. hujusque sententiam fuisse a sanctissimo approbatam refert Fagnan. lib. I *Decret.* in cap. *Cum sit ars.* n. 19 et 22 et seq. Sufficit enim solum examen, et approbatio episcopi.

« *Tertio* sine concursu confertur cura animarum, quæ in ecclesia collegiata exercetur per canonicos, vel hebdomadarios, juxta textum c. *Statutum* 22, *De elect.* in 6; et sacr. cogr. Concil.

« *Quarto*, sine consensu confertur beneficium curatum, quod est vere dignitas. (Sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. refert Gallet, in *Margarita casuum conscientiæ*, verb. *Beneficium* p. 24; et verb. *Canonicus*, ult.)

« *Quinto*, sine consensu confertur parochialis ecclesia, quando est subjecta monasterio, aut annexa, vel de ejus mensa: tunc enim monasterium nominat rectorem, et episcopus confirmat...

« *Sexto*, sine consensu conferuntur beneficia regularia, quæ regularibus conferri consueverunt. (Sac. congreg. Concil. et Rota.) Beneficia regularia curata, etiam quæ commendari consueverunt, non comprehenduntur in lege concursus. (Fagnan. in II part. lib. I *Decret. De elect.*; c. *Cum ad nostram*, n. 22 et seqq. et ibid. *De ætat. et qualitat.* c. *Cum sit ars*, n. 28 et seqq.)

Septimo, sine consensu confertur dignitas abbatiæ, quamvis sit ei unita parochialis ecclesia, dummodo hæc unio auctoritate sedis apostolicæ, ac perpetuo et accessorie facta sit. (S. congr. Concil.)

« *Octavo*, sine concursu confertur parochialis, quam quis acquirit per regressum, et prius possedit. (S. cong. Concil.)

« *Nono*, sine concursu confertur parochialis resignata ad favorem alicujus in manibus papæ. (Sic decisum...)

« *Decimo*, in permutationibus ecclesiarum parochialium non requiritur concursus, imo neque aliquod examen. Si vero adsit magna inæqualitas parochianorum, aut permutantes non fuerint examinati eo tempore quo parochiales adepti sunt, aut permutationes sint de beneficio simplici, et curato, tunc, licet necessarius non sit concursus, est tamen necessarium examen. (S. congr. Concil.)

« *Undecimo*, quando nullus comparuit, aut certe nullus ex comparentibus vult subire examen, episcopum assignare debere aliud tempus sive edictum, et si adhuc nemo compareat, tunc posse parochiam absque concursu conferri decisum fuisse a

sacr. congr. Concil. referunt Garcias. et Nicol. etc. Sed congregatio censuit, si unus ad concursum comparuerit intra terminum, posse solum examinari et approbari.

« *Duodecimo*, sine concursu conferuntur beneficia simplicia.

« *Tertio decimo*, sine concursu conferuntur parochiales quæ sunt de jure patronatus laicorum; et parochiales juris patronatus misti, id est, partim ecclesiastici, et partim laicalis. S. congr. Conc. cum antea declarasset in parochialibus jurispatronatus misti laicorum et ecclesiasticorum requiri formam examinis per concursum; tamen postea animadvertens in misto prævalere qualitatem, quæ magis favet patronatui; facta relatione Sanctissimo, ac de ejus mandato iterum articulo discusso recessit a prima declaratione, et declaravit non esse observandam formam examinis per concursum. Fagnan. in I part. lib. I *Decret. De constit.* c. *Quoniam*, n. 58; et in II part. lib. III *Decret. De jure patronat.* c. *Cum propter*, n. 39 et seqq. *Vide* Ferrar. *Biblioth.* verb. *Beneficium*, art. III; et Leuren. *For. benef.* part. I.)

IV. *De Vicario constituendo in parochiali concursui subjecta.* — Eveniente alicujus parochialis ecclesiæ vacatione, debet episcopus statim illius vacationis habita notitia, *si opus fuerit*, idoneum in ea vicarium cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiæ sustineat donec ei de rectore provideatur. (Text. express. Trident.) — Verba autem illa *si opus fuerit* addita sunt ad excludendum casum, quo in eadem parochiali ecclesia adessent alii ministri sacramentorum, qui interea curam illam, quæ ad defunctum spectabat, exercerent, ut declarasse sacram congr. Concil. refert Garcias, *De benef.* p. IX, c. 2, n. 13. — Illa vero dictio *statim* videtur importare quod episcopus non possit in longum differre, sed quantocius debere hujusmodi in ea vicarium constituere; posse tamen episcopum talem deputationem vicarii usque ad tres dies a die habitæ notitiæ vacationis, non autem ulterius differre tenet Barbosa... et concil. provinc. Mediolan. I.... (Ferrar. verb. *Concursus*, art. III, n. 1 et seq.) Hic vicarius debet habere custodiam, et administrationem omnium bonorum ecclesiæ, etiam illius, cujus institutio non ad episcopum, sed ad inferiorem spectaret, non obstantibus his, quæ traduntur per doct. in c. *Cum vos*, *De offic. ordin.*, adnot. ad c. 18, sess. 24 *Trident.*

V. *De edicto et tempore concursus.* — Episcopus potest differre concursum usque ad sex menses, si parochialis in suo menso vacaverit, et usque ad quatuor, si vacaverit in mense sedi apostolicæ reservato; ut expresse statuit sanctus Pius V in const. *In conferendis*, et sic decisum fuit a sacr. congreg. Concil. texte Barbos. apud Ferraris, verb. *Concursus*, art. III, n. 4. Quatuor menses etiam conceduntur in parochialibus de jure patronatus, et isti sex vel quatuor menses respective incipiunt currere non a die vacationis parochiæ, sed a die scientiæ vacationis....»

« Tempus sex, vel quatuor respective mensium concessum episcopis ad conferendas medio concursu parochiales vacantes currit ipsis episcopis, etiam quando accedunt ad concilium provinciale. (S. congr. Concil. *in Gerundien.*)

« Pendente termino sex vel quatuor respective mensium, debet episcopus proponere edictum concursus. Tempus quo debet esse affixum edictum, est arbitrarium episcopo, modo non sit minus decem dierum, et non excedat viginti dies. (*Trident.* c. 18, sess. 24; et S. Pii V, const. *In conferendis.*)

Dies certa examinis concurrentium, et propositi edicti, debet apponi in edicto aut in litteris citatoriis concursus, alias ipse concursus vitiaretur et esset nullus. (Rota,... et sacr. congr. Concil.)

« Concursus habitus infra terminum decem dierum (aut dierum in edicto enuntiatorum) non est nullus, si nemo post examen comparuit, qui se læsum prætendat. (S. cong. Concil.) Sed ante lapsum terminum edicti nullum esse examen et concursum factum, si post examen comparuit aliquis, qui se læsum propterea prætendat, resolvit ead. sac. congreg. pluries. Unde examen statim elapso termino edicti potest per episcopum inchoari, sed non potest eadem die claudi, ubi plures fuerint descripti, quia sunt exspectandi, vel vocandi, alioquin vitiabitur et nullus erit concursus, si ex pluribus descriptis unus, aut non omnes examinentur, et eis non exspectatis claudatur concursus. (Sic Rota et sacr. congr. Concil.)

Non debet amplius audiri, seu examinari, qui nullo detentus legitimo impedimento

non comparuit in tempore concursui præscripto. (S. congr. Concil.) Qui tamen ratione legitimi impedimenti non comparuit in tempore concursui præfixo, debet post terminum edicti, re adhuc integra, ad concursum admitti, etiam reclamantibus aliis oppositoribus; sic declaravit sacr. congr. Concil.

Uno tantum comparante ex pluribus descriptis fieri potest concursus, nec est opus ut proponatur secundum edictum. (S. congr.) Quando unus tantum se describi facit, nec alii comparent oppositores ad se describi faciendum, fieri potest concursus, nec opus est alio edicto, aut termini prorogatione. (S. congr. Concil.)

Quando nullus ad concursum comparuit, aut certe nullus ex comparentibus vult subire examen, episcopus assignare debet aliud tempus, sive edictum, et si adhuc nemo comparet, vel alias (in examine) nemo idoneus reperitur, tunc prævio examine conferre potest sine concursu. (Sic pluries decisum fuisse a sacr. congr. Concil. testatur GARCIAS.)

Edictum concursus debet proponi ab ordinario loci, ubi exsistit beneficium curatum vacans, et ibidem examen est peragendum, etiamsi beneficium ab ordinario alterius diœcesis sit conferendum. (S. congr. Concil. et communis.)

Concursus parochialium vacantium, in abbatiis, commendis, aliisque locis subjectis prælatis non habentibus jus congregandi synodum, debet fieri in civitate residentiali vicinioris episcopi, cum ad ipsum spectet talium parochialium concursum edicere, et convocare. (S. congr. Concil. pluries.) Hucusque Ferraris, verb. *Concursus*, art. 3, passim.

VI. *Quinam possint ad concursum sese præsentare et admitti.* — Episcopus et patroni possunt idoneos aliquot clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominare. Liberum est etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre. Et qui volunt examinari, per edictum publicum vocandi sunt. (Textu expresso *Trident.* c. 18, sess. 24.)

Ad concursum parochialium non tantum diœcesani, sed etiam exteri debent admitti, nisi adsit aliquod privilegium quod beneficia non conferantur exteris. (Est communis doctorum, et sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. refert ex Nicol. MONACELL. t. I, tit. v, form. 10, n. 1.) — Admitti debent tam exteri, quam originarii, etiamsi habeant beneficium curatum (GARCIAS, *De benef.* p. IX, c. 2, n. 208; MONACELL. loc. cit. et alii passim.) Non enim potest episcopus prohibere curatis, ne accedant ad concursum aliarum parochialium. (S. congr. Episc., 29 August. 1591; apud BARBOSAM, *De potest. paroch.* part. I, c. 2, n. 48.)

Originarius tamen, et de gremio Ecclesiæ, est semper cæteris paribus præferendus extraneo. (Arg. reg. 17 cancellariæ *De concurrentibus in data;* c. *Nullus* 13, dist. 61; c. *Hortamur* dist. 7; c. *Ne pro defectu* 61, *De elect.*; c. *Bonæ memoriæ*, *De postulat. prælatorum.*) Imo secundum Barbos. p. III, *De offic. et potest. episcop.* alleg. 60, n. 102, et plurimos alios ab ipso citatos, dignus de gremio ecclesiæ potest eligi posthabito digniore extraneo. (Arg. c. *Nullus* 13, dist. 61.)

Si jam curatus eligatur tanquam dignior ab episcopo ad vacantem ecclesiam, prima ipsius curati electi parochia vacat, et episcopus alium pro ipsa concursus edictum proponere debet.

Regulares omnes, quamvis sint canonici, sive Præmonstratenses, sive Lateranenses, sive quicunque alii canonici regulares, non sunt admittendi ad concursum parochialium sine dispensatione apostolica. (Sic expresse declaravit pluries sacr. congr. Concil. cum approbatione Sanctissimi, ut refert FAGNAN. in c. *Quod Dei timorem* 7, *De stat. monachor.* n. 17 et seq. et FERRARIS, verb. *Concursus*, art. 2, n. 38 et seq.)

« Doctor, sive licentiatus in theologia, sive in jure canonico, et in publica universitate graduatus non excusatur ab examine, quando petit provideri de aliqua ecclesia parochiali. (Sic decisum a sacr. congr. Concil. referunt GONZALES ad reg. 8 Cancell. gloss. 4, n. 90; Nicol. GARC. et multi alii, adnot c. 18, sess. 24 *Trident.*)

Exclusio alicujus a concursu nullitatem ipsius concursus operatur etiam independenter a reclamatione exclusi, ita ut possit beneficium impetrari ob non servatam formam concursus. (Rota, 25 Junii 1756 in *Monopolitana*, coram R. P. D. Stadion.; apud FERRAR. verb. *Concursus*, art. 2, Additiones, n. 70.)

VII. *Quænam præbere documenta debeant*

ncursum accedentes? — Omnes con-
ntes debent intra terminum ab edicto
opi præscriptum, se inscribere facere
ncellaria episcopali, et præbere : 1° Au-
icam attestationem aut probationem
nt ex legitimo matrimonio procreati ;
i illegitimi, dispensationem apostoli-
2° Attestationem de ordinibus rece-
3° Probationem legitimæ ætatis a sacris
nibus præscriptæ, id est saltem 25 anno-
4° Litteras commendatitias sui epi-
de morum honestate et gravitate.
nnia documenta quæ possunt probare
entiam, præstita hactenus ecclesiæ ob-
ia, acquisitam in aliis muneribus lau-
, aliaque spectabilium virtutum or-
:nta. 6° Authentica probatio doctoratus
licentiæ et aliorum graduum, si hos
is obtinuerit concurrens.

.d curam regendam animarum, quæ
ur ars artium, exigitur non tantum
tia, sed etiam ætas provecta, pruden-
ona fama provisi, et quod iste sit gra-
opulo, aptus regimini, et magis utilis
siæ : ad quas circumstantias episco-
in præelectione animadvertere debet. »
doctores et Rota apud Monacelli, tom.
. II, form. 11.) Et de quibus documenta
nda sunt, in quantum fieri potest.
omnia, singulorum merita probantia,
ıcellario episcopali incorrupta fide in
tis summatim redigantur ; et copia
mes tradetur episcopo et examinato-
i.

II. *De modo faciendi concursum.* —
nen concurrentium debet fieri ab epi-
o, vel eo impedito ab ejus vicario, et
vacante, a vicario capitulari, et aliis
inatoribus non paucioribus quam tri-
textu express. Trid., sed possunt adhi-
plus quam tres examinatores. Nec epi-
is, nec ejus vicarius locum tenens
opi, nec vicarius capitularis habet vo-
decisivum in concursu, sed tantum
lit, ubi vota sunt paria aut singularia,
ctum est.

nnes descripti ad concurrendum, de-
ore tenus respondere ad quæstiones et
osita solvere ; debent etiam in scriptis
tiones, sermonem, et alia proposita
re. Super his omnibus examinis ha-
i forma præscribitur a Benedicto XIV,
.. *Cum illud* et in encyclica sacr. congr.,
ı transcriptis.

« Examinatores peracto examine debent eos ex communi sententia renuntiare episcopo, quos idoneos repererint. Sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. referunt Garcias ... Barbosa, etc.

« Approbatus dicitur in concursu, qui ultra dimidium vocum fuerit consecutus, quamvis alius omnia suffragia prospera reportaverit. (S. congr. Concil.)

« Examinatorum vota, licet concilium non expresserit an palam, vel secreto fieri debeant, magis tamen expedit, ut examinatores inter se sua vota conferant. Deinde notario jubeant, ut in actis suis simpliciter scribat Titium approbatum idoneum ; Sejum vero reprobatum, ut fit Romæ. (S. congr. Concil.)

« Examinatores debent dare vota, dum simul congregati sunt cum episcopo, non autem separatim, sicut etiam episcopus, ubi datur locus accessui, debet accedere examinatoribus simul congregatis... »

« Examinatores tenentur facere relationem, etiam circa mores, ætatem, et reliqua, et debent renuntiare quotquot idonei judicati fuerint. (S. congr. Concil.) « Examinatoribus approbantibus aliquem tanquam magis idoneum in scientia, cujus tamen mores ignorantur, et habentibus alium non tam doctum, sed ab eis cognitum et approbatum in moribus, hic ultimus est præferendus. (S. congr. Concil.)

« Episcopus in paritate votorum potest accedere quibus voluerit, ut si ex quatuor examinatoribus duo approbarunt, et duo reprobarunt, accedendo episcopus, vel vicarius duobus approbantibus, examinatus dicitur approbatus, et si accedit reprobantibus, dicitur reprobatus. Unde episcopus ita accedendo potest aliquem ex non approbato facere approbatum ; et hunc eligere, quamvis alii reportaverint omnia vota favorabilia ; nam episcopus non tenetur ex collatione votorum eligere ; potest enim, cui maluerit ex approbatis, beneficium conferre, non habita ratione calculorum ipsorum votorum ; et debet exspectare, ut examinatores renuntient, quos judicaverint idoneos. (S. congr. Concil.)

« Non pertinet ad examinatores synodales, sed ad solum episcopum judicare quis ex concurrentibus ad parochiam vacantem sit magis idoneus. (S. congr. Concil.)

« Si concursus (seu examen) fiat coram

examinatoribus extra synodum designatis ab episcopo, nulla ad hoc instructa speciali facultate, erit nullus. Hinc cum in diœcesi Bracharensi plures parochiales collatæ fuissent concurrentibus approbatis ab examinatoribus extra synodum deputatis ab archiepiscopo cum consensu capituli, opus deinde fuit, ut qui illas obtinuerant preces porrigerent summo pontifici, ut suprema sua auctoritate earumdem collationes convalidaret; et sacra congregatio Concilii, ad quam preces remissæ fuerant, die 12 Januar. 1715; illas convalidandas censuit, quia supplicantes bona fide parochiales acceptaverant, atque ex archiepiscopi attestatione constabat, multa exoritura scandala, si novus concursus ad illas foret indicendus, quod refertur in *Thesaur. resolut.* t. III, p. 219. (Hucusque Ferrar. verb. *Examinatores*, n. 39 et seq.)

« Sacr. congr. consulta ab episcopo Carthaginensi, an concursus, et examen pro parochialibus providendis factum a tribus vel quatuor examinatoribus synodalibus una cum aliis tribus vel quatuor ab ordinario tamen deputatis, sit contra formam Trident. concil. et provisiones parochialium sic ab eo ordinario factæ sint nullæ, et sedi apostolicæ reservatæ; respondit esse contra formam a Trident. concilio præscriptam, nulliusque esse momenti, et collationem ad sedem apostolicam vigore constitutionis Pii V esse devolutam. » (Fagnan. in II part. lib. I *Decretal. De ætat. et qualit.* c. *Cum sit ars*, n. 55.)

Ex quibus patet examen pro parochialibus factum ab examinatoribus ab episcopo solo deputatis esse nullum, et provisiones parochialium sic ab ordinario factas esse nullas, et sedi apostolicæ reservatas.

IX. *De electione dignioris ab episcopo facienda.* — Ad solum episcopum pertinet judicare quis ex concurrentibus approbatis ad parochiam vacantem sit magis idoneus Episcopus potest eligere, non solum præsentibus examinatoribus, sed etiam extra locum examinis et absentibus ipsis examinatoribus. (Communis; Ferrar. verb. *Examen*, n. 48.)

Si vero jurispatronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad episcopum, et non ad alium pertineat, is quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, episcopo præsentari teneatur, ut ab eo instituatur; cum vero institutio ab alio quam ab episcopo erit facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat. (*Trident.* sess. 24, c. 18, et S. Pii V, const. *In conferendis;* et sacr. congr. Concil., 28 August. 1595.)

« In dubio spectare ad examinatores renuntiare, quis sit magis idoneus, dicit Zerol... et examinatores ab episcopo, vel vicario, quibus beneficia provideri incumbit, accersitos, teneri significare et subscribere, quis sit dignus, et quis dignior, sub peccato mortali tenent Barthol. Media. Ledesma . . . etc., et Rota Romana decis. 654, n. 1 et seq. decis. 655, in princip. in Recollectis a Farinacio.

Primo præferri graduatum in aliqua scientia non graduato. Rota part. III, decis. 61, n. 3; et sæpius Regul. cancellariæ 17 *De concurrentibus in data* ibi : « Alias graduati non graduatis, aut inter graduatos magis graduati, ac inter æqualiter graduatos prius graduati, beneficiorum assecutione præferantur. »

Secundo qui est de gremio ecclesiæ præfertur alteri, qui non sit de eodem gremio; et indigena seu oriundus alienigenæ et forensi. (C. *Nullus* 13, dist. 61 et similibus.) Cæteris paribus.

Tertio præfertur magis litteratus.

Quarto, majori habilitate præditus, veluti prudentia, integritate et maturitate. Sed præferri minus dignum, quando in eo concurrunt pietatis, misericordiæ, vel utilitatis publicæ argumenta, testatur P. Valer. Regin. . .

Quinto præferri minus doctum, modo idoneum quando ejus mores sunt noti, et approbati, doctiori, cujus vita ignoratur, referunt Gonzales et cæteri ... (Adnot. ad c. 18, sess. 24 Trident.)

Sexto, præfertur ille de cujus bonis fundata est ecclesia. (C. *Hortamur* 8, dist. 71 et alibi.)

Septimo, inserviens ecclesiæ et benemeritus ejusdem præfertur non inservienti (Rota, sæpius.)

Octavo, approbatus ad curam animarum, præfertur non approbato; et confessarius approbatus, non approbato. (Rota.)

Nono, non beneficiatus præfertur beneficiato. Rota, et Reg. cancellariæ 17, ibi : *Non*

beneficiati beneficiatis beneficiorum assecutione præferuntur.

Decimo, senior præfertur juniori ; sacerdos non sacerdoti ; præsens in curia absenti ; nobilis minus nobili. (Rota..... apud Ferrar., verb. *Beneficium*, art. 5, n. 44 et seqq.)

Et quod peccatum mortale committatur, quando alter dignus eligitur, prætermisso digniore, tenent unanimiter doctores et Steph. Gratian. decis. 97, resolvit non teneri ad restitutionem, nisi quando beneficium debetur digniori ex aliquo statuto vel lege. (Adnot. ad c. 18, sess. 24 Trid.)

An ex pluribus ad parochialem ecclesiam concurrentibus episcopus teneatur omnino præeligere digniorem, ita ut alias liceat postposito appellare ab irrationabili episcopi judicio ?

Pro clariori solutione inquirendum est primo, quid dicendum sit in terminis juris communis ; secundo, quid dicendum in terminis concilii Tridentini. Quid post constitutionem Pii V, super collatione parochialium ecclesiarum.

De jure communi ante electionem ubique clamant canones præstantiorem, ac digniorem esse assumendum ad regimen animarum... et ideo peccat contra justitiam distributivam, qui, omisso digniori, eligit dignum, ut notant omnes in cap. *Constitutis* et Butr., in cap. *Inter cætera*, n. 15, *De offic. ordin.*, dicit hos mortaliter peccare, et orandum pro eis, quia multi incidunt in hunc laqueum. (Et docet sanctus Thomas 2-2, quæst. 63, art. 2 ad 3.) (Quem sequitur Covarruvias... et Rota.) Et dignior non intelligitur qui simpliciter est sanctior et plus habens charitatis ; sed ille, qui perspectis omnibus qualitatibus aptior est ad ecclesiam gubernandam, ut in juribus citatis et declarat D. Thomas præallegatus in 2-2, quæst. 185, art. 3... Sed tamen post factum sustinetur electio *De digno, prætermisso digniori*, ut in c. *Monasterium*, causa 16, quæst. 7, c. *Cum nobis*, *De elect*..... Itaque hoc jure inspecto nullum remedium competit digniori postposito ad irritandam aut rescindendam præelectionem factam de digno.

« Ex concilio Tridentino similiter tenetur episcopus præeligere digniorem. Sed tamen sancta synodus in hujusmodi præelectione defert judicio episcopi... ac proinde quamvis ex sententia sacra congr. Concilii a reprobatione examinatorum detur appellatio devolutiva, et etiam resolvit Rota coram Gregorio XV... Tamen non potest postpositus appellare ab irrationabili judicio episcopi in vim concilii. »

« Ex constitutione vero Pii V, quæ incipit *In conferendis*... aliud dicendum est : nam in § 7, statuitur in hæc verba : « Ut autem non solum dignis, sed magis idoneis repertis... (vide supra)... Unde palam est hodie licere magis idoneis rejectis appellare ad effectum devolutivum a mala electione episcopi, et provocare præelectum ad novum examen coram judice appellationis. Atque ita quamvis præelectio de digno posthabito digniori mero jure et hodie sustineatur ; et hac in parte non fuerit immutata dispositio juris communis, et concilii Tridentini ; tamen potest retractari et infringi in judicio appellationis constito de irrationabili eligentis judicio, quod ex jure veteri et ex concilio Tridentino fieri non poterat. Et ita fuit multoties resolutum. . a Rota et sacr. congr. Concil. « (Fagnan. in 1 part., lib. 1 *Decretal.*, *De ætat. et qualitat.*, c. *Eam te*, n. 20 et seqq.)

« Ad evidentiam præmittendum est parochialem ecclesiam *ex justitia* esse debitam *digniori* inter probatos in concursu ab examinatoribus synodalibus, quia concilium Trident. præcepit ut eidem digniori, et non alteri collatio ecclesiæ fiat, et ex bulla 33 Pii V *In conferendis*, magis idoneus postpositus potest appellare a mala episcopi electione, et provocare electum ad novum examen, et constito de episcopi irrationabili judicio, parochialis eidem postposito est conferenda. Et sacr. congr. Concilii meo tempore multoties vocavit concurrentes Romam ad novum examen subeundum. Jus autem appellandi non competit, nisi indebite, et contra justitiam gravato, leg. 1, ff., *De in offic. testament.* ; cap. *Non solent*, causa 2, quæst. 6 ; cap. *Super eo*, *De offic. deleg.*, cum appellatio sit provocatio iniquæ sententiæ querelam continens... et illius usus inventus fuit ad corrigendam judicantium iniquitatem, vel imperitiam... et ne appellans maneat oppressus indebite... Ex quo necessario sequitur, ut præelectus ab episcopo in concursu qui per fraudem tacendo occultam suam inhabilitatem ; et fingendo se capacem præripuit parochialem magis idoneo, peccaverit contra justitiam commutativam ; ac proinde ad restitutionem teneatur... et

est communis theorica canonistarum in regul. *Peccatum, De regul. jur.* in 6, et theologorum in IV *Sentent.* dist. 15 et in 2-2, quæst. 2, et S. Thomæ..... Quare jus, quod habet magis idoneus ad parochialem ecclesiam non est eventuale, nec secundarium, sed omnino certum et primarium ; quia collatio non est libera, sed episcopus ex justitia tenetur conferre digniori, et si de facto non conferat, non ideo minus parochialis est illi de jure debita ; et ita quod stante constitutione apostolica ut beneficium debeat conferri magis idoneo et qualificato, ex sola oppositione sic acquisitum jus considerabile oppositori habenti qualitates requisitas, ita ut liceat ei appellare a denegata collatione, et superior debeat compellere, ut juxta tenorem constitutionis fiat collatio, pluries resolvit Rota... »—Ita Fagnan. in I part., lib. V *Decretal., De simonia*, c. *Mandatum*, n. 17 ; et concludit cum Navarro, quod, si aliqui impediverunt ne parochia daretur magis idoneo ex concurrentibus, restituere tenentur.

Multi alii, verb. gr. Cajet. Salon. Molin, Gouttierez, Vasquez, Fernandez et alii apud Dianam, tract. 4 *Miscell. resolut.* 210, fol. 150, affirmant episcopos illos, qui, spectatis omnibus requisitis, etiam per examen non conferunt beneficia dignioribus, teneri singulis annis ad restitutionem eorum fructuum, quibus fruuntur minus digni, cum censeantur dignioribus subrepti, quia jam per concursum jus acquisierant. Alii autem negant eos episcopos, quamvis mortaliter peccent, teneri ad restitutionem.

X. *De appellatione.* — Peracto secundum formulam Benedicti XIV, const. *Cum illud*, concursu, « non admittatur appellatio, aut a mala relatione examinatorum, aut ab irrationabili judicio episcopi, nisi intra decem dies a die collationis interponatur. » Et documenta quæcunque studiose conquisita, et post concursum (ut aiunt) expiscata, nullo modo recipiantur a judice appellationis. (Const. *Cum illud.*)

XI. *De nullitate collationis parochialium aliter factæ quam per formam concursus.* — In parochiis legi concursus subjectis, parochus ad normam concursus per Tridentinum, et pontifices S. Pium V et Benedictum XIV præscriptam electus et institutus habet ex titulo jurisdictionem a lege ordinariam.

« Alias vero provisiones omnes, seu institutiones, præter supradictam formam factæ, subreptitiæ esse censeantur : non obstantibus huic decreto... impedimentis quibuscunque. (*Trident.*, c. 18, sess. 24.) — « Tenore præsentium omnes et singulas collationes, provisiones, institutiones parochialium ecclesiarum... præter, et contra formam ab eodem concilio Tridentino præsertim in examine per concursum faciendo præscriptam, factas, aut in futurum faciendas, *nullas, irritas*, ac *nullius roboris vel momenti*, fore et esse, *nullumque* provisis *jus, aut titulum, etiam coloratum* possidendi præbere; et parochiales ecclesias hujusmodi, quæ vacabant, ex tunc vacare statuimus, decernimus et declaramus. » (S. Pius V, const. *In conferendis.*) Præterea eadem constitutio parochiarum quæ prædicto modo nulliter collatæ fuerint, collationem reservat Sedi apostolicæ. — Eadem reservatio decernitur, si ordinarii collatores *intra sex mensium spatium a die vacationis* vacantem parochiam non contulerint. — Eadem reservatio statuitur quando parochia est juris patronatus ecclesiastici vel misti, si infra tempus patronis a jure præfinitum non fiat præsentatio ; atque item si *intra duos menses* a die præsentationis non fiat institutio.

Quoties vero concursus vitiatur et est ex vitio nullus, devolutio fit ad Sedem apostolicam, et parochia reservata est eidem sanctæ Sedi. Porro ex pluribus causis vitiatur et annulatur concursus : 1. Si examinatores non sunt in synodo electi, aut ex facultate sacræ congregationis Concilii ab episcopo cum consensu capituli deputati. 2. Si non sint jurati. 3. Si non sint ad minus tres examinatores synodales judicantes in concursu. 4. Si cum examinatoribus synodalibus alii intervenerunt qui non erant de synodalibus, iique examinaverunt et votum dederunt. 5. Si examinatores de sola doctrina referant, non autem de aliis requisitis. 6. Idque procedit etiamsi ore tenus examinatores retulerint de dictis aliis qualitatibus, dummodo tamen ex actis non constet eos ore tenus retulisse. 7. Si ante lapsum terminum edicti examen et concursum factum fuerit, si post examen comparuit aliquis, qui se læsum propterea prætendat. 8. Si quis ab examine et concursu rejectus fuerit. 9. Si forma essentialis præscripta servata non fuerit, etc. In his omnibus casibus concursus est nullus, tum irrita facta subinde ab episcopo colla-

tio parochialis ecclesiæ, et fit reservatio sedi apostolicæ.

Cum vero parochi absque concursu, aut ex concursu vitiato et nullo, instituti nullum ne quidem coloratum titulum nec jus possidendi habeant, sequitur eosdem parochos non habere jurisdictionem ordinariam ex titulo et lege, nec jura parochorum canonice institutorum, nec eosdem esse inamovibiles, cum e contra pleno jure cura eorum semper vacet et possit a superiore quando libuerit alteri conferri. (Const. S. Pii V, *In conferendis.*) Possunt tamen tales parochi jurisdictionem delegatam habere.

§ IX. — De institutione parochorum in ecclesiis juris patronatus.

I.—*De præsentatione.*—Ut quis in dictis parochialibus juris patronatus canonice institutur parochus :

1. Necessaria est præsentatio ex parte patroni, nam in hac præsentationis a patrono necessitate præcipue consistit juris patronatus prærogativa.

2. Per præsentationem præsentato acquiritur jus *ad beneficium*, ita ut judicialiter agere possit ut institutio, tanquam quid sibi debitum concedatur.

3. Ut valeat præsentatio, debet a præsentato acceptari.

4. Si plures præsententur, habent tantum jus ut unus ex ipsis instituatur, et tunc fieri debet inter eos concursus ad normam Tridentinam, ut supra.

5. Præsentatio necessario debet fieri coram habente instituere, pendet enim validitas præsentationis ex concursu trium personarum, præsentantis, præsentati et habentis instituere.

6. Patronus potest præsentare sive per seipsum, sive per procuratorem, sive per litteras etiam privatas, aut ore tenus.

7. Necesse non est præsentatum corporaliter præsentem sisti coram illo ad quem pertinet jus instituendi.

8. Is ad quem pertinet instituere debet præsentationem factam acceptare sub tamen conditionibus de jure. Si vero rejiciatur præsentatio legitime facta, possunt præsentans et præsentatus contra rejicientem agere apud ipsius superiorem, ut compellat acceptare ex Leurenio, *For. benefic.*, part. II, quæst. 121 ad 126.

9. Præsentatio ad beneficium jurispatronatus laicorum fieri debet inter quatuor menses a die scientiæ vacationis habitæ. Patronus autem ecclesiasticus et locus pius de jure habet semestre ad præsentandum.

10. Si patronus intra tempus debitum non præsentet, vel si præsentet indignum, collatio ad superiorem devolvitur.

11. Patroni laici, non vero ecclesiastici, intra tempus ad præsentandum ante episcopi institutionem, possunt variare et alium præsentare.

12. Si plures sint patroni, debent concorditer eligere præsentandum, et præsentatus qui plura habet suffragia est ab episcopo instituendus. Et si plures sint æqualiter præsentati, debet inter eos fieri concursus. (Ita communiter et passim doctores.)

II. *De institutione.* — 1. Præsentatus a patrono pro ecclesia parochiali, debet examinari et idoneus reperiri ab examinatoribus synodalibus saltem tribus. (Textu expresso *Trident.*, sess. 24, c. 18.)

2. Deinde omnino necessaria est institutio, ut præsentatus evadat rector legitimus parochiæ juris patronatus ; nam per solam præsentationem nullam in parochia jurisdictionem acquirit ; nec fit parochus nisi quando instituitur, et ipsomet institutionis actu. Sed obligatur prælatus conferre beneficium ei, qui a patrono est præsentatus, et idoneus repertus.

3. Ad episcopum seu ordinarium de jure communi pertinet instituere omnes a patronis præsentatos ad beneficia diœcesis suæ. — Sede episcopali vacante, potest capitulum antequam electus fuerit vicarius capitularis, et postea ipsemet dictus vicarius præsentatos instituere ; quamvis nequeant beneficia liberæ collationis episcopi conferre. — Item instituere potest vicarius generalis ex commissione generali officii sui, quamvis absque speciali mandato nequeat conferre beneficia, quorum collatio ad episcopum pertinet. (Leurenius., loc. cit., quæst. 169, 170 et 171.)—Posse etiam ex speciali titulo (v. gr. ex privilegio sedis apostolicæ) ad alios episcopo inferiores pertinere instituendi potestatem, *vide* apud eumdem Leuren., (*ibid.*, quæst. 172).

Ante institutionem debet publicari edictum, quo citentur omnes interesse habentes : alioquin institutio foret ipso jure nulla. (Leuren., part. II, quæst. 192.)

§ X. — De vicariis perpetuis parochiarum unitarum.

« I. Loquimur hic de parochiis alicui capitulo, vel monasterio, vel beneficio, etc., ita unitis, ut tota cura exerceatur per vicarium aliquem perpetuum; et rector principalis, id est capitulum, vel monasterium, etc., non retineat nisi curam habitualem, nec possit in exercitio curæ sese intromittere. Qui casus locum habet, verbi gratia, in plerisque cathedralibus Galliæ, ubi cura annexa fuit capitulo, et exercetur per vicarium perpetuum, ejusmodi autem vicarios perpetuos esse in re veros parochos, sub prima tractatus parte ostendimus. Et licet proprie dici nequeant *rectores parochiarum* quibus præsunt, vere tamen et proprie dicuntur *rectores curæ* animarum. Porro de iis vicariis perpetuis hic quæritur, ad quos pertineat eos constituere, et quinam sint actus ad hoc necessarii. » (Bouix, *De parocho*, p. 307.)

1. « Respondeo, inquit Leurenius, vicarios perpetuos in parochialibus unitis, non ad liberam ordinariorum deputationem, sed ad deputationem illorum ad quos spectant ecclesiæ unitæ vel beneficia, in quibus erigitur vicaria, spectare. Sic expresse statuit Pius V, in constit. *Ad exsequendum* (*Bullar. Rom.*, t. IV, part. II, p. 402, § 4) : *Volumus insuper et ita mandamus quod dicti vicarii perpetui, non ad liberam ordinariorum electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum ecclesiis unitis ponentur, cum ipsorum ordinariorum seu eorum vicariorum examine et approbatione deputentur.* Atque ita *nominatio* ac veluti institutio vicarii perpetui pertinet ad rectorem principalem, præcedente tamen examine et consensu episcopi sive ordinarii. (Leuren., *For. beneficiale*, part. I, quæst. 116, n. 2.) « Hinc, v. gr. in iis cathedralibus, in quibus animarum cura annexa fuit capitulo, vicarii perpetui curam exercentis nominatio, non ad episcopum, sed ad capitulum pertinet. » (Bouix, *De parocho*, p. 308.)

2. « Constitui tamen nequeunt prædicti vicarii curati absque prævio examine et approbatione episcopi, constat ex const. modo citata *Ad exsequendum* S. Pii V. Sed ad constituendos dictos vicarios perpetuos non requiritur prævius concursus, nec ut examen præsentati fiat ab examinatoribus; sufficit nominatio a capitulo vel collegio cui annexa est cura, cum examine et approbatione ordinarii. (S. Pii V, const. *Ad exsequendum*, ibi expresse dicitur *cum examine et approbatione ordinariorum.*)

II. Parochi tum a patronis præsentati, tum vicarii perpetui parochialium unitarum, canonice, ut supra, nominati et instituti, habent jurisdictionem ex titulo ordinariam a lege.

§ XI. — Vota populi audienda sunt in electione parochorum.

Parochum quomodocunque nominatum et institutum recusare potest populus ex justa causa. (Arg. cap. *Ut circa electiones* 4, *De election.* in 6 cum similibus, Bordon. in *Miscellan.* decis. 166 apud Ferrar. verb. *Moniales*, art. 5, n. 34.) Et ex multis juris textibus colligitur quod in electione parochi vota parochianorum sint audienda. Imo olim archipresbyteri, qui tunc temporis erant parochi, eligi debebant a clero et populo; cap. *Si in plebibus* 20, dist. 63, ibi : *Si in plebibus archipresbyteri obierint, aut pro aliquo reatu exinde ejecti fuerint, archidiaconus, quanto ocius proficiscatur illuc, et cum clericis, et populis ipsius plebis electionem faciat, quatenus dignus Pastor domui Dei constituatur, et dum ordinatur, ejus providentia ipsa plebs custodiatur.* Et cap. *Reliqui* 1, dist. 67, ubi Anacletus papa sic statuit : *Reliqui sacerdotes a proprio ordinentur episcopo, ita ut cives et alii sacerdotes assensum præbeant, et jejunantes ordinationem celebrent.* Similiter et diaconi ordinentur; et confirmatur cap. *Nullus* 1, *De elect.*, lib. I *Decretalium*, ibi : Et *eisdem convocatis etiam parochianis, atque in unum consentientibus.* Et cap. *Querelam* 24 ejusdem tit. et libri. Dum e contra ab antiquis canonibus reprobantur clerici a quacunque laicali potestate electi; cap. *Omnis electio* 7, dist. 63, cum similibus, ibi : *Omnis electio episcopi, vel presbyteri, vel diaconi a principibus facta, irrita maneat, secundum regulam quæ dicit : Si quis episcopus*, etc. Ex septima synodo, 2 Nicæna. Porro vota populorum audienda sunt in eorumdem parochorum electione ex mente apostolorum et traditionis catholicæ; sed petitio, injunctio cujuscunque potestatis sæcularis est error laicismi in ecclesiæ ruinam.

CAPUT VIII.

De Galliarum parochis et rectoribus ecclesiarum (etiam succursalium) ex Concordato anni 1801.

§ I. — Stabilitur jus particulare.

I. *Quoad parochias*, supra in capite 5, exposuimus jus peculiare Galliarum de forma-

tione parochiarum ; aliquid tantum hic addendum est. Per concordatum limitata fuit facultas episcoporum efformandi parochias in suis diœcesibus. Art. 9 hujus Concordati sic habet : *Les évêques feront une nouvelle circonscription de paroisses de leurs diocèses, qui n'aura d'effet que d'après le consentement du Gouvernement.* Et, in bulla confirmationis dicti Concordati, *Ecclesiæ Christi*, sic statuitur : *Cum omnino necesse sit limites etiam paræciarum constitui, earum circumscriptionem ab episcopis fieri volumus, quæ tamen circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam Gubernii consensus accesserit.*

Cardinalis legatus Caprara cui per bullam *Qui Christi Domini* datæ fuerunt potestates amplissimæ, cum facultate easdem subdelegandi, pro Concordati exsecutione, sic statuit in generali decreto diœcesium circumscriptionis :

Quoniam.. nova a futuris archiepiscopis et episcopis paræciarum circumscriptio in singulorum diœcesibus facienda est, quam minime dubitamus talem futuram quæ fidelium in unaquaque diœcesi exsistentium tum copiæ, tum necessitati respondeat ne illis doctrinæ pabula, sacramentorum subsidia, atque ad æternam salutem consequendam adjumenta possint deesse. Hinc ergo est, quod nos de præfata apostolica auctoritate nobiscum, ut supra, communicata, omnes et singulas parochiales ecclesias quæ in territoriis diœcesium novæ circumscriptionis continentur, et in quibus animarum cura, per quemcunque presbyterum exercetur, qui parochi, rectoris, vicarii perpetui, aut alio quocunque titulo et appellatione gaudet, cum suis titulis, animarum cura, et jurisdictione quacunque, nunc pro tunc, suppressas perpetuo fore declaramus ; ita ut, cum singulis ecclesiis in unaquaque diœcesi in parochiales erectis singuli parochi seu rectores, novorum antistitum auctoritate præfecti fuerint, omnis antiquorum parochorum jurisdictio in territorio novis paræciis assignato cessare prorsus debeat, neque ullus præter novos parochos seu rectores a novis antistibus institutos, illarum ecclesiarum, aut in eo territorio parochus, aut alio quolibet titulo et appellatione gaudens, censeri et haberi, neque animarum in eo territorio contentarum curam exercere amplius possit.

Singulis vero parochialibus ecclesiis sic erigendis pro congrua rectorum sustentatione eos redditus qui, ut in supra dicta conventione statutum est, assignandi erunt, iidem archiepiscopi et episcopi dotationis locum habituros fore declarabunt.

Porro statutum fuerat per Concordati art. 12 : *Toutes les églises, métropolitaines, cathédrales, paroissiales et autres non aliénées, nécessaires au culte, seront remises à la disposition des évêques.* — art. 14 : *Le gouvernement assurera un traitement convenable aux évêques et aux curés dont les diocèses et les paroisses seront compris dans la circonscription nouvelle.*

In titulo erectionis cathedralis ecclesiæ, sic idem legatus Caprara statuit : *Deinde parochialibus ecclesiis omnibus universi Gallicani territorii a nobis in supra memorato generali decreto nostro.. apostolica auctoritate suppressis, de eadem auctoritate primo futuro archiepiscopo Parisiensi tenore præsentis decreti injungimus, et mandamus, ut secundum ea quæ in supradictæ conventionis approbationem a sanctissimo domino nostro sancita sunt apostolicis litteris* Ecclesia Christi *tot in Parisiensi diœcesi novo circuitu finibusque, ut supra a nobis circumscripta ecclesias eligat, easque in parochiales quam citissime erigat, quot necessariæ ipsi videbuntur, diligentissima ratione habita tum copiæ, tum necessitatis fidelium curæ suæ subjectorum, ne illis doctrinæ pabula, sacramentorum subsidia, atque ad æternam salutem assequendam adjumenta ullo pacto deesse possint. Eos vero redditus qui, ut in supradicta conventione statutum est, assignandi erunt singulis parochialibus ecclesiis sic erigendis pro congrua rectorum sustentatione, idem archiepiscopus prædictis parochialibus ecclesiis earumque rectoribus pro tempore futuris perpetuo attribuat atque constituat.*

Ex his juribus episcopi auctoritate apostolica muniti potuerunt suas diœceses dividere et parochias novas erigere ; tenebantur vero hanc divisionem et erectiones secundum jus commune exsequi; nulla enim huic juri communi derogandi datur ipsis episcopis facultas. Solus namque papa juri communi derogare potest. Igitur omnes parochiæ novæ in jure communi erectæ fuerunt absque ulla exceptione aut differentia parochias inter (*cantonales* dictas) et parochias (*succursales* dictas). Omnes ergo pleno jure

fuerunt perpetuæ et inamovibiles; nam episcopi non potuerunt clausulam revocabilitatis ad nutum introducere in limine fundationis, cum tale jus ad solos patronos fundatores competat; episcopi vero non fuerunt fundatores, sed tantum delegati sanctæ sedis ad erigendas secundum jus universale novas parochias. Atqui probavimus omnes parochiales ecclesias esse de jure tam antiquo quam novo perpetuas et per rectores inamovibiles regendas. Sequitur etiam ex nova erectione omnes parochias esse ad liberam episcopi collationem.

Una tantum juri communi derogatio per concordatum introducta fuit, videlicet *consensus Gubernii* ad parochiarum erectionem. Atqui Gubernium per *articulos organicos* seu legem 18 *Germinal. an.* X sic decrevit : Art. 60 : *Il y aura au moins une paroisse dans chaque justice de paix. Il sera en outre établi autant de succursales que le besoin pourra l'exiger.* — Art. 61 : *Chaque évêque, de concert avec le préfet, réglera le nombre et l'étendue de ces succursales.*

Les plans arrêtés seront soumis au Gouvernement, et ne pourront être mis à exécution sans son autorisation. — Art. 61 : *Aucune partie du territoire français ne pourra être érigée en cure ou en succursale sans l'autorisation expresse du gouvernement.*

Ergo ex his articulis parochiæ succursales sicuti cantonales assensum Gubernii obtinuerunt ex eodem Concordati titulo. Igitur sunt omnes veræ parochiæ, in stricto juris sensu, poterat enim gubernium parochiis succursalibus assensum suum denegare; non vero earumdem essentiam de jure immutare. Eo ipso quod ipsarum erectioni consensit, fiunt proprie dictæ parochiæ juxta commune jus Ecclesiæ; nulla enim alia conditio apposita fuit in Concordato.

II. *Quoad parochos et rectores ecclesiarum.* — In concordato statuitur : art. 10 : *Les évêques nommeront aux cures. Leur choix ne pourra tomber que sur des personnes agréées par le Gouvernement*; et in Bulla Pii VII *Ecclesia Christi : Jus nominandi parochos ad episcopos pertinebit, qui tamen personas non seligent nisi iis dotibus instructas, quas Ecclesiæ canones requirunt* (*atque ut tranquillitas eo magis in tuto sit*) *Gubernio acceptas.*

In titulo erectionis cathedralium a legato Caprara dato, sic habetur : *Iisdem ecclesiis ita in parochiales erectis archiepiscopus ipse rectores dabit iis dotibus et prærogativis instructos, quas sancti Ecclesiæ canones requirunt, atque ut tranquillitas eo magis in tuto sit, Gubernio acceptos, qui in stato territorio ab eodem archiepiscopo certis limitibus præfiniendo curam animarum exerceant. Futuris etiam et pro tempore exsistentibus archiepiscopis Parisiensibus ad supradictas parochiales ecclesias, dum illas in posterum vacare contigerit, idoneas pariter personas ecclesiasticas juxta ea de quibus in sæpe laudata conventione statutum est pronovendi et instituendi de præfata apostolica auctoritate facultatem indulgemus.*

Et infra : *Eidemque futuro ac pro tempore exsistenti archiepiscopo Parisiensi, ut præter collationem paræciarum eo modo qui in supra memorata conventione ac in præsenti decreto statutus* (19), *quæcunque alia cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus, personis idoneis pleno jure conferendi et de illis providendi de eadem speciali apostolica auctoritate potestatem omnem concedimus et impertimur.*

Episcopis igitur ex apostolica auctoritate pertinet omnes parochos, rectores parochialium nominare, promovere et instituere. Cum vero hæc potestas non ad eorum jurisdictionem ordinariam attineat, sed eadem gaudeant tanquam in partem sollicitudinis vocati a summo pontifice, cui jure divino pertinet omnia omnino beneficia ecclesiastica administrare et conferre, episcopi nequeunt naturam beneficiorum mutare, nec a semetipsis provisos beneficiatos conditionibus juri pontificio contrariis aut derogantibus subjicere. Porro nec in Concordato, nec in bulla *Ecclesia Christi*, nec in legati Caprara decretis admittitur ulla distinctio, ulla differentia inter parochos (cantonales) et (succursalistas) imo episcopi non possunt seligere nisi personas iis dotibus et prærogativis instructas, quas Ecclesiæ canones requirunt ; ergo debent promotiones et institutiones facere juxta Ecclesiæ canones et leges, et textu expresso *juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus.*

(19) Id est cum Gubernii acceptatione.

Atqui ex sacris Ecclesiæ canonibus, et praxi Galliarum generali ante regiminis immutationem : 1° Omnes parochi erant et sunt inamovibiles ; 2° Omnes parochiæ liberæ collationis debent conferri ad formam examinis per concursum ; etenim hæc est lex Tridentina, per quam constatari debent dotes et idoneitas promovendorum; ab electione per concursum promoti omnes canonicas suas prærogativas tenent, ita ut aliter provisi *nullum jus* nec *titulum etiam coloratum* habeant, et parochiæ eorum vacent ; const. S. Pii V. *In conferendis*. Præterea lex tridentina de concursu promulgata fuit per plura concilia provincialia in Galliis celebrata paulo post concilium Tridentinum, sæculo decimo sexto, præsertim Remense, Burdigalense, Tolosanum etc., etc. et observata fuit in multis regionibus, uti Britannia minori, Lotharingia, regione Senonensi, Cæsaraugustanensi, Atrebatensi et aliis.. Alibi tamen, passim parochiales conferebantur more solito ante Tridentinum. Sed dici a nemine potest legatum et sanctam sedem decernendo quod beneficia conferrentur *juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas*, voluisse derogationem legi Tridentinæ alicubi passim usurpatam fieri legem communem in Galliis, ubi certo certius in multis pluribus regionibus observabatur ante regiminis immutationem lex communis Tridentina. Cum igitur ex Concordato omnes Galliarum parochiæ sint liberæ collationis, sequitur eas non posse canonice conferri nisi per formam concursus a Tridentino præscriptam ; proindeque omnes provisiones, collationes et institutiones aliter factæ sunt nullæ, irritæ, nullumque jus aut titulum conferunt sic provisis.

Ex Concordato necessarius erat Gubernii consensus ad parochiarum erectionem et ejusdem Gubernii acceptio parochorum nominatorum. Hæc Gubernii prærogativa omnibus indubie parochiis, et etiam parochis quibuscunque applicanda venit. Sed cum eamdem pensionem omnibus parochis solvere noluit, distinctionem inter parochias et parochos suo marte invenit Gubernium ; decrevit in prætensa lege organica, tit. IV, sect. 2, parochias alias futuras esse proprie dictas parochias, alios succursales; et parochos alios futuros esse proprie parochos, alios deservitores. Hæc distinctio quoad pensionem et sustentationem solvendam facere potuit, quia nihil statutum fuerat in Concordato de pensionis quotitate, sed relictum Gubernii judicio et justitiæ id fuerat. Ista vero distinctio nihil potuit immutare in jure communi parochiarum et parochorum, defectu potestatis ex parte civilis gubernii. Attamen Gubernium sic statuit art. organico 63 : *Les prêtres desservant les succursales seront nommés par les évêques.* Et art. 31 : *Les vicaires et desservants exerceront leur ministère, sous la surveillance et la direction des curés. Ils seront approuvés par l'évêque et révocables par lui.* Sancta sedes reclamavit, per litteram card. Caprara 18 Aug. 1803, contra hanc dispositionem, quæ *deservitores* parochis subjiciebat. Episcopi etiam reclamarunt, et « De facto memoratum articulum, sensu quo deservitores subjicerentur parochis tanquam vicarii intellectum, non acceptarunt ; sed contra rejecerunt; siquidem deservitoribus curam animarum proprio nomine, exercendam commisere ; ita nempe ut parochiæ præcipuæ rector curam actualem in succursali nullam haberet, nec posset in ea sese immiscere, » et ita ut ne quidem curam habitualem haberet. Ipsummet Gubernium suum articulum intellectum voluit eo sensu, qui modo agendi episcoporum consonaret. Nam in sua quadam ad episcopos epistola (25 Thermid. an. X) prænonebat dominus Portalis, non in aliud intendisse articulum organicum, quam ut præcipuæ parochiæ rectori committi ab episcopo posset inspectio in succursalem, necnon visitatio, aliaque jura olim archipresbyteris et decanis competentia.

« Unde certum omnino est cuilibet deservitori committi animarum curam, non tanquam vicario alterius, sed proprio nomine exercendam. » (Bouix, *De parocho*, p. 237.) Et ita deservitor est proprie dictus parochus.

Certum est etiam Gubernium, per articulos organicos 63 et 31 renuntiasse suæ ex Concordato prærogativæ quoad *acceptionem* deservitorum, quos ideo absque ulla recognitione Gubernii nominare possunt episcopi. Nullo modo autem potuit Gubernium per dictos articulos nec per quamcunque legem reddere parochos succursalistas amovibiles ad nutum episcopi. Nec ipsimet episcopi hanc revocabilitatem statuere potuerunt, defectu potestatis et delegationis ad hoc.

Parochi præcipuarum parochiarum non

sunt perpetui ex articulis organicis, qui nihil de hac perpetuitate statuerunt nec statuere potuerunt; non sunt etiam perpetui ex statuto aliquo episcoporum, quibus tale statutum ferendi potestas deest. Isti vero parochi sunt ex jure communi ecclesiæ perpetui et non revocabiles ad nutum. Atqui parochi succursalistæ sunt ex eodem jure communi veri et proprie dicti parochi, proindeque perpetui et non ad nutum episcopi revocabiles. Nec Gubernium nec episcopi potuerunt jus ecclesiæ immutare, nec quoad parochos præcipuos, nec quoad succursalistas; solus Romanus pontifex talem habet potestatem. Ideoque nullo modo potest gubernium civile cognoscere causas revocabilitatis parochorum quorumcunque; cum istæ causæ ad solam tribunalium ecclesiasticorum cognitionem pertineant.

Concludendum igitur est omnes Galliarum parochias et parochos quoscunque sive (cantonales) sive (succursales) pleno juri Ecclesiæ communi et Tridentino subjacere, præter duas derogationes, scilicet 1° quod requiratur consensus Gubernii ad novam parochiarum erectionem; 2° quod parochi præcipui seu dicti (de cantons) debeant esse Gubernio accepti; in nullo omnino alio derogatum fuit juri communi, quod igitur remanet in suo pleno vigore.

§ II. — De consuetudine et praxi Gallïarum ex Concordato anni 1801.

Jus verum in tuto posuimus; quid vero sit de consuetudine et praxi Galliarum. « In omnibus Galliæ diœcesibus, a tempore Concordati ad præsentem usque diem, constans praxis fuit, ut rectores parochiis absque ullo prævio concursu præficerentur.

« Ut autem legitima probetur hæc ecclesiarum Galliæ praxis, duo duntaxat allegari posse videntur fundamenta : 1. Verba concordati anni 1801, *episcopi ad paræcias nominabunt*. 2. Quinquagenaria quæ jam interfluxit consuetudo. Cum enim universalis sit Tridentina lex de concursu, nec aliunde unquam intercesserit expressa sedis apostolicæ quoad Galliam dispensatio, nisi valeret alterutrum saltem ex assignatis argumentis, hodiedum in Gallia urgere concursus disciplinam foret concludendum. Si enim neque vi concordati, neque vi consuetudinis legitima foret dicta praxis, quonam alio titulo fulciri possit ego prorsus non video. Nam ad priscum jus particulare, quo Galliarum ecclesiæ olim ante Concordatum anni 1801 fruebantur, frustra provocaretur; tum quia et in Gallia tunc vigebat Tridentina lex de qua loquimur; tum quia jus illud Galliis proprium, quodcumque tandem fuerit, suppressis et exstinctis a Pio VII ecclesiis quibus inhærebat, pro antiquato jam et exstincto habendum est, prout in tractatu *De principiis* probavimus. » (Bouix, *De parocho*, p. 355.)

1. *Num ex Concordato anni* 1801 *sequatur Galliarum ecclesias legi Tridentinæ de concursu non subjacere.*

1. *Rationes quæ affirmandum suadent.*—Pro affirmativa arguitur ex his verbis Concordati : *Episc. ad paræcias nominabunt*, et ex eo quod nihil de concursu in Concordato et ejusdem exsecutorialibus bullis et decretis dicatur.

2. *Rationes in oppositum. — Primo :* Per se jus nominandi ad paræcias, imo et jus eas conferendi, nequaquam excludit servandæ concursus formæ obligationem; siquidem peracto etiam ad formam Tridentini decreti concursu, ordinario collatori suum remanet jus parochiam conferendi illi, quem inter approbatos digniorem existimat; nec ab alio quam ab ordinario collatore fieri collatio, seu legitime parochus constitui potest. Unde si voces illæ, *episcopi ad paræcias nominabunt*, in sensu ordinario jurisprudentiæ canonicæ sumantur, disciplinæ concursus minime adversari censendæ sunt; sed interpretandæ quasi diceretur, ad paræcias episcopi nominabunt, *servatis in hac peragenda nominatione Ecclesiæ legibus ;* quas voces adjici necesse non erat, cum de jure subaudiuntur. (Bouix, *ibid.* pag. 356 et seq.)

Secundo : Silentium Concordati de lege concursus nequaquam hujusmodi legis abrogationem pro Gallia innuit; e contra tale silentium, de jure, probat legem istam perseverare; siquidem pro lege abroganda necesse est ut legislator de ea mentionem faciat, aut saltem directe in oppositum de novo statuat. Atqui neutrum factum est.

Tertio : Imo vero lex concursus de novo sancita est pro Gallia per bullam *Ecclesia Christi* et decreta cardinalis Caprara; ex his enim *episcopi non possunt in parochos seligere nisi personas idoneas, iis dotibus et prærogativis instructas, quas Ecclesiæ canones requirunt.* Porro canones requirunt ut parochi digni et idonei reperiantur in exa-

mine concursus ab examinatoribus synodalibus saltem tribus, sub pœna collationis subreptitiæ, nullius et irritæ, atque nullum jus nec titulum etiam coloratum conferentis.

Quarto : Præfata (Concordati) verba non censenda sunt disciplinam de concursu excludere, si eam non excludant in simili Concordato, Napoleonem inter et Pium VII pariter inito, quatuor post annis, quoad rempublicam Italicam : porro in hoc posteriori Concordato eadem tribuitur episcopis parochias conferendi potestas, et nihilominus simul monentur episcopi ne illas conferant nisi prævio concursu. Sic enim habetur articulo 13 : *Sanctitas sua concedit episcopis jus conferendi paræcias, quæ quovis anni tempore erunt vacaturæ; iique prævio concursu paræcias liberæ collationis conferent iis, quos ipsi digniores judicabunt. In paræciis vero juris patronatus ecclesiastici instituent eos, quos prævio pariter concursu tanquam digniores inter approbatos ab examinatoribus patronus ecclesiasticus præsentabit. In paræciis vero laici patronatus præsentatos instituent, dummodo præmisso examine idonei fuerint inventi. In omnibus autem prædictis casibus habebitur ratio, ut qui paræcias assecuturi erunt, sint Gubernio accepti.*

« Notandum autem, in formula, quam sedes apostolica Parisios transmitti curaverat, articulum hunc, etsi non sensu, verbis tamen diversum tantisper fuisse; et mutata quidem, antequam Parisiis a partibus subscriberetur, nonnulla verba; at circa præscriptum concursum nihil. Ut adeo sic rigorose argui posse videatur; si concursus disciplina excluderetur his verbis, *Episcopi ad paræcias nominabunt*, excluderetur etiam, et a fortiori, istis, *Sanctitas Sua concedit episcopis jus conferendi paræcias;* atqui posterioribus non excluditur; ergo nec prioribus. Quod quidem argumentum mihi gravissimum (ne dicam peremptorium) videtur. » (Bouix, *ibid.* p. 357 et seq.) Ad interpretandum silentium de lege concursus in concordato Gallico, rememorandum est quanta fuerit pressio exercita in sanctam sedem, et quantam adhibere prudentiam debuit ut ad felicem exitum duceret inceptam conventionem, eadem cum prudentia remedium huic silentio per bullam *Ecclesia Christi* et decreta legati, quorum verba expressissima transcripsimus supra, attulit sedes apostolica.

Quinto : « Quod autem objicitur, primos post concordatum episcopos de instituendo quoad vacantes parochias concursu non curasse, vim non habet. Etenim ex ipso Tridentini decreti textu non urget instituendi concursus lex, quando pertimescendum foret grave aliquod damnum, verbi gratia factiones aut graviores parochianorum rixæ; sicut nec obligat quando certum est nullum concursurum. Tunc scilicet liberum est episcopo, quos pro sua prudentia maluerit, parochiis præficere. » (Ita Bouix, *ibid.* p. 358, ubi probat impossibile fuisse episcopis congregare synodum, examinatores synodales deputare, concursum ad tot parœcias indicere, numerum clericorum sufficientem habere, immediate post Concordatum.) Præterea hujus temporis historia nos docet episcopos nec sanctam sedem fuisse liberos in electione nec vicariorum generalium, nec canonicorum, nec parochorum. Aliam tandem rationem nobis suppeditant canonistæ; etenim « Concursus non est adhibendus in provisione parochiæ de novo erectæ, sed pro prima vice libere confert episcopus, approbatione facta coram examinatoribus synodalibus, » si adsint. (Pac. Jard. *Lucubr.* tom. II, lib. x, tit. vii, n. 102; cardin. De Luca, *De paroch.* disc. 27, n. 5, apud Monacelli, t. I, tit. ii, form. 2.)

Atqui omnes parochiæ Galliarum de novo erectæ sunt per Concordatum; proindeque in prima earumdem collatione adhibendus non fuit concursus. Nihil igitur concludi potest ex hac concursus omissione. Tanto minus quod Leodiensis diœcesis in Belgio (quamvis ea etiam regio dicti Concordati statutis subjaceat) forma concursus in collationibus parochiarum utitur.

Quibus rationibus pro et contra libratis, fateor Concordati textum insufficiens videri fundamentum, ad asserendam ecclesiarum Galliæ a generali concursus lege exemptionem.

II. *An quinquagenaria consuetudo parochias absque prævio concursu conferendi, evincat non vigere hodie in Gallia Tridentinam de ejusmodi concursu legem ?*

1. *Rationes quæ affirmandum suadent.* — *Primo :* præscribi potest contra legem mere ecclesiasticam per consuetudinem annorum quadraginta... Porro praxis Galliæ jam plus-

quam quadragenaria est. Ergo jam non viget quoad Ecclesias Galliæ disciplina concursus.

Secundo : Nisi desiisset illa lex, quoad Gallias, vigere, dicendum foret parochos omnes a tot annis ad parochias deputatos illegitimos fuisse, et jurisdictione caruisse ; quod dicere prorsus intolerabile est.

Tertio : Prætermissio synodorum annualium in quibus designari oportet examinatores concursus.

Quarto : Galliæ praxim probe novit sedes apostolica, et nihilominus siluit ; ergo in eam consensit ; ergo legitima est.

Rationes in oppositum.— Primo. « Ad præscribendum contra legem ecclesiasticam, non sufficit consuetudinem appositam esse quadraginta annorum, et per se innocuam ; sed requiritur ut merito præsumi possit legislatoris consensus ; et ordinarie quidem ex eo quod legislator legem suam per longum tempus non urgeat, merito concluditur ipsum in praxim contrariam consentire ; sed id non est universaliter et absolute verum : etenim contingere potest ut legislator sileat, etiam per annos sexaginta et ultra, non ex eo quod consentiat, sed ex eo quod majus malum, si legem pro tunc urgeret, pertimescat ; atque idcirco opportuniores exspectet circumstantias ad evellendam consuetudinem, et exigendam legis observantiam. » Et certum est, et de jure, silentium prudentiæ sanctæ sedis nunquam invocari posse ad consuetudinem probandam et præscribendam. « Quod autem in specie quoad nonnullas Galliæ consuetudines, non consentiendo, sed opportuniora ad eas evellendas tempora præstolando, sedes apostolica prudenter siluerit, et quidem diutissime, non tantum impossibile non est, sed facile supponi potest. Nam in ea regione olim viguit, et post Concordatum etiam anni 1801 vigere et doceri perrexit doctrina illa notissima, quæ Gallicanismi nomine nuncupari solet. Præcipuum porro hujus systematis placitum erat, vim legis non habere pontificia circa disciplinam decreta, nisi ab episcopis acceptentur et publicentur : imo (ut multi in Gallia tenebant) nisi regium prius assensum obtinerent, et in parlamento registrarentur : præterea non posse Romanum pontificem receptas in Gallia consuetudines immutare et ad jus commune inflectere : nec obligationem inducere quidquid in hunc finem sedes apostolica moliretur. Qua stante doctrina et sat generali persuasione, quid, quæso, frugis obtinuisset Romani Pontificis reclamatio contra aliquam Galliæ praxim juri communi adversantem ? et nunquid potius sedi apostolicæ incumbebat quædam ex prudentia silendi necessitas ? Præsertim cum sperari merito posset gentem illam, sincere cæteroquin et ex præcordiis centro unitatis et sedi apostolicæ addictissimam, erroneas opiniones illas sponte sua serius ocius exuturam. Siluit quidem et diutissime de multis in Gallia juri communi adversantibus pia mater Ecclesia Romana : at vero consenserit, mihi videtur ex silentio duntaxat probari non posse. Et certe de liturgiis, contra Pianas sanctiones inductis, plus quam integro etiam sæculo siluerat : et tamen nuper cum quæsitum fuisset num legitimum foret Cenomanense breviarium aptumque ut ejus recitatione Horarum canonicarum debito satisfieret, negative a sacra Rituum congregatione responsum est. Quod ergo legitima evaserit praxis parochias absque prævio concursu conferendi, non videtur ex sola quinquagenaria consuetudine, silente interea sede apostolica, rigorose probari. » (Ita Bouix, *De parocho*, p. 359 et seq.)

Ex alia etiam ratione non videtur legitima praxis parochias absque prævio concursu conferendi ; etenim primi post Concordatum episcopi, ut supra dictum est, potuerunt canonice conferre pro prima vice novas parochias ; præterea lex civilis prohibuit concilia nationalia, provincialia, synodos diœcesanas ; etenim sic habet, art organicus 4 legis 18 Germinal an. X : *Aucun concile national ou métropolitain, aucun synode diocésain, aucune assemblée délibérante n'aura lieu sans la permission expresse du Gouvernement.* Ideoque concilia provincialia et synodi diœcesanæ non potuerunt cogi usque ad annum 1848. Proindeque nequiverunt episcopi deputare examinatores synodales, nec concursus ad parochias facere. Atqui, de jure, nunquam per violentiam et oppressionem contra ullam legem præscribi potest. Ergo praxis Galliarum per vim et oppressionem inducta non est legitima.

Ex eadem vi et oppressione eruitur alia peremptoria ratio contra consuetudinem Gallicanam ; nemo enim ignorat fere omnes leges canonicas in Galliis usque ad ultimos

annos ignotas fuisse, nec doceri quidem, nec proinde observari, ut patet de liturgiis usque ad annum circiter 1841, de conciliis provincialibus, de synodis diœcesanis, de capitulis, de vicariis generalibus et capitularibus, de seminariis, de parochis et collatione omnium beneficiorum, de confessariis monialium, de judiciis, de dispensationibus et absolutionibus reservatis, de alienatione bonorum ecclesiasticorum, de hæreditate sacro episcoporum, etc., etc., qui tituli fere omne jus Ecclesiæ includunt. Atqui consuetudo tam generalis, quæ tendit ad totum omnino jus Ecclesiæ abrogandum et abolendum, est manifeste plus quam maxime irrationabilis et corruptela, cum subvertat statum Ecclesiæ, divinam sanctæ sedis auctoritatem et etiam in pluribus jus naturale. Unde sequitur in tali rerum statu quod nulla particularis consuetudo possit præscribi; nam si concederetur alicui consuetudini legitimitas præscriptionis, cur non concederetur omnibus aliis, quæ tamen simul sumptæ totum jus Ecclesiæ subvertunt. Hæc argumentatio adeo vera est ut episcopi, ex quo aliquam libertatis umbram habuerunt, conati sint in pluribus reducere laudabilem juris Ecclesiæ praxim. Ergo praxis de concursu non faciendo ad parochias non potest magis quam aliæ legitimari.

Secundo: « Advertendum est disciplinam de concursu esse lege Tridentina sancitam. Porro adversus Tridentina decreta non posse præscribi, pro certo tenent, cum Benedicto XIV (Instit. 60, n. 7) doctores gravissimi.» (Bouix, *De parocho*, p. 361.) Ratio est quia consuetudo est interpres legum; atqui Tridentini interpretatio reservata est sanctæ sedi, et prohibita aliis omnibus sub pœnis et censuris constitutionis Pii IV, ***Benedictus Deus.*** Sunt tamen qui putant aliquam accidentalem consuetudinem induci posse contra decreta Tridentina.

Tertio: « Quod autem objicitur nisi legitima foret dicta praxis, secuturum aliquid dictu intolerabile, parochos nempe omnes illegitimos fuisse, nullius momenti est, certum siquidem principium, parochis suppleri ab Ecclesia jurisdictionem modo existimatum saltem titulum habeant.» (Ita Bouix, *De parocho*, p. 361.) Et quia constitutio S. Pii V *In conferendis* adimit etiam titulum coloratum, restat adhuc ut parochi absque concursu provisi habeant jurisdictionem delegatam, tanquam eorum vicarii, et hæc jurisdictio ad ordinarios casus omnes sufficeret.

Quarto : Prætermissio synodorum annalium in quibus designari oportet examinatores concursus, nequit suffragari consuetudini; quia esset violationem legis legitimare per aliam violationem ; prætereaque potuissent episcopi a sacr. congr. Concilii postulare facultatem deputandi examinatores cum consensu capituli, si tum de hac via cogitassent et eum modum novissent.

Quinto : De silentio sanctæ sedis jam dictum est supra quod non tuto possit præsumi quoad praxim Galliarum. Præterea pluribus episcopis, ut ab aliquibus audivimus, notum est quod sancta sedes, in visitatione ad limina, eos benigne hortatur ad leges canonicas in praxim reducendas.

« Expositis hinc inde rationibus quoad illud alterum, ex consuetudine petitum, fundamentum, fateor me non audere in re tam gravi quidquam concludere. » (Ita Bouix, *De parocho*, p. 361, cui subscribimus.) Ad episcopos dubia de tam gravi quæstione ad sanctam sedem et sacr. congr. Concilii pro solutione proponere pertinet; et parochis de suo statu inquietis incumbit dubia eadem sacræ Congregationi et preces porrigere summo pontifici, ut suprema sua auctoritate suarum parochiarum collationes convalidet. Hæcque agendi ratio tum episcoporum, tum parochorum erit erga sanctam sedem actus obedientiæ ac reverentiæ, quo adaperietur via et reditus ad sacrorum canonum laudabilem observantiam.

§ III. — De revocabilitate parochorum seu rectorum deservitorum ex praxi Galliarum post Concordatum anni 1801.

De jure communi parochi deservitores sunt inamovibiles, sicut parochi præcipui. Nec Gubernium, nec episcopi in erectione novarum parochiarum potuerunt jus commune abrogare. Et de facto in hac erectione post Concordatum episcopi non posuerunt conditionem revocabilitatis. Restat igitur sola praxis Gallicana ad legitimandam consuetudinem amovendi ad nutum parochos deservitores dictos. Hæc vero quæstio non venit discutienda cum sit nuper a sancta sede judicata contra consuetudinem et in favorem juris communis. Etenim illustriss.

reverend. Van Bommel episcopus diœcesis Leodiensis, in qua lex concursus servatur summo pontifici Gregorio XVI, sua dubia de rectorum amovibilitate ad nutum submisit anno 1845. Consultatio remissa fuit sacr. congr. Concil. Sed illustriss. Van Bommel debuit bis postulare; prima vice in his terminis scripserat:

« Beatissime Pater. — Infrascriptus episcopus Leodiensis omni qua decet veneratione humillime petit, ut examinetur sequens dubium, sibique pro conservanda in sua diœcesi unitate inter clericos et ecclesiæ pace communicetur solutio

« An, attentis præsentium rerum circumstantiis, in regionibus in quibus, ut in Belgio, sufficiens legum civilium fieri non potuit immutatio, valeat et in conscientia obliget, usque ad aliam sanctæ sedis dispositionem, disciplina inducta post concordatum anni 1801, ex qua episcopi rectoribus ecclesiarum quæ vocantur succursales, jurisdictionem pro cura animarum conferre solent ad nutum revocabilem, et illi, si revocentur vel alio mittantur, teneantur obedire.»

Atqui hæc tam absoluta facultas revocandi et transferendi parochos deservitores commovit animos Patrum in sacr. Congr., ideoque sacr. Congr. intelligere fecit episcopo Leodiensi ut, si tam exorbitanti potestati limites non poneret, ejus dubium absque responsione remaneret. Tunc postulans addidit ultimam clausulam his terminis:

« Cæterum episcopi hac rectores revocandi vel transferendi auctoritate haud frequenter et non nisi prudenter ac paterne uti solent, adeo ut sacri ministerii stabilitati, quantum fieri potest, ex hisce rerum adjunctis, satis consultum videantur.» (*Sign.*) † Cornelius, *episcopus Leodiensis.*

Pro hac secunda vice sic responsum fuit. « Ex audientia sanctissimi die prima Maii 1845. Sanctissimus Dominus noster, universæ rei de qua in precibus, ratione mature perpensa gravibusque ex causis animum suum moventibus, referente infra scripto cardinali sacr. congr. Concil. præfecto, benigne annuit, ut in regimine Ecclesiarum succursalium, de quibus agitur, nulla immutatio fiat, donec aliter a sancta sede statutum fuerit.» (*Sign.*) † P. card. Polidorus *præf.* A Tomasetti, *subsecretarius.*

Ex hac consultatione et ejusdem circumstantiis et responsione plures defluunt observationes et consectaria.

I. Sacr. congr. non judicavit praxim revocandi et transferendi ad nutum deservitores esse legitimam et conditionibus ad consuetudinem legitime præscribendam requisitis suffultam; siquidem declaravit se nihil responsuram esse ad dubium nudum, quo postulabatur *an... valeat et in conscientia obliget... disciplina inducta post concordatum an.* 1801; quæ verba manifeste enuntiant *legem veram* ex consuetudine legitima. Si talis consuetudo fuisset legitima, dubium non commovisset animos Patrum et sacr. congr. respondisset ad consuetum: *Servetur consuetudo.* At, econtra ad respondendum voluit ut limites certæ potestati episcoporum revocandi et transferendi ad nutum ponerentur. Ergo sacr. Cong. non admisit legitimitatem praxis Galliarum.

II. Sanctissimus pontifex non recognovit eamdem praxim tanquam legitime stabilitam; imo eam reprobavit et legem inamovibilitatis etiam deservitorum a sæculis traditam et perpetuam innovavit. *En effet* (ut bene dicitur *in publicatione periodica: Revue théologique* pag. 154). Avril 1859), *le Souverain Pontife accorde une faveur aux évêques:* Benigne annuit. *Son décret contient donc une concession, une véritable dispense : ce qui ne serait pas vrai, si l'organisation des succursales, telle que les évêques l'avaient faite, eût été légale* (aut consuetudine legitimata). *Ceux qui connaissent la pratique de Rome, savent très-bien que les termes* benigne annuit *ne s'emploient jamais dans une déclaration pure et simple et ne sont usités que lorsqu'il intervient une dispense. Si une dispense a été nécessaire, c'est qu'il y avait eu infraction de la loi* « Hæc duo conciliari nequeunt, *dit très-bien M. Houwen, benigne* scilicet *annuere*, ut prædicta disciplina subsistere pergat, et supponere eodem tempore eam juri communi (aut legitimæ consuetudini) innixam esse; quæ enim juri communi innituntur, non solent *concedi*, sed *præcipi*; et ea sola quæ juri (aut legitimæ consuetudini) derogant, specialibusque de causis sunt introducta, *benigne annuuntur.* » (*De parochorum statu*, cap. 3, § 4, p. 132.)

Atqui si dispensatio et concessio necessaria fuit, praxis revocandi et transferendi deservitores ad nutum non erat legitima, nec vim legis consuetudine præscriptæ ha-

bebat. Ergo nunquam hæc praxis legitima fuit. Et hoc exemplum multum facit ad legem concursus in collatione parochialium ; quia sunt duo casus proximi et sese attinentes.

III. Praxis Galliarum transferendi et revocandi ad nutum rectores succursalium, ex tunc non potest fieri consuetudo legitima legem faciens, quia ubi intervenit dispensatio et legislatoris temporaria concessio consuetudo et præscriptio ipso facto interrumpitur et interdicitur, et lex viget per ipsam dispensationem, ut unanimiter docent canonistæ.

IV. Lex igitur inamovibilitatis rectorum ecclesiarum succursalium viget, et innovata fuit per dispensationem et benignam concessionem summi pontificis in decreto 1 Maii 1845. Et hæc dispensatio episcopis concessa duratura est *donec aliter a sancta apostolica sede statutum fuerit.* Unde etiam, *in regimine Ecclesiarum succursalium, de quibus agitur, nulla immutatio fieri potest*, nisi a sede apostolica, quæ hoc sibi reservavit.

V. Jus absolutum transferendi et revocandi ad nutum rectores succursalium non conceditur episcopis ; siquidem ad dubium nudum tale jus ponens et postulans respondere renuit sancta sedes. Conceditur tantum episcopis et cum eis dispensatur ut hac *rectores revocandi vel transferendi auctoritate haud frequenter et non nisi prudenter ac paterne uti* possint et debeant, *adeo ut sacri ministerii stabilitati, quantum fieri potest.. satis consultum* sit. Ex quo textu duo fluunt :

1. Interesse rectorum, qui haud frequenter debent revocari vel transferri et non nisi prudenter ac paterne, id est justis de causis ; quia de jure tum naturali, tum divino humanoque pater prudens nequit injustitiam et arbitrarium irrationabile erga filios admittere.

2. Procedit etiam interesse sacri ministerii stabilitatis, ac proinde bonum spirituale ecclesiarum.

His et aliis attendere debent episcopi in revocatione vel translatione rectorum ; quia cum eorum potestas limitata fuit a legislatore in sua concessione, si forte limites transgredirentur, rectores non juste, prudenter ac paterne revocati aut translati, seu quorum Ecclesiæ ex ipsorum revocatione vel translatione patirentur, jus haberent appellandi ad superiorem, id est ad metropolitanum in casibus judicialibus, et recurrendi ad sanctam sedem seu ad sacr. congr. Concil. aut ad sacr. congr. Episc. et Regul. in casibus ex informata conscientia seu extrajudicialibus.

§ IV. — De translatione aut revocabilitate rectorum deservitorum ex conciliis.

Plura Galliarum concilia provincialia jus dispensativum decreti Gregorii XVI in suis inseruerunt statutis.

I. Concilium Rhedonense provinciæ Turonensis, decreto 10 : *Cum ex disciplina hodie apud nos vigente, episcopi plerisque ecclesiarum rectoribus jurisdictionem pro cura animarum ad nutum revocabilem conferre valeant, ipsis magnopere commendamus ut (hac rectores revocandi vel transferendi auctoritate haud frequenter et non nisi prudenter ac paterne utantur, adeo ut sacri ministerii stabilitati, quantum fieri potest in hisce rerum adjunctis satis consultum videatur. Consult. Episc. Leod.) Hanc tamen disciplinam post Concordatum an.* 1801 *in Galliis, assentiente summo pontifice* (*Gregorio* XVI, 1 *Maii* 1845), *inductam, quæque, haud vereamur dicere, primævis illis quasi renascentis apud nos Ecclesiæ temporibus necessaria, tot indubie salutaria et perutilia rectæ diœceseon administrationi, animarum bono, ipsiusque cleri ac religionis honori consectaria habuit et etiamnum habet, legitimam declaramus, necnon et juxta mentem ipsorum summorum pontificum nobis bene notam judicamus nullam de regimine ecclesiarum succursalium immutationem in provincia nostra faciendam, donec aliter a sancta apostolica sede statutum fuerit.* (*Resp.* Greg. XVI, *ad episc. Leod.*) *Synodus itaque improbat eos omnes qui in contemptum non solum auctoritatis episcoporum, sed et sedis apostolicæ hunc præsentem statum juris communis eversivum, et sacris canonibus prorsus contrarium asserere non dubitant.* Etenim ex quo intervenit decretum Gregorii XVI præsens status jus commune et sacros canones non solum non evertit, sed e contra firmat ut supra ostendimus, et non licet disciplinam ibi statutam vituperare.

II. Concilium provinciæ Remensis, an. 1849, tit. XV, c. 1 : *Hæc inducta fuit post Concordatum disciplina quod illi qui proprio nomine ecclesiarum parochialium curam gerunt, non omnes sint titulares, seu inamovibiles, nec dubium est, ut patet ex declara-*

tione summi pontificis Greg. papæ XVI, huic consuetudini esse obtemperandum, donec aliter a sede apostolica statutum fuerit, cum præsertim in hac temporum nostrorum difficultate diversas habeat utilitates, et aliunde ipsi recens ordinati statim ad regimen paræciarum vocentur, etiam antequam experientiam competentem vitamque sufficienter probatam habeant; plerique enim non possunt munus vicarii exercere, deficientibus adhuc congruis dotationibus. Concilium agnoscit omnes rectores parochialium esse æqualiter vere et proprie parochos *proprio nomine ecclesiarum curam gerentes*; et ex sola declaratione Gregorii XVI obtemperandum esse consuetudini amovibilitatis donec aliter a sede apostolica statutum fuerit; ergo ex mente concilii ante Gregorianam declarationem consuetudo amovibilitatis non erat legitima, et post eamdem declarationem hæc consuetudo est tantum temporaria, proindeque declaratio est dispensativa et consequenter firmans legem inamovibilitatis; adeo verum est hanc esse mentem concilii ut addiderit: *Nihilominus quoniam paucissimæ sunt ecclesiæ titulares, quibus nempe annexa fuit inamovibilitas atque titulum reclamare videatur ipsa plurium ecclesiarum antiquitas, simul et fidelium numerositas, nec non plurium rectorum merita, peroptandum sane est ut in omnibus et singulis decanatibus, seu regionibus (cantons), alii præter decanum, duo saltem, atque etiam tres quatuorve rectores canonice instituantur inamovibiles.* Synodus in hac ultima parte sui decreti agnovit utilitatem non quidem immutandi statum generalem succursalium, sed de augendo numero parochorum inamovibilium. Sacr. congr. ab hujus partis decreti exsecutione supersedendum duxit; de quo plures rationes afferri possunt:

1. Lex inamovibilitatis omnium parochorum est generalis et perpetua, et fuit per Gregorianam declarationem innovata et firmata ex eo ipso quod super ejusdem observatione ad tempus dispensatum fuerit. Porro decretum Remense hanc generalem legem Ecclesiæ immutabat, in parte tribuendo aliquibus rectoribus inamovibilitatem, et in alia parte aliis rectoribus eamdem inamovibilitatem quam jus commune omnibus tribuit, denegando. Sic in parte consuetudinem amovibilitatis canonizabat hoc decretum, et eam jus scriptum faciebat. Atqui concilia provincialia nihil possunt contra jus commune Ecclesiæ, quia inferior nequit superioris legem nec immutare nec abrogare. Hac de causa noluit sacr. congregatio usurpationem etiam non præmeditatam etiam ex meliori intentione procedentem auctorizare, nec consuetudinem jam æquivalenter reprobatam et in sua præscriptione interruptam in legem consecrari.

2. Sancta sedes sibi reservaverat immutationem in regimine succursalium, et de hoc aliter statuere in tempore opportuno. Atqui, invita reservatione, concilium immutationem statuebat, quod noluit admittere sacr. Congr. et jus sanctæ sedis præservavit.

3. Conditio parochorum etiam inamovibilium non est de jure communi canonica, quia absque prævio concursu instituuntur; atqui concilium Remense augendo numerum parochorum inamovibilium, augebat etiam numerum parochorum non canonice institutorum, statum ecclesiarum Galliarum anticanonicum in parte tantum ad jus commune reducebat, et saltem prætermissio concursus legem abrogatam subaudiebat.

Cum vero sacr. congregatio instituta fuerit pro exsecutione et observantia decretorum concilii Tridentini et eorumdem interpretatione, mirum non est quod noluerit decretum Remense, quo ad abrogationem decreti Tridentini etiam prætermissio tendebatur, in exsecutione demandari. Ex his sane et aliis motivis sacr. congr. ab Remensis decreti exsecutione supersedendum duxit, præservans omnia Ecclesiæ jura, et sperans meliora tempora, in quibus tandem omnis ecclesiarum Galliarum status ad felicem integri juris communis observantiam reduci poterit. Et hæc est nobis et omnibus nota spes, hoc est votum sanctæ sedis apostolicæ.

III. Concilium Avenionense ejusdem anni 1849, tit. VI, cap. 6, n. 4 et 5, de eadem quæstione inamovibilitatis deservitorum et reservationis sanctæ sedi, sic statuit: *Itaque hæc monet, hortatur, ut ad omnem ea de re controversiam præcludatur regressus, et huic disputationi finis imponatur, præsertim cum ex declaratione Gregorii XVI et Pii IX, illa gravissimi hoc tempore momenti quæstio judicio sanctæ sedis sit reservanda, et recens a synodo reservetur. Verumtamen pro charitate paterna, qua istos cooperatores ministerii nostri pastoralis complectimur, ordinarie*

nullus eorum, in singulis diœcesibus provinciæ, a sua parochia invitus amovebitur aut tolletur, nisi prius inquisito officialitatis aut auditorii nostri privati concilio.

Jus igitur commune de inamovibilitate omnium parochorum implicite innovatum fuit per decreta horum conciliorum ex declaratione Gregorii XVI, cum ista decreta innituntur tantum in dispensatione pontificis temporaria ut episcopi possint justis de causis haud frequenter, et non nisi prudenter ac paterne revocare aut transferre rectores succursalium. Ideoque praxis Galliarum nullam per se vim legitimæ consuetudinis habet nec habuit ; sed status præsens rectorum succursalium ad normam juris revocatus fuit per decretum Gregorianum, 1 Maii 1845. Ab isto temporis momento rectores succursalium canonice etsi dispensative exsistunt, ideoque tenent jurisdictionem ordinariam et ejusdem omnibus consectariis gaudent, ita volente legislatore.

§ V. — An rectores succursalium, etsi amovibiles, legi concursus Tridentinæ subjiciantur.

Pro negativa tenet Bouix ; pro affirmativa autem tenent auctores periodicæ publicationis (*Revue théologique*, Parisiis apud Jouby, 7 *Rue des Grands-Augustins*), Avril 1859. Sic argmentantur pag. 159 et seq. : *Le second cas d'application du système de M. Bouix regarde la loi du concours. L'auteur est d'avis que les succursales ne sont pas soumises à cette loi, parce qu'elle ne concerne que les bénéfices curiaux, et que sous cette dénomination sont seulement compris les bénéfices perpétuels. Cet argument n'a aucun fondement dans la loi du concile de Trente. En effet dans tout son décret, le concile ne dit mot des bénéfices curiaux, mais il se sert toujours des expressions* églises paroissiales : « Ut cum parochialis ecclesiæ vacatio contigerit. Adveniente vacatione cujuslibet Ecclesiæ. » (sess. 24, c. 18 *De reform.*), *y lisons-nous. Or, l'amovibilité du recteur n'empêche pas l'église d'appartenir à la catégorie des églises paroissiales et de tomber de ce chef sous la lettre du décret du concile de Trente. Le premier argument de M. Bouix n'a donc aucune valeur.. Quant à l'autorité de Giraldi (additamenta ad tractatum Barbosæ, De officio parochi*, p. 341, n. 13), *invoquée par M. Bouix, une simple réflexion montrera combien peu elle est favorable à son système. Pour Giraldi, ou plutôt pour Braschi, auquel appartient la citation de l'auteur, l'amovibilité du curé prouve que la cure habituelle réside chez une autre personne ; et par conséquent Braschi ne parle point là de paroisses indépendantes, comme sont nos succursales ; mais de paroisses unies à un collége, à un chapitre, à un monastère,* etc *Les curés, dont il est là question, ne sont donc pas à proprement parler des curés, mais des vicaires temporaires :* « Nunc de parochis amovibilibus, *dit Braschi,* amovibilitas vicarii temporanei exercentis parochiale munus, arguit curam animarum ibidem esse habitualiter penes eum, qui deputat, ipsum. » (*Ibid.* n. 11.) *Or les auteurs s'accordent à exempter de la loi du concours les vicariats amovibles, et les paroisses accessoirement unies à un collége, à un chapitre, à une dignité,* etc. *Mais qu'y a-t-il de commun entre ces paroisses et nos succursales ?*

Et hæc sententia astruitur a pluribus canonistis ; etenim in cap. 18 sess. 24 Trident. super his verbis : *Statuit sancta synodus, ut cum parochialis ecclesiæ vacatio, etiamsi cura vel episcopo incumbere dicatur, et per unum vel plures administretur, etiam in ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit episcopus uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad infra scriptum examen teneri mandat, per obitum vel quomodocunque contigerit.* Sic adnotatum fuit in editione *Coloniæ* 1754 : « Si fuerit capellania pro coadjutoria in parochiali sita in eadem conferenda servatur hoc decretum.. etiam hoc servatur in ecclesiis cathedralibus vel collegiatis, in quibus exercetur cura animarum per capellanos amovibiles, ad nutum capitulorum, vel per ipsosmet canonicos absque examinatione ab immemorabili tempore, quo non obstante, omnes tenentur ad subjiciendum se examini episcoporum.

« In vacationibus ecclesiarum parochialium, licet earum collatio pertineat ad canonicos, edicta tamen, et examina ac electio personarum, quæ sunt magis idoneæ, proprie ad episcopos ordinarios spectant, collatio autem parochialium ab his facienda est postea, ad quos ante pertinebat conferre. »

In istorum igitur canonistarum sententia et decreti Tridentini intelligentia, parochi amovibiles ad nutum omnes tenentur ad subjiciendum se examini episcoporum per

formam concursus, quæ in hoc decreto statuitur.

Præterea parochi succursalium non sunt jure communi amovibiles, sed tantum, ut vidimus, in vi dispensationis temporariæ et concessionis Gregorii XVI et sanctæ sedis. Hæc vero dispensatio eos non eximit a lege concursus. Ergo ad hanc legem observandam teneri videntur. Et certo tenentur ex jure communi, sed forte excusari debent ex dicta dispensatione Gregoriana, quæ eorumdem præsentem statum regulat auctoritate supremi legislatoris.

CAPUT IX.

De installatione seu possessionis apprehensione parochorum, et de professione fidei ab ipsis facienda.

§ I. — De installatione parochorum.

Nihil jure præcipitur de installatione et possessionis apprehensione parochorum; sed relinquitur consuetudini locorum, quæ servanda est. Installari et in possessionem mitti parochus solet per vicarium generalem seu delegatum episcopi.

Necesse est tamen 1° ut de possessionis apprehensione fiat instrumentum authenticum in duplo exemplari, quorum unum remanere debet in regestis parochialibus, et alterum in episcopali archivio servari.

2° Ex titulo 25 *De peculio clericorum*, lib. III *Decret.* cap. 1, 2, 3, 4 et 5, sequitur quod inventarium de bonis tam mobilibus quam immobilibus ecclesiæ seu parochiæ, fieri cautum sit et debeat, antequam possessionem beneficii capiat parochus.

3° Tenetur parochus (ex concilio Mediolan. part. I, tit. II, *Quæ pertinent ad bonorum et jurium*), habere exempla, scripturas et instrumenta de bonis ac redditibus beneficii, et debent esse duplicata, ita ut unum sit apud eum, aliud in archivio cathedralis. Omnes beneficiati tenentur inventarium conficere, sicut et administratores locorum piorum, juxta dispositionem const. Sixti V quam refert Quarant. in suo Bullar. verb. *Archivium*; et sacr. congr. Episcop. et Regul. in, JUVENAL. 25 Januar. 1697 apud MONACELLI, tit. 7, formul. 4.

§ II. — De fidei professione.

I. Tenentur autem parochi omnes professionem fidei emittere, et obedientiam Romano pontifici jurare. Expresse enim id præcepit concilium Trident. his verbis : *Provisi etiam de beneficiis quibuscunque, curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus ipsius episcopi, vel eo impedito, coram generali ejus vicario, seu officiali, orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem, et in romanæ Ecclesiæ obedientia permansuros spondeant ac jurent... Alioquin prædicti omnes provisi, ut supra, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.*

« Formulam ad ejusmodi fidei professionem, et obedientiæ juramentum determinavit, atque obligatoriam fecit Pius IV, in sua constitutione *Injunctum*, datam Idibus Decembris 1564. Illa ergo, et non alia, dictæ Tridentinæ legi satisfieri potest. » (*Vide* BENED. XIV, institut. 60. n. 1.)

II. Hanc professionem fidei per se ipsos, et non per procuratores tenentur emittere provisi de parochialibus, et de canonicatibus in cathedralibus. (S. congr. Concil. sæpius, apud FERRAR. verb. *Beneficiatus*, art. 1, n. 11.) Et hanc fidei professionem tenentur denuo emittere illi, qui in adeptione alterius beneficii similis eam jam emiserunt. (Sic declarasse sacr. congr. Concil. testantur NICOL. GARCIAS, *De benef.* et tenent BARBOSA et alii plurimi apud ipsum FERRAR. *ibid.* n. 12.)

III. Professio fidei debet fieri *ad minus intra duos menses*. Hæc longissima est dilatio; itaque triennalis possessio non prodest eis, qui non emiserunt professionem quoad fructus percipiendos, si infra dictam professionem non emiserint. Eadem sacra Congregatio censuit illa verba, *nec illis possessio suffragetur*, intelligenda esse quoad fructus percipiendos, et faciendos suos, ideoque omissionem professionis fidei non privare beneficiatum cæteris effectibus possessionis et juribus.. (adnot. 7, ad dictum cap. 12 sess. 24 *Trident.*) — « Illum, qui non fecerit professionem intra duos menses, teneri eam postea emittere, cum hic terminus non ponatur ad finiendam obligationem, sed ad non differendam exsecutionem, docet Garcias, *De benef.* p. III, c. 3, n. 29, nec longissima possessio prodest ei, qui non emisit professionem fidei, quoad fructus percipiendos, quandiu dictam professionem non emiserit, referunt multi. » (Remissio ad dict. c. 12 sess. 24 *Trident.*) — « Quod clericus parochialem adeptus omittens per ignorantiam

fidei professionem facere, non peccat, nec subintrat dispositio concilii in præsenti, resolvit Sayr. decis. 3, sub tit. *De constit.* — Si ignarus hujus decreti omiserit fidei professionem, in foro externo, non excusari, quia est ignorantia juris clari; in foro tamen interiori et quoad Deum a mortali, et consequenter ab omissione, et restitutione fructuum excusari, docent multi, *remissio* ad dict. cap. 12, *De reform.* sess. 24 *Trident.*

IV. Qui vero scientes decretum seu legem, seu moniti de ipsius decreti exsistentia et obligatione, quocunque tempore, omiserint hanc fidei professionem publice in ecclesia emittere, ad fructuum restitutionem a tempore scientiæ habitæ tenentur, etiam non interveniente aliqua sententia resolvit Garc. *De benef.* part. III, c. 3, n. 3-5; et sacr. congr. Concil. *in Seguntina*, 18 April. 1590, nisi ead. sacr. congr. Concil. eos condonaverit et remiserit; ut ipsamet censuit, et benigne condonavit *in Tuscanen.* 5, Maii 1614 Angelo Constantino ejusdem Tuscanensis cathedralis primicerio, teste Barbosa, cap. 17, *De canon. et dignit.* n. 23; apud Ferraris verb. *Beneficiatus*, art. 1, n. 13. Et idem sic omittens scienter peccat mortaliter, juxta eumdem Garciam dic c. 3, supra. Ita etiam Petrus Ledesma... Squillante... Sanchez. (GIRALDI, *Additamenta ad tractatum Barbosæ De parocho.* part. I, cap. 4, n. 14, p. 44.) Et ibidem, n. 10, addit præfatus Giraldi : « Tamen, si infra præfatum tempus non fiat, ob id facere debens solutus non remanet ab obligatione illam in posterum emittendi; sed nihilominus semper ad eam faciendam tenetur; quia hujusmodi terminus a concilio assignatus, non est præfixus ad remittendam ac terminandam obligationem, sed ad differendam pœnam. »

V. Tenetur parochus se ultro offerre ad faciendam fidei professionem; tenetur scilicet ad satisfaciendum huic præcepto, etiamsi nullam de hoc a superioribus monitionem recipiat. (GIRALDI, *ibid.* n. 8.)

Tridentinum concilium non determinavit cui assignandi et applicandi sint fructus amissi ob non factam fidei professionem; sed « communius omnium fere sententia tenet eos esse impendendos, vel in usus pauperum, vel in fabricam ecclesiæ, sicut fructus eorum qui non resident. » (GIRALDI, *ibid.* n. 21.)

§ III. — De installatione et fidei professione parochorum quoad Gallias.

I. Quoad Gallias, omnes parochi tenentur professionem fidei emittere, ut præfertur; et etiam parochi succursalium amovibiles ad hoc tenentur, textu expresso c. 12, sess. 24 Trident. ibi : *Provisi etiam de beneficiis quibuscunque, curam animarum habentibus, teneantur a die adeptæ possessionis..... orthodoxæ suæ fidei publicam facere professionem...* Ubi non distinguitur inter beneficia manualia et beneficia perpetua; præterea, ut vidimus, rectores succursalium non sunt amovibiles, nisi ex dispensatione temporaria. Ergo tenentur ad professionem fidei emittendam et juramentum obedientiæ sanctæ sedi præstandum.

Etenim obligatio professionem fidei emittendi tolli nequit per contrariam consuetudinem. Cujus conclusionis ratio est potissimum, quod merito præsumi nequeat Romanus pontifex hisce consuetudinibus consentiens, ut jam multis solidis rationibus demonstratum est, et præsertim stante, et hodiedum perseverante Romanarum congregationum praxi, nullas constanter declarandi easdem consuetudines. Cæterum *nihili faciendam esse* consuetudinem omittendi professionem fidei, parochis a Tridentina synodo injunctam, ex professo tradit Benedictus XIV, institut. 60, ibi n. 7 :

« Licet ejusmodi consuetudo constans haberetur, nihili tamen facienda esset, cum Tridentino concilio apertissime repugnet. Quamvis enim post decretum, quo professio fidei præcipitur, aliud decretum non sequatur abrogans quæcunque in contrarium proferri possint, tamen id cautum satis fuit per Pium IV pontificem in ea constitutione quæ incipit *Benedictus Deus*, et quæ in fine concilii solet excudi. Illa quidem abrogat omnia quæ Tridentinæ synodo contraria esse videantur; ideoque singula ejusdem concilii capita simul amplectitur; et nullius efficit momenti consuetudines, quæ leges aliquas in iisdem capitibus præscriptas violent. »

II. Formula professionis fidei a Pio IV præscripta reperitur in Romano pontificali et alibi. Juramenti autem provisi de parochia aut beneficio formulam tradit Monacelli, t. I, tit. I, form. 2, ut sequitur :

« *Ego N. provisus de ecclesia N. (si ecclesia in titulum collocata fuit) seu (de beneficio N.) juro me futurum fidelem, et obe-*

dientem sanctæ matri Ecclesiæ catholicæ Romanæ, et reverendissimo D. N. episcopo, et cuicunque ejus legitimo successori, neque me de bonis ecclesiæ prædictæ (seu beneficii) vel de ejus fructibus, neque me de bonis ecclesiæ prædictæ (seu beneficii) vel de ejus fructibus, aut super eis pacta illicita cum ullo prorsus inivisse. Juro item de bonis ejusdem ecclesiæ (vel beneficii) tam mobilium, quam immobilium inventarium, quam primum potero, me facturum, et intra menses..... ordinario exhibiturum; possessiones et bona ad ipsam ecclesiam (seu beneficium) pertinentes et pertinentia non venditurum, donaturum, pignoraturum, aut alias quovis modo contra juris dispositionem alienaturum, imo alienata, et districta pro posse recuperaturum, et ecclesiæ (seu beneficii) jura defensurum; sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei evangelia.

Tandem tenentur omnes parochi et beneficiati in prima synodo quæ fit post eorum institutionem, recipere decreta illius et Tridentini concilii, seu renovare professionem fidei et juramentum obedientiæ summo pontifici simulque Tridentina decreta observandi, textu expresso cap. 2, sess. 25, *De reform.* Trident. ibi : *Cæteri vero omnes, sive in præsenti, sive in futurum beneficia ecclesiastica habituri, et qui in synodo diœcesana conveniri debent... in ea synodo quæ primo quoque tempore celebrabitur... Ea omnia et singula, quæ ab hac sancta synodo definita, et statuta sunt, palam recipiant; nec non veram obedientiam summo Romano pontifici spondeant et profiteantur, simulque hæreses omnes a sacris canonibus, et generalibus conciliis, præsertimque ab hac eadem synodo damnatas, publice detestentur et anathematizent... Alias secundum formam sacrorum canonum puniantur.*

Ad omnium commodum hic transcribere duximus cæremoniæ installationis seu possessionis apprehendendæ parochorum, ex opere, *Cours alphabétique de droit canon*, etc., auctore D. abbate André, tom. II, p. 342:

Installation. — *Les curés ayant la primauté dans la paroisse qui leur est assignée, la première stalle du chœur leur appartient: de là le nom qu'on donne à la cérémonie par laquelle ils sont mis en possession : on installe, c'est-à-dire on fait asseoir le nouveau curé,* in stallo, *dans la stalle qu'il devra occuper. Ce cérémonial varie selon les usages diocésains; néanmoins celui que nous allons présenter est ordinairement adopté.*

Le prêtre nommé à une cure (ou paroisse quelconque) se rend à la porte de l'église, en surplis et portant l'étole pastorale sur le bras gauche; il est accompagné des fabriciens et des notables de sa paroisse. Le délégué de l'évêque pour l'installation se trouve à cette porte, où il s'est rendu précédé de la croix et des acolytes. Le curé lui présente son titre, afin que lecture en soit donnée, et aussitôt après, il est revêtu de l'étole par le délégué; celui-ci entonne le Veni creator, *et l'on s'avance vers l'autel. Le curé élu marche à côté du délégué, qui le tient par la main droite. Après le verset et l'oraison, le délégué s'assied tenant sur ses genoux le Missel; et le curé se plaçant debout devant lui, lit la formule de profession de foi de Pie IV; celle-ci étant finie, le nouveau curé se met à genoux, tient sa main droite sur le Missel et lit une formule de serment. (A Rome la profession de foi comme le serment se lit à genoux, ce qui est plus conforme à ce qui se pratique dans la consécration de l'évêque.) Ensuite il monte à l'autel, ouvre le tabernacle et touche le saint ciboire, avec les génuflexions. Après l'avoir refermé, il va au côté droit de l'autel et chante l'oraison du saint patron; puis précédé de la croix, des acolytes et d'un thuriféraire, le curé se rend à la porte de l'église, qu'il ouvre et ferme; aux fonts baptismaux qu'il ouvre et encense; au confessionnal, où il s'assied; au bas du clocher, où il tinte quelques coups; en chaire d'où il adresse quelques paroles à l'assistance Le délégué conduit enfin le nouveau curé à la stalle qu'il doit occuper, et dans laquelle celui-ci s'assied. Si cette cérémonie précède un office, par exemple celui des Vêpres en un jour de dimanche ou de fête, comme cela est de convenance, plutôt qu'un jour ouvrable, le nouveau curé entonne* Deus, in adjutorium, etc., *qui lui a été imposé par le délégué. Si l'installation a lieu avant la grand'messe et qu'elle ne soit point précédée d'une Heure matutinale, le nouveau curé, après s'être assis un très-court instant, se lève et va à la sacristie. Dans tous les cas, soit après la Messe, soit après Vêpres, on chante le* Te Deum. *En plusieurs diocèses, le* Te Deum *précède la bénédiction du saint sacrement. Ce cérémonial est extrait presque en entier de l'excellent Rituel de Belley.*

Tandem debet fieri processus totius in-

stallationis et professionis fidei ad formam constit. Pii IV emissæ coram testibus adhibendis, cum expressione diei et anni et etiam juramenti præstati, cujus integra formula transcribitur ; qui processus debet registrari in regestis parochialibus cum signaturis delegati episcopalis, provisi et testium ; et ejusdem integra copia authentica debet transmitti et servari in archivio curiæ episcopalis.

CAPUT X.

De obligationibus parochorum, rectorum parochialium et vicariorum curatorum, et de eorumdem potestate.

ARTICULUS PRIMUS. — PAROCHUS ERGA SUPERIORES, SEMETIPSUM, COÆQUALES ET CIVILEM POTESTATEM.

§ I. — De parochorum obligationibus erga sanctam sedem apostolicam.

Jure divino tenentur omnes parochi et clerici quicunque ad obedientiam, reverentiam erga summum pontificem et sanctam sedem apostolicam ; ejusdem sanctæ sedis leges et decreta servare debent omnes, tum clerici, tum fideles eo ipso quod legum et decretorum apostolicorum notitiam certam habent. Præterea parochi sic profitentur et jurant :

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. . . . . sanctam catholicam et apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem, et magistram agnosco : Romanoque pontifici beati Petri apostolorum principis successori, ac Jesu Christi vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item omnia a sacris canonibus et œcumenicis conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita et declarata indubitanter recipio atque profiteor, . . . etc. . . . . Hanc veram catholicam fidem extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissime (Deoque adjuvante) retinere et confiteri atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet et sancta Dei Evangelia.» (Formul., profess. fidei a Pio IV præscripta, in constit. *Injunctum.*) Tenentur igitur parochi constitutiones apostolicas, sacros canones, seu jus Ecclesiæ custodire et observare : tenentur fideles sibi ipsis commissos docere divinas summi pontificis et sanctæ sedis prærogativas, auctoritatemque, cujus definitionibus firmatur fides catholica : iisdemque fidelibus veram obedientiam Romano pontifici prædicare debent. Tenentur parochi custodire, docere et prædicare cætera omnia a sacris canonibus et œcumenicis conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina synodo tradita, definita et declarata. Et ad hæc omnia observanda nec debent nec possunt parochi vel clerici exspectare speciale episcopi mandatum seu statutum.

§ II. — De parochorum obligationibus erga episcopum.

1. Jure etiam divino obedientiam ac reverentiam episcopo proprio juxta tamen sacros canones et constitutiones apostolicas sanctæque sedis declarationes præstare debent parochi. Obedientiæ erga summum pontificem et obedientiæ erga episcopum differentia in eo sita est, quod omnes sive episcopi, sive parochi vel clerici, sive Christi fideles summo pontifici absolutam et primariam obedientiam debent ; quia « subesse Romano pontifici omni humanæ creaturæ... omnino esse de necessitate salutis, » definitum est. (C. *Unam sanctam* 1, tit. VIII *De majorit. et obed.*, lib. I, extrav. com.) ; et quia inferior nequit superioris legem abrogare aut super ea dispensare ; ideoque summi pontificis legem abrogare aut super eadem dispensare nequit episcopus ; propterea quæ parochi, clerici et fideles primo debent papæ mandatis obedire nec ejusdem leges seu declarationes transgredi etiam ex opposito episcopi statuto, si forte (quod absit !) contingeret tale statutum. De cætero, parochi sunt quasi vicarii episcopi, ejusque præscripta canonica, statutaque observare tenentur, nec jurisdictionem ab ipso episcopo acceptam et limitatam ultra limites extendere possunt ; judiciis ejusdem, canonicisque censuris et pœnis humiliter se subjicere debent, quamvis justis de causis ad superiorem appellare et ad sanctam sedem recurrere ipsis licitum sit. Meminerint tamen parochi episcopos a Spiritu sancto positos fuisse regere Ecclesiam Dei. Itaque, textu expresso, c. *Qui suis* 9, dist. 93 : *Qui suis episcopis non obediunt, indubitanter rei et reprobi exsistunt. Porro ipsi a Deo donum summi muneris consequuntur, qui per justitiæ et præceptorum ejus semitas incedentes, doctoribus suis, qui recte episcopi intelliguntur, libenter obediunt.*

II. « Ad synodum accedere tenentur et admitti debent omnes parochi et curati, sive sæculares, sive regulares, sive vicarii curati, sive perpetui, sive amovibiles; textu expresso, cap. 2, sess. 24 Trident. « synodi quoque diœcesanæ, quotannis celebrentur: *Ad quas exempti etiam omnes, qui alias, cessante exemptione, interesse deberent, nec capitulis generalibus subduntur, accedere teneantur, ratione tamen parochialium, aut aliarum sæcularium ecclesiarum, etiam annexarum debeant ii qui illarum curam gerunt, quicunque illi sint, synodo interesse.* Et ita declaratum fuit a sacr. congr. Concil. et a sacr. congr. Episcop. et Regul. apud Ferrar. verb. *Synodum*, n. 27 et seq. Et episcopus potest juris remediis etiam per censuras ecclesiasticas compellere ad interessendum synodo omnes supra dictos obligatos synodo intervenire. (S. congr. Concil. sæpius, apud Ferrar. *ibid.* n. 40.) Nec est necesse ut personaliter vocentur ad synodum, sed synodo publicata et convocata, tenentur omnes intervenire, et eos admittere debet episcopus. Item tenentur parochi intervenire collationibus casuum conscientiæ; eam parochorum obligationem firmat Benedictus XIV, instit. 103, n. 9, sequenti sacræ congr. concil. declaratione : *Sacra congregatio censuit episcopum cogere posse ad interessendum congregationi casuum conscientiæ parochos tam sæculares quam regulares, curam animarum exercentes*, 3 Septembr. 1650. »

III. Debent parochi episcopo visitanti procurationem de jure ministrare et omnia alia jura episcopi servare et debita solvere.

1. Solvere debent episcopo petenti de consensu aut saltem consilio capituli charitativum subsidium, arg. cap. *Conquerente* 16, *De offic. ordinar.*; c. *Cum apostolus* 6; c. *Cum part.* 18; *De censibus.*

2. Tenentur parochi et omnes beneficiati, seu potius ecclesiæ parochiales, capellæ et beneficia jus cathedraticum quotannis in synodo aut extra synodum, si illud non habetur hoc anno, episcopo solvere. « Ipso communi jure (c. *Placuit* 1; c. *Illud* 4; c. *Illud magnitudinem tuam* 10, causa 10, quæst. 3; et c. *Conquerente* 16, *De offic. ordinar.* est cautum, ut episcopis cathedraticum a clericis debeatur, quod est duorum solidorum (aureorum), viginti scilicet Juliorum census cathedralis ecclesiæ solvendus in signum honoris et subjectionis cathedræ pontificali. Jus sane inter cætera episcopalia ita privilegiatum, ut neque ab episcopis in totum remitti, nec a quoquam valeat, quocunque titulo vel immemorabili consuetudine præscribi. » (*Concil. Roman.* an. 1725, celebrato a Benedicto XIII, cap. 4, tit. VIII. Et ita decisum fuisse pluries a sacr. congr. Concil. et Rota, refert Ferrar. verb. *Cathedraticum.*)

3. Episcopus jus habet ad quartam decimationum, cap. *Conquerente* 16, *De offic. ordin.* et cap. *Quoniam* 13, tit. XXX *De decimis*, lib. III *Decret.* Ex quibus capitibus probat, contra Glossam in cap. *Cum contingat, De decimis*, Fagnanus episcopum de jure communi fundare intentionem super quarta decimarum totius episcopatus seu diœcesis, id est in quarta canonica omnium decimarum, et ita fuisse solemniter pronuntiatum coram Innocentio IV et a doctoribus communiter receptum refert Fagnanus, in cap. *Cum contingat, De decimis*, n. 23. Episcopus debet suam quartam exigere ab ecclesiis, non autem a personis laicis, quæ de jure illas decimas tenentur solvere parochialium ecclesiarum rectoribus, ut in c. *Cum contingat de decimis*, et in Clement. *Unica* eod. tit. eamdem conclusionem firmavit Rota pluries teste Fagnano, in cap. *Quoniam, De decimis.* Tenentur igitur parochi quartam decimarum episcopo solvere; sed parochi possunt præscribere quartam decimationum episcopo debitam per quadragenariam consuetudinem. (Fagnan. in cap. *Quoniam* supra.

4. Parochi et ecclesiæ parochiales sicut etiam capellæ tenentur episcopo solvere quartam mortuariorum, « decimum quintum jus episcopale est quarta mortuariorum, quæ scilicet debetur episcopo ex legatis piis; et appellatur mortuariorum, quia in morte relinquitur. Secundum Gloss. in capite *Conquerente* 16, *De offic. ordin.* et alias appellatur quarta, seu portio canonica, de qua in cap. *Officii* et cap. *Requisisti. De testamentis.* Et hæc debetur episcopo jure communi, cum inter jura episcopalia hic connumeretur, secundum glossam proxime citatam; et communiter doctores quorum sententiam non obscure probavit Tridentina synodus sess. 24, cap. 3 in illis verbis, *præter id quod ex relictis piis jure debetur.* Unde juris dispositio, qua de legatis piis ecclesiis seu capellis relictis debetur quarta

canonica portio episcopo, est servanda quando ecclesia, vel capella ipsa hæres instituta est, ut die 31 Aug. 1606 *in Fundana* censuit sacr. congr... Fateor tamen super quota standum esse consuetudini, quia aliquando est quarta, et aliquando medietas, cap. 1 et 2, etc. *Certificari, de sepulturis*, Butr. hic, n. 5. Unde alias responsum est potuisse episcopum juxta consuetudinem exigere tricesimam ex relictis piis ratione visitationis testamentorum : secus si in testamentis nullum esset relictum pium.» (Fagnan. in II part. lib. I. *Decretal. De offic. ordin.*; c. *Conquerente*, n. 29 et seq.

5. Tenentur parochi solvere episcopo taxam pro seminariis ad normam tamen Tridentini concilii, ut dictum est lib. V, *De seminariis*, cap. III.

§ III. — Parochus quoad semetipsum.

Non est nobis hic tractatum de propria parochi sanctificatione scribere, sed tantum jura servanda colligere. Atqui de exercitiis spiritualibus quotannis a parochis et clericis beneficiatis peragendis exstat Epistola encyclica 1 Februar. anni 1710 jussu summi pontificis a sacr. congr. edita, apud Ferrar. verb. *Exercitia spiritualia*. In hac Encyclica, Sanctitas Sua eosdem ordinarios admonet et hortatur, ut... *universos ex clero sibi subjecto, sed præcipue animarum rectores, confessarios, canonicos, aliosque beneficiatos chori servitio astrictos diligenter excitent ad eadem exercitia saltem semel in anno peragenda in domibus religiosorum societatis Jesu, seu presbyterorum congregationis missionis, si adsint, sin minus, in alia pia, seu regulari domo ab ipsis ordinariis ad id designanda et approbanda... sanctitas sua omnibus præfatis... qui per decem dies singulis annis eadem exercitia peregerint in domibus præfatis, ibique diu noctuque permanserint, ac interea temporis vere pœnitentes et confessi sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum sumpserint, quoties id egerint, plenariam omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino elargitur. Parochos insuper per idem tempus semel tantum in anno exercitiis hujusmodi vacantes a residentia benigne absolvit, quod ipsum servari præcipit quoad canonicos, beneficiatos*,. etc, *quos nihilominus lucrari decernit integros fructus et quotidianas... distributiones... Et quoad parochos, idoneis prius œconomis ab ipsomet ordinario approbandis, qui animarum curam laudabiliter administrent.*» Parochi exercitiis spiritualibus quotannis vacare debent, ex constit. Benedict. XIV, t. I *Ubi primum*, Ferraris verb. *Parochus*, art. 3, n. 79.

§ IV. — De parochi obligationibus erga suos vicarios si habeat, et alios sacerdotes et clericos.

1. Tenetur parochus in pluribus casibus sibi assumere coadjutores presbyteros, seu vicarios ad nutum amovibiles ;et ad id compelli in certis casibus potest et debet ab episcopo. Causæ, ob quas potest fieri deputatio vicarii temporalis seu œconomi ad nutum amovibilis, sunt præsertim sequentes. *Prima* est, quando rector legitime habet duas parochias, nec potest per se solum in utraque commode deservire, cap. *Et temporis*, causa 16, quæst. 1. *Secunda*, quando rector est nimis occupatus (c. *Ad hæc, De offic. archidiaconi*; c. 1 *De celebrat. missarum*). *Tertia*, quando rector justa de causa abest vel est legitime impeditus. (C. *Relatum, De cleric. non resident.*; c. *Pervenit, De appellat.*; c. *Cum ex eo, De elect.* in 6.; can. *Non oportet, De consecrat.* dist. 5. concil. Trident. sess. 6. *De ref.* c. 2; sess. 7, c. 5; et sess. 21, c. 4 et 6.) *Quarta*, quando rector ægrotat. (C. 3 et tot. tit. *De cleric. ægrotante.*) *Quinta*, quando rector devotionis, seu voti causa peregrinatur. (C. final. *De voto.*) *Sexta*, quando rector est minus idoneus, seu non intelligit linguam populi parochiæ, seu nationis. (C. *Cum vos* 4, *De offic. ordinarii.*) *Septima*, quando rector ex dispensatione apostolica obtinet parochiam ante legitimam ætatem, c. 2, *De ætat. et qualitat.* etc. *Octava*, quando rector religionem ingreditur et in probatione versatur. (C. *De monachis, De præbend.*) *Nona*, quando rector e ministerio et officio dejicitur vel removetur a loco. (C. *Ad audientiam, De eccles. ædificand.*) *Decima*, quando sic requirit utilitas, aut necessitas ecclesiæ, vel augmentum divini cultus. (C. *Exposuisti, De præbend.* c. *Illud*, et cap. *Nihil*, causa 7, quæst. 1.) *Undecima*, quando adest causa habendi conciones. (C. *Inter cætera, De præbend.*; c. *Quod Dei timorem, De statu monachor.* (*Duodecima*, quando aliud beneficium adnectitur, quia tunc non solet constitui vicarius perpetuus, sed temporalis. (Gloss. in Clement. unic. *De officio vicarii.*) *Decima tertia*, quando vicariæ perpetuæ uniuntur, quia tunc efficitur temporalis ecclesia, et instituitur vicariatus

amovibilis ad nutum instituentis.... *Decima quarta*, quando beneficium est unitum mensæ episcopali vel capitulari: tunc enim potest constitui vicarius temporalis. (Glossa in Clement. 1 *De excessibus prælat.*; Clement. 1, *De supplend. neglig. prælat.*; Barbos. lib. III, cap. 6, n. 54, ubi recte subjungit, quod in hodie limitatur per cit. constitutionem S. Pii V, incip. *Ad exsequendum*. *Decima quinta*, quando parochialis, vel per obitum, vel per resignationem vacat; tunc enim deputatur ei vicarius temporalis, donec eidem de rectore provideatur. (C. *Cum vos*, 4, *De offic. ordinarii*. *Trident.* sess. 24 *De reform.* cap. 18.) — (Ferrar. verb. *Vicarius parochialis*, n. 42.)

Concilium Tridentinum sic statuit, sessione 21 *De reformatione*, capite 4: *Episcopi etiam tanquam apostolicæ sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus, vel baptismalibus in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum.* Et capite 6: *Quia illitterati, et imperiti parochialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis.. episcopi etiam tanquam apostolicæ sedis delegati, eisdem illitteratis, et imperitis, si alias honestæ vitæ sint, coadjutores aut vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint; quacunque appellatione et exemptione remota.*

II. Deputatio vicarii temporalis seu œconomi clerici sæcularis tempore vacationis ecclesiæ ad custodiam parochialis vacantis spectat ad episcopum. (*Trident.* sess. 24 *De reform.* c. 18; et sacr. congr. Concil.) Deputatio vicarii temporalis parochis illitteratis et imperitis pertinet etiam ad episcopum. (*Trident.* sess. 21, *De reform.* c. 6.)

Nominatio autem aliorum vicariorum temporalium ad nutum amovibilium, de jure communi, spectat ad rectorem principalem, ex Trident. sess. 21, cap. 4, et constit. Innocentii XIII, *Apostolici muneris*, in qua declarantur sequentia: 1° Quando parochis adjungi vicarios opus est, ad parochos ipsos spectat vicarios illos sibi *assumere* et *nominare*. — 2° Si necessariam existimet episcopus ejusmodi vicariorum adjunctionem, debet parocho *præfigere congruum terminum* intra quem debeat vicarium seu vicarios sibi assumere. — 3° Si vero parochi, sic ab episcopo moniti, intra præfixum terminum vicarios assumere negligant, *tunc poterunt episcopi propria auctoritate dictos* vicarios deputare. — 4° Quando parochus vicarium *assumpsit* vel *nominavit*, debet nihilominus vicarius ille ab episcopo examinari et approbari; nec sufficit eum fuisse jam ad confessiones approbatum, sed debet specialiter quoad vicarii parochialis munus approbari.— 5° Si vicarium a parocho nominatum minus idoneum episcopus judicet, eumque rejicial, non potest alium sibi bene visum ipse episcopus deputare; sed debet iterum parocho terminum præfigere, ut alium sibi eligat... parique modo procedendum quoad tertium, quartum, etc., si priores a parocho nominati rejecti fuissent. Hanc Innocentii constitutionem edidit et confirmavit Benedictus XIII per constitutionem *In supremo* ad calcem provincialis Romani concilii anni 1725. Et ita sequitur ex variis sacræ congregationis Concilii declarationibus, et communi doctorum sententia. (*Vide* Bouix, *De parocho*, p. 449 et seqq.

III. Ad episcopum pertinet determinare, an et quot vicarios adjutores debeat sibi adjungere parochus (*Trident.* sess. 21, c. 4; et constit. ead. Innocentii XIII *Apostolici muneris*.)

IV. Ad episcopum pertinet assignare congruam dictis parochorum adjutoribus vicariis tribuendam, ut declarat Innocentius XIII in eadem constit. *Apostolici muneris: Quoties itaque in aliis parochialibus ecclesiis, quæ, ut præfertur, unitæ non sint, oportuerit ex aliqua justa causa provideri per coadjutores parochorum, aut per vicarios temporarios; curæ erit episcopis, pro data sibi a Tridentina synodo potestate, partem fructuum prædictis coadjutoribus aut vicariis assignandam determinare.*

V. Vicario quem sibi elegit parochus, debetur approbatio, si nulla adsit rationalis causa eam denegandi; unde si appareret denegatio approbationis sine causa fieri ab episcopo, daretur contra episcopum ad superius tribunal actio. (Bouix, *De parocho* p. 659.)

VI. An parochus vicarium suum adjutorem amovere possit, etiam sine causa ab episcopo approbata? Pro sententia affirmativa stant plures sacræ congregationis decla-

rationes et quamplurimi canonistæ. Sed in contrarium sunt etiam pro sententia negativa ejusdem sacræ congregationis decisiones et plurimi doctores. (Quæ omnia pro et contra vide apud Bouix, *De parocho*, p.652 et seqq.) — Videtur tamen quod parochus non possit sine causa ab episcopo approbata vicarium suum amovere; et hoc certum est, ubi præsertim vicarius aliud, unde sustentari possit, beneficium non habet, ut est hodie casus in Galliis; nam de jure vicario sic remoto honestam sustentationem præbere tenetur episcopus; sicque possent parochi in episcopum mittere curam sustentationis multorum presbyterorum; quod admitti nequit. In omnibus vero casibus ut sine justa causa vicarii non amoveantur postulat æquitas naturalis. Sed non est necessarium ut eorumdem amotio judicialiter, saltem ordinarie fiat.

VII. An possit episcopus vicarios parochorum adjutores sine causa removere? Pluries decisum est a sac. congreg. Concil. vicarios curatos amovibiles, deputatos a capitulo cui annexa est cura, ab episcopo removeri non posse, nisi ex causa, ob quam (etiamsi foret perpetuus) removeri posset. (Ita Bouix, *De parocho*, p. 658.) Et ibidem addit episcopum non posse etiam absque causa removere vicarium parochi; quia sic evaderet chimerica potestas parochi sibi vicarium eligendi.

VIII. Ex statu tamen præsenti ecclesiarum Galliæ sequi necessario videtur, vicariorum parochis auxiliantium nominationem et remotionem ad episcopos, non autem ad parochos, hodie in ea regione pertinere; ut ait Bouix, *ibid.* et videbimus infra.

IX. Vicarii temporales seu amovibiles sunt illi, qui auctoritate legitimi superioris pro peragendo ecclesiastico servitio in locum alterius ad tempus, seu voluntatem constituentis sufficiuntur. (Communis, apud Ferrar. verb. *Vicarius parochialis.*) Unde parochus nihil præter servitium ecclesiasticum a vicariis potest exigere, ipsisque ad hoc servitium peragendum munia necessaria præstare debet; eisdemque omnia quæ ipse parochus adimplere nequit munia parochialia ordinarie committenda sunt. Potest tamen sibi reservare quæ vult per semetipsum adimplere. Cum vicarii suam jurisdictionem quasi ordinariam a jure teneant per episcopi approbationem, nequit parochus eorumdem jurisdictionem coarctare aut suspendere nisi in iis quæ per semetipsum facere vult et potest. In casibus tamen particularibus potest aliqua committere aliis sacerdotibus. Jus ad congruam ab episcopo determinatam sive ex beneficii fructibus, sive ex oblationibus, funeralibus, etc. habent vicarii, et eis tenetur parochus hanc congruam præstare. Vicarios suos ut coadjutores et cooperatores habere et tractare debet parochus cum omni charitate et in Christo affectione.

X. *Quoad alios sacerdotes et clericos*, parochus erga ipsos hospitalitatem exercere debet. « Non tenetur tamen parochus, sive curatus subministrare capellanis, seu aliis presbyteris in sua ecclesia missas celebrare volentibus, paramenta necessaria, sed tantum hortari potest; » sic respondit sac. congr. Episc. et Regul. *in Montis alti* 15 Maii 1699, non obstante solito, sacr. congr.. Rituum pluries, et concordant alia decreta quæ refert Barbosa in suis decis. apostol. verb. *Curatus*, n. 3. (Monacelli, t. I, tit. 3, formul. 18, adnot. 6.)

§ V. — De parochi obligationibus erga civilem potestatem et ejusdem officiales.

Debitum honorem potestati civili ejusque officialibus reddere tenetur parochus; sed in ecclesia debet sacros canones servare. « Laicorum loca, et sedilia, etiamsi sint illustres, et de magistratu, debent esse extra chorum, sive presbyterium; ut ostendatur honor clerici ab illis distinctus, ut inquit Gavantus, *Thesaur. sacr. Rit.* part. II, tit. X; Barbosa, Pignatelli; ita disponitur in *Cæremoniale episc.* lib. 1, c. 13. Quod omnem abstulit consuetudinem contrariam, et ita decrevit pluries sacr. congr. Rit. Et sicuti, retentio sive usus tapeti aut stratus, non permittitur dignitatibus, et canonicis, ita nec minus magistratus laicus illa habere debet, ut declaravit d. congr. Rit. *in Baren.* 2 Septembr. 1690 in qua respondit: « Concedendum esse magistratui Baren. scamnum sive sedile ligneum, sine suppedaneo, panno coopertum, tam in ecclesia cathedrali, quam in omnibus aliis ecclesiis sæcularium et regularium, extra presbyterium. » (Monacelli, t. II, tit. XIII, form. 2, adnot. 4 et seq.) Strata ad ecclesias sibi deferri facere nemini sub gravibus pœnis licere declaratur, exceptis duntaxat per-

sonis regalibus; Clemens XI, part. III, sui Bullar. Decret. 1. congr. Cæremon. ibi : *Proposito in sacr. congr. cæremoniali quodam abusu inter alios, qui de recenti in urbe irrepserunt, eadem sacr. congr. ad eum omnino tollendum die* 30 *currentis anni* 1701, *decrevit : non licere cuicunque personæ quovis gradu, conditione, ac dignitate insignitæ (ipsis personis regalibus tantum exceptis) ad ecclesias strata sibi deferri facere; et si secus actum fuerit, immediate cessandum fore a divinis. Quod si non servetur, rectores, cæterosque ecclesiarum ministros, ipso facto excommunicationis pœnam, aliasque arbitrio sacræ congregationis incurrere, eamque ecclesiam, in qua talis abusus permissus fuerit, habendam esse pro interdicta.» — Et facta per me prosecretarium relatione sanctissimo domino nostro, sanctitas sua decretum præfatum approbavit, necnon promulgari, ac exsecutioni tradi, et in omnibus urbis sacrariis affigi mandavit die* 30 *Octobr.* 1701. Etsi hoc decretum non obliget sub pœnis in eo latis nisi in Urbe, servandum est tamen ubique.

Affertur decretum generale sacr. Rit. congr. prohibens laicis osculum Evangeliorum intra missam, usum baldachini in ecclesiis, et assistentiam in presbyteriis. *Cum pluries sacra Rituum congregatio inhærendo decretis aliis editis, et signanter..... eminentiss. et reverendiss. Domini cardinales eidem sacr. congreg. præpositi, mandarunt, ut prædicta decreta prohibentia personis sæcularibus osculum Evangelii, usum baldachini, et assistentiam in presbyterio, renoventur, et copiæ illorum transmittantur archiepiscopis, et episcopis, eisdem injungendo, ut illa intimari faciant superioribus ecclesiarum suæ diœcesis tam sæcularibus, quam regularibus, et in casu transgressionis procedant etiam contra regulares, auctoritate ejusdem sacræ congregationis ad pœnam interdicti. Et ita decreverunt*, etc. *Die* 13 *Maii* 1688. Aliud decretum generale sacr. Rituum congreg. die 22 April. 1690 stetit in decisis, quod et confirmavit sanctissimus, eodem die et anno.

Præses regius provinciæ potest thurificari duplici ductu et juxta præscriptum Cæremonialis lib. I, c. 23. — Non possunt magistratus nec alii laici, dum assistunt officiis divinis, sedere in sedibus coramineis cum brachiorum appodiis, et habere stratum cum pulvinari, nisi adsit contraria consuetudo a sacr. congr. Rit. probata in *Aprutina* 6 Octobr. 1696 et *in Baren.* 2 Sept. 1690. « Nemo potest habere fenestram, per quam prospectus, nec portam, per quam transitus habeatur ad ecclesiam, sine indulto apostolico, ut pluries declaravit sacr. congr. Episc. et Regul. ... Imo injungitur episcopo, ut cryptas, et aditus subterraneos a domibus privatorum ad ecclesias, et loca immunia claudere faciat. . . Talis prohibitio vim habet etiam in eo, qui habet januam correspondentem in domo parochi ecclesiæ contigua, ut declaravit sacr. congr. Episc. 17 Febr. 1619. Imo nequidem ducibus, et marchionibus id permitti posse declaravit eadem sacr. congr. Episc. 5 Martii 1619. — Unde non debet ordinarius permittere, ut ab ecclesiis sit ingressus, transitus, vel prospectus in privatas ædes, neque super ecclesias esse cameras, vel loca ad habitandum, dormiendum, deambulandum absque licentia sedis apostolicæ; alias debent interdici, donec hæ servitutes removeantur ; ut sæpe declaravit sacr. congr. Episc. ... Nisi tamen in limine fundationis ecclesiæ fundator, seu aliquis insignis benefactor sibi reservaverit jus habendi prospectum, seu ingressum in ipsam. Quia in tali casu ne laici a fundationibus retrahantur, cum possit episcopus leges et conditiones, etiam juri communi contrarias admittere, juxta communem doctorum sententiam, ... posset ecclesiam cum hac lege fundatam, valide huic servituti subjicere... (Ferrar. verb. *Ecclesia*, art. 5, n. 1 ad 6.)

Attamen *debitus honor, et locus non denegetur ;* puta prælatis, gubernatoribus, vicariis, magistratibus, suffraganeis, quibus in functionibus ecclesiasticis locus, et honor, debetur. At quia in ista loci, et honoris destinatione sæpe oriuntur scandala, et perturbationes, cavendum erit hinc inde ab extremis : ideo ut laici ordinem leviticum distinctum, et separatum a Deo æmulari, et cum eo in ecclesia locum, et sedem æqualem habere, non præsumant, ecclesiastici vero apicibus cæremonialis ita judaice insistere, et adhærere non debent, ut ubi ordo hierarchicus non confunditur, nec deformitas intolerabilis oritur, pro minimis applaudant locum laicis, novitatibus exturbare, præsertim antiquum cum in se-

dendo attendatur consuetudo, dummodo sit rationabilis. » MONACEL. t. II, tit. XIII, form. 2, adnot. 11.) Igitur ab innovationibus indecoris nec laicis favorabilibus nec eisdem contumeliosis sese abstinere caveant parochi.

ARTICULUS II. — PAROCHUS ERGA PAROCHIANOS.

§ I. — De parochi muniis generatim.

« Parochus est sacerdos proprius et immediatus sub episcopi auctoritate gregis sibi commissi, eoque titulo gaudet jurisdictione ordinaria in foro interno, unde vi hujus muneris absque alia delegatione aut privilegio potest in sacro tribunali de omnibus peccatis non specialiter reservatis in quæ sui parochiani inciderint, cognoscere, ab iisque absolvere. Verum jurisdictionem in foro externo non obtinet. Nam leges aut mandata non potest edicere, causas parochianorum judicialiter cognoscere et decidere, excommunicare, excommunicatum absolvere, et cætera hujusmodi quæ audientiæ episcopi sunt reservata. (C. 1, 9, 11, 13 *De offic. jud. ordin.*) Quapropter nonnisi imperfecte et quasi dimidiate, nempe pro foro externo, parochi pertinent ad hierarchiam jurisdictionis. »

« Interea officia quæ parocho incumbunt ratione sui muneris rite obeundi, etsi extra jurisdictionem fori externi quam non habet, ex dictis, versentur, neque pauca sunt, neque modica. Cum enim sit rector gregis sibi commissi, omnia potest generatim, et ad omnia tenetur quæ sine jure ferendi legem, aut eam in forma judiciorum vindicandi explicari possunt. » (*Instit. jur. canon.* auctore R. de M. t. I, lib. VII, c. 1, § 3.)

« Parochi et curati animarum cogendi sunt, ut per seipsos, et non per substitutos eorum munia adimpleant. (BARBOS. supra concil. sess. 23, c. 1; FAGNAN. in cap. *Exstirpandæ* n. 4, *De præbend.* GARZ. *De benef.* part. III, cap. 2, n. 53, ubi firmat, quod parochus per se ipsum, et non per vicarium deservire, et injuncto sibi officio defungi debet. » (MONACEL. t. I, tit. X, form. 18, adnot. 14.) Et Trident. sess. 23, c. 1 : *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari, et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt : sacrosancta synodus eos admonet, et hortatur ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio, et veritate pascant, et regant.* Ad quatuor igitur præcipua revocari possunt officia parochi erga parochianos, scilicet orationem, prædicationem, sacramentorum administrationem, et oves suas agnoscere et curare. Quæ sequentibus enucleare habemus.

§ II. — De parochi obligatione orandi, missam et sacram liturgiam celebrandi.

I. Parochis incumbit obligatio sacram liturgiam celebrandi aut celebrari faciendi in suis ecclesiis juxta Rubricarum et Cæremonialis præscripta et secundum etiam legitimam locorum consuetudinem. Debent invigilare ad decentiam et nitorem ecclesiæ, altarium, presbyterii, chori, paramentorum, vasorum sacrorum, etc. etc., et ut omnia peragantur ab omnibus officialibus in tempore opportuno et juxta ritum et ordinem a rubricis et cæremoniali præscriptum. Parocho pertinet unicuique sive vicariorum et clericorum, sive aliorum officialium suum officium jubere et determinare, et invigilare ut omnes servent rubricas et cæremoniale ; ideoque tenetur probe cognoscere rubricas Missalis, Breviarii et Ritualis sicut et Cæremoniale et saltem generales sacræ Rituum congregationis decisiones.

II. Non licet missam celebrare nisi in ecclesiis ab episcopo consecratis, aut in locis ab eodem deputatis et ab ipso aut ejus delegato benedictis. (C. *Missarum* 12, et c. *Nullus* 16, *De consecrat.* dist. 1.) Solus episcopus loci aut alius episcopus cum diœcesani permissione de jure communi potest ecclesiam consecrare. (C. *Interdicimus* 19, causa 16, quæst. 1, et tot. tit. *De consecrat. eccles.* præsertim c. *Aqua* 9 *De consecrat. eccles.*) Ecclesia vero benedici potest per quemlibet simplicem sacerdotem ab episcopo delegatum. (Arg. c. *Si ecclesia* 10, *De consecrat. eccles.*)

Ecclesia violata seu polluta non potest consecrari antequam reconcilietur, et pol-

lutionis causa amoveatur. (C. *Si ecclesia* 10, c. *Ecclesiam* 27 et 28, *De consecrat.*) In ecclesia polluta, vel in ejus cœmeterio contiguo non potest sepeliri ullus defunctus, donec reconcilietur. (C. *Si ecclesiam*, unic. *De consecrat. eccl.* in 6.) Non possunt in eadem nec divina officia, nec missæ celebrari. (C. *Sicut* 11, *Nullus* 14 ; c. *Ecclesiam* 27 et 28, dist. 1 *De consecrat.* ; c. *Ecclesia* 10, *De consecrat. eccles.*) Si quis in ecclesia publice polluta missam celebrat, aut alia peragit divina officia, seu defunctum sepelit, peccat quidem mortaliter, irregularis tamen, aut suspensus non efficitur, quia nulla pœna invenitur expressa in jure contra eos qui talia agunt in ecclesia polluta, antequam reconcilietur, adeoque non inducenda. (Arg. c. *Is qui* 18, *De sent. excom.* in 6; et cap. *Odia* 15, *De regul. jur.* · et *communis*. FERRAR. verb. *Ecclesia*, art. 4, passim.) Celebrans in ecclesia polluta non est ipso jure suspensus, vel suspendendus ; secus autem in ecclesia interdicta ; nam in tali ecclesia celebrans est ipso jure suspensus et irregularis. (FAGNAN. in cap. *Tuarum, De privileg.* lib. 5.) — Si sacerdos sciat solum ex sacramentali confessione ecclesiam esse pollutam, poterit in ea licite celebrare, neque opus est aliqua reconciliatione. (Arg. cap. *Significasti* 6, *De adulter. et aliis juribus.*) — Quando in actu celebrationis missæ violatur publice ecclesia, si id contigerit ante canonem, est statim a sacrificio cessandum; si post canonem, est prosequendum. (Sic expresse Rubrica Missal. tit. *De defectibus in ministerio ;* — FERRAR. *ibid.*) In quibus casibus et quibus actibus polluatur ecclesia dicetur ubi de ecclesia speciatim.

Reconciliatio ecclesiæ pollutæ si prius fuerit consecrata, non potest fieri ab alio, quam episcopo diœcesano, vel ex ejusdem assensu aut commissione ab alio episcopo cum aqua per diœcesanum benedicta ; non autem potest episcopus diœcesanus ad hoc delegare simplicem sacerdotem. (Textu expresso in cap. *Aqua* 9, *De consecrat. eccles.* et sic pluries decrevit sacr. congr. Rit.) Ex privilegio tamen , seu commissione summi pontificis reconciliatio ecclesiæ pollutæ potest fieri etiam a simplici sacerdote. Est communis et habetur a sacr. congr. Rit. Quæ *in Placentina*, 19 Maii 1607 decrevit non posse simplicem sacerdotem reconciliare ecclesiam consecratam pollutam sine licentia sedis apostolicæ; et etiam tunc cum aqua per episcopum benedicta. (Arg. c. *Aqua* 9, supra.) Si ecclesia polluta non fuerit consecrata, sed solummodo benedicta, reconciliari potest per quemlibet sacerdotem per solam aquæ lustralis aspersionem. (C. *Si ecclesia* 10, *De consecrat. eccles.*) Neque requiritur quod aqua sit per episcopum benedicta; debet enim ecclesia statim, etiam irrequisito episcopo, a rectore ecclesiæ, vel alio sacerdote aqua lustrali lavari, seu reconciliari, ut præscribit cit. textus. (FERRAR. verb. *Ecclesia*, art. 4, n. 71 et 72.)

III. *De campanis.* — Campanæ, antequam in campanili collocentur debent esse benedictæ, et consecratæ ab episcopo, vel ab alio habente facultatem, et hoc de necessitate præcepti, prout habetur ex Pontificali, tit. *De benedict. campanæ.* Episcopus potest prohibere ne campanæ nondum benedictæ pulsentur. (S. Rit. congr. 5 Julii 1614.) Benedictio campanarum ab episcopo delegari non potest, quia unctio, quæ debet fieri cum sacris oleis, est ordinis episcopalis, et de necessitate præcepti ; ideo inferioribus episcopo committi non potest, nisi ex speciali indulto papæ. (S. congr. Rit. 19 April. 1687.) Et qui habet indultum non potest aliis benedictionem delegare, nisi hoc illi concedatur expresse. (Ead. sacr. congr. 1 Septembr. 1703.) Quando ex indulto apostolico committitur simplici sacerdoti benedictio campanæ, in indulto præscribitur ut aqua per episcopum benedicta adhibeatur, et arg. ex cap. *Aqua* 9, *De consecrat.* supra.

Campanæ in Sabbato sancto non possunt in aliqua ecclesia pulsari ante pulsationem in ecclesia cathedrali, vel matrice aut parochiali ; Leo X in constit. *Dum intra*, et pluries sacr. congr. Rit. nisi consuetudo in contrarium esset legitima, vel ecclesiæ multum distarent; ex sacr. congr. Episc. et Regul. 16 Jul. 1601 et 15 Febr. 1622. Campanæ non sunt pulsandæ tempore interdicti; cap. *Quod nonnullis* 26, *De privileg.* c. *Permittimus* 57 *De sent. excom.* cap. *Alma Mater* 24, *De sent. excom.* in 6. Ex hoc tamen cap. *Alma* permittitur , ut in festis Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, et assumptionis B. M. V. celebrentur divina officia solemniter cum pulsatione campanarum, in

tempore interdicti. Et hanc concessionem fuisse per Martinum V, Eugenium IV, et Leonem X, ampliatam ad Corpus Christi et Virginis Conceptionem cum tota octava refert Volpi, resolut. 93, n. 6

Ecclesia parochialis debet habere plures campanas, ad minus duas. Sanctus Carolus optavit, ut in omnibus ecclesiis parochialibus ad minus duæ campanæ haberentur, eæque distincto soni concentu inter se recte consentientes, pro varia divinorum officiorum quæ fiunt ratione et significatione. Campanas certis horis diei ac noctis pulsandas consuetudine introductum est. Primo, tempore sacrificii et horarum canonicarum; secundo, cum elevatur Hostia in missa solemni; item, cum viaticum seu corpus Domini, ad infirmos defertur; hora meridiana; item vespere, hora Salutationis angelicæ; in receptione episcoporum et etiam abbatum jura episcopalia habentium, necnon principum sæcularium, item ad fugandas tempestates, et in obitu defunctorum, et in die etiam anniversaria (Ferrar. verb. *Campanæ*, n. 41), etc., juxta locorum consuetudinem laudabilem.

Campanæ benedictæ non pulsentur ad usus profanos. De consensu tamen episcopi campanæ benedictæ pulsari possunt ad usus profanos, ad quos non sequuntur causæ sanguinis; et præsertim si communitatis expensis constructæ fuerint, quantumvis tale jus non sibi servasset; et sufficit licentiam semel petere pro semper. (Sacr. congr. Episc. pluries.)

Est abusus non tolerandus, quod campana aliqua pro solis nobilibus pulsari reservetur, sed pulsari debet pro quibuscunque petierint. (S. congr. Episc. 19 Junii 1583.) Quoad mercedem campanæ, quæ pulsatur occasione funerum, servanda est consuetudo. (S. congr. Episc. et Regul. pluries, apud Ferrar. ex quo desumpta sunt præcedentia, verb. *Campanæ*.)

IV. Parochus cavere debet ne in sua ecclesia exponantur sacræ reliquiæ sanctorum, de quarum identitate non constet aut ab immemoriali, aut approbatione episcopi; nec novæ admittantur nisi per episcopi recognitionem. (*Trident.* sess. 25. *Decretum de invocatione et veneratione, et reliquiis sanctorum et sacris imaginibus*, sub initio sess.) « Non permittant quod sacræ reliquiæ nudis manibus tangantur, aut nudæ exponantur, sed per sacerdotes tantum, quando necessitas urget panno serico cooperiantur. S. Carolus in concil. IV provin. Mediol. tit. *De sacr. reliq.* prohibet ne sacræ reliquiæ per laicos cujusvis ordinis et dignitatis tangantur. Neque patiatur episcopus, quod tangantur per moniales, vel asserventur in clausura; sed omnino curet, quod custodiantur in exteriori ecclesia. Nec permittat quod educantur a thecis, sive loculis earum, sed vascula in quibus asservantur, et includuntur, sint firmiter sigillo occlusa. » (Monacel. t. II, tit. XIII, form. 2, adnot. 25 et seq. ubi affert plurimos canonistas.)

Nemini licet ullo in loco, vel ecclesia etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit, ut concil. Trident. disponit in decreto *De invocat. et vener. sanct.* neque quid pingatur, aut sculpatur, quod veritati Scripturarum, aut traditionum ecclesiasticarum adversetur : nihilque contra formam præscriptam a constitutione Urbani VIII impressa in *Bullar.* tom. V, constit. 280 (qua prohibetur imagines cum alio habitu, quam catholica Ecclesia illas consuevit vestire, et pingere, depingi) innovetur, tam in ecclesiis sæcularibus, quam exemptorum. Sicuti enim ex traditione apostolica sacr. imagines introductas fuisse credimus; ita prout a Patribus accepimus, sine fuco servare debemus. » (Monacel. t. II, tit. XIII, form. 1, adnot. 12.)

« Nec parochus sine licentia episcopi potest processiones extraordinarias facere; ex sacr. congr. Concil. 12 Julii 1636, in qua fuit dictum non sufficere licentiam vicarii foranei. » (Id. *ibid.* form. 1, adnot. 86.)

V. *De clericis parocho necessariiis et cum eo viventibus.* — Parochus maximam in officialium ecclesiæ delectu diligentiam adhibere debet. (Cap. *Ut quisque* 3, tit. I *De vita et honest. cleri* lib. III *Decret.* ibi : *Ut quisque presbyter, qui plebem regit, clericum habeat, qui secum cantet, et Epistolam et lectionem legat, et qui possit scholas tenere et admonere suos parochianos, ut filios suos ad fidem discendam mittant ad ecclesiam : quos ipse cum omni castitate erudit.* Et cap. *Quoniam* 9, ejusdem tit. et lib., episcopus potest statuere ut sequitur : *Statuimus, ut facultatibus ecclesiarum vestrarum proventibus et expensis diligenter inspectis, certum in eis*

valeatis ponere numerum clericorum, et statuere ut bona eorum veniant in commune, in una domo vescantur, atque sub uno tecto dormiant, et quiescant. Si qui vero contradictores exstiterint, licitum vobis sit per suspensionem officii et beneficii, aut graviori etiam pœna, si opus fuerit, ad hanc observantiam, eos appellatione non obstante compellere. Indulgemus etiam, ut si quisquam eorum, qui simul vivunt, pro manus injectione in sacrum, a communione meruerit fieri alienus, reconciliandi et pœnitentiam imponendi potestatem plenariam habeatis, nisi forte atrocitas facti pœnam graviorem exspectet.

Sancivit sancta synodus Tridentina ut exercitia minorum ordinum restitui debeant in omnibus ecclesiis. Deficientibus tamen clericis cælibatum colentibus, sufficiantur conjugati monogami tonsurati et induti clericaliter in ecclesia, sess. 23, cap. 17, ibi : *Ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones, ab apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ, et pluribus in locis aliquandiu intermissæ, in usum juxta sacros canones revocentur;... illius pristini moris restituendi desiderio flagrans sancta synodus decernit, ut in posterum hujusmodi ministeria nonnisi per constitutos in dictis ordinibus exerceantur, omnesque et singulos prælatos ecclesiarum in Domino hortatur, et illis præcipit, ut quantum fieri commode poterit, in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, et parochialibus suæ diœcesis, si populus frequens, et ecclesiæ proventus id ferre queant; hujusmodi functiones curent restituendas, et ex aliqua parte redituum aliquorum simplicium beneficiorum, vel fabricæ ecclesiæ, si proventus suppetant, aut utrisque illorum, eas functiones exercentibus stipendia assignent : quibus, si negligentes fuerint, ordinarii judicio, aut ex parte mulctari, aut in totum privari possint. Quod si ministeriis qualuor minorum ordinum exercendis clerici cælibes præsto non erunt, sufficient possint etiam conjugati vitæ probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei et qui tonsuram, et habitum clericalem in ecclesia gestent.*

Ubi igitur adsunt clerici in sacris ordinibus constituti, etiam presbyteri, functiones sacrorum ordinum *in usum juxta sacros canones revocentur* ; et parocho has functiones injungenti obedire tenentur clerici ex hoc Tridentini præcepto : « Munus acolyti aut thuriferarii et his similia, non possunt exerceri, nisi per constitutos in illis ordinibus, si haberi possint. Ne quidem per fratres laicos, qui talibus ordinibus non sint insigniti, exerceri debent. » (Adnot. ad dict. cap. 17, sess. 23 Trident.) Si clerici cælibes præsto non erunt, suffici possint etiam conjugati, non bigami, idonei et qui tonsuram, et habitum clericalem in ecclesia gestent. (Textu expresso, c. 17 supra.) Ubi vero parochus nequit clericos ad liturgiæ functiones peragendas habere, consuetudine toleratur ut laicos adhibeat; et textu Tridentino satis declaratur quibus dotibus ornari debeant. Clericus in minoribus ordinibus constitutus data necessitate potest sine manipulo substitui subdiacono in missa solemni. (S. Rituum congr. 5 Jul. 1698, *in collensi.*) Iste clericus non debet aquam in calicem infundere.

Consuetudo induendi laicos sive juvenes sive uxoratos sacris vestibus præter stolam et manipulum, ut celebranti assistant ad pompam, quando non adsunt diaconus et subdiaconus, qui eidem ministrent, tanquam abusus omnino eliminanda est, et in casu missa cantetur per solum presbyterum ut declaravit sacr. congr. Rituum 11 Septembr. 1847 *in Blesensi* et quibusdam aliis Galliarum diœcesibus.)

Nequeunt etiam laici indui pluvialibus, nec etiam superpelliceis. (*Conc. Colon.* 2, part. III, cap. 31; apud Ferraris, verb. *laici*, n. 55.) Consuetudine tamen toleratur ut laici ad minorum ordinum functiones adhibiti superpelliceis seu cottis indui possint, et confirmatur ex Trident. supra.

« Indignum quidem videtur, quod minister in sacrificio Missæ, qui ecclesiæ, sive fidelis populi in actione adeo sublimi vices supplet, sit incapax, immoriger, et petulans puer, aut rudis, vilis, vel sordidus homo, prout non sine dedecore dignitatis, ac sanctitatis sacrificii hic abusus, sive hominum incuria, et improbitate, sive temporum vitio cum hæreticorum derisu universaliter irrepsit : quem tamen toto conatu vigiles episcopos, et prælatos eradicare debere, disertissimis verbis hortatur Van Espen, *De jure eccles. univers.* t. I, part. II, tit. V, cap. 3, a n. 35 ad fin. » (Monacel. t. I, tit. V, form. 8, adnot. 16.)

VI. *De missa et obligatione sacrificium pro parochianis offerendi.* — 1. Parochus diebus

festis missam celebrare debet in propria ecclesia, et non in alia, quacunque consuetudine in contrarium non obstante. (S. congr. Concil. pluries.) — Parocho concedere potest episcopus ob defectum sacerdotum, ut in diebus festis, urgente necessitate, bis celebret, sac. cong. conc. pluries, apud Ferraris, et alios ab ipso cit. v. *Parochus*, art. 3, n. 1 et 2. aut quando sacerdos habet duas vel tres parochias inter se valde dissitas, et non potest habere coadjutorem, nec omnis populus potest in unam ecclesiam convenire. Ex cap. *consuluisti*, de celebrat. Miss. et praxi.

2. De jure communi, et ordinarie missa non potest licite celebrari, nisi in ecclesiis, vel in locis consecratis, aut saltem legitima auctoritate benedictis, ex Clement. I, tit. XIV, lib. III; et cap. *Sicut* 11, *De consecrat.* dist. 1; et Trident. sess. 22, *Decret. de observandis in celebrat. missar.* Dicitur de *jure communi et ordinarie*, quia in casu quo magna urget necessitas, posset a quolibet sacerdote celebrari missa in locis non consecratis, nec benedictis, ut sub dio, vel in privatis domibus, aut in altari portatili, et loco cæteroquin honesto, ut tenent communiter doctores, et clare ostendunt mox citati canones, per illa verba : *Absque magna necessitate fieri debere.* In tempore pestis, belli, persecutionum, et ubi sine periculo mortis, aut alterius gravis mali in sacratis locis celebrari nequit; si ecclesiæ essent dirutæ, vel ab infidelibus, sive hæreticis impeditæ. (C. *Concedimus* 30, *De consecrat.* dist. 1.) Similiter in maximo concursu populi, quem sacer locus capere non potest, in bello pro exercitu, in longa peregrinatione per loca infidelium. In his enim et similibus necessariis casibus, de communi doctorum etiam absque licentia episcopi, si absens sit, et difficulter adiri possit, ipso jure potest quilibet sacerdos licite celebrare. Attamen sentiunt aliqui concursum populi causam sufficientem non esse, ut extra sacrum locum sacerdos celebrare possit sine dispensatione superioris; hoc enim in casu pars illa populi, quæ ingredi locum sacrum non posset, vel extra ecclesiam consistere animo satisfaciendi præcepto de missa audienda deberet, vel si id facere non posset, non teneretur audire missam. (Ferrar. verb. *Missa*. art. 5, n. 3, et not. 66.)

Parochus, absque statuto episcopali, non potest prohibere, ut absque ejus licentia celebretur in capella ruri ædificata per laicum antequam celebretur in parochiali. (S. congr. Concil. 18 Septembr. 1627; Ferrar. verb. *Parochus*. art. 3, n. 8.)

3. *De applicatione sacrificii.* — Omnes parochi inamovibiles, et sive sæculares, sive regulares, vicariique curati, tenentur ad offerendum pro populo sacrificium diebus Dominicis, et festis de præcepto, non obstante quavis contraria consuetudine, et etiamsi congruis reditibus destituantur. — Omnes hi *jure divino* tenentur applicare sacrificium missæ pro suis parochianis, ut deducitur ex concilio Trident. sess. 23, *De reform.* cap. 1; et ex declarationibus sacr. congr. Concil. præsertim 10 Maii 1681, ibi : *Cum præcepto divino iis quibus animarum cura commissa est mandatum sit pro ovibus suis sacrificium offerre, sæpe alias sacr. congr. Concil. censuit, parochos teneri pro parochianis sacrificium applicare, atque ea cum distinctione, ut si redditus pingues sint, singulis diebus, si vero tenues, saltem diebus festis... nec posse eisdem diebus aliam eleemosynam recipere...* Quæ decreta confirmavit Innocentius XII, die 24 April. 1699. Ad præcavendas super pingues aut tenues reditus difficultates et obligationem pro omnibus determinandam, constitutionem *Cum semper* dedit Benedictus XIV die 19 Augusti 1744, num. 103, in suo Bullario. Declarat Benedictus XIV in hac constitutione : 1° Sacrosanctum missæ sacrificium a pastoribus animarum applicari debere pro populo, ipsorum curæ commisso; id veluti ex divino præcepto descendens, a sacra Tridentina synodo diserte exprimitur sess. 23, c. 1, *De reform.* — 2° Huic obligationi fieri satis, si ii, qui animarum curam exercent, missam celebrent atque applicent pro populo in *Dominicis aliisque per annum festis de præcepto* (*Ibid.* n. 6.). — 3° Sub dicta obligatione comprehendi vicarios curatos, curæ exercitium habentes; vicarios illos seu œconomos, qui, vacante parochia, ad curam in ea exercendam deputantur; curatos ad nutum amovibiles; regulares, qui parochi vel vicarii titulo curam exercent. (n. 4.) — 4° Quod autem urgeat præfata obligatio, etiamsi parochi congruis reditibus destituantur, declaravit Innocentius XII, bulla *Nuper*, 24 April. 1699. — 5° Benedictus XIV declarat consuetudinem contrariam etiam

immemorabilem esse abusum et corruptelam et nemini suffragari (*Ibid.* n. 16.)

Singulæ conclusionis nostræ partes plurimis sacræ congregationis concilii declarationibus firmantur.

4. Excepto casu legitimi impedimenti, tenetur parochus missam pro parochianis per se ipsum offerre; nec potest alium sacerdotem, qui id præstet, sibi substituere nisi in casu legitimi impedimenti. Pro certa omnino habenda est hæc conclusio, utpote multoties a sacra congregatione concilii firmata. — Pro causa autem legitima sibi alium substituendi habendam esse : 1° quamlibet absentiam legitimam, 2° infirmitatem, 3° obligationem celebrandi missam conventualem, quando parochus est simul canonicus, omnino admittendum est; et generatim pro regula tradi potest, sufficere causam, quæ prudentis viri judicio vere gravis æstimetur. (Bouix, *De parocho*, p. 590.) — Contra prædictam parochorum per seipsos offerendi obligationem, nulla valet consuetudo. (Constit. Benedict. XIV *Cum semper*, et sacr. congr. Concilii pluries.) — Missam pro populo celebrare debet parochus in parochiali ecclesia; sed potest satisfacere per missam privatam, nec tenetur missam solemnem, aut aliqua certa hora fixa celebrare. Hæc sequuntur ex juribus et multis sacr. congr. Concil. declarationibus. Debet parochus sacrificium applicare pro populo ipsa die Dominica, aut festi; et si non potest, tenetur sibi alium sacerdotem substituere; et si neutrum possit, tenetur applicare per hebdomadam, die qua in sua ecclesia celebrabit.

5. Tenentur parochi et curati omnes missæ sacrificium pro populo applicare omnibus Dominicis et diebus festis in catalogo Urbani VIII recensitis in sua constitutione *Universa per orbem*, idibus Septembris 1632, quibus addita fuit a Clemente XI Conceptionis B. M. V. festivitas. Remansit prædicta curatorum obligatio quoad festa pro populo suppressa, sive per indultum 9 Aprilis 1802 in toto Gallicanæ reipublicæ territorio, sive per alium modum pro aliis regionibus; hæc obligatio etiam in festis suppressis constat ex multis sacr. congr. Concil. declarationibus, et omne dubium, si quod remansisset, sustulit SS. D. N. Pius papa IX per litteras apostolicas 3 Maii 1858 omnibus Urbis et orbis ordinariis datas. Ibi : *Rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in consilium adhibitis nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus nostræ congregationis Tridentinis decretis tuendis, interpretandisque præpositæ, hanc vobis, venerabiles fratres, encyclicam epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedulo, diligenterque observandam. Quamabrem hisce litteris declaramus, statuimus atque decernimus, parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum missæ sacrificium pro populo sibi commisso celebrare, et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex præcepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex hujus apostolicæ sedis indulgentia ex dierum de præcepto festorum numero sublati, ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de præcepto dies imminuerentur, et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem missa, quæ præcipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.*

6. Ex his igitur SS. D. N. Pii papæ IX litteris, et constitutione Urbani VIII, juncto Cardinalis Caprara legati a latere decreto, 9 Aprilis ann. 1802, *De suppressione festorum, et quorumdam translatione in Dominica proxime occurrente*, quoad Gallias, omnes curati tenentur sacrificium missæ offerre et applicare pro parochianis : 1° in omnibus Dominicis diebus totius anni. 2° In festis Nativitatis D. N. J. C.: Circumcisionis; feriæ secundæ et tertiæ Resurrectionis D.; Ascensionis; feriæ secundæ et tertiæ Pentecostes; Inventionis sanctæ crucis. 3° Necnon festivitatum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis et Conceptionis immaculatæ Deiparæ Virginis. 4° Dedicationis S. Michaelis archangeli; Nativitatis S. Joannis Baptistæ. 5° S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ, et S. Matthiæ, Christi Domini apostolorum. 6. Item S. Stephani protomartyris, SS. In-

nocentium, S. Laurentii martyris, S. Sylvestri papæ et confessoris, S. Joseph etiam confessoris, et S. Annæ Deiparæ respective sponsi ac genitricis, solemnitatis Omnium Sanctorum atque unius ex principalioribus patronis in quocunque regno sive provincia et alterius pariter principalioris in quacunque civitate, oppido, vel pago ubi hos patronos haberi et venerari contigerit. (Const. *Universa* Urbani VIII.) — Quoad festa patronorum, de quibus hic agitur, notetur agi de patronis totius regni, vel totius diœcesis aut civitatis, non de *titularibus* ecclesiæ, in quorum festis non tenetur parochus pro populo missam offerre; sed neque in festis patronorum regni, aut diœcesis, aut civitatis, nisi fuerint legitime assumpti, id est per electionem populi et sedis apostolicæ assensum. Si tamen ab immemorabili alicubi fuerit celebratum alicujus patroni festum, tanquam de præcepto præsumitur initio rite institutum. Sed de patronis non est difficultas quoad Gallias, cum eorumdem festivitates in Dominica proxime occurrente celebrentur ex decreto card. Caprara 9 April. 1802.

7. Festa Resurrectionis, Pentecostes, sanctissimæ Trinitatis ubique concurrunt cum Dominica; festa Epiphaniæ, Corporis Christi, SS. apostolorum Petri et Pauli et sanctorum patronorum cujuslibet diœcesis et paræciæ, ex decreto legati Caprara, pro Galliis, concurrunt etiam cum Dominicis proxime occurrentibus : pro his omnibus festis ex bulla *Amantissimi* Pii IX et pro unaquaque Dominica cum eisdem proxime occurrente, una tantum missa pro populo est a parochis applicanda, in Dominica scilicet festivitatis translatæ.

Idem dicendum est de omnibus supra relatis festis de præcepto sive servatis sive suppressis. Quoties concurrunt cum aliqua Dominica, satisfit obligationi parochorum per unam tantum missam pro populo applicandam; sic v. gr. festum Nativitatis Domini, Circumcisionis, hoc anno 1859, incidit in Dominica, parochi duplici obligationi offerendi pro populo in die festi et Dominicæ per unam tantum missam satisfaciunt.

8. In Galliis igitur tenentur parochi offerre pro parochianis, in 52 Dominicis anni, et 31 festis, quæ non semper concurrunt cum Dominica. Sed fere quotannis horum festorum duo et aliquando plures cum Dominica concurrunt. Ideoque, de facto, obligatio parochorum reducitur ad 81 missas quotannis pro populo applicandas, super quibus dispensatio et remissio a sancta sede obtineri nequit nisi pro circiter viginti festis suppressis. Parochi tamen qui talem dispensationem postulare optant, sacr. Concil. congr. adire debent; huicque congregationi exponere reditus parochiæ, obventiones diversas, fundationes suæ ecclesiæ, onera diversa quæ incumbunt et veras sustentationis difficultates. Eorumdem supplicationi adjungi debet attestatio episcopi authentica.

§ III. — De obligatione parochorum prædicandi et docendi.

1. Parochi tenentur per se ipsos vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, et earum capacitate pascere prædicatione verbi. Sic expresse concilium Trident. sess. 5, cap. 2 *De reform.* : *Archipresbyteri quoque plebani, et quicunque parochiales, vel alias curam animarum habentes ecclesias quocunque modo obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, et festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant. Id vero, si quis eorum præstare negligat. . . Itaque ubi ab episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens, officium suum impleat.* Et idem repetit sess. 22, *De sacrific. missæ*, c. 8, his verbis : *Quamobrem retento ubique cujusque ecclesiæ antiquo, et a sacra Romana Ecclesia omnium ecclesiarum matre, et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant neve parvuli panem petant, et non sit, qui frangat eis, mandat sancta synodus pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter missarum celebrationem,*

vel per se, vel per alios idoneos ex iis, quæ in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis et festis. Atque idipsum in parte replicavit, sess. 23, *De reform.* cap. 1, in hæc verba : *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione... pascere ...* Et sess. 24 *De reform.* cap. 4 : *Sancta synodus . . . mandat, ut in ecclesia sua, ipsi (episcopi) per se, aut si legitime impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument, in aliis autem ecclesiis, per parochos, sive, iis impeditis, per alios, ab episcopo, impensis eorum, qui eas præstare vel tenentur, vel solent, deputandos in civitate; aut in quacunque parte diœcesis, censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis, et solemnibus diebus festis; tempore autem jejuniorum Quadragesimæ, et Adventus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, sacras Scripturas, divinamque legem annuntient, et alias, quotiescunque id opportune fieri posse judicaverint; moneatque episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei ... in reliquis ea, quæ de prædicationis munere sub eodem Paulo III decreta fuerunt, suum robur obtineant,* id est quæ decreta sunt sess. 5, c. 2, supra. Item sess. 24, cap. 7, *De reform. : Ut fidelis populus ad suscipienda sacramenta majori cum reverentia, atque animi devotione accedat, præcipit sancta synodus episcopis omnibus, ut non solum, cum hæc per se ipsos erunt populo administranda, prius illorum vim, et usum pro suscipientium captu explicent, sed etiam idem a singulis parochis pie, prudenterque etiam lingua vernacula, si opus sit, et commode fieri poterit, servari studeant, juxta formam a sancta synodo in catechesi singulis sacramentorum præscribendam; quam episcopi in vulgarem linguam fideliter verti, atque a parochis omnibus populo exponi curabunt; necnon ut inter missarum solemnia, aut divinorum celebrationem sacra eloquia, et salutis monita, eadem vernacula lingua singulis diebus festis, vel solemnibus explanent; eademque in eorum cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant*

Ex his textibus tota desumitur obligatio parochorum quoad verbi divini prædicationem. 1° Parochi, qui raro aut nunquam concionem habeant ad populum, peccant mortaliter, etiam præcisa gravi populi necessitate; et si populus graviter indigeat prædicatione, peccant toties contra divinum præceptum, quoties populus graviter indigeat ipsa prædicatione; cum ex Dei præcepto teneantur oves suas verbi divini prædicatione pascere, ut expresse habet Trident. sess. 23, c. 1, supra. — Hinc graviter peccant parochi, si tribus mensibus totius anni discontinuis, per se vel per alios non concionentur, cum sit materia gravis. Trident. sess. 5, cap. 2 supra, decernit parochos, si ab episcopo moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, cogendos esse per censuras, et alias pœnas, ita ut episcopus id munus alteri committere possit parochi sumptibus, donec ipse resipiscens officium suum impleat.

Dictæ obligationi tenentur parochi satisfacere per seipsos, nisi sint legitime impediti; nec officio suo satisfaciunt quoad Deum prædicationes totius anni aliis committentes. (Communis, et deducitur ex Trident. sess. 5, c. 2 ; sess. 24, c. 4, supra.)

II. Obligatio prædicandi pro parochis est duplex ex concilio Tridentino : 1° tenentur prædicare intra missarum celebrationem, diebus saltem Dominicis et festis solemnibus totius anni. 2° Tempore autem jejuniorum Quadragesimæ, et Adventus Domini, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint (episcopi), sacras Scripturas divinamque legem annuntient parochi, et alias, quotiescunque id opportune fieri posse judicaverint (episcopi). *Trident.* sess. 24, cap. 4. Unde potest præcipere episcopus, ut tempore Adventus et Quadragesimæ in qualibet parochia, vel quotidie, vel tribus in hebdomada diebus, si ita opportunum judicaverit, fiat prædicatio per parochum, vel per alium ab episcopo deputandum. Potest insuper decernere episcopus ut ejusmodi prædicationes aliis etiam anni temporibus fiant.

1. *De Dominicali prædicatione.* — Parochi aliique curam animarum habentes tradere debent doctrinam Christianam juxta dispositionem concilii Tridentini omnibus diebus

festis. (Benedict. XIV, constit. 42, *Etsi minime*, n. 3 et 4 tom. I *Bullar.*) Quæ doctrina Christiana tradenda est etiam a sacerdotibus celebrantibus in ecclesiis ruralibus non parochialibus. (*Ibid.* n. 14.) Hæc prædicatio fieri debet inter missarum celebrationem. (Ex *Trident.* supra.) Debet haberi statim post Evangelium vel post *Credo*. Rubricæ enim vetant, ne habeatur post oblationem. Hic etiam ex perantiqua Ecclesiæ consuetudine, debent parochi pro summo pontifice, episcopo diœcesano, et omnibus Ecclesiæ gradibus, et pro benefactoribus suæ parochialis orare; deinde pro fidelibus defunctis sive generatim sive nominatim. Vel hic, vel ante, vel post missam parochialem recitare debent parochi elata voce actus Fidei, Spei et Charitatis, populo verba iterante. (Benedict. XIV, const. *Cum religiosi*, n. 4.) Item denuntiare debent festa hebdomadis, jejunia si quæ sint, et matrimoniorum publicationes, si sint publicandæ. — Quid autem intra missæ celebrationem sit prædicandum, Sacrosantum concilium Tridentinum sess. 5, c. 2, mandat docere :

1° *Quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, et cœlestem gloriam consequi valeant....*

2° Sess. 22, *De sacrif.* missæ, c. 8, supra : *Ut.... ex eis, quæ in missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent.* Hicque sancta synodus sanctorum Patrum traditionem et usum de homilia super Epistolam et Evangelium diei intra Missam ab ipsis habita revocat.

3° Præcipit sancta synodus, sess. 24. c. 7, ut sacramentorum *vim et usum pro suscipientium captu, pie prudenterque explicent parochi juxta formam a sancta synodo in catechesi singulis sacramentorum præscribendam.* Ideoque Clemens XI, die 16 Martii 1703, *in littera circulari ad Quintum*, hoc Tridentinum decretum declarat jubendo ut « Parochi utantur specialiter in concionibus catechismo Romano (vulgo Tridentino), maximasque utiles, et auditorum capacitati adæquatas, simpliciter et clare explicent, ut populus libenter audiat, frequenter concurrat et fructuose discedat.

2. *De prædicatione tempore Quadragesimæ et Adventus, aliisque temporibus.* — In omnibus parochiis ubi id fieri commode potest, id est in quibus frequens populus et sacerdotes adsunt ad hoc ministerium verbi præstandum, præcipere potest episcopus specialem prædicationem, diversam ab homilia intra missam habendam, in tempore Quadragesimæ et Adventus, et etiam aliis temporibus si opportunum judicaverit. Ubi reditus Ecclesiæ hoc permittunt, episcopus alios concionatores, impensis eorum, qui eas præstare vel tenentur vel solent, deputare potest in civitate, aut in quacunque parte diœcesis. (Trid. sess. 24, c. 4.)

III. *Ad quem pertineant electio et approbatio prædicatoris.* — 1. « Ordinarius debet eligere prædicatores, nisi in contrarium sit consuetudo ab immemorabili tempore. (S. congr. Concil. et doctores.) Electio tamen et deputatio prædicatoris in sua cathedrali spectat ad solum episcopum, nulla habita ratione consuetudinis etiam immemorabilis, quæ competeret capitulo, seu episcopo cum capitulo, vel de concilio capituli. Unde capitulum in electione prædicatoris pro ecclesia cathedrali nihil potest. (S. cong. Concil. in pluribus declarationibus.)

Si tamen civitas seu universitas sit in possessione nominandi et præsentandi prædicatorem pro cathedrali cum onere solvendi eleemosynam, debet manuteneri in tali possessione; at si episcopus vellet jus nominandi sibi vindicare (prout vere potest) non posset eamdem ad solutionem cogere, sed teneretur de proprio expensas subministrare. (Sic pluries sac. congr. Concil. — *Vide* de hoc plura in lib. III, *De episcopis*, cap. XVII, p. 736 supra.)

2. In aliis ecclesiis consuetudo immemorabilis nominandi vel præsentandi prædicatorem episcopo pro ecclesiis inferioribus non est sublata ut decisum fuisse refert Barbosa, supra concil. sess. 5, c. 2, n. 16; et Pignatelli, t. IV, consult. 206, n. 26. Unde si communitas vel dominus loci temporalis nominat prædicatorem, et solvit eleemosynam, consuetudo hujusmodi servanda est. (S. congr. Episc. et sacr. congr. Concil. pluries.) Ex eadem consuetudine nominatio prædicatoris potest pertinere, sive ad communitatem parochianorum, sive ad administratores fabricæ parochialis, sive ad parochum.

3. « Habentes autem jus nominandi præ-

dicatorem quadragesimalem, debent illum nominare et præsentare episcopo in termino a synodo diœcesana præscripto, vel ante festum Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, vel duobus mensibus ante Quadragesimam; alias nominatio devolvitur ad episcopum. Si vero præsentatus fuerit rejectus, alium præsentare possunt. At si præsentatus postea non vult, vel non potest illuc ire, non idcirco debent privari jure suo, sine culpa. Nisi acciderit in ultimis diebus ante Quadragesimam, quia tunc providebit episcopus; nec universitates habentes dictum jus poterunt prædicatorem vel ei eleemosynam solitam denegare. (Ita per omnia ex multis sacr. congr. Concil. et sacr. congreg. Episcop. declarationibus.)

Universitates seu alii habentes jus nominandi prædicatorem non possunt in suis patentibus litteris uti verbis : *Eligimus et deputamus, ac electum ac deputatum declaramus;* sed debent uti verbis : *Nominamus et præsentamus.* Nam ad solum episcopum pertinet eligere, approbare et deputare prædicatorem. (Uti pluries declaravit sacr. congr. Episcop.)

Prædicator destinatus ab episcopo defuncto, vel electus a rectoribus antiquis, prædicare debet, nec successores possunt alium eligere. (S. cong. Episc. pluries.)

4. Approbare prædicatores spectat ad episcopum, licet electio spectaret ad alios; episcopus examinare potest prædicatores etiam regulares prædicare volentes in ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt. (S. congr. Concil. et Clemens X const. *Superna.*)

5. Prædicatores etiam regulares tenentur emittere professionem fidei, si ab episcopo exigatur; non tenentur tamen nisi ab episcopo exigatur. (S. congr. Concil. *in Brugnat.* ut refert Nicolius, *Lucubr. canon.* lib. I, tit. I, n. 6.) Non potest exigi nec examen, nec professio fidei a prædicatoribus per sanctam sedem immediate approbatis pro omnibus locis. Nam generaliter approbatus ad aliquod officium in cura non examinatur ad idem ab ordinario. (S. congr. Episc. 15 Maii 1647.)

Prædicatores ab ordinario benedictionem petere et accipere debent saltem initio prædicationis. (Clemens X, const. *Superna.*) In locis diœcesis distantibus et difficilis itineris debet episcopus aliquem deputare, qui det approbationem et benedictionem. (S. congr. Concil. 10 Maii 1635.)

6. Communitas dare debet prædicatoribus mercedem dari solitam, nec potest ipsam imminuere et reducere ad certam parvam quantitatem. (S. congr. Concil. et sacr. congr. Episc. pluries.)

Consuetudo, ut populus alimenta prædicatori præstet, est servanda et sufficit decennalis. — Cessante autem dicta consuetudine non populus, sed episcopus, vel respective parochus, si reditus beneficii sint sufficientes, tenetur alimenta præstare prædicatori. Excipe tamen, si adesset aliquod legatum vel reditus sufficiens pro alimentis et mercede prædicatoris; tunc enim nullus alius esset molestandus. (Ex sententia sacr. congr. apud Ferrar., verb. *Alimenta*, n. 114 et seqq.)

7. Parochi si per se velint munus prædicationis obire, non debent nec possunt impediri (S. congr. Concil.) In hoc casu, parochus debet id intimare et notificare iis, qui jus nominandi prædicatorem habent, ante tempus præfixum ad faciendam nominationem; alias habentes tale jus possent juxta consuetudinem libere nominare, et eorum nominatio et præsentatio valeret, esseque exsecutioni demandanda. (S. congr. Episc., 16 Maii 1690.)

Parocho per seipsum concionanti minime licet prætextu cujuscunque paupertatis prætendere sibi præstari eleemosynam solitam dari prædicatoribus ab universitate electis, etc. (S. congr. Concil., 10 Martii 1621 et doctores.) Nisi in casu quo universitas, vel alius nominator, parochum deputasset, aut sponte solvere vellet. Item, si eleemosyna solveretur ex aliquo peculiari legato, sive donatione ad hunc præcisum actum destinata et relicta, tunc parochus per seipsum concionans, illam petere potest, ut limitando regulam supradictam tradit Pasqualig... quia tali casu nemo gravatur, nec ipse a legato debet rejici, nisi expresse excludatur. (Monacel., t. I, tit. XII, formul. a, adnot. 7 et 9.)

8. Parochi prohibentur in suis ecclesiis admittere concionatores ab ordinario non approbatos, etiamsi prædicare vellet aliquis episcopus. Et ita jam hodie nullus etiam a parocho invitatus prædicare poterit sine licentia episcopi, ut declarasse Clementem VIII referunt plures, apud Ferraris, verb.

Parochus, art. 2, n. 78, qui addit : « Possunt tamen parochi dare licentiam alicui viro docto et noto, etiam regulari, ut bis vel ter concionetur in suis ecclesiis. » Ita plurimi canonistæ citati. Attamen Giraldi ad Barbosæ, *De offic. paroch.*, ait : « Attenta declaratione Clement. VIII, sive prædicator vir parocho notus, sive semel, vel bis prædicare velit, nunquam ei licebit sine licentia episcopi. » At vero contraria consuetudo nunc ubique viget, et etiam Romæ ubi mihimetipsi prædicandi in pluribus ecclesiis Urbis invitatio et facultas facta fuit absque ulla ordinarii seu cardinalis vicarii licentia petita. Stante igitur tali consuetudine generali, possunt parochi dare licentiam prædicandi ut supra. Et a fortiori possunt, imo debent parochi concedere approbatis ab ordinario licentiam prædicandi in suis ecclesiis. (Sic decisum fuisse a sacr. congregatione Concil. referunt Galet et Barbosa.) — (Hucusque Ferrar. fere per omnia, verbis *Prædicare* et *Parochus*, passim.)

IV. *Quid prædicare, et quæ vitare debeat concionator, numque oporteat ut sit sacerdos?*

1. *Quid prædicare.*—Ex concil. Trident. supra cit. docere debent prædicatores, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando vitia, quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat;... sacras Scripturas divinamque legem annuntient, id est dogmaticas veritates et præcepta moralia et sacramenta Ecclesiæ.

Parochi et prædicatores in concionibus caveant ab allegatione doctorum et auctorum modernorum, præsertim viventium. (Congr. S. officii, 27 Octobr. 1649.) Prædicatores tenentur prædicare sacram Scripturam receptam a sancta Ecclesia et a doctoribus Ecclesiæ approbatis, sub pœna excommunicationis papæ reservatæ. (*Conc. Lateranens.* v, sess. 11, constitut. 1.)

2. *Quæ vitari debeant a prædicatoribus.* — 1° Prædicatores deviantes a communi sensu Patrum in exponendis sacris Scripturis sunt ab ordinario corripiendi et a ministerio abjiciendi. (*Concil. Mog.* iv, c. 50.)—2° Prædicatores prohibentur obloqui de magistratu vel de episcopo coram populo. (Clement. 1, *De privileg.*) Unde prædicatores etiam regulares obloquentes de ordinario in suis sermonibus, quos habent in oratoriis vel in propriis ecclesiis, possunt ab eodem ordinario puniri. (S. congr. Concil.)—3° Prædicatores non possunt redarguere aliquem expresso nomine in actu prædicandi, sub pœna excommunicationis papæ reservatæ. (*Concil. Lateranen.* v, sess. 11, const. 5.)—4° Prædicatores prædicantes scandala aut errores in qualibet ecclesia, debent ab episcopo removeri ab officio prædicandi, etiamsi sint exempti, et contra ipsos potest procedere prout de jure. (*Trident.*, sess. 5, c. 2, *De reform.*) —5° Prædicatores non debent proponere quæstiones difficiles populo rudi. (*Trident.*, sess. 24, *De reform.*, c. 4.) Sed tamen debent dogmata et religionis, Ecclesiæque divinitus institutæ probationes ministrare. (Ex eod. sacr. Concil. supra cit. et *Catechismo Romano.*)—6° Prædicari non potest determinatum tempus futurorum, ut Antichristi vel judicii ; neque vanæ revelationes de his vel aliis, sub pœna excommunicationis papæ reservatæ. Prædicari non possunt novæ inspirationes vel revelationes, nisi a papa, vel loci episcopo sint examinatæ et approbatæ, sub pœna excommunicationis papæ reservatæ. (*Concil. Laterun.* v, sess. 11, const. 1.)—7° Prædicari non possunt dubia pro certis, neque apocrypha, neque comica, neque anilia, fabulæ, obscenitates, aut quæ risum movent, sed quæ lacrymas. (*Concil. Trevir.* ii, cap. 4; *Trident.*, sess. 24, *De reform.*, c. 4.)—8° Prædicari non possunt miracula nova, nisi per episcopum sint approbata. (*Trident.*, sess. 24, Decret. *De invocat. sanctor.*)—9° Prædicari et imprimi non possunt sine sedis apostolicæ licentia, miracula, gratiæ, beneficia, etc., quæ præsumuntur accepta a Deo ad intercessionem alicujus mortui cum opinione sanctitatis, nisi fuerit canonizatus vel beatificatus, sub pœnis clericis sæcularibus privationis officiorum, suspensionis a divinis et administrationis sacramentorum ; regularibus vero omnium officiorum, necnon vocis activæ et passivæ. (Urbanus VIII, const. 37, *Sanctissimus.*)—10° Absque licentia episcopi prædicatores non possunt tempore Quadragesimæ et Adventus, aliisque temporibus commendare in pulpito pauperes et miserabiles personas. (S. congregatio Episcoporum, 20 Julii 1619.)

3. *An oporteat prædicatorem esse sacerdo-*

tem? — Tandem, illud non est hic omittendum, necesse haud esse quod prædicator sit sacerdos, vel in sacris ordinibus constitutus, sed satis esse quod sit clericus. (Ita plures et FAGNAN. in c. *Responso*, n. 14 et seqq., *De sentent. excom.*, ubi quod ita resolvit sacr. congr. Concil. interpres.) Sed semper prædicator non sacerdos debet ab episcopo approbari.—In praxi tamen non servatur ut clerici minorum ordinum prædicent. (MONACEL., t. II, tit. XIII, form. 8, adnot. 6.)

V. *Qui tenentur adesse prædicationibus.* — 1. Prædicationis tempore interesse tenentur episcopi non impediti, clerici et alii ejusdem ecclesiæ. (*Concil. Mediolanen.* I, part. I, *De prædicatione.*) Unde potest episcopus statuere, ne canonici et alii de capitulo discedant ab ecclesia tempore concionis, et quod illi intersint quotidie sub pœna amissionis distributionum illius diei, in qua defuerint. (Sac. congregatio Concilii pluries.) — (FERRAR., verb. *Prædicare*, num. 10 et 11.)

2. Concionem proprii parochi, quam in parochiali ecclesia diebus festis habet, auscultare parochiani non tenentur, præcipiente licet Tridentino, cujus sanctionem contraria consuetudo abrogavit. (BENEDICT. XIV, *De synod. diœces.*, lib. XI, cap. 14, n. 13.) Attamen mandat Tridentinum episcopis (et consequenter parochis) ut moneant populum diligenter *teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei.* (*Trident.*, sess. 24, cap. 4, *De reform.*)

VI. *De puerorum catechizatione.—Iidem etiam (episcopi) saltem Dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, et si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent : non obstantibus privilegiis, consuetudinibus. In reliquis ea, quæ de prædicationis munere sub eodem Paulo III decreta fuerunt, suum robur obtineant.* (*Trident.*, sess. 24, *De reform.*, cap. 4.) Igitur parochi debent, ex decretis sub Paulo III, ut supra exposuimus, adultos docere per prædicationem intra missarum celebrationem, etc. Et ex præsenti decreto tenentur præterea pueros fidei rudimenta, etc., docere; hæcque duplex obligatio debet adimpleri saltem Dominicis et aliis festis diebus. Cum vero singulis parochis, absque ullo auxilio, hæc officia semper complere difficilius sit, sacri canones providerunt ad hoc maximum opus ; etenim canones exigunt ut ecclesiæ parochialis dotatio sit sufficiens pro saltem uno sacerdote cum ejusdem clerico. Et caput *Ut quisque* 3, tit. I, *De vita et honest. cleric.* lib. III *Decret.*, mandat ut quisque parochus clericum habeat, qui..... qui possit scholas tenere... et pueros de doctrina Christiana in ecclesia erudire. Et caput *Quoniam* 9, ejusdem tit. et libri, jus episcopis statuit, ponendi certum numerum clericorum in ecclesiis quarum facultates id permittunt. Tandem sancta synodus Tridentina, sess. 23, cap. 17, sancivit ut exercitia minorum ordinum restitui debeant in omnibus ecclesiis. (*Vide* supra horum canonum textus.) Tria ex his canonibus profluunt : 1° divini cultus et cæremoniarum decor et dignitas ; 2° scholæ piæ sub regimine et potestate parochorum ; 3° auxilium parochis in pueros catechismum docendo. Hæc tria mandantur episcopis exsequenda. Mens igitur et voluntas sanctæ Ecclesiæ est ut episcopi pro pueris et puellis erudiendis erigant scholas pias.

1. Pro pueris erudiendis deputari debent clerici saltem minorum ordinum sub parochorum regimine et tutela ; per hujusmodi munia tales clerici per aliquot annos suam ad sacros ordines et presbyteratum vocationem probarent ; posteaque ut sese ad sacros ordines suscipiendos disponant ad seminarium revocari deberent. Præterea cum ex sanctæ Trident. synodi mente et urbis Romæ praxi quæ aliis ecclesiis normam præbet, presbyteri juniores non debent pro confessionibus virorum ante tricesimum annum, et pro confessionibus mulierum ante quadragesimum annum audiendis approbari. Ex hac laudabili praxi consequeretur juniores presbyteros posse ut vicarii ad alia, excepta pœnitentia, sacramenta ministranda simulque scholas pias dirigendas, catechismumque docendum deputari ; sicque se magis idoneos ad plenum parochiale ministerium præparare. Ex tam laudabili antiquorum et novorum canonum observantia multæ nascerentur ad clericatum vocationes, et sacerdotum penuriæ remedium

certum afferretur. Ludimagistri tamen laici non excludendi sunt in locis ubi necessarii aut utiles forent : sed omnes ludimagistri tam clerici quam laici admitti non possunt nisi prius de fide et moribus examinati reperiantur idonei, et hoc faciendum est, etiamsi tales magistri sint conducti a magistratu civitatis. (*Concil. Colon.* III, tit. *Quoad institutionem*, cap. 1.) Ipsi tamen magistri examinari possunt ab episcopo in iis duntaxat, quæ spectant ad fidem, doctrinam Christianam, et bonos mores, ut declaravit sacr. congr. Concil. apud Aldan. in Compend. canon. resolut., lib. III, tit. IV, n. 10. (Barbosa, in *Summa apostolicar. decis.*, verb. *Magister*, n. 5 ; et Leo X, const. 6, *Meretur.*) Magistri omnes sive clerici, sive laici fidei professionem juxta Pii IV formulam emittere tenentur. (Pii V const. *In sacrosancta.*)

Et sacra congregatio declaravit comprehendi in dicta bulla Pii IV etiam docentes in propriis domibus, licet publicam scholam non faciant. (Ferrar., verb. *Magistri et fidei professio.*)

2. Pro puellis erudiendis adhibendæ sunt moniales, aut piarum mulierum congregationes ; de quibus dicetur infra, ubi *de regularibus.*

3. Parochus satagere pro suo posse cum episcopo debet ut pro pueris et puellis erudiendis erigantur scholæ, erectæ vero recte moderentur. Quapropter ad parochum spectat illas diligenter, quantum ipsi licuerit, invisere, et quod minus rectum in eis ratione doctrinæ et morum compererit corrigere.

4. In omnibus scholis doctrina Christiana tradenda est. Ludimagistri, tam conducti a communitate, quam non conducti, tam clerici, quam laici, hortandi sunt prius, ut doceant suos discipulos Christianam doctrinam, tum etiam cogendi. (Ex *Decret.* congr. Concil. ad archiepiscopum Spoletanens., die 17 Julii 1668 ; Benedict. XIV const. 42, *Etsi minime*, n. 14.)

5. Doctrina Christiana est fidelibus populis tradenda ab episcopis, a parochis, aliisque animarum curam habentibus ; item a reliquis ecclesiasticis, a magistris, a patribusfamilias, a sodalibus huic operi addictis, et a reliquis invicem viris et mulieribus. (Benedict. XIV, const. ead. *Etsi minime.*)

6. Doctrina Christiana tradenda est etiam in ecclesiis ruralibus non parochialibus. (Ex ead. const. Benedict. XIV et Clementis XII encyclica, 1 Julii 1735.)

7. Doctrina Christiana non solum pueris, sed et adultis est necessaria. (Benedict. XIV in eadem constit. *Etsi minime.*)

8. Quamvis doctrina Christiana doceatur in scholis et alibi, parochi tamen præterea eamdem doctrinam per se aut per suos clericos in suis ecclesiis tum pueros, tum puellas docere ad præscriptum Tridentinum tenentur.

VII. *De doctrinæ Christianæ confraternitate.*—1. Ut igitur negligentiæ parentum, tutorum et herorum, modo quo potest suppleatur, remedium efficax est erectio et institutio societatis doctrinæ Christianæ præsertim in civitate, quæ, postquam aggregata erit archiconfraternitati urbis ejusdem nominis, gaudebit indulgentiis copiose eidem archiconfraternitati a Paulo V concessis, ut patet ex bulla impressa in Bullario tom. III, p. 225, quæ pro informatione episcoporum, et parochorum bullario carentium, datur subnexa in necessariis apud Monacelli (*Formulare*, t. IV, edit Rom. in fol. p. 55.) Eamdem archiconfraternitatem indulgentiis aliis ditaverunt Pius V, Gregorius XIII, Clemens VIII. Ad episcopum pertinet hanc confraternitatem erigere. Omnes utriusque sexus possunt in eamdem ingredi. Ejusdem confraternitatis viri pueros, mulieres puellas doctrinam Christianam etiam in ecclesiis sub parochi directione et vigilantia docere possunt ; et ista est Romæ praxis. Hortantur omnes parochi ad erigendam in suis parochiis confraternitatem doctrinæ Christianæ cum episcopi auctoritate, et postea aggregationem archiconfraternitati Romanæ ejusdem nominis postulare poterunt.

2. Non est tolerandus mos in nonnullis diœcesibus obtinens, ut pueri unius parœciæ in alia parœcia doceantur doctrinam Christianam ; quemadmodum rescripsit sacr. congr. Concil. ad cardin. Lambertin. die

9 Augusti 1732; *Institut. eccles.* 9, n. 10. Sed singuli parochi erudire suos debent, vel saltem curare, ut in parœcia erudiantur. Non tamen reprehenduntur qui in ecclesiis suis, licet non sint parochis subjectæ, fideles eo confluentes docent, dummodo exhibeant parochis nomina eorum, qui eo frequentant. (*Ibid.* n. 13.)

3. « Præscribitur per Benedicti XIV constitutionem, *Etsi minime*, n. 17, uniformitas in methodo et ratione docendi doctrinam Christianam, adhibendi nempe libellum de Clementis VIII mandato a cardinali Bellarmino conscriptum, in deputata congr. diligenter examinatum et approbatum, ac denique ab eodem Clemente in lucem eo saluberrimo consilio edi jussum, ut unus deinceps, idemque modus in docendo et discendo Christianam doctrinam ab omnibus teneretur. Ibidem subjungit quod, si alicubi contingat, ob peculiares regionum necessitates alium quempiam adhiberi forte libellum, sedulo invigilandum sit, ne quid ille contineat, vel in eum unquam inducatur a catholica veritate absonum; sed insuper ut in eo fidei dogmata clare et dilucide sint explicata, additis, si quæ desunt, nece sariis ac sublatis, quæ redundant, servata semper brevi et univoca docendi methodo. »

Sed « noverint parochi et catechistæ omnes a summo pontifice Clemente XIII, ad omnes episcopos encyclicam datam fuisse epistolam die 14 Junii 1761, qua omnibus præcipit, ad fidelium instructionem, posthabitis iis catechismis, quos novitatis amor passim efferre consuevit, utantur Catechismo Romano jussu S. Pii V, ad mentem Tridentinæ synodi edito, qui quidem omnem doctrinam complectitur, qua fideles informari oporteat; quæ ab omni errore quam longissime abest, quæque demum communis est in ecclesia. Cum enim per invia loca ducendæ non sint oves ad pascua, nec possit vulgus ascendere in montem, in quem gloria Domini descendit, fidelibus propterea, præsertim rudioribus et simplicioribus, proponenda non sunt singularia quædam etiam catholicorum doctorum placita, sed ea tantummodo tradenda, quæ sunt ad salutem necessaria, aut summopere utilia, ne iidem plus sapiant, quam oporteat sapere, sed sapiant ad sobrietatem. Hacce autem antiqua docendi ratione, quam nobis Romanus catechismus suppeditat, auferetur a pusillis quoddam scandali genus ortum ex diversis variisque Christianæ doctrinæ tradendæ methodis, et certissima magis elucescet catholicæ veritatis nota, doctrinæ universitas, antiquitas et consensio. *Vid.* (FERRARIS, verbo. *Doctrina Christiana.*)

§ IV.— De obligatione parochorum circa sacramentorum administrationem.

I. « Præcepto divino mandatum est omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas cognocere... sacramentorum administratione... pascere...» (*Trident.* sess. 23, cap. 1 *De reform.*) — Sacramentorum administratio adeo est parochi propria, ut, confirmatione et ordine exceptis, privative et universaliter ei competat, intra limites suæ parochiæ. (Clement. 1 *De privilegiis.*) Tamen iterum contraria consuetudine aliquid hac in re mutatum est. Equidem integrum adhuc superest jus privativum parochi administrandi sacramenta baptismi (c. 18 *De præscript.*), extremæ unctionis (Clement. *De privilegiis*), et matrimonio assistendi (c. final. *De clandestin. desponsat.*; et *Trident.* sess. 24, *De reform. matrim.*) Sed non ita de sacramentis pœnitentiæ et Eucharistiæ, quorum administratio privativa quidem spectato jure communi ad parochum pariter pertinet. (C. 12, *De pœnit. et remiss.* Clem. 1 *De privileg.*) Aliquando tamen ex privilegiis partim in corpore juris clausis, partim extra illud per constitutiones pontificias vagantibus, regularibus in propriis ecclesiis, quas adire parochianis semper integrum est, competit, excepta tamen paschali communione quam quisque in parochia sua celebrare tenetur. » (*Instit. jur. canon.* auctore R. de M. tom. I, pag. 371 et seq.)

II. Parochus ex obligatione justitiæ tenetur ministrare sacramenta suis parochianis tempore gravis necessitatis, etiam cum certo periculo vitæ suæ. Ubi enim detrimentum ovium suarum imminet in spiritualibus, non potest nec propter pestem, nec alium morbum contagiosum, aut aeris intemperiem, seu ob inimicitias, aut principis et populi furorem se excusare, nisi per alios idoneos

sufficienter id præstet. (S. Thom. 2-2, quæst. 185, art. 5; Suarez, et alii communiter.) — Principes et magistratus non possunt impedire parochos et sacerdotes administrare sacramenta tempore pestis; poterunt tamen parochos et alios ministrantes infectis prohibere a sanorum commercio. (Marta, Barbosa et alii passim.) — Imo potest episcopus tempore pestis præcipere parochis etiam cum mortis periculo, ne a sua parochia discedant et quod necessaria sacramenta petentibus administrent. Et teste Barbosa, *De offic. parochi*, part. II, cap. 17, n. 17, sacr. congr. Concil. instante sancto Carolo Borromæo, sub die 10 Decembr. 1576, censuit « parochum tempore pestis teneri omnino residere in suis parochialibus; posse tamen per alium idoneum ministrare parochianis suis peste infectis sacramenta baptismi et pœnitentiæ, et si non resederint, contra eos procedendum esse, servata forma, cap. 1, in fine sess. Trident. 23, *De reform.* » — Parochus tempore pestis et eo morbo infectis tenetur ministrare sacramenta baptismi et pœnitentiæ; imo et viaticum, ne tanto bono in illa necessitate parochiani priventur, nisi in eo rarissimo casu, in quo rarus esset sacerdos vel parochus, ex quo fieret, ut post administratum sacramentum pœnitentiæ uni, non superesset spatium, ut aliis morituris pœnitentiæ sacramentum administraretur; vel si eo sacramento administrando mortem vitare non posset, et sic populus destitueretur sacerdotibus, ut ex doctrina Suarii, *De synodo diœc.* lib. III, cap. 19, n. 18, 19, nov. edit. — In ordine ad extremam unctionem, ex doctrina ejusdem Suarii, tunc tenetur parochus illam administrare, quatenus valeat absque morali periculo. (*Ibid.*, apud Ferrar. verb. *Parochus*, art. 3, passim.)

III. Ad parochum spectat ministrare sacramentum famulis et famulabus inservientibus monasteriis monialium, quamvis exemptarum, non autem ad confessarium earumdem monialium, ut respondit sacr. congr. Concil. pluries.

IV. Non debet ordinarius sine causa valde gravi et relevanti auferre a propriis curatis celebrationem baptismi et matrimoniorum, eaque ipse ministrare vel aliis delegare. (S. congr. Episcop. et Regul. *in Neapolit.*, 17 Septembr. 1604.)

V. Parochi non possunt accipere aliquid a sponte dantibus pro administratione sacramentorum; possunt tamen accipere quod sponte pro eleemosyna offertur. (S. congr. Concil., 5 Februar. 1593.) Unde parochus nihil petere debet pro administratione baptismi. (S. congr. Episc., 5 Junii 1582.) Nihil potest percipere pro matrimonio contrahendo. (S. congr. Concil., 17 Mart. 1619.) Pro publicationibus matrimoniorum et ordinum nihil exigere potest. Pro fide vero decimam partem unius scuti. Nec potest parochus cogere parochianos, ut deferant pro matrimonio contrahendo solita munuscula, ut ad hæc respondit sacra congregatio Episc., 6 August. 1700; apud Monacelli. t. I, tit. x, num. 8.

VI. Parochus potest simplici sacerdoti licentiam concedere administrandi sacramenta in sua parochia, excepta pœnitentia. (S. congr. Episc. et Regul., 20 Augusti 1602; Ferraris, *ibid.*)

VII. Rituali Romano uti debent parochi in administrandis sacramentis; nam Rituale Romanum strictam vim legis habet omnes Latinas ecclesias attingentis, ut probavit D. Bouix, tract. *De jure liturgico*, pag. 302 et seq. Nec consuetudo adhibendi ritualia a Romano diversa, vel ipsum Romanum cum quibusdam additionibus et immutationibus, censenda est legitime præscripta, licet plus quam quadragenaria sit.

VIII. Doctrinæ Christianæ præcipua pars versatur circa sacramentorum perceptionem, eorumque rectam administrationem, qua fidelibus bene dispositis datur, augetur et conservatur Dei gratia. Ideoque pro parochorum et clericorum instructione, ac laboris in evolvendis libris levamine, ad eruditionem plebem, hic * posita est tabula, in qua sicuti in speculo, omnia, quæ secundum doctrinam catholicam, circa eorumdem sacramentorum collationem adhibenda, tenenda, docenda sunt, perstricta conspiciuntur. (Monacelli, *Formulare pract.* tom. I, edit. Romana, in f° Appendix ad *Formul.* p. 471, unde etiam p. 472 desumpta est tabula.)

* Pagina sequenti.

TABULA, SIVE SCHEDULA SACRAMENTORUM CA-

	BAPTISMI.	CONFIRMATIONIS.	EUCHARISTIÆ.
MATERIA.	*Remota.* Elementaris aqua ad ablutionem sufficiens. *Proxima.* Ablutio ipsa ex aqua naturali facta.	*Remota.* Oleum olivarum balsamo mistum, a consecrato episcopo benedictum. *Proxima.* Ipsius chrismatis unctio in fronte suscipientis ab episcopo in figuram crucis facta.	*Remota.* Panis triticeus cum aqua elementari confectus, coctus, et non frixus, azymus in Ecclesia Latina, et fermentatus in Græca; et vinum ex uvis expressum. *Proxima.* Oblatio seu acceptio ipsius materiæ ad consecrandum. *Accepit Jesus panem.* Matth. XXVI, 26.
FORMA.	Ecclesiæ Latinæ : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.* Græcæ : *Baptizetur servus Christi in nomine Patris,* etc.	*Signo te signo crucis, et confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* In hoc enim, et in antecedenti tantum sacramento invocatio Trinitatis est de essentia.	Corporis. *Hoc est corpus meum.* Sanguinis. *Hic calix sanguinis mei;* de necessitate sacramenti. — Cætera enim omnia sunt de necessitate præcepti ex communiori sententia.
MINISTER.	Ex officio episcopus in propria diœcesi et parochus in propria parochia, et de eorum licentia quilibet sacerdos. In necessitate omnis homo habens usum rationis, dummodo loqui, et lavare possit, ex speciali divina dispensatione angelus, et anima separata.	Ex officio solus episcopus in propria diœcesi, de licentia proprii etiam in aliena. Et ex commissione Papæ quilibet sacerdos etiam simplex potest ministrare, non tamen conficere, secundum veriorem sententiam.	Consecrationis, omnis sacerdos; collationis, seu administrationis, ille cui ex officio, vel ex delegatione, aut privilegio incumbit : et etiam diaconus in necessitate; ob sacerdotum tamen copiam, hoc non est in usu.
SUSCEPTOR.	Quilibet homo natus cujusvis ætatis, et conditionis, et non natus, si in aliqua parte corporis ablui possit. In adultis requiritur consensus.	Omnis homo baptizatus, sine ulla ætatis, sexus, aut status distinctione. Expedit tamen regulariter non dare ante septennium.	Homo Christianus post annos discretionis sine mortali. Jejunus jejunio naturali. In Paschate ex præcepto Ecclesiæ : ex præcepto autem divino aliquoties in vita, et in articulo mortis. — *Joan.* VI; *Act.* II, 42.
EFFECTUS.	Delet originale peccatum in parvulis, et in adultis etiam actuale, si doleant. Totam remittit pœnam, characterem imprimit; gratiam infundit; fomitem reprimat. Cognationem causat spiritualem; aliisque sacramentis januam aperit.	Characterem imprimit; augmentum gratiæ confert; hominem fortiorem ad Christum confitendum reddit, et spiritualem parit cognationem, sicut baptismus.	Gratiæ augmentum confert, et aliquando etiam primam gratiam. Oblita mortalia delet, venialia remittit, fomitem moderatur, a mortali præservat, bonos affectus excitat, devotionem auget, ac vitam æternam tribuit.
INSTITUTIO.	Initiative a Christo Domino quando baptizatus fuit a Joanne. Præceptive, quando dixit apostolis : *Ite in universum,* etc. *Baptizantes,* etc. *Matth.* XXVIII.	Initiative in ultima Cœna Domini. Completive in die Pentecostes. *Luc.* XXIV, 49. Præceptive cum misit apostolos. *Joan.* XX. Practice, *Act. apost.* VIII, 17.	In suprema nocte Cœnæ. Pridie quam pateretur Dominus noster Jesus Christus, qui est solus efficiens sacramentorum causa, ut Deus; meritoria vero, ut homo.
DEFINITIO.	Ablutio corporis aqua naturali facta sub præscripta verborum formula ad regenerationem spiritualem.	Consignatio facta ab episcopo cum chrismate in fronte baptizati sub certa verborum forma ad robur fidei consequendum.	Sacramentum corporis, et sanguinis Christi sub speciebus panis, et vini, post consecrationem veraciter contenti.

THOLICÆ ECCLESIÆ, A MONACELLO DESCRIPTA.

POENITENTIÆ.	ORDINIS.	MATRIMONII.	EXTREMÆ UNCTIONIS.
Remota. Actuale peccatum post baptismum, vel in ipsa baptismi susceptione commissum. *Proxima.* Actus pœnitentiæ, scilicet contritio, confessio et satisfactio. Necessaria, mortale, sufficiens, veniale.	*Remota.* Ordinis instrumentum ab episcopo ordinante tradendum. *Proxima.* Tactus ipsius instrumenti ab episcopo traditi secundum ordinum diversitatem.	*Remota.* Corpora ipsorum contrahentium. *Proxima.* Traditio mutua eorumdem expressa verbis, seu nutibus, per quam quilibet conjux accipit alterius potestatem in corpus ad usum matrimonii.	*Remota.* Oleum olivarum ab episcopo benedictum. *Proxima.* Ipsa unctio in modum crucis in quinque sensibus corporis facta : vel saltem (casu necessitatis) in uno collective.
Ego te absolvo a peccatis tuis; de necessitate sacramenti : ex communiori; de necessitate vero præcepti reliqua, ut in Rituali Romano, quorum omissio erit venialis, vel mortalis respectu parvitatis, et gravitatis materiæ, et causæ omissionis.	Verba prolata ab episcopo imperativo modo, cum expressione potestatis, quæ confertur, dum porrigit ordinis instrumentum.	Mutua acceptatio corporum, qua conjux recipit in sua potestate usum corporis alterius.	*Per istam sanctam unctionem, et suam pissimam misericordiam,* etc., ut in Rituali Romano, pro diversitate sensuum atque membrorum.
Sacerdos habens jurisdictionis potestatem ordinariam, vel delegatam, non impeditam. Et in necessitate omnis sacerdos a quibusvis peccatis et censuris; nunquam tamen laicus.	Proprius episcopus, seu alienus de ejus licentia, et abbas respectu suorum subditorum, et quoad minores ordines tantum, quos ex summi pontificis commissione simplex sacerdos potest conferre.	Contrahentes ipsi tum ante tum post concil. Tridentinum; et si in mortali contrahunt, semel tantum mortaliter peccant ratione susceptionis: cum enim non sint ministri consecrati, ideo ut ministri non peccant, sed ut susceptores.	Sacerdos curatus, vel alius de ejus licentia, vel sub ratihabitione; et in casu necessitatis quilibet sacerdos etiam regularis, qui si extra necessitatem, et absque licentia administrat, incidit in excommunicationem.
Homo fidelis post usum rationis habens peccata. Semel in anno ex præcepto Ecclesiæ; et in Paschate propter communionem quando habet conscientiam mortiferæ culpæ. Ex præcepto divino quoties imminet periculum vitæ.	*Valide.* Quilibet homo masculus baptizatus, post usum rationis. *Licite.* Confirmatus, in debita ætate constitutus, nullo canonico impedimento detentus.	Ut sacramentum : homo fidelis in debita ætate constitutus, nullo impedimento legitimo impeditus. Matrimonium vero, ut contractus, etiam inter infideles datur.	Homo viator baptizatus, qui rationis usum adeptus sit, et propter morbum de vita periclitetur. Si postea in amentiam vel phrenesim lapsus, non privatur, si Christiane vixit, vel antea petiit, nec constat de ejus contraria mente. Nunquam vero sanus.
Primarius. Remissio peccatorum quantum ad culpam. *Secundarius.* Remissio eorumdem quoad pœnam æternam, et aliquando etiam temporalem, et gratiæ restitutio amissæ.	Gratiæ augmentum tribuit, characterem imprimit, et speciale auxilium dat ad sancte et religiose exercendas sacras actiones ad Dei cultum spectantes.	Gratiæ augmentum donat, tori fidem servat, prolem Deo generat, et sacramentum, id est animorum conjunctionem efficit. Bona enim matrimonii sunt tria, fides, proles et sacramentum.	Juvat et confortat ægrotantis animum ad gloriam, peccata delet, gratiæ augmentum confert, et infirmum, si expedit, alleviat.
Inchoative in ultima Cœna. Præceptive et completive, *Joan.* xx : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis,* etc.	Quantum ad potestatem super corpus Christi verum in ultima Cœna : *Hoc facite in meam commemorationem.* Quantum vero ad potestatem super mysticum ipsius corpus, id est super fideles, *Joan.* xx : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.*	In paradiso terrestri, ut officium naturæ; post lapsum, in libidinis remedium; ut sacramentum vero, *Matth.* xiv : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.*	Insinuatum quando Dominus invisit socrum Petri; *Matth.* xvii, 15.—Institutive quando misit discipulos, ut curarent infirmos oleo; *Marc.* vi, 13. — Promulgatum vero a D. Jacobo, cap. v suæ Epistolæ catholicæ.
Sacramentum consistens in actibus pœnitentis, et absolventis, a Christo institutum per modum judicii emendativi ad remissionem peccatorum.	Signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas confertur ordinato.	Viri et mulieris legitima conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens.	Sacramentum ex sacra olei unctione, et sacerdotis prece confectum, ad salutem animæ, et corporis hominis ægrotantis institutione divina ordinatum.

§ V. — De baptismi administratione.

I. *Minister* baptismi ordinarius ex officio, et solemniter administrandi cum solitis Ecclesiæ cæremoniis est papa in toto orbe, episcopus in sua diœcesi, et parochus in sua parochia, vel alius sacerdos ab ipsis delegatus. (Clemens. I, epist. 3; *Concil. Florent.* in decreto *Unionis*. c. *Constat* 19, *De Consecr.* dist. 4.) Diaconi autem, subdiaconi, et alii clerici inferiores non possunt ex vi sui muneris et consecrationis baptismum solemniter cum solitis Ecclesiæ cæremoniis administrare. Clemens papa, lib. III, const. 11, ibi : *Sed neque reliquos clericos baptizare permittimus, sed solos episcopos et presbyteros ministrantibus illis diaconis.* — Diaconus potest tamen baptizare solemniter ex commissione episcopi vel parochi, non tantum in extrema necessitate, sed etiam in alia notabili, ut si v. gr. ob multitudinem baptizandorum, aliudve grave impedimentum parochus non possit baptizare et non adsint sacerdotes. (Laym. et alii communiter, ex can. *Diaconus* 13, dist. 93; et cap. *Constat* 19, *De consecrat.*) Diaconus vero sine commissione solemniter baptizans incurrit irregularitatem. (S. congr. Concil. *in Cremonen. absolut.*, 1 Decembr. 1679; et cap. *Si quis, De clerico non ordinato ministrante.*)

II. Nec tantum diaconus, sed nec parochus, aut episcopus, absque commissione, extra suam diœcesim, vel parochiam, vel intra eam alienos licite baptizat ex can. *Interdicimus*, causa 16, quæst. 1. « Sacerdotes sive parochi alienæ parochiæ baptizantes alienum subditum sine licentia proprii parochi vel episcopi extra casum necessitatis, peccant mortaliter, et puniri severe possunt, quia in re gravi sibi usurpant jurisdictionem alienam contra dispositionem concil. Trident. sess. 24, c. 13, ubi præcipiens episcopis distinctionem populi in proprias certasque parochias, sic ait : *Unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eos cognoscere valeat, a quo solo licite sacramenta suscipiant;* et contra canonem *Ecclesias*, causa 13, quæst. 1. Et ita decisum refert a sacr. congr. Concil. et Rota Romana, Ferraris, verb. *Baptismus*, art. 4, n. 46. Id etiam suadente tum ea ratione, quod parochis propriis facilius compertum esse potest, quinam ex justis nuptiis procreati sint, et tanquam tales in parochialem librum referri debeant ; tum et alia, quod ab eis vigilantia adhiberi major valet, ne a parentibus procrastinetur delatio infantium ad ecclesiam, in qua spiritualem regenerationem sunt assecuturi. » — « Si autem mulier casu, absque proprii parochi juris fraude, pariat in pago non suo, proles ab illius pagi parocho est baptizanda. Verumtamen, si ille pagus parum distet a proprio, v. gr. duabus, aut tribus horis, potest baptizari proles in ecclesia sua. » (Croix *cum* Gobat, apud S. Liguor. lib. VI, tract. 2, n. 115.) Et in hoc etiam casu magis decet ut a proprio parocho proles baptizetur in propria parochia, ex declaratione sacr. congr. Concil., 6 Febr. 1734, et Rotæ Romanæ, supra.

Ex prædictis infertur quod sacerdos simplex etiam sine licentia ordinarii extra necessitatem baptizans, etiam sine solemnitate, peccet graviter. (Ex Clem. unic. *De bapt.* et communis.) Bene tamen baptizari potest alienus de licentia proprii sacerdotis expressa, vel rationabiliter præsumpta; et possunt religiosi baptizare in casu necessitatis, vel cum licentia ministri ordinarii. (S. Alph. Liguor. lib. VI, tract. II, cap. 1, n. 115.)

III. In casu necessitatis, videlicet in probabili periculo quod quis possit mori sine baptismo, nisi statim baptizetur, validus simul et licitus minister baptismi est quilibet homo usum rationis habens, debitam materiam et formam adhibens, cum intentione faciendi id quod Ecclesia intendit, sive sacerdos sit, sive diaconus, sive simplex clericus, sive laicus, sive vir, sive femina, sive paganus, sive Judæus, sive hæreticus, sive excommunicatus: est definitum in cap. *Firmiter, De summa Trinit.*, et cap. *Romanus* 22; cap. *A quodam Judæo* 24, *De consecr.* dist. 4, et in *Concil. Florentino*, in decreto *unionis*. Quinimo etiam extra casum necessitatis validus est baptismus collatus a quocunque etiam hæretico, et pagano, ut communiter tenent doctores ex cap. *A quodam Judæo* supra, et can. 4 sess. 7 Trident.

Sed subdiaconi et alii clerici inferiores, et a fortiori laici solemniter baptizantes, etiam in necessitate, contrahunt irregularitatem, etiamsi baptizarent cum facultate episcopi, quia solus diaconus ex vi suæ ordinationis privative quoad omnes alios inferiores habet aptitudinem ut possit deputari ad hoc munus. Ita multi magis communiter, ex cap. *Si quis baptizaverit non ordi-*

natus 1, *De cleric. non ordin. minist.*; apud Ferrar. verb. *Baptismus*, art. 4, n. 23.) — Clerici inferiores, et laici, et etiam sacerdotes censura irretiti extra casum necessitatis baptizantes etiam privatim, graviter peccant ; quia abutuntur in re gravi facultate, quæ solum est eis concessa pro casu necessitatis urgentis, ne defectu ministri quis imbaptizatus decedat. Et isti omnes mortaliter, vel venialiter peccarent juxta gravitatem, vel levitatem injuriæ alteri majori præsentis irrogatæ, si in casu necessitatis conferendi baptismum non servarent ordinem traditum a divo Thoma, part. III, quæst. 64, art. 4, et communiter receptum a doctoribus, ut scilicet inferior in baptizando cedat superiori præsenti, adeo ut non baptizatus baptizato, mulier viro, laicus clerico, clericus sacerdoti, sacerdos parocho. Nisi justa causa aliud suadeat, veluti si ob mortis periculum oporteat baptizari puerum nondum plene ex materno utero editum ; tunc enim propter honestatem deceret feminam ministrare prætermisso etiam proprio parocho ; vel si melius quam vir femina sciret formam et modum baptizandi. Quapropter curare debet parochus, ut fideles, præsertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probe teneant, et servent. Unde parochi tenentur ipsas obstetrices (et etiam hodie in Galliis medicos) diligenter examinare, et si non sciant jam esse examinatas et approbatas ab aliquo bene perito, peccant graviter eas non examinando, quia, cum obstetrices in tali casu sint vicariæ parochi, et quisque obligetur scire utrum suum locum tenens sit peritus officii sui necne ? stat clarum maxime ad id sub gravi teneri parochum ad indagandam peritiam obstetricum pro officio necessitatis. Ita communis doctorum, et certe omnes fere constitutiones synodales sub gravi videntur id oneris parochis imponere. (Ferrar. verb. *Obstetrices*, et Benedict. XIV, *De synod. diœces.* lib. VII, cap. 6; et *Instit. eccles.* 8, n 6, et multi ab ipsis citati ; et S. Liguor. lib. VI, tract. II, n. 117.) In casu necessitatis si nullus alius exsistat, potest baptizare pater, vel mater pueri sine solutione conjugii, seu absque debiti matrimonialis præjudicio. (*Concil. Londin.* 1, c. 3, et cap. *Ad limina* 7, causa 30, quæst. 1.) Secus vero extra necessitatem, et etiam si adsint alii ; nam præsente tantum patre, femina etiam baptizare debet, quia extra summam necessitatem vetatur parentibus baptizare. (S. Liguor. lib. VI, tract. II, n. 117.) Baptismus a laicis aut feminis administrari non debet, nisi in casu necessitatis ; nec a bigamo, etiam in casu necessitatis, si alius adsit magis idoneus. (Benedict. XIV, tom. II, const. 28, *Postremo mense*, n. 30 et 31.)

IV. Ex præfatis sequitur quod parochiani proles suas proprio parocho teneantur baptizandas offerre. Arg. conc. Florent. in decreto Eugenii IV, et tenet Barbosa, *De offic. et potest. paroch.* part. I, cap. 18. n. 1, et alii communiter : dicentes parochianum graviter peccasse, si absque licentia proprii parochi prolem suam baptizandam alieno offerat.

V. « Adultorum baptismus, si commode fieri potest, ad episcopum deferatur, ut, si placuerit, solemnius ab eo conferatur ; alioquin parochus ipse baptizat, statuta cæremonia, » Ritual. Roman. rubr. *De baptismo*, et specifice in terminis baptismi adultorum infidelium tenet Glossa, in cap. *Nec numerus* 5, causa 10, quæst. 3, et ita doctores.

VI. Subjectum capax baptismi est omnis et solus homo, adhuc viator. Est communis ; unde nedum adulti, sed etiam infantes vix nati sunt capaces baptismi. Est de fide definitum in concilio Tridentino, sess. 7, can. 12 et 13, et in cap. *Firmiter*, *De summa Trinitate*, et in cap. *Majores* 3, *De baptismo* ; item capaces sunt et baptizari debent furiosi et amentes a nativitate, qui nullis gaudent lucidis intervallis, quia isti censentur ejusdem conditionis cum infantibus. Sic etiam furiosi et amentes, qui ex sana mente in furorem inciderint, si pro tempore sanæ mentis baptismum petierint, vel voluntatem illum recipiendi sensibiliter exhibuerint, sunt baptizandi, licet in furore et amentia contradicant. Si vero non petierint, nec voluntatem exhibuerint illum recipiendi, non sunt baptizandi, ut colligitur ex cap. *Majores* supra, et ita theologi et canonistæ. Sic etiam baptizari debent monstra ex viro et muliere genita, et si constet ex geminatis partibus principalibus corporis duas habere animas, bis sunt baptizanda. Si vero dubitetur an duas habeant animas, ut v. gr. si aliquod monstrum habeat duo capita cum uno pectore, aut duo pectora sub eodem capite bis baptismus conferri debet, unus abso-

lute in illa parte, in qua perfectum apparet caput, alius in altera parte sub conditione : *Si non es baptizatus*, vel *Si es capax, ego te baptizo*, etc. (Ita Ferrar. verb. *Baptismus*, art. 5, n. 1 et seq.) Attamen ex receptissima hodie opinione quod anima uniatur corpori in ipsa conceptione, et ex certitudine physiologica quod monstra duplicibus corporibus aut capitibus manifeste formata proveniant ex duobus ovis in fecundatione animatis, videtur concludendum esse duas animas talibus monstris inesse ; proindeque semper bis baptizari saltem sub conditione debent. Idem dicendum est de fœtu non manifeste mortuo ante naturalem novem mensium terminum edito. Quocunque tempore nascatur, et quamcunque formam præbeat, tutius est talem fœtum baptizare, saltem sub conditione : *Si tu es capax, ego te baptizo*. Nam opinio vere probabilior est animam corpori uniri in ipsa conceptione seu fecundatione. Vide hoc probatum in nostro opere : *Dieu, l'homme et le monde*, tom. II, pag. 220 et seq. et 560.)

VII. Baptismum infidelium filiis sine consensu parentum conferre, est contra justitiam et contra Ecclesiæ consuetudinem. Benedictus XIV, tom. II, constit. 28 *Postremo mense*, in qua hæc continentur : « Infantes Hebræorum et infidelium non possunt reluctantibus parentibus baptizari. » At varios excipit casus, in quibus baptizari debent : 1° Si ii infantes sint in mortis extremo discrimine constituti ; 2° Si a parentibus projecti destitutique inveniantur ; 3° Si expositi, etiamsi repetantur postea a genitoribus, qui eo casu patriam amittunt potestatem.

Transit deinde ad tutores, quorum, deficientibus parentibus, consensum ad infantium baptismum requiri ostendit. Alterutro tamen parente consentiente, quamvis patriæ potestatis jura matri non competant baptizari possunt. Si eorum pater Christianus fiat, matris dissensum non officere, et vice versa nec dissensum patris attendendum, si mater Christiana consentiat, exponit. Imo nec dissensum matris, si mortuo jam patre, avus paternus nepotem baptizari permittat. Item si avus nepotes ad baptismum offerat, patre et matre invitis. — Si pater filios Christianos fieri velit, postmodum vero eum pœniteat, poterunt, si infantes, baptizari ; si adulti, catechizari, ut eorum voluntas exploretur.

Baptismus conferri non debet infidelium filiis, quos Christiana educatione fraudandos fore, et infidelitatem parentum secuturos esse dignoscatur. Item baptismus conferri non debet infidelium filiis qui a parentibus offeruntur, non ut originalis culpa ex eorum anima deleatur, sed ut a malignis spiritibus vel morbo aliquo liberentur. Quod intellige ubi infans in parentum infidelium potestatem rediturus in eorum infidelitate educandus fore dignoscatur, sed si perversionis periculum absit, tunc habita potius ratione intentionis Ecclesiæ ejusque ministri, quam voluntatis parentum infidelium, ex sententia sancti Augustini baptizandus est.

Baptismus infantibus collatus sine consensu parentum quamvis illicitus, validus tamen censendus est. Infidelium seu Hebræorum infantes illicite baptizati, e manu parentum sunt recuperandi, et a Christianis educandi ; et si postea a fide desciverint, pœnis coercendi.

Qui illicite Hebræorum infantes baptizavit, quod id fecerit quod Ecclesia vetat, judicis arbitrio erit puniendus. — Baptismali autem comprobando, unius sufficit testimonium, si testi fides prudenter adhiberi possit, aut si idem testetur qui baptizavit.

Hæc quoad infantes : quoad adultos vero qui regulariter tales sunt censendi septennio expleto, iis petentibus baptismus non est denegandus, si de eorum perfecto rationis usu non dubitetur ; alias sacramentum esset differendum et petentes retinendi et instruendi ; et parentum consensus non attenditur. Qui autem fidelis nunquam fuit, vi nunquam erit compellendus ; sed adultus tantum recipiendus, qui petat et idoneus inveniatur. Baptismus autem adultis non petentibus, dissentientibus et reluctantibus impertitus, est invalidus. — Hucusque constitutio Benedicti XIV, *Postremo mense*, in qua plura alia dubia circa hanc materiam solvuntur, quæ etiam totum de hac re jus resumit.

VIII. *De tempore baptismi.* — Baptismus est ab omnibus suscipiendus quam primum ; Clemens I, epist. 4, ibi : *Omnibus ergo festinandum est sine mora renasci Deo.* Nunc dari potest baptismus parvulis statim ac nati sunt. (*Trident.* sess. 5, c. 4 decreto *De peccato origin.*) Et in concil. Mediolanen. part. I, tit. II, *De baptismo*, statuitur sub

pœna excommunicationis, quod baptismus conferatur ante nonum diem post nativitatem pueri. « Graviter peccant, qui per multum temporis differunt infantem baptizare. » Id commune est apud omnes ex pluribus conciliis provincialibus, quæ decrevere pueros baptizandos quam cito fieri potest, et in Rituali Rom. dicitur : *Parochus hortetur, ne pueris sacramentum tantopere necessarium nimium differatur cum periculo salutis.* Qualis autem reputetur dilatio gravis, Palaus, p. 8, n. 4 ex Suar. etc., putat dilationem ultra mensem esse gravem, si non adsit causa : si vero adsit, esse gravem duos menses. Fere idem sentit Layman. c. 6, n. 9. Salmanticenses autem, *De baptism.* c. 5, part. II, n. 12, in fin., censent non esse mortale minus differre quam ultra 15 vel 20 dies, etiam sine urgenti ratione. Alii . . . putant dilationem non extendendam ultra quinque vel sex, vel octo dies. Sed communius et probabilius Sotus, Leander et alii ... dicunt non esse gravem dilationem, nisi 10 vel 11 dies excedantur. » (S. Liguor. lib. VI, tract. II, n. 118, notand. 2.) Ex constitutione autem Benedicti XIV, tom. I, constitut. 107, *Omnium*, « baptismus infantibus protrahi non debet ultra præfixum tempus ab Ecclesia. »

Natis infantibus baptismus conferri quam primum debet, peccantque graviter, qui diu illum differunt, tempus autem indefinitum est, latoque edicto mandatum fuit Romæ anno 1723, ut infra triduum infans lavetur. (Benedict. XIV *Instit. eccles.* 98, n. 3.)

IX. *De loco.* — Baptismus extra casum necessitatis sub pœna peccati mortalis est omnibus ministrandus in ecclesia, ubi sunt fontes, exceptis filiis regum et principum, qui extra ecclesiam, et in domibus possunt baptizari, textu expresso in Clementina unica *De baptismo*, ibi : *Præsenti prohibemus edicto, ne quis de cætero in aulis, vel cambris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in ecclesiis, in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, aliquos (nisi regum, vel principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi exstiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi), audeat baptizare. Qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per episcopum suum castigetur, quod alii attentare similia non præsumant.*

Sic etiam habet Rituale Romanum jussu Pauli V editum : *In privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint regum aut magnorum principum filii, id ipsis deposcentibus dummodo id fiat in eorum capellis, seu oratoriis et in aqua baptismali de more benedicta.*

Nomine principum quamvis per glossam dict. Clementinæ et varios auctores intelligantur solummodo principes supremi, neminem in sua ditione superiorem agnoscentes, et non ii, qui principum titulo et dignitate gaudent, sed tamen sunt subditi regis, aut alterius supremi principis ; tamen multi canonistæ ... intelligunt etiam magnates, comites, barones, legatos regum, et universim omnes obtinentes veram jurisdictionem temporalem. (Ferrar. verb. *Baptismus*, art. 6, n. 9 et seq.)

Ex supra relata Clementina et Rituali non licet baptizare nisi in necessitatis casu, extra ecclesiam et extra fontes ad hoc deputatos ; ideoque non licet baptizare in privatis locis, nec etiam in sacristia ecclesiæ ; et filii etiam regum quando extra ecclesiam baptizantur, debent baptizari in eorum sacellis seu oratoriis et in aqua baptismali de more benedicta.

X. *De cæremoniis.* — Unde baptismi cæremoniæ, et aliorum sacramentorum ritus mutari, aut omitti, nisi in necessitate, non possunt, nec a privatis personis, nec ab episcopis ; conc. Trident. sess. 7, *De sacrament.* can. 13, ibi : *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.* Cæremoniæ omissæ in baptismo privatim necessitatis causa collato, in ecclesia postea suppleri debent, ut colligitur ex c. *Hanc regulam*, causa 1, quæst. 1; c. *Pastoralis* 1, etc. *Presbyter* 3, *De sacram. non iterand.* Et expresse statuitur ex Rituali Romano et multis conciliis provincialibus.

Cæremonias omnes, aut etiam unam principaliorem, v. gr. unctionem chrismatis omittere et negligere extra casum necessitatis, est peccatum mortale, quia antiquissimum præceptum et toties repetitum de

iis observandis, est de re valde gravi. (Nugnus, Gobat, La Croix ... et alii passim, apud Ferraris, *ibid.* n. 17.) Ita etiam S. Liguor. lib. vi, tract. ii, et multi ab ipso citati n. 118, *Notandum* iii, ubi addit cum Layman et aliis, «graviter peccare magnates, qui extra necessitatem faciunt filios baptizari domi, vel etiam in ecclesia privatim, ut deinde cum pompa cæremoniæ perficiantur in ecclesia, postquam advenerint patrini; qui equidem, collato jam antea baptismo, nec patrini efficiuntur. His tamen non obstantibus, puto quod ubi introducta est consuetudo domi baptizandi filios magnatum, ipsa non est facile improbanda, ut ait *La Croix* loc. cit.»

Quid tamen censendum sit de consuetudinibus quæ in quibusdam Galliarum diœcesibus introduci tendunt? In iis diœcesibus fere omnes infantes eorum parentum, qui dispensationem pro crastinandis baptismi cæremoniis solvere possunt, tantummodo in aqua baptismali et in ecclesia lavantur; et deinde, ex episcopi dispensatione, cum pompa cæremoniæ perficiuntur in ecclesia post tres, sex aut etiam plures alios menses et aliquando annum, postquam advenerint patrini. Attamen Benedictus XIV, tom. I, const. 8, *Inter omnigenas*, num. 19, præcipit ut *baptismi conferendi ritus et cæremoniæ in Rituali præscriptæ, sine gravi causa non omittantur, vel cito suppleantur.* Præterea consuetudo de qua nunc agitur certo certius opposita est sacris canonibus et præsertim canoni 13, sess. 7, Trident., quo anathemate percellitur *qui dixerit ... ritus sacramentorum ... sine peccato a ministris pro libito omitti ... posse.* — Atqui pro libito et absque necessitate et sine gravi causa, et quoties petitur et dispensationis pretium solvitur, facere id quod non potest dici sub anathematis pœna, non videtur licitum. Unde 1° certum est parochos non posse, nisi in necessitate, id est periculo mortis, cæremonias baptismi propria auctoritate omittere. 2° Videtur etiam ex prædictis quod non liceat episcopis dispensationes omittendi has cæremonias nisi pro gravissimis causis concedere; nam canon 13, sess. 7, Trident. dicit anathema illi qui *dixerit ... ritus sacramentorum receptos ... in novos alios per quemcunque ecclesiarum pastorem mutari posse.* Atqui separare ablutionem a cæremoniis baptismi, extra periculum mortis, prohibetur ab omnibus Ecclesiæ legibus; præterea quando, propter necessitatem, omissæ fuerunt cæremoniæ, debent quam cito suppleri; const. Benedict. XIV *Inter omnigenas*, et non post plures menses. Item tam frequenter et solummodo propter commodum et vanitatem parentum et patrinorum separare ablutionem a ritibus baptismi est vere abolere solemnitatem baptismi, intervertendo ritum ab Ecclesia consecratum; item ex tali consuetudine fit ut patrini non sint vere patrini juxta mentem et legem Ecclesiæ. His omnibus mutationibus rituum fit ut frequenter baptismus vere solemnis non habeatur; attamen sub mortali præscribitur solemnitas baptismi. Hac igitur consuetudine patet ritus baptismi receptos in novos alios mutari; atqui anathemate percellitur qui hoc posse fieri dixerit. Unde mihi non videtur licitum episcopis super hoc dispensare, nec parochis hac dispensatione uti, aut saltem necesse foret sanctam sedem vel sacr. congr. Concilii consulere de hac consuetudine.

Sed bene possunt episcopi permittere ut baptismus differatur. Nam ait sanctus Ligorius cum Layman et aliis, «infantes ex consuetudine deferendos ad baptismum circa diem octavum, nisi prius sit necesse, vel nisi sit gravis causa dilationis, v. gr. quia patrini sunt exspectandi, in qua tamen non licet communiter extra necessitatem privatim baptizare, et postea adhibere solemnitates, sed præstat exspectare aliquandiu.» (S. Ligorius, lib. vi, tract. ii, n. 140.)

XI. *De baptismi sub conditione iteratione.* — Temere rebaptizare est mortale ex objecto, quia est in genere sacrilegii, dum conaris ministrare sacramentum incapaci. Evadunt irregulares iterantes serio et scienter baptismum, et etiam rebaptizati ministrantes. (C. *Ex litterarum, De apost. et reiterant. baptis.*) Porro irregularitas ex iteratione baptismi contrahitur, etiamsi baptismus absque prudenti dubio sub conditione innovetur, ut ex Catechismo Romano multo probabilius deducitur. Hanc vero pœnam etiam baptizantem afficere, non baptizatum tantummodo, ferme inter omnes convenit. Sicut et ea affecti non tantum ad altiores ordines ascendere vetantur, sed et ab exercitio jam susceptorum ordinum absterrentur, quæ tanquam magis cohærens

auctoritati Catechismi Romani opinio præfertur alteri neganti. (Benedict. XIV, *Instit. eccles.* 84, n. 18.)

Aliunde « peccat graviter minister : 1° qui non rebaptizat eum de quo rationabile dubium juris, vel facti manet, num valide sit baptizatus; quia tenetur proximum liberare a probabili periculo gravis mali, cum facile potest ... 2° Si non diligenter inquirat in talis baptismi valorem, nisi de hoc aliunde constet. »

« Qui vere et rationabiliter dubitat de suo baptismo, tenetur petere baptismum, et parochus ei conferre; et interea abstinere ab usu aliorum sacramentorum. » (S. Liguor. lib. vi, tract. ii, n. 137.)

In hujusmodi dubiis attendenda est regula communiter a doctoribus recepta, quod ad iterum conferendum baptismum baptizato sub conditione, non sufficit leve, sed requiritur prudens sive rationabile dubium, an sacramentum fuerit vel ne receptum... Dubium autem vel potest esse juris, vel facti. Quando dubium est juris, nempe quando aliquis est baptizatus cum materia, forma aut intentione dubia, tunc certe baptismus est iterandus sub conditione, prout communiter docent... Dubium facti est, quando dubitatur an datus sit vel ne baptismus; et tunc si dubium est negativum, eo quod nulla habeantur indicia hominem esse baptizatum, sine hæsitatione hic est sub conditione baptizandus ... (Can. *Cum itaque* 92, et can. seq. 93 *De consecrat.* dist. 4.) Quando vero dubium est positivum, etiam baptismus est iterandus, quando utrinque adsunt apparentes non leves conjecturæ, quæ rem dubiam efficiunt. Unde in conc. Carthag. v relato, c. *Placuit* 91, dist. 4, *De consecrat.*, sic dicitur : *Quoties non inveniuntur certissimi testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur ... absque scrupulo esse baptizandos.*

« Hic tamen notandum : 1° Cum communi, et c. *Nuper*, *De testibus*, ad id sufficere unum testem oculatem fide dignum, et hoc etiamsi testis sit femina ... Secus vero si adsint testes positive oppositum deponentes. . . Notandum 2° quod baptizandi non sunt, neque sub conditione, adulti qui nati sunt ex parentibus Christianis, et inter fideles educati, quamvis nullum testimonium habeatur accepti baptismi, ut expressum exstat in c. *Veniens* 3, *De presb. non baptiz.* ... Hoc tamen intelligendum, modo pro contraria parte graves non occurrant rationes. Et sic censuit S. C. Notandum 3° quod si infans aliquis arreptus sit a Barbaris, et dubitetur, an captus fuerit ante vel post baptismum ; tunc omnino baptizandus est sub conditione ut cum communi dicunt Pal... Salm... et alii, ex c. *Parvulos*, d. 4. *De consec.* ubi Gregor. Papa id expresse definit. » (S. Liguor. lib. vi, tract. ii, n. 134.)

« Infantes expositi, et reperti sine scheda testante de baptismo, omnino baptizandi sunt sub conditione ; item infantes expositi etiam cum scheda de baptismo collato, baptizandi sunt sub conditione, quoties non habetur moralis certitudo de baptismo collato, et rite collato, alias semper remanet prudens dubium de suo valore. Ita multi doctores et synodi provinciales... Idemque sentit Benedictus XIV, qui affert concilium Mediolanense sic statuens : *Infans expositus, licet appensum collo scriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen, re diligenter perquisita, quemadmodum Catechismo Romano expressum est, adhuc dubium sit eum baptizatum esse sub conditione baptizetur.* Item affert declarationem sacr. congr. Concilii die 15 Januarii 1724, ubi dictum fuit hujusmodi infantes expositos, etiam cum scheda de baptismo collato, esse sub conditione baptizandos, quamvis sint in ætate unius anni cum dimidio. Et hoc videtur esse quidem juxta mentem Ritualis Romani, ubi dicitur : *Infantes expositi et inventi, si re diligenter investigata de eorum baptismo non constat, sub conditione baptizentur.* Excepit tamen sacr. congr. in præfata declaratione a baptismo sub conditione schedulas quæ haberent certitudinem, juxta instructionem alias datam. » (S. Liguor. *ibid.* n. 135.)

« Infantes ab obstetricibus, vel parentibus, vel cognatis, etc., ob necessitatem baptizatos, promiscue omnes sub conditione rebaptizare (quando obstetrices bonæ, et bene instructæ censentur) non licet ; quia de valore baptismi prudenter, et raticnabiliter dubitari, non potest. (Suar. Laym. lib. v, t. II, c. 5.) Qui tamen contrariam consuetudinem quorumdam parochorum damnare non audent, eo quod experientia didicerint, obstetrices non raro fuisse deceptas a diabolo, ideoque revera periculum aliquod sit

animæ, ob quod irreverentia cesset : additque eam consuetudinem approbatam fuisse a Pastorali Romano edito Antuerpiæ 1607 ; eamque sententiam tenet Sylvius apud Dianam.... Et ipse Diana.... censet eam probabilem, habereque locum in omnibus baptizatis ab hæreticis, licet sint adulti : quod cardin. de Lug.... recte limitat ad illas circumstantias, in quibus prudenter dubitari possit de defectu materiæ, formæ, vel intentionis. Denique etiam Quintan. t. I, sect. 5, docet infantes supradictos fere omnes rebaptizari posse sub conditione. » (S. Liguor. lib. VI, tract. II, n. 136.) Et hoc verum est hodie in Galiis ob ignorantiam et ordinariam perturbationem obstetricum et aliorum laicorum in casu necessitatis. Ut ut sit, « obstetrices (et alii laici) quæ infantem aliquem baptizaverint, sunt a parochis diligentissime examinandæ, an, et quomodo, quibus verbis, et forma, qua materia et aqua, et cum qua intentione baptizaverint ; et si rite repererint fuisse a dictis obstetricibus collatum baptismum, non debent, nec possunt ipsum repetere ; si vero probabiliter dubitent, debent baptismum sub conditione repetere. » (*Catechism. Rom.* part. II, cap. 2, n. 43. Et sic solent statuere Constitutiones synodales... et communis arg. cap. *De quibus dubium est* 2, *De baptismo ;* Ferrar. verb. *Obstetrices.*)

Quoad pueros ab hæreticis baptizatos ; cum hodie tot urgeant motiva dubitandi de valore talium baptismatum, merito dicimus, ordinarie loquendo, illa sub conditione repetenda, et ait cl. P. Perrone in suis prælectionibus theologicis, lib. VIII, tract. *De baptismo*, cap. 5, n. 133, not. 2 : « Ex persuasione de nulla baptismi necessitate, quæ penes protestantes vulgata est, fit ut eorum ministri adeo oscitantes hoc sacramentum administrent, ut grave dubium ortum sit de valore baptismi ab illis collati. Hinc receptum est, ut passim non solum in Anglia, Galliis, Germania, verum etiam Romæ, sub conditione iis, qui se ex diversis sectis recipiunt ad Ecclesiam catholicam iterum baptisma conferatur. »

XII. — *De patrinis.* Patrinus saltem unus requiritur sub peccato mortali in baptismo solemni ; unde parochus baptizans solemniter sine patrino peccaret mortaliter. Sic tenet communis Ecclesiæ praxis, et eruitur ex omnibus ritualibus, et canonibus capit. 1, 2, 3, 4, 5, causa 30, quæst. 3 ; cap. *Vos ante* 105, dist. 5 *De consecrat.* Trident. sess. 24, *De reform. matrim.* c. 2. Non peccatur tamen, si sine patrino administretur baptismus privatim, quia pro baptismo privato susceptores Ecclesia non instituit ; ut declaravit sacr. congr. Concil., teste Nicolio, part. I, lib. I, tit. X, *De nuptiis*, n. 37. Patrinus baptismi unus, vel una esse debet. (Cap. *In catechismo* 100 ; c. *Non plures* 101, *De consecrat.* dist. 4 ; c. *Quamvis* 3, *De cognatione spirituali*, in 6.) Vel ad summum possunt esse duo, unus masculus, et alia femina, ut expresse statuit Trident. sess. 24, *De reform. matrim.* c. 2. Nec episcopus potest dispensare, ut duo viri, vel duæ fœminæ simul suscipiant, cum super conciliari constitutione dispensandi potestatem non habeat. Ita decisum referunt a sacr. congr. Zerol., Armendariz... et alii. Unde parochus qui plures patrinos, vel matrinas adhiberet, peccaret mortaliter, quia præceptum Ecclesiæ in re magni momenti violaret, ex cujus transgressione multiplicantur cognationes sufficientes ad dirimendum matrimonium ; sic decisum fuisse a sacr. congr. refert Armendariz.... Si tamen plures designati suscipiant baptizatum de fonte, omnes contrahunt cognationem spiritualem cum ipso baptizato, et cum ejus parentibus. (Communis, et sic decisum a sacr. congr. et colligitur ex Trident. loc. cit., et expresse habetur in c. *Quamvis* 3, *De cognat. spirit.* in 6.)

Patrinos designare spectat ad parentes, non autem ad parochum, unde si alii a parocho, et alii a parentibus sint designati, contrahunt cognationem solum designati a parentibus. (Colligitur aperte ex Trident. sess. 24, *De reform. matrim.* c. 2.) Si vero parentes, aut habentes curam infantis, nullum patrinum designaverint, veri patrini erunt quos parochus nominaverit, cum ad ipsum spectet providere ut omnia circa patrinos rite peragantur, ut patet ex verbis Tridentini, sess. 24, *De reform. matrim.* c. 2, et cum communi tenet Sanchez.

Levans de fonte infantem tanquam procurator nomine alterius, non contrahit cognationem, sed ipsam contrahit mittens, seu mandans, quia secundum jura potest quis medio procuratore, quod per se ipsum, reg. 76 *De reg. juris*, et actio tangendi potest alteri committi, ideoque mandans est

vere patrinus, non autem procurator. (Sic declaravit sacr. congr. Conc. pluries, et tenent communiter doctores, apud FERRARIS, verb. *Baptismus*, art. 7, n. 17.)

Necesse est ut patrinus tangat et suscipiat infantem in baptismo, aliter non esset patrinus nec contraheret cognationem. Ex duobus patrinis designatis, quorum unus tangit infantem in baptismo, et alter assistit, sed non tangit, contrahit cognationem solum is qui tangit. Sic declaravit sacr. congr. Concil., et sacr. congr. Episc., 13 Febr. 1593, declaravit non contrahi cognationem ab eo qui defert infantem ad baptismum nisi etiam illum teneat vel suscipiat, cum baptizatur; et contrariam consuetudinem esse abusum, ut etiam declaravit sacr. congr., teste Nicol... Nam ut patrinus contrahat cognationem, requiritur contactus physicus, dum tenet infantem. (SANCHEZ... et alii... apud FERRAR. *ibid.* n. 18.)

Inter patrinos ac ipsum baptizatum, et illius patrem et matrem, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem et matrem tantum, spiritualis cognatio contrahitur, quæ est impedimentum matrimonii dirimens. (Textu expresso Trident. sess. 24, *De reform. matrim.* c. 2.)

Ad effectum contrahendæ cognationis spiritualis requiritur ut patrini et matrinæ sint baptizati. Unde adhibere non baptizatum in patrinum, idem est quoad valorem actus ac nullum adhibere. Atque idem dicendum videtur de mente captis, aut rationem usus nondum habentibus; quia incapaces sunt explendi patrinorum officii, quod in eo stat ut patrinus sese fideijussorem constituat. Non autem necesse est, ad effectum contrahendæ cognationis, ut patrinus ætate major sit baptizando; quia id nullo jure requisitum reperitur. Nec verum est patrinum agere personam patris (ex quo ætate provectiorem eum esse debere aliqui olim existimarunt); sed agit duntaxat personam fideijussoris erga Ecclesiam. (BARBOSA, *De paroch.* c. 18, n. 29.)

Quamvis suscipientes puerum in baptismo privatim administrato non contrahant cognationem, ut declaravit sacr. congr. Concilii (ex quo fit ut multi in Galliis non habeant patrinos propter corruptam consuetudinem privatim baptizandi absque necessitate), privatim tamen baptizans cognationem contrahit, etiamsi sit laicus, etiamsi baptizet in necessitate, unde baptizans filium concubinæ morientem, non potest postea cum ea contrahere matrimonium absque dispensatione. (C. *Pervenit* 1, causa 30, quæst. 1; et sic declaravit sacr. congr. Concil.) Si tamen maritus in extrema necessitate baptizaret proprium filium, non impediretur debitum petere. (Textu expresso in cap. *Ad limina* 7, causa 30, quæst. 1.)

Tenentes infantem, dum in ecclesia supplentur solemnes cæremoniæ omissæ in baptismo ei privatim collato, non contrahunt cognationem. (Sacr. congr. Concil., 13 Julii 1624.) Unde, quando parochus simul patrinorum nomina describit in libro, tenetur addere fuisse solum patrinos in catechismo, et non in baptismo... Patrinus et matrina non contrahunt inter se cognationem, quia non impediuntur inter se conjungi. (Ex *Conc. Trident.* sess. 24, *De reform. matrim.* cap. 2.) Unde maritus et uxor non peccant, si simul suscipiant vel teneant alienum puerum in baptismo, nec prohibentur sibi debitum reddere. Suscipientes et baptizantes filium infidelium, non contrahunt cognationem spiritualem cum ejus parentibus infidelibus. (FERRARIS, verb. *Baptismus*, art. 7, n. 27.)

Patrinus potest esse omnis fidelis ad usum perfectæ rationis perventus, etiamsi esset junior filiastro adulto, et licet adhuc impuber contraheret cognationem spiritualem, ut declaravit sacr. congr. Concil., et confirmavit Gregorius XIII, teste Fagnano, in cap. *Ex litteris*, etc., *De cognat. spirit.*, n. 16, et in cap. *Veniens*, eod. tit. n. 18.

Non potest autem esse patrinus infidelis, et qui non est baptizatus, sicuti non potest esse patrinus in confirmatione, qui non est confirmatus, textu expresso in cap. *In baptismate* 102, *De consecrat.* dist. 4. Hæretici saltem licite patrini esse non possunt... Urgente tamen gravi causa, vel necessitate, ut fieri solet in terris, ubi catholici cum hæreticis permisti vivunt, etiam hæreticum permitti posse, tradit Layman. lib. v, tract. II, cap. 9, n. 7, et alii multi qui supponunt posse hæreticos esse patrinos, ubi dicunt hæreticos levantes infantes de sacro fonte contrahere cognationem spiritualem. Imo urgente gravi causa, vel metu, posset etiam catholicus esse patrinus infantis hæretici a prædicante baptizandi, dummodo per hoc

munus non censeatur approbare ritum hæreticum, quia hoc foret intrincese malum. Si vero hoc periculum absit, ut ordinarie videtur abesse in Germania, dicendum est licere, ob piam et notabilem utilitatem, quia patrinus per hoc tantum profitetur, quod puerum suscipiat in curam suam instruendum in vera fide, facitque saltem hanc cæremoniam catholice observari. (Layman. loc. cit. n. 6; Gobat., Tambur., La Croix.... Castropal., Lugo et alii apud Ferrar. verb. *Baptismus*, art. 47, n. 36 et 37.)

Patrini licite esse non possunt excommunicati, nec facinorosi, aut criminosi, aut moribus infames. (*Rituale Rom.* tit. *De patrinis*, et conc. provincial. plur. et doctores.) Nec patrini licite et ordinarie possunt esse muti, ut ipsos excludunt Ancharan. et alii propter cap. *Parvuli*, *De consecrat.* dist. 4. Nec possunt esse proprii parentes infantis baptizandi. (*Rituale Rom.* tit. *De patrinis*, et constat ex cap. *Dictum est*, 4; c. *De eo*, 5 causa 36; et ex cap. *Si vir* 2, *De cognat. spiritual.*; et docet S. Thomas, quæst. 63, art. 8 ad 2.) Adeo ut, si extra necessitatem, ac temere parens propriam prolem suscipiat, cognationem spiritualem cum conjuge contrahat, ideoque debitum petere non possit, nisi ab episcopo, seu habente facultatem, prius dispensationem obtineat, ut dicunt multi....

Monachi et regulares utriusque sexus nequeunt licite esse patrini. (*Non licet* 103, c. *Monachi* 104, *De consecrat.* dist. 4; cap. *Placuit* 8, causa 16, quæst. 2; cap. *Pervenit* 26, causa 18, quæst. 2.) Imo a conciliis provincialibus et synodis diœcesanis, nedum hoc munus solet interdici regularibus omnibus, sed et etiam aliis ecclesiasticis sæcularibus. (Ferrar. *ibid.*) Ubi tamen non interdicitur a conciliis provincialibus aut synodis diœcesanis, possunt clerici sæculares esse patrini.

Tenetur parochus docere patrinos quam cognationem contraxerint et eorum nomina in libro describere, in ipso actu baptismi. (Textu expresso *Trident.* sess. 24, *De reform. matrim.* c. 2, et Ritual. Rom. *De baptismo.*)

XIII. Tenetur parochus habere librum in quo describantur baptismata, prout constat ex decreto Tridentino mox citato. (Formulæ descriptionis dabuntur infra, ubi agetur de libris, quos retinere debent parochi.) Alia de baptismo vide apud theologos.

§ VI. — De pœnitentiæ sacramento.

I. « Tenetur parochus, regulariter lo quendo, et quidem sub gravi, petentibus pa rochianis hoc sacramentum ministrare, no tantum quando parochiani tenentur illu recipere, id est, semel in anno, sed etia toties quoties petunt. »

« Diximus *regulariter loquendo;* quia a hanc generalem regulam dari sequentes ex ceptiones tenent doctores communiter nempe *primo*, licite recusabit audire con fessionem, quando prudenter existima spirituali pœnitentis profectui non prodess quod tam frequenter confiteatur, prout oc currit casus, v. gr. quoad scrupulosos *Secundo*, etiamsi pœnitens rationabiliter petat se audiri sacramentaliter, si parochu semel aut iterum renuat, erit duntaxat pe catum veniale. *Tertio*, si subditus tempor importuno, verbi gratia, tempore prandi somni, etc., confiteri velit, non peccabit pa rochus recusando. » (Vide hæc exposita i tractatu Barbosæ, *De parocho*, cum *Add tamentis* Giraldi, cap. 13, n. 8.)

Tenetur parochus, etiam cum mortis pe riculo, pœnitentiæ sacramentum ministra infirmis peste laborantibus, quando no adest alius sacerdos qui id præstet. (Ita de cisum a sacr. congr. Concil. *in Mediolan.*, 1 April. 1630; atque omnino tenendam doc trinam hanc docent unanimiter auctores pro batissimi). — (Bouix, *De parocho*, p. 574.)

II. Parochus nequit approbare confessa rios non approbatos ab ordinario ad au diendas confessiones suorum parochiano rum. (*Communis* et colligitur ex *Conci Trident.* sess. 23, cap. 15, et expres declaravit sacr. congr. Episc. et Regul., 1 Augusti 1602.) Imo parochus ne quide potest sibi in confessarium eligere simpli cem sacerdotem non approbatum ab ord nario; nam Alexander VII, die 24 Septemb 1665, damnavit expresse hanc propositione 16 in ordine : « Qui beneficium curatu habent, possunt sibi eligere in confessariu simplicem sacerdotem non approbatum a ordinario. » Ferrar. verb. *Parochus*, art. et verb. *Approbatio*, art. 1.) Sed parochi n queunt prohibere sacerdotes etiam sæculare ab episcopo approbatos sive simpliciter p tota diœcesi, sive pro eorum parochia, i confessiones audiant in sua parochia. (Sac congr. Episc. et Regular., die 3 April. 158 Religiosi semel simpliciter approbati po

sunt in diœcesi episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, et quorumcunque infirmorum confessiones audire, absque ulla parochorum, vel ipsius episcopi licentia. De qua tamen confessione tenentur dicti religiosi eorumdem infirmorum parochum illico certiorem reddere, et hoc potest illis ab episcopo sub pœna suspensionis a facultate audiendi confessiones præcipi. Sufficit tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam. Sic expresse statuit Clemens X, in constit. *Superna*, et jam antea declaraverat sacr. congr. Episc. et Regul. pluries.

III. Valde convenit ut confessarii extra casum infirmitatis, aut alterius honestæ causæ, nonnisi in ecclesia audiant confessiones. Confessarii sine necessitate audire non debent mulierum confessiones post crepusculum vespertinum, et ante auroram. (Sic per totum declaravit sacr. congr. Episcop. et Regul.) Quæ et laudavit prohibitionem audiendi mulierum puerorumque confessiones extra sedem confessionalem, vel e conspectu, et non interposita crate, sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus. Quam prohibitionem postea litteris encyclicis injunxit congreg. Inquisitionis, 4 Dec. 1694.

IV. Parochi et alii confessarii etiam regulares et privilegiati nequeunt absolvere a casibus episcopo reservatis, absque ejus licentia. Nequeunt etiam nisi ex speciali indulto aut privilegio absolvere a casibus summo pontifici reservatis.

Quinam autem sint casus papæ reservati, vide lib. III. *De episcopis*, cap. 13, ubi referuntu rexcommunicationes papæ reservatæ in bulla *Cœnæ*, et excommunicationes reservatæ extra bullam *Cœnæ*. Qui vero absolverent, absque indulto pontificio, a casibus bullæ *Cœnæ* excommunicationem papæ reservatam incurrunt. Eamdem sanctæ sedi reservatam excommunicationem incurrunt absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus bullæ *Cœnæ*, vel ordinariis reservatis. (Decret. sacr. congr. Episcop. et Regul. a Clemente VIII approbatum 1602.)

V. « Confessarii ac sacerdotes quicunque, sive sæculares sive regulares, nequeunt absolvere suos complices in peccato contra sextum Decalogi præceptum, nisi in articulo mortis, et tunc solum in defectu alterius confessarii. Absolutio tamen impertita hujusmodi personæ complici in mortis articulo constitutæ, etiam absque necessitate, aut infamiæ, vel scandali periculo, valida declaratur. Sed sacerdos ita absolvens incurrit excommunicationem papæ reservatam. Absolutio sacerdotis excipientis confessionem complicis in peccato turpi summo pontifici reservatur. » (Benedict. XIV, constit. 20 *Sacramentum pœnitentiæ*.) Et absolutio a tali sacerdote complici data irrita est et invalida, excepto mortis articulo. (Id. *ibid.*)

VI. Absolutio calumniatorum, quoad sollicitationem in confessione summo pontifici reservatur; hocque habet locum, quando quis falso accusat sacerdotem innoxium de sollicitatione apud judices ecclesiasticos, sive per se ipsum, sive procurando ut per alios calumnia inferatur. (Id. *ibid.*)

VII. Sacerdos faciens ab altero celebrari missam cum minori eleemosyna, ac sit illa, quam ipse habuit, peccat mortaliter, non satisfacit suæ obligationi, et tenetur ad restitutionem. Insuper incurrit suspensionem papæ reservatam, etiamsi secundus sacerdos id sciat, et contentus sit. (Sacr. congr. Concil. 5 Julii 1614; cujus resolutio approbata fuit ab Alexandro VII et Benedict. XIV, constit. *Quanta cura*.)

VIII. Porro evadunt irregulares clerici censuras temere violantes, v. gr. si excommunicati, interdicti, vel suspensi, ordinum munera exerceant, divinis scienter se ingerendo. (C. *Si quis episcopus*, causa 11, quæst. 3; c. *Is qui*, *De sent. excom.* in 6, et c. *Is cui* 20, eod. tit. in 6.)

IX. Confessarii caveant, ne pœnitentes, quos noverint ab alio sollicitatos contra sextum Decalogi præceptum absolvant, nisi prius, sive denuntiationem fecerint, vel saltem promiserint se denuntiaturos quam primum poterunt. (Benedict. XIV, const. 20, tom. I Bull. *Sacramentum pœnitentiæ*.) Confessarii ad turpia sollicitantes denuntiandi sunt ab eodem pœnitente; quæ denuntiatio fieri debet, etiamsi confessarius sit simplex sacerdos et jurisdictione careat, etiamsi pariter sollicitationi ipse pœnitens consenserit; etiamsi post ipsam sollicitationem longum jam tempus effluxerit; etiamsi sollicitatio fiat a confessario non pro se, sed pro alio: alioquin pœnitens sollicitatus denuntiare

detrectans, incapax fit absolutionis. (*Ibid.*)

Confessarii sollicitantes, « in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione, aut prætextu, præter pœnas a jure inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrunt ad sacrificii celebrationem. » (Ex bulla Benedict. XIV, *In generali congregatione.*) Sed probabilius hæc inhabilitas incurritur tantum post judicis sententiam. (S. Liguor. lib. VI, tract. IV, n. 705.)

Alia necessaria et utilia scitu vide apud S. Liguorium, lib. VI, tract. IV, cap. 3, *Dissert. de confess. sollicit.* Vide etiam apud Ferraris, verb. *Confessarius*, art. 5, ubi reperitur bulla Gregorii XV, *Universi Dominici gregis, De sollicitantibus ;* et verb. *Sollicitatio ad turpia :* ubi reperiuntur 1° bulla Benedict. XIV, *Sacramentum pœnitentiæ ;* 2° declaratio ejusdem Benedict. XIV, *Apostolici muneris, Contra sollicitantes ;* 3° decretum ejusdem, 5 Augusti 1745, *In generali congregatione.* Addemus tantum plura notanda ad imprudentiam, scandalum et injustam innocentium sacerdotum diffamationem vitandum.

Notanda 1. Ordinarii, approbando confessores, tenentur injungere observationem constitutionis Gregorii XV, *contra sollicitantes,* et bullæ Benedict. XIV, *Sacramentum pœnitentiæ,* in qua hoc ordinariis præcipitur.

2. « Confessarii non debent interrogare mulieres pœnitentes, an fuerint unquam in confessione sacramentali ad inhonesta sollicitatæ. » (Delbene, *De offic. S. Inquisit.* part. II, dub. 235, sect. 14, petit. 1, a. 2.)

3. « Tenendum est (crimen sollicitationis) non probari sufficienter per testes singulares, nisi etiam concurrerint adminicula, indicia et præsumptiones. Ita sancivit Gregorius XV, constit. *Universi Dominici gregis,* in hæc verba : *Dantes etiam facultatem S. R. E. Cardinalibus et generalibus inquisitoribus, ne delictum tam enorme Ecclesiæ Dei tam perniciosum remaneat ob defectum probationum impunitum, cum difficilis sit probationis, testibus etiam singularibus, concurrentibus præsumptionibus, indiciis et aliis adminiculis, delictum probatum esse, arbitrio suo judicandi.* (Sic Pignatelli apud Ferraris, verb. *Sollicitatio,* n. 74.)

« Circa quam dispositionem pontificiam, adverte 1°, quod hoc arbitrium (attenta dispositione Gregorianæ constitutionis) non conceditur omnibus, sed solum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus congregationis S. Officii, et generalibus inquisitoribus, r propterea cæteri inferiores processum com pilantes non habeant hujusmodi arbitrium Nec vicarii generales igitur, nec etiam ep scopi possunt judicare ex testibus singul ribus, etiam concurrentibus adminiculis, et

« Adverte 2°, quod non potest forma prædictum arbitrium et judicium, nisi testi singulares sint talis qualitatis, et admini la, indicia et præsumptiones sint talis con ditionis, ut conjunctim habeant tantam vi quod moveant et urgeant judicem ad jud candum, delictum esse commissum, si que reddant delictum moraliter evidens quia arbitrium et judicium debet esse regi latum secundum rationem.

« Adverte 3°, quod testes singulares quo quot sint, non sufficiunt, nisi concurra adminicula, indicia et præsumptiones ; qu pontifex concedit facultatem judicandi del ctum esse probatum per testes singulares, co currentibus indiciis, adminiculis et aliis pr sumptionibus cum quibus vult conjungi u stes singulares. Necessarium igitur erit, qu conjunctim concurrant adminicula, indicia aliæ præsumptiones.

« Adverte 4°, quod licet pontifex conceda cum qualitas delicti, utpote difficilis probatio nis, sic exigat, uti probationibus minus legiti mis, non tamen vult, quod eæ sint imperfecti in suo genere.

« Quapropter circa qualitatem testium, pr hoc delicto sollicitationis probando, non sun admittendæ meretrices, nec aliæ femell viles, et fide non dignæ, sed tantum hone stæ, quibus par est ut habeatur fides. » (S citat. Delbene, *De offic. S. Inquisit.* part. I dub. 237, sect. 14, petitio 1, n. 1 et seqq. apu Ferraris, ubi supra, edit. Migne. Parisiis.

4. « Una tamen femina, quantumvis hone sta, non facit sufficientem probationem a capturam, et torturam, etiamsi concurrant al indicia; nam tunc est consulenda sacra congr gatio. (Sic expresse rescripsit eadem sacra su prema et universalis Inquisitionis cong die 17 Julii 1627, ut refert Pignatelli t. I, consult. 104, apud Ferraris, verb. *Co fessarius,* art. 5, n. 65.) — Ex littera S. cong S. Officii 14 Julii 1753 monendus dicit vicarius generalis, ipsi tantum jus esse d putandi alios pro recipiendis denuntiati nibus et spontaneis ubi de sollicitatione ag tur; ubi vero agitur de aliis in peculiarib casibus ad sacr. congr. esse confugiendum

a qua continuo facultas ei conceditur. Ex alia S. Officii instructione 7 Julii 1725, possunt delegari sacerdotes confessarii, ad recipiendas denuntiationes in materiis ad S. Officium spectantibus, absque notario, et specialiter in materia sollicitationis. (Vide eas instructiones apud Barbosam, *De offic. et potest. parochi*, cum *Additamentis* P. Giraldi, Romæ 1774, p. 193 seqq.) Satis expediens est, ut delegetur, seu mittatur confessarius, ut recipiat in scriptis, et cum juramento denuntiationem juxta decretum Inquisitionis Roman. jussu Urbani VIII, 27 Sept. 1624; et *Confessarius* hanc denuntiationem sic in scriptis et cum juramento receptam cito referet illi qui sibi auctoritatem recipiendi eam dedit.

5. Confessarii vero nequeunt omnino sese propria auctoritate ingerere ad recipiendas denuntiationes. « Imo cautissime procedere debent confessarii circa imponendam pœnitentibus obligationem denuntiandi antequam eos absolvant, ut recte monent Lezana in summa qq. Regul. cap. 10, n. 34, Peyrin. in *Privileg. Minim.* t. I, const. 5, n. 26, et alii passim, ipsos confessarios serio monentes ut, antequam pœnitentes obligent ad denuntiandos confessarios, diligentissime attendant qualitates et conditiones, cum pœnitentium, tum confessariorum, et mature examinent naturam et sensum verborum, et significatum signorum, nutuum, tractuum, et hujusmodi prætensæ sollicitationis, et ubi ex ipsis non appareat certa sollicitatio, seu de se cognoscere nequeant, an vera in his intercesserit sollicitatio denuntianda, remittant ad alios confessarios in his materiis instructiores et expertiores; cum non semel a non satis instructis confessariis immerito fuerint obligati pœnitentes ad denuntiandos innocentes confessarios cum maximo detrimento suæ famæ, et gravissima sua injusta afflictione et pœna. Eo vel maxime quod, ut docent Bordonus... et alii, in dubio sollicitationis non sit onus denuntiandi. » (Ferrar. verb. *Confessarius*, art. 5, n. 57.)

Multi doctores dicunt : « In dubio sollicitationis non est onus denuntiandi, cum in dubiis ex una parte quisque suam possideat libertatem, meliorque sit conditio possidentis. (C. *Ad aures* 6, *De præscript.*; c. *Quod autem*, *De jure patronat.* etc.) Et ex alia parte favendum sit reo. (Arg. cap. *Sunt. De regul. juris* in 6.) Et promptiora sint jura ad absolvendum, quam ad condemnandum. « (C. *Ex litteris* 3, *De probationibus* cum similibus.) Tum quia « in re dubia benigniorem interpretationem sequi non minus justius est, quam tutius. » (Leg. *Ea quæ* 192, ff. *De reg. juris;* et cap. *In obscuris* 30, *De reg. jur.* in 6, ibi : *In obscuris minimum est sequendum*, cum similibus. — Ferrar. *ibid.* n. 36.)

« Advertunt hic Viva, Tamb. et Ronc. in praxi non expedire quod confessarius assumat in se hoc onus deferendi denuntiationem vice pœnitentis, vel eam excipiendi, quia sic non paucis detractionibus et periculis exponeretur. Et tanto minus ad id tenetur.... Cæterum non negamus cum Viva loc. cit. et Tamb., quod in aliquo casu (puta si alicubi publicum immineret damnum, nec alia pateret via ad illud vitandum), posset confessarius obligari ex lege charitatis ad hujusmodi onus suscipiendum; sed hoc raro accidit. » S. Liguor. lib. VI, tract. IV, c. 3, *Dissert. de conf. sollicit.* n. 699.

6. » In casu vero, quo reperiatur, atque certo percipiatur intervenisse veram sollicitationem, nec possit pœnitens induci ad personaliter denuntiandum, ut sæpe accidit in verecundis nobilibus mulieribus, et ordinarie in monialibus ratione etiam clausuræ, servanda est expediens praxis juxta decretum sacr. congr. supremæ et universalis Inquisitionis, 27 Septemb. 1624 supra n. 3, allat. Quod si neque ad id possit talis verecunda pœnitens flecti, voluit pontifex Urbanus VIII, de cujus mandato editum fuit dictum decretum, quod ad sanctam sedem recurratur pro opportuno remedio; et interim non absolvatur utpote indisposita. Sic Carena, Viva, apud Ferraris, verb. *Confessarius*, art. 5, n. 58; et S. Liguorius, lib. VI, tract. VI, dissert. *De confess. sollicit.* n. 699, in fin., ubi addit : « aliquando S. S edem in casu magnæ verecundiæ et panici timoris rescripisse, dando facultatem confessario absolvendi pro ea vice pœnitentem circa onus denuntiandi. » Quod etiam confirmant citati auctores apud Ferrar.

Cæterum, ait Cozza, dub. 42, n. 259 seq., pag. 140 seq. « ad evitandam omnem excusationem denuntiandi, in præsenti casu præcipue, in supremo tribunali, sub die 13 Septembr. 1623, declaratum fuit ut quoties mulier nobilis et verecunda intra Urbem induci non potest ad denuntiandum, consulatur sacr. congr.: si vero extra Urbem, consulatur episcopus, vel inquisitor, qui,

si habent difficultatem, isti quoque consulant sacram congr.; sin minus, dent facultatem confessariis absolvendi pœnitentes quæ justis de causis denuntiare recusant, quæ tamen absolvi debent sub conditione, quatenus cessantibus causis teneantur denuntiare, atque interim non adeant amplius ad confessarium a quo fuerant sollicitatæ. Et ita in præsenti casu, quo quis timet notabile damnum ex denuntiatione, ut induci non possit ad denuntiandum, sequenda est praxis hujus decreti, nimirum, si intra Urbem, confessarius consulat sacr. congr. S. Officii ; si extra Urbem, episcopum consulat, vel inquisitorem respective, atque ab eis mandatum recipiat, quomodo se cum tali pœnitente gerere debeat : nec de suo capite hanc vel illam opinionem sequendo, ab obligatione denuntiandi eam eximere audeant ; nam in hac materia semper exspectandum est superiorum mandatum. Denique in eodem supremo tribunali sub die 11 Maii 1626, decretum fuit, ne episcopi, sive inquisitores sint valde solliciti et proclives in danda confessariis facultate absolvendi pœnitentes sollicitatas sine prævia denuntiatione, sed solum hæc faciant, dum adest magna causa excusans ab onere denuntiandi : semper tamen sub præfata conditione, ut cessante causa teneantur denuntiare. Ex quibus constat nunquam licere confessario eximere pœnitentes ab onere denuntiandi (intellige ubi adest certitudo sollicitationis), quacunque de causa, sed in omni casu difficili consulere tenetur superiores, exspectando eorum mandatum, suspensa interim pœnitenti sollicitato sacramentali absolutione. » (Apud Ferrar. verb. *Confessarius*, art. 5, n. 40 in nota.)

« Confessarii autem qui culpabiliter et malitiose non monent pœnitentes ab aliis sollicitatos de obligatione eos denuntiandi, seu docent ad id non teneri, denuntiandi sunt episcopis, vel inquisitoribus qui possunt, et debent illos punire pro modo culpæ. » Ita Diana... et alii passim, per clara verba Const. Gregor. XV citat.

X. Benedictus XIV in bulla *Ubi primum*, rigorose prohibet confessariis, ne exquirant a pœnitentibus nomen complicis peccati. Ibi enim maxime detestatur praxim illorum, *qui a pœnitentibus complicis nomen exquirunt, atque ad illud sibi revelandum, non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione prorsus adigerent atque compellerent.* Deinde Pontifex contravenientibus sequentes pœnas imponit, dicens : *Statuentes insuper... ut quicunque... ausus fuerit decere licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in relato nostro brevi... reprobatur, vel scribere aut loqui præsumpserit in ejusdem damnatæ praxis defensionem ; vel ea quæ in dicto brevi contra eamdem praxim decreta sunt impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari ; incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit... nisi a nobis absolvi.* Loquens autem de confessariis exquirentibus nomen complicis, *eidem pœnitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegandi*, dicit : *Noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum, aliisque etiam gravioribus pœnis fore subjiciendos.* Et inferius addit pontifex quod quicunque non ex sua confessione, sed aliunde aliquem noverit confessarium exquirentem nomen complicis cum denegatione absolutionis, tenetur illum intra solitum terminum denuntiare sub pœnis consuetis. Excipit tamen casum, quo confessarius ex simplicitate hoc faceret. — Itaque si quis cognoverit quemquam e confessariis deliquisse modis in Pontificio brevi expressis, obligatur ad illum denuntiandum S. Officio intra terminum triginta dierum; tunc solum cum circumstantiæ occurrunt, quæ indicent, aut justæ suspicioni præbeant, confessarium credere licitam hujusmodi interrogationem, quæ intrinsece illicita sit, nisi forte legitima aliqua causa interrogandi, de qua supra egimus, intercedat. Ad hoc etiam, ut denuntiatio facienda sit S. Officio, exigit pontifex, ut confessarius sacramentalem absolutionem pœnitenti denegarit. Exceptionem alteram nunc accipe. *Veruntamen*, subdit pontifex, *ab hujusmodi onere justis de causis eximi volumus, et eximimus personam ipsam pœnitentem duntaxat in causa propria, id est in casu, quo suum peccatum confitens, a confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen complicis in eodem peccato ; tunc enim pœnitentem hujusmodi ab obligatione eumdem confessarium denuntiandi liberamus. Sed quando aliunde quam ex propria, ut dictum est, confessione, noverit confessarium aliquo ex superius enumera-*

tis « et S. Officio *denuntiandis modis deliquisse ; tunc eum et ipse denuntiare ex ista aliunde habita notitia teneatur. »*

XI. Præceptum confessionis tum divinum, tum ecclesiasticum, obligat omnes fideles peccato mortali obnoxios, adeoque etiam hæreticos, et pueros doli capaces. (Communis.) Præceptum confessionis ecclesiasticum obligat omnes fideles, etiam hæreticos et pueros doli capaces ad semel saltem in anno confitenda omnia peccata sua mortalia. (Communis.) Et habetur expresse ex concilio Lateranensi sub Innocentio III, et relato in cap. *Omnis utriusque sexus* 12, *De pœnitentiis et remissionibus*, ibi : *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum.* Et definivit concilium Tridentinum, sess. 24, canon. 8, ibi : *Si quis dixerit confessionem peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem et traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles juxta magni concilii Lateranensis constitutionem semel in anno, et ob id suadendum esse Christifidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ, anathema sit.*

Parochi igitur curare tenentur ut pueri utriusque sexus, postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteantur. Debent pariter invigilare ut omnes eorum parochiani ejusdem confessionis præceptum adimpleant.

« Qui culpabiliter non confitetur semel in anno, vivens interdicitur ingressu ecclesiæ, et moriens privatur ecclesiastica sepultura. (Cit. cap. *Omnis utriusque sexus.*) Ipse tamen non adimplens præceptum annuæ confessionis non est ipso jure interdictus, sed interdicendus. Unde, si ante declarationem moriatur, non est privandus ecclesiastica sepultura, nisi tamen intermissio esset notoria, vel adesset statutum synodale in contrarium. » (Ferrar. verb. *Pœnitentiæ sacramentum*, art. 2, n. 168.)

XII. Parochus (canonice institutus) potest suorum parochianorum confessiones audire, etiam in aliena diœcesi sine approbatione episcopi illius diœcesis, quia in eos ordinariam habet jurisdictionem, et cum actus audiendi confessiones sit jurisdictionis voluntariæ, potest etiam in alieno territorio exerceri. (Glossa, in cap. *Novit, De offic. legati;* Fagnan. lib. v *Decretal.* in cap. *Ne pro dilatione* 16, *De pœnit. et remiss.* n. 10, cum aliis ibi citatis et alii communiter.) Et ita decisum fuit a sacr. congr. Concil. 3 Decembr. 1707, *in una Posnanien.*, quæ etiam, apud Barbosam, in Trident. sess. 23, cap. 13, n. 19, declaravit parochum provisum de parochiali per concursum « censeri approbatum ad audiendas confessiones duntaxat in ea civitate vel oppido, ubi sita est parochialis, non autem passim per totam diœcesim. Juxta tamen Benedictum XIV et alios, parochus canonice provisus de parochiali potest ex consuetudine, quæ jurisdictionem bene conferre valet, censeri approbatus idoneus minister ad audiendas confessiones in illa diœcesi, in qua parochialem obtinet; ideoque vocatus ab alio parocho ejusdem diœcesis, potest in ejus parochia confessiones audire. Ex eadem aut simili consuetudine parochi vicinarum parochiarum duarum confinium diœcesium possunt etiam censeri approbati et ab invicem vocari ad audiendos confessiones in suis respectivis parochiis.

XIII. Parochus, dimisso beneficio parochiali, non potest absque nova approbatione confessiones audire; facultas enim ad absolvendum est connexa cum assecutione parochiæ, adeoque, ista dimissa, facultas cessat, quia sicuti statim, ac consequitur beneficium parochiale, modo sit sacerdos, et non sit suspensus, consequitur etiam approbationem ad audiendas confessiones in sua parochia, ita statim dimissa parochia, desinit etiam approbatio et facultas. (Barbosa, in *Trident.* sess. 23, c. 15, n. 21; et *De offic. et potest. parochi*, cap. 19, n. 6, cum pluribus ibi citatis, et alii passim.)

CAPUT XI.

De SS. Eucharistiæ sacramento.

§ I. — De ecclesiæ munditia.

« Supellectilia sive clericorum, sive laicorum, in ecclesiis poni non debent, nisi necessitas urgeat, v. gr. hostiles incursus aut incendia repentina, et hujusmodi, sic tamen, ut necessitate cessante, res in loca pristina reportentur. (Textu expresso, cap. *Relinqui* 2, tit. 44 *De custodia Eucharistiæ.*

chrismatis et aliorum sacramentorum, lib. III *Decretal.*) Et sic prosequitur idem caput: *Præcipimus quoque, ut oratoria, vasa, corporalia, et vestimenta prædicta, munda et nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.* (*Vide* etiam rubricas *Missalis* et *Cæremoniale.*)

§ II. — De SS. Eucharistiæ custodia.

I. *Statuimus ut in cunctis ecclesiis chrisma et Eucharistia, sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur, ne possit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribiliu vel nefaria exercenda. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur; et si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni.* (Ita Innocentius III, in concilio generali, an. 1216 Romæ, cap. *Statuimus* 1, tit. XLIV, lib. III *Decret.*)

Eucharistia nunc omnino asservanda est in quolibet parochiali, quantumvis paupere; quod si reditus et societas non sufficiat, instituatur quæstor, vel eleemosynarum collector. (S. congr. Concil. 22 Martii 1594; et sacr. congr. Episc. et Regul. 14 Mart. 1614.) In ecclesiis regularium et monialium quorum monasteria sunt canonice erecta, asservari etiam potest SS. Eucharistia, sacr. congr. Concil. *in Ulissiponensi* 1585; et sacr. Rit. congr. *Marianen.* 16 April. 1644.

II. « Tenetur tam parochus, quam alii ecclesiarum rectores tabernaculi clavem, in quo sacratissima Eucharistia asservatur, semper penes se custodire. Quod si ob ejusdem clavis, ipsiusque tabernaculi male servatam custodiam, furtum aliquod vel sacrilegium circa Eucharistiam, pyxidem, ostensorium et similia unquam evenerit, suspendendi erunt ab ordinario tribus mensibus ab officio, juxta decretalem Innocentii III, editam in concilio generali Lateranensi, relatam in cap. *Statuimus, De custod. Euchar.*, aliisque pœnis plectendi ad formam epistolæ circularis congregationis Episc. et Regul., sub die 18 Januarii 1724, approbatæ ab Innocentio XIII. Quibus pœnis etiam plecti possunt ab eodem ordinario regulares, licet exempti, cumulative cum eorum superioribus. » (GIRALDI, *Additamenta ad* BARBOS. *De offic. parochi*, cap. 20, n. 27. — Item curare debet parochus ut lampas ante sanctissimum Eucharistiæ sacramentum d noctuque perpetuo ardeat. (*Vide* BARB *ibid.* n. 29.)

III. Tenetur curare parochus ut Euc ristia debitis temporibus renovetur; q renovatio facienda est a Græcis singu octo vel quindecim diebus. (Ex constit tione INNOCENT. IV, *Sub catholicæ*, 6 Ma 1254; et Clementis VIII *Sanctissimus*, Augusti 1595.) A Latinis vero quolibet tiduo, vel die Dominico, vel feria v. (decreto sacr. congr. Episc. *in Ravenna* 5 April. 1573, ex cap. *Permittimus* 57, *sent. excom.*; *ex Cæremonial. episc.* lib. cap. 6.)

IV. Tabernaculum SS. Sacramenti in thedralibus non debet esse in altari maj propter functiones pontificales, quæ fi versis renibus ad altare. In parochiali vero, et regularibus ecclesiis debet regu riter esse in altari majori tanquam digni (S. congr. Episc. *in Lucensi* 10 Febr. 1 et *in Casertana* 29 Novembr. 1594.)

V. Nihil omnino reponatur super tab naculum in quo SS. Eucharistia asserva et eliminanda est tanquam abusus cons tudo superimponendi sanctorum reliqu pictasque imagines tabernaculo, in augustissimum sacramentum asserva ita ut idem tabernaculum pro basi inser (S. Rit. congr. in decreto generali 31 Ma 1821.) Et hoc decretum valet etiam pro r quiis sanctæ crucis vel alterius instrum ti Dominicæ Passionis publice expo (Ead. S. R. C. 12 Mart. 1836 in *Trid* ad 1.)

VI. Ante ostium tabernaculi non repo tur reliquia alicujus sancti, et contraria suetudo etiam immemorialis declaratur usus. (S. Rit. congr. 6 Septembr. 1845.) que apponantur vasa florum, vel quid mile. (Ead sacr. Rit. congr. 22 Jan 1701.)

VII. SS. Eucharistia non asservetu altari mobili posito in media ecclesiæ n (S. Rit. congr. 14 Jun. 1845, *Urbis.*) M quotidie celebranda est in ecclesia in asservatur SS. Sacramentum. (Ead. s Rit. congr. 16 Mart. 1833 in *Firmana.*)

§ III. — Ubi SS. Sacramentum asservari ne

Extra parochiales ecclesias non conc tur retineri assidue Eucharistia. Sacr. co

Episc. 15 Januar. 1610; et sacr. congr. Concil. quæ refert Genuens. in Prax. cap. 110: cum ab ipsa peteretur :

Primo. « An episcopus possit concedere ecclesiæ non parochiali, ut in ea retineatur SS. Sacramentum Eucharistiæ solum pro adoratione, vel requiratur auctoritas papæ? Respondit : Id non posse concedi ab ordinario; sed requiri licentiam sedis apostolicæ. »

Secundo. « Præsupposito quod episcopus concesserit licentiam asservandi Sanctissimum in ecclesia non parochiali pro adoratione, an possit episcopus successor dictam licentiam revocare? — Respondit : « Hujusmodi licentiam fuisse nullam, et propterea ei non esse deferendum, nec esse necessariam revocationem. » Ideoque nequit parochus nec alius sacerdos, etiam de licentia episcopi, quæ semper est nulla absque indulto pontificio, consecrare SS. Eucharistiam ut asservetur in capellis et ecclesiis non parochialibus.

Eucharistiæ sacramentum in ecclesiis Tertiariarum, quæ professionem solemnem trium votorum non emittunt, nec in clausura vivunt, nullatenus teneri potest. (S. congr. Episc. et Regul. 20 Decembr. 1626.) Nec in piarum mulierum conservatoriis, nec in grangiis regularium. (S. congr. Concil. pluries.) Idem quoad ecclesias confraternitatum et hospitalium. Tandem declaravit Benedictus XIV in bulla *Quamvis justo*, 30 April. 1749, n. 24, jus retinendi Eucharistiam privative pertinere ad summum pontificem, *ut canonica*, ait, *docet disciplina, juxta quam Eucharistia in ecclesiis quæ parochiales non sunt retineri non potest absque apostolico indulto, vel consuetudine immemoriali* (seu centenaria, non vero quadragenaria, ut probat Petra) *quæ hujusmodi indulti præsumptionem inducit.* Advertit autem Petra, Comment. ad const. Urbani IV, n. 32, quod licet adsit immemorabilis consuetudo in aliqua ecclesia asservandi Sacramentum, ipsa tamen non suffragatur, si constet ab initio fuisse asservatum ex sola licentia ordinarii; possessio enim illa minime valet, cum proveniat ex titulo infecto; et ita decrevit S. C. Concilii *in Neapolitana* 28 Julii 1708. Insuper sciendum quod a sede apostolica hujusmodi licentia nunquam conceditur pro oratoriis privatis, et pro capellis ruralibus, nisi esset alicubi populi concursus, et distantia a parochia; ita Petra, n. 37 et 38. Qui demum advertit, jus retinendi claves tabernaculi privative spectare ad parochum seu capellanum; idque non permittendum monialibus, neque laicis, etiam in feria quinta Cœnæ Domini. (Sacr. congr. Rituum pluries.) Et hoc in omnibus ecclesiis tam sæcularibus, quam regularibus quomodocunque exemptis, non obstante consuetudine in contrarium. (Ead. sacr. congr. Rit. 15 Decembr. 1632.)

Non debet ordinarius permittere, ut ab ecclesiis sit ingressus, transitus, vel prospectus in privatas ædes, neque super ecclesias esse cameras, vel loca ad habitandum, dormiendum, vel deambulandum absque licentia sedis apostolicæ; alias debent interdici, donec hæ servitutes removeantur; ut sæpe decrevit sacr. congr. Episcop., præsertim 26 Julii 1613; 2 Octobr. 1626; 13 April. 1646; etc. Ideoque in hujusmodi ecclesiis, seu oratoriis nequit omnino asservari SS. Sacramentum.

§ IV. — De communione adultorum.

I. Tenetur parochus sanctam Eucharistiam ministrare, quoties ipsius subditi rationabiliter eam petunt. (Ita doctores unanimiter.)

II. « Non tenetur ipsam ministrare, imo non potest, si petatur in nocte Nativitatis Domini, non obstante quocunque privilegio; ex decreto sacr. congr. Rit., sub die 7 Decembris 1641; 9 Augusti 1653, et 20 Aprilis 1664 *in Pisaurien si* : quorum decretorum observantia etiam demandata fuit Romæ a sacr. congr. Visitationis apostolicæ, 7 Decembris 1703. Semper enim administrari debet diurno tempore, ab aurora videlicet usque ad meridiem. » (Giraldi, *Addit. ad* Barbosam, *De parocho*, c. 20, n. 15.)

III. « In Gallia autem viget generalis consuetudo, ut in nocte Natalis Domini fidelibus communio præbeatur. Cujus quidem consuetudinis legitimitas an concludenter defendi possit post tot sacr. congr. Rituum declarationes, quibus expresse etiam contrarius ille usus rejicitur, nuper a nonnullis disputatum est.

« Quæstionem ipsam hic omittentes, pauca duntaxat adnotabimus : *Primo* nempe, non videri præfatam consuetudinem, prout hodie in Gallia viget, ullos pravos effectus secum

trahere, sed e contra fidelium pietati non parum prodesse; ita ut etiam ejus suppressio non tantum mirationem, sed et scandalum apud multos excitaret... » Ita Bouix, *De parocho*, p. 575 et seq., ubi multum huic consuetudini favet, sed optat ut episcopi pro facultate retinendæ hujus consuetudinis ad sanctam sedem recurrant.

IV. « Decreto sacræ congr. Concilii 12 Febr. 1679, approbato ab Innocentio XI, cavetur ne communionem recipientibus tradantur plures particulæ consecratæ, neque grandiores, sed consuetæ. » (Id. *ibid.* p. 576.)

In die Parasceves et Sabbato sancto distribuenda non est Eucharistia nisi infirmis, ut censuit sacr. Rit. congr. die 10 Februar. 1622, ut ex consuetudine omnium ecclesiarum certum est. (Benedict. XIV, *De sacr. miss.* lib. III, c. 17, n. 14.)

V. « Omnes fideles adulti tenentur de præcepto divino sumere SS. Eucharistiam, non tantum in articulo mortis per modum Viatici, sed etiam ante illud periculum, et quidem sæpius in vita. (Sic communis.) Ex præcepto vero Ecclesiæ fideles post annos discretionis ad minus in Paschate quotannis sacramentum Eucharistiæ reverenter suscipere tenentur. Habetur expresse in cap. *Omnis utriusque sexus* 12, *De pœnit. et remiss.*, ubi Innocentius III in concilio generali Lateranensi sic præcipit :

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum : nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum : alioquin et vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, et moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, cum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus, et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias, et peccati : quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere consilium, et cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem : sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat : quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudendum.

Super quod caput notandum est : 1° Parochos teneri saltem semel in anno canonem *Omnis utriusque* promulgare, quod quidem fit Dominica Passionis in quibusdam Galliarum diœcesibus, et ab initio scilicet legitur usque ad hæc verba : *Velamen excusationis assumat.* 2° Hodie omnes posse sua peccata confiteri cuicunque sacerdoti approbato et jurisdictionem habenti ad audiendas confessiones.

VI. De sacra communione in Paschate idem declarando statuit Tridentinum sess. 13, canon. 9 : *Si quis negaverit omnes et singulos Christifideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.*

Ad satisfaciendum præcepto imposito in dicto c. *Omnis utriusque* et conc. Trident. sufficit Eucharistiam sumere in hebdomada sancta, vel infra octavam Paschæ Resurrectionis. Sic declaravit Eugenius IV, constitutione *Fide digna*, qua paschale tempus, intra cujus spatium satisfieri potest præcepto, definitum est, a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, nec licet episcopo, etiam in synodo, tempus illud latius prorogare. (Benedict. XIV, *De synod. diœces.* lib. VII, cap. 69, n. 9.) Potest tamen tempus paschale extendi in longius tempus ex episcopi, aut parochi dispensatione rationabili. (S. congr. Concil. 19 Novemb. 1616, et in citato cap. *Omnis utriusque*.)

VII. Eucharistia pro adimplendo præcepto paschali est sumenda in propria parochia. (Ita communis, et desumitur ex cit. can. *Omnis utriusque*, et pluries declaravit

sacr. congr. Concil.) Unde si quis communicaret in ecclesiis regularium aut etiam in cathedrali absque licentia ordinarii vel proprii parochi, infra tempus paschale animo satisfaciendi præcepto Ecclesiæ, non satisfaceret. (S. congr. Concil. et BENEDICT. XIV, *Instit. eccles.* 18, n. 12.) De licentia tamen parochi, in ecclesiis etiam regularium, suscipi valet Eucharistia. At nequeunt parochi dare licentiam *generalem*, ut quilibet parochianus in Paschate Eucharistiam suscipere in ecclesiis regularium queat. Debet hæc licentia esse specialis, ut decisum referunt Nicol. *Lucubrat. canon.* lib. III, tit. XXXVIII, n. 2; Romaguer...

VIII. Sacerdos satisfacit pro communione paschali ubicunque celebret missam; tamen si non celebret, tenetur communicare in parochia. Vagi, et peregrini, et advenæ possunt ubilibet præcepto paschali satisfacere, etiam in ecclesiis regularium. FERRARIS, verb. *Eucharistia* n. 14 et 15, et alii ibi citati, et ex constit. Jul. II *Dum ad sacrum.*)

IX. Regulares non possunt in die Pachatis administrare sæcularibus Eucharistiam; etsi tales personæ sæculares in alia die satisfecerint præcepto; sacr. congr. Concil. pluries. Cæteris vero paschalibus diebus id possunt citra ullam prohibitionem. (BENEDICT. XIV, *De syn. diœc.* lib. III, cap. 42, n. 3.)

Famuli et famulæ sæculares inservientes monasteriis regularium utriusque sexus, etiamsi habitent in atriis monasteriorum muro circumvallatis, tenentur communionem paschalem in ecclesia parochiali, intra cujus fines situm est monasterium, recipere, ut ex decreto sacr. congr. sæpius decisum est; neque enim habitationes illæ sunt intra septa ac domos monasteriorum, quod requiritur a Tridentino ut famuli eximantur a parœcia. (BENED. XIV, *Instit. eccles.* 55, n. 7 et 8.) Famuli autem, domestici, et continui commensales in monasteriis regularium degentes satisfaciunt præcepto paschali recipiendo Eucharistiam ab ipsis regularibus, ut tenent doctores, ex constitut. Julii II *Dum ad sacrum.*)

X. Qui culpabiliter non adimplet præceptum paschale, vivens interdicitur ab ingressu ecclesiæ, et moriens privatur ecclesiastica sepultura; textu expresso in cap. *Omnis utriusque;* ipse tamen, qui non confitetur, nec communicat in Paschate, non est ipso jure interdictus, sed interdicendus est per sententiam, unde si ante declarationem moriatur, non est privandus ecclesiastica sepultura, dummodo obierit cum signis contritionis (Sacr. congr. Episc. 24 Julii 1595), nisi tamen intermissio esset notoria (c. *A nobis* 28, *De sent. excom.*), vel adesset statutum synodale in contrarium. (S. congr. 16 Dec. 1696.) Qui tempore Pachatis Eucharistiam juxta præceptum Ecclesiæ non recipit, potest insuper pœna pecuniaria, vel excommunicationis mulctari, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ex rationabili causa communio ad tempus dilata fuerit, ut declaravit sacr. congr Concil. 28 Januarii 1687.

Qui præcepto paschali de Eucharistia sumenda non satisfecit tempore apto, etiam post illud tenetur, et cogi potest pœnis ad Eucharistiam sumendam. (BENEDICT. XIV, *Instit. eccles.* 45, n. 15.)

XI. Peccatori occulto publice Eucharistiam petenti non est deneganda, cum jus naturæ ad famam id expostulet. (ID. *De synod. diœces.* lib. VII, c. 12, n. 4.) — Occulte vero petenti, et noto sacerdoti aliunde quam ex confessione, tuto negatur. Si vero pariter aliunde et simul etiam ex confessione sciat, exprimere debet sacerdos se habere ejus peccati scientiam ex certo loco, non tamen nominato eo, a quo scit, si sub arcani naturalis sigillo id acceperit. Si vero noverit rem tantum ex confessione, perinde se gerat, ac si nesciverit, cum id exigat arctissimum confessionis sigillum. (ID. *Instit. eccles.* 89, n. 3.) Publicus peccator publice petens repellendus est. Publicus vero dicitur non ille tantummodo, qui talis declaratus est a judice, sed etiam qui per evidentiam facti, quæ nulla possit tergiversatione celari, talis habetur. (*Ibid.* n. 8; et *De sacrif. missæ*, lib. III, c. 20, n. 4.)

XII. Eucharistia potest præberi mutis et surdis a nativitate, præsertim tempore paschali, et in articulo mortis, dummodo aliunde non appareant indispositi. (Ita doctores passim.) Sic etiam præberi potest Eucharistia energumenis (hoc est adæmone obsessis), epilepticis, et aliis infirmis, non solum in Paschate, ac mortis articulo, sed etiam aliis temporibus, dummodo sacram Eucharistiam absque irreverentia sumere possint, et cæteroquin indispositi non ap-

. Concilii in decreto circa com-
quotidianam 12 Februar. 1679
robato ab Innocentio XI præ-
scopi et parochi seu confessa-
t... SS. Eucharistiam... nullo
endam in crumena, aut secreto
tes domi, vel cubantes in lecto,
m ad infirmos, qui ad illam sus-
ad ecclesiam seu oratoria acce-
valeant, et ad eos, si ab ecclesia
deferatur publice et cum pompa
nam Ritualis Romani; si vero ab
privilegiato, cum forma decenti.»
deferendo SS. Eucharistiam infirmis
liceum et stola sunt de præcepto,
traria consuetudo tolerari nequeat,
to sacr. Rit. congr. 16 Decembr.
que in nullo casu omitti possint,
quando longius aut difficilius iter
um aut etiam equitandum est, quia
hunc casum non excipiunt, uti vi-
test apud Gardellini, *decr. cit.* Super-
i et stolæ omissionem auctores dam-
aliqui venialis, alii communius morta-
culpæ; et infirmum potius absolvunt a
pto viatici, nec permittunt ut mini-
ur sine prædictis vestibus, quando ha-
non possunt. Aliqui tamen in neces-
is casu hoc permittunt.

elum humerale, umbellam, quæ ab uno
o post sacerdotem, aut baldachinum,
d a pluribus defertur præscribunt Ri-
le Romanum et alia ritualia. Campana
lsari debet distincto modo ad convocandum
rochianos seu confraternitatem. Campa-
ula præferri et jugiter pulsari debet.

V. Parocho reumate laboranti et sanctis-
mum sacramentum infirmis deferenti solet
ndulgeri usus pileoli in itinere, non tamen
tra civitatem, vel oppidum, de consensu
men episcopi. (S. Rit. congr. 6 Martii 1633
alibi.) Viaticum ob locorum distantiam,
ifficultatem itinerum, viarum asperitatem,
t a parocho deferri possit equitando S. R.
. indulget, juxta tamen arbitrium et pru-
entiam episcopi. (22 Januar. 1740 *in Lan-
ensi.*)

VI. Consuetudo Eucharistiam negandi
eis ad mortem damnatis, ubi invaluit,
eque probatur, neque refellitur, sed ubi
valuit contraria, utique retinenda est; ali-
uid tamen temporis interponendum est
iter communionem et mortem, quo spe-
ies Eucharisticæ consumentur. (Bened. XIV
De sacrif. missæ, lib. III, c. 20, n. 6, et *De
synod. diœc.* lib. V, c. 11, n. 3.)

§ VII. — De cultu SS. Eucharistiæ.

« Eucharistia iis tantummodo ritibus est colenda, quos non privata devotio, sed ecclesiastica auctoritas probaverit.» (Bened. XIV, constit. *Cum, ut recte*, n. 12 et 13.)

I. *De expositione publica et processione.*— Sacr. congr. inhærendo decretis sæpius per orbem terrarum promulgatis, diœcesis et civitatis Toletanæ clero tam sæculari quam regulari, monialibus, atque confraternitatibus, sacratissimum Eucharistiæ sacramentum publice exponere, nisi cum speciali ordinarii licentia non licere, et inobedientes pœnis et censuris coercendos esse declaravit 18 Decembr. 1647 *in Toletana.* Regulares non possunt publice exponere sacramentum Eucharistiæ sine licentia episcopi et ex causa publica ab eodem probata, ut sæpius respondit sacr. congr. Episcop... In ecclesiis confraternitatum non potest exponi sine expressa ordinarii licentia. (S. congr. Episc. et sacr. congr. Rit. sæpius.) Episcopus tamen id eis permittere debet juxta solitum, nisi quid relevans adsit in contrarium. (S. congr. Episc. 16 Martii 1646.) Neque sacramentum Eucharistiæ possunt exponere, sine licentia episcopi diœcesani, alii quomodocunque exempti, non habentes jurisdictionem in populum, ut declaravit sacr. congr. Episcop. 18 Maii 1696; apud Ferrar. verb. *Eucharistia*, n. 57 et seq. Sed regularibus et aliis non est necessaria licentia parochi, et sacr. Rit. congr. de hoc requisita, respondit: *Regularibus licentiam episcopi satis esse*, 9 Junii 1657, *Montis Regalis.*

Igitur nulli licet SS. Sacramentum publice exponere absque episcopi licentia; et a fortiori nulli licet SS. Eucharistiam in processione sive intra sive extra ecclesiam deferre sine ejusdem episcopi licentia; et hoc, quando permittitur, fieri debet cum pompa et omnibus adhibitis quæ a Rituali, Rubricis et Cæremoniali præscribuntur.

Omnes vero sive parochi, sive regulares, intra hebdomadam corporis Christi, inter missarum solemnia et ad vesperas, possunt publice exponere sanctissimum Sacramentum et etiam in processione deferre per suum proprium territorium, absque licentia ordinarii. (Arg. ex Trident. sess. 13, *De Euchar.* c. 5, et sacr. Rit. cong

pareant. (Communis.) Item præberi potest Eucharistia semifatuis, stolidis, phreneticis, amentibusque, si intervallum rationis habeant, dummodo non sit periculum vomitus, indecentiæ aut irreverentiæ. Non potest tamen præberi perpetuo amentibus. (Communis.) — (Ferraris, verb. Eucharistia, n. 31 et seq.)

§ V. — De puerorum communione.

I. Eucharistia potest præberi pueris novem aut decem annorum, si super mysteriis fidei et sacra communione sint plene instructi, et de reverentia debita non dubitetur. (Communis, cum S. Thoma in 4 dist. 9, quæst. 1, art. 5, quæst. 4; S. Carol. Borrom. *Act. eccles. Mediolan.* part. IV, instruct. *De sacr. comm.* t. I.)

II. Quoad Eucharistiam pueris administrandam recte admonet pontifex non eamdem desiderari ætatem in pueris in mortis articulo versantibus, quæ in iis, qui recte valent. In morituris judicio parochi permittendum est, qui diligenti examine investiget num tanta polleant perspicacia, ut Christum sub speciebus sacramentalibus firmiter credant et adorent. (Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. I, cap. 12, n. 3.)

III. Recte valentes potiri debent majori judicii firmitate, ut debita religione et reverentia ad sacramentum accedant; quæ plerumque firmitas advenire solet annum decimum inter et decimum quartum ætatis. *Ibid.* n. 2.

IV. De annis *discretionis* certa regula statui nequit, sed judicio confessoris et patris remittendum, an pueri discretionem habeant ad tantum sacramentum suscipiendum; Romaguer *ad const. synodal;* Gerunt. lib. V, tit. IX, cap. 7, n. 3, ubi quod in aliquibus diœcesibus anni duodecim dijudicantur discretionis ad hunc effectum ex constitutionibus synodalibus, suscipique debet Eucharistia in propria parochia. (Ferraris, v. *Eucharistia.* Addit. ex aliena manu, n. 113.)

V. Cum vero pro pueris ad annos discretionis perventis exsistat obligatio tam ex parte petentium, quam ex parte dispensantium (ex cap. *Omnis utriusque sexus*), non liberum est parocho denegare Eucharistiam puero quem aliunde capacem dijudicet.

§ VI. — De infirmorum communione.

I. Tenetur parochus, etiam cum vitæ suæ discrimine, per seipsum (si nullus alius adsit sacerdos, qui id præstet) sanctam Eucharistiam pesti aut alio morbo laborantibus ministrare. Ut adversus contrariam opinionem tenentes satis evincunt auctoritates a Benedicto XIV adductæ, lib. XIII, c. 13 *De synod.*

II. Tenetur ægrotus ex præcepto divino Eucharistiam sumere per modum Viatici, quando ex medicorum judicio est in periculo mortis constitutus, et hoc etiamsi non sit jejunus. (Communis, apud Ferrar. verb. *Eucharistia*, n. 34.) Extreme ægrotantibus, eodem periculo mortis diutius perseverante, potest et debet semel, iterum, tertio viaticum conferri, petente maxime ægroto; sed quoties et quantum temporis intercedere necesse sit inter unam et alteram communionem, nihil definiendum censet Benedict. XII, *De synod. diœc.* lib. VII, c. 12, n. 4 et 5. Nam de hoc disputant doctores; aliis nempe 30 dies assignantibus; aliis tres; aliis etiam insequenti die porrigi posse viaticum asserentibus.

Nedum tenetur parochus Eucharistiam per modum viatici infirmis ministrare, sed etiam aliis diuturna infirmitate laborantibus, licet non morti proximis, jejunis tamen, in solemnioribus anni festis diebus; iis potissimum qui sani eam frequenter sumere consueverunt et tanto refici sacramento optant et petunt.» (Giraldi, *additam. ad* Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, c. 20, n. 27, et communis.)

III. Eucharistia ad infirmos honorifice deferri debet; Trident. sess. 13, canon. 7: *Eucharistia ad infirmos, ubi vis Turcarum prævaleat et iniquitas, est deferenda a sacerdote stolam semper habente propriis cooperiam vestibus, in sacculo, seu bursa pyxide recondita, per funiculos collo appensa, ab uno saltem fideli in defectu clerici associato. In aliis vero locis, ubi tanta non adsunt infidelium, seu hæreticorum pericula, præcipitur, quod sacerdos indutus superpelliceo, stolaque utrique humero circumsepta et præcedente uno saltem lumine, hymnos et psalmos submissa voce recitans in sacra pyxide, vel in calice mundo velamine cooperto ambabus manibus illud ante pectus tenens devote deferat.* (Benedict. XIV, *Bull.* t. I constit. 89, *Demandatam*, n. 23.)

Sacr. congr. Concilii in decreto circa communionem quotidianam 12 Februar. 1679 expresse approbato ab Innocentio XI præcipit ut «episcopi et parochi seu confessarii... doceant... SS. Eucharistiam... nullo modo deferendam in crumena, aut secreto ad exsistentes domi, vel cubantes in lecto, præterquam ad infirmos, qui ad illam suscipiendam ad ecclesiam seu oratoria accedere non valeant, et ad eos, si ab ecclesia deferatur, *deferatur publice et cum pompa* juxta formam Ritualis Romani; si vero ab oratorio privilegiato, cum forma decenti.»

IV. In deferendo SS. Eucharistiam infirmis superpelliceum et stola sunt de præcepto, ita ut contraria consuetudo tolerari nequeat, ex decreto sacr. Rit. congr. 16 Decembr. 1826, utque in nullo casu omitti possint, neque quando longius aut difficilius iter obeundum aut etiam equitandum est, quia rubricæ hunc casum non excipiunt, uti videri potest apud Gardellini, *decr. cit.* Superpellicei et stolæ omissionem auctores damnant, aliqui venialis, alii communius mortalis culpæ; et infirmum potius absolvunt a præcepto viatici, nec permittunt ut ministretur sine prædictis vestibus, quando haberi non possunt. Aliqui tamen in necessitatis casu hoc permittunt.

Velum humerale, umbellam, quæ ab uno retro post sacerdotem, aut baldachinum, quod a pluribus defertur præscribunt Rituale Romanum et alia ritualia. Campana pulsari debet distincto modo ad convocandum parochianos seu confraternitatem. Campanula præferri et jugiter pulsari debet.

V. Parocho reumate laboranti et sanctissimum sacramentum infirmis deferenti solet indulgeri usus pileoli in itinere, non tamen intra civitatem, vel oppidum, de consensu tamen episcopi. (S. Rit. congr. 6 Martii 1633 et alibi.) Viaticum ob locorum distantiam, difficultatem itinerum, viarum asperitatem, ut a parocho deferri possit equitando S. R. C. indulget, juxta tamen arbitrium et prudentiam episcopi. (22 Januar. 1740 *in Landensi.*)

VI. Consuetudo Eucharistiam negandi reis ad mortem damnatis, ubi invaluit, neque probatur, neque refellitur, sed ubi invaluit contraria, utique retinenda est; aliquid tamen temporis interponendum est inter communionem et mortem, quo species Eucharisticæ consumentur. (Bened. XIV *De sacrif. missæ*, lib. III, c. 20, n. 6, et *De synod. diœc.* lib. V, c. 11, n. 3.)

§ VII. — De cultu SS. Eucharistiæ.

«Eucharistia iis tantummodo ritibus est colenda, quos non privata devotio, sed ecclesiastica auctoritas probaverit.» (Bened. XIV, constit. *Cum, ut recte*, n. 12 et 13.)

I. *De expositione publica et processione.*— Sacr. congr. inhærendo decretis sæpius per orbem terrarum promulgatis, diœcesis et civitatis Toletanæ clero tam sæculari quam regulari, monialibus, atque confraternitatibus, sacratissimum Eucharistiæ sacramentum publice exponere, nisi cum speciali ordinarii licentia non licere, et inobedientes pœnis et censuris coercendos esse declaravit 18 Decembr. 1647 *in Toletana.* Regulares non possunt publice exponere sacramentum Eucharistiæ sine licentia episcopi et ex causa publica ab eodem probata, ut sæpius respondit sacr. congr. Episcop... In ecclesiis confraternitatum non potest exponi sine expressa ordinarii licentia. (S. congr. Episc. et sacr. congr. Rit. sæpius.) Episcopus tamen id eis permittere debet juxta solitum, nisi quid relevans adsit in contrarium. (S. congr. Episc. 16 Martii 1646.) Neque sacramentum Eucharistiæ possunt exponere, sine licentia episcopi diœcesani, alii quomodocunque exempti, non habentes jurisdictionem in populum, ut declaravit sacr. congr. Episcop. 18 Maii 1696; apud Ferrar. verb. *Eucharistia*, n. 57 et seq. Sed regularibus et aliis non est necessaria licentia parochi, et sacr. Rit. congr. de hoc requisita, respondit: *Regularibus licentiam episcopi satis esse*, 9 Junii 1657, *Montis Regalis.*

Igitur nulli licet SS. Sacramentum publice exponere absque episcopi licentia; et a fortiori nulli licet SS. Eucharistiam in processione sive intra sive extra ecclesiam deferre sine ejusdem episcopi licentia; et hoc, quando permittitur, fieri debet cum pompa et omnibus adhibitis quæ a Rituali, Rubricis et Cæremoniali præscribuntur.

Omnes vero sive parochi, sive regulares, intra hebdomadam corporis Christi, inter missarum solemnia et ad vesperas, possunt publice exponere sanctissimum Sacramentum et etiam in processione deferre per suum proprium territorium, absque licentia ordinarii. (Arg. ex Trident. sess. 13, *De Euchar.* c. 5, et sacr. Rit. congr. pluries, et

præsertim 20 April. 1641 *Smyrnensis.*) Quo ordine, quibus et quomodo deferendum sit SS. Sacramentum in processione, vide in Cæremoniali, Rubricis et apud cæremonistas.

II. *De expositione privata.* — Licet parochis et etiam regularibus, SS. Eucharistiam, servatis servandis, pro particularibus et ad eorum petitionem, exponere. « Pro personis autem particularibus exponitur in ostiolo tabernaculi, aut in pyxide velata, cum luminibus et assistentia. » (S. congr. Episc. 7 Sept. 1678.) « Ex causa autem privata SS. Eucharistiam exponere possunt regulares, dummodo SS. Sacramentum e tabernaculo non extrahatur et velatum remaneat, ita ut ipsa hostia videri non possit. (Fagnan. in cap. *Grave* 19, *De offic. ordin.* n. 77, ex sacr. congr. Episcop. pluries; et sacr. congr. Concil. 17 Aug. 1630; et sacr. Rit. congr. pluries et præsertim ut sequitur:

« Sacr. Rit. congr. mandavit servari decreta antiqua, scilicet non licere regularibus etiam in eorum propriis ecclesiis SS. Eucharistiæ sacramentum palam adorandum exponere, nisi ex causa publica, quæ probata sit ab ordinario; ex causa vero privata licere, dummodo non extrahatur a tabernaculo et maneat velatum, ita ut ipsa sacra hostia videri non possit, nec non circa decentiam in exponendo standum esse definitioni et judicio ordinarii. » (31 Maii 1642 *in Savonen.*)

Non potest S. pyxis exponi in throno, sed semper remanere debet in tabernaculo. (S. Rit. congr. 22 Maii 1835.) « Ad privatam expositionem neque publica causa, neque facultas episcopi requiritur, sed causa privata, ut alicujus infirmitas, aut alia privata familiæ necessitas, desiderium alicujus viri religiosi, etc., et consensus præfecti ecclesiæ sufficiunt. (S. Rit. congr. 31 Maii 1642, et 10 Jul. 1688; Benedict. XIV, Instit. 30; Gardelin. in *Inst. Clément.* § 36, n. 2, 9 et 11.)

Iis qui privatam expositionem petunt, incumbit necessaria lumina et adoratores procurare.

§ VIII. — De missa et missarum oneribus.

I. Parochi tenentur conficere, semperque in loco magis patenti et obvio retinere tabellam onerum perpetuorum et temporalium missarum... et pariter in sacrario duos libros retinere, ac in eorum altero singula onera perpetua et temporalia: in altero autem missas manuales, etc., adnotare... Plura de missa et missarum oneribus, etc., *vide* supra lib. II. *De episcopis* cap. 16, § 3. *Vide* etiam supra, § 6, hujus capitis.

II. Nocte Natalis Domini ex decretis sacr. Rituum congregationis vetitum est sacerdotibus alias duas missas celebrare. (Bened. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, c. 18. n. 13.)

III. Tempus ordinarium celebrandi missam incipit ab aurora et terminatur in meridie, ut patet ex rubricis Missalis, tit. *De defectibus in ministerio*, et ex cap. *Necesse est*, et c. *Nocte sancta*, *De consecrat.* dist. 1. Nec potest amplius celebrari tempore vespertino; revocantur enim omnia privilegia a sancto Pio V, const. 4, *Sanctissimus.* — Nec post horam nonam, ex Innocentio IV, constit. 14, *Sub catholicæ.* Toleratur tamen anticipatio tertiæ horæ partis ante auroram, sicut et prorogatio tertiæ horæ partis post meridiem, ut ex edicto Benedicti XIII, ut ex Bened. XIV, *Instit. eccles.* 12, n. 4.

IV. Licitum est cuilibet sacerdoti rite disposito quotidie celebrare; ex cap. *Consuluisti*, *De celebratione missarum.* Excipiuntur tamen ultimi tres dies hebdomadæ sanctæ, in quibus ubique prohibentur missæ privatæ, non obstante quocunque privilegio et contraria consuetudine, ex decreto sacræ Rit. congr. et Clementis XI, 20 April. 1707, ac ejusdem tandem vivæ vocis oraculo 8 Augusti 1713.

V. Excepto die Nativitatis Domini et casu necessitatis, non licet eidem sacerdoti plures missas eodem die celebrare. Ex cap. *Sufficit*, dist. 1, *De consecrat.* et ex cap. *Te referente;* et cap. *Consuluisti*, *de celebrat. Missar.* ibi: *Excepto die Nativitatis Dominicæ, nisi necessitatis causa suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare.*

CAPUT XII.

De extremæ unctionis sacramento.

§ I. — De ministro extremæ unctionis.

Minister validus hujus sacramenti est solus et omnis sacerdos. (Ex Epist. sancti Jacobi. cap. v; et ex concil. Florentino in decreto unionis; et concil. Trident. sess. 14, c. 3, *De extrema unctione*, et ibidem canon 4.) Unde validum est hoc sacramentum, etiamsi conferatur a sacerdote excommuni-

cato, irregulari, degradato, etiam contradicente parocho, quia sicut retinet potestatem ordinis, ita et potestatem hujus sacramenti valide ministrandi; est communis teste Rosignol. *De extrema unctione*, quæst. 2, art. 2, n. 1 et 2.

I. Minister autem licitus hujus sacramenti est solus parochus, aut alius sacerdos de ejus vel episcopi licentia. (Est communis ac certa.)

II. Unde nec regulares possunt licite sine licentia parochi, vel episcopi, aut privilegio summi pontificis hoc ministrare, imo illud ministrando incurrunt excommunicationem papæ reservatam. (Clemen. I, *De privileg.*) In casu tamen necessitatis, quo non exstante parocho infirmus jam ageret animam, tunc regulares sine incursu ullius censuræ, imo et licite, sicuti et quicunque sacerdotes sæculares, possunt extremam unctionem ministrare ex præsumpto consensu episcopi, vel summi pontificis. (Ita communiter doctores, apud Ferrar. verb. *Extrema unctio*, n. 25 et seq.)

III. Parochus ex justitia obligatur hoc sacramentum subditis ministrare; ut proinde mortaliter peccet, si petenti sine justa excusatione neget, vel differat cum probabili periculo ne interim infirmus decedat. (Barbos. *De offic. parochi*, c. 22, n. 10.) Parochus illud sacramentum ministrare tenetur cum propriæ vitæ periculo, ægrotis v. gr. peste laborantibus, juxta saniorem partem doctorum, cui adhæret Benedict. XIV, *De synod. diœc.* lib. XIII, c. 19, n. 8 et seq. contra aliquos negantes.

§ II. — De subjecto extremæ unctionis.

Subjectum capax hujus sacramenti est solus homo baptizatus, rationis capax et in periculo probabili mortis constitutus, ex morbo, vulnere, partu, et senectute, et morsu rabido. (Communis.)

I. Ideoque dari potest et debet extrema unctio pueris usum rationis habentibus; moribundis sensibus destitutis, licet communionem non possint recipere, si ante petierint aut Christiane vixerint; phreneticis et delirantibus; non tamen perpetuo amentibus; communis: datur senibus, qui senectute conficiuntur absque alia infirmitate.

II. Non potest dari sacramentum iis, qui sine aliqua infirmitate versantur in periculo mortis, ut præliaturi, in naufragio constituti, morte plectendi, mulieres partui periculoso vicinæ et hujusmodi, quia, licet de eorum morte timeatur, non sunt tamen infirmi, quibus solum est administranda extrema unctio.

III. Extrema unctio iterum conferri potest, si infirmus, postquam revaluisse videbatur, in periculum mortis recidat. (Communis.)

Super hæc omnia, vide Barbosam, *De parocho*, c. 22; Benedict. XIV, *De synod. diœc.*, lib. VII, c. 21; et lib. XIII, c. 19; Ferrar., verb. *Extrema unctio*, etc., etc.

§ III. — De oleo consecrato.

I. Quod non sit licitum uti oleo benedicto præcedentis anni, postquam novum fuerit consecratum, declaravit sacr. congr. Rit., 7 Decembr. 1601. Licitum tamen esse in urgenti necessitate declaravit sacr. congr. Episcop., 20 Maii 1590. Tenetur parochus singulis annis sanctum oleum noviter consecratum ab episcopo suo recipere, nec potest ab alieno episcopo illud sibi comparare. (Benedict. XIV instit. 81, n. 2.) Post Sabbatum in albis comburi debet vetus, nec ultra licet eo uti, nisi ubi deesset novum.

II. Si intra annum contigerit consecratum oleum non sufficere, potest ipsi addi oleum non consecratum, quoties necesse fuerit, modo quod additur sit minoris quantitatis consecrato quoties hæc fit additio. Ita declaratum fuit a sacra congregatione S. Officii, 2 Martii 1679, et 23 Septembr. 1682

III. Oleum infirmorum asservari debet in ecclesia tantum, nisi episcopus concesserit alicui illud tenere domi ob distantiam domicilii. (*Act. eccles. Mediolan.* Concil. prov. III.) Et eo casu domi in fenestella panno serico vestita intus, et sub clavi teneri debet. (*Ibid.* Concil. prov. IV.) Sacculus pro includendo oleo infirmorum debet esse violaceus, cum chordulis, ut de collo pendens ad ægrotos deferri possit. (*Ibid.* Concil. prov. III; Gavant., *Manuale episcop.*, verb. *Olea sacra.*)

IV. Materia proxima hujus sacramenti est unctio certarum partium corporis ac saltem quinque sensuum; vel si mutilati sint, vicinarum partium, facta a sacerdote: non simpliciter necessario contactu immediato manus; nam peste grassante potest uti virga oblonga oleo tincta, quam postea com-

burat. Sed extra hunc necessitatis casum, ministrare extremam unctionem, mediante argentea virgula, est in re notabili contra universalem consuetudinem Ecclesiæ. In Rituali Romano sic legitur : *Deinde intincto pollice in oleo sancto in modum crucis ungit infirmum :* ex quibus oritur obligatio, remota necessitatis causa, sectandi præscriptam ibi methodum, ita ut qui secus agit peccati reatum incurrat. (Benedict. XIV, *De synod. diœc.*, lib. III, c. 19 ; apud Ferrar., verb. *Extrema unctio*, n. 20, 21 et nota Rom. theol.)

Quidam etiam doctores putant, unam tantum unctionem esse de essentia sacramenti ; ideoque in periculo pestis et simili necessitate, sufficere unum tantum organum magis obvium, vel potius caput, quod in eo sensus maxime vigeant, ungere. Sententia vero communior et tutior affirmat unctionem quinque sensuum esse *quasi de necessitate sacramenti.* Quapropter in casu necessitatis, poterit adhiberi sub conditione una unctio in aliquo sensu (et consultius in capite). Tunc autem dicit Tournel. sufficere quod dicatur : *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti per sensus ;* ut habetur in Rituali Parisiensi. Sed alii tutius requirunt, ut exprimantur quinque sensus ; et melius erit, sic dicere : *Per istam sacram unctionem*, etc... *indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum*, præmittendo verbum *deliquisti* quia, si *deliquisti* proferatur in fine et interim æger moriatur, nullum est sacramentum. Si autem æger supervivat, merito ait Croix n. 2121, repetendas esse unctiones in singulis sensibus, addendo orationes omissas. Præscribit autem Rituale Romanum : *Si dubitet* (sacerdos) *an vivat... unctionem prosequatur sub conditione... dicens : Si vivis, per istam*, etc. Ita S. Liguor. lib. VI, tract. V, n. 710, et multi ibi citati ; et Ferraris, verb. *Extrema unctio*, n. 18, ubi unicæ unctionis hanc formam dat : *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, gressum et lumborum delectationem. Amen.*

§ IV. — De infirmorum visitatione et agonizantium assistentia.

Adnotat Leurenius parochum 1° teneri, ubi necesse est, ad visitandos infirmos accedere, eosque opportunis remediis juvare ; habendo in promptu argumenta ad animum consolandum, excitandumque ad res divinas et æternas congrua. 2° Magnum et necessarium esse ministerium, majoremque incumbere obligationem assistendo ægro incipienti agonizare, et ferendi opem opportunam in eo periculoso momento. Non tamen teneri parochum sub mortali assistere infirmo qui sacramenta recepit, censet Barbosa..... Quod si tamen infirmus fuerit impœnitens, tenetur ei assistere usque ad reductionem. (Leuren, *Forum beneficiale*, part. I, quæst. 428.)

« Parochus in primis meminisse debet non postremas esse muneris sui partes ægrotantium curam habere. Quare cum primum noverit quempiam ex fidelibus curæ suæ commissis ægrotare, non exspectabit ut ad eum vocetur, sed ultro ad illum accedat, idque non semel tantum, sed sæpius, quatenus opus fuerit... » (Ita *Rituale Romanum*, tit. *De visitatione et cura infirmorum;* quem titulum legere et meditari parochi debent, utpote ipsis obligationes præscribentem.)

Praxis est Romæ et in cæteris status pontificii diœcesibus, ut infirmus in extremis constitutus, *nullo diei noctisve tempore*, parochi (vel, ipso impedito, alterius ad id deputati presbyteri) auxilio et præsentia destituatur. (D. Bouix, *De parocho*, p. 595.)

CAPUT XIII.

De matrimonii sacramento.

§ I. — De matrimoniis assistendi potestate.

1. « Matrimonium coram parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi, seu ordinarii licentia, et duobus, vel tribus testibus celebrari debet : » quæ verba sunt Trident. *De reform. matrim.*, sess. 24, c. 1, ubi additur : « Qui aliter... matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annulat. »

Parochus per se assistere matrimonio tenetur, nisi legitima gravissimaque de causa impeditus sit. (Bened. XIV, const. 90, tom. I. Bullar. *Nimiam licentiam.*) Nomine parochi non solum veniunt ipsi parochi, sed etiam papa in toto orbe, legati a latere, et nuntii in suis provinciis, cardinales in suis titulis, episcopi et vicarii generales,

in suis diœcesibus, archiepiscopi, dum actu visitant diœceses suffraganeorum et dum ad eos fit appellatio contra episcopum suffraganeum nolentem aliquos matrimonialiter conjungi, vicarius capitularis sede vacante, abbates ecclesiarum nulli episcopo subjectarum, et omnes sacerdotes sive sæculares, sive regulares a supradictis respective delegati. (Communis cum Barbosa super *Trident.*, sess. 24, *De reform. matrim.*, c. 1 ; et lib. II, *De offic. et potest. episcop.*, allegat. 33.) Vice curati, seu vicarii parochi non solum possunt valide assistere matrimonio, sed etiam concedere alii sacerdoti licentiam assistendi matrimoniis, non tantum absentibus, sed etiam præsentibus parochis, propterea quod sunt ipsi ad universitatem causarum destinati. (Ita Perez, *De matrim.*, disput. 40, sect. 6, cap. 5 ; et Hurtad., *De matrim.*, disput. 5, diffic. 10, n. 34 et seqq., ubi hanc etiam affert rationem, quod dare licentiam matrimoniis assistendi, non sit subdelegare jurisdictionem.) Sufficit parochus alterutrius sponsi. (Communis.) Sic enim declarasse sacram congregationem Concilii referunt Sanchez, lib. III, disput. 19, n. 4 ; Fagnan., lib. I *Decret.*, cap. *Quoniam*, *De constitut.*, n. 5, et alii.)—Quinimo non solum valide, sed etiam licite de jure potest proprius parochus alterutrius sponsi assistere matrimonio privatim, et absque solemnitate publica celebrato in aliena parochia. (Ita plures apud Ferrar., verb. *Matrimonium*, art. 6 ; Addit. Casinenses, n. 65.) — Proprius parochus valide et licite assistit matrimonio, etiamsi nondum sit sacerdos. (Sic declaravit sacr. congr. Concil. in *Abulensi*, 12 Mart. 1593.) Si episcopus generatim interdicat parocho, vel parochi vicario, ne matrimoniis assistant, vel tantum alicui matrimonio, adhuc tamen matrimonium valere eorum præsentia definivit sacr. congr. Concilii, et firmat Benedictus XIV, *De synod. diœc.*, lib. VII, cap. 68, n. 11. Item pariter judicandum est, si vel parochus, vel ejus vicarius prohibiti ab episcopo, nolentes et inviti assistere coguntur. (Id., *ibid.*, lib. XIII, cap. 23, n. 1.) Ex eodem decreto sacr. congr. Concil. quia a concilio Tridentino assistentiæ facultatem tenent jure proprio, et eam tollere nequit episcopus. Si vero interdictum illud venerit a pontifice cum decreto irritante, tunc utique non valere conjugium, cum pontifex jure suo possit impedimenta constituere. Nisi tamen adsit huic interdicto decretum irritans, matrimonium valet ; cum impedimentum istud impediens, non irritans censendum sit. (Id., *ibid.*, lib. VII, c. 68, n. 3.)

Parochus coram quo celebrari potest matrimonium est parochus domicilii, non originis, ut ex consensu auctorum et sensu sacr. congr. constat. Quare si quis habeat duo domicilia in duplici parœcia, in alterutrò matrimonio jungi potest : attamen ad habendum duplex domicilium requiritur ut in utraque æqualem moraliter habitationem habeat. Parochus ruralis, quo quis pergit ad rusticandum, non est aptus matrimonio illius, qui ibi moratur causa recreationis et ad rusticana negotia, ita enim perpetuo censuit sacra congregatio. — Nullum est matrimonium ejus, qui e loco propriæ habitationis, non tamen deserto ibi domicilio, pergit ad alium locum animo se conjungendi in matrimonium, non adepto novo domicilio, seu quasi domicilio. Ita ex sensu perpetuo sacr. congr. — Vagorum parochus quoad matrimonium, est parochus loci ubi tunc versantur, ut ex sensu plurium theologorum. — Diligenter tamen distinguendi sunt vagi a peregrinis. Vagi sunt enim illi qui relicto proprio domicilio, aliud quæsituri vagantur; peregrini vero, qui, non relicto domicilio, peregrinantur alicubi. (Hucusque Benedict. XIV, *Institut. eccles.* 33, n. 6, 7, 8, 10.)

II. *Domicilium.* — Parochianus alicujus parochiæ ut quis efficiatur et domicilium acquirat, sufficit solum habitationis principium cum animo non redeundi, nec requiritur, quod illibi pro majori anni parte habitaverit ; secus vero, si de animo manendi nullibi constet. (Rota recentior. part. IV, decis. 629, n. 3 et 9, part. XI, decis. 348 et sæpius ; Barbosa, *De offic. et potest. parochi*, part. II, cap. 2, n. 35 et seqq. cum pluribus ibi citatis.)

Quasidomicilium acquiritur per satis diuturnam habitationem, etiam cum animo redeundi. Sic scholares, judices, medici, etc., qui alicubi conducti habitant, in loco ejusdem habitationis contrahunt quasidomicilium, si ibi permaneant aliquo idoneo tempore. (Benedict. XIV, *Instit. eccles.* 33, n. 11.) Parochus quasidomicilii est proprius parochus quoad matrimonium. (S. congr.

Concil. apud Barbosam, in *Summa apostolicar. decis.*, verb. *Matrimonium*, n. 18; et *De offic. parochi*, c. 21, n. 28.) Imo parochus valide assistit matrimonio, etiamsi ipsi ea intentione et animo, ut citius et liberius in ejus parochia copulentur, e proprio domicilio discedant, sicque aliquam quasi fraudem et dolum committant, dummodo vero et non ficto animo illud deserant et ad illud brevi redire revera non intendant. In tali enim casu non patrocinatur illis fraus, sed conditio parochiani, quam licite acquirunt. Cardin. De Luca, *De matrim.* disc. 1, n. 9 et seqq., dicens sæpe esse declaratum a sacr. congr. Concil. talem fraudulentiam non obstare mutationi domicilii, nec invalidare matrimonium. Idem docet Fagnanus, lib. III *Decretalium*, cap. *Significavit* 5, *De parochis*, n. 36 et seqq., ubi affert ad rem plures sacr. congr. Concil. casus, et signanter de quodam viro et muliere Trajectensi, qui timentes impedimentum a parentibus, ad vicinam urbem Aquisgranensem se contulerunt et ibi aliquandiu morati, matrimonium contraxerunt, et sacr. congr. Concil. respondit, « quod si Aquisgrani manserunt saltem per tempus unius mensis, danda est decisio pro validitate, alias de novo referendum in congregatione. » Ex quibus, dicit Fagnanus, non videtur dubitandum quominus validum sit matrimonium contractum coram parocho habitationis post quartum habitationis mensem, et in hanc sententiam sacr. congr. respondit. Hæc ex Fagnano, loc. cit., a n. 36 ad 39, et pro validitate matrimonii contracti in civitate, ad quam data opera se contulerunt conjuges, respondit sacr. congr. *in Cesanatens.*, 20 Febr. et *in Firmana*, 24 April. 1723. Unde efficitur parochianus illius parochiæ, qui ad habitandum in ea se contulit ad evitanda impedimenta, quæ parentes suo matrimonio præbere intendunt. (Rota, part. XV, decis. 60, n. 28.)

III. Parochi autem quamvis vagorum matrimoniis valide assistant sine præcedenti inquisitione de eorum statu libero et habilitate ad contrahendum, tamen non possunt licite assistere, nisi prævia diligenti inquisitione et obtenta ordinarii licentia, ne forte sint alibi conjugati, aut habeant occultum impedimentum. (Sic expresse statuit *Conc. Trident.* sess. 24 *De reform matrim.* cap. 7, ibi : *Multi sunt qui vagantur.. Parochis autem præcipit, ne illorum matrimoniis intersint, nisi primo diligentem inquisitionem fecerint, et re ad ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Unde parochi, qui sine diligenti inquisitione præmissa et licentia ab ordinario obtenta assistunt matrimoniis vagorum, etiamsi unus tantum esset vagus, peccant mortaliter, et possunt graviter ab ordinariis puniri, quia in re gravissima agunt contra tam urgens et expressum præceptum ecclesiasticum Tridentini concilii. (Communis ; apud Ferrar. verb. *Matrimonium*, art. 6, n. 88.)

IV. Matrimonium contractum ab eo, qui est carceratus ad custodiam, vel ad correctionem, coram parocho carcerum, nullum est. Si vero contraheretur ab eo, qui esset damnatus ad carcerem in pœnam perpetuo, vel ad tempus, tunc esset validum, quia in hoc secundo casu, carceratus acquirit domicilium, ut declaravit sacr. congr. Concil. 26 Martii 1707.

V. Matrimonium contractum coram capellano hospitalis nullum est. Matrimonium puellarum expositarum degentium in conservatoriis, seu hospitalibus, non potest contrahi coram rectoribus, seu capellanis eorumdem locorum, sed coram proprio parocho, in cujus sita sunt prædicta loca.

VI. Matrimonium contractum a puella educanda ad crates monasterii coram testibus et parocho ecclesiæ parochialis, intra cujus limites situm est monasterium, validum est, etiamsi parochus fuerit alio prætextu vocatus, nisi aliud obstet. — Matrimonia contracta coram capellanis exercitus a militibus degentibus in castris et stationibus hibernis, vel æstivis, aut in expeditione etiam cum militaribus feminis sine licentia ordinarii loci, vel sine speciali facultate sedis apostolicæ, nulla sunt. (Hæc per omnia ex decretis sacr. congr. Concil. apud Ferrar. verb. *Matrimonium*, art. 6. n. 90 et seq.)

VII. Parochus valide assistit matrimonio, quamvis sit putativus ; item quamvis habeat suam collationem nullam ob nullitatem concursus propter defectum examinatorum synodalium ; item, quamvis sit irregularis, suspensus, interdictus et excommunicatus etiam vitandus, dummodo possessionem beneficii adhuc retineat, et non sit actualiter depositus, quia talis adhuc est, et manet vere parochus, adeoque, etc. Ita ex pluribus decretis sacr. congregationis

concilii et DD. apud Ferraris, *ibid.* n. 83 et seq.

VIII. « Quod si quis parochus vel alius sacerdos, sive regularis, sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere autumet, alterius parochiæ sponsos sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tandiu suspensus maneat, quandiu ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur.» (*Trident.* sess. 24, c. 1, *De reform. matrim.*

Nequit parochus quidquam pro benedictione nuptiali exigere. Si quid tamen sponte offeratur, potest legitime recipere. Atque illa spontanea oblatio ad parochum pertinet, etiamsi alium deputaverit ad impertiendam nuptialem benedictionem. (Barbosa, *De parocho*, c. 21, n. 99 et 103.)

§ II. — De assistentia parochi et testium.

I. Ad valorem matrimonii ultra præsentiam parochi aut delegati ab eo, vel ordinario, requiruntur et sufficiunt duo testes. (Communis; textu expresso *Trident.* sess. 24, *De reform. matrim.* cap. 1.) Ad valorem matrimonii sufficiunt quicunque testes rationis capaces, et ea quæ de jure naturæ requiruntur habentes. Sic sufficiunt etiam impuberes, consanguinei, domestici, religiosi, feminæ, excommunicati, infames, infideles, hæretici et alii etiam de jure positivo ad testimonium ferendum inhabiles. Concilium enim Trident. *loc. cit.* duos vel tres testes simpliciter et sine ullius peculiaris qualitatis mentione ad valorem matrimonii requirit, adeoque est communis.. Sed ad valorem matrimonii non sufficit præcise præsentia physica et corporea nec successiva parochi et testium, sed requiritur earum præsentia simultanea, moralis, rationalis et humana, ita ut intelligant sponsos de præsenti contrahere matrimonium. (Communis; arg. concil. Trident. ibidem : ***Eorum muto consensu intellecto, et præsente parocho et testibus.*** Et sic expresse declaravit sacr. congr. Concil. quod si parochus et testes nihil eorum quæ agebantur viderunt neque audierunt, tale matrimonium sic contractum non esse validum.

II. Præsentia parochi et testium sufficit ad valorem matrimonii, quamvis ob aliam causam sint vocati, dolose et fraudulenter illuc adducti, inviti et coacti, etiamsi cum protestatione et contradictione ibidem exsistant, dummodo tamen ad illum actum adhibeantur et intelligant, seu percipiant contrahentium consensum. (Sic pluries declarasse sacr. congr. Concil. refert Sanchez, Gouet, Croix.) — Præsentia parochi et testium adhuc sufficit ad valorem matrimonii, etiamsi ipsi nihil eorum quæ agebantur viderint et intellexerint, si affectarunt non intelligere, obturando aures suas, ne audirent. (Sic pro valore declarasse sacr. congr. Concil. refert Fagnan. lib. I *Decret.* cap. *Quoniam, De constitution.* n. 25; et lib. V, c. *Quæsitum est, De pœnit. et remiss.* n. 7.)

III. Præsentia parochi et testium non requiritur in locis ubi conc. Trident. non est promulgatum. Colligitur ex ipsomet concilio, loc. cit. ubi expresse disponit decretum suum in aliquo loco, seu parochia, non tenere, nisi ibidem fuerit promulgatum, ibi. *Decernit insuper ut hujusmodi decretum* in unaquaque parochia suum robur post triginta dies habere incipiat a die primæ publicationis in eadem parochia factæ enumerandos. Et explicite declaravit sacr. congr. Concil., ubi decretum Tridentinum sess. 24, cap. 1, *De reform. matrim.* non est publicatum, valere matrimonia contracta absque observatione formæ a concilio præscriptæ apud Bosco, p. 5, disput. 11, sect. 9, conclus. 4. — Matrimonium contractum sine præsentia parochi et testium ab incolis loci, seu provinciæ, ubi fuit promulgatum, sed non receptum Tridentinum quoad disposita *De matrimonio clandestino*, est validum. (Communis et certa.) Item validum est matrimonium contractum sine præsentia parochi et testium ab eo qui e loco promulgati et recepti concilii pergit ad locum ubi promulgatum aut receptum non est, et ibi cum incola illius loci contrahit; secus vero e contra, si e loco non promulgati concilii pergat ad locum in quo est promulgatum, et ibi contrahat sine præsentia parochi et testium; semper enim habenda est ratio loci, ubi matrimonium per verba de præsenti contrahitur. » (Communissima, et sic declarasse sacr. congr. Concil. referunt Uvarrius.. et Pignatelli.)

Item, in tempore persecutionis ab hæreticis, vel schismaticis aut infidelibus concitata, fideles possunt matrimonium valide et licite contrahere coram duobus testibus saltem, absque præsentia parochi vel mis-

sionarii aut alterius sacerdotis, quando accessus sacerdotis non est possibilis, vel etiam nec tutus nec facilis ; hocque procedit etiam in regionibus in quibus receptum fuit concilium Tridentinum. (Ex declarationibus sacr. congr. Concilii, 27 Mart. 1632 et 30 Mart. 1669, relatæ ex integro infra, lib. VIII *De laicis*, cap. 5.)

IV. Si ambo sponsi e loco publicati et recepti concilii transferant realiter suam habitationem ad locum ubi non est publicatum, quamvis eo solo animo, ut absque parocho et testibus contrahant, validum est eorum matrimonium ; secus vero, si illuc se transferant cum tali fine, et habitationem realiter non mutent ; seu, retento suo domicilio in loco publicati concilii, transeant per locum ubi non est publicatum, et ibi contrahant. Sic quoad omnes tres partes respondit sacr. congr. Concil., 5 Sept. 1626, quæ responsio fuit confirmata ab Urbano VIII in brevi *Exponi nobis fecit*, 14 Augusti 1627.

V. Valida sunt matrimonia, quæ catholici, v. gr. mercatores, aut peregrini contrahunt sine præsentia parochi aut testium in locis infidelibus, ut in regno Turcarum, Persarum, et hujusmodi, aut in locis hæreticis, ubi nunquam fuit publicatum concilium Trident., ut in Saxonia, Prussia, Suessia, Anglia, Scotia, Dania, Pomerania, et aliis partibus septentrionalibus, quæ jam ante Tridentinum a vera fide defecerant. (Communis ; et sic declarasse sacram congr. Concil. refert Bosco, ubi supra.)

In locis autem hæreticis promulgati concil. Trident., si parochus aut episcopus, vel alius sacerdos ab ipsis deputatus haberi non potest, ad valorem matrimonii requiruntur nihilominus duo testes, quia isti facile haberi possunt. (Sic declaravit sacr. congr. Concil. episcopo Tricaricensi, 19 Januar. 1605.

VI. « Hæretici quoque, in locis ubi publicatum est concilium Tridentinum, tenentur observare formam indictam ab ipso pro contrahendis matrimoniis, unde, si sine præsentia parochi et testium ibi contrahant, eorum matrimonia sunt nulla. Sic respondit sacr. congr. Concil. pluries. (Hucusque Ferrar. verb. *Matrimonium*, art. 6, n. 106 et seqq.) Ideoque in Galliis matrimonia hæreticorum, qui ad Ecclesiam convertuntur, revalidanda sunt, et proles, si adsit, legitimanda est, ex eo quod defuerit præsentia parochi.

§ III. — De bannis seu denuntiationibus.

I. Denuntiationes matrimoniales sunt proclamationes, seu notificationes publicæ de matrimonio duorum inter se contrahendo, in ecclesia coram populo congregato faciendæ, ad hoc, ut, si quis aliquod dirimens aut impediens impedimentum inter contrahere volentes sciat, possit adhuc in tempore manifestare. Est in re communis ; arg. cap. *Cum inhibitio* 3, *De clandestina desponsat.* ; et Trident. sess. 24, *De reform. matrim.* cap. 1 : Ex quibus capitibus graves pœnæ infliguntur omittentibus culpabiliter tales denuntiationes, ultra quod sic omittentes tam sponsi quam parochi mortaliter peccant. Prima pœna ex cap. *Cum inhibitio*, quod si sine denuntiationibus cum impedimento dirimente contrahunt, proles procreatæ sint illegitimæ, etiamsi dicant se impedimentum ignorasse. Secunda pœna est, quod eis adempta sit spes impetrandæ dispensationis super tali impedimento. (*Trident.* sess. 24, c. 1.) Tertia pœna est, quod præsumentibus contrahere matrimonium, omissis etiam in gradu permisse denuntiationibus, condigna pœnitentia injungatur cap. *Cum inhibitio*. Et sacr. congr. Concil. censuit debere his taliter contrahentibus imponi pœnam interdicti ab ingressu ecclesiæ, et nullo modo ab illo, *nisi* publica pœnitentia peracta, esse absolvendos.

II. Pœna determinata in jure contra parochos præsumentes interesse matrimoniis, omissis denuntiationibus, vel contemnentes prohibere similia clandestina matrimonia, est ferendæ sententiæ suspensio ab officio per triennium ; et etiam gravior pœna arbitrio judicis inferenda, si culpæ qualitas exegerit. Cit. cap. *Cum inhibitio*. Et ab hac suspensione toto eo triennio parochus absolvi ab episcopo nequit, ut ex Sanchez firmatur in tract. *De synodo diœces.* a Benedict. XIV, lib. VII, cap. 69, n. 2. — Contra testes dolose talibus clandestinis matrimoniis præsentiam præstantes, licet nulla determinata pœna sit a jure imposita, possunt tamen ab ordinariis pœna arbitraria etiam pecuniaria locis piis applicanda puniri, ut tenent multi, et decravit sacr. congr. Concil., 10 Februar. 1629. Et eadem sacr. congr.,

28 Januar. 1690, respondit quod episcopus contra eos, qui parochum dolose compulsum adesse curarent, et matrimonium sine denuntiationibus contrahere præsumerent, potuisset in synodo, in subsidium pœnæ pecuniariæ (si ista esset inexigibilis), imponere etiam pœnam excommunicationis.

III. Denuntiationes debent fieri tribus diebus festivis continuis inter missarum solemnia. (Textu expresso in *Conc. Trident.* sess. 24, *De reform. matrim.* c. 1.) Tres dies festivi non debent sibi immediate succedere, uti succedunt festa Paschalia, Pentecostalia et Natalitia, sed inter unam et alteram denuntiationem unus saltem vel duo dies interponi debent. Parochus non peccat mortaliter, si uno vel altero die festo omittat denuntiationes, dummodo inter unam et alteram multos dies festos non interponat; nam si multos dies festos interponeret, peccaret mortaliter, quia faceret contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi. (Ita Reginald., Sanchez, Barbosa, apud Ferrar. verb. *Matrimonium*, art. 4. n. 1 et seqq.)

IV. Qui intra duos menses post denuntiationes factas matrimonium non contraxit, non potest illud inire, nisi aliæ denuntiationes, vel saltem una, aut duæ arbitrio episcopi repetantur, et sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. referunt Bellam., et Farinac., et præscribitur in Rituali Romano.

V. Denuntiationes non possunt fieri diebus ferialibus, etiam cum dispensatione episcopi. (Sacr. congr. Concil.) Possunt tamen fieri in die pro festo, et quando ingens multitudo ad ecclesiam accedit, ut contingere solet in concionibus, processionibus, litaniis, cum concilii fini hoc modo satisfiat ratione magni populi concursus: qui autem satisfacit fini et intentioni legis, satisfacit legi ipsi. (Arg. cap. *Humanæ aures* 11, causa 24, quæst. 5.) Imo denuntiationes valide fieri possunt etiam extra ecclesiam et missarum solemnia, si magnus adsit populi concursus et locus aptus sit, ut ad multorum notitiam perveniat. (Sic doctores propter eamdem rationem.) Ex justa causa possunt etiam fieri diebus festivis dum cantantur Vesperæ (Sacr. congr. Concil. *in Avenionen.*, 25 Octobr. 1586. Possunt fieri in missa parochiali, vel conventuali, in illa ecclesia quæ est simul parochialis et collegiata, arbitrio parochi, dummodo adsit concursus populi. (Sacr. congr. Concil., 1 Junii 1724.)

VI. Denuntiationes faciendæ sunt a proprio contrahentium parocho, vel ab alio substituto ab ipso parocho, textu expresso Trident, loc. cit. Vicarius generalis non potest impedire, ne parochus faciat matrimonii denuntiationes, absque sua licentia. (S. congr. Concil., 27 Maii 1627.)

VII. Si sponsi sint ex diversis parochiis, debent fieri denuntiationes in utraque parochia. (Rituale Rom. et sacr. congr. Concil.) Si contrahentes plura habuerint domicilia, seu plures parochias, debent fieri denuntiationes in parochia, in qua actu habitant cum animo vero ibi permanendi. Ab aliis autem parochiis in quibus habitarunt in ætate capaci contrahendi matrimonium, vel canonica impedimenta ad ipsum, debent referre suum proprium statum liberum legalitate illius parochiæ, et diœcesis ordinarii munitum, et exaratum ad normam instructionis a suprema et universali inquisitione, editæ 2 Aug. 1670, et a Clemente X confirmatæ in sua constitutione *Cum alias*, seu etiam ad normam litteræ encyclicæ a sacra congr. S. Officii directæ omnibus ordinariis sub die 1 Octobr. 1699.

VIII. Denuntiationes matrimonii contrahendi inter exteros non sunt faciendæ a parocho sine licentia ordinarii. Sacr. congr. Episc. 30 Dec 1692 et sacr. congreg. S. Officii in dicta instructione n. 7.)

IX. Ex justa causa potest ordinarius remittere denuntiationes matrimoniales. (*Trident.* sess. 24, *De reform. matrim.* c. 1.) Tales denuntiationes possunt remittere, vicarius generalis absque ulla speciali commissione, vicarius capitularis, sede vacante, et omnes alii prælati ecclesiastici, seu abbates jurisdictionem quasi episcopalem sine ulla subjectione ad aliquem diœcesanum obtinentes. (Ita doctores et sacra congreg. Concil.)

X. Episcopus, et quilibet alius ordinarius, in cujus diœcesi celebrandum est matrimonium, potest cum utroque sponso dispensare, licet unus sit alterius diœcesis, dummodo saltem ordinarius alterius contrahentis testetur in sua diœcesi nullum subesse impedimentum; remissio enim ordinarii, in cujus diœcesi matrimonium est contrahendum, nunquam sufficit, nisi ordinarius alterius contrahentis, vel ipse etiam remittat, vel saltem testetur, in sua diœcesi nullum subesse impedimentum, ut censuit sacra congr. Concil. Archiepiscopus non po-

test remittere denuntiationes matrimoniales in diœcesibus suorum suffraganeorum, nisi quando coram eo pendet his in gradu appellationis super facto matrimonii, vel ex gravamine non remittendi ex causa justa denuntiationes, et in exsecutione suæ sententiæ... Episcopus, seu alius ordinarius potest alteri delegare facultatem dispensandi in denuntiationibus; vicarius vero generalis non potest nisi in unam vel alteram causam delegare.

XI. Ad hoc, ut episcopus et quilibet alius ordinarius licite dispenset in denuntiationibus, requiritur justa et rationabilis causa. Unde ordinarius, remittendo dictas denuntiationes sine justa et rationabili causa, peccaret mortaliter, quia ageret contra legem in materia gravi. Non tamen necesse est ut ordinarius hujusmodi causas cognoscat judicialiter, sed sufficit ut ex informationibus extrajudicialiter habitis sibi videatur justam dispensandi causam adesse. Causæ vero dispensationis justæ sunt bonum commune et particulare subditorum, vel avertendum periculum incurrendi notabile damnum in bonis animæ, famæ, et corporis, aut fortunæ; et quando moraliter certum est nullum adesse impedimentum aut aliud obstaculum, quia causa, ob quam fuerunt ordinatæ denuntiationes, ea fuit, ut impedimenta detegantur; si ergo moraliter certum est nullum adesse impedimentum, poterit in denuntiationibus dispensari. (Ita plurimi doctores.)

Episcopus, seu alius ordinarius, licet propter multas causas possit in denuntiationibus matrimonialibus dispensare, non tamen tenetur dispensare semper propter omnes; fere communis contra plures volentes quod ordinarius semper teneatur dispensare, quoties intervenit aliqua justa causa dispensandi.

XII. Tenetur autem ordinarius sub mortali dispensare in denuntiationibus, quoties dispensatio servit pro bono communi, et quoties conducit ad acquirendum notabile bonum privati, vel ad evitandum periculum incurrendi notabile damnum in bonis animæ, famæ et corporis, aut fortunæ. (Communis.) In prædictis casibus, in quibus tenetur ordinarius dispensare, potest ab eo appellari, et quoad effectum devolutivum et quoad effectum suspensivum, quia ille, cum quo est dispensandum, habet actionem ex præcepto legis, ut secum dispenset. In casibus vero, in quibus adest justa causa dispensandi, et non stricta et rigorosa obligatio dispensandi, tunc si ordinarius nolit dispensare, poterit ab injusta denegatione appellari ad effectum solum devolutivum, non autem suspensivum, et eo casu superior tenebitur vel dispensare, vel cogere inferiorem, ut dispenset. (Ita multi doctores.)

XIII. In casibus in quibus necessaria est dispensatio, vel pro legitimanda prole, ut si morti proximus velit cum concubina contrahere, vel ad evitandum periculum infamiæ, aliaque gravia imminentia scandala, et mala, et ordinarius adiri non posset pro dispensatione, seu injuste, et indebite dispensationem denegasset, et periculum esset in mora, tunc parochus posset sine denuntiationibus matrimonio assistere, non quidem dispensando, sed declarando eas non obligare in similibus casibus urgentibus, quia necessitas nullam legem cognoscit. (C. *Consilium* 2, *De observatione jejuniorum.*) Ita multi... et sic contractum fuisse quoddam matrimonium censuit sacr. congr. Concil. *in una Mediolanensi*, die 23 Febr. 1630.

XIV. Episcopus seu ordinarius non potest ratione hujusmodi remissionis denuntiationum, ac dispensationis, præcise imponere aliquam pecuniariam multam. (Communis.) Et ratio est quia concilium Tridentinum concedit quidem dispensandi facultatem, non tamen concedit ut possit ordinarius obligationem legis in aliam materiam commutare. Imo sess. 25, cap. 18, præcipit dispensationes gratis fieri debere. Et taxa Innocentiana prohibet quidquam exigere pro quocunque actu ad matrimonium spectante, nisi quod cancellarius possit exigere mercedem ad defatigationem Scripturarum proportionatam, quæ tamen pro toto non excedat scutum Romanum, id est in Gallia hodie circiter quinque aut sex francos. Quæ sint justæ causæ dispensandi in denuntiationibus, et quæ sint obligationes iis qui sciunt impedimenta, ea denuntiandi, vide apud theologos.

XV. Denuntiationes matrimoniales possunt fieri eo tempore quo nuptiæ prohibentur. (S. congr. Episcop. 18 Decembr. 1589.)

§ IV. — De tempore matrimonii celebrandi.

I. Diebus, quibus interdicuntur matrimonia, non quidem absolute illa vetantur, præcisa consuetudine, sed solemnitas tantummodo et pompa nuptiarum, ut ex cap. *Ca-*

pellanus, De fer., monent theologi, et notatur *Instit. eccles.* 70, n. 5; Bened. XIV.

II. Nomine vero solemnitatis nuptiarum censentur et quidem potissimum, benedictiones in missali Romano expressæ. Vetantur vero illæ sub peccato gravi, ut ex Sanchez, aliisque notatur. (*Institut. eccles.* 89, n. 7.) Quare, cum temporibus feriatis permittit episcopus nuptias celebrari, nunquam licet benedictiones illas conferre. (*Ibid.* n. 2.) Imo et tota missa pro sponso et sponsa omittenda est, cum benedictiones illæ pars ejusdem habeantur. Tunc igitur celebranda est missa de tempore. (*Ibid.* n. 11.) Ideo vero requiritur facultas episcopi ad celebrandum matrimonia diebus feriatis (quamquam illa sint de se licita), quia in synodis, ex consuetudine introducta, vetita illa habentur, quare requiritur ut episcopi facultas intercedat. (*Ibid.* n. 4.) Semel tamen inita matrimonia diebus feriatis consummari possunt, ut ex sensu theologorum statuitur. (*Ibid.* n. 17 et 18.) Quare licita est traductio sponsæ ad domum viri, ut ex sacr. congr. firmatur. (*Ibid.* n. 21.)

§ V. — De matrimoniorum libro.

Tenetur parochus contracta matrimonia accurate describere in libro ad id destinato; quod præcipit Trident. sess. 24 *De reform. matr.* c. 1, his verbis: *Habeat parochus librum, in quo conjugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat.* Quod Tridentinum præceptum obligare sub gravi tenent doctores communiter. (Barbosa, *De offic. parochi*, part. I lib. VII, c. 8.)

§ VI. — De loco celebrandi matrimonii.

« Quanquam non cadat sub præcepto, quod ipsum matrimonium contrahatur in ecclesia, tamen ipsa benedictio contrahentium a parochis facienda est in ecclesia. Cum enim sacr. congr. Concil. propositum fuerit hoc dubium (*In una Bitinoriensi*): An benedictio contrahentium matrimonia possit a parocho fieri extra ecclesiam, seu potius præcise sit facienda in ecclesia? sacr. congr., die 17 April. 1649, respondit faciendam esse in ecclesia. » (Giraldi, *Additamenta ad Barbosam, De officio parochi* c. 21, n. 23.)

§ VII. — De matrimonii impedimentis.

Datur in Ecclesia Dei potestas constituendi impedimenta, sive impedientia, sive etiam dirimentia matrimonii. (Communis inter catholicos.) Atque definitum contra modernos hæreticos in concilio Trident. sess. 24, canon. 3 et 4; et colligitur ex cap. *Tum* 3, *De ordine cognationum;* cap. *Ex litteris* 1, *De consanguinit. et affin.;* cap. *Multorum* 10, causa 35, quæst. 6. Nulla vero potestas civilis, utpote non habens in sacramentis potestatem, potest constituere impedimenta matrimonii. (Communis.) Et eruitur ex damnata contraria sententia ab Ecclesia et conc. Trident. sess. 24, can. 3 et 4 etc.; bulla Pii VI *Auctorem fidei*, et in suo brevi 11 Julii 1780 *Ad episcopum Agria.*, et Bened. XIV, in suo brevi *Ad Hollandiæ Catholicos;* et Pii VII, Propositionibus ad episcopum Varsovien. directis an. 1808; et allocutione Pii IX 27 Septembr. 1852. — Vide *Cours de droit canon.* par l'abbé André, verb. *Mariage.*

Impedimenta matrimonii sunt duplicis generis, alia mere impedientia et alia dirimentia. *Impedimenta mere dirimentia* sunt illa quæ mere impediunt matrimonium contrahendum, sed non irritant jam contractum; unde quamvis matrimonium cum aliquo ex his impedimentis nequeat licite et absque peccato contrahi, potest tamen valide. — *Impedimenta dirimentia* sunt illa, quæ non solum impediunt, ne matrimonium contrahatur licite, sed etiam ne valide; unde matrimonium contractum cum aliquo ex his impedimentis est omnino nullum et irritum:

I. *Impedimenta mere impedientia*, spectato jure antiquo, sex fuerunt sequentibus versiculis communiter comprehensa.

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque catechismus, crimen, sponsalia, votum
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

Sed quatuor tantum hodie vigent impedimenta mere impedientia apte in hoc versiculo comprehensa:

Sacratum tempus, vetitum, sponsalia, votum.

1. *Ecclesiæ vetitum* est prohibitio Ecclesiæ, quæ fit a papa, ab episcopo, vel parocho ex justa causa ad certum tempus. (Argum. c. 1, 2 et 3 *De matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ;* et cap. fin. *De clandestinis despons.*

2. *Tempus feriatum*, quo prohibetur, non matrimonium, sed matrimonii solemnitas, scilicet benedictio nuptiarum solemnis, solemniora convivia et tripudia, etc. Hoc tem-

pus restrictum est a concil. Trident. sess. 24 *De reform. matr.* c. 10, ab Adventu usque ad diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque ad octavam Paschæ inclusive.

3. *Sponsalia*, quæ sunt mutua promissio futurarum nuptiarum. (C. *Nostrates* 3, causa 30, quæst. 5.) Quando sunt contracta cum una persona, impediunt matrimonium cum alia, nisi sint prius rite dissoluta. (Argum. cap. *Ex litteris* 2; cap. *Ad audientiam* 4, *De sponsalibus*; et cap. 1, *De pactis*, cum similibus.)

4. *Votum*, per quod in proposito intelligitur votum simplex castitatis, seu votum simplex ingrediendæ religionis, assumendi ordinem sacrum, non ineundi conjugium, quæ vota impediunt matrimonium contrahendum, sed non dirimunt jam contractum. (C. *Consuluit* 4; c. *Rursus* 6, *Qui clerici, vel voventes*; c. unic. *De voto* in 6.)

5. Si contracturi sint filii familias, antequam ad denuntiationes deveniat, parochus debet eos monere, ut parentibus rationabiliter invitis non contrahant; quia parentum dissensus, etsi non reddat matrimonium invalidum (c. Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. VII. c. 37), si tamen sit rationabilis, illud reddit illicitum; ita ut tunc absque gravi peccato iniri nequeat; secus si parentes irrationabiliter matrimonio adversentur. (Giraldi, *Additam. ad Barbos. De offic. parochi*, c. 21, n. 1.)

6. Ad denuntiationes faciendas non debet devenire parochus, nisi sponsos repererit Christianæ religionis rudimentis sufficienter instructos; ita ut saltem orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum apostolicum et præcepta Decalogi calleant. Quibus notionibus si destituuntur, matrimonii celebrationem differre debet ad tempus, donec ea didicerint. Ita tenendum et contrariam nonnullorum theologorum sententiam esse prorsus rejiciendam, vide probatum a Benedict. XIV, *De synod. diœc.* lib. VII, c. 29. Notandum tamen cum laudato pontifice posse quem sufficienter scire præcipua fidei mysteria, quin tamen dictas formulas memoriter recitare valeat.

II. *Impedimenta dirimentia*, quamvis jure antiquo fuerint tantum duodecim, tamen hodierno jure sunt quatuordecim cum duo de novo sint adjecta a concilio Tridentino, scilicet *absentia* parochi et duorum testium. (sess. 24, c. 1); et *raptus* (*Ibid.* c. 6.) Quæ omnia impedimenta comprehenduntur sequentibus versiculis :

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas;
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si parochi, aut duplicis desit præsentia testis;
Raptaque sit mulier, nec parti reddita tutæ :
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

1. *Error* est quadruplex, scilicet personæ, fortunæ, conditionis et qualitatis. (Textu expresso c. *Quod autem*, causa 29, quæst. 1.) — Error personæ (quando hic putatur esse Virgilius et ipse est Plato), dirimit matrimonium, non solum jure positivo (ex cap. *Tua nos* 26, *De sponsalib.*, et cap. cit. *Quod autem*), sed etiam ex jure naturæ. — Error fortunæ aut qualitatis non dirimit matrimonium nisi certe limitaret consensum contrahentis. (Communis, argum. cap. *Cum in apostolica* 18, *De sponsalibus*, et cit. cap. *Quod autem*.)

II. *Conditio* quantum ad præsens, seu error conditionis est judicium, quo liber judicat personam, cum qua contrahit, esse liberam, cum non sit; conditio enim servilis est status personæ, quæ non est sui juris, ut in re communiter sentiunt doctores. Hinc error conditionis servilis dirimit et irritat matrimonium, quando liber credens contrahere cum libera, contrahit cum serva, et e contra textu expresso. c. *Ad nostram* 5, *De conjugio servorum*, et cap. *Si quis ingenuus* 4, causa 29, quæst. 2.)

Matrimonium vero contractum a persona libera cum servili prius cognita ut tali, est validum et licitum. (Communis, textu claro in cap. *Proposuit* 2; et c. *Ad nostram* 4, *De conjugio servorum*; c. *Si quis*, lib. II; c. *Si quis ingenuus* 4; c. *Si femina* 5, causa 29, quæst. 2.) Item validum est matrimonium contractum inter duas personas serviles, etiam invitis dominis. (Communis, textu expresso in cap. *Dignum est* 1, *De conjug. serv.*; cap. *Omnibus* 1, causa 29, quæst. 2.) Item validum est matrimonium contractum a persona serva cum alia pariter serva, quam tamen putabat liberam, et cui non nupsisset si conditionem ejus servilem cognovisset. (Sic S. Bonaventura, et S. Thomas, cum multis.) Item validum est contractum a persona libera sive serva cum alia libera, quam ex errore putat servam, quia exinde non deterioriatur ejus conditio. (Communis.)

III. *Votum*, quod, ut sit impedimentum dirimens, debet esse solemne castitatis, est illud quod fit in professione religionis appro-

batæ, vel in susceptione ordinis sacri. (Textu expresso c. unic. *De voto* in 6; (*De diacono* 1; c. *Ex litterarum tuarum tenore* 2, *Qui clerici, vel voventes;* c. *Si qui clericorum* 1, *De cleric. conjug.* cum similibus; et *Trident.* sess. 24, canon. 9.) — Adest tamen hæc differentia, quod votum solemne ordinis sacri est solum impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi; attamen non dirimit matrimonium prius jam contractum, quamvis nondum fuerit consummatum. (Communis; textu expresso, et definito a JOANNE XXII in extravag. *At quæ, De voto*) — Votum autem solemne professionis religiosæ non solum est impedimentum dirimens respectu matrimonii postea contrahendi, sed etiam dirimit jam contractum ratum, dummodo nondum fuerit consummatum. (Communis; textu expresso in cap. *Verum* 2, et cap. *Ex parte* 14, *De conversion. conjug.*, et est expresse definitum a Conc. Trident. sess. 24, *De reform. matr.* can. 6.)

IV et XI. *Cognatio* est triplex, naturalis, spiritualis et legalis. — Cognatio naturalis, seu carnalis, quæ consanguinitas dicitur, *est vinculum personarum ab eodem stipite, carnali propagatione descendentium, seu quarum una descendit ab altera.* — Stipes est illa persona, a qua aliæ personæ de quarum cognatione tractatur, carnali propagatione descendunt.

LINEA CONSANGUINITATIS est ordinata series talium personarum ab eodem stipite descendentium, gradus continens et numeros distinguens. Hæc linea est duplex, *linea recta*, et *linea transversalis* seu collateralis.

Linea recta est earum personarum, quarum una procedit ab altera; quæ, si fiat descendendo, v. gr. a patre ad filium, ac nepotes suos, dicitur *linea recta descendentium;* si autem fiat ascendendo, ut a filio ad patrem, a nepote ad avum, proavum, abavum, atavum, tritavum, et sic deinceps usque ad Adam, dicitur *linea recta ascendentium.*

Linea transversalis seu *collateralis* est earum personarum quarum una non procedit ab altera, licet omnes procedant ab eodem stipite : ut fratres consobrini et hujusmodi. Linea transversalis seu collateralis est duplex, *æqualis* et *inæqualis.* — Linea transversalis *æqualis* est habitudo inter personas ab eodem communi stipite æqualiter distantes, ut inter fratres et sorores, patrueles et consobrinas. — Linea transversalis *inæqualis*, est habitudo inter personas inæqualiter a communi stipite distantes, ut fratres et filii sororis.

Gradus consanguinitatis est ipsa distantia unius personæ ab altera in eadem linea consanguinitatis in ordine ad eumdem stipitem.

Ut facilius cognoscatur quot gradibus distent inter se consanguinei, tres regulæ communiter assignari solent:

Prima regula pro linea recta est hæc. Ascendentium et descendentium tot sunt gradus, quot sunt personæ de quibus quæritur, computatis intermediis, dempto stipite. — Hinc, si vis scire quantum distet *abavus* ab *Antonio stipite*, computato utroque, ac intermediis, inveniuntur quinque personæ; deme unum, nempe *Antonium stipitem*, quatuor remanent gradus, ut clarissime demonstrat parvum sequens

SCHEMA LINEÆ RECTÆ.

Lin. recta ascendentium.			Lin. recta descendentium.			Lin. recta ascendent.		Lin. rect. descendent.
4	Titius.			Abavus	8			
3	Caius.			Proavus	7		1	
2	Petrucius.			Avus	6		2	
1	Franciscus.			Pater	5		3	
	Antonius.			Stipes	4		4	
1	Franciscus			Filius	3		5	
2	Petrucius.			Nepos	2		6	
3	Caius.			Pronepos	1		7	
4	Titius.			Abnepos			8	

unde

Titius, Caius, Petrucius, Franciscus } est in { 1°, 2°, 3°, 4° } gradu ascendente cum Antonio.

Antonius, Franciscus, Petrucius, Caius, Titius } est in { 1°, 2°, 3°, 4° } gradu descendente cum Antonio.

et Titius Abavus est in octavo gradu cum Titio abnepote.

Secunda regula pro linea transversali æquali est hæc: Quot gradibus quævis duarum personarum, de quibus quæritur, distat a proximo communi stipite, a quo ambæ descendunt, tot gradibus distant inter se. —Et ad facilius hanc regulam percipiendam ponitur parvum sequens

SCHEMA LINEÆ TRANSVERSALIS.

Antonius stipes.

Pater	Franciscus	*frater et soror*	1 gradû	Maria mater
Filius	Petrucius	*consobrini primi*	2 gradu	Lucia filia
Nepos	Caius	*consobrini secundi*	3 gradu	Petronilla Neptissa
Pronepos	Titius	*consobrini tertii*	4 gradu	Agnes proneptissa
Abnepos	Lucas	*in nullo gradu*		Clara abneptissa.

Tertia regula pro linea transversali inæquali est hæc; Quot gradibus remotior ex personis, de quibus quæritur, distat a communi stipite, a quo ambæ proxime descendunt, tot gradibus distant inter se. Unde:

Franciscus est in primo gradu conjunctus cum :
Lucia in secundo gradu.
Petronilla in tertio gradu.
Agnete in quarto gradu.
Clara in nullo gradu.

Petrucius est in secundo gradu conjunctus cum :
Petronilla in tertio gradu.
Agnete in quarto gradu.
Clara in nullo gradu.

Notandum tamen hic est quod, licet in linea transversali inæquali ita numeretur in ordine ad matrimonii impedimentum cognoscendum, in ordine tamen ad obtinendam in gradibus consanguinitatis dispensationem, debet in memorialibus explicari, et manifestari, nedum gradus remotior, sed etiam gradus proximior, seu propinquior stipiti, ut declaravit S. Pius V, constit. *Sanctissimus*, et Urbanus VIII et Innocent. X, ambo in brevi incipient. *Alias pro parte.* Hinc in eodem allato schemate lineæ transversalis, *Franciscus* dicitur primo gradu in secundo conjunctus cum *Lucia;* primo gradu in tertio cum *Petronilla;* primo gradu in quarto cum *Agnete:* denique primo in quinto cum *Clara*, et sic in nullo gradu, quia ultra quartum gradum, nulla datur amplius cognatio, nec dispensatio est necessaria. (C. *Non debet* 8, *De consanguinitate et affinitate.*)

Notandum est insuper quod traditæ regulæ pro computatione graduum in linea transversali, tam æquali, quam inæquali, valent solum in jure canonico, non autem in jure civili. Aliter enim computantur gradus secundum jus civile, in ordine ad capiendam ab intestato hæreditatem, et aliter secundum jus canonicum, in ordine ad contrahenda matrimonia. (C. *Ad sedem* 2, causa 35, quæst. 5.) Secundum jus civile: « Tot sunt gradus, quot sunt ex utraque parte, vel linea, personæ, una dempta, communi nempe stipite, » ita ut in computatione juris civilis duplicantur gradus. Exempli gratia, in schemate transversali allato, *Petrucius* et *Lucia* sunt in quarto gradu, quia ex utraque parte seu linea duæ sunt personæ ab Antonio stipite, scilicet *Franciscus* pater et *Petrucius* ejusdem filius, *Maria* soror Francisci et *Lucia* filia *Mariæ.*

Advertendum tamen est quod ordo computationis graduum statutus a jure civili pro successione hæreditaria ab intestato capienda, servandus est etiam in foro ecclesiastico, et canonico cum quoad hoc jus civile sit approbatum, et canonizatum a jure canonico. (Arg. cap. cit. *Ad sedem* 2, causa 35, quæst. 5.) Et e contra ordo computationis graduum statutus a jure canonico pro contrahendis matrimoniis, servandus est etiam in foro sæculari, seu civili, prout fatentur ipsimet civiles juristæ, arg. cit. c. *Ad sedem.*

Cognatio naturalis, vel carnalis, quæ dicitur consanguinitas, *quasi sanguinis unitas*, non dirimit matrimonium jure ecclesiastico, nisi infra quartum gradum, tam in linea recta quam in transversali, sive æquali, sive inæquali, ut colligitur ex cap. *Non debet* 8, *De consang. et affinit.*

1. Impedimentum consanguinitatis dirimit matrimonium quoad primum gradum in linea recta, non solum jure humano, sed etiam divino et naturali. (Communis.) Imo probabilissimum est dictum impedimentum in linea recta dirimere matrimonia jure naturæ, non solum quoad primum gradum, sed etiam quoad reliquos in infinitum. Contraria tamen sententia docens dictum impedimentum in linea recta dirimere matrimonia de jure naturæ, solum quoad primum gradum, et non quoad alios, est vere probabilis, eamque docent S. Thomas in 4,

dist. 40, quæst. 1, art. 3, et multi alii; et La Croix, lib. VI, part. III, n. 608, ultra rationem adductam pro hac sententia, solvit etiam rationem opinionis contrariæ.

2. Impedimentum cognationis naturalis, seu consanguinitatis, in linea transversali, dirimit matrimonium jure naturæ ac divino, quoad primum gradum, nempe inter fratres et sorores, excepto casu absolutæ necessitatis propagandi genus humanum, ut fuit ab initio mundi inter filios et filias Adæ et Evæ. Ita plurimi contra alios oppositam sententiam tenentes.

VII. Impedimentum cognationis naturalis in linea transversali, non dirimit matrimonium quoad secundum, et ulteriores gradus jure naturali et divino, sed solum jure ecclesiastico. (Communis; arg. c. *Gaudemus* 8, *de divortiis*; et *Trident.* sess. 24. *De reform.* cap. 5; et habetur expresse in c. *Non debet* 8, *De consanguin. et affinit.*)

VIII. *Cognatio spiritualis* est propinquitas inter aliquas personas proveniens ex dispensatione sacramentali solius baptismatis et confirmationis. (Est in re communis, argum. tot. titul. *De cognatione spirituali*, et causa 30, quæst. 1 et 3; et *Trident.* sess. 24. *De reform. matrim.* c. 2.)

Hodie ex decreto Tridentino sess. 24, cap. 2 cit., cognatio spiritualis solum contrahitur: 1° A baptizato, vel confirmato cum baptizante, vel confirmante. 2° A baptizato vel confirmato cum patrino, vel matrina, et hæ duæ cognationes dicuntur *paternitas* et *filiatio spiritualis*. (Arg. c. *Pervenit* 4; c. *Si quis* 2; c. *De eo* 5, causa 30, quæst. 1; c. *Nedum* 1, *De cognat. spirituali* in 6.) 3° Contrahitur a patrino, vel a matrina cum patre et matre baptizati, vel confirmati. 4° A patre et matre baptizati vel confirmati cum ipso baptizante vel confirmante. Et hæ duæ posteriores dicuntur *compaternitas* et *commaternitas*. (Argum. ex citatis capit.)

Cognationis spiritualis in primo gradu dispensatio concedi non solet. (Sanchez, lib. VIII, *De matrim. disput.* 24, n. 7.) Illam tamen concessam fuisse a Gregorio XIV testatur Pontius, *De matrim.* lib. VIII, c. 17, n. 28. (*Vide* alia de hac cognatione, supra *De baptismo.*)

IX. *Cognatio legalis*, sic dicta quia a legibus inventa, ac postea per sacros canones recepta (c. unic. *Si qua, De cognatione spirituali*, etc. *Ita diligere* 1, et c. *Per adoptionem* 6, causa 30, quæst. 3), est propinquitas personarum, quæ ex adoptione provenit, et inter certas personas matrimonium dirimit. (Communis.)

Cognatio legalis est triplex, scilicet paternitas, fraternitas et affinitas legalis.

1. *Paternitas legalis* est cognatio inducens impedimentum in linea recta inter adoptantem tanquam patrem legalem, et adoptatum tanquam filium, et adoptati descendentes usque ad quartum gradum. Hæc cognatio semper durat, et dirimit, etiamsi adoptio per emancipationem fuerit soluta. (c. *Ita diligere* 1, causa 30, quæst. 3, etc.)

2. *Fraternitas legalis* est cognatio in linea transversali impedimentum inducens inter liberos naturales legitimos adoptantis et adoptatum. Hæc cognatio non durat semper, sed exspirat, exspirante adoptione. (L. *Per adoptionem* 17, ff. *De ritu nuptiarum*; et concordat c. *Si qua, De cognatione legali.*) Hæc cognatio non oritur inter filios adoptivos, nec inter ipsos et filios naturales illegitimos adoptantis.

3. *Affinitas legalis* est cognatio inter adoptantem, et inter uxorem adoptati, et vicissim inter adoptatum, et uxorem adoptantis. Hæc cognatio semper durat, et dirimit, etiam soluta adoptione. (L. *Adoptivus* 14, ff. *De ritu nuptiar.*)

X. *Crimen* dirimens matrimonium est quadruplex.

1. *Solum homicidium* scilicet uxoricidium vel mariticidium, est impedimentum dirimens, quando vir, aut mulier, etiam sine adulterio, ex mutuo tamen censensu occidit suam, aut alterius consentientis compartem, cum animo matrimonii inter se post mortem alterius conjugis contrahendi. (Communis; arg. c. *Laudabilem* 1, *De conversion. infidel.*; et c. *Si quis, vivente* 5, causa 31, quæst. 1.)

Ex quibus capitibus, ut causet impedimentum, requiruntur tres conditiones: *Prima*, ut duo contrahere volentes, moraliter, vel physice concurrant ad mortem; non enim sufficit si unus tantum, sine scitu vel consensu alterius ad talem mortem concurrat. *Secunda*, ut mors revera sequatur, nam machinatio sola non sufficit. *Tertia*, ut conspiratio illa, morte secuta, fiat ex vel cum intentione contrahendi invicem matrimonium; non enim sufficit si fiat ex alio fine seu motivo, v. gr. ex odio, vindicta et hujusmodi.

2. *Homicidium cum adulterio* est impedimentum dirimens, quando solus adulter, commisso adulterio, occidit suam uxorem, aut sola adultera suum maritum, etiam absque conspiratione cum complice adulterii. (Communis; arg. cap. *Significavit nobis* 2; et cap. *Super hoc* 3, *De eo qui duxit in matrimonium;* et cap. *Si quis vivente* 5, causa 31, quæst. 1.)

Ut homicidium cum adulterio causet impedimentum, requiruntur etiam tres conditiones ex capit. citatis : *Prima*, ut unus complicum adulterii sit vera causa physica, aut moralis antecedens cædis conjugis innocentis; nam ratihabitio aut approbatio cædis jam factæ non sufficit. *Secunda*, ut mors ex tali machinatione realiter sequatur. *Tertia*, ut machinatio in mortem secutam conjugis innocentis fiat ab adultero fine et animo contrahendi matrimonium cum complice adulterii; non enim sufficit, si fiat ex alio fine.

3. *Adulterium solum cum promissione matrimonii de futuro*, est impedimentum dirimens, quando adulter, et adultera, sive ante, sive post adulterium commissum, promittunt, et fidem dant de matrimonio post mortem conjugis contrahendo, etiamsi ipsi in talem mortem non conspiraverint. (Communis; arg. cap. *Relatum est* 4, causa 31, quæst. 1; et cap. 1, 4, 6 et 7, tit. *De eo qui duxit in matrimonium.*)

Ut tale adulterium causet impedimentum, requiritur : 1° Promissio seria et acceptata de futuro matrimonio. 2° Ut promissio et adulterium facta sint, vivente eodem conjuge. 3° Ut uterque adulterans sciat alterum esse conjugatum; 4° ut adulterium sit perfectum et consummatum.

4. *Adulterium solum cum alio matrimonio contracto* est impedimentum dirimens, quando adulter, vivente sua legitima uxore, cum altera adultera contrahit per verba de præsenti, vel adultera, vivente legitimo suo marito, cum alio adultero per verba de præsenti contrahit; tunc enim, etiam mortua uxore adulteri, vel marito adulteræ, contrahere nunquam possunt. (Communis; arg. c. 1, 5, 7, 8, tit. *De eo qui duxit in matrim.*) Ex quibus capit. duæ requiruntur conditiones : 1° ut matrimonium cum primo conjuge sit validum; 2° ut sit notum secundo conjugi. Criminis impedimentum inductum est solo jure ecclesiastico.

XI. *Cultus disparitas*, seu diversitas religionis dirimit matrimonium inter fidelem, et infidelem, seu baptizatum et non baptizatum. (Communis; arg. cap. *Cave* 15, causa 28, quæst. 1 et per totum; sed tantum jure ecclesiastico.)

1. Si ex duobus conjugibus infidelibus unus convertatur ad fidem, et alter monitus, et rogatus nolit converti, nec cohabitare sine injuria Creatoris, tunc matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum, ita ut conjux fidelis possit aliud matrimonium contrahere cum fideli ante omnem sententiam, ut colligitur ex *I ad Cor.* c. VII; et cap. *Infidelis* 2, causa 28, quæst. 2; cap. *Quanto* 7, *De divortiis.*)

2. Non potest autem fidelis conversus solvere matrimonium quoad vinculum, quando infidelis vult cohabitare sine injuria Creatoris, licet nolit converti, ut colligitur ex iisdem capitibus. (*Vide* etiam BENED. XIV, bullam, t. I, *In suprema*, et *De synod. diœc.* lib. VI, cap. 4, n. 3.)

3. Nec etiam solvitur matrimonium quoad vinculum, si unus conjugum transeat ad infidelitatem, seu labatur in hæresim. (Texto expresso c. *Quanto* 7, *De divortiis;* et *Trident.* sess. 24, *De matrim.*, c. 5.)

4. Imo nedum non dirimuntur matrimonia propter hæresim, sed et valide contrahuntur cum hæreticis, si ritu catholico contrahantur. Hujusmodi tamen matrimonia illicita sunt; ex multis conciliis, et cap. *Decrevit* 1, *De hæreticis*, in 6. Et Clemens XI, die 16 Junii 1719, declaravit peccare mortaliter catholicum aut catholicam, si cum hæretica aut hæretico matrimonium contrahat, ideoque necesse est ut papa dispenset aut talia matrimonia rationabilibus causis excusentur. (*Vide* BENEDICT. XIV, *De synod. diœces.* lib. IX, cap. 3; et *Bullar.* t. II, const. 51, *Magnæ nobis;* et bull. *Matrimonia*, 4 Novemb. 1741.)

XII. *Vis*, seu violentia, quantum ad præsens, est metus gravis et injuste incussus, inducens virum seu feminam ad contrahendum matrimonium, quod alioquin nullo modo contraxisset, nisi ad id metu illo, seu violentia, fuisset compulsus, seu compulsa. (Est in re communis; arg. c. *Abbas* 2; c. *Ad audientiam* 4; c. *Cum dilectus* 6, *De his quæ vi metuve fiunt.*) — Matrimonium ex gravi metu injuste incusso contractum est ipso jure naturæ nullum et invalidum. (Commu-

nis; arg. c. *Cum locum* 14; c. *Veniens* 15; c. *Consultationi* 28, *De sponsalibus;* et S. Thomas. in 4 dist. 29, quæst. 1, art. 3, et alii.) Metus gravis ab intrinseco proveniens non invalidat, nec dirimit matrimonium; nec etiam metus gravis ab extrinseco proveniens, si sit juste incussus. (Communis; arg. c. *Ex litteris* 10, *De sponsalibus;* c. *Pervenit* 2, *De adulter. et stupr.*)

XIII. *Ordo sacer*, quantum ad præsens, est impedimentum, quo clerici in sacris ordinibus constituti, fuerunt ab Ecclesia inhabiles redditi ad valide contrahendum matrimonium, ut patet ex c. *De diacono* 1; c. *Ex litterarum* 2, tit. *Qui clerici, vel voventes*; c. *Si qui clericorum* 1, *De clericis conjugatis;* et concordant, c. *Presbyter* 8, dist. 27; c. *Presbyter* 16, dist. 28, cum similibus; et expresse definivit concil. Trident. sess. 24, *De matrimonio*, c. 9.

Ordo sacer est quidem impedimentum dirimens respectu matrimonii contrahendi, sed non dirimit matrimonium jam prius contractum, ut dirimit votum solemne professionis religiosæ.

Clericus in sacris ordinibus constitutus matrimonium contrahens, præter nullitatem matrimonii, incurrit ipso facto excommunicationem et irregularitatem. (C. *Si qui clericorum* 1, *De clericis conjug.*, et Clementin. unic. *De consanguinit. et affinit.*) Potest tamen talis clericus, dimissa uxore invalida, post longam pœnitentiam, et laudabilem vitam absolvi, dispensari, et suis officiis restitui ab episcopo. (Cit. Clement., et cap. *Si qui cleric.* 1, et cap. *Sane sacerdos* 4, *De cler. conjug.*)

XIV. *Ligamen* est vinculum conjugum ortum ex matrimonio rato, vel consummato, utroque conjuge vivente. (Communis, arg. c. *Gaudemus* 8, *De divortiis*, cum similibus.) Hoc impedimentum dirimit matrimonium, nedum jure ecclesiastico, sed etiam jure divino. (Communis arg. eod. c. Et *Trid.* sess. 24, can. 2.) — Neutri conjugum licet, vel permitti potest quavis auctoritate transire ad secundas nuptias, nisi habita notitia moraliter certa de morte alterius. (Textu expresso in c. *In præsentia* 19, *De sponsal.;* et c. *Dominus* 2 *De secundis nuptiis.*) — Qui, stante dubio de morte conjugis, matrimonium cum alio habente bonam fidem contrahit, tenetur huic reddere debitum, petere tamen non potest. (Communis; textu expresso, cap. cit. *Dominus.*) — Si vero ambo conjuges in dubio de morte conjugis contrahunt, ambo privati exsistunt jure tam petendi quam reddendi donec prudenter tale dubium deponant. (Communis; cit. c. *Dominus*, et c. *Inquisitioni* 44, *De sent. excom.*) Si post matrimonium etiam bona fide ab utroque conjuge contractum, constiterit conjugem putatum mortuum adhuc vivere, statim sunt separandi, et qui contraxerat alterum matrimonium, debet ad priorem conjugem omnino redire. (Communis; cit. iisdem capit.) Si autem deprehendatur vixisse quidem priorem conjugem tempore contracti secundi matrimonii, sed modo certo constet e vivis excessisse, adhuc separandi sunt a toro, quia tale secundum matrimonium fuit invalidum. Arg. cap. *Dominus* supra, et regul. 18, *Juris* in 6, ibi : *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Et si velint cohabitare ut conjuges, tenentur de novo legitime contrahere. Si autem nolint de novo contrahere, non possunt ad hoc cogi, cum nullo jure ad hoc astringantur, quamvis maxime expediat ad multas tricas evitandas. Si tamen tale matrimonium secundum fuit contractum ex judicio et assensu Ecclesiæ, filii ex ipso nati reputantur legitimi, et admittendi sunt ad hæreditatem. (Communis; textu expresso in c. *Perlatum est* 8, *Qui filii sint legitimi.*)

XV. *Honestas publica* est propinquitas jure ecclesiastico oriens ex sponsalibus, aut ex matrimonio rato. (Communis; arg. cap. *Juvenis* 3; c. *Ad audientiam* 5; cap. *Sponsam* 8, *De sponsalib. et matrim.;* cap. unic. *De sponsal.* in 6; c. *Si quis desponsaverit* 11; c. *Si quis uxorem* 34, causa 27, quæst. 2.) — Hodie rigor juris antiqui non amplius viget, quoad sponsalia, cum correctus et temperatus sit a conc. Trident. sess. 24, *De reform. matrim.* c. 3, his verbis : *Justitiæ publicæ honestatis impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione invalida erunt, sancta synodus prorsus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedant; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispendio observari.* Ubi, ut vides, declaratur quod impedimentum publicæ honestatis non amplius oriatur ex sponsalibus invalidis; et quod ortum ex sponsalibus validis, dirimat inter sponsum et consanguineos sponsæ, et e converso, solum usque ad primum.

Impedimentum autem hoc ortum ex matrimonio rato et nondum consummato, sive invalido, sive valido, dummodo non fuerit invalidum ex defectu consensus, dirimit etiam nunc, sicut olim usque ad quartum gradum inclusive : quia Tridentinum circa hoc nihil immutavit, ut expresse declaravit sanctus Pius V, constit. *Ad Romanum*. Sed tantum inter maritum et consanguineos uxoris, ac vicissim inter uxorem et consanguineos mariti ; non autem inter maritum et affines uxoris neque inter uxorem et affines mariti. Et quamvis in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, inter vitricum nempe et privignam, privignum et novercam, socerum et nurum, generum et socrum, pontifices dispensare possint, ut censuit sacr. congr. SS. Inquisitionis coram Benedicto XIII, 14 Februar. 1727, pluries tamen ob maximam illius conjunctionis turpitudinem dispensationem denegaverunt, ut videre est apud Rigantium ad regul. 49 Cancellariæ, n. 18 et seq., et Benedict. XIV, *De synod. diœces.* lib. IX, c. 13.

XVI. *Impotentia*, prout est impedimentum dirimens, non est impotentia generandi, sed impotentia coeundi, seu perficiendi copulam conjugalem. (Communis ; arg. tot. tit. *De frigidis et maleficis.*) Impotentia perpetua, sive fuerit naturalis, sive accidentalis, sive absoluta, sive respectiva ad determinatam personam et non ad alias, dirimit matrimonium contrahendum, tum jure ecclesiastico, tum jure naturæ. (Communis ex eod. tit.) Dicitur autem notanter *matrimonium contrahendum*, quia, si talis impotentia superveniat post matrimonium jam contractum, ipsum non dirimit, ut tenet communis doctorum. (Textu expresso in cap. *Hi qui* 25, causa 32, quæst. 7.) — Impotentia perpetua antecedens dirimit matrimonium, sive fuerit antecedenter cognita, sive ignorata. (Ita multi, et certum est ex constitut. SIXTI V, *Cum frequenter.*)

Ad valorem matrimonii, tam de jure civili romano, quam canonico requiruntur, et sufficiunt anni pubertatis, scilicet duodecim completi in feminis, et quatuordecim item completi in masculis ; nisi tamen in ipsis malitia suppleat ætatem (*Princip. Instit. De nuptiis*, et lib. IV, ff. *De actu nuptiar.* cap. *Puberes* 3 ; c. *Attestationes* 10, et c. *Tuæ* 14, *De despons. impuber.*) Dicitur autem notanter : *Nisi tamen in ipsis malitia suppleat ætatem*, quia validum est matrimonium contractum ante dictam ætatem illis, in quibus malitia prævenit, seu supplet ætatem ; cum licentia tamen episcopi (Ex cit. capit. et FAGNAN. in cap. *De illi despons. impuber.* n. 38 et seq.)

XVII. *Clandestinitatis* impedimentum est *si parochi, aut duplicis desit præsentia testis.* (*Conc. Trident.* sess. 24 *De reform. matrim.* c. 1, de quo dictum est supra.)

XVIII. *Raptus*, impedimentum est statutum a Trident. sess. 24. *De reform. matrim.* cap. 6, his verbis : *Decernit sancta synodus inter raptorem et raptam, quandiu ipsa potestate raptoris manserit, nullum posse subsistere matrimonium ; quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat et nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium auxilium et favorem præbentes sint ipsoj excommunicati, ac perpetuo infames, et niumque dignitatum incapaces : et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit sive non duxerit, decem arbitrio judicis dotare.*

Qui plura de impedimentis matrimonii desiderat, adeat moralistas theologos et canonistas.

XIX. « Parochus, cognito impedimento (quod inter contrahentes matrimonium intercedit), tenetur prohibere matrimonium hujusmodi et remittere ad episcopum, ejus officialem, neque potest assistere. (SANCHEZ, lib. III *De matrim.* disp. 25, et alii contra Pontium.) Nisi tamen ex sola confessione nosset ; tunc enim nullo modo posset negare matrimonium, sive publice, sive privatim petenti, neque illum admonere officii extra confessionem ; licet in confessione posset et deberet. Et tunc, si quis sine magno scandalo a matrimonio possent desistere, nec vellent, suaderem contrahant communi consensu, sub condition, si papa dispenset, animo tantum cohabitandi ut fratres (non autem quoad torum), donec accedat dispensatio, et ita contrahant. Ita ex Beja, Pontio, et Pe qui addit, si id omnino nolint, persistant petere, debere parochum assistere. » (SEMBAUM. apud S. DE LIGORIO, *De matrimonio*, n. 1001.)

§ VIII. — De potestate dispensandi in impedimentis matrimonii.

I. Papa potest dispensare super quovis impedimento impediente, et super impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus. Hinc papa dispensare potest, gravi urgente necessitate, ut presbyter, et religiosus, seu religiosa, contrahat matrimonium.

II. Papa dispensare potest in matrimonio rato non consummato. Communis cum Rota . . . — Nequit autem papa dispensare in matrimonio fidelium, jam consummato. (Communis inter Catholicos contra hæreticos.)

III. Papa, proprie et rigorose loquendo, nequit dispensare in illis impedimentis, quæ sunt juris divini naturalis independentis quoad originem ab humana voluntate. (Est fere communis.) Potest tamen papa jus divinum interpretari, et declarare quod in aliquo casu valde particulari, propter aliquas gravissimas circumstantias non obliget, cum scilicet ex divinæ legis observantia, aut aliquod majus bonum impeditur, aut aliquod grave damnum inde sequitur, cujus exempla sunt in cap. *Licet* 23, *De testibus;* cap. *Quanto* 18, *De jurejurando;* et ita doctores.

IV. Legati a latere et nuntii apostolici possunt dispensare in sua provincia super omnibus illis impedimentis, super quibus possunt dispensare episcopi in sua diœcesi; ipsi enim reputantur ordinarii judices suæ provinciæ. (Textu expresso in c. *Legatos* 2, *De offic. legati*, in 6.) Insuper solent legatis et nuntiis concedi a summo pontifice aliquæ aliæ speciales facultates.

Notandum est dispensationes vigore specialis facultatis concessas tum a legatis seu nuntiis, tum ab episcopis quibuscunque, concedi non posse (ex sancti Pii V decreto 4 Augusti 1571, et Gregor. XIII 25 Julii 1576); « nisi cum clausula, quam papa similibus dispensandi privilegiis adjicere solet his verbis : *Dummodo mulier rapta non fuerit, vel si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat.* In dispensationibus hujusmodi declaretur expresse illas concedi tanquam a sedis apostolicæ delegato. Ad quem effectum etiam tenor ejusdem facultatis inseratur cum expressione temporis ad quod fuerint concessæ, alias nullæ sint. Dispensationes matrimoniales valide concedens vigore indulti, et delegationis *apostolicæ*, debet delegationis mentionem facere, et indulti tenorem in dispensatione inserere, cum expressione temporis, ad quod fuerit concessum, sub *nullitatis pœna.* » (Ità decrevit Benedict. XIV, in sua constit. *Ad tuas manus* 59, tom. II.) Unde regulariter parochus non posset assistere matrimonio cum dispensationis decreto episcopali, in quo non exprimeretur nec servaretur clausula supradicta sanctæ sedis solita, deberetque aliud decretum regulare postulare.

V. Episcopi independenter a similibus specialibus concessionibus, possunt pro utroque foro justa ex causa dispensare in duobus impedimentis jure ecclesiastico solummodo impedientibus, scilicet *sacrato tempore, et vetito*, nisi papa aliquod matrimonium specialiter vetet. (Communis et certa.) — Episcopi possunt etiam ex justa causa dispensare super impediente impedimento voti cujuscunque papæ non reservati, v. gr. *castitatis* ad tempus, vel in perpetuum, si est conditionale, vel pœnale; item voti non nubendi, vel ordines suscipiendi, non autem in voto castitatis absoluto et perfecto. (Communis et certa; arg. extravag. *Etsi Dominici*, *De pœnitent. et remissione.*)

VI. Episcopi, ordinarie et regulariter loquendo, nequeunt de jure communi dispensare in nullo impedimento dirimente. (Communis.) Extraordinarie tamen, seu in casu magnæ et urgentis necessitatis possunt episcopi dispensare pro foro conscientiæ in impedimentis de jure ecclesiastico dirimentibus, si concurrant certæ conditiones, quas vide supra lib. III *De episcopis*, cap. XIII, p. 711, n. III.

VII. Capitulum, sede vacante, ejusque vicarius capitularis valide et licite potest dispensare pro foro conscientiæ super eisdem impedimentis occultis, super quibus potest episcopus jure ordinario. (Communis.) Non autem super iis impedimentis, super quibus episcopus dispensat ex speciali facultate sibi concessa, aut particulari privilegio. (Communis.)

VIII. Vicarius generalis episcopi, vi officii sui, sine speciali mandato, nequit dispensare super impedimentis matrimonii occultis in foro interno, super quibus potest episcopus jure ordinario. Arg. c. *Quid*

agendum 4, *De procurat.* in 6; et cap. *In generali concessione* 81, *De regu.. jur.* in 6.)

IX. Dispensatio sine justa causa, non dispensatio, sed dissipatio dicitur communiter a doctoribus. Idcirco dispensatio in lege superioris sine justa causa non solum est injusta, sed et invalida. (INNOCENT. in cap. *Dudum* 22, *De elect.* n. 16; et multi alii.) Unde dispensans in lege superioris sine justa causa, mortaliter peccat, nisi excuset levitas materiæ. Imo etiam papa, in tali lege sine causa dispensans non est tutus in conscientia, sed peccat, ut plurimi gravissimi auctores firmant, quamvis dispensatio ab eo concessa sit valida. (FERRARIS, verb. *Dispensatio*, n. 11 et seq.) Unde episcopi valide dispensare nequeunt jure proprio super impedimentis matrimonii dirimentibus et etiam impedientibus nisi in casibus a jure permissis.

X. Dispensationum matrimonialium causæ veraciter sunt exponendæ, et ab exsecutoribus omnino verificandæ, prout expressæ sunt in litteris; nam veritas expositionis causarum ad validitatem dispensationis pertinet (BENEDICT. XIV, constit. 45, *Ad apostolicæ*, tom. 1.) — Dispensationum litteræ ab apostolica sede concessæ, debent ab exsecutoribus deputatis attente perpendi, tum quoad earum veritatem, tum quoad conditiones appositas. (ID. constit., *Magnæ nobis.*) Item facultates dispensandi in genere concessæ ne præscripti fines transiliantur : ID. const. 53, *Ad tuas manus.*) — Hic applicanda veniunt quæ dicta sunt de rescriptorum subreptione et obreptione. (*Vide* § I præn., p. 69.

XI. « Dispensandi facultas, quæ ab apostolica sede datur episcopis in remotis regionibus degentibus non excedit tertium gradum in contrahendis; in contractis vero, si agatur de hæreticis, ad secundum quoque gradum pertingit. Hujusmodi facultas in usum deduci nequit cum hæreticis reipsa non conversis, etiamsi conversionis spem, aut promissionem obtendant. » (BENEDICT. XIV, constit. *Ad tuas manus.*) — Dispensatio super ætate ad contrahendum matrimonium, quando malitia supplet ætatem, etiam ab ordinario concedi potest. Et hæc non tam est dispensatio quam declaratio super casu, cui provisum est in jure. (Quando autem contrahentes rationis usum habent, sed nondum copulæ apti sunt, hujusmodi dispensatio ab apostolica sede duntaxat impetrari potest. (ID. const. 11, *Magnæ nobis.*)

XII. Dispensationes super publicis impedimentis aut quæ publicæ fieri possunt, peti debent a Dataria Romana.

XIII. Dispensationes vero super occultis impedimentis peti debent a sacra Pœnitentiaria. In quibusnam autem impedimentis sacr. Pœnitentiaria habeat facultatem dispensandi agnoscitur ex bulla Benedicti XIV, *Pastor bonus*, 13 April. 1744, ubi confirmata et inserta est bulla Innocent. XII, *Romanus pontifex*, 3 April. 1692. Ibi, n. 39, pro matrimoniis nondum contractis sic habetur:

In matrimoniis contrahendis possit idem major pœnitentiarius in foro conscientiæ tantum super impedimentis occultis, quæ matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare.

Hujusmodi autem impedimenta tantum impedientia hodie ad tria reducuntur : nempe votum, sponsalia, et Ecclesiæ vetitum; quo vero ad impedimenta dirimentia, sic ibi traditur :

At a dispensationibus ... super quocunque impedimento ex quovis gradu, sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, seu ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro conscientiæ tantum, tametsi impedimentum sit occultum, et periculum scandalosum immineat in iisdem matrimoniis contrahendis, abstineat.

Hæc ad Datariam pertinent. Circa vero impedimenta in matrimoniis jam contractis n. 40 sic dicitur :

In contractis vero matrimoniis, a dispensatione, seu matrimonii reconvalidatione in gradibus primo et secundo, seu secundo tantum, consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pariter abstineat (hæc ad Datariam spectant), *præterquam si in secundo tantum gradu prædicto impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores simul publice contraxerint, et convixerint, et uti conjuges legitimi reputati fuerint. In tertio autem et quarto gradibus occultis, in contractis possit dispensare, atque etiam in iisdem tertio et quarto gradibus publicis, possit revalidare matrimonia, ex causa subreptionis et obreptionis occultæ litterarum apostolicarum nulliter contracta : præterquam si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ antea revera non intercesserat.*

Et ratio hujus est, quia in reconvali.a-

tione matrimonii nulli propter copulam falso expositam non redundat infamia in contrahentes. In hoc tamen casu, occulto quidem, dispensasse S. Pœnitentiariam an. 1861 nobis notum est, quamvis ad Datariam, quæ ad S. Pœnitentiariam remisit, expostulata fuisset dispensatio Et eadem est ratio pro aliis casibus occultis ad Datariam deferendis, n. 41, ubi dicitur :

Quod si (oratores) *obtinuerint a nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito in primo et secundo, vel in secundo tantum, ac etiam in tertio vel quarto, cum reticentia copulæ inter eos secutæ, quam sine honoris detrimento detegere non valeant; ...| possit idem major pœnitentiarius , si copula sit adhuc secreta, hujusmodi dispensationem, seu respective reconvalidationem in foro conscientiæ tantum concedere ; facta quando agitur de primo et secundo, vel secundo tantum gradu, compositione 50 ducatorum auri de camera ad Datariam transmittendorum ..., nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum.*

Ex his attende, quod papa dicendo, *possit reconvalidationem concedere,* non habet pro validis matrimonia cum tali reticentia contracta, n. 42, ubi dicitur :

Si qui vero oratores, obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi et secundi, sive secundi duntaxat gradus consanguinitatis seu affinitatis ; cum expressione quidem carnalis copulæ , sed tacita, occulta et malitiosa intentione, in ipsa copula habita, ad facilius obtinendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis ad dictam pœnitentiariam recurrant, possit idem major Pœnitentiarius desuper absolute dispensare cum ... personis, explicite affirmantibus se, ... sub expressa... forma miserabilium dispensationes a Dataria obtinuisse. Cum iis vero qui non tanquam pauperes... dispensati fuerint, non dispenset, nisi soluta prius in Dataria, ad effectum . . . erogandi eleemosynas, taxa definienda arbitrio ejusdem majoris pœnitentiarii.

Deinde super affinitate ex copula illicita, n. 43 dicitur :

Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita ..., quotiescunque adsit rationabilis causa, licet periculum ... scandalorum non immineret ... , in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis, in foro conscientiæ dispensare et dispensari mandare valeat.

Super impedimento criminis, n. 44 :

Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data duntaxat, neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis quam contractis matrimoniis dispensare. Si vero crimen ... fuisset, utroque vel altero machinante, patratum, possit in occultis pariter dispensationem concedere; raro tamen, et quando necessitas postulaverit, ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia majoris pœnitentiarii , re præsertim discussa in congregatione, vel signatura, arbitrandum erit.

« Illud vero constat in more positum non esse, ut sedes apostolica in matrimoniis jam contractis, seu contrahendis dispensationem impertiat *super impedimento criminis,* si illud publicum fuerit, vel conjugi mors illata sit *altero, aut utroque machinante;* et profecto Clemens VIII viris potentissimis id expetentibus constanter denegavit. » (Ben. XIV, *Inst. eccl.* 87, p. 21.)

XIV. Si concurrant plura impedimenta, debent simul exponi in supplicatione ad Pœnitentiariam. Si vero unum impedimentum esset publicum, et aliud secretum , quod infamiam possit afferre, bene possunt divisim dispensationem pro publico a Dataria, et pro secreto a Pœnitentiaria petere. Si impedimenta disparate se habent , et unum ex altero non augetur, ut votum et consanguinitas, aut consanguinitas et machinatio, tunc sufficit divisim obtinere dispensationem. Secus si impedimenta sint talis rationis, ut afferant conjuncta majorem repugnantiam ad matrimonium contrahendum, puta si quis vult ducere consanguineam, cujus sororem turpiter cognoverit ; tunc enim difficilius redditur dispensatio. Excipiunt tamen auctores, si justa causa sit separandi, ut si unum impedimentum sit publicum, et aliud secretum et infamiam afferens.

Si quis habeat plura impedimenta affinitatis ejusdem gradus, puta si cognoverit duas sorores suæ sponsæ, debet in supplicatione dispensationis utramque copulam omnino exprimere, ut declaravit Bened. XIV in brevi, *Etsi matrimonialis.* Et idem dicendum de aliis impedimentis consanguinitatis, cognationis spiritualis, publicæ honestatis, etc. « Dispensatio matrimonialis super tertio et quarto gradu simplici, non se extendit, nec tollit impedimentum duplicis, tertii et quarti gradus. Dispensatio tamen obtenta super gradu remotiori, reticito proxi-

miori, est quidem illicita, sed non invalida, modo propinquitas non sit primi aut secundi gradus consanguinitatis, vel affinitatis; obtineri tamen debent postea litteræ super propinquiori tantum in foro externo ad evitandum scandalum, non vero si scandalum absit. (Benedict. XIV, brevi, *Etsi matrimonialis*, et doctores apud S. Ligor. lib. VI, tract. VI, n. 1136.)

Si quis post obtentam dispensationem super impedimentum occultum affinitatis, iterum habuerit rem cum eadem consanguinea sponsæ, antequam eam duxerit, si dispensatio fuerit, sive non adhuc fuerit exsecuta ab eo cui commissa est, non indiget nova dispensatione, ut in praxi sequitur, et responsum fuit a sacr. Pœnitentiaria 21 Sept. 1752. (Apud S. Ligor. *ibid.* n. 1140.)

Quod si, obtenta dispensatione sacr. Pœnitentiariæ in foro conscientiæ, impedimentum detentum fuerit in foro externo, et conjuges nullas afferre possint probationes quod matrimonium ita sit contractum, tunc episcopus, parochus et judex debebunt acquiescere testimonio confessarii fidem facientis de dispensatione impetrata. (Bened. XIV, *instit. eccl.* inst. 87, n. 51.

Ad dispensationem obtinendam non requiritur consensus ejus cui prodesse debet, quamvis, ut prosit, ab ipso postea acceptanda sit. Si idem impedimentum afficit utrumque sponsum, sufficit pro uno dispensationem impetrare; secus vero, si impedimentum afficiat unum independenter ab impedimento alterius.

Notandum quod, cum petitur dispensatio a Dataria, exprimendum sit nomen, cognomen, diœcesis originis et domicilii tantum, si orator ibi habeat perfectum domicilium; item utraque diœcesis sponsi et sponsæ, si ipsi diversas diœceses habeant. Quando vero petitur a sacr. Pœnitentiaria, tacentur nomina, et alia, sed tantum exprimitur persona et locus, quo litteræ sunt dirigendæ. (S. Ligor. lib. VI, tract. VI, passim.— *Vide* supplicationis formulam supra lib. II, *De Curia Rom.* p. 432.)

§ IX. — De dispensatione in radice, et de revalidatione matrimonii.

I. « Papa dispensando in radice matrimonii, id est in origine, seu initio ipsius, et revocando impedimentum dirimens matrimonium, et simul et semel abrogando legem ecclesiasticam, quæ dictum statuit impedimentum, facit, juxta textum in Clement. *Quoniam, De immunit. eccles.*, ut dispensatio retrotrahatur ad originem, sive initium matrimonii, et sic quod proles quoad omnes effectus legitima sit, et habeatur et quidem quoad effectus etiam civiles directe in territoriis suæ temporali jurisdictioni subjectis, juxta ea, quæ ex celebri responsione Innocentii papæ III in cap. *Per venerabilem, qui filii sint legitimi*, plane colliguntur, et quoad territoria alienæ temporalis jurisdictionis, saltem indirecte quoad dictos effectus civiles. » (Tom. I et II *Resolution.* sacr. congr. Concil., 13 Junii 1720, 16 Januarii, 28 August., 18 Septembr. 1723.)

II. « Dispensatio in radice matrimonii a solo Romano pontifice, et quidem nonnisi ex causis admodum urgentibus, conceditur. Dispensatio autem in radice matrimonii intelligitur solum de impedimento ortum habente a jure ecclesiastico, non autem a jure divino, aut naturali, et per eam non fit, ut matrimonium nulliter contractum, non ita fuerit contractum, sed effectus de medio tolluntur, qui ob hujusmodi matrimonii nullitatem, ante indultam dispensationem, atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu, producti fuerunt. » (Benedict. XIV, brevi, *Etsi matrimonialis*, n. 7.)

III. Dispensatio in radice matrimonii ab altero obtenta, sub narrativa, quod alter conjux impedimentum ignoret, nulla est, si alter demonstret se impedimenti conscium fuisse ante petitam obtentamque dispensationem; scientia tamen, aut dissensus post dispensationem superveniens, non attenditur. » (Ip. *ibid.*)

IV. *De revalidatione, seu ratificatione matrimonii invalide contracti.* — Quoniam experientia patet, persæpe matrimonia invalide contrahi vel ob impedimentum aliquod dirimens publicum, aut occultum, idque uni soli, vel utrique conjugi notum, de modo revalidationis talium matrimon. juvat sigillatim disserere.

Ac primum prænotandum communem esse doctorum sententiam quod cum agitur de matrimonio revalidando, propter bonum animarum præsumitur Ecclesia in impedimento (si forte adsit) dispensare, semper ac adest de illius matrimonii valore vera probabilitas. Unde, ubi dubitatur inter doctores de valore alicujus matrimonii, bene potest haberi illud ut validum, si vere pro-

babile sit de jure validum esse; modo dubium versat circa impedimentum ab Ecclesia appositum, nam in impedimentis de jure naturali non potest Ecclesia dispensare. (Ita S. DE LIGORIO, *Theolog. mor. de matrim.*, lib. VI, tract. VI, n. 1109.) Ubi vero certum est matrimonium esse invalidum, dispensatio petenda est ad revalidationem.

V. Porro ut ab impedimento occulto in matrimonio nulliter contracto exordiamur, quæritur : « An ad revalidandum hujusmodi matrimonium nullum ob occultum impedimentum, sed in facie Ecclesiæ jam celebratum, sit iterum revalidandum coram parocho et testibus.

« Prima sententia affirmat; secunda vero sententia probabilior et communis negat. Et hæc certo tenenda est ex declarationibus sacr. Pœnitentiariæ; nam quando agitur de matrimonio jam publice contracto in facie Ecclesiæ, utitur his verbis : *Cum eodem latore, ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata (sed id caute; ut latoris delictum nunquam detegatur), matrimonium cum eadem, et uterque inter se de novo secrete ad evitanda scandala, contrahere valeat dispenses.* Et sic etiam pluries declaravit sacr. congr. Concil., ut refert Benedictus XIV, *Instit. eccles.* inst. 87, n. 62 et seq., qui addit : « Quamobrem cum parochus ac testes primo matrimonio jam interfuerunt, quod rite celebratum putabatur, quia impedimentum nequaquam innotuerat, ideo satis est ut clam inter conjuges novus consensus præbeatur, cum ipsum matrimonium sacræ Pœnitentiariæ facultate rite confirmandum est. »

Cæterum si matrimonio invalide contracto impedimentum evadit publicum, ita ut probari valeat, certum est apud omnes ad revalidationem adhiberi debere novam parochi et testium præsentiam; hoc ipso enim, quod palam et in foro externo sciatur prius matrimonium publice contractum fuisse nullum, de novo publice contrahi debet, ad evitanda tam conjugum, quam populi scandala. (REIFFENSTUEL, ad IV lib. *Extravag.* in Append. *De dispens. super impedim.*, etc., § 13 final., n. 610.)

VI. Sed hic « quæritur quomodo, et quando impedimentum intelligatur occultum esse, cum in Litteris sacr. Pœnitentiariæ dicitur : *Dummodo impedimentum occultum sit?*

« 1. Recte concludit Benedict. XIV, *Instit. eccles.* inst. 87, n. 45, cum Navarro et Thesauro, tunc confessario abstinendum esse ab exsequenda dispensatione, quando ex circumstantiis prudenter conjicere potest, impedimentum ex occulto posse fieri publicum, seu ad forum externum deduci posse. Si delictum deductum sit ad forum contentiosum, a sacr. Pœnitentiaria censetur publicum. Si tamen data in eo fuerit sententia absolutoria criminis, per quam reus repertus sit innocens, et non culpabilis, vel ex hactenus deductis non repertus culpabilis, etiamsi id obtentum sit mediis illicitis, falsis testibus, etc., adhuc censetur impedimentum occultum ad hunc effectum. » (ID. *ibid.* n. 49.)

2. Cæterum ait (ID. *ibid.*) cum iisdem auctoribus, et Syro impedimentum per se dici occultum, si notum sit in oppido sex solis personis, in civitate septem vel octo, modo ab eis non fuerit divulgatum. Et affirmat irritam dici non posse dispensationem a Pœnitentiaria concessam illis etiam verbis superadditis, *dummodo occultum*, licet impedimentum notum sit tot hominibus, quot superius indicavit. — Testatur autem Fagnanus, in cap. *Vestra*, *De cohabit. cleric.*, n. 118, sacr. Pœnitentiariam servare hanc praxim : quando crimen est notum tantum quatuor, vel quinque personis, dispensat in eo tanquam occulto; sed ego scio sacr. Pœnitentiariam dispensasse in impedimento quodam consanguinitatis noto decem circiter personis. Advertit vero idem Fagnan. n. 120, hoc intelligi, quando a sacr. Pœnitentiaria dicitur in clausula simpliciter *occultum;* secus si dicatur *omnino occultum*, ut solet poni in impedimento criminis; quia tunc merito ait non dici occultum crimen, quod potest per duos testes probari. E converso notat præfatus Benedictus, *ibid.* n. 42 *cum pluribus*, quod aliquando posset esse crimen publicum materialiter, nempe si publicum sit viciniæ; sed formaliter occultum, nimirum si ignoretur ab illa copula nasci impedimentum affinitatis, et tunc etiam potest impetrari dispensatio a sacr. Pœnitentiaria. » (S. LIGOR. lib. VI, tract. 6, *De matrim.* n. 1111.)

3. Si impedimentum publice cognoscitur in aliquo loco; occultum tamen est, ubi degunt qui dispensationem expostulant, et ubi dispensatio ipsa conceditur; tunc si id totum expositum fuit in supplici libello, confessarius absque ulla difficultate pareat, et litteras exsequatur. Si vero quis silentio prætermi-

serit, idem crimen publicum esse in loco ubi patratum fuit, aut alibi, tunc confessarius non exsequatur dispensationem, reumque hortetur ut ad Pœnitentiariam rursum confugiat, ipsique patefaciat quod prius omisit. (Ita Bened. XIV, *Inst. eccl.* inst. 87. n. 46.)

4. Impedimentum, quod fuit aliquando publicum, diuturnitate temporis occultum fieri potest, ita ut dispensatio tribuenda videatur. Sic M. Paul Leo, p. 133, qui addit: « Hoc autem genus occultorum etiam pluries meo tempore signatura officii sacr. Pœnitentiariæ admisit; sed non eodem modo in omnibus casibus; dispensationibus matrimonialibus per decennium; in irregularitatibus per viginti et triginta annorum spatium. » (Bened. XIV, *ibid.* n. 47.)

VII. An matrimonium sit revalidandum coram parocho et testibus, si ipsi tempore matrimonii contracti conscii fuerunt impedimentis, alii affirmant... alii negant... Si de impedimento publico agatur, affirmativa tenenda est; si vero impedimentum sit occultum, negativa tuto sequenda videtur. (S. Ligor. *De matrim.* n. 1112.)

VIII. Quæritur insuper: « An, quando matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum, sit necessarium ad illud revalidandum, ut, ablato impedimento, uterque conjux fiat conscius de nullitate matrimonii? Prima sententia affirmat, et ab ea non discedendum est, ubi non suppetit specialis dispensatio pontificis; maxime quia in litteris sacr. Pœnitentiariæ in dispensationibus ad hujusmodi matrimonia reconvalidanda, apponitur sequens clausula: *Ut dicta muliere de nullitate prioris consensus certiorata, uterque inter se de novo secrete contrahere valeat.* (Ita Bened. XIV, cit. *Inst. eccles.* inst. 87, n. 68.)

Secunda vero sententia... dicit non esse opus ut pars ignara impedimenti moneatur de nullitate matrimonii; hoc autem verum est, dummodo interveniat specialis dispensatio pontificis. Quod quidem declaravit Benedictus XIV, in constit. *Etsi matrimonialis;* nempe cum accidisset casus, quod quidam vir, qui bona fide, sed invalide matrimonium contraxerat ob impedimentum occultum consanguinitatis, petebat illud convalidare, non tamen certiorata uxore propter scandalum separationis, quod timebatur, pontifex petitioni indulsit, eodemque tempore declaravit quod casu, quo impedimentum oritur, non a lege naturali, aut divina... sed provenit a lege ecclesiastica, tunc bene potest papa dispensare, ut matrimonium contrahatur sine novo consensu partis ignorantis impedimentum; habendo pro valido consensum præstitum ab illa in principio, ubi ex lege naturali erat consensus quidem validus; nam eo casu papa aufert impedimentum in radice matrimonii, retrotrahendo contractum ac si ab initio impedimentum abfuisset. Unde fit, ut sapienter considerat Bened. XIV. *Instit. eccl.* inst. 87, n. 80, quod, cum removetur impedimentum per dispensationem, perseverante ex una parte primo consensu conjugis ignorantis impedimentum virtualiter per usum matrimonii, nempe per conjugalem copulam, cohabitationem voluntariam, et alia signa externa, quæ ex primo consensu procedunt; et accedente ex altera parte consensu interno conjugis conscii impedimenti, expresso saltem per similia externa signa, tunc consensus utriusque moraliter uniuntur, et matrimonium convalidant. »

IX. *De exsecutione dispensationum.* — Dispensationes sacræ Pœnitentiariæ cum diriguntur ad confessarium ex approbatis ab ordinario, exsecutioni mandari debent a confessario approbato ab ordinario illius loci in quo dispensatio illa præstari debet; nec valet, si actu confessarius non sit, sicut nec si approbatus fuerit tantum pro maribus, et dispensatio petatur a femina (Benedict. XIV, *Instit. eccles.* inst. 87, n. 31.) — Cum diriguntur confessario magistro in theologia, vel decretorum doctori, requiritur laurea theologiæ, vel juris canonici in publica universitate; nec aperiri litteræ possunt a simplici regulari confessario, nisi tamen religio illa privilegium aliquod ea de re obtinuerit. (Id. *ibid.* n. 32.)

Si semel apertum fuerit breve pœnitentiarii, ab eo, qui non habet titulum requisitum, non ideo tamen vitiatur rescriptum, sed sufficit, si alteri habenti requisita consignetur. (*Ibid.*, n. 33.)

Si semel electus fuerit exsecutor, potest nihilominus ex probabili sententia variari, quanquam non desint doctores qui oppositum opinentur. (*Ibid.*)

Exsecutor certiorem se reddere debet de veritate causarum, ex quibus obtenta dispensatio est; non tamen requisitis aliunde testimoniis, sed ipsum dispensandum in-

terrogans, nisi aliunde ipse eamdem veritatem rescivisset; nec tenetur illum sub juramento interrogare, ut est communis doctorum sententia. (*Ibid.*, n. 34.)

Si tamen falsa narrare dispensandum sciverit, non potest ad dispensandum procedere, nisi id sciret ex præcedentibus dispensandi confessionibus. (*Ibid.*)

In ejusmodi dispensationis litteris mandatur exsecutori, ut dispenset, audita prius sacramentali confessione, et in ipsa confessione; nec liberum est illi extra confessionem rem exsequi, ut omnes docent. (*Ibid.*, n. 35.)

Cum pœnitentia in litteris definitur, ea injungenda est; si vero committatur arbitrio confessarii, non est illi liberum eam ad arbitrium injungere, sed ad prudentiæ leges dirigenda est, neque nimis rigida, neque lenior quam par sit. (*Ibid.*, n. 37 et 38.)

Clausulæ solitæ apponi in dispensationibus a sacra Pœnitentiaria sunt sequentes : 1° *Si ita sit*; 2° *audita prius sacramentali confessione*; 3° *sublata occasione peccandi*, intelligitur si occasio sit voluntaria, quod de facto est tollenda; si vero necessaria, auferatur saltem ex animo, reddendo illam ex proxima remotam per debita media adhibenda; 4° *dummodo impedimentum sit occultum*; 5° *injuncta ei gravi pœnitentia*; de quibus clausulis satis dictum est; 6° *præsentibus* (litteris) *laceratis sub pœna excommunicationis latæ sententiæ*. Hæc laceratio statim facienda est; sed intellige moraliter, nempe infra triduum post dispensationem exsecutam. Si autem in litteris non sit apposita clausula lacerationis, prout non apponitur quando matrimonium nondum est contractum, tunc non est obligatio eas lacerandi, sed hujusmodi dispensatio debet a parocho caute annotari in libro, qui non possit ab alio aspici, ad hoc ut ipse possit requisitus postmodum, si opus erit, fidem facere de dispensatione impetrata. (S. Liguori, lib. VI, tract. VI, n. 1143.)

§ X. — De matrimoniorum judiciis et defensore.

Quoad validitatem et invaliditatem matrimoniorum attendenda est omnino constitutio Benedicti XIV, incip. *Dei miseratione*, in qua præscribit ordinem et formam observandam in judiciis causarum matrimonialium super validitate matrimoniorum, et mandat in omni diœcesi ab ordinario loci eligendum esse idoneum virum, si fieri possit, ecclesiasticum *matrimoniorum defensorem* vocandum, qui ad omnem actum judicialem citari debebit, et intervenire, et voce, et scriptis validitatem matrimonii defendere, et appellare a prima sententia, si ista declaraverit invalidum matrimonium. Imo potest appellare etiam a secunda conformi priori, si ipsi defensori videatur manifeste injusta, et etiam a tertia, si esset revocatoria alicujus alterius præcedentis in favorem validitatis matrimonii prolatæ.

§ XI. — De matrimoniis secretis.

Quoad matrimonia secreta attendenda est etiam alia novissima dispositio Benedicti XIV, in constitutione incip. *Satis vobis*, in qua refert plurima mala, quæ in dies oriuntur a matrimoniis occultis, aut conscientiæ. Inde mandat episcopis, ut non de facili dispensent super denuntiationibus, et dispensando super istis, non permittant matrimonium ita celebrari coram parocho, aut altero delegato sacerdote, et testibus confidentibus ipsis contrahentibus, ita ut celebratio matrimonii possit remanere secreta et occulta. Interveniente tamen justa et urgente causa permittit etiam ipsa matrimonia secreta, quibus debebit assistere parochus alicujus ex contrahentibus, aut, attentis circumstantiis, alter sacerdos ab episcopo delegatus. Qui ex eis assistet, consignare debebit episcopo scriptum documentum celebrationis dicti matrimonii, loci, temporis, et testium, quod ab episcopo fiet transcribi in libro particulari et distincto, continente sola matrimonia secreta, qui liber clausus et sigillatus erit custodiendus in cancellaria episcopali. Si nascatur proles ex talibus matrimoniis, baptizabitur in respectiva ecclesia, notabiturque in libro baptizatorum sine nomine genitorum, et tenebuntur isti immediate, vel mediate intra terminum triginta dierum dictam prolem notificare episcopo, exprimendo locum, tempus, aliasque circumstantias collati baptismi. Quod totum cum nomine genitorum debebit transcribi in alio libro eisdem cautelis in cancellaria episcopali custodiendo. Quod si intra dictum terminum non fuerit, ut supra, notificatum, tenebitur episcopus reddere notum dictum matrimonium secretum, a quo certo sciat

ortam esse dictam prolem. Et hujus sic contrahentium obligationis, aliarumque præscriptarum rerum erunt serio monendi a sacerdote, antequam tali eorum matrimonio assistat. Ita Ferraris, verb. *Matrimonium*, ex quo fere omnia desumpsimus hucusque dicta de matrimonio, et ubi transcripta est integra bulla Benedict. XIV *Satis vobis*.

Qui plura desiderat de matrimonio et præsertim de jure reddendi et petendi debitum conjugale, aut illud denegandi, et de hujusmodi juris restitutione, adeat *Moralistas theologos*, et præsertim S. Ligorium lib. VI, tract. VI, *De matrimonio*, et etiam Ferraris, verb. *Matrimonium* et alios.

CAPUT XIV.

De aliis parochi obligationibus erga parochianos.

§ I. — De parochiæ et familiarum, præsertim pauperum, visitatione.

I. *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere... ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sacrosancta synodus eos admonet, et hortatur, ut divinorum præceptorum memores factique forma gregis, in judicio et veritate pascant et regant.* (*Trident.*, sess. 23, *De reform.*, cap. 1.) Hic præcipue episcopos admonet et hortatur sancta synodus, sed vult etiam parochos et omnes curam animarum exercentes in admonitione et decreto comprehendi, siquidem in eodem capite addit: *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et pœnas de curatis inferioribus, et aliis quibuscunque, qui..... curam animarum... obtinent, sacrosancta synodus declarat et decernit.* Præterea eadem sancta synodus, sess. 24, cap. 13, *De reform.*, sic præcipit: *Mandat sancta synodus episcopis, pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias, unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eos cognoscere valeat.....*

Præcepto igitur et jure divino mandatum est omnibus parochis oves suas seu populos sibi commissos agnoscere, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, eosdem in judicio et veritate pascere et regere: quæ omnia præstari nequeunt nisi per paternam et sollicitam visitationem familiarum parochiæ. « Non enim solum multitudinis in ecclesiam convenientis ad concionem sollicitudo ipsi incumbit, sed et singulorum quos vel adducere, vel etiam, si oporteat, domum adire debet, ne vel unius ruina spiritualis ipsi pastori imputetur. » (*Prælectiones jur. can. seminarii S. Sulpitii*, an. 1859, t. I, p. 389.) Si episcopo, ut oves suas agnoscere possit, omnium parochiarum visitatio præscribitur, ita non minus necesse est ut parochus visitet familias sibi commissas, ut singulos parentes ad Christianam puerorum educationem hortari; singulos pueros obedientiam et reverentiam erga parentes docere; ad pietatem sectandam, sacramentaque frequentanda nimis pigros suaviter allicere; rudes et in fide vacillantes familiariter edocere; pravos libros et diarios (*journaux*) prudenter eliminare; inter vicinos et familias inimicitias exstinguere, lites sæpius mutuis concessionibus componere; necessitatibus pauperum de suo vel, si non habet, de divitum peculio, auxiliari possit et valeat. Sic pater et amicus parochianorum fiet parochus, qui si zelo salutis animarum incensatus fuerit, plures omnium familiarum regulares visitationes quotannis instaurabit. Præterea cum infirmis infirmabitur, cum flentibus flebit, cum gaudentibus gaudebit, ut omnes Christo lucrifaciat.

II. « Episcopi autem, ait Monacelli, non tantum pauperibus sibi occurrentibus, eleemosynam de superfluo, aut in extrema necessitate constitutis, sicut cæteri Christifideles dare, sed etiam ex officio illos in sua diœcesi inquirere, et egestatibus providere tenentur, ut communiter tradunt morales theologi, et præsertim Bonacin. *in primo Decalogi præcepto*, disp. 3, quæst. 4, punct. 6, prop. 2, n. 10.; apud Monacelli, *Form. legal.*, tom. II, tit. XVI, form. 5. Eadem obligatione premuntur parochi, qui locum episcopi in sua parochia tenent.

« In distributione vero eleemosynarum pauperibus facienda, plura servanda sunt. Primo, ut potius captivis, qui apud hostes detinentur, quam aliis liberis succurratur. Secundo, ut non uni tantum pauperi detur, sed inter plures dispensentur. Tertio, ut potius consanguineis egentibus ad naturæ

sustentationem, quam cæteris paribus pauperibus succurratur ; vel etiam si sit distributor, et ipse sibi accipiat, si vere indigeat eo tenore, quo et aliis ministrat. Quarto, ætas, quia minus aliis largiendum, quam senibus, qui nequeunt laborare. Quinto nobilitas, quia potius nobilibus, quam ignobilibus, qui non verecundantur eas petere sicuti primi, dandæ sunt, præsertim si sine vitio pauperes evaserunt. Sexto ut fiat eleemosyna de juste et non de illicite acquisitis. Septimo, ut fiat propter Deum non autem ob inanem gloriam. (Graff. in Appendic. *Decis aur.*, lib. 1, c. 22, apud Monacelli, *ibid.*)

§ II. — De parochi obligatione erga parochianos defunctos.

I. Quia parochus, vita durante, curam spiritualem suorum parochianorum sustinet, æquum est ut defunctos, sive cadavera non deserat ; hinc indubitatum est ecclesiam parochialem, ejusve cœmeterium esse proprium locum sepulturæ parochianorum. (Ita in toto titulo *De sepulturis.*) Proinde uno consensu jus sepeliendi cadavera omnes interpretes juribus parochialibus annumerant. Quantum ad sepulturam, parochiani dicuntur, qui intra limites parochiæ ita morantur ut ipsi sacramenta ibi in ipsa percipere, et parochi ipsis administrare teneantur. Tenetur igitur parochus omnes suos parochianos sepelire et pro omnibus exsequias celebrare ; non enim vult Ecclesia, ut corpus sine precibus et cæremoniis præscriptis sepeliatur. Clemens XI mandavit in edicto legendo in ejus Bull., p. 317, ut in associatione funeris cujuscunque serventur leges Ritualis Romani, in tit. *De exsequiis*. Fieri tamen potest, ut in aliquo singulari rerum articulo cadaver deferendum sit aliter quam præscribat Rituale, quod tamen fieri non debet absque episcopi scientia, uti ex. gr. si deferendum sit cadaver in curru tecto, quod sæpe alias prohibuit sacr. congr. apud Petram in *Constit. apostolor.*, tom. II, n. 20.

II. Parochi pauperum cadavera gratis omnino sepelire tenentur. Caveantque ne in depositione pauperum et miserorum aliquid ex præscriptis precibus et cæremoniis prætermittant. (*Rituale Roman.* Clemens IX const. *In excelsa ;* et sacr. congr. Episcop. et Regul. pluries.) Sic dicta decreta traduntur et erudite declarantur a sapientissimo patre Cavallieri in *Agenda defunctorum.* Parochus tamen, vel alius, ad quem spectat, pro pauperibus, qui gratis tumulandi sunt, missam etiam gratis celebrare non tenetur. (Benedict. XIV, *Inst. eccles.* 36 ; et *De sacrific. missæ*, sect. 2, n. 204.) Ab imponendo hoc onere parochis abstinet. Rituale Romanum etiam loquens de pauperibus gratis tumulandis et debitis luminibus ministrandis, missæ mentionem non facit : et insuper ex lege Ecclesiæ satisfacit parochus sacrificando pro populo diebus Dominicis et festivis, majusque onus parochis non imponitur. Ex quibus dicendum videtur parochum ad missam gratis celebrandam non teneri. Laudandi tamen sunt, qui commode possint, id suffragii pauperibus præstant, vel saltem curant, ut missa celebretur sumptibus mensæ pauperum vel piæ confraternitatis, vel ex fidelium eleemosynis collectis in capsulis ad hunc effectum in ecclesia appositis. (Caval., t. III, decis. 173.)

III. Si quis habitator urbis decedat ruri non electa sepultura, cadaver ejus sepulturæ mandandum est, non in ecclesia rurali, sed in sua parochia, vel in ecclesia, ubi sita est sepultura majorum suorum, ut decisum est, cap. *Is qui* 3, *De sepulturis in* 6, dummodo id possit fieri sine gravi incommodo. Grave autem incommodum declarat pontifex intercedere, si obitus accidat in loco ultra tria milliaria distante a parochia. Id vero ex paritate rationis statuendum est de illo, qui ruri habitans in civitate decedat. (*Eod. cap.*)

IV. Studiosi, famuli conductitii, milites, officiales, aliique similes conducentes domos ad aliquod tempus, seu alicubi habitantes, si sepulturam non sibi elegerint, debent sepeliri in parochia, ubi sic habitabant et decesserunt. (Communis, et servat recepta consuetudo.) — Peregrini pertranseuntes et viatores habentes per aliquod tempus habitationem in aliqua parochia, sepeliendi sunt in ipsa, nisi sepulturam elegerint. (Sic sacr. congr. Episc. et Regul. 3 Julii 1592.)

V. Advenæ seu hospites, aliique casu decedentes in regularium conventibus, nisi eligant ibidem sepulturam, sepeliendi sunt de jure communi in parochiali. (C. *In nostra* 10, *De sepulturis*, et ita censuit sacr. congr. Concil., 3 Febr. 1652 et sæpius.)

VI. Oblati, donati seu tertiarii, atque

etiam sæculares, qui regularibus deserviunt, et intra eorum monasteriorum septa ac domus resident, et sub eorum obedientia vivunt, licet non ratione voti, sed ratione servitutis si inibi decedant, sunt ibi irrequisito parocho tumulandi; isti enim eximuntur a subjectione ordinariorum et parochorum, et gaudent privilegiis religiosorum, quibus inserviunt, quamvis salario sint stipendiati. (Rota et communis doctorum)

VII. Secus autem sæculares illi, qui tantum ipsis monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de familia, nec continui commensales, et cum sæcularibus exteris extra monasteria habitant et vivunt; isti enim, si non habeant sepulcrum majorum, vel sepulturam non elegerint, sepeliendi sunt in propria parochia. (Communis.) Idem dicendum de monialium famulis et famulabus habitantibus in mansionibus intra atria monasteriorum. (S. congr. Concil. sæpius.)

VIII. De sepultura puellarum educandarum et mulierum sæcularium in monasteriis monialium legitima facultate commorantium et inibi decedentium, variant doctores. Attamen sacr. congr. Concil., *in Feretrana*, 11 April. 1742, respondit quod sepeliendæ sint in parochia, sub qua est monasterium, si non habeant sepulcrum majorum. Et si elegerint sepulturam in monasterio, possint ibi sepeliri, sed deberi quartam funeralem parocho

IX. Novitii et novitiæ, imo juvenes sæculares et puellæ nondum habitu regulari induti seu indutæ, sed de brevi induendi et jam in novitiatum admissi seu admissæ, debent sepeliri in monasterio ubi decedunt, et absque obligatione ulla solvendi portionem canonicam parocho loci. Debent tamen, si habeant patrimonium, sepeliri propriis expensis, nisi adesset consuetudo, ut expensis semper monasterii sepelirentur; si autem patrimonio careant, debent sepeliri expensis monasterii. (Ita communiter doctores.)

X. Regulares et moniales professi decedentes extra conventum, si commode ad ipsum deferri possint, debeant in eo sepeliri. (Textu expresso, cap. *Religiosi* 5, *De sepulturis* in 6.) In tali casu non tenentur regulares solvere portionem canonicam parocho loci. (S. congr. Episcop et Regul. 22 Maii 1615.) Possuntque regulares dictos defunctos suos religiosos deferre ad suum monasterium, inconsulto parocho. S. congr. Concil. 2 Julii 1620.) Talis autem delatio, inconsulto parocho, est facienda modo privato sine pompa, sine cruce et processione, ut affirmant card. Petra, Pignatelli, et alii apud Ferraris, verb. *Sepultura*, n. 37.) — In casu autem, quod regulares decedant in locis a suis monasteriis ita remotis, ut ad ea deferri commode non possint, sepeliri debent in ecclesia ab ipsis electa, cum ad id in simili casu habeant facultatem a jure sibi concessam per limitationem, in cap. *Religiosi* 5, *De sepultur.* in 6. Sed non electa sibi sepultura, sepeliendi sunt in ecclesia parochiali, in qua moriuntur, idque expensis proprii monasterii, si bona in communi possideat. Datur autem locus tali electioni vel sepulturæ extra monasterium, quando religiosi cadaver distat a suo monasterio per iter unius diei, id est ad quod per unicum diem cadaver transferri nequit, ne forte putrescat et inficiat aerem. (Donatus, tom. III, tract. x, quæst. 2, n. 4 et 5.)

XI. Sed ad præfata addendum est: 1. Quilibet a jure non impeditus potest sibi eligere sepulturam in qualibet ecclesia ad id jus habente. (Communis per claros textus in capitibus 1, 3, 6, 8, 10 *De sepulturis* in *Decretal.*; et cap. 1 et 2 *De sepulturis*, in 6.) Et si cadaver illius, qui elegit sepulturam in aliqua ecclesia, etiam regulari, et per vim parochi, aut alterius, non ibi, sed alibi sepeliatur, est restituendum simul cum oblationibus ecclesiæ electæ. Textu expresso, in capp. 5 et 6 *De sepulturis* in *Decretal.*; et cap. 2 *De sepult.* in 6; et sic decretum fuit a sacr. congr. Episc. et Regul. et confirmatum ab Alexandro VII, 30 April. 1660, in constit. *Alias pro parte*; et sacr. congr. Concil apud Ferrar. verb. *Cadaver*, n. 11.) — 2. Qui sibi sepulturam non elegit, sepeliri debet in sepulcro majorum suorum. (Textu expresso in cap. *Nos instituta* 1, *De sepultur.*; cap. *Cum quis* 2; cap. *Is qui* 3, *De sepultur.* in 6.) — 3. Si quis nullam habeat sepulturam majorum, nec aliquam sibi elegerit, sepeliendus est in propria parochia, ubi sacramenta suscepit, ut dictum est in præcedentibus numeris. (Communis per text. in cap. 5 et 10 *De sepultur.* et cap. 1 et 3 eod. tit. in 6.)

XII. Papa potest sibi eligere sepulturam in quacunque sibi benevisa ecclesia; dece-

dens Romæ sine electione sepulturæ sepelitur in basilica Vaticana, in qua non possunt sepeliri, nisi summi pontifices et personæ regales. Sed istæ ultimæ sub terra et pavimento; solis enim summis pontificibus competit ut eorum corpora sepeliantur in conditoriis a terra elevatis. — Si autem contigerit pontificem sine electione sepulturæ decedere extra urbem, nec posset commode transferri ad ipsam, esset sepeliendus in ecclesia cathedrali loci, ubi decedit. (C. *Is qui* 3, *De sepultur.* in 6; Rota, *in Romana juris tumulandi*, n. 16, die 20 Februar. 1702, coram D. Priolo.)

XIII. Si habeant sepulcrum majorum, nec sibi elegerint sepulturam, sepeliendi sunt : 1° Cardinales in ecclesia proprii tituli, aut decedentes extra urbem, in ecclesia majori loci; 2° episcopi, in propria cathedrali; si autem extra diœcesim decedant, et ad cathedralem suam commode deferri non possunt, tumulandi sunt in ecclesia digniori loci; 3° canonici cathedralis, clerici et presbyteri, in ecclesia cathedrali, si ibi adsit sepultura propria separata; 4° clerici beneficiati cum onere residendi, tam simplices quam curati, in ecclesia sui beneficii et residentiæ. (Ita doctores passim, apud Ferrar. verb. *Sepultura*, n. 60 et seqq.)

XIV. Uxor, non sibi electa sepultura, debet sepeliri in sepultura mariti. (Communis, cap. *De uxore* 7, *De sepultur.*) Si uxor moriatur prægnans, fetus in utero exsistens mortuus et non extractus, sepelitur una cum matre in ecclesia. Si autem extractus sit, ipse utpote non baptizatus, sepeliri debet extra locum sacrum, et mater in ecclesia. (Communis.)

XV. Religiosi professi in claustris morientes non possunt sibi eligere sepulturam. (Textu expresso in cap. *Religiosi* 5, *De sepultura*, in 6.) — Impuberes nequeunt sibi eligere sepulturam. (Textu expresso cap. *Licet* 4, *De sepult.*, in 6.)

XVI. Clericis omnibus sive sæcularibus sive regularibus est graviter prohibitum in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione maledictionis æternæ, ne aliquo medio voto vel juramento, aut pacto seu promissione, inducant, ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. (Textu expresso in cap. *Animarum* 1, *De sepult.* in 6.) Insuper incurrunt ipso facto excommunicationem majorem papæ reservatam, etiamsi effectus sepulturæ non sit secutus. (Textu expresso in Clement. *Cupientes* 3, *De pœnis.*) Præterea tenentur intra decennium tam ad restitutionem sepultorum corporum, quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerunt quomodolibet ad eosdem. Et si dictam restitutionem integraliter non fecerint, eorum ecclesiæ et cœmeteria subjaceant interdicto, donec satisfecerint. Insuper electio ad hujusmodi inductionem facta ipso jure sit nulla, debeantque ita eligentes ibi sepeliri, ubi nulla electione facta alios de jure debuissent. (Ita textu expresso in cit. cap. *Animarum.*)

XVII. Sepulturæ construi possunt in quovis loco religioso, id est ubi divina officia celebrantur. (Communis per text. in c. 3 *De sepult.*, et c. 1 et 2 eod. tit. in 6.) Et quidem in loco etiam minus religioso, id est ubi divina officia minus frequenter celebrantur. (C. 2, *De sepult.* in 6.) Ideoque sepulturæ construi possunt non solum in parochialibus ecclesiis, sed etiam in ecclesiis regularium (Clement. *Dudum* 2, et Extravag. *Super cathedram* 2, *De sepulturis*), et in capellis. Sepulcra tamen nova construi non possunt in ecclesiis sæcularibus absque licentia in scriptis obtenta ab episcopo et in ecclesiis regularium saltem a provinciali. (S. Pius V, constit. *Cum primum apostolatus;* Barbosa, lib. 2 *Juris eccles. univer.* c. 10, n. 9, cum pluribus ibi citatis, et alii passim.) Excipiuntur ecclesiæ monialium, in quibus non possunt eligi sepulturæ a sæcularibus utriusque sexus absque speciali licentia sacræ congregationis, et copulativa monialium. (Sic pluries sacr. congr. Episc.)

XVIII. In eadem constit. *Cum primum*, sic statuit sanctus Pius V. : *Et ut in ecclesiis nihil indecens relinquatur, iidem (ordinarii) provideant, ut capsæ omnes, et deposita, seu alia cadaverum conditoria super terram exsistentia omnino amoveantur, prout alias statutum fuit, et defunctorum corpora in tumulis profundis infra terram collocentur.* In dicta tamen dispositione non comprehenduntur monumenta marmorea muris seu columnis adhærentia, præsertim amotis cadaveribus a locis altis, quia hæc nullam indecentiam, imo magnum ornamentum afferunt ecclesiis. (Sic sacr. congr. Episc. et Regul 13 Octobr. 1579; apud Nicol. in

Flosc. verb. *Sepultura*, n. 2.) — Nemo sepeliendus est prope altaria, seu sub prædellis (cubitis ad minus tribus sepulturæ ostiam longe absit ab altaris scabellis ligneis), et si quæ inibi reperiantur constructæ sepulturæ, interdicuntur altaria, donec amotis ossibus ibi sepultorum, sepulturæ terra repleantur, et muro obstruantur. (Sic pluries decrevit sacr. congr.)

XIX. Pro jure sepulturæ necessariæ, sive ut aliquis in certo loco ecclesiæ aut cœmeterii sepeliri possit, aliquid tanquam pretium exigere simoniacum est ; est enim rei spiritualis venditio pro re temporali. Et sepultura, in tali sensu accepta nullatenus vendi potest, sed gratis est præstanda defunctis per eorum parochos. (Communis, text. express. in cap. *Abolendæ* 13, *De sepult.*)

Usus autem vendendi capellas, pro inibi construenda sepultura, non est simoniacus. Sic ratione honorabilioris situs seu dignioris loci potest esse licita pretii receptio pro sepultura cum hoc non videatur concernere spiritualia, sed tantum honorem et præeminentiam, quæ potest pretio æstimari et vendi ; hujusmodi enim situs honorabilior non est ad sepulturam necessarius, ac idcirco non venditur sepultura, nec sacrum ; et ecclesia habet cœmeterium, ubi gratis fideles sepeliuntur, adeoque, etc. Sic plurimi. — Unde potest sine beneplacito apostolico concedi situs pro construenda capella ac sepultura, ut censuit sacr. congr. Concil. *in Melitensi, Alienationis*, 6 Septembr. 1659.) — Si autem concedatur usus privativus capellæ, seu sepulturæ jam constructæ, cum sit vera alienatio, requiritur beneplacitum apostolicum. (Ita plurimi.)

Habens propriam sepulturam suis sumptibus pro se ac suis successoribus constructam, non committit simoniam, si eam vendat quoad materiale fundi, et respectu habito ad solas expensas factas in illa ædificanda.. (Sic Barbosa et alii de communi sententia.)

Jus sepulturæ amittitur per simoniam, per rectoris occisionem, per hæresim, per crimen læsæ majestatis, aut si vivus in ea sepeliatur, et aliis modis de quibus auctores passim. — Sepultura vel capella alicui concessa pro se et suis descendentibus, eis auferri nequit. (C. *Ebron.* 2, causa 13, quæst. 2.) Exstinctis vero domino et illius descendentibus, tunc potest libere sepultura alteri concedi ; nam mortuo usuario, usus ille redit ad proprietarium libere. — Arma seu insignia in ecclesia vel capella, aut sepultura a primo fundatore posita nullomodo amoveri possunt, sed semper ibi remanere debent in ejus memoriam. Potest tamen novus hæres aut successor etiam sua arma et insignia ibi ponere. (L. *Qui liberalitate*, § *Ne ejus nomine*, ff. *De operibus publicis.*)

XX. Violatores sepulturæ seu sepulcri, pro quibus veniunt, qui sepulcrum non tamen violant, sed etiam qui inde monumenta, vel alia aufert, vel cadavera effodit et spoliat (Leg. *Si sepulcrum* 2, et lib. *Prætor ait*, 3, ff. *De sepulcro violato*), ultra infamiam, quam incurrunt, puniuntur pœna arbitraria...

« Corpora defunctorum exenterantes, et ea immaniter decoquentes, ut ossa a carnibus separata ferant sepelienda in terram suam, ipso facto sunt excommunicati. (Texte expresso in cap. *Detestandæ* 1, ex Bonifacio VIII, tit. VI, *De sepulturis*, lib. III, *Extravag. comm.*)

In sectione tamen cadaverum anatomiæ addiscendæ causa, si quis adhibeat cadavera non condemnatorum, nulla obtenta ab episcopo facultate, peccat quidem graviter, sed non incurrit excommunicationem Bonifacii VIII, de qua in cap. 1 *De sepult.* ; cum illa feratur tantum in eos qui exhumantes cadavera ea lacerant et alio sepelienda transferunt. (Ita ex sensu Benedict. XIV, *Instit. eccles.* inst. 64, n. 10.)

Cadavera exhumari non debent ad effectum recognitionis et probationis corporis delicti, examinandi vulneratos, testes et similes in ecclesiis et aliis locis immunibus ordinum regularium et Ecclesiæ. Unde episcopus non potest concedere licentiam curiæ laicali, ut exhumentur cadavera ad faciendam recognitionem in ipsa ecclesia, sed extra et arbitrio episcopi. (S. congr. Immunit. pluries.) — Si cadaver occisi a sæculari fuerit personæ ecclesiasticæ, et ad locum immunem, seu ad ecclesiam translatum et inhumatum, episcopus ad concedendam facultatem exhumandi indiget sacr. congr. Immunitatis licentia. — Solus episcopus, sive ejus vicarius generalis concedit licentiam exhumandi cadavera laicorum ad recognitionem faciendam extra ecclesiam et locum immunem. Superioribus vero regularibus minime licet etiam in locis immuni-

bus ipsorum regularium, sed id ad episcopos solos spectat. (S. congr. Immunit. pluries.) — Solus pontifex permittit recognitionem facere in loco immuni ; et in casu urgentis necessitatis potest etiam episcopus, quando summus pontifex commode adiri non potest. (S. congr. Immunit. 8 August. 1645.)

XXI. Cadavera defunctorum cum ululatibus ad ecclesiam associare non est permittendum. Nos enim Christi fideles, qui per Evangelium Christo post mortem vivimus exspectantes resurrectionem, potius in obitu debemus lætari, quam mœrore affici, cum ab hac lacrymarum valle ad beatam patriam cum Christo regnaturi transeamus ; juxta illud Apostoli, I ad Thessalon. IV, 12 : *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus*, etc. Quare merito hujusmodi ululatus, næniæ, et cantilenæ in variarum diœcesium synodalibus expresse prohibentur, et sacr. congr. Concil. 28 Januar. 1690 decrevit esse tollendum similem abusum.

XXII. « Cum e rure transferendum est cadaver in civitatem, aut vice versa, deferendum est in catalecto præcedente cruce a clero delata, et associantibus geminis sacerdotibus, altero ecclesiæ tumulantis, altero se tenente ex parte parochi illius loci, ubi mors accidit. In extractione, vel intratione cadaveris in portas urbis gabella minime solvenda est, ut ex doctoribus, » Benedict. XIV, *Instit. eccles.* inst. 105, n. 46.)

« Pro transitu processionis funebris ex una parochia in aliam, nulla petenda est licentia a parocho illius loci, per quem transitus fieri debet, ut ex bulla Leonis X, 22, et decretis sacr. congr. firmatur *ibid.* n. 49; nihilque potest prætendere parochus loci transitus. (S. congr. Episc. 24 Novembr. 1713 :

XXIII. « Pro sepultura, et exsequiis cadaveris cujuscunque (modo ordinario, et non cum extraordinaria pompa) exigi nihil potest, ut ex sacris canonibus firmum est. Verum si consuetudo obtinuit, ut aliquid detur, quamquam circa hoc nulla sit actio judiciaria, attamen recurri potest ad officium ordinarii. (Cit. *Instit.* n. 58.) At « Oblationes, quæ fieri consuescunt in cadaverum funeratione, ex pluribus synodorum decretis, licitum esse recipere parochis, aliisque quibus de jure vel consuetudine aliove legitimo titulo competunt, indubitatum est.

« Cum jus cadavera inhumandi sit plane distinctum a jure celebrandi exsequias, et utrumque illud jus spectet de jure communi ad ecclesiam parochialem, certum est quod uno eorum alteri loco, vigore privilegii, communicato, nequaquam alterum censeri debeat indultum in præjudicium ecclesiæ parochialis ; hinc jure inhumationis communicato alicui ecclesiæ, seu religioso loco, salva nihilominus remanent ecclesiæ parochiali reliqua jura. Competit igitur parocho de jure, ut cadaver præsentetur suæ ecclesiæ, atque eo præsente missa celebretur, uti notavit Glossographus ad Clementinam *Dudum, De sepult.* Quæstio incidit, quod genus exsequiarum in ecclesia parochiali sit persolvendum cadaveribus, quando in alia ecclesia fuit electa sepultura ; et an hæres sive exsecutor qualicunque officio in ecclesia parochiali defungatur ; et judicatum refert D. Van Espen hæredem teneri ad exsequias sive officium istius generis quod respondet officio sive funeralibus factis in ipsa cadaveris inhumatione in loco sepulturæ electæ. Ratio subjicitur, quia per factam eo modo inhumationem censetur determinasse genus funeris. »

« Nec excluditur ecclesia parochialis ab illis oblationibus, quæ sepeliendis cadaveribus in altera ecclesia impenduntur. Factum est enim ut, si aliquem parochianorum alibi contigerit eligere sepulturam, ecclesiæ parochiali *quarta funerum* impendatur ; quæ portio est major vel minor juxta locorum sive provinciarum consuetudinem. » (*Conc. Trident.* sess. 25. — Apud Ferraa. verb. *Cadaver*, n. 83 ad 89. — *Vide* infra *De juribus parochorum.*

XXIV. Ob non solutionem juriam funeralium sepultura cadaverum non est differenda. Quam dilationem non tantum a sacris canonibus, sed principum legibus improbatam ostendit Christianus Lupus, dist. 2, ad tom. III *Scholiorum in canones*, cap. 12 ; et sacr. congr. Episc. et Regul. *in Cassanensi* 5 Maii, et in Crotonensi 17 Septembr. 1617.) — Defunctorum cadavera non possunt vulgo arrestari seu sequestrari ob debita civilia, quibus gravantur, etiam erga mensam, nec eadem de causa potest differri eorumdem sepultura, sed prius cadavera sepelienda sunt, et postea debitum medio jure petendum, cum Christiana pietas non patiatur propter interesse pecuniarum remanere in-

sepulta cadavera. (S. congr. Episc. et Regul. 14 August. 1590; 20 Octobr. 1591; et 23 August. 1652.)

XXV. « Ex decretis sacr. congr. Concilii firmatum est non esse levandum cadaver domo absque præsentia ac facultate parochi loci, ubi domus sita est. (Benedict. XIV. *Instit. eccles.* inst. 105, n. 25.) Parochi tenentur cadavera suorum parochianorum levare a loco, ubi asservantur, et associare usque ad portam ecclesiæ regularium, etiam ipsis regularibus non associantibus, nec parochi se ingerere possunt in faciendo super iisdem cadaveribus officium in ecclesiis præfatorum regularium, sed ad ipsos regulares in propria ecclesia spectat et pertinet. (Urbanus VIII, 24 Julii 1641; et sacr. Rit. congr. pluries, approbante Innocent. XI 11 Martii 1680. — *Vide* alia infra *De juribus parochi.*)

XXVI. Domi, antequam cadaver efferatur, possunt hæredes super eo officia recitare facere cuicunque libuerit. (S. cong. Episc. et Regul., 19 Maii 1579.) — Hæredes defunctorum non sunt cogendi ad retinendum domi cadavera usque ad tempus illa sepeliendi; iisdemque hæredibus licet pro libito asportare dicta cadavera e propriis domibus ad quamcunque aliam ecclesiam per modum depositi usque ad horam illa tumulandi, etiamsi essent sepelienda in ecclesiis regularium, non obstante dissensu parochi, seu prohibitione ab eodem facta uti vicario foraneo. (S. Rit. congr., 22 Junii, et 13 Julii 1625.)

XXVII. Attamen cadavera non sunt sepelienda privatim sine lumine, cruce et parocho (S. congr. Episc. et Regul. 28 Januar. 1610); quia ad parochum pertinet recognoscere cadaver sui parochiani defuncti et ejus mortem constatare et certificare. Et hoc habet locum, etiamsi contrarium ordinasset defunctus, cum talis dispositio tanquam irrationabilis una cum consuetudine, quæ alicubi esse posset, sit rejicienda, ut censuit Rota Rom. 15 Junii 1699; et confirmavit Clemens XI, 9 Decembr. 1704 edict. incip : *La santità di nostro signore*, ut refert Bened. XIV, *Instit. eccles.* inst. 36, n. 23.)

Cadavera non possunt sepeliri, nisi post competens temporis spatium. (S. congr., Episc. 20 Febr. 1601.) Et quoad tempus humationis cadaverum servandam esse synodum, censuit sacr. Rit. congr. pluries. Cadavera in quacunque hora diei deferri possunt ad ecclesiam, de nocte vero nonnisi de licentia ordinarii. (S. congr. Concil., 15 Mart. 1704 et Clemens XI, 9 Decem. 1704.) — Cadavera nequeunt deferri ad sepulcrum curru clausa, sacr. congr. Episc. et Regul. sæpius.) Ante solis ortum, aut post illius occasum absque licentia ordinarii, non possunt cadavera ad sepeliendum deferri. (S. congr. Concil., 15 Martii 1740.)

XXVIII. Cadaver quod traditum est perpetuæ sepulturæ, et non alicubi positum per modum depositi, exhumari non licet, nec alio asportari, nisi de licentia ordinarii. (S. congr. Episc. et Regul., 28 Januar. 1603.)

XXIX. Ecclesiastica sepultura carere debent : 1. Omnes non baptizati, uti sunt Judæi, Turcæ, seu pagani. (C. 26 et 27, dist. 1. *De consecrat.*) Huc pertinent etiam infantes Catholicorum certo decedentes sine baptismo; si vero dubium sit, an sint, vel non valide baptizati, non sunt privandi ecclesiastica sepultura. — Item huc reducuntur catechumeni, quia et ipsi baptismo carent. Aliqui tamen dicunt catechumenos esse sepeliendos in loco sacro, quia jam pro fidelibus habentur.

2. Item ecclesiastica sepultura carere debent hæretici, et in puncto hæresis eorum receptores, defensores, fautores, etc. (C. *Sicut* 8; *Excommunicamus* 13, *De hæret.*; c. *Quicunque* 2, eod. in 6); etiamsi hæresis solum per mortem eorum fuerit detecta. (Arg. c. *Sane* 6, causa 24, quæst. 2.)

3. Item notorie excommunicati, id est denuntiati (c. *De communione* 1, causa 24, quæst. 2; c. *Sacris* 12, *De sepulturis*); nisi in articulo mortis signa pœnitentiæ dederint, ac per eos non steterit, quominus fuerint absoluti. In tali enim casu dicti excommunicati etiam post mortem ritu ab Ecclesia præscripto absolvi, sicque absoluti in loco sacro sepeliri possunt ac debent. (C. *A nobis* 28, *De sent. excom.* in 6; et sic expresse declaravit sacr. congr. Episc. et Regul., 19 Julii 1619.)

4. Item interdicti notorii et denuntiati, Clem. 1. *De sepult.* Generaliter enim per omne interdictum, sive locale, sive personale, usus ecclesiasticæ sepulturæ prohibetur. (C. *Cum et plantare*, *De privileg.*) — Et idem de suspensis ab ingressu ecclesiæ deciditur. (C. *Is cui* 20, *De sentent. excom.* in 6.)

5. Item publici et manifesti usurarii, nisi alienum restituerint vel idoneam dederint de restituendo cautionem. C. *Quia* 4, *De usuris*; c. *Quanquam* 2, eod. in 6.

6. Item manifesti raptores et ecclesiarum violatores. (C. *Super eo* 2, *De raptor.*) Secus vero est dicendum, si occulti sint et confessi, ac restitutionem fecerint per se vel per alios. At tunc sunt in cœmeterio tumulandi absque clero. (Ex cit.. cap. *Super eo.*)

7. Item decedentes in torneamentis. (C. *Felicis* 1, etc., *Ad audientiam* 2, *De torneamentis.*)

8. Item decedentes in duello, si moriatur in die. (Ex multis canonibus et apostolicis constitutionibus, et præsertim *Conc. Trident.* sess. 25, c. 19, *De reform.*) Si autem vulneratus in duello moriatur post notabile intervallum, v. gr. post unam vel alteram diem, et pœnitentiæ signa dederit, non caret ecclesiastica sepultura. (Ita multi doctores ; arg. ex cit. c. *Trident.* et regul. 15 et 49 *Juris*, in 6 ; supra lib. I, p. 346.)

9. Item qui per annum integrum non confitentur, et tempore paschali sacram synaxim sine justa causa non suscipiunt, nisi de consilio sacerdotis prorogassent (C. *Omnis utriusque* 12, *De pœnit. et remiss.*) Privatio tamen sepulturæ ecclesiasticæ non infligitur nisi post sententiam judicis.

10. Item publice blasphemantes Deum ac sanctos, et præsertim beatam Mariam Virginem , et impœnitentes morientes, seu pœnitentiam eis injunctam non facientes. (C. *Statuimus* 2, *De maledicis.*)

11. Item decimas recipientes et ecclesiæ non restituentes. C. *Prohibemus*, 19, *De decimis.*)

12. Item semetipsos voluntarie ex impatientia, ira et desperatione , et alia simili causa occidentes. (C. *Placuit* 12, causa 23, quæst. 5.) Advertunt tamen doctores multi, quod si quis reperiatur in puteo vel in flumine submersus, aut laqueo suspensus, veneno seu ferro interfectus, sepultura privari non debeat, nisi aliunde constet, quod se ipsum voluntarie et sui compos et non ex amentia occiderit ; quod tamen in dubio non est præsumendum, cum in dubio delictum præsertim tam grave de nemine præsumatur.

13 Item sepultura ecclesiastica privantur suspensi, impœnitentes. (C. final. causa 13, quæst. 2.) Et sic omnes, qui in notorio ac certo peccato mortali absque pœnitentia decedunt, ut qui in actuali furto et rapina, fornicatione, adulterio, et hujusmodi occiduntur, ut habet communissima doctorum. (Arg. c. *Quibus peccata* 6 ; c. *Non æstimemus* 19 ; c. *Pro obeuntibus* 21, cum seq., causa 13, quæst. 2 ; c. *Fures*, *De furtis*, cum similibus.)

14. Item regulares utriusque sexus proprietarii, si moniti a superiore absque emendatione et pœnitentia decesserint. (C. 2, 4 et 6 *De statu monachorum.*)

XXX. Omnes quamvis exempti et privilegiati, qui scienter sepeliunt aliquem tempore interdicti, vel aliquem nominatim excommunicatum, vel personaliter publice interdictum, vel manifestum usurarium, vel hæreticum, aut ejus defensorem, fautorem vel receptatorem, et peccant mortaliter, et eo ipso excommunicationem incurrunt. (Clement. 1, *De sepult.*, et cap. *Quicunque* 2, *De hæret.* in 6.)

Sepelientes autem alios sepultura indignos, peccant quidem mortaliter... et possunt pœna arbitraria ab episcopo puniri ; at non incurrunt dictam excommunicationem. A tali pœna etiam excusantur, qui ex ignorantia, vel gravi metu coacti id faciunt. (Arg. ex Clem. 1, et c. *Quicunque*, citatis.)

Nomine sepelientium ad incurrendam dictam excommunicationem veniunt terram aperientes, in sepulturam mittentes, ipsam mandantes, aut concedentes et procurantes. (Ita doctores.) Item etiam cooperantes, associantes, seu crucem portantes et luminaria deferentes ; quia omnes isti participant in crimine criminoso, adeoque omnes isti subjacent dictæ pœnæ. (Arg. c. *Nuper* ; etc. *Concubinæ*, *De sent. excom.*)

Cadavera excommunicatorum denuntiatorum C. *Sacris.* 12, *De sepulturis* ; et c. *Consuluisti* 7, *De consecrat. eccles.*) ; item infidelium et paganorum (C. *Ecclesiam* 27, et *Ecclesiam* 28, dist. 1, *De consecratione*), sepulta in loco sacro debent exhumari, si ossa decerni possunt; et ecclesia propter talem sepulturam polluta reconcilietur, et ante reconciliationem nemo ibidem sepeliri potest. (C. unic. *De consecrat. eccles.* in 6.) — Per sepulturam autem aliorum indignorum non videtur pollui ecclesia.

Cum in Galliis hodie fere omnia cœmeteria non sint solemniter benedicta nec consecrata, sed singula sepulcra privatim in una-

quaque sepultura benedicantur, talia cœmeteria non polluuntur per indignorum sepulturam.

XXXI. Constructio, manutentio, ampliatio et restauratio communis sepulcri seu cœmeterii fieri debet expensis parochianorum et non parochi, quamvis parochus dives sit, quia cum id respiciat utilitatem et commodum parochianorum, qui sentiunt commodum, sentire debent et onus. (C. *Qui sentit*, 55, *Regul. jur.* in 6.) Ad expurgationem autem communis sepulcri seu cœmeterii tenetur is, qui habet curam animarum, et emolumenta ratione funeralium percipit (si dives) et in subsidium tenetur populus. Sic sacr. congr. Concil. 19 Septembr. 1637.) Unde in Galliis hæc cœmeterii expurgatio pertineret ad fabricas, nisi municipalitas prætenderet ad cœmeterii proprietatem et possessionem. — (Vide alia de sepulturis infra, *De juribus parochi*.)

§ III. — De parochi obligationibus ergà confraternitates.

De erectione confraternitatum longius esset tractare et ad auctores qui de hac re specialiter scripserunt remittimus. Attamen, ut confraternitates legitime, et valide erigantur, et aggregentur, debet omnimode observari constitutio 115 Clementis VIII, incip. *Quæcunque*, quæ legi potest apud Ferraris, verb. *Confraternitas*, art. 1.

1. Sacræ congregationes pluries sanxerunt benedictiones solemnes olivarum, cinerum, et candelarum; benedictiones fontis baptismalis; benedictionem super populum cum sacramento Eucharistiæ, missam solemnem feriæ quintæ in Cœna Domini, et missarum solemnium celebrationem, et alia hujusmodi pertinere ad parochos, et fieri non posse in oratoriis publicis confraternitatum. (Ex sacr. congr. Concil.; et sacr. congr. Episcop. et Regul.) Decretis harum sacr. congr. consonat resolutio sacr. congr. Rituum anno 1704 edita, et a Clemente XI, constit. *Addebitum*, ut refert Benedictus XIV, *Instit. eccles.* inst. 105, n. 92, approbata. Hæc resolutio sequentia decrevit.

1. Confraternitates laicorum legitime erectæ in ecclesiis parochialibus, habent dependentiam a parocho in explendis functionibus ecclesiasticis non parochialibus.

2. Dictæ confraternitates erectæ in capellis, vel oratoriis tum publicis, tum privatis annexis parochialibus ecclesiis, ab eis dependentibus, habent dictam dependentiam a parocho quoad dictas functiones.

3. Confraternitates erectæ in aliis ecclesiis publicis, non habent quoad easdem functiones aliquam dependentiam a parocho, intra cujus parochiæ limites sitæ sunt ecclesiæ.

4. Confraternitates erectæ in oratoriis tam publicis, quam privatis sejunctis ab ecclesiis parochialibus quoad dictas functiones ecclesiasticas, non habent dictam dependentiam a parocho.

5. Benedictiones et distributiones candelarum, cinerum et palmarum, non sunt de juribus mere parochialibus.

6. Benedictiones mulierum post partum, fontis baptismatis, ignis, seminis, ovorum, et similium, non sunt de juribus mere parochialibus; sed benedictiones mulierum, et fontis baptismatis fieri debent a parocho.

7. Functiones omnes hebdomadæ sanctæ non sunt de juribus mere parochialibus.

8. Celebratio missæ solemnis feria quinta in Cœna Domini, non est de dictis juribus parochialibus, sed spectat ad parochum.

9. Prima pulsatio campanarum in Sabbato sancto non est de juribus parochialibus, sed spectat ad ecclesiam digniorem, ad formam const. Leonis X, num. 22, § 14.

10. Celebratio missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, non est de dictis juribus parochialibus; sed licere confratribus duntaxat in festivitatibus solemnioribus ejusdem ecclesiæ, vel oratorii, ut *in Brundusina* sub die 1 Junii 1601.

11. Expositio Quadraginta Horarum, et benedictio, quæ fit super populum, non est de dictis juribus parochialibus.

12. Expositio, quæ fit cum reliquiis, vel sacris imaginibus, et benedictio, quæ cum eis fit super populum, non est de juribus parochialibus, sed quoad benedictiones cum reliquiis et imaginibus serventur decreta.

13. An functiones in præcedentibus octo dubiis, videlicet a dubio quinto ad duodecimum expressæ, peragi possint in oratoriis privatis, contradicente parocho? Resp. *Satis provisum in superioribus*.

14. In dictis oratoriis privatis confraternitatum per confratres statis horis recitari possunt Horæ canonicæ cum cantu, vel sine cantu, absque licentia parochi, nisi aliter ordinarius statuat ex rationabili causa.

15. In dictis oratoriis privatis licita est

celebratio missæ privatæ, assentiente ordinario loci, et contradicente parocho.

16. Capellani confraternitatum possunt denuntiare festivitates, et vigilias occurrentes in hebdomada, absque licentia parochi.

17. Parochus, invitis confratribus, docere non potest doctrinam Christianam in prædictis ecclesiis, oratoriis publicis, vel privatis a parochiali divisis et separatis.

18. In sæpe dictis ecclesiis publicis confraternitatum possunt haberi publicæ conciones etiam per totum cursum Quadragesimæ, vel Adventus cum licentia ordinarii, et absque licentia parochi.

19. In eisdem ecclesiis non potest celebrari missa sive lecta, sive cantata ante missam parochialem, sive lectam, sive cantatam, nisi aliter episcopus disponat.

20. Ad parochum spectat facere officium funebre super cadaveribus sepeliendis in sæpe dictis ecclesiis, et oratoriis publicis confraternitatum, quando tumulandus est subditus parocho, intra cujus fines est ecclesia, vel oratorium.

21. Intra ambitum earumdem ecclesiarum fieri possunt processiones juxta cujusque confraternitatis institutum, absque interventu, vel licentia parochi.

22. Eædem processiones fieri nequeunt extra ambitum dictarum ecclesiarum absque licentia illorum parochorum, per quorum territorium transeundum est, nisi adsit licentia episcopi.

23. In dictis processionibus capellani confraternitatum nequeunt deferre stolam extra propriam ecclesiam.

24. Episcopo accedente ad ecclesias publicas confraternitatum, quæ non sint regularium, neque proprium rectorem beneficiatum habeant, non est porrigendum aspersorium a parocho, in cujus territorio sunt sitæ dictæ ecclesiæ.

25. Earumdem ecclesiarum, et confraternitatum rectores, et capellanos, nequit parochus, cessante alio speciali ac legitimo titulo, et solo jure parochialitatis, compellere invitos ad assistendum functionibus ecclesiæ parochialis.

26. In sæpe dictis ecclesiis confraternitatum, neque parochialibus, neque regularibus retineri nequit sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum sine speciali indulto sedis apostolicæ.

27. Præsupposita facultate retinendi, nequit infra annum publice exponi, sine licentia ordinarii.

28. Nequit parochus se ingerere in administratione oblationum, vel eleemosynarum in sæpe dictis ecclesiis recollectarum, vel capsulæ pro illis recipiendis expositæ clavem retinere.

29. In ecclesia parochiali confratres, vel eorum capellani, immiscere se non possunt, invito parocho, in ejusdem ecclesiæ functionibus, sive parochialibus, sive non parochialibus.

30. Confraternitates sive sint erectæ in ecclesia parochiali, sive extra illam, possunt pro libito, et juxta uniuscujusque peculiaria statuta, congregationes facere, absque interventu, vel licentia parochi, dummodo non impediant functiones, et divina officia.

31. Possunt propria bona administrare, atque de illis disponere absque ulla dependentia a parocho.

32. Quando parochus eisdem congregationibus intersit de mandato ordinarii et tanquam ejus delegatus, nequit suffragium decisivum ferre.

33. Nec consequenter habet suffragium duplex.

« Et ita (salvis tamen conventionibus e-pactis in erectione confraternitatum forsan factis, concordiis inter partes initis et a sancta sede approbatis, indultis, constitutionibus synodalibus, et provincialibus, et consuetudinibus immemorabilibus vel saltem centenariis) declaravit ac decrevit.... die 10 Decembris 1703. »

Occurrit illud celebre decretum apud Gardellini, n° 3521, sub rubrica *Urbis et Orbis*. Atque illud etiam per extensum transcripsit Benedictus XIV in sua instit. 105, in qua clarissimus pontifex confutat auctores qui, non obstante hoc decreto, contendebant dictas functiones non mere parochiales declaratas, non posse a capellanis in oratoriis ecclesiisve sodalitatum peragi, et concludit quod, nisi decreti sensus foret, dictas functiones nequaquam esse parochiales, posseque eas proinde in oratoriis peragi invito parocho, absona prorsus fuisset sacr. congr. agendi ratio. Nam decretum edebat, prout ipsamet expresse testatur, initio decreti, *ad debitum imponendum finem controversiis, quæ inter parochos et confraternitates sæcu-*

lares, earumque capellanos et officiales, super juribus parochialibus et functionibus ecclesiasticis.... Probat præterea ex verbis cardinalis Colloredi et duorum advocatorum consistorialium, qui concinnando decreto adlaboraverant, et etiam ex posterioribus sacrar. cong. decretis, et ex judiciis tribunalium Romanorum, eas functiones peragi licere in ecclesiis et oratoriis confraternitatum, nisi vetusta consuetudo aut leges diœcesanæ synodi id prohibeant.

II. Confraternitates subjacent ordinario; ideoque non possunt condere statuta sine episcopi approbatione, nec etiam uti statutis et gaudere indulgentiis archiconfraternitatis urbis aggregantis absque ejusdem episcopi approbatione, cum interventu duorum de capitulo; et quamvis aggregatæ, subsunt ordinario loci, ut per omnia declaravit sacr. congr. Concilii 29 Maii 1683; apud Monacelli, tom. II, tit. XIII, form. 7, adnot. 5 et 6.

III. Confraternitas ecclesiastica præsumitur, quoties habet ecclesiam cum altaribus, ubi omnes sacerdotes ad celebranda divina officia admittuntur indifferenter. Item, quando habet campanile cum campana.—Item, quoties ordinarius habet institutionem et destitutionem officialium.—Item, quando episcopus absque contradictione illam libere visitavit ad instar aliorum locorum ecclesiasticorum. — Item si confraternitas laicorum in alienatione bonorum adhibuit beneplacitum episcopi, vel apostolicum. — Item, quando confraternitatis lites active et passive fuerunt introductæ, et decisæ in tribunali ecclesiastico. — Item, quando solvit decimas papales. — Item enuntiativæ junctæ cum facto positivo probant ecclesiasticitatem. — Confraternitas attenta antiquitate, et visitationibus ordinarii, in dubio præsumitur erecta auctoritate episcopi.

Confraternitas in dubio potius præsumitur laicalis, quam ecclesiastica.

Confraternitas laicalis potest absque solemnitatibus juris canonici alienare res suas.

Confraternitas ecclesiastica non potest se subjicere statuto laicali, nec potest absque solemnitatibus juris canonici alienare res suas. (Ita probatum per omnia hujus n. 3, in decisione 35 sacr. Rotæ Romanæ, apud Monacelli, Append. *Decis. select.* t. II.)

IV. Confraternitates laicorum erectæ auctoritate ordinaria, subsunt eidem ordinario. — Confratres dissoluta confraternitate, non possunt disponere de illius bonis. — Bona confraternitatis dissolutæ dicuntur vacantia, et pertinent ad dispositionem ordinarii, donec papa aliter disponet, si confraternitas stat de per se; supellectiles destinatæ ad certum pium usum, et addictæ certæ ecclesiæ censentur eidem acquisitæ. — Bona confratrum, quæ non fuerunt acquisita intuitu ecclesiæ deponuntur apud rectorem ecclesiæ nomine episcopi (S. Rota Rom. *ibid.* decis. 42).

V. Officiales, seu rectores confraternitatum pro administratione salarium aliquod recipere non debent, sed gratis officium fideliter exercere. (Gavant., Franc. — Juspatronatus spectans ad confraternitatem laicalem, dicitur laicalis, nec cadit sub reservationes. (Nicol. *Lucub. canon.* lib. III, tit. 38.) — Confraternitates et cætera pia loca tenentur contribuere pro victualibus visitatoris. (S. congreg., Concil. 14 Decembr. 1654,) — Capellani confraternitatum non debent ab episcopo sine causa amoveri reluctantibus confratribus. (Ut censuit sacr. congr. Episc. *in Forosempronien.*, 3 Octobr. 1692; ita Monacell. tom. I, Append. adnot. super bullam Clementis VIII, 115, *Quecunque*, in qua, de forma servanda in erigendis et aggregandis confraternitatibus, p. 417, edit. Rom. in f°.

VI. Antiquæ sodalitates, quæ post Concordatum anni 1801, in Galliis noviter ac canonice erectæ non fuerunt, privilegia et indulgentias ipsis concessa amiserunt. Sac. congr. Indulgent. 20 Januarii 1858, *Tornacen.* Rector ecclesiæ in qua erecta fuit confraternitas scapularis B. M. V. de Monte Carmelo, nec ipse capellanus confraternitatis, eo ipso gaudent potestate admittendi confratres et benedicendi scapularia, non obstante consuetudine. Ita declaravit sacr. congr. Indulg. anno 1739. Ideoque debent postulare personalem facultatem.

§ IV. — De indulgentiis.

Indulgentiæ sese extendunt ad confraternitates sive Rosarii, sive Scapularii, sive B. M. V., sive quaslibet alias, propterea que aliquid scitu utilius hic recolligendum est.

I°. Exstant plura sacr. congregationis indulgentiarum decreta circa validitatem indulgentiarum et revocationem indulgentiarum confictarum et omnino falsarum. « Super his monendi sunt ab episcopo parochi, aliive animarum rectores, ut de usu, et vigore indulgentiarum populum

reddant instructum, ad hoc ut debita dispositione accedant ad lucrandum eas, ne illis abutantur, et venenum potius quam medelam inde propinent. (MONACELL. t. I, *Formul.* Append. annot. ad decreta sacr. congr. Indulg. p. 458.)

II. Clausula, quæ brevibus indulgentiarum apponi solet: *Volumus autem ut si alias Christi fidelibus dictam ecclesiam qualibet anni die visitantibus aliqua alia indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura, concessa fuerit, præsentes litteræ nullæ sint.* Hæc clausula minime continet altaria privilegiata pro defunctis, neque indulgentias, aut certo generi personarum concessas, ut confraternitati, regularibus et capitulo, aut certum pium opus in ipsa ecclesia peragentibus, ut litanias, aliasve hujusmodi preces recitantibus, ac iis qui Christiana doctrina erudiuntur, vel alios erudiunt, et qui SS. Eucharistiæ sacramenti expositioni cum oratione Quadraginta Horarum intersunt, neque stationum Urbis, et septem altarium indulgentias instar septem altarium basilicæ Vaticanæ concessas, neque demum quæ pro unica vice conceduntur. Cæterum si alia indulgentia, sive non plenaria in perpetuum, vel ad tempus, tum ab eodem, tum ab alio Romano pontifice, generatim Christi fidelibus ecclesiam, vel aliquod ejus altare, seu capellam visitantibus, eodem anni die, vel diverso, concessa fuerit, de qua non fiat in litteris apostolicis mentio, has litteras ob adjectam clausulam esse prorsus irritas ac nullas.» (Decret. sacr. congr. Indulgent. 23 Junii 1676, approbatum a summo pontifice, die 18 Martii 1677.)

III. In decreto *De indulgentiis fictis*, incip. *Delatæ sæpius*, a summo pontifice approbato 7 Martii 1678, sacr. congr. Indulgent. declarat apocryphas, revocatas et nullas multas fictas indulgentias quarum indicem longum refert. Et addit: « Nec ideo tamen vult alias, quas hoc decretum non continet, pro veris, et legitimis, taciteque probatis haberi.»

Deinde has regulas generales in dicto decreto ponit:

« Ac demum omnes indulgentias concessas ante decretum Clementis VIII latum 9 Januarii 1597, coronis, rosariis, granis, seu calculis, crucibus, et imaginibus sacris, vel ante breve Pauli V, quod incipit: *Romanus pontifex*, etc., editum 23 Maii anno 1606. personis regularibus quarumcunque religionum, et ordinum etiam mendicantium, vel ante constitutionem 115 Clementis VIII, cujus initium: *Quæcunque*, etc.; et 68 Pauli V, incipientem: *Quæ salubriter*, etc., habitas per aggregationem vel aliam communicationem ab archiconfraternitate ulla, ordine, congregatione, societate, etiam Jesu, capitulo, vel cœtu quocunque, vel ab eorum officialibus superioribus, aliisque personis, vel persona, etiamsi earum, vel ejus mentio specialis et individua facienda esset, nisi fuerint deinde Romani pontificis auctoritate innovatæ, aut confirmatæ, nullius esse roboris, et momenti pariter declarat.

« Porro summaria indulgentiarum pro congregationibus doctrinæ Christianæ, confraternitatibus SS. Trinitatis, et Redemptionis captivorum, Nominis Dei, Rosarii, B. M. de Mercede, et Redemptionis captivorum, B. M. de Monte Carmelo, centuræ S. Augustini, et S. Monicæ, nisi ab eadem congregatione recognita, non permittuntur.

« Indulgentias vero stationum Urbis, quæ a Romanis pontificibus singulari quodam beneficio, vel communicatæ sunt, vel communicabuntur interdum aliquibus locis, ordinibus, aut personis, diebus tantum stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat: semel autem duntaxat in die plenariam indulgentiam in certos dies ecclesiam visitantibus concessam, vel aliud pium opus peragentibus lucrifieri. »

Hoc igitur decretum attendendum est ad authenticitatem indulgentiarum recognoscendam.

IV. *De publicatione indulgentiarum*, sacrosancta synodus Trident. sess. 21, cap. 9. *De reform.* sic statuit: *Indulgentias vero, aut alias spirituales gratias, quibus non ideo Christi fideles decet privari, deinceps per ordinarios locorum, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decernit.* — Nullus ergo sine ordinariorum licentia et auctoritate poterit novas indulgentias publicare, non obstante quacunque exceptione aut exemptione, etiamsi regularis sit aut in ecclesiis ipsorum regularium, etiamsi prætextu privilegiorum, v. gr. confraternitatis Rosarii: sed per ordinarium, adhibitis duobus de capitulo, debitis temporibus, populo publicari debent:

ut a sacr. congr. Concil. super cap. 9, sess. 21, *De reform.* decisum fuit, teste Monacell. t. II, tit. XVI, formul. 6, adnot. 8.) Et declarat. ad concil. Trident. cap. 9 ejusdem sess., ubi etiam sic declaratur n. 3. *Indulgentiae vero*, etc. Per hujus decreti posteriorem partem non possunt ordinarii locorum prohibere, quominus religiosi indulgentias, sibi olim a summo pontifice concessas, publicent, nullo etiam verbo cum eis facto, at indulgentias, sibi ipsis denuo concessas, absque ordinarii licentia publicare non possunt.

Ex præfatis concludendum est: 1. Prohibitum est novas indulgentias a sancta sede concessas in favorem populi publicare priusquam exhibeantur ordinariis locorum, qui eas recognoscunt ac publicationem permittunt. Hæc Tridentina prohibitio non est tamen sub pœna nullitatis: sed delinquentes puniri possunt ab ordinario.

2. Non est necesse recognitio et licentia ordinarii ad publicandas indulgentias olim a summo pontifice concessas jamque publicatas, nec possunt ordinarii locorum harum indulgentiarum publicationem prohibere. Idem dicendum est de indulgentiis auctoritate sanctæ sedis seu congregationis Indulgentiarum publicatis, ut v. gr. indulgentiæ desumptæ ex collectione authentica indulgentiarum *La raccolta*, quæ Romæ publicatur, aut ex traductionibus ejusdem collectionis decreto sacr. congr. approbatis. Quia hæc collectio authentica publicatur auctoritate sanctæ Sedis pro omnibus fidelibus, et sic satisfit decreto Tridentino per recognitionem et publicationem sanctæ Sedis, quæ est ordinarius ordinariorum.

3. Recognitio et licentia ordinarii non est necessaria pro indulgentiis a sancta Sede concessis in favorem privati seu familiæ, quia publicatione non indigent.

V. Ut vero provideatur efficacius authenticitati indulgentiarum, vi decreti quod sacr. congr. tulit 19 Januarii 1756, et anno 1856, die 4 Aprilis innovavit, omnes qui a summo pontifice impetrant concessiones generales indulgentiarum, tenentur sub pœna nullitatis gratiæ obtentæ, exemplar earumdem concessionum ad secretariam ejusdem congr. deferre.

VI. « Indulgentiarum libri omnes, Diaria, Summaria, Libelli, Folia, etc., in quibus earum concessiones continentur, non edantur absque licentia sacr. congr. Indulgentiarum. » (*Decret. de libris prohibitis*, § 3, n. 12, in Indice librorum prohibitor. Sub hoc decreto cadere non videntur iteratæ publicationes indulgentiarum cum licentia sacr. congr. jam editarum, ut verbi gratia excerpta ex collectione authentica *La Raccolta;* quia hujusmodi indulgentiæ non sunt novæ, et jam cum licentia sacr. congr. editæ sunt pro omnibus, qui legere possunt collectionem authenticam *La Raccolta*. Igitur omnes sive parochi sive sacerdotes alii possunt ad cognitionem fidelium deferre, absque alia licentia, indulgentias ex hac collectione authentica desumptas. Idem dicendum est de edenda concessione alicujus indulgentiæ, vel summarii indulgentiarum quod ex brevi apostolico vel rescripto desumendum est; et in potestate ordinarii est licentiam concedere earumdem indulgentiarum concessiones typis imprimendi (dummodo pro aliquo elencho non sit specialis et expressa prohibitio). E contra vero, si sermo sit de summario antea collecto, sed nondum approbato, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendo, requiritur expressa sacr. congr. Indulgentiarum licentia. Ita declaravit sacr. congr. Indulg. 14 Decembr. 1857, et declaratio approbata fuit a summo pontifice Pio IX, 22 Januar. 1858.

XII. *De conditionibus pro indulgentiis lucrandis.* — 1. Hujusmodi conditiones debent adimpleri prout præscriptæ sunt.

2. Sed de confessione in bullis præscripta fere communis theologorum sentit quod non est necessarium ad acquirendam talem indulgentiam facere confessionem die, vel tempore quo indulgentia est lucrifacienda, sed satis est quod post ultimam confessionem perseveret in gratia usque ad talem diem, vel tempus indulgentiæ lucrifaciendæ. Et ratio est, quia non exigitur confessio tanquam opus injunctum per modum oneris, sed solum requiritur ex parte subjecti tanquam dispositio ad lucrandam indulgentiam; unde, qui post ultimam confessionem perseveret in statu gratiæ consequitur effectum indulgentiæ, implet enim formam indulgentiæ, cum sit vere pœnitens et rite confessus. Unde illud participium *confessis* exponendum est, hoc pacto, id est, qui sunt vel fuerunt confessi, ut recte Graffius... et alii. Imo nedum non

requiritur confessio peccatorum mortalium alias rite confessorum, sed neque confessio venialium, nisi in concessione indulgentiæ expresse requiratur confessio etiam de solis venialibus... Et ratio est quia, quando in bulla exprimitur confessio, sermo est de confessione respectu illius qui conscientiam habet peccati mortalis obnoxiam, nisi aliud exprimatur; confessio enim simpliciter dicta ex communi usu et sensu Ecclesiæ censetur confessio mortalium. (Arg. cap. *Omnis utriusque sexus*, *De pœnit. et remis.*) Et ob id Ecclesia, sicut non solet præcipere confessionem venialium, ita neque consuevit confessionem venialium requirere ad consequendam indulgentiam, ut recte Bonacina et alii. (Ita Ferrar. verb. *Indulgentia*, art. 3, n. 33 et 34; et fere in iisdem terminis Monacelli, t. II, tit. xvi, form. 6, annot. 3.) Nunc autem, hac theologorum sententia non obstante, servanda est dispositio decreti sacr. congr. Indulgentiarum, emanati die 19 Martii 1759, tenoris ut sequitur:

« Ut Christifideles scire possint quid sibi tenendum foret pro acquirendis indulgentiis in sententiarum varietate super intelligentia verborum : *Qui vere pœnitentes, confessi, ac sacra communione refecti, ecclesiam visitaverint*, quæ in indulgentiarum brevibus inferri solent, in congregat. indulgentiis sacrisque reliquiis præposita discussis die 31 Martii proximi præteriti nonnullis dubiis, eadem sacr. congr. fuit in voto confessionem sacramentalem, quando in brevibus apponitur pro indulgentiarum consecutione, peragi omnino debere etiam ab iis qui lethalis peccati conscii non sunt, necnon præfatam confessionem suffragari etiam posse, si explicatur in vigilia festivitatis. Quod autem ad ecclesiæ visitationem spectat, eam impleri posse, sive ante sive post aliorum piorum operum implementum.

« Factaque de iis per me infra scriptum ejusdem sacr. congr. secretarium relatione sanctissimo D N., Sanctitas Sua ejusdem sacr. congr. votum benigne approbavit, illudque publicari mandavit, quibuscunque in contrarium facientibus non obstantibus. » [F. I. Card. Portocarrero, Præfect.]—[A. E. *Vicecomes*. S. C. *Indulg. secret.*]

Addendum est hoc aliud decretum ejusdem sacr. congr. in declarationem præcedentis emanatum et a sanctissimo D. N. approbatum die 9 Decemb. 1763, et publicatum :

« Hoc ultimo decreto indultum fuit omnibus Christi fidelibus qui, frequenti peccatorum confessione animam studentes expiare, semel saltem in hebdomada ad sacramentum pœnitentiæ accedere, *nisi legitime impediantur*, consueverant, et nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam confessionem commissæ sibi conscii sunt, ut omnes, et quascunque indulgentias consequi possint etiam sine actuali confessione, quæ cæteroquin juxta præfati decreti definitionem ad eas lucrandas necessaria esset. Nihil tamen innovando circa indulgentias jubilæi tam ordin. quam extraordin. aliasque ad instar jubilæi concessas pro quibus assequendis sicut et alia opera injuncta, ita et sacramentalis confessio tempore in earum concessione, præscripto peragantur..... »

Super quo decreto animadvertendum videtur quod clausula *nisi legitime impediantur semel saltem in hebdomada ad sacram pœnitentiæ accedere*, redit ad sententiam theologorum pro iis qui *legitime impediti* non potuerunt ad sacramentum pœnitentiæ accedere in hebdomada; scilicet, ut taliter impediti, et *nullius lethalis culpæ a se post peractam ultimam confessionem commissæ sibi conscii... omnes, et quascunque indulgentias consequi possint etiam sine actuali confessione*. Sed pro iis qui legitime non impediuntur, confessio in hebdoma necessaria est.

Sequitur etiam ex ultimo decreto quod per unicam solam confessionem et communionem potest quis lucrari plures indulgentias eodem die diversis ecclesiis seu operibus concessas, ut tenent communiter doctores. « Imo idem dicendum est, licet secunda indulgentia non eadem die, sed sequenti, vel intra debitam distantiam occurrat, dummodo perseveret in statu gratiæ; ita multi, et aliqui extendunt *debitam distantiam* ad quatuor dies, et theologi collegii Romani (uno excepto) ad hebdomadam. » (Apud Ferrar. verb. *Indulgentia*, art. 3, n. 32.)

« Tandem ad lucrandas indulgentias requiruntur sequentes conditiones : 1° ut lucraturus indulgentiam sit in gratia Dei constitutus eo tempore quo indulgentiam consecuturus est, quia reatus pœnæ nunquam aufertur nisi ablata culpa. 2° Ut sit subditus concedentis, seu, si sit exemptus, exsistat

saltem intra territorium jurisdictionis illius. 3° Ut non sit ligatus excommunicatione majore, quia hæc privat communione bonorum spiritualium. 4° Ut opera præscripta integre perficiat. 5° Ut ea perficiat ad intentionem concedentis indulgentiam. 6° Ut ea perficiat per se ipsum, excepta eleemosyna, quæ etiam per famulos potest fieri a domino. 7° Ut saltem ultimum opus præscriptum perficiat in statu gratiæ. 8° Ut habeat intentionem saltem habitualem et interpretativam eas lucrandi. » (FERRAR. *ibid.* art. 2, n. 41.)

§ V. — De libris seu regestis quos tenere debet parochus.

Parochi quinque libros, qui paroçhiales nuncupantur, habere, et retinere debent : in quorum *primo*, status animarum parochiæ conscribitur, et hic, si non in singulis annis, triennio saltem renovatur. *In secundo*, baptizatorum nomina describuntur. *In tertio*, confirmatorum. *In quarto*, contrahentium matrimonia. *In quinto*, mortuorum, quos omnes legaliter retentos custodire tenetur, ut docet Zecch. *De republ. eccles.* tit. *De paroch.*, cap. 28, num. 23, vers. *Idem quoque*.

« Legaliter tunc dicuntur dicti libri retenti si bene compacti, et cartulati alium titulum non habent, nec aliquid aliud extraneum ibidem adnotetur, suntque authentici, et plene probant ea, quæ ad officium parochi pertinent, ut advertit Pac. Jord. »

« Formulæ autem, quibus describendæ sunt particulæ baptizatorum, confirmatorum, contrahentium matrimonium, ac mortuorum, possunt esse infrascriptæ, quæ hic apponuntur, non solum pro instructione parochorum, sed episcoporum, et aliorum diœcesim visitantium, ut possint eosdem libros ad debitam formam reducere, quatenus male, et inscite retentos (ut sæpe et sæpissime accidit) inveniant. »

I. — *Descriptionis natorum, et baptizatorum formulæ.*

Formula I. — Die... mensis... anni... Ego N. parochus ecclesiæ N. baptizavi infantem natum in hac mea parochia die... hora... (*quatenus sciri possit*) ex N. et N. legitimis conjugibus hujus civitatis, cui impositum fuit nomen N. patrinus fuit N., de parochia N., et matrina N. de parochia N.

Formula II. — (*Nati ex parentibus incertis.*) — Die... mensis... anni... ego N. parochus N. ecclesiæ N. baptizavi infantem natum in hac civitate (vel alio loco) ex parentibus incertis... die... hora... (quatenus sciri possit) cui impositum fuit nomen N., patrinus fuit N. ex parochia N., et matrina N. ex parochia N.

Si autem sciatur mater, scribatur nomen ejus, quatenus non adsit periculum infamiæ, cujus occasio semper tollenda est.

Formula III. — (*Expositi.*) — Die... mensis... anni... Ego N. parochus ecclesiæ N. loci N. baptizavi infantem expositum in loco N. repertum ibidem ab N. et verisimiliter natum tribus abhinc diebus, cui impositum fuit nomen N., patrinus fuit N., et matrina N. ex hac mea parochia (*vel alia*).

Formula IV. — (*Si infans fuisset domi baptizatus ob periculum mortis, qui postea decessit, scribatur in libro ut sequitur.*) — Die... mensis... anni... hora... natus est infans filius legitimus et naturalis N. et N. conjugum hujus meæ parochiæ, qui ob imminens periculum mortis postea secutæ baptizatus fuit domi eorumdem ab N. obstetrice approbata (*vel alio*) cui impositum fuit nomen N., patrinus (*vel matrina*) fuit N.

Formula V. — (*Pro eodem, si periculum mortis evasit.*) — Die... mensis... anni... natus est infans filius legitimus, et naturalis N. et N. conjugum hujus meæ parochiæ N. qui ob periculum mortis baptizatus fuit domi dicta die *ab obstetrice approbata*, quo tamen postea evaso, et delatus ad ecclesiam, ego N. parochus explevi cæremonias, et preces præscriptas a rituali, et quia domi non fuit impositum nomen, in ecclesia per me impositum fuit nomen N., patrinus domi fuit N.

Formula VI. — (*Pro eodem, quando dubitatur de validitate baptismi.*) — Die... mensis... anni... hora... natus est infans filius legitimus et naturalis N. et N. conjugum hujus meæ parochiæ N., qui ob periculum imminens mortis baptizatus fuit domi ab N., et postea mortis discrimine evaso, delatus fuit ad hanc ecclesiam parochialem pro supplendis solitis cæremoniis; sed quia in examine per me diligenter habito dicti baptizantis super forma et modo baptismi per eum collati, dubitavi de illius validitate, ideoque ego N. parochus baptizavi dictum infantem cum conditione : *Si valide non est baptizatus*, etc.; nomenque imposui N., patrinus fuit, etc.

Et singulis formulis additur signatura parochi baptizantis.

II. — *Descriptionis confirmati formula.*

Die... mensis... anni... N. episcopus N. *occasione visitationis* pontificaliter indutus ministravit solemniter sacramentum confirmationis in ecclesia N. terræ N. et fuerunt confirmati sequentes.

N. ætatis annorum... filius N. et N. conjugum parochiæ N., patrinus N. filius N. parochiæ N. loci N.

Et sic describantur mares separatim a feminis in eodem libro ordine alphabetico, exprimendo ætatem, et qualitatem adultorum, præsertim si sint conjugati.

III. *Descriptionis matrimonii formula.*

Ego N. parochus ecclesiæ N. hujus civitatis (vel loci) N., factis tribus solitis denuntiationibus in tribus diebus festivis de præcepto inter missarum solemnia, id est die... quæ fuit Dominica 2 mensis.., secunda die sancti N., et tertia die... in hac mea ecclesia super matrimonio contrahendo inter N. et N. nulloque detecto impedimento, eisdem N. viro, et N. muliere interrogatis et eorum mutuo *habito consensu et intellecto*, eos per verba de præsenti in eadem ecclesia, servata forma a sacro Concil. Trident. præscripta, solemniter in matrimonium conjunxi, ibidem præsentibus N. N. et N. N. testibus, mihi bene cognitis de loco N. qui conjuges post celebrationem missæ *benedictionem* in missali, et rituali sponsis præscriptam a me acceperunt.

Et *sequitur signatura parochi.*

« Præterea debet parochus formulam descriptionis ampliare et restringere, et variare juxta matrimonii circumstantias, puta quod debeat exprimere, *primo*, quando denuntiationes, vel earum aliquæ fuerunt omissæ ex dispensatione episcopi. *Secundo*, si alius sacerdos de licentia ipsius parochi, episcopi, aut vicarii generalis, matrimonium celebravit; tunc enim parochus scribit particulam, et sacerdos illam subscribit. *Tertio*, quando conjuges fuerunt a Sede apostolica dispensati super impedimento publico, et vigore licentiæ ordinarii matrimonium fuit celebratum. *Quarto*, quando de licentia episcopi matrimonium celebratur domi. *Quinto*, quando celebratur in alia ecclesia, quam parochiali.

« Sciat parochus quod, si matrimonium contractum in libro non descripserit, peccati mortalis reus erit, quia spernit præceptum concilii in re gravi, ut pluries firmavit Rota, decis. 233, n. 11, par. 10, et alibi, recent... Unde si in visitatione episcopus inveniat eum in hoc deficere, reprehendat et puniat.

« Et tandem quæcunque ab episcopo, vel ejus vicario generali circa matrimonium contrahendum fuerunt concessa, et scripto ordinata, et dispensata, parochus diligenter custodiat, et servet. » (MONACELLI, t. I, tit. x, form. 8.)

Opportunum foret ut omnia episcopalia scripta et dispensata circa matrimonium transcriberentur in regesto aliquo ad hoc destinato.

IV. — *Descriptionis mortuorum formulæ.*

Formula I. — N. N. fil. quondam N. ætatis suæ annorum... circiter, degens in via... hujus meæ parochiæ, in communione sanctæ matris Ecclesiæ ex hac vita decessit, et animam Deo reddidit die... receptis antequam decederet omnibus sacramentis, atque per me animæ commendatione adjutus; cujus corpus die... mensis... anni... *tumulatum fuit* in hac ecclesia parochiali N... in sepulcro... præsentibus N. N. et aliis.

Ita est N. parochus ecclesiæ S. N. loci N.

Hæc clausula *tumulatum fuit* debet necessario exprimi, aliter fides parochi non probat mortem.

Formula II. — N. N. ætatis suæ annorum... circiter, degens in via... hujus meæ parochiæ *morte improvisa* præventus ex hac vita migravit, cui propterea non potuerunt sacramenta ministrari, cujus corpus ad hanc ecclesiam delatum, in eadem die... mensis... anni... tumulatum fuit in sepulcro N. præsentibus N. testibus.

Ita est N. parochus, etc.

Formula III. — N. N. filius N. et N. conjugum hujus meæ parochiæ, puer (vel puella) sex annorum circiter, ex hac vita evolavit ad cœlum die... cujus corpus ad hanc ecclesiam parochialem delatum, in eadem die... mensis... anni... tumulatum fuit in sepulcro dictæ familiæ, præsentibus N. et N.

Ita est N. parochus, etc.

Formula IV. — N. N. ætatis suæ annorum... hujus meæ parochiæ ictu sclopi (sive ensis, sive gladii) percussus in via... audita per me ejus confessione, et per eum sacramentali absolutione recepta antequam exspirasset, obiit in communione sanctæ matris Ecclesiæ, cujus cadaver ad ecclesiam N. ubi sepulturam sibi elegit delatum, ibidem die... mensis... anni... tumulatum fuit in sepulcro N. præsentibus N. et N. loci N.

Ita est N. parochus, etc.

Formula V. — N. N. uxor N. hujus meæ parochiæ ætatis suæ annorum... circiter, degens in via... receptis sanctis sacramentis pœnitentiæ, et Eucharistiæ, vi morbi oppressa, antequam extrema unctione potuisset muniri, ab hac vita in communione sanctæ matris Ecclesiæ die... mensis... anni... discessit, cujus corpus ad ecclesiam N. in qua sibi sepulturam elegit delatum die... sequenti dicti mensis ibidem tumulatum fuit in sepulcro N. præsentibus N. et N.

Ita est N. parochus, etc.

Præcedentes formulæ transcriptæ sunt ex Formulari legali practico Monacelli, t. I, tit. x.

V. — *Descriptionis status animarum.*

In hoc libro inscribi debent familiæ per familias, cum indicatione loci vel viæ habitationis; in unaquaque pagina relinquitur margina sufficiens ex utraque parte. In una marginarum notatur uniuscujusque ætas; his qui jam ad communionem accesserunt adjiciatur *co*; his qui confirmati sunt, *ch.*; his qui utrumque sacramentum receperunt, *co. ch.* In altera margina indicari debent omnes qui proximi sunt ætati, in qua possunt

admitti ad sacramenta; fiat etiam alia nota eorum qui rudimenta fidei ad salutem necessaria ignorant. Præterea sciat parochus singulorum pietatem, virtutes, vitia et defectus, ut in occasione possit remedia præbere ad episcopum respondere et recurrere; omnia accurate fieri possunt ut in sequ schemate.

Status animarum Parochiæ N. loci N. pro anno **1859.**

Dies et annus.	NATIVITATIS *Locus.*	*Baptizatus.*	*Communicatus.*	*Chrismatus.*	*Familia N. .... via N. (seu regio N.) N° (domus) etc.*	*Ætas.*	*Ignorat.*	Pœn Jej
1° Martii	1787. Parisiis.	4° Martii 1787.	Co.	Ch.	Joannes N., Avus.	72 an.		adimpl
4° Aprilis	1819. Lugduni.	8° Aprilis 1819.	Co.	Ch.	Franciscus N., filius Joannis, et Pater.	40 an.		adimpl
15° Maii	1824. ibid.	20° Maii 1824.	Co.	Ch.	Maria N. uxor Francisci et Mater.	35 an.		adimpl
6° Augusti	1843. ibid.	8° Augusti 1845.	Co.	Ch.	Ludovicus N. filius Francisci et Mariæ.	14 an.		adimpl
8° Septbr.	1847. ibid.	10° Septemb. 1847.	Co.	Ch.	Francisca N. filia eorumdem.	12 an.		adimpl
20° Januarii	1849. ibid.	22° Januarii 1849.	Co.		Petrus N. filius eorumdem.	10 an.		adimpl
28° Februar.	1851. ibid.	2° Martii 1854.			Maria N. filia eorumdem.	5 an.	Ignorat.	
5° Junii	1834. Lucernæ (in Suessia.)	6° Junii 1834.			Carolus N. (Calvinista).	25 an.	ignorat.	nn.
7° Julii	1829. Lugduni.	9° Julii 1829.	Co.	Ch.	Theresia N.	30 an.		adimpl

VI. Præter quinque libros parochiales parochus alios libros seu regestos retinere debet : *primo*, librum onerum missarum et fundationum ; *secundo*, librum administrationis et computorum redituum et bonorum ecclesiæ et etiam expensarum ; *tertio*, librum memorialem consuetudinum parochiæ et eventuum notabilium, installationum parochorum et aliorum, visitationum episcopalium et decretorum in visitationibus latorum, et etiam inventariorum in morte et in institutione uniuscujusque parochi factorum, etc. Quæ omnia inscribi possunt sive in uno, sive in pluribus libris.

CAPUT XV.

De parochi obligationibus erga ecclesiam materialem, capellas si sint, et fabricam ecclesiæ.

§ I. — De reparatione ecclesiæ parochialis et capellarum.

I. Pro reparanda corruente ecclesia standum est specialibus locorum consuetudinibus. (Ita Abbas in cap. *Quicunque* 1, *De ecclesiis ædificandis ;* Barbosa, in id.; Reiff. *ibid.*; arg. c. *Ad apostolicam* 42, *De Simonia ;* c. *Decernimus* 10, causa 10, quæst. 1.)

II. Nulla speciali consuetudine in loco exsistente, ecclesia debet reparari de suis redditibus. (C. *Placuit* 1 ; C. *Priscis* 2; C. *Unio* 3, causa 10, quæst. 3; *Conc. Trid.* sess. 21, cap. 7, *De reform.* et communis doctorum.)

III. Si ecclesia nullos habeat reditus, vel saltem non sufficientes ad reparationem, eam reparare tenetur, si sit parochialis, proprius parochus, si sit dives (Textu expresso in cap. *De his* 4, *De eccles. ædific.*), et si ecclesia non sit parochialis, ad eam reparandam tenentur omnes in illa beneficium habentes. (Textu expresso in c. *Quicunque* 1, *De ecclesiis ædificandis.*)

IV. Si ecclesia nullos reditus habeat, beneficiati non nisi necessaria, vel alia superflua, sed ad reparationem insufficient percipiant; tunc ad ecclesiam reparandam nentur patroni, et parochiani, qui in illa clesia sacramenta, vel alia divina percipi et in quorum gratiam est reparanda. Tex expresso in *Concil. Trident.* sess. 21, cap. *De reform.* ibi : ***Parochiales vero eccles etiamsi juris patronatus sint, ita colla refici et instaurari procurent*** (episc ***ex fructibus et proventibus quibuscun ad easdem ecclesias quomodocunque p tinentibus ; qui si non fuerint sufficien omnes patronos, et alios, qui fructus alig ex dictis ecclesiis provenientes percipi aut in illorum defectum parochianos om bus remediis opportunis ad prædicta cogat quacunque appellatione, exemptione, et co tradictione remota : quod si nimia egestas omnes laborent, ad matrices, seu vicinio ecclesias transferantur : cum facultate in dictas parochiales, quam alias ecclesias fr rutas, in profanos usus, non sordidos, cr cta tamen ibi cruce, convertendi.***

Idem dicendum est de ecclesiis seu capellis, non parochialibus, sed ad parochus pertinentibus, scilicet ad patronos, beneficiatos et populum spectat easdem instaurare. (Ex eodem cap. 7 sess. 21, sub initio « Si populus nolit ecclesiam, quæ minatur ruinam, instaurare, debet penitus d struere, sed in hoc casu tantum proposito. Sac sacr. congr. Concilii noluit, quod procedi generaliter, ne scilicet episcopi sumpta occasione ecclesias transferrent, etiamsi ec

clesiæ non essent ita collapsæ et ruinam minitantes; hoc enim severe prohibet fieri. Non est tamen per episcopum ullum novum onus imponendum ex conjecturis, vel verisimilitudinibus. » — « Idem censuit congr. de domibus pro necessaria parochi habitatione intelligendum, quod de ecclesiis parochialibus decisum est, omni contradictione remota. » — « Pro hac instauratione (sive ecclesiæ, sive domus) non sunt sequestrandi fructus pro parochi victu. » — « Ecclesia seu capella diruta potest transferri ad matricem seu viciniorem ecclesiam, ubi erigendum est altare, sub eadem invocatione, imposito onere titulari; ut nimirum episcopus curet ibi celebrari singulis hebdomadibus per sacerdotem idoneum, si adsint sufficientes reditus. Cæmenta, lapides altarium, vel ecclesiarum destructarum in profanos usus, non sordidos, vendere potest episcopus, sed potius attribuenda sunt ecclesiæ quæ est caput dictarum capellarum, quam alteri cuicunque. » (Arg. ex cap. 7, sess. 21 *Trident.*; et sacr. congr. Concil.) — « Cœmeterium item profanandum, et deinde ossa transferenda sunt ad novum cœmeterium, quod a titulari constituatur in eo loco, quo magis placuerit populo construendum. » (Ita per omnia *declarationes* sacr. congr. Concil. super cap. 7, sess. 21 *Trident.* edit. Coloniæ 1754.)

V. Unde ex canonistis Benedictus XIV, *Instit. eccles.* inst. 100, per tot., ita dilucide resumit : « Ecclesia parochialis si forte corruerit, vel reparatione indigeat, tenetur illam resarcire fabrica, si adsit; sin minus, tenetur parochus, non quidem reditibus suis patrimonialibus, sed ex reditibus beneficii, si ad suam sustentationem supersint; quanquam non supersint ad sustentationem propinquorum ejusdem parochi. Tertio loco, qui habent beneficium ecclesiasticum in illa ecclesia. Quarto loco, si parœcia est de jurepatronatus, tenetur patronus suis sumptibus id agere; ita tamen, ut si infra præfixum ab episcopo tempus noluerit sumptus illos subministrare, amittat juspatronatus illud. Denique ultimo loco tenetur populus, et qui in ea parœcia habitant, etiamsi conducant domos alienas, et dominus illorum alibi habitet; possunt tamen in eo casu ex pensionibus retentis se indemnes reddere. »

VI. Quæ dicta sunt de reparatione ecclesiæ intelligenda etiam sunt de reædificatione, seu reparatione domus parochi, aut beneficiati, ita ut qui tenetur ad reparationem ecclesiæ, teneatur etiam ad reparationem ædium rectoris ecclesiæ, prout decrevit sacr. congr. Concil, teste Barbosa in cap. *De his* 4, *De eccles. ædific.* et aliis doctoribus. Imo supradicti (deficientibus ecclesiæ reditibus et contraria non exstante legitima consuetudine) tenentur etiam ad procuranda et reparanda paramenta et ornamenta ecclesiastica, scilicet casulas, pluvialia, albas, calices, et hujusmodi. (Arg. cap. *Quicunque* 1, *De eccles. ædific.*; sic doctores.) Ad hæc facit et scire juvat sequens decretum sacr. congr. Concilii :

« Utensilia sacra non tenetur rector ecclesiæ subministrare illis sacerdotibus qui in eadem celebrant ex obligatione beneficii, seu capellaniæ. Quatenus vero permittat, seu recipiat missas adventitias in sua ecclesia celebrari, tenetur ad dictam subministrationem. Non potest demum cogi ad admittendas missas adventitias nisi solitis utensilibus. » (S. congr. Concil. *in Derthonen.* 6 Julii 1726, ad 11 dub.)

VII. In Galliis, cum per articulum 14 Concordati 1801, « gubernium in se recepit, tum episcoporum, tum parochorum, quorum diœceses atque parochias nova circumscriptio complectitur, sustentationem, quæ cujusque statum deceat, » et suppressa alienataque beneficia ecclesiastica, sequitur parochos Galliarum nullo modo teneri ad restaurationem sive ecclesiæ sive domus presbyteralis, sed hoc onus spectare ad gubernium, ad fabricas et ad parochianos, saltem jure canonico. De hoc jure civili statuit gubernium, ut suam ex Concordato contractam obligationem adimpleret.

§ II. — De administratione bonorum ecclesiasticorum juxta leges canonicas, et de fabricis parochiarum.

I. Jure naturali administratio boni cujuscunque in arbitrio est illius qui habet rei dominium aut possessionem et usumfructum. Eodem jure naturali ecclesia bona temporalia possidet et possidere debet; ideoque eorumdem bonorum regimen ipsa rerum natura ad rectores ecclesiæ pertinet.

II. Jure divino omnia quæcunque bona ecclesiastica ad Ecclesiam universalem pertinent. Itaque regimen quorumcunque bono-

rum ecclesiæ obnoxium est auctoritati sanctæ sedis apostolicæ. Quia vero episcopi a sancta Sede missionem divinam regendi in spiritualibus et temporalibus eam partem Ecclesiæ universalis, quæ diœcesis nuncupatur, accipiunt, a summo pontifice etiam accipiunt potestatem administrandi omnia bona ad Ecclesiam universalem pertinentia, quæ diœcesi ipsis commissæ tributa sunt, juxta tamen leges pontificias et cum debita subjectione erga sanctam Sedem.

III. Jure canonico seu pontificio administratio bonorum ecclesiasticorum committitur titulari ecclesiæ, seu beneficii cui hæc bona attributa sunt, sub auctoritate episcopi.

IV. Laici quicunque etiam principes et reges nullum jus habent sese immiscendi in regimine et administratione bonorum ecclesiasticorum. Hæc conclusio certa est apud omnes catholicos et omnino tenenda, prout innumeris atque invictissimis auctoritatibus demonstrant doctores, inter quos sic Fagnan. in cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, {*De constitut.* n. 15 : « Bona ecclesiarum et clericorum esse et ipsa exempta a jurisdictione principis sæcularis, magna Patrum consensione, et vehementi in laicos sibi in illa jus aliquod vindicantes increpatione, declaratum est in synodo Romano III (relato in capite *Bene quidem*, 96 distinct.) et in synodo Romano VI (cujus decretum refertur in capite *In canonibus*, causa 16, quæst. 1) : in concilio generali sub Innocentio III, capite 44 (relato in capite *Cum laicis*, *De rebus eccles. non alienand.*) de quo etiam est textus apertus hic. Et hanc quoque exemptionem esse de jure divino constat evidenter ex dicto capite *Quanquam*, *De censibus*, lib. I, ibi : *Cum igitur ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solum jure humano, quinimo et divino a sæcularium exactionibus sint immunes.* (Ad idem textus irrefragabilis in cap. *Non minus*, *De immunitatibus Ecclesiæ.*) Et dicit eam esse communem et veram sententiam canonistarum Gregorius de Valentia. Adducit Fagnanus plures alios doctores eam doctrinam propugnantes. Tum prosequitur : « Quamobrem cum tam ecclesiæ quam personæ ecclesiasticæ, et earum bona sint prorsus exempta a sæculari jurisdictione, necessario hinc sequitur, ut princeps sæcularis nullam sibi auctoritatem aut jurisdictionem in ecclesias, personas et bona hujusmodi possit vindicare; ut de his [illegible] nibus est textus hic (c. *Ecclesia*) in [illegible] cap. *Cum laicis*, et cap. *Inter hæc*, causa quæst. 2, ubi dicitur *sanctam Dei Eccle nunquam humanis legibus constringi*; et mant passim interpretes omnes in locis pra citatis. Unde etiam infertur ut ea leges, quæ habentur in titulis Co (nempe Justiniani) *De sacrosanctis eccle De episcopis et clericis*, et in authentica *sanctissimis episcopis*, cum similibus, valeant ex defectu potestatis; cum de e siis, de personis ecclesiasticis et earum nis specialiter loquantur... Hinc etiam ut nulla ratio habenda sit solemnitatis ab peratore introductæ in alienatione bo rum Ecclesiæ... Ejusmodi autem legibus cri canones vehementer resistunt; it earum conditores etiam sententiæ exc municationis subjiciant. » (Idem erudit c. 11, sess. 22 *Trident.*)

Ex concessione tamen Sedis apostol per concordata aut aliam viam, juris ali in administrandis bonis ecclesiasticis su lari potestati competere potest. Et re Ecclesia bonorum suorum administratio quibusdam laicis committere potest et c misit. Ante tamen sæculum decimum q tum, generaliter loquendo, nulla inve manifesta et ordinaria immistio laicorum hujusmodi administratione. Nulla gene lege statuitur de electione, constitutione bricarum laicorum. Sed paulatim inva consuetudo, qua laici ex tolerantia et auc ritate Ecclesiæ in partem administratio bonorum ecclesiasticorum vocati sunt, semper rectoribus ecclesiarum et episco rationem reddere debuerunt, atque ab ip revocari valuerunt. Etenim, bene ait Bouix, *De parocho*, p. 617, hoc modo c stituti matricularii, non ex jure propr aut a sæculari potestate accepto admi strant (quod tanquam attentatum semp Ecclesia reprobavit), sed duntaxat ex facto ab ecclesiastica potestate procurato mandato. » In quibusdam regionibus ma culari eligebantur a parocho, in aliis v ab ipsis parochianis, aut ab ipsis matricu riis. Nihil tamen absque parochi consen decernere potuerunt. Præterea ab initio corum immistionis in administratione bo rum ecclesiasticorum, duo sunt a sync provincialibus præscripta, scilicet matri larios ecclesiarum eligendos fore de consen

pastoris, et rationem administrationis singulis annis reddendam ordinario.

Statuimus et irrefragabiliter definimus, aiunt Patres Concilii Frisingensis (in Bavaria, an. 1440), quod in qualibet parochia plebanus, assumptis sibi duobus honestioribus subditis suis, quorum quilibet habeat clavem unam et ipse tertiam, omnia quæ devotione fidelium ad fabricam ecclesiæ, luminaria, vel ad alias utilitates fuerint deputata, diligenter colligat et conservet, et his usibus impendat ad quos sunt deputata. Volumus etiam quod, nec tales sibi adjuncti, nec alii procuratores ecclesiarum qualescunque, de rebus ecclesiæ, præter scitum plebani quidquam disponant. (Labbe, *Collect. concil.* t. XIII, col. 1288 et seq.) Eadem præscripta sunt in pluribus aliis synodis, per Gallias, Germaniam et alias regiones; quæ quidem præscripta non obligarunt nisi in suis respective provinciis.

Concilium Tridentinum supponit quasi generalem exsistentiam fabricarum tam ecclesiasticis quam laicis viris constantium; nihil tamen statuit de necessitate instituendi fabricas, nec de modo eligendi illarum administratores, sed hæc attendenda indixit: *Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricæ cujusvis ecclesiæ, etiam cathedralis, hospitalis, confraternitatis, eleemosynæ montis pietatis, et quorumcunque piorum locorum singulis annis teneantur reddere rationem administrationis ordinario, consuetudinibus et privilegiis quibuscunque in contrarium sublatis; nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiæ, seu fabricæ expresse cautum esset. Quod si ex consuetudine, aut privilegio, aut lex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam ordinarius; et aliter factæ liberationes dictis administratoribus minime suffragentur.* (Cap. 9, sess. 22, *De reform.*) In capite 8 præcedente ejusdem sess. sancta synodus excipit « hospitalia, collegia quæcunque... scholas... quæ sub regum immediata protectione sunt, et quæ sine eorum licentia ab episcopis visitari nequeunt. »

Item sess. 24, capite 3, dum eadem synodus patronis laicis vetat ne sese *visitationi ornamentorum ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabricarum proventibus immisceant*; hanc addit limitationem: *Nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat. Sed episcopi ipsi hæc faciant, et fabricarum reditus in usus ecclesiæ necessarios et utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendi curent.* Super quod decretum sacra congregatio declaravit: *In fabricis quæ non sunt de jure patronatus, a fortiori decretum hoc habet locum: nam earum reditus arbitrio episcopi in usus ecclesiæ sunt exponendi.* Et ad hæc verba decreti: Prout sibi magis expedire visum fuerit; *cum ex hoc decreto reditus fabricarum, quæ sunt de jure patronatus, expendi debeant, prout episcopo magis expedire videbitur, a fortiori hoc habet locum etiam in fabricis, quæ non sunt de jure patronatus.*

V. Ex usque modo expositis juribus concludendum est, quod juxta leges canonicas:

1. Matricularii seu administratores laici fabricarum eligi debent secundum synodales constitutiones, si adsint, aut juxta locorum legitimam consuetudinem, vel per ipsum parochum, aut de ejusdem consensu per parochianos vel ipsos matricularios.

2. Possunt semper revocari ab episcopo.

3. De rebus ecclesiæ, præter scitum parochi quidquam disponere nequeunt; præterea nec ipsi, nec parochus de reditibus et rebus ecclesiæ quidquam disponere possunt, nec proinde instaurationes ecclesiæ facere, nec ejusdem dispositiones interiores, nec altaria, etc., immutare absque episcopi approbatione. (Arg. ex cap. 3, sess. 24; et cap. 9, sess. 22 *Trident.*)

4. Singulis annis matricularii sicut et parochus episcopo rationem suæ administrationis reddere tenentur

VI. Cum vero parochus sit de jure principalis bonorum ecclesiæ suæ administrator, tenetur juxta leges pontificias administrare sive per se, sive per fabricam cum ipso. Administratio vero complectitur actus necessarios ad conservationem bonorum, curam providendi ex reditibus eorumdem bonorum necessitatibus cultus publici, vel alterius finis ad quem sunt destinata, et locationes quæ non excedunt tempus jure præfinitum. Quapropter parochi et rectores ecclesiarum, beneficiorum, et locorum piorum tenentur:

1. Inventarium facere rerum, bonorum et redituum ad ecclesiam pertinentium, sive immobilium, sive mobilium; atque hujusce inventarii unum exemplum episcopo

tradere, in archivio episcopali asservandum; alterum propria manu subscriptum inter ecclesiæ libros seu scripturas retinere. De quo dispositum fuit in bulla sancti Pii V *Cum primum*, Kalendis Aprilis 1566; in bulla Sixti V *Provida*, 29 April. 1587; et in instructione Benedicti XIII in appendice concilii Romani anni 1725, n. 10;

2. Providere ut cuncta sarta tectaque serventur, adeo ut in melius proficiant potius quam detrimentum patiantur;

3. Impendere reditus in usus, ad quos fundatione vel statuto destinantur. « Parochus nullatenus distrahere potest aliove transferre istiusmodi bona, aut res ad ecclesiam pertinentes, sine obtenta ab ordinario licentia; quam ille non aliter concedere debebit, quam si alias res meliores, aut saltem æquales in locum amovendarum parochus reipsa substituat; nisi forte justa aliqua necessitas secus suadeat, quod episcopi prudentiæ statuendum relinquitur. » (Ita fere ad verbum Pius V.) — (LEURENIUS, *Forum. benef.* part. I, quæst. 446; apud D. BOUIX, *De parocho*, p. 615.)

§ III. — De alienatione bonorum immobilium et mobilium pretiosorum.

I. Administratores quicunque ecclesiarum fabricarum et beneficiorum nequeunt alienare donatione gratuita, quia non habent dominium, sed meram dispensationem bonorum ecclesiæ. Textu expresso, cap. *Fraternitatem* 2, *De donationibus*, lib. III *Decret.*, ibi ait Alexander III : *Episcopus et quilibet prælatus ecclesiasticus, cum sit rerum ecclesiasticarum procurator et non dominus, conditionem ecclesiæ meliorare potest, facere autem deteriorem non debet.* — Excipiuntur donationes remuneratoriæ in solutionem debiti gratitudinis, et eleemosynæ erogatæ pauperibus quæ continentur intra fines meræ administrationis. Alienare possunt contractibus onerosis servatis conditionibus jure requisitis. Istæ vero conditiones sunt, ut alienatio fiat ob justam causam, et de consensu superioris, scilicet S. pontificis, vel episcopi, vel demum prælati regularis, pro diversa ratione bonorum.

II. Justa causa alienandi est necessitas, aut saltem magna utilitas, quæ locum habet si ecclesia, cujus juris sunt hæc bona, debitis oneretur; si non possit absque gravi incommodo rei curam gerere; si urgeant pauperum miseriæ quas charitas sublevare sollicitat etiam detrimento bonorum ecclesiæ.

III. Requiritur beneplacitum apostolicum, si alienanda sit res majoris momenti. Episcopus juramento promisit, intra suam consecrationem, se nec daturum, nec venditurum, nec oppigneraturum quæ ad suam mensam pertinent, inconsulto S. Pontifice. Aliæ autem leges canonicæ non solum bona mensæ episcopalis, sed et cuncta alia pretiosa complectuntur. Præ cæteris statuit Paulus II, const. *Ambitiosæ* an. 1468, inter *Extravag. comm.* tit. *De rebus Ecclesiæ non alienand.* (quam vide lib. IV, cap. XXIII, p. 960) « sub excommunicatione, aliisque gravissimis pœnis, ne absque auctoritate apostolica ullo pacto bona immobilia ultra triennium locentur, aut alia ratione tam immobilia quam mobilia pretiosa alienentur..... *Et alienatio, hypotheca, locatio... nullius omnino sint roboris; et tam qui alienat, quam is qui alienatas res et bona prædicta receperit, sententiam excommunicationis incurrat.*

IV. « Beneplacitum apostolicum super alienatione bonorum ecclesiasticorum, sive expediatur per Datariam, sive a congr. Concilii, et Episcoporum et Regularium, habet regulariter in ventre clausulas, quæ reddunt gratiam conditionalem, et quæ nonnisi causa cognita verificandæ sunt; cum inducant formam per executorem præcise servandam, ut dixit Rota *coram Dunozz. sent.* decis. 52, n. 2; et *coram Jun.* decis. 731, n. 49; in quibus decisionibus firmatur, quod executores beneplaciti nulliter gesserant propter neglectam clausulam.... » — « Beneplacitum potest præcedere, et etiam subsequi contractum alienationis, dummodo non tradatur possessio.... Si enim ante impetratum beneplacitum traderetur emptori possessio, alienans pœnas Paulinæ constitutionis non evaderet; etiamsi possessio esset data cum clausula reservationis beneplaciti;... nisi forte bona fides, aut ignorantia probabilis illum excusaret.... »

V. « Et hic lectorem moneo, quod nonnulli doctores asserunt pœnas extrinsecas excommunicationis inflictas contra alienantes in extravag. *Ambitiosæ*, non esse usu receptas, neque locum habere in locatione bonorum ultra triennium facta.... Quod tamen erroneum puto; cum praxis sacrarum congregationum totum oppositum quotidie doceat. Etenim congregatio concilii in una

Florentina pluries, partibus informantibus, proposita nempe 7 Junii, et 20 Septembr. 1691, et 18 Aprilis 1693, declaravit capellanum qui ad vitam locaverat bona capellaniæ, incurrisse censuras dictæ Pauliniæ. — « In alia *Seguien.* proposita 15 Martii 1692, contra provincialem N. qui calices et patenas ecclesiæ antiquatas, et usu quotidiano amplius non accommodatas sine beneplacito alienaverat, incidisse in pœnas dictæ extravag., et sacr. congr. declaravit, quod pro absolutione esset supplicandum SS. non obstante, quod provincialis allegaret licentiam et approbationem capituli generalis. »

« Decretis congr. Concilii famulantur declarationes congr. Episcop. et Regular. Nam in una *Beneventana* 15 Januarii 1619, proposita, quod canonici collegiatæ ecclesiæ Beneventanæ bona stabilia alienassent sine beneplacito fuit rescriptum : *Illustrissimi sacr. congr. Patres archiepiscopo qui annullet contractus, et canonicos qui alienarunt in pœnas Pauliniæ incidisse declaret, neque Sede apostolica vel sac. congreg. inconsulta absolvat scribi mandarunt,* » et in alia *Tropien.* (11 Januarii 1692.)

« Ex quibus bene deducitur, quod in hac materia incursus censurarum ob alienationem factam sine beneplacito apostolico, non sit procedendum cum sententia doctorum forensium, qui innixi in verbo *Præsumpserit*, in bulla Paulina contento opinantur, quod pœna ista non incurratur, nisi dolus et temeritas (quæ delictum redoleat) concurreret, a quo quælibet causa excuset..... sed sequenda sit opinio tuta dictarum congregationum (ad quas pertinet interpretatio dictæ constitutionis) quæ excusat alienantes ab incursu censurarum, quoties adest bona fides sincera, vel ignorantia facti probabilis, vel etiam juris in personis non ita peritis, ut sapide tradit Ric.... et Nicol.... »

« Item infertur, quod non sit verum (vel saltem valde dubium) assertum Donati.... nempe quod cum excommunicatio *Paulinæ* non sit reservata, possit a quocunque confessario absolvi..... Cæterum cum quotidie a sacr. congr. committatur episcopis absolutio talis excommunicationis incursæ ob alienationes bonorum ecclesiæ, evidens fit quod saltem ex praxi, de qua testatur (præter allegata decreta) Piasec.... sit reservata, et quod confessarii in illius absolutionem se ingerere non debeant : quia secundum opinionem plurium doctorum alienantes sine beneplacito non tantum pœnas, extravag. *Ambitiosæ*, sed etiam censuram papæ reservatam in cap. 11, sess. 22 Concil. Trident. *De reform.* incurrunt..... quam sententiam sacr. congr. Concilii pluries amplexa est, ut refert Leo, in *Thesaur. for. eccles.* part. I, c. 15, et *in una Neapolitana* 24 Januar. 1632 sic respondit : *Sac.*, etc., *dubio mature discusso censuit permutationem inter duas ecclesias absque solemnitatibus factum, effectuatam minime sustineri, et rectores ipsarum ecclesiarum incidisse in pœnam cap.* 11, *sess.* 22, De reform. *et extravag.* Ambitiosæ, De reb. eccles. non alien., *contenta, sed agendum cum Sanctissimo pro absolutione, et dispensatione ab irregularitate si quam contraxerunt.* » (Lib. XIV, *Decis.*, p. 564.)

« Neque ab impetratione beneplaciti excusat non usus constitutionis *Ambitiosæ*, quia non usus non est allegabilis, cum ubique præsumatur recepta, tam in nostra Italia, quam extra, ut tenent Genuen., — Ciarlin., — Ventrigl., Pignatell... Et declaravit congr. Concil. *in Vladislavien.* 1 Junii 1647: *Non usum d. constitutionis allegabilem non esse et absque beneplacito alienationes fieri non licere.* (Lib. XVIII *Dec.*, pag. 335.) — Et in alia *Mediolanen.* 13 Nov. 1655, *censuit bona ecclesiarum et piorum locorum non posse alienari, nec concedi sola auctoritate archiepiscopi, sed omnino requiri beneplacitum apostolicum ad præscriptum constitutionis Paulinæ, non obstante prætenso allegato, non usu, seu constitutione, et die* 20 *ejusdem facta relatione sanctiss. approbavit.* (Lib. XIX *Decis.*, pag. 535.)

« Neque juvat (nisi exhibeatur expressum) allegare præsumptum (*beneplacitum*) ex cursu temporis, quia hoc sustulit constit. Urbani VIII, in *Bullar.* tom. V, in ordine 270 pag. 383, in qua præservatur sola centenaria et immemorabilis concurrentibus requisitis...

« Exigitur autem apostolicum beneplacitum, non solum quando alienatio bonorum fit pro sola utilitate et commoditate ecclesiæ, sed etiam quando fit pro solvendo ære alieno illius qui bona et hæreditatem reliquit, quoties fuerint ecclesiæ, vel loco pio incorporata, ut respondit sacr. congr. *in Salutiarum* 20 *Sept.* 1642. l. XVII *Decis.*, pag. 103. Item de rebus ecclesiæ compromissum fieri non potest sine superioris assensu et beneplacito; qui enim non potest alienare, neque

compromittere potest. » (Communis. Hucusque Monacelli, *Formular. leg. pract.* tom. II, tit. XIV, formul. 4, adnot. 1 ad 15.)

VI. « Alienatio rerum ecclesiæ, quamvis jure divino *Levit.* XXVII, jure civili, in l. *Jubemus*, 2 *Cod. de sacr. eccles.*, jure canonico in c. *Sine exceptione*, causa 12, quæst. 2, cap. fin. *De reb. eccles. non alien.* Clement. 1, eod. tit.; c. *Ambitiosæ*, eod. tit. *Extrav.* conc. Trident. c. 11, sess. 22, *De reform.*, sit expresse prohibita; nihilominus, ubi adest ecclesiæ necessitas, incommoditas, aut pietas, permissa est.» (Id. *ibid.* form. 5, adnot. 1.)

VII. « Potest episcopus ex causis mox recensitis facultate sibi a jure tributa, in cap. *Terrulas*; causa 12, quæst. 2 (cui nunquam fuit derogatum), licentiam alienandi concedere. Verum quæri solet ad quam summam, seu valoris rerum quantitatem extendatur talis facultas. Alii enim dixerunt excedere non debere summam scutorum 30 (in Galliis 600 francorum)... alii restringi debere ad scuta 37 monetæ Romanæ (in Galliis 740 francos)... etc. Ego tamen putarem quod in hoc arbitrium episcopi prudenter regulatum extendi possit absque hæsitatione ad summam scutorum monetæ Romanæ quadraginta, attento præsertim hodie valore aucto scuti aurei (in Galliis 800 fr.) Advertendum tamen est quod bona ecclesiastica, sive res mobilis pretiosa, quæ excedunt notabiliter hunc valorem, non possunt dividi in plura corpora, ad hoc ut minuatur valor, et reducantur ad æstimationem prædictam ad hunc effectum, ut res fiat auctoritate episcopi alienabilis: prout papa approbante declaravit congregatio deputata super moderatione brevis Gregorii XIV, circa bona ecclesiarum diœcesis Parmen. ad libellum concessa 7 Octobr. 1602.» (Id. *ibid.* form. 5 adnot. 2 et 3.)

Nequit parochus bona ecclesiæ locare cum anticipatis solutionibus. (Id siquidem prohibuit *Trident. synod.* sess. 24, c. 11.)

« De jure, in contractibus, quorum vigore ecclesia acquirit, beneplacitum apostolicum sive ordinarii non exigitur. Potest tamen episcopus sibi reservare horum contractuum approbationem, quam gratis concedere debet. Reservatio autem hujusmodi licentiarum fieri non debet ab ordinariis sub pœna nullitatis contractus; quia, cum rectores et officiales ecclesiarum et locorum piorum habeant liberam bonorum administrationem, possunt in casibus a jure non prohibitis valide absque eorum licentia contrahere... et proinde talis pœna esset imposita contra dispositionem juris, adversus quam episcopus statuere non potest (c. *Institutionis*, causa 25, quæst. 2; cap. *Quod super his*, *De major. et obed.*), et nullum produceret effectum... » (Id. *ibid.* form. 6, adnot. 1, 2 et 3.)

VIII. « Exceptis autem ejusmodi juris dispositionibus, quæ jus administrandi in parocho (et fabricis) limitant, generatim dicendum est parochum esse administratorem natum rei temporalis parochiæ suæ. Unde, exceptis prohibitis casibus, ad ipsum spectat contractus quoad res ecclesiæ suæ temporales facere, in judicio stare pro tuendis ejusdem ecclesiæ juribus, et uno verbo personam administratoris agere.»

IX. « At vero, cum simul et magis uniuscujusque parochialis ecclesiæ bona episcopi curæ commissa sint, jus administrandi parochi remanet semper et in omnibus auctoritati ordinarii subordinatum. Ita ut teneatur parochus administrationis suæ temporalis rationem et tempore visitationis et extra illud tempus, si episcopo visum fuerit, ei, aut alteri ab ipso deputato reddere. »

« Item liberum semper remanet episcopo quas opportunas existimaverit regulas in ejusmodi temporali administratione exercenda parocho præscribere; atque eas tenebitur parochus accurate servare, modo alias apostolicis constitutionibus seu universalibus Ecclesiæ legibus non adversentur. Hanc parochi ab episcopo dependentiam jura omnino supponunt, cum nullibi cautum sit posse parochum quidquam quoad hoc agere, renitente aut aliter disponente episcopo.» (Ita D. Bouix, *De parocho*, p. 616 et seq.)

§ IV. — De sediliis in ecclesia.

I. Ad parochum seu rectorem ecclesiæ pertinet jus concedendi sedilia et sepulcra in sua ecclesia. Ideoque sedilia, seu scamna propria ponere in ecclesia nemo potest absque facultate rectoris ecclesiæ et invito episcopo; et si ab aliquibus apponantur, possunt a rectore et episcopo removeri, maxime quando causa sunt rumoris et impediunt functiones et celebrantes, ut pluries tenuit sacr. congr. Episc. et Regul... Ex tolerantia tamen, vel licentia episcopi, seu rectoris

ecclesiæ possunt laici acquirere jus retinendi sedilia, seu sedendi in ecclesia, non quoad dominium, vel proprietatem, sed solum quoad usum revocabilem ad libitum rectoris et episcopi, ut in terminis hujusmodi sedilium tradunt auctores... et declaravit sacr. congr. Episc... Consensus episcopi non requiritur expressus, sed sufficit tacitus... Unde non potest episcopus, sicut nec rector ecclesiæ laicis auferre hujusmodi jus, si ab initio passus est eos habere, seu retinere sedile in aliquo ecclesiæ loco (Arg. *Quod semel* 21, *De regul. juris* in 6), nisi sic exposceret servitium, vel commodum ecclesiæ, vel laicus prætenderet habere illud jus quoad proprietatem, quia tunc non censetur acquisitum jus irrevocabile, cum usus sedilium, quem laici habent in ecclesia, proveniat ex benignitate, tolerantia et ex gratia revocabili ejusdem, non autem jure, ex quo valeant, ipsa ecclesia nolente, servitutem seu quasi possessionem manutenibilem acquirere, ut fuit ponderatum a sacr. congr. Rit. pluries.

II. Quando lis est inter privatos super competentia loci, qui sunt in possessione, sunt manutenendi in tali possessione absque novitate. (S. congr. Episc. *in Imol.* 6 Martii 1692.) Locus autem in ecclesia possessus, videntibus et patientibus rectore, toto clero et hominibus loci, sicuti acquiritur per decennium, ita præscribitur per immemorabilem. (Rota part. XVIII, tom. II recent. decis. 781, n. 7.) Adeoque nemini permittitur in præjudicium hujusmodi juris quæsiti ponere novam sedem ante veterem. (Rota, *ibid.* n. 9; et sacr. congr. Episc. pluries.) Quinimo pro manutentione sedis veteris cum sua antiqua præeminentia competit possidenti interdictum *Uti possidetis*. (Rota *ibid.* n. 10 et alii.)

III. Ex consuetudine sedendi in certo loco ratione præeminentiæ interdicta censetur situatio cujuscunque alterius sedis, ex qua præjudicium præeminentiæ primi inferatur. (Rota, part. XIX tom. II, recent. dec. 476, n. 11.)

IV. Contra amoventes sedilia agi potest actione injuriarum, etiamsi amovens esset administrator ecclesiæ.

V. Si antiqua forma ecclesiæ immutetur in aliam structuram, sedilia seu scamna laicorum in illa exsistentia reponi debent eodem ordine, quo reperiebantur ante immutationem fabricæ, vel in loco æque digno; cardin. Petra . . . et alii . . . et Rota.

VI. Jus habendi talia sedilia, vel sepulcra in ecclesia concessum alicui familiæ, vel descendentibus, exstincta familia, transit ad hæredes extraneos, sicut et jus patronatus gentilitium in tali casu ad extraneos hæredes transiret, nisi taxative concessum fuisset illis de familia duntaxat, vel solis descendentibus. (Ita doctores.)

VII. Sedilia non possunt in ecclesia ita collocari, ut sedentes vergant terga ad SS. Sacramentum et alia indecora oriantur. (S. Pius V, in constit. *Cum primum apostolatus officium.*) — Apud Ferrar. verb. *Ecclesia*, art. 5, n. 7 ad 27.

Not. Jus commune quoad temporalem ecclesiarum parochialium administrationem exposuimus; ejusdem administrationis normam, prout hodie in Galliis constituta reperitur, exposuerunt multi in libris Gallice scriptis, inter quos J. H. R. Prompsault, *Dictionnaire de Droit et de Jurisprudence civile ecclésiastique;* André, *Cours de Droit-Canon*, etc., éd. Migne. Cf. præcipue art. *Fabriques*. Fuit autem tota hæc res in Galliis a potestate sæculari ordinata absque ullo Sedis apostolicæ assensu; ideoque absque ullo valore et auctoritate canonica, et sine obligationis per se robore.

CAPUT XVI.

De residentia et habitatione parochorum.

§ 1. — Ad omnia munia hucusque descripta adimplenda, necessaria est residentia.

1. Parochus tenetur de jure divino, juxta communiorem sententiam, residere in sua parochia; colligitur aperte ex concilio Trid. sess. 23 *De reform.* cap. 1, ubi sic habet: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini prædicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, sacrosancta synodus eos admonet et hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis in judicio et veritate pascant et regant...*

..... *Eadem omnino, etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et pœnas de curatis inferioribus, et aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod curam animarum habens obtinent, sacrosancta synodus declarat et decernit*, etc. ... (Idem decretum fuit sess. 6, cap. 1, *De reform.*)

II. Noluit tamen concilium Tridentinum definire hunc articulum tanquam dogma fidei. Unde si quis de facto affirmaret etiam pertinaciter, præceptum residentiæ episcoporum et parochorum esse tantum de jure positivo ecclesiastico, ipse non condemnaretur ut hæreticus. Et de facto Ecclesia neminem hactenus condemnavit, ex quo docuerit, vel affirmaverit etiam cum pertinacia, residentiæ præceptum esse tantum de jure positivo ecclesiastico; et tamen secus esset, si ejusmodi articulus esset ab Ecclesia definitus.

III. Parochus residere tenetur, quamvis parochialem tenuem habeat; etiamsi in parochia remanserint tantum tres vel quatuor incolæ. (Communis.)

Parochus, si quas habeat ecclesias unitas, residere tenetur in digniore; si vero non constet quæ sit dignior, in frequentiori; sed si una fuerit extra, et altera intra urbem, residere debet in ea, quæ est intra. (Sic decisum fuisse referunt Garcias, *De benef.* part. III, c. 2, n. 179, et alii.) Imo parochus tenetur residere prope ecclesiam in civitate, licet major pars parochianorum longe habitent in oppidis, succurrendo illis, qui longe habitant, secundum loci antiquam consuetudinem, per sacerdotes coadjutores, ex cap. 4, sess. 21 Trid. Sic decisum referunt Garc. *ibid.* et alii.

Parochus habens parochiales duas unitas, perpetuo invicem æque principaliter, et non unam alteri accessorie, ambasque pares, ita ut una non sit dignior et principalior altera, potest in qua maluerit, residere. (Sic decisum refert Garcias, *ibid.*)

Parochus residere debet in loco, ubi sita est ecclesia parochialis, etiamsi esset datus coadjutor ratione infirmitatis. (S. congr. Concil.) Et parochus, qui non habet domum propriam in loco, ubi residere tenetur, aliquam conducere debet. Cogendus est habitare in domo ecclesiæ, vel si ecclesia eam non habet, in propinquiori intra limites parochiæ; nec excusatur defectu commodæ domus parochialis, nec magna aeris intemperie, nec contraria consuetudine etiam per annos 43 habita, ut per omnia decisum fuit a sacr. congr. Concil. apud Garciam, loc. cit. et alios.

§ II. — Residentia materialis non sufficit, sed necessaria est formalis.

I. Parochus tenetur residere personaliter; et non alio modo satisfacit muneri suo, etiamsi populo per alium æque bene et forte melius serviatur. Unde parochus non satisfacit præcepto residentiæ, sumque conscientiæ, si resideat quidem personaliter in parochiali, sed totam curam relinquat capellano, nulla per seipsum munia parochialia obeundo. Parochi enim cogendi sunt ad subeunda per se ipsos, et non substitutos, ea munia, ad quæ tenentur. Tolerandi autem ut per substitutos suppleant in illis tantum casibus, in quibus expressis verbis canonum et decretorum concilii, permissum est eis ut per vicarios coadjutores possint officio suo fungi. (Sic censuit sacr. congr. Concil. 3 Jul. 1591, et ita communis.) Residere enim, est ecclesiæ deservire per se ipsum. (C. *Quia nonnulli* 3, et c. *Relatum* 4, *De clericis non residentibus.*) Unde in cap. *Exstirpandæ* 30, *De præb.* expresse sic statuitur : « Qui vero parochialem habet ecclesiam, non per vicarium (capellanum, sive cooperatorem), sed per seipsum illi deserviat, in ordine, quem ipsius ecclesiæ cura requirit. » Vide Monacel. part. II, tit. XVI, form. 2, n. 2.)

II. Potest tamen parochus pro meliori cura animarum, atque officiorum parochialium exsecutione, et aliquali sua quiete, unum, vel plures cooperatores habere, et ipsi, seu ipsis relinquere munera magis ardua, ut ire de nocte ad infirmos, peragere divina officia in ecclesiis filialibus distantibus, confessiones multas audire, et hujusmodi : dummodo simul ipsemet parochus, cessante justo impedimento, aliqua etiam munia pastoralia, præsertim principaliora, personaliter præstare non intermittat, et quando nominatim vocatur a parochianis, ad ipsos, præsertim infirmos ire non recuset. (Barbosa, *De offic. paroch.* part. I, c. 8, n. 41, cum aliis ibi citatis.)

§ III. — Quo casu ex licentia episcopi abesse potest parochus.

I. Parochi non possunt abesse a suis parochiis, neque per duos menses ipsis a concilio concessos, absque licentia episcopi.

ita communior sententia doctorum, qui referunt sacram congregationem Concilii ita censuisse, in capite 1, sess. 23 *Trident.*, ubi dicit quod *quandocunque eos, causa prius per episcopum cognita et probata, abesse contigerit . . . discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi ex gravi causa, non obtineant;* quæ concilii verba satis clare indicant, etiam pro primo bimestri a concilio concesso, non posse abesse sine licentia episcopi petita, et in scriptis data.

II. Potest tamen parochus, cum licentia episcopi, abesse quotannis per bimestre recreationis honestæ causa, dummodo vicarium idoneum ab episcopo approbatum in suo loco constituat. (*Trident.* sess. 23, c. 1.)

III. Si autem parocho postulanti prælatus seu episcopus renueret licentiam concedere, posset haberi recursus ad superiorem illius prælati, seu episcopi, et subsistente rationabili causa, posset idem superior compellere prælatum inferiorem ad eam licentiam concedendam, prout censuit sacr. congr. Concil., ut tenent Fagnan. et alii.

IV. Occurrente tamen causa aliqua gravi et necessaria subito abscedendi, quæ tantam celeritatem requirat, ut non patiatur dilationem, seu sit periculum in mora petendi et exspectandi licentiam, tunc parochus, relicto idoneo vicario, discedere poterit absque præhabita licentia ordinarii, quia necessitas non habet legem; ita tamen, ut hujusmodi parochus, quam primum poterit, teneatur, certiorare ordinarium de tali discessu atque necessitate urgente, ut is de causa cognoscat, et licentiam concedat, nisi sit brevi reversurus. (Communis, et sic declarasse sacr. congr. Concil. referunt Garcias, et alii.)

V. Parochi tempore pestis residere omnino tenentur in suis parochialibus. Possunt tamen per alium idoneum ministrare parochianis suis peste infectis sacramenta; et, si non resederint contra eos procedendum est, servata forma c. 1, in fine sess. 23, *De reform.*

VI. Parochus non potest per hebdomadam abesse a sua ecclesia, non obtenta licentia, etiam relicto vicario idoneo ab ipso ordinario approbato. Imo nec potest abesse ultra duos dies, si adsit constitutio episcopi prohibens parochis, ne ultra biduum sine sua licentia a propriis ecclesiis absint. (S. congr. Concil. sic declaravit.) Quinimo potest episcopus prohibere parochis sub pœna pecuniaria, quæ tamen dimidiam non excedat, ne ultra biduum ab ecclesia sua possint abesse. Non tamen id prohibere potest sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. (Sic declaravit sacr. congr. Concil. ad cit. sess. 23, c. 1, *Trident.*)

VII. Ubi autem non adsit talis constitutio episcopi, potest parochus ex causa sibi legitima visa, per unum vel alterum diem, et etiam per sex aut septem dies, sine licentia episcopi, dummodo interim idoneum vicarium relinquat, ita, sicuti fatetur Barbosa, declarante consuetudine universali.

VIII. Ordinarii possunt concedere parochis licentiam abessendi ad bimestre tempus, ob quamcunque justam causam, veluti recreationis, aut visendi amicos, et hujusmodi. Ultra bimestre autem non possunt illam concedere, nisi ob aliquam gravem causam. Graves autem causæ sunt præcipuæ quatuor assignatæ, scilicet *Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens ecclesiæ, vel reipublicæ utilitas.* (Colligitur clare ex *Conc. Trident.* sess. 23, *De reform.* c. 1.)

IX. Parochis non licet causa studiorum a suis parochialibus ecclesiis, post concilium Trident., abesse; et licentiæ ab episcopo ad id concessæ non suffragantur. (S. congr. Concil.) — Nec episcopus potest uti opera parochi in visitatione vel alio servitio suæ ecclesiæ cathedralis, ut nempe sit vicarius generalis, visitator, secretarius, fiscalis, etc.

X. Parochus justa de causa absens, sive cum superioris licentia, sive absque ea, per aliquot dies, semper tenetur relinquere idoneum vicarium in suo episcopatu admissum pro administratione sacramentorum qui interim pro se populo inserviat, cum debita mercedis assignatione. Si parochus nequit habere vicarium, debet saltem parochianos remittere ad viciniorem parochum consentientem. (Colligitur ex *Concil. Trident.* sess. 23, c. 1.)

XI. Parochus habens justam causam abessendi extra parochiam per duos, aut tres menses, non satisfacit suæ conscientiæ, si petat licentiam, jurans se habere gravem causam, quam non expedit manifestare, ut sic petita licentia abesse possit, licet episcopus non concedat. Similiter abesse non

potest in casu, quo causam rationabilem expresserit, sed rigidus prælatus minus æquam judicat, et licentiam denegat, vel quia movetur suspicione, quod ficta sit, cum tamen sit vera, sed tunc potest habere recursum ad superiorem. (Sacr. congr. Concil.

§ IV. — Quas pœnas incurrit parochus absque legitima causa non residens.

I. Parochus obtinens licentiam abessendi fingendo causam justam, quam revera non habet, peccat mortaliter, et tenetur restituere fructus in tali absentia perceptos. (*Concil. Trident.* sess. 23, c. 1.)

II. Parochus absque legitima causa et licentia, non residens in sua parochia, præter culpam mortalem, quam incurrit (nisi modicitas temporis absentiæ eum excuset), pro rata absentiæ fructus non facit suos, et eos restituere tenetur. (Sic expresse statuit *Concil. Trident.*, cap. 1, sess. 23, *De reform.*)

III. Restitutio hujusmodi fructuum pro rata non factæ residentiæ amissorum, facienda est fabricæ ecclesiæ aut pauperibus; nec obtineri potest compositio; et restitutio facienda est etiam ante ullam judicis sententiam, citationem, vel monitionem. (Sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. referunt Garcias et alii, ex eod. cap. 1, sess. 23 *Trident.*)

IV. Parochus juris remediis, etiam usque ad privationem, compelli potest ad residentiam. Sic expresse statuit concilium Tridentinum c. 1, sess. 23, *De reform.* ibi: *Quod si per edictum citati etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem et substractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem compellere, nec exsecutionem hanc, quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exceptione, etiam ratione cujuscunque beneficii, pactione, statuto, etiam juramento, vel quacunque auctoritate, confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quæ potius corruptela censenda est, sive appellatione aut inhibitione etium in Romana curia, vel vigore Eugenianæ constitutionis suspendi posse.*

Ex quo satis clare patet:

1. Quod parochus non residens, etiam monitus, non est hodie (ut erat olim ex cap. *Conquerente* 6; c. *Ex parte* 8, *De cleric. non resident.* cum aliis similibus) ipso jure privatus parochiali. Quod sic declaratum a sacr. congr. Concil. refert Fagnanus lib. III *Decret.* in cap. *Ex tuæ* 11, *De cleric. non resid.*, n. 18.)

2. Quoad privationem parochi ob non residentiam, non est necessarium, quod prius procedatur per alias pœnas, nempe per censuras ecclesiasticas, ac sequestrationem et substractionem fructuum, aliaque juris remedia. Nam licet id de jure communi requiri videretur, cap. *Ex tuæ devotionis* 11, *De cleric. non resid.* cum similibus, tamen Tridentinum cit. sess. 23, c. 1, id reliquit arbitrio ordinarii, ut declaravit sacr. congr. Concil. apud Fagnan. in cap. *Ex tuæ*, ibid.

CAPUT XVII.

De juribus parochorum, et functionibus parochialibus.

§ I. — De juribus parochialibus generatim.

I. « Jus parochiale consistit in pluribus: nimirum in obligatione parochianorum recipiendi in ecclesia parochiali sacramentum Eucharistiæ in Paschate; aliaque sacramenta conferenda moribundis, puta, Eucharistiam pro viatico, et extremam-unctionem; in jure funerandi et sepulturæ; in jure percipiendi oblationes, et decimandi.» (Leurenius, *Forum beneficiale*, part. I, quæst. 449.) Sunt etiam alia jura parochorum, verbi gratia, jus administrandi temporalia ecclesiæ suæ bona, interessendi diœcesanæ synodo, etc.

II. « Præter jura parochialia, quæ cum utilitate parochorum plerumque conjunguntur, et de quibus canonum interpretes frequenter verba faciunt, *munia* quoque parochialia recensentur; quæ ita dicta sunt, eo quod ad parochos reipsa pertineant, aut illis saltem conveniant, vel ob naturam munerum, quæ cum juribus parochialibus omnino copulantur, vel ob dignitatem et conjunctionem quam habent parochi cum pastorali officio, cujus causa parochus vices episcopi gerit et exhibet.» (Cardin. Colloredus, apud Bened. XIV, *Instit.* 105, n. 91.) — « Jura vero quæ honorifica sunt et præeminentialia, et quæ vere et proprie versantur circa functiones ecclesiasticas, improprie dictas functiones parochiales, distinguuntur a juribus parochialibus; et ea sunt quæ in earum exercitio præ se ferunt quamdam honorificentiam et præeminentiam.» (Bened. XIV, loc. cit. n. 103.)

III. Cum hac de re varia atque inter se pugnantia non tantum canonistæ scripserint, sed et congr. Romanæ olim declaraverint, ad determinandum quænam functiones privative ad parochos pertineant, standum præcipue est decreto generali sacr. congr. Rituum diei 10 Decembris 1703, quod ad tollendas ejusmodi contrarietates summa cura confectum est, et a sede apostolica confirmatum.

In sequentibus igitur paragraphis, singula parochialia jura perlustrabimus ; deinde ad functiones deveniemus.

§ II. — De jure parochorum nominandi et amovendi coadjutores suos seu vicarios.

I. In jure et apud canonistas duplici sensu vox *coadjutor* parochi accipitur :

1. Quando agitur de illo cooperatore, qui parocho datur generatim ob senium, aliamve perennem animi aut corporis infirmitatem, ut in administratione curæ suppleat, hic coadjutoris nomine solet a doctoribus designari. Item ob causam imperitiæ ejusmodi *coadjutores sive vicarios* ab episcopo dari posse parochis, decrevit Tridentina synodus, sess. 21, c. 6, *De reform.*

2. Hoc etiam *coadjutorum* vocabulo frequenter utuntur canonistæ ad designandos eos sacerdotes, qui deputantur ad auxiliandum parocho, non ex eo quod is infirmus sit aut inhabilis, sed quod ita numerosus sit populus, ut solus parochus ministrandis sacramentis sufficere nequeat. Hæc vero posterior coadjutorum classis valde differt a priori quoad effectus juris. Imo coadjutorum denominatio priori classi censetur propria, nec ad posteriorem extenditur nisi largo quodam sensu. Hinc sæpe etiam hujus posterioris classis auxiliatores vocantur parochorum *vicarii;* item et aliis passim nominibus nuncupantur, verbi gratia, *capellanorum*, quando simul de aliqua capellania sunt provisi; *auxiliatorum*, *adjutorum*, et *sacerdotum administratorum;* quæ ultima denominatio satis congruit modo loquendi Tridentinæ synodi sess. 21, c. 4.

II. *De coadjutoribus.* — Coadjutor parochi definiri potest : *Sacerdos ad auxiliandum parocho in exercitio curæ, ordinarii auctoritate deputatus, ex causis a jure determinatis;* episcopus nequit, nisi ob causas a jure determinatas coadjutorem parocho dare; ac proinde datus extra illas causas non esset legitimus, nec proinde verus coadjutor. (Ita Bouix, *De parocho*, p. 427.)

Datur coadjutor simpliciter et sine futura successione, 1° clericis ob morbum incurabilem et perpetuum. (C. *Ex parte* 5, *De cleric. ægrot.;* c. *Pastoralis*, eod. tit. in 6.) Secus dicendum, si morbus sit curabilis et temporalis; tunc enim ipsemet clericus ægrotus poterit sibi vicarium temporalem constituere pro tempore morbi durantis. (Arguitur cap. *Adjicimus* 19, causa 16, quæst. 1; Trident. sess. 21, c. 1, *De reform.*) 2° Propter lepram. — 3° Datur coadjutor beneficiato propter amissum linguæ usum. (C. *Consultationibus* 6, *De cleric. ægrot.* — 4° Dandus est coadjutor clerico beneficiato propter ejus amentiam. (C. *Quamvis* 14, causa 4, quæst. 1; c. *Pastoralis*, *De cleric. ægrot.* in 6.) — 5° Datur coadjutor propter senectutem, qua ipse reddatur perpetuo inutilis ad exsecutionem officiorum suorum. (C. *Petiisti*, causa 17. quæst. 1, et c. *Pastoralis* cit.) — 6° Potest insuper dari coadjutor illi parocho, qui necessaria ad officium suum scientia destitutus reperitur. (*Trident.* sess. 21, cap. 6.) — In omnibus his casibus, qui reduci possunt ad *infirmitatem animi vel corporis*, non transitoriam, sed *perennem*, recte concludunt canonistæ episcopum posse et plerumque teneri parocho coadjutorem deputare. In dictis casibus ad episcopum pertinet eligere et deputare coadjutorem qui non est simplex parochi vicarius. Episcopus etiam congruam ad sustentationem coadjutoris determinat, et jura ipsius; non potest tamen coadjutorem cum futura successione dare. (*Trident.* sess. 25, c. 7.)

Coadjutor habere debet qualitates quas requirit officium pro quo datur, ut expresse statuit Trident. sess. 25, c. 7. Potest episcopus parochis, etiam invitis coadjutores dare, ob causas canonicas supra expressas, *quacunque appellatione remota*, ex ipsis verbis Tridentini decreti; et patet ex citatis canonibus.

A decreto tamen episcopi coadjutorem dantis appellare potest parochus ad effectum devolutivum tantum, si ob causam imperitiæ coadjutor datus sit; ad utrumque effectum, devolutivum scilicet et suspensivum, si ob causam infirmitatis animi aut corporis ; ita ut, interjecta appellatione suspensiva, decretum suum nequeat episcopus

exsecutioni mandare, sed exspectare debeat superioris judicis sententiam. (Communis.)

III. Quando parochiæ proventus sufficere possunt ad convenientem sustentationem tam coadjuti, quam coadjutoris, ex iis proventibus seu fructibus desumenda est coadjutoris portio congrua, et in hoc conveniunt omnes doctores, ait Ferraris, verb. *Coadjutor*, n. 32, ex textibus juris.

Quando parochiæ proventus ad amborum sustentationem non sufficiunt, sententia communior est præferendum esse coadjutum. (Id. *ibid.* n. 33.) Coadjutori vero, pro quanto adhuc ipsi ad congruam sustentationem deficiet, providebit episcopus, in quantum sibi possibile erit de propriis reditibus. (Id. *ibid.* n. 40.) Si nullo modo id episcopus præstare sufficiat, tunc auctoritate ejusdem episcopi erit cogendus populus ad coadjutori necessaria præbenda (*ibid.* n. 41), ex aliis juris textibus et cap. 4, sess. 22, Trident.; et sic decisum fuisse in *Theatina* refert Fagnanus, in cap. *De rectoribus* 3, *De cleric. ægrot.* n. 13.) — Ab ea taxatione non poterit appellare quoad effectum suspensivum parochus ille, cui datur coadjutor *propter imperitiam;* si vero propter alias causas detur coadjutor, videtur posse tunc parochum quoad utrumque effectum appellare a taxatione congruæ, coadjutori assignatæ, si hæc pinguior sit, et ipsi plus æquo præjudicet.

IV. Ex ipso deputationis facto, censenda est collata coadjutori jurisdictio fori pœnitentialis. Item censenda est facta illi delegatio, ut valide matrimoniis assistere possit.

Si parochus omnino inhabilis evaserit (verbi gratia, si usum rationis amiserit), ad coadjutorem pertinet parochiam regere, perinde ac si ipse parochus esset.

Nequit coadjutor ea munia obire, quæ coadjutus potest et vult per se ipsum explere.

Impedito parocho, tenetur coadjutor supplere, prout requirit debita animarum cura.

Coadjutor requisitus a coadjuto, ut aliquod munus parochiale obeat, tenetur id præstare; quamvis coadjutus, nequaquam impeditus, illud ipsum possit ipse peragere.

Tam coadjutor, quam coadjutus parochus ad residentiam tenentur. (Ferrar. verb. *Coadjutor*, n. 37; Leuren. tract. *De coadjutor.*, quæst. 380, etc.)

§ III. — De vicariis.

I. Ad parochum pertinet adjutores vicarios suos sibi eligere et nominare; quamvis eorum approbatio spectet ad episcopum. C. 4, sess. 21 Trident. sic decernitur : *Episcopi, etiam tanquam apostolicæ sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum.* Idem constat apertissime ex constitutionibus *Apostolici muneris* Innocentii XIII, et *In supremo* Benedicti XIII. Dicta Innocentii constitutio § 11, sic habet : *Quoties itaque in aliis parochialibus ecclesiis, quæ, ut præfertur, unitæ non sint, oportuerit ex aliqua justa causa provideri per coadjutores parochorum, aut per vicarios temporarios; cura erit episcopis, pro data sibi a Tridentina synodo potestate, partem fructuum prædictis coadjutoribus aut vicariis assignandam determinare... Quod si parochi ab episcopis moniti, congruo iisdem termino præfixo, coadjutores, sive vicarios temporarios, quoties opus fuerit, assumere neglexerint, poterunt ipsi episcopi eos, quos huic muneri idoneos censuerint, auctoritate propria deputare, cum assignatione ante dictæ portionis fructuum. Et nihilominus, ubi etiam prædicti coadjutores aut vicarii temporales a parochis nominati vel assumpti fuerint, eorum de idoneitate episcopis constare per examen debeat, antequam ad exercitium admittantur; nec satis sit, quod ad confessiones audiendas antea fuerint approbati, nisi aliis etiam qualitatibus, ad curam animarum recte exercendam opportunis, præditi noscantur. Quibus si careant, nec parochi deinde intra alium similem terminum, ab episcopis præfigendum, alios vere idoneos nominaverint, tunc pariter ad ipsos episcopos libere spectet deputatio, cum dicta congruæ assignatione...* In his, ut bene ait D. Bouix, *De parocho*, p. 449, Innocentii XIII verbis habes luce meridiana clarius declarata sequentia :

1. Quando parochis adjungi vicarios opus est, ad parochos ipsos spectat vicarios illos sibi *assumere* et *nominare*.

2. Si necessariam existimet episcopus

ejusmodi vicariorum adjunctionem, debet parocho *præfigere congruum tempus*, intra quem debeat vicarium vel vicarios *assumere et nominare*.

3. Si vero parochi, sic ab episcopis moniti, intra præfixum terminum vicarios assumere negligant, *tunc poterunt episcopi propria auctoritate* dictos vicarios deputare.

4. Quando parochus vicarium *assumpsit vel nominavit*, debet nihilominus vicarius ille ab episcopo examinari et approbari, nec sufficit eum fuisse jam ad confessiones approbatum, sed debet specialiter quoad vicarii parochialis munus approbari.

5. Si vicarium a parocho nominatum minus idoneum episcopus judicet, eumque rejiciat, non potest alium sibi bene visum ipse episcopus deputare; sed debet iterum parocho terminum præfigere, ut alium sibi eligat. Et idem currit jus de hoc secundo, ac de priore; debet nempe et ipse ab episcopo approbari. Parique modo procedendum quoad tertium, quartum, etc., si priores a parocho rejecti fuissent. Hæc, inquam, aperte patent ex citata Innocentii XIII constitutione, quæ, etsi ad Hispaniarum ecclesias directa, decreta Tridentina declarat, et a Benedicto XIII per constitutionem *In supremo* confirmata fuit in concilio Romano anni 1725.

Variæ in eodem sensu sacr. congr. Concil. declarationes prodierunt, quas reperies in *Thesauro resolut.* Et sacr. congr. deputationem vicarii ab episcopo factam pro irrita habuit, et mandavit ut provideret ad formam concilii, id est, ut approbationem duntaxat sibi vindicaret; nominationem vero parocho relinqueret, ut refert Zamboni, part. I, verb. *Parochus*, § 2, n. 12.

Idem constat ex communi doctorum sententia. Ferraris, verb. *Vicarius parochialis*, n. 43, attribuit vicariorum nominationem non episcopo, sed ipsimet rectori parochiæ. Consonat Fagnanus, in cap. *Consultationibus*, lib. III *Decret. De clerico ægrotante*, n. 13 : « Quanquam enim auctoritas instituendi vicarios perpetuos in beneficiis sit penes episcopum, ut cap. *Ex frequentibus*, *De institutionibus*, curati tamen et vicarii perpetui utique vicarios temporales, absque episcopi licentia, sibi assumere possunt, dummodo sint noti et de promotione eorum constet, ut notatur in cap. *Adjicimus*, causa 16, quæst. 1, ad idem cap. *Mulier*, dist. 23. Ad hoc concilium Trident. c. 4, sess. 21... Hodie tamen approbari debent ab ordinario, ut in concilio Trident. cap. 1, sess. 23, § *Eadem omnino;* et cap. 11, vers. 1. *Nec ibi aliqui*, sess. 25 *De regularibus;* et ab ipso ordinario deputari debent in casu c. 7, sess. 7; et cap. 6, sess. 21.

Ex Fagnano igitur vicarii temporales assumi possunt a parochis, imo et a vicariis perpetuis; idque *absque episcopi licentia*, proindeque ad libitum parochi, nisi in casibus in quibus episcopi possunt cogere parochos sibi sacerdotes adjutores adjungere. Supponit idem Fagnanus olim ante Tridentinam synodum necessariam non fuisse, quoad ejusmodi vicarios, episcopi approbationem; sed fuisse satis quod noti essent parocho eos assumenti, et de eorum ordinatione constaret; addit autem, post Tridentinum concilium, omnino necessariam esse dictam ab ordinario approbationem.

Ex dictis et præsertim citato capite 4, sess. 21 Trident. parochis tribuitur ex lege universali jus vicarios suos sibi assumendi. « Quod autem lege universali Ecclesiæ statutum fuit, tolli nequit per synodalia aut provincialia etiam statuta. » (Bouix, *De parocho*, p. 453.)

II. *An vicarii parochorum adjutores amoveri possint a parochis.* — Parochum ob causam ab episcopo approbatam amovere posse suum temporalem vicarium omnes conveniunt. Ab episcopo autem talis vicarius, nisi ex causa legitima et approbata, propter quam (etiamsi perpetuus esset) privari posset, amoveri nequit. (S. congr. Concil. apud Barbosam; et concordant omnes doctores.)

An autem parochus vicarium suum amovere possit, etiam sine causa ab episcopo approbata? Alii affirmant, alii negant; et utrique contrarias sacræ congregationis declarationes afferunt. Attamen declarationes allatæ pro amotione absque causa, non satis concludere videntur, prætereaque abrogatæ sunt per posteriores alias declarationes magis apertas et numerosiores. Aliunde canonistæ affirmantes parochos posse suum vicarium sine causa removere, supponunt omnes vicarium ad nutum amovibilem alium, unde sustentari possit, titulum sive capellaniam habere; cum in casu contrario ad illius honestam sustentationem teneretur episcopus; ex quo contingere posset ut

parochi plures et etiam multos sacerdotes sustentandos in episcopi onere remitterent; quod admitti nequit. Igitur quando vicarii alium sustentationis titulum habent, removeri possunt a parocho, dummodo non ex causa malitiosa, ut limitant omnes ex jure naturali.

Canonistæ vero negantes parocho jus suum vicarium absque causa ab episcopo approbata removendi, nonnulla afferunt dilucidiora documenta :

1. Sacr. congr. Concil. *in causa Lunensi Sarzanensi*, 2 Septembr. 1747 : Ad I. « An liceat parocho *Falli* ad arbitrium removere capellanum curatum a terra *Bastremoli*, ab ipso nominatum, etiam absque causa ab ordinario cognoscenda? » — Respondit *negative*.

2. In causa *Nullius Farfensis*, 16 Julii 1791, agitur de capellano, ad nutum cujusdam confraternitatis amovibili. Is cum fuisset ab illa confraternitate remotus, capellaniæ suæ restitutus fuit, decisione sacr. congr. 6 Augusti 1791.

3. In quadam causa *Romana, suspensionis onerum*, 28 Martii 1801, § *Quatenus*, tom. LXVII *Thesaur. resolut.*, sic reperitur adnotatum : « Sunt porro qui arbitrantur libere dimitti posse capellanos ad nutum amovibiles; ut Pitonius (*De controv. patron.*, allegat. 88, n. 1); Ferraris (verb. *Capellanus*, in addit., n. 1); et cardinalis de Luca (*De beneficiis*, discurs. 80, n. 5). Æquiori tamen sententia requirit sacr. hæc congr. justam et rationabilem eorum dimissionis causam; qua deficiente, non raro redintegravit dimissos; et præsertim in *Nullius Farfensis*, capellaniæ, 6 August. 1791.... Notari posset quod dimissio supponit culpam in dimisso. »

Ex adductis et naturali æquitate deneganda videtur parocho de jure communi potestas, vicarium suum removendi *sine causa ab episcopo approbata*. Si tamen ad præfinitum tempus assumeretur vicarius, jus illius exstinguitur tempore elapso. In casu vero quo amoveretur vicarius absque rationabili causa, appellare potest ad superiorem, id est ad episcopum et etiam ad archiepiscopum, et recurrere ad sacr. Concil. congr.

Certum est apud omnes posse vicarios parochorum, sicut et cæteros clericos, ab episcopo ob culpam gravem suspendi, et sic removeri. Quam suspensionem posse ab episcopo extrajudicialiter, seu ex informata conscientia, ob crimen occultum decerni, pariter extra omnem controversiam est, cum recursu tamen sic suspensi ad sacr. congr.

Non videtur autem concordare posse potestatem episcopi vicarios parochiales revocandi *sine causa*, cum potestate parochi eosdem sibi eligendi et nominandi, quam jus parochis attribuit.

III. Quid vero juris sit aut videatur de vicariis parochialibus in præsenti Galliarum ecclesiarum statu dicemus infra ubi de vicariis.

§ IV. — De jure parochi quoad sacramenta.

Jus parochi quoad sacramenta supra diximus de obligationibus parochorum tractando.

§ V. — De jure parochi quoad oblationes

I. Oblationes large seu improprie sumptæ important omnes actiones per quas quæcunque res (sive mobiles, sive immobiles) ad divinum cultum exhibentur seu offeruntur. Oblationes stricte et proprie sumptæ dicuntur res illæ, quas fideles religionis intuitu immediate offerunt Deo, ut deserviant, vel ad usum ecclesiæ, vel ad usum ministrorum, juxta illud *Matthæi* v, 23 : *Si ergo offers munus tuum ad altare*.. sive res sint mobiles, sive immobiles, sive testamento legentur, sive aliter donentur. (Arg. c. *Qui oblationes* 10, et c. *Clerici* 11, causa 13, quæst. 2, et commmunis apud Ferrar. verb. *Oblationes*.)

Unde harum oblationum tres sunt species. *Prima*, dicitur donatio rei facta Deo et ecclesiæ. (Arg. cap. *Indigne* 21, causa 12, quæst. 2.) *Secunda*, dicitur donatio causa mortis, quæ fit in testamento pro animæ redemptione. (Eod. cap.) *Tertia*, dicitur usualis, et est illa quam faciunt fideles offerendo aliquas suas res in ecclesia ad altare, aut in alio ecclesiæ loco, aut etiam extra ecclesiam ad imaginem miraculosam, vel devotam, et hujusmodi, prout ad longum refertur in c. *Cum inter* 29, *De verbor. significat.*, in cujus summario sic præcise habetur : *Oblationis nomine intelligitur, quidquid offertur ecclesiæ, quocunque modo in missa, vel extra, et in ecclesia, vel extra.*

II. Oblationes non debentur ex præcepto, nisi in quatuor casibus enumeratis a sancto Thoma, 2-2, quæst. 36, art. 1. — 1, cum de-

bentur per modum census, aut pensionis, seu conventionis antea factæ cum Ecclesia, seu ejus ministris. — 2. Cum debentur ex testamento, legato, voto vel donatione inter vivos ; vota enim realia et legata adimpleri debent etiam per successores. (C. *Licet* 6, *De voto ;* c. *Ultima voluntas* 4, causa 13, quæst. 2, cum concordantibus.) — 3. Cum ministri Ecclesiæ non habent congruam sustentationem : tenentur enim parochiani ex præcepto naturali et divino ad exhibendas oblationes, quando presbyteri indigentes sunt, nec habent unde possint sibi necessaria ministrare : quia, ex quo ministrant populo spiritualia, merentur ab eo temporalia. (C. *Si episcopus* 6, *De offic. ordin.* in 6; et *Matth.* x, 10 ; *Luc.* x, 7, et I *ad Cor.* ix, 13 et seq. ; et cap. *Cum secundum* 16, *De præbendis.*)— 4. Cum alicubi longa consuetudine introductum habetur, quod certis anni temporibus et festivitatibus a populo oblationes fiant. (C. *Omnis Christianus* 69, dist. 1, *De consecrat.*)

III. Oblationes omnes factæ intra ecclesiam parochialem, seu extra ipsam in quocunque loco sito intra limites parochiæ, de jure communi spectant ad parochum loci, nisi aliud habeat loci legitima consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione et voluntate. (Communis ; arg. c. *Pastoralis* 9, *De his quæ fiunt a prælatis ;* c. *Ex transmissa* 10, *De præscript.* ; c. *Quia sacerdotes* 13, et c. *Sanctorum* 14, causa 10, quæst. 2.)

IV. Notanter autem dicitur in conclusione : « Nisi aliud habeat legitima loci consuetudo, aut aliter constet de offerentium intentione et voluntate. » Quia si alicubi legitima consuetudo habeat ut oblationes non ipsi parocho, sed ecclesiæ vel alii pio loco, seu causæ piæ applicentur, v. g. ad comparanda ecclesiastica ornamenta, ad construendam vel reparandam fabricam ecclesiæ, seu capellæ et hujusmodi, seu pro commodo alterius sacerdotis celebrantis, seu ministri, tunc oblationes sunt applicandæ juxta talem consuetudinem. (Arg. cap. *Cum tanto* 11, *De consuetudine*, et cap. *Cum inter* 29, *De verbor. significat.*, et sic tenet communis doctorum.) Et a fortiori non parocho, sed supradictis locis, et causis piis applicari debent oblationes, quando sufficienter constat talem esse intentionem et voluntatem offerentium. (Rota, part. v, tit. i, dec. 37, n. 8.)

Reiffenstuel et alii passim ex jam communi praxi docent, quod hisce temporibus solæ oblationes, quæ in ecclesia sub missis ad altare fiunt, et quæ pro administratione sacramentorum, pro benedicendis nuptiis, aut mulieribus post partum, pro exsequiis, et sepulturis, aut aliis similibus functionibus specialiter offeruntur, ad parochum spectent, etiamsi non ipse parochus, sed alter in ecclesia parochiali celebret, vel dictas functiones peragat, consuetudine et intentione offerentium reliquas ferme omnes alias oblationes ecclesiis ipsis, capellis, altaribus, aut aliis certis finibus applicante, ut recte observant Reiffenstuel, lib. III *Decret.* tit. XXX, n. 193, et alii.

V. Administratio tamen similium oblationum spectat ad parochum, ut scilicet eas ad debitum finem juxta consuetudinem loci, aut intentionem offerentium applicet. (Rota, part. v, tom. I, decis. 37, n. 9 et communis.) Nisi tamen ex longæva consuetudine talis administratio ad laicos ab initio legitima auctoritate ad id deputatos pertineat, quia in tali casu, uti de facto pluribus in locis praxis docet, possunt laici, vel soli, vel una cum parocho, juxta consuetudinem, tales oblationes licite administrare, cum talis administratio non sit alicujus juris spiritualis, sed rei mere temporalis. Sicuti enim laici tales oblationes, ac reliquas ecclesiæ supellectiles custodire, ita et easdem administrare, ac pro debito usu applicare possunt. Unde confraternitates laicorum ex consuetudine possunt recipere et administrare oblationes, dummodo laici nihil sibi applicent, sed in pios usus totum convertant. (Ferrar. et alii ab ipso citati, verb. *Oblationes*, n. 13 ad 19.)

VI. Oblationes factæ imagini depictæ in pariete domus alicujus personæ privatæ spectant ad parochialem, intra cujus fines situs est paries ; non vero ad ipsam personam privatam dicti parietis dominam. Nisi tamen offerens obtulisset contemplatione domini domus, puta si talis esset pauper, vel offerens sciret dominum domus ex consuetudine convertere oblationes in suas necessitates, vel in pios usus. (In. *ibid.* n. 20.)

VII. Oblationes, quæ fiunt tempore jubilæi, vel anno sancto in ecclesia cathedrali, seu imaginibus intra ecclesiam et parochiam exsistentibus, spectant ad archipresbyterum ejusdem ecclesiæ, privative ad episcopum ; cum enim archipresbyter habeat curam ani-

marum et sacramentorum administrationem, habet per consequens de jure communi fundatam intentionem in omnibus oblationibus. (C. *Pastoralis* 9, *De his quæ fiunt a prælatis sine consensu capituli* ; cap. *Quoniam* 13, *De decimis.*) — Si autem loca, ubi sunt depictæ imagines, non sunt intra fines alicujus parochiæ, aut incertum sit de cujus parochia exsistant, eo quod limites non sint distincti, tunc oblationes integre pertinent ad episcopum diœcesanum. (Per textum in cap. *Quoniam* cit.)

VIII. Parochi diebus festis possunt post offertorium in medio altaris vertere se ad populum, et invitando ad oblationes, manipulum, vel aliud præbere deosculandum offerentibus. At aliis sacerdotibus id non licet. (Sic decrevisse sacram congr. Concil. refert FAGNAN., in cap. *Pastoralis*, cit. num. 40.) Parochi, stante consuetudine, possunt recedere ab altari post offertorium, et ad infimum locum ecclesiæ accedere ad recipiendas oblationes mulierum inibi exsistentium sejunctim a maribus. (Sic declaratum fuisse a sanctissimo refert FAGNAN. loc. cit. n. 41.) — Sacerdotes novi idem possunt in suis primis missis post offertorium.. sed perambulationes per ecclesiam, et extorsiones ipsis prohibentur. (S. congr. apud FAGNAN. *ibid.*)

IX. De primo ad ultimum in materia oblationum attendenda est legitima locorum consuetudo, et mens, seu voluntas offerentium. (Rota, part. v *Decis. recens.* t. I, decis. 37, et communis.)

X. Administrationem oblationum propriam esse rectoris oratorii seu ecclesiæ, in qua illæ fiunt, excluso etiam parocho, fuse probat card. Petra, tom. II, ad constit. 1 Anastasii IV, sect. 2, n. 20, et statuit sacr. congr. Concil. 29 August. 1733.

XI. Cum oblationes obligatoriæ ex justitia evaserint, tum ex titulo consuetudinis, tum etiam ex alio titulo, ad ordinarium pertinet pronuntiare, et normam in his omnibus tenendam decernere. Hinc in particulari quoad abusus circa eleemosynam pro celebrandis missis disposuit Tridentina synodus, sess. 22, decret. *De observandis in celebratione missæ*. Similem autem potestatem episcopis competere, ut circa alias etiam oblationes abusus removeant, et quid justum sit decernant, dubium non est.

« Ab ejusmodi autem episcopi decretis, si gravatos sese existimant parochiani, aut parochi, aut alii, appellare ad superiorem ecclesiasticum possunt ; cum regula generalis sit, posse a quocunque episcopi decreto, quo quis se læsum reputaret, appellari. » (BOUIX, *De parocho*, p. 482.)

XII. In Gallia, sæcularis potestas, ex articulo 69 inter *organicos*, reliquit ab episcopis Gubernio proponendum quænam oblationes ex justitia exigi possint ; Gubernium autem sibi reservat jus approbandi vel rejiciendi. Cum vero ad potestatem ecclesiasticam, nullatenus autem ad sæcularem, pertineat de hac materia pronuntiare, certum est statuta episcopi, etiam antequam a Gubernio approbentur, et etiamsi ab eo Gubernio rejicerentur, plenam vim habere ; et catholicum quemque teneri ex justitia et conscientia ipsis sese subjicere, nisi forte a superiori tribunali ecclesiastico (appellatione interjecta) fuissent annullata. De facto tamen episcopi Galliæ sua de oblationibus statuta, sæculari potestati nota faciunt, ne alias statuta sua sæcularis brachii auxilio destituantur. (ID. *ibid.*)

§ VI. — De jure parochi quoad decimas.

I. Decimæ sunt « decima pars omnium fructuum, et proventuum juste acquisitorum, Deo in recognitionem universalis supremique dominii debita, atque ecclesiæ ministris solvenda. » (Est in re communis ; et deducitur ex cap. *Non est* 22, cap. *Transmissa* 23 ; et cap. *Tua nobis* 26, *De decimis*, etc., et *Concil. Trident.* sess. 25, *De reform.* c. 12.)

II. Decimæ duplici modo considerari possunt : primo modo materialiter, et secundum substantiam, quatenus sunt stipendium necessarium ad honestam sustentationem ministrorum ecclesiæ ; secundo modo formaliter, et secundum certam ac determinatam partem fructuum, scilicet decimam, vel octavam, vel duodecimam.

Decimæ primo modo consideratæ sunt debitæ ministris Ecclesiæ jure naturali, divino et humano. (S. THOMAS 2-2, quæst. 87, art. 5 ; PIRHING., lib. III *Decretal.*, tit. XXX, n. 6 ; REIFFENST., *ibid.*, n. 6 et communissima aliorum.) Prima pars de jure naturali est clara, quia jus naturæ et lex justitiæ naturalis dictat, quod sicut Ecclesiæ ministri plebi spiritualia præbent, sic plebs eis pro sustentatione corporalia tribuat ;

est enim naturæ dictamen, ut qui alicui servitium præstat, ab eodem stipendium justum recipiat. — Secunda pars de jure divino habetur expresse ex variis sacræ Scripturæ textibus, ut Matthæi x; Lucæ x et I ad Cor. IX. — Tertia pars de jure humano clare patet ex repetitis textibus juris canonici, signanter in toto tit. *De decimis* et concilio Trident., sess. 25, *De reform.*, cap. 12, in quo sic habetur : *Qui vero eas (decimas Deo debitas) aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta absolvantur.* — Hinc infertur, quod decimæ primo modo consideratæ, prout præcise continent necessariam sustentationem ministrorum Ecclesiæ, sunt eis solvendæ, etiamsi aliunde habeant unde vivant, v. gr. ex patrimonio, ex artificio, et hujusmodi, quia non dantur illis ex mera misericordia, vel charitate, tanquam eleemosyna, ut fit pauperibus, sed ex justitia, tanquam stipendium debitum laborantibus. Secus autem dicendum est, si ministri Ecclesiæ sustentationem necessariam habeant ex aliis reditibus ecclesiasticis; in tali enim casu decimæ non deberentur eis jure naturali ac divino, quia non haberent tunc rationem necessariæ sustentationis, ideoque cessaret ratio, cur decimæ dicantur esse debitæ jure naturali ac divino. »

Decimæ secundo modo consideratæ, id est formaliter, et secundum certam ac determinatam partem, seu quotam fructuum, scilicet decimam, octavam, vel duodecimam, licet in Veteri Testamento fuerint debitæ ex jure divino positivo; tamen tempore Novi Testamenti debentur ministris Ecclesiæ solum ex jure canonico. (Rota et communis apud Ferrar., verb. *Decimæ*, art. 1, n. 13 ad 20.)

III. Decimæ dividuntur in prædiales seu reales, et in personales. Decimæ prædiales, seu reales sunt illæ, quæ solvuntur prædiorum, agrorum, vinearum, pratorum, hortorum, arborum, domus elocatæ, sylvarum et de omnibus fructibus, necnon et de animalibus. Decimæ personales sunt illæ quæ solvuntur ex acquisitis proprio cujusque labore, solertia et industria, v. gr. negotiatione, scientia, artificio, militia, mercatura, officio et hujusmodi, ut colligitur ex cap. *Ad apostolicæ* 20; cap. *Non est* 22; cap. *Pastoralis* 28, et aliis, *De decimis*; cap. *Significavit* 5, *De parochis*; et cap. *Decimæ* 66, causa 16, quæst. 1.

IV. Decimæ de jure communi solvendæ sunt parochis. (Textu expresso in cap. *Cum contingat* 29, et c. *Cum in tua* 30, *De decimis.*) Decimæ prædiales de jure communi solvendæ sunt parocho loci non solum a parochianis propriis, sed etiam ab alienis de agris et prædiis, quæ intra limites talis parochiæ exsistunt, nisi contraria sit legitima loci consuetudo; et certum est ex capitibus juris modo citatis. — Decimæ personales de jure communi solvendæ sunt parocho illius ecclesiæ ubi percipit sacramenta et audit divina, etiamsi alibi lucrum, v. gr. ex negotiatione reportet; (C. *Questi sunt* 46, causa 16, quæst. 1; c. *Ad apostolicæ* 20, *De decimis.*) Decimæ personales sunt dividendæ inter plures ecclesias pro rata temporis, quo parochiani in eis audiunt divina et recipiunt sacramenta.

V. Omnes fideles parochiani, etiam clerici simplices et non curati, nisi aliquo speciali titulo seu jure sint exempti, tenentur solvere decimas tum prædiales, tum personales. (C. *Novum* 2; c. *Ex transmissa* 23; c. *A nobis* 24, *De decimis.*) — Non tenentur tamen clerici decimas solvere de bonis ecclesiasticis titulo clericali acquisitis, exceptis prædiis, agris et aliis fundis ex quibus, antequam in dotem beneficii assignarentur, decimæ solvi solebant.

Potest quis eximi ab obligatione solvendi decimas privilegio pontificio et legitima præscriptione.

VI. Circa locum, in quo solvendæ sunt decimæ, si attendatur jus commune, videtur quod parochiani teneantur propriis sumptibus illas deferre in domum, vel horreum parochi. (Arg. cap. *Revertimini* 65, causa 19, quæst. 1, et similibus.) Si vero attendatur consuetudo jam fere ubique introducta, parochi ipsi, aliique decimatores tenentur decimas colligere, et suis expensis in domum deferre. Et ubi talis adest consuetudo legitime præscripta, est ibi observanda, ut fatentur omnes doctores.

VII. In Galliis, jure civili a revolutione 1793 introducto, interdicitur jus proprie dictum decimandi; hæc interdictio utpote manifeste injusta et juri naturali ac divino contraria, non obligat, nec fideles ab obligatione decimas necessarias ministris Ecclesiæ solvendi liberat. Relictum est

tamen in quibusdam Galliarum provinciis jus ex consuetudine quæstas varias apud parochianos faciendi. Jus istud locum juris decimandi tenet; ideoque ad quæstas solvendas sicut et decimas potest episcopus parochianos compellere etiam per censuras et excommunicationem contra omnes *qui eas subtrahunt, aut impediunt.* (*Trident.*, sess. 25, c. 12.) Ubi illæ quæstæ sicut et decimæ necessariæ sunt ad honestam ministrorum Ecclesiæ sustentationem, illas solvere ex justitia et in conscientia tenentur parochiani. Ideoque ad solutionem compelli possunt ab episcopo, et non sunt absolvendi in sacro tribunali Pœnitentiæ nisi solutione facta vel promissa. Quarta pars decimarum episcopo debetur a decimantibus. (S. congr. Concil., 30 Januar. 1723.)

§ VII. — De jure parochi quoad funeralia.

Jus illud tria complectitur : 1° jus sepeliendi ; 2° jus interveniendi funeribus ; 3° jus percipiendi emolumenta ex funeribus provenientia.

I. *De jure sepeliendi.* — Exceptis casibus, a jure determinatis, jus sepeliendi parochianos pertinet ad parochum. (C. *Ex parte* 5, tit. XXVIII, *De sepult.*, lib. III *Decret.* ; c. *Is qui* 3, ejusd. tit. in 6.) — « Parochus, ait Leurenius, parochianos suos omnes, quibus sepultura sacra conceditur, sepelire debet in ecclesia vel cœmeterio parochiali ; sicut enim sacramenta et verbi Dei prædicationem, ita et sepulturæ officium fidelibus præstare ad eorum pastores pertinet... Item omnes alios (puta scholares et peregrinos, ubi hi ad propriam parochiam deferri non possunt...), intra parochiam degentes et decedentes sepelire est jus parochiale ; ita etiam ut parochus præferatur, et ante omnia sit restituendus, si fuerit spoliatus, corpore jam sepulto ; cum illud possit extrahi auctoritate superioris, tanquam non justæ sepulturæ traditum, et restitui. » (*Forum beneficiale*, part. I, quæst. 452, n. 1.)

Diximus autem, *exceptis casibus a jure determinatis*, scilicet : 1° Si quis habeat majorum suorum sepulcrum alibi quam in parochiæ suæ ecclesia vel cœmeterio, nec aliam sepulturam elegerit, non tantum potest, sed debet in dicto majorum suorum sepulcro sepeliri. (C. *Nos instituta* 1, *De sepult.*, tit. XXVIII, lib. III *Decret.*) — 2° Quilibet, modo ætatem pubertatis attigerit, sepulturam suam eligere potest ; ita ut in ea debeat sepeliri, quamvis extra parochiæ suæ ecclesiam et cœmeterium. (C. *Nos instituta* cit. ; c. *Licet* 4, *De sepult.* in 6 ; c. *Dudum* 2, *De sepult.*, Clement.) — 3° Pro impubere sepulturam eligere potest pater, mater et consanguinei, affines et etiam tutor, modo ea sit regionis consuetudo. (C. *Licet* cit.) — 4. In monasterio suo respectivo sepeliri possunt omnes degentes et intra septa monasterii degentes. — 5. Parocho non licet facere officium super cadaveribus in aliena ecclesia tumulandis. (S. congr. Rit., 20 Novembr. 1628 et pluries.) — 6. In casu, quo defunctus tumulatur in ecclesia regularium, non posse parochum defuncti impediri ab ipsis regularibus, quin pulset campanas parochiales ; neque ipsos regulares ecclesiæ, in qua defunctus sepelitur, impediri a parocho, quin pulsent campanas eorum ecclesiæ, expressis terminis declaravit sacr. congr. Rit. apud Gardellini, n. 1217.

Quoad jus parochiarum habendi sepulturas, tanquam certæ haberi solent duæ sequentes regulæ : 1° Jus ordinarium sepulturas habendi competit ecclesiis parochialibus, aliis vero ecclesiis non parochialibus, nonnisi ex privilegio. 2° Privilegium istud concedi potest alicui ecclesiæ non parochiali ab episcopo, de consensu tamen cathedralis capituli. (*Vide* D. Bouix, *De parocho*, p. 185 et seqq.)

II. *De jure interveniendi funeribus.* — Etiamsi parochianus in aliena ecclesia et ab aliis sit sepeliendus, jus habet ipsius parochus ut ad funus vocetur, et vocatus tenetur intervenire, juxta textum capitis 1, et Clement. *Dudum, De sepulturis.* Dictum autem jus parochorum interessendi funeribus firmatum multis sacr. congr. Rituum declarationibus remanet.

Quamvis parochianus in aliena ecclesia et ab aliis sepeliatur, ad ejus parochum pertinet stolam deferre, corpus e domo levare, aqua benedicta respergere et præcinere antiphonam *Exsultabunt Domino.* (S. congr. Rit., 12 Octobr. 1619, et sæpissime.) Quando defunctus in ecclesia regularium tumulandus est, tenetur parochus associare cadaver usque ad ecclesiæ regularium januam. (S. congr. Rit. apud Gardellini, n. 2581 et 2688.) Quod si parochus funeri adesse recuset, nec alium mittat, possunt

regulares levare cadaver. (*Ibid.*, n. 2581, 2694.)

Associato funere ad ecclesiæ portam, debet parochus, vel ille ex capitulo et clero penes quem animarum curæ exercitium existit, ad feretrum converti, eique absolutione impertita recedere, relicto cadavere in ecclesia clericorum regularium, ad quos duntaxat peragendi officii cura spectabit. (*Ibid.*, n. 422 et 429.) Sacr. cong. censuit tamen *posse parochos et clerum sæcularem ingredi ecclesiam cum cruce; nullam tamen ibi peragere functionem.* (*Ibid.*, n. 1559.)

Unica tantum crux in ducendo funere elevari potest, et elevari semper debet *crux ecclesiæ tumulantis*, id est ad quam cadaver defertur, et in qua sepeliendum est. (*Ibid.*, n. 684, 2694, 4061, etc.) Excipitur casus quo funeri intervenit cathedrale seu collegiale capitulum; nam tunc non alia crux deferenda est quam capituli. (*Ibid.*, n. 2424, 4730, et 1956.)

Si neque cathedrale neque collegiale capitulum interveniat, præcedentia ac proinde dignior locus debetur parocho, stola induto et funus ducenti. Dignior autem locus tunc est ultimus: unde parochus immediate ante cadaver, post alios omnes incedere debet.

Si interveniat cathedrale capitulum et cum eo cathedralis curatus et sacrista, etiamsi sint amovibiles, ipsis præcedentia et dignior locus competit: ac proinde incedere debent immediate ante cadaver; parochus autem, stola indutus, immediate ante capitulum et post cæteros omnes.

Quando intervenit capitulum collegiale, an ipsi, an vero parocho dignior debeatur locus, non una semper et eadem fuisse videtur sacr. congr. Rituum sententia. In omnibus casibus ad parochum juxta Rituale Romanum pertinet intonare antiphonam *Exsultabunt Domino*, etc. (S. congr. Rit. apud Gardellini, n. 2369, 2424, 2386.)

III. *De jure parochi quoad emolumenta ex funeribus provenientia.* — 1. Tenetur parochus pauperes gratis sepelire. 2. Quoad cæteros, si agatur de modo sepeliendi ordinario (id est, non cum extraordinaria pompa), et abstrahendo a consuetudine vim legis habente, nequit parochus quidquam exigere. Nam sepeliendi officium est quid spirituale, et vi muneris sui tenetur parochus illud parochianis suis præstare. Unde si pretium exigeret, injustitiæ, cupiditatis et simoniæ reum se faceret. 3. Si tamen defuncti hæredes vel consanguinei postulent extraordinarium modum, verbi gratia, missam solemniter cantatam, et alia ejusmodi, ad quæ vi officii sui non tenetur parochus, poterit is in stipendium hujus extraordinarii laboris aliquid exigere.

Certum autem est ad parochum pertinere oblationes quæ sponte fiunt sive intra sive extra missam, et sive ante sive post funus, in ecclesia parochiali, ejusdem funeris intuitu et occasione. Ideoque debentur parocho omnia quæ offeruntur intuitu funeris, quando ab ipso et in ejus ecclesia seu cœmeterio sepelitur parochianus. Si tamen ecclesia seu ejusdem fabrica subministrat paramenta et alia ad funeris pompam necessaria, ecclesiæ debetur oblationum portio juxta consuetudinem seu episcopi statuta. Sed omnia intortitia et candelæ, quibus defuncti cadaver in itinere ad ecclesiam tumulantem associatur, necnon quæ in eadem ecclesia circa cadaver, seu tumulum honorarium, vel etiam in altaribus in die funeris accenduntur, debentur parocho nisi contra fuerint statuta aut legitima consuetudo.

IV. *De quarta funerali, seu portione canonica.* — Quando aliquis parochianus sepelitur in aliena ecclesia, relicta propria, de jure certo debetur proprio parocho quarta pars omnium oblationum funeralium. Hæc pars definitur: *Certa quantitas a jure canonico inducta, et solvi debita parocho vel episcopo ab ecclesia illa, in qua quis, relicta propria, sepelitur, ex relictis eidem a parochiano defuncto, vel obvenientibus ratione funeris.* (Est in re communis.)

De jure ordinario est quarta pars, ex omnibus emolumentis, quæ ratione funeris alteri ecclesiæ obvenerunt; sed vi consuetudinis potest esse diversa. Constat id sequentibus juris textibus: *Præsentium auctoritate statuimus, ut, si aliquem parœcianorum vestrorum alibi contigerit eligere sepulturam, de testamento ipsius quarta vobis portio relinquatur.* (C. *Cum super* 8, tit. *De sepulturis* 28, lib. III *Decretalium*.) In Clement. *Dudum* 2, *De sepulturis*, pariter præcipitur parochis solvi quartam portionem; et quidem *de obventionibus omnibus tam funeralibus, quam quibuscunque et quomodocunque relictis, distincte vel indistincte, ad quoscunque certos vel determinatos usus;*

necnon de datis vel qualitercunque donatis in morte, seu mortis articulo in infirmitate donantis vel dantis, de qua decesserit; quomodocunque directe vel indirecte; fratribus ipsis, vel aliis pro eisdem. In capite autem *Certificari* 9, *De sepulturis*, sic disponitur: *Certificari voluisti a nobis quomodo illa clausula, quæ in privilegiis solet apponi*, salva justitia illarum ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur, *intelligi debeat et exponi. Cum autem super hoc articulo diversa antecessorum nostrorum manaverint instituta, Leone justitiam illam quandoque tertiam partem, quandoque mediam, et Urbano quartam fore censentibus: Nos tale præbemus in hac varietate responsum: ut, sicut beatus Hieronymus inquit, unaquæque provincia in suo sensu abundet, secundum rationabilem consuetudinem regionis illa justitia circa medietatem vel tertiam, aut quartam partem, vro locorum diversitatibus attendatur.*

2. « Ex his et nonnullis aliis textibus concludunt canonistæ posse, vi consuetudinis, portionem parochialem esse dimidiam, vel tertiam partem; imo posse esse majorem dimidia, et minorem quarta parte; cum hoc tamen discrimine, quod valeat consuetudo decem annorum quoad dimidiam, tertiamque, et quamlibet aliam non majorem dimidia, nec minorem quarta; quoad portionem autem vel majorem dimidia vel minorem quarta, dicunt requiri consuetudinem quadraginta annorum spatio præscriptam. *Vide* Barbosam, *De off. parochi*, c. 25 n. 2, et Leurenium, *Forum beneficiale*, parte 1, q. 454, n. 2.»

3. *De quibus rebus solvenda sit portio canonica?* — « Respondeo: De omnibus quæ ecclesiæ, in qua quis (relicta propria) eligit sepeliri, ratione et occasione funeris seu sepulturæ obveniunt; puta quæ tali occasione legantur illi ecclesiæ (non autem personæ certæ illius), sive res sint mobiles, sive immobiles: quæ deferuntur seu portantur cum funere; quæ offeruntur tempore quo funus seu exsequiæ celebrantur; sive obveniant antequam corpus in terra condatur, sive post, usque ad tricesimum diem; et quandiu fit memoria funeris, dum ex causa pluribus diebus post tumulationem fiunt exsequiæ magna cum pompa; etiam dum parocho jam die funeris data est candelarum, facum, similiumque quarta pars.... Hæc enim omnia dicuntur funeralia.» (Leuren. *For. benef.* part. I, quæst. 455, n. 1.) Ita deducunt communiter auctores ex supra citatæ Clementinæ *Dudum* verbis.

«In particulari: 1° Debetur quarta funeralis de candelis et cereis oblatis : item ex eis qui afferuntur et ponuntur circa crucem et cadaver. Nulla tamen debetur portio ex candelis quas fratres confraternitatum aliique presbyteri in manibus portant, cum hæ remaneant deferentibus, juxta declarationem Benedicti XI...; uti nec de intortitiis seu cereis confraternitatum sæcularium associantium funera. Item nec de intortitiis quæ portantur a locis piis ad associandum funera pauperum.»

«2° Ex iis quæ legantur sive dantur pro legendis missis.

« 3° De armis, culcitra, pallio, pannis sericis, etc., quæ in feretro deferuntur.

«4° Ex bonis relictis jure institutionis, ut si defunctus instituerit hæredem ecclesiam, in qua eligit sepulturam.

«5° Ex iis quæ relinquuntur ecclesiis donatione, causa mortis facta ; aut in mortis articulo donantur. Item ex ea pecunia, quam, dum regularibus talis ecclesiæ nihil legatum est, frater aliquis ex illis datus exsecutor ad eam pro libitu suo distribuendam distribuit inter dictos regulares...»

«6° Ex omnibus legatis tali ecclesiæ factis seu relictis in ultima voluntate.» (Leuren. loc. cit.)

« Dum autem dicimus portionem canonicam ex his omnibus esse solvendam, id procedere intelligitur juxta jus commune, id est, quoad eos, qui hanc portionem juxta jus commune parocho solvere tenentur.» (D. Bouix, *De parocho*, p. 499 et seq.) Nam ab hoc onere regulares auctoritate apostolica exempti esse possunt, prout exempta sunt monasteria, et domus F. F. Minorum S. Francisci, Prædicatorum et aliorum ordinum Mendicantium. (Donat. apud Schmalzgr. part. III, tit. XXVIII *De sepulturis*, n. 89.)

Etsi ex exemptione apostolica quarta pars de omnibus non debeatur, sacr. Rit. congr. censuit : « quoad tertium, semper quartam funeralem intortitiorum, quæ circa corpus defuncti deferuntur, reservatam intelligi proprio parocho, quotiescunque defunctus alibi sepeliri contigerit. (Die 9 De-

cembr. 1628.) Et Benedictus XIII, constit. *Romanus pontifex* statuit quod semper quarta debeatur de omnibus intortitiis et candelis, quibus defuncti cadaver in itinere ad ecclesiam tumulantem associatur, necnon de omnibus intortitiis et candelis, quæ in eadem ecclesia circa cadaver, vel etiam in altaribus in die funeris accenduntur.»

4. *A quo solvi portio canonica debeat.* — Resp. 1° Quartam funerariam peti haud posse ab hæredibus defuncti, sed ab ecclesia, ubi ille tumulatur, censuit Rota, *in Calaguritana*, 2 Julii 1728. Pro exactione quartæ funeralis non gravatur hæres, sed lis agitur inter parochum et ecclesiam tumulantem. (S. congr. Episc. et Regular. 14 April. 1615; et de eodem decretum sacr. congr. Concil. refert MONACELLI, tom. II, tit. XIV, form. 1, n. 14.)

2° Solvi igitur debet ab illa ecclesia, in qua sepultura electa est. (C. *Nos instituta* 1; cap. *In nostra* 10, et Clement. *Dudum* 2, *De sepulturis.*)

Proceditque hoc, etsi ecclesia illa haberet privilegium sepeliendi eos, qui apud ipsam sepulturam eligunt (C. *In nostra*); etsi talis ecclesia sit exempta (Clement. *Dudum*); etsi parochianus ecclesiæ inferioris sepultus esset in ecclesia cathedrali; etsi defunctus ad monasterium se transtulerit (nam si in infirmitate constitutus ad illud se transtulit et in ea infirmitate decessit, de bonis monasterio relictis a defuncto, ecclesiæ parochiali, cujus parochianus fuit, debet solvi portio parochialis canonica, ut habetur cap. *De his* 4, *De sepult.*); etsi quis sepultus sit in sepulcro majorum. Per hoc enim, quod sepulcrum alibi habeat, non desinit esse parochianus suæ parochiæ. (SCHMALZGR. p. III, tit. XXVIII, n. 86 et 87.)

Quod si defunctus duo domicilia habuit in duabus parochiis, est distinguendum; nam si sacramenta, aliaque divina, dum vivebat, in utraque percepit, portio canonica inter utramque dividenda est. (C. *Cum quis*, *De sepult.* in 6.) At si in una tantum sacramenta percepit, communior sententia vult totam attribuendam illi ecclesiæ, in qua defunctus sacramenta percepit. (SCHMALZGR. *ibid.* n. 86; FERRAR. verb. *Sepulturæ*, n. 331.)

5. Portio canonica non debetur ex iis, quæ defunctus reliquit aliis ecclesiis ab ecclesia sepulturæ suæ distinctis; nec de relictis ecclesiæ in qua funus ad tempus solum depositum est, suo tempore alio transferendum ad sepulturam perpetuam; nec de relictis ecclesiæ sepulturæ, pro ornamentis, fabrica, anniversario, et ad cultum divinum perpetuum, sine fraude tamen; nec de donatis, vel legatis testamento ante sepulturam electam condito. Nihil etiam debetur, si ecclesia parochialis diu nimis vacavit, ut defunctus in illa sacramenta, aliaque divina percipere non potuerit; si eadem ecclesia, dum defunctus decessit, parochialis rectoris culpa fuit interdicta; si legatum ecclesiæ parochiali a defuncto relictum sit, ea quantitate, ut portionem canonicam ipsi debitam æquet, et ea conditione, ut ultra illud quartæ parochialis nomine nihil amplius exigatur; si obligationi portionis istius præstandæ parocho per consuetudinem legitime præscriptam fuit derogatum: talis autem erit si fuerit 40 annorum cum titulo, vel immemorialis sine titulo. (SCHMALZGR. *ibid.* n. 88 et 89.) — Differt ecclesia cathedralis ab aliis ecclesiis quoad acquirendam præscriptione exemptionem a solutione quartæ funerariæ; cathedralis enim ecclesia quadragenaria acquirit exemptionem a solutione quartæ funerariæ; cæteræ vero ecclesiæ indigent immemorabili, vel centenaria ad hanc acquirendam exemptionem. (Rota, 9 Julii 1732.)

Nihil debetur parochiis per quas funus transitum habet. (Sacr. congr. Episc. et Regul. 15 Novembr. 1675, et pluries.) Quarta funeraria solvi tantum debet vero parocho, ratione sacramentorum.

6. *An portio hæc canonica ad ecclesiam parochialem tota spectet?* — Respondeo negative; nam quarta pars illius præstanda est a parochia episcopo, tanquam ordinario loci. (Arg. c. *Conquerente* 16, *De offic. judic. ordin.*) Ubi generatim statuitur, ut mortuariorum, sive legatorum, oblationum, aliorumque funeralium, quæ ecclesiis inferioribus obveniunt, quarta pars solvatur episcopo.

« Ex quo sequitur 1°, casu, quo defunctus extra propriam parochiam sepulturam eligit in loco non exempto, ex iis, quæ ecclesiæ sepulturæ obvenerunt, de jure duas solvendas esse portiones canonicas, unam episcopalem (c. *Officii* 14, et c. *Requisisti* 15, *De testam.*), alteram parochialem. (c. *Nos instituta*, et c. *Cum nuper* cit.)

« Sequitur 2°, eodem casu electæ sepulturæ in ecclesia non exempta episcopum duas ejusdem portiones consequi; unam enim consequitur ab ecclesia sepulturæ ex iis, quæ ipsi permanent, ut paulo antea dictum est; alteram a parochia, in qua defunctus de jure sepeliri debuit, videlicet quartam quartæ portionis parochialis.»

« Sequitur 3°, casu, quo sepultura electa est in loco exempto, episcopo unam solum deberi portionem canonicam, videlicet quartam portionis præstandæ parocho; nam ecclesia exempta portionem canonicam ex iis, quæ ipsi obveniunt, non solvit.»

7. *Quænam pars prius deducenda sit, portio parochialis canonica, an episcopalis?* « Resp. prius deducendam portionem parochialem, et tum demum episcopalem, ut cum communi advertit Abbas, in c. 9, tit. XXVIII *De sepult.* n. 11. *Ratio est*, quia portio parochialis debetur ab ipso testatore, episcopalis vero ab ecclesia tum legataria, tum parochiali, vel sepulturæ. Accedit, quia parochus habet magis specialem curam quam episcopus.» SCHMALZG. part. III, tit. XXVIII *De sepulturis*, n. 91 et seq.) Et sacr. congr. Concil. 30 Januar. 1723, respondit quartam decimarum et quartam funerariam episcopo deberi. Idem decrevit et amplius 4 Julii 1739.

§ VIII. — De variis juribus quoad parocnos.

I. *De functionibus parochialibus*, id est, quæ nonnisi a parocho, aut de ipsius licentia peragi possunt, jam satis diximus, cap. XIV, § 3, *De parochi obligationibus erga confraternitates*, supra pag. 1503; hic tantum aliquid addendum est.

II. Parochis non licet stola uti extra functiones quæ illam exigunt, et in quibus eam deferre possunt et debent alii etiam presbyteri, qui eas functiones peragunt, videtur omnino tenendum ex multis sacr. congr. Rituum declarationibus; nec stola parochis tanquam signum jurisdictionis competit.

III. Benedictio solemnis per verba : *Sit nomen Domini benedictum*, est parochis et cæteris quibuscunque, exceptis episcopis et abbatibus mitratis, sub gravi illicita.

IV. Parochi eorumque vicarii, qui exercent actus parochiales jurisdictionem exigentes, nisi parochi expresse repugnent, possunt dispensare in jejuniis, jure consuetudinis, ex justa causa cum suis subditis particularibus, non vero pro tota parochia. (Ita ex communi sententia, S. LIGORIUS, lib. IV, n. 1032.)

V. Ex causa legitima, veluti damni evitandi vel vitæ sustentandæ, potest parochus concedere licentiam laborandi diebus festis, in quibus ad episcopum vel vicarium non potest haberi recursus. (Est doctrina hæc communis inter doctores, et tuta in praxi.) — Et adnotat Barbosa, *De parocho*, part. I, cap. 16, n. 6: « Quamvis vero nulla dispensatio requiratur, quando causa laborandi die festo est indubitata, semper tamen petenda est licentia a superiore, quando publice laborandum est; cum ad eum, non ad quemcunque privatum hominem spectet judicium ferre de veritate causæ, nisi forte periculum esset in mora, et grave inde damnum sequeretur, juxta decretum congr. Concil. 12 Aprilis 1597; quod amplexa est congr. Episc. et Regul. 12 Martii 1601.»

§ IX. — Parochus, quoad ea, quæ concernunt immunitatem.

Ecclesia et domus parochialis gaudent immunitate ecclesiastica. — « Immunitas ecclesiastica est jus seu exemptio qua ecclesiæ res et personæ ecclesiasticæ a publicis muneribus et oneribus sæcularibus sunt liberæ.» Dividitur in localem, realem et personalem. Immunitas realis et personalis est de jure divino, ut colligitur ex pluribus sacræ Scripturæ locis et sacris canonibus. Immunitas localis ecclesiarum seu privilegium asyli, juxta quosdam, competit ecclesiis, aliisque piis locis de jure naturali et divino, sed juxta alios, competit solum de jure humano, tum civili, tum canonico. Per hanc immunitatem localem non licet reos confugientes ad loca immunia abstrahere, nec tradi, sed debent loci sacrati reverentia et intercessione defendi, nec in vita nec in membris puniri valent.

Immunitate, seu jure asyli gaudent omnes ecclesiæ auctoritate episcopi erectæ et etiam capellæ; gaudet etiam cœmeterium, dummodo auctoritate episcopi sit designatum.

Domus præposituræ contigua ecclesiæ gaudet immunitate, etiam respectu bonorum ibidem exsistentium, quamvis pars ejusdem domus sit laico locata. (S. congr. Immun. 19 August. 1630.) — Domus parochialis, etiamsi ab ecclesia distans, modo non sit locata et inhabitata a laicis, gaudet immunitate.

(S. congr. Immunit. 25 Februar. 1698 et 17 Novembr. 1654.) Attamen distans ab ecclesia parochiali spatio circiter tertiæ partis milliarii, et domus, quæ habitatur a parocho, sed non est parochialis, id est de pertinentia parochiæ, non gaudet immunitate. (S. congr. Immunit. 4 Julii 1673 et 5 Maii 1699.)

II. Parochus post delictum commissum confugiens ad propriam domum parochialem, gaudet immunitate. Parochus captus pro debito in propria domo parochiali, gaudet immunitate; et restituenda ei sunt ablata, seu quæ solvit, ne deduceretur ad carceres.

Verum episcopus potest extrahere parochum a propria domo parochiali ad correctionem tantum. Sed in casibus non exceptis a jure, non est licita episcopo extractio absque facultate apostolica, et sic extracti restitui debent ecclesiæ; unde episcopus, qui sine dicta facultate extraxit, acriter corrigitur pœnis Sanctissimo benevisis.

Vicarius generalis ordinans carcerationem parochi in loco immuni, suspenditur arbitrio sacr. congr. Immunitatis.

Parochus repertus in flagranti delicto cum muliere in domo parochiali, extrahi potuit per episcopum ad effectum correctionis. Parochum conjectum in carceres nimis asperos sacr. congr. mandat episcopo, ut faciat charitative tractari. (Ita hucusque per omnia decrevit sacr. congr. Immunitatis apud Ferrar. verb. *Parochus*, art. 4, et verb. *Immunitas*, passim.)

III. Majorem excommunicationem latæ sententiæ et papæ reservatæ incurrunt quicunque cujusvis dignitatis et auctoritatis exsistant, qui in aliquo modo immunitatem asyli violant. Communis et certa ex constitut. (Gregor. XIV, *Cum alias nonnulli*, § 8; et Benedict. XIII, *Ex quo divina* § 9.)

§ X. — De præcedentia parochi.

I. Præcedentia inter parochos debetur illi, qui prior fuit assumptus ad regimen suæ parochialis; de jure enim is præcedit, qui in labore est antiquior instar militiæ. (Pignatell. tom. VI, consultat. 67, n. 1, ubi refert quod id resolvit sacr. Rit. congr. in *Maceratensi*... Atque habetur in Statuto cleri Romani cap. 2, § 6.) Attamen eadem sacr. Rituum congr. respondit: « in præcedentiis parochorum attendendam esse antiquitatem et dignitatem ecclesiæ parochialis, non autem ipsorum parochorum. » (10 Maii 1642, *Asculana*.) Ideoque ut ead. congr. pluries respondit: « nullam deberi præcedentiam vicariis foraneis ratione dicti vicariatus, non obstante consuetudine contraria.»

II. Capitulum cathedrale vel collegiale, et canonicos sive cathedralis sive collegiatæ capitulariter convenientes et cum eis mansionarios præferendos esse in omnibus cuilibet parocho etiam matricis ecclesiæ ejusdem loci, pluries respondit sacr. Rituum congr. præsertim 11 Decembr. 1613; 4 August. 1657; 21 Junii 1636; 16 Julii 1757. « Canonicis autem uti singulis nullam deberi præcedentiam, aut prærogativam. » (S. ead. congr. 17 Julii 1640.) Idem dicendum est de parochis uti singulis; nulla eis debetur præcedentia.

III. Occasione supplicationum generalium, publicarumque functionum ecclesiasticarum, ubi adsint in eodem oppido plures parochi, debent collegialiter incedere : nec potest præpositus substituere in his peragendis functionibus suum vicecuratum, vel alium, sed præposito deficiente, competit tale jus parocho, qui ei succedit, et sic de cæteris. (S. congr. Rit. 16 Februarii 1757.)

IV. Quilibet autem parochus in propria ecclesia omnibus aliis parochis præcedit excepto capitulo cathedralis, quia secluso hoc casu de interventu capituli cathedralis respectu præcedentiæ, quilibet in domo sua regulariter dicitur major. Rectores autem ecclesiarum in propriis ecclesiis dicuntur esse in propria domo. (C. *Duo*, causa 23, quæst. 4; et citantur decreta sacr. congr... *in Maceraten. jurium parochialium.*) Prior enim in propria ecclesia, etiamsi sit aliis parochis inferior, dicitur pro se habere juris assistentiam in præcedendo cæteris aliis. (Sic tenent communiter doctores; Ferrar. verb. *Præcedentia*, n. 84 et seq.)

V. Attendenda tamen semper in his legitima consuetudo, quæ in materia præcedentiæ inducitur per decem annos, eaque præscribitur. (Id. *ibid.* n. 87.) — Ex amicitia et gratia alteri concedi potest præcedentia; sed si raro et non frequenter, hæc concessio non inducit consuetudinem.

CAPUT XVIII.

De cohabitatione parochi cum mulieribus.

I. Varia variis temporibus olim disciplina nac de re viguit; hodiernum jus commune desumendum est ex decretali *A nobis* Innocentii III, et ex communi doctorum interpretatione. De qua communi doctorum interpretatione, vide Benedictum XIV, *De synod. diœces.* lib. XI, c. 4, n. 7, etc.)

II. De jure, 1. clerico licitum est, regulariter loquendo, habitare cum feminis, sibi in primo vel secundo consanguinitatis gradu conjunctis. (*Decretal.* INNOCENT.)

2. Item clerico licita censetur cohabitatio cum affinibus in primo gradu, verbi gratia, cum noverca, nuru et uxore fratris defuncti; insuper cum affinibus in secundo gradu, quando alter alteri reverentiam debet; verbi gratia, cum uxore patrui vel avunculi defuncti.

3. Quando clericus licite habitat cum prædictis sibi conjunctis, etiam ipsi licet habitare cum earumdem ancillis et pedisequis.

4. Non prohibentur clerici extraneas feminas in famulas sibi assumere, modo provectioris ætatis sint, honestæ famæ et extra suspicionem. (Super hæc omnia vide Schmalz. et alios canonistas, in tit. II, lib. III *Decretal.*) Hæ famulæ cum uno tantummodo parocho cohabitantes, minores non sint annis quadraginta. Ita decretum est a sacr. congr. Concil. pro diœcesi Bononiensi. *Instit. eccles.* inst. 82.

5. Quamvis a sacris canonibus clericis concedatur cohabitatio cum supradictis feminis, id semper intelligendum est cum limitatione, nisi adsit periculum vel scandalum. Unde si de facto, ob peculiares circumstantias, adsit periculum aut scandalum, non concessa, sed prohibita cohabitatio censenda est. Proceditque hoc etiam quoad consanguineas affinesve quaslibet. (Ex decret. INNOCENT. *A nobis* · SCHMALZ. loc. cit., et alii.)

6. Nequit episcopus prohibere, ne diœcesis suæ clerici cum ulla omnino femina cohabitent. Non enim potest episcopus contra jus commune valide decernere. Hinc omnino errasse existimat Benedictus XIV quosdam episcopos, qui clericis vetuerant, «ne cum ulla prorsus femina licet arctissimo sibi consanguinitatis nexu obstricta cohabitarent.» *De synod. diœc.*, lib. II, c. 4, n. 7.) Atque ibidem n. 4 generatim cavendum præmonet, «ne obtentu renovandi pristinos ecclesiæ canones, quidquam in synodo statuatur, quod contrarium sit posterioribus legibus, quibus antiquæ disciplinæ rigor nonnullis in rebus expresse mitigatus dignoscitur.»

7. Valeret tamen episcopi constitutio, qua clericis cohabitationem prohiberet cum quibuslibet feminis, nisi ipse prius earum qualitates examinasset et abesse periculum atque scandalum comperisset. (Ita tenet idem BENEDICT. XIV, loc. cit.)

CAPUT XIX.

De norma canonica parochos removendi.

«Multa hic de parochis concludenda veniunt, quæ ipsis sunt communia cum cæteris beneficiatis. Hinc visum est sectionem bifariam dividere; ita scilicet ut 1° recolamus breviter canonicam remotionis *normam* quoad omnes generatim beneficiatos; 2° ut eam in particulari expendamus quoad parochos seu curatos.» (Ita D. BOUIX, *De parocho*, sect. 4, quem sequemur in præsenti capite.)

§ I. — Norma beneficiatos removendi per degradationem actualem.

I. Degradatio actualis seu realis est illa qua clericus non solum privatur officio, beneficio et sacrorum ordinum exercitio; sed insuper spoliatur privilegio fori, clericalibus insignibus cum præscripta a jure solemnitate exuitur, et brachio sæculari, secundum sæculares leges puniendus, traditur. Ita quoad sensum doctores communiter.

II. Adhibenda non est pœna hæc, nisi pro illis solis flagitiis, quæ jus expresse decrevit hoc modo plecti posse vel debere. Est sententia communius recepta. (FAGNAN. in cap. *Cum non ab homine, De judiciis*: BENED. XIV, *De synod. diœc.* lib. IX, c. 6.)

III. Flagitia autem, ob quæ leges ecclesiasticæ voluerunt locum esse degradationi reali vide infra lib. *De criminibus et pœnis.*

IV. Degradatio fieri nequit nisi ab episcopo consecrato, et juxta ritum in cap. *Degradatio* 2, *De pœnis*, et Pontificali romano descriptum.

§ II. — Norma removendi per depositionem seu beneficii privationem.

1. Degradationis verbalis et depositionis vocabula pro synonymis passim usurpant doctores. «Depositio verbalis, inquit

Reiffenstuel, quæ etiam degradatio verbalis dicitur, est pœna ecclesiastica, qua clericus quis perpetuo privatur ordine et munere clericali; non quidem quoad characterem, cum sit indelebilis ..., sed quoad exercitium ..., et hoc ipso etiam ab officio et beneficio. » (In tit. XXXVII, lib. V *Decretal.* n. 22.)

II. At vero depositionem inter et privationem hoc discrimen intercedere adnotant, quod *depositus* inhabilis efficiatur quoad omnia alia beneficia, non item *privatus*. (Reifenstuel, *ibid.* n. 27.)

III. *Regulæ generales privationis pœnam spectantes.*

Regula prima. — Infligi nequit pœna privationis beneficii, nisi propter causam gravem, notoriam, et servato juris ordine, seu in judicio. (C. *Inventum* 38, causa 16, quæst. 7; c. *Conquerente* 7, tit. XIII, lib. II *Decretal.*, et communis doctorum.) Et, tradit Fagnanus, in cap. *Cum dilectus, De rescriptis*, n. 20: « Privatio beneficii est pœna ordinaria quæ non imponitur nisi pro gravissimo crimine, prævia citatione in judicio ordinario, et legitimis exceptionibus discussis... adeo ut privatus a judice non servante ordinem judiciarium, possit petere restitutionem tanquam spoliatus. »

Regula secunda. — Non potest ordinarius ad privationem beneficii procedere ex informata conscientia. Sequitur ex præcedenti et communi sententia doctorum et cap. *Cum honestius* 1, sess. 14 *Trident.*, quod loquitur duntaxat de facultate *suspendendi*, non autem *privandi* clericos beneficiis suis.

Regula tertia. — Ut possit pronuntiari sententia, regulariter loquendo, debet constare de delicto per probationem plenam seu concludentem. (Communis.)

Regula quarta. — Quando privatio ipso jure incurritur, et delictum est notorium, nulla opus est sententia; sed ad executionem privationis immediate deveniri potest. — Unde in hoc casu sufficit assignari reo terminum, ad sese excusandum quoad factum delicti patrati; quo elapso termino potest episcopus privationis pœnam exsequi. In assignando termino, poterit hæc aut similis formula adhiberi : *Assignatur Titio octo dierum terminus, ad dicendum quare ipsius beneficium non sit vacans, ob delictum* (et ibi exprimatur delicti species) *ab ipso patratum, et nequeat tanquam vacans alteri conferri.*

In praxi tamen semper tutius est permittere sententiam declaratoriam de patrato delicto; quia raro talis adest notorietas, contra quam non possit reus aliquid objicere; imo satis est eam a reo negari, ut jam non sit talis, et debeat justificari.

Regula quinta. — Quando privatio ipso jure incurritur, et delictum non est per se satis notorium, judex pronuntiare debet, non sententiam privationis, sed sententiam declaratoriam; qua nempe declaret tale delictum a beneficiato fuisse patratum ac consequenter ipsum beneficio suo privatum jam exsistere.

Nota 1°. Quando pronuntiatur ejusmodi declaratoria, beneficiatus non censendus est privatus duntaxat a tempore pronuntiatæ hujusmodi sententiæ, sed a momento patrati delicti. Unde fructus interea perceptos restituere tenetur, ut in hoc concordant omnino doctores. — 2° An vero teneatur sese exuere beneficio ante sententiam, controvertitur. — 3° Certum est validos esse actus, quos beneficiatus ratione sui muneris seu officii publici (v. gr. absolutiones, etc., si sit parochus), a tempore patrati delicti, usque ad sententiam declaratoriam, pergit exercere.

Regula sexta. — Quantumvis atrox sit delictum, non censendus est beneficiatus ipso jure privatus, nisi expresse pro illo crimine lex ecclesiastica privationem ipso jure decreverit. Quando delictum non est de iis, pro quibus legislator privationem *ipso jure* incurrendam decrevit, ut beneficiatus privetur, non sufficit eum condemnari de hoc delicto : sed debet judex in sua sententia expresse dicere, se privationem pronuntiare.

Regula septima. — Vicarius generalis episcopi nequit, absque speciali mandato episcopi, privationis pœnam infligere. (C. *Licet, De offic. vicarii*, in 6.)

§ III. — De pœna privationis ob certas quasdam omissionis culpas.

I. Qui tenetur recipere ordines infra annum, ut parochus nondum sacerdos, si absque legitimo impedimento intra hoc intervallum non ordinetur, *ipso jure* beneficio suo privatur.

II. Contumaciter non gestantes clericalem habitum *ipso jure* beneficiis suis privantur.

(*Trident.* sess. 14, cap. 6, *De reform.*; et constit. Sixti V *Cum sacrosanctam.*)

III. De privationis pœna ob omissam residentiam, vide supra cap. 16 hujus libri, sub finem.

§ IV. — De pœna privationis ob varia delicta commissionis.

I. Si quis beneficii a papa sibi collati possessionem apprehendat ante expeditionem litterarum, eo ipso vacat *ipso jure* beneficium hoc obtentum : imo et reliqua, si quæ habeat, juxta constitutionem Julii III, 27 Maii 1553.

II. Si quis habens titulum alicujus beneficii violenter propria auctoritate illud occupet, hoc beneficio *ipso jure* privatur. (C. *Eum qui*, *De præbendis* in 6.)

III. Qui litteras apostolicas falsificavit, non tantum excommunicationem, sed et privationem sui beneficii, si quod habet, *ipso jure* incurrit. (C. *Ad falsarium*, *De crimine falsi.*

IV. Male promoti ad ordines (v. gr. per saltum absque titulo, absque dimissoriis, ante legitimam ætatem, extra statuta tempora) sunt ipso facto suspensi. Et si in receptis ordinibus ministrare præsumant, non solum irregulares, sed et suis beneficiis ipso jure privati exsistunt, per constitutionem *Sanctum et salutare*, Sixti V.

V. Qui bona ecclesiæ suæ seu beneficii sui, extra casus a jure permissos, alienat absque sedis apostolicæ consensu, ipso jure beneficio illo privatus exsistit.

VI. Simonia mentalis non inducit privationem beneficii ipso jure ; bene vero simonia realis, confidentialis et mista.

VII. Certum est, ex Tridentino decreto sess. 25, c. 3, posse episcopum procedere contra insordescentem in excommunicatione *tanquam suspectum de hæresi, si obdurato animo per annum insorduerit.* Aliunde extra controversiam est, suspectum de hæresi posse beneficiis privari.

VIII. *De privatione ob insordescentiam in suspensione.* — 1. Per solam suspensionem clericus non est privatus beneficiis ante suspensionem obtentis. — 2. A beneficiis autem, quæ ipsi jam suspenso collata sunt, removendus est; siquidem nequit beneficium suspenso valide conferri. — 3. Ob insordescentiam in suspensione, potest suspensus privari beneficio, sicut casu insordescentiæ in excommunicatione.

IX. *De privatione ob irregularitatem.* — 1. Irregularitas inhabilem reddit clericum ad obtinenda beneficia. — 2. Non tamen eum privat *ipso jure* beneficio ante irregularitatem obtento. — 3. Sed apta esse potest ut judex ad privationem procedat loco pœnæ. Si nempe clericus irregularis evaserit ob delictum privatione dignum, per sententiam privari poterit.

X. *De privatione ob homicidium, vulnerationem et percussionem.* — 1. Homicidium, quando non concurrunt certæ quædam circumstantiæ, mox enumerandæ, non inducit privationem *ipso jure ;* sed episcopus potest, imo et debet privationem propter ejusmodi flagitium pronuntiare. (C. *Cum non ab homine*, *De judiciis.*) — 2. Homicidium cum qualitate *assassinii* inducit privationem ipso jure. (C. *De homicidio*, in 6.) Dicuntur autem in jure assassini, tum *pretio conducentes*, tum *pretio conducti* ad occidendum aliquem. — 3. Privatus ipso jure exsistit occidens vel percutiens cardinalem; item occidens vel percutiens episcopum; item occidens rectorem vel beneficiatum illius ecclesiæ, in qua homicida suum habet beneficium. — 4. Abstrahendo a qualitate dictarum personarum, percussio, vulneratio et mutilatio non inducunt *ipso jure* privationem.

XI. Ob procurationem abortus, ob infandum Sodomiæ crimen, patrator clericus beneficiis suis ipso jure privatus exsisteret.

XII. Ob sacrilegum cum moniali facinus locus datur privationi vel *ipso jure*, vel per sententiam ad eam procedi potest. (Vide Leuren. *Forum beneficiale*, part. III, a quæst. 172 ad 214.)

§ V. — De privatione ob concubinatum, et ob simplicem fornicationem.

I. Certum est de hac quæstione, duplicem exsistere sententiam inter canonistas. Prior nempe sententia negat posse infligi privationis pœnam, nisi prius adhibeantur monitiones, substractio fructuum et suspensio, et his adhibitis concubinarius in nequitia perseveret, seu remaneat *incorrigibilis.* Altera vero severior sententia tenet non necessario exspectandum esse ut constet de *incorrigibilitate;* sed satis esse ut constet de patrata vel patratis fornicationibus; et quando id constat, non esse necessario præmittendam monitionem et sus-

pensionem ; sed statim ad privationem procedi posse : gradationem autem a Tridentina synodo sess. 25, c. 14, descriptam, respicere duntaxat casum *suspectæ frequentationis;* ita ut non sit, nisi in isto casu, necessario servanda.

Prima sententia in jure magis fundata videtur et in praxi Romæ sequitur. Etenim Alexander III sic decrevit in cap. *Sicut* 4, tit. II, *Decretalium* lib. III : *Mandamus quatenus clericos vestræ jurisdictionis, qui in subdiaconatu et supra fornicarias habuerint, studiose monere curetis ut a se illas removeant, eas ulterius minime admissuri. Si vero acquiescere contempserint, eos ab ecclesiasticis beneficiis usque ad satisfactionem congruam suspendatis. Et si eas suspensi præsumpserint detinere, ipsos ab eisdem beneficiis perpetuo removere curetis.*

Et in capite 6 ejusdem tituli et libri : *Si autem clerici tuæ jurisdictionis (sive in sacris ordinibus, sive in inferioribus constituti) fornicarias detinent, nisi eas ad secundam vel tertiam commonitionem a se dimiserint, easdem de cætero contempturi, liceat tibi eos ecclesiis, vel earum portionibus, appellatione postposita, spoliare, officio ipsis nihilominus interdicto.*

Decretum Trident. sess. 25, c. 14 : *Prohibet sancta synodus quibuscunque clericis, ne concubinas aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audeant : alioquin pœnis, a sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum impositis puniantur. Quod si a superioribus moniti, ab iis se non abstinuerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque, et pensionum, ipso facto sint privati : quæ fabricæ ecclesiæ, aut alteri pio loco arbitrio episcopi applicentur. Sin vero in delicto eodem cum eadem, vel alia femina perseverantes, secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fructus omnes ac proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur, sed etiam a beneficiorum ipsorum administratione (quoad ordinarius etiam uti sedis apostolicæ delegatus arbitrabitur) suspendantur. Et si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum iis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus ac officiis et pensionibus quibuscunque ecclesiasticis perpetuo privantur.*

Eadem synodus, sess. 21, cap. 6, decernit in hunc modum : *Eos vero qui turpiter et scandalose vivunt, postquam præmoniti fuerint, coerceant ac castigent ; et si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, juxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione et appellatione quacunque remota, privandi facultatem habeant* (episcopi).

Seriem quamdam declarationum sacr. congr. Concil. de hoc decreto, retulit Garcias; et post ipsum eamdem citare solent canonistæ. Cujus præcipua capita sic memorat Reiffenstuel (in tit. *De cohabit. clericorum et mulierum* II, lib. III *Decretal.* n. 33) : « Circa quod decretum concilii refert Nicolaus Garcias (part. II *De beneficiis*, cap. 10, n. 183) plura per sacr. congr. fuisse declarata, quorum quatuordecim puncta enumerat : 1. quidem censuit sacr. congr. quod istud decretum de concubinatu et impudicitiæ sordibus clericorum, non procedat in simplici incontinentia *absque qualitate concubinatus.* — 2. Quod habeat locum, etiamsi clericus modo cum una, modo cum alia deprehendatur. — 3. Quod illud, *si a superioribus moniti . . .*, intelligitur *de monitione specialiter, non autem generaliter* (puta per edictum) *facta.* — 4. Quod monitiones, ex eodem decreto faciendæ, non tantum in visitatione, sed aliis quoque temporibus fieri possint. — 5. Quod tempus quod inter unam et aliam monitionem intercedere debet, arbitrio episcopi relinquatur. — 6. Quod pœna, de qua in versu, *quod si a superioribus moniti . . .*, non habeat locum in clericis qui *primo* deliquerint, etiamsi edicta generalia ordinarii præcesserint; sed incurratur, ubi clericus *secundo* deliquit. In primo enim puniri debet aliis pœnis a sacris canonibus, vel statutis ecclesiarum impositis. Et demum, si monitus fuerit, et quidem speciali monitione, et secundo delinquat, privatus est tertia parte fructuum, non tamen distributionibus quotidianis, quas ratione canonicatus vel præbendæ, divinis interessendo, percipit, præter fructus præbendæ distinctæ. — 7. Quod eadem pœna censeatur repetita in vers. *Sin vero in delicto eodem ...*, si secundæ monitioni non paruerit, qui suspendendus est ab administra-

tione beneficiorum : et cum non possit interesse choro, amittit etiam distributiones quotidianas. — 8. Quod episcopus possit procedere per denuntiationem, inquisitionem ex officio, vel quo alio sibi videbitur modo. Tacentur cætera sex puncta dictæ decisionis sacræ congreg. apud Garciam (ubi supra) videnda. »

II. Ex his Tridentini verbis, sess. 25, cap. 14 : *Pœnis a sacris canonibus vel statutis ecclesiarum impositis*, episcopi possunt ferre statuta quibus contra fornicatores et concubinarios privationis pœna imponeretur. Sed ea est imponibilis et imponenda per judicem. (Ita Schmalzgr. in tit. *De cohabit. cleric. et mulier.* n. 11 ; et Leuren. *Form. benef.* p. III, quæst. 216, n. 2.)

III. In eodem cap. 14 sess. 25 sic disponitur : *Supradictorum omnium cognitio, non ad archidiaconos, nec decanos, aut alios inferiores, sed ad episcopos ipsos pertineat : qui sine strepitu et figura judicii, et sola facti veritate inspecta, procedere possint.* Episcopus igitur contra clericos concubinarios judicii summarii formam adhibere potest. Poterit episcopus contra omnes procedere etiam incarcerando, quando timetur de fuga, juxta traditam formam in cap. 6, sess. 25, idque absque monitione.

IV. In eodem cap. 14, sess. 25, statuitur : *Clerici vero beneficia ecclesiastica aut pensiones non habentes, juxta delicti et contumaciæ et perseverantiam et qualitatem ab ipso episcopo carceris pœna, suspensione ab ordine et inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisve modis juxta sacros canones puniantur.* In fine ejusdem capitis, agitur de episcopis quoque, si, quod absit, ab hujusmodi crimine non abstinuerint.

§ VI. — Norma beneficiatos removendi per suspensionem.

I. Beneficiatus per suspensionem a beneficio suo stricte loquendo non removetur, sed duntaxat per privationem, nisi tamen suspensio foret perpetua ; quia tunc privationi æquivaleret, ut notant passim doctores.

II. *Jure antiquo*, concubinarius notarius revera suspensus erat, non tantum *quoad se*, sed etiam *quoad alios*, ita ut peccarent audientes missam aliaque officia ejusmodi clerici, et ipse irregularitatem celebrando incurreret. Sed post constitutionem Martini V *Ad evitanda*, in concilio Constantiensi editam, non tenentur fideles abstinere ab audienda missa concubinarii, etiam notorii, nisi nominatim et publice fuerit denuntiatus.

An tamen concubinarius notorius hodie sit ipso jure suspensus, suspensione proprie dicta, ita ut nempe celebrando incurrat irregularitatem, disputatur. Pro sententia negativa stat Fagnan. in cap. *Quæsitum, De cohabit. cleric. et mulier.* n. 22 ; et Reiffenstuel, inst. 2, lib. III *Decretal.* n. 42, qui dubitat de veritate declarationis sacr. congr. Concil. quæ solet adduci ut contraria, eamque reperit contra bullam Martini V, *Ad evitanda*, et doctores communiter.

III. Certum est episcopum posse clericum suspendere ob culpam quamlibet mortalem. Ob venialem autem non posset nisi *levem* suspensionem infligere, puta a celebranda missa uno aut altero die.

IV. Potest etiam episcopus clericos suspendere extrajudicialiter seu ex *informata* conscientia ; ut diximus supra lib. III, cap. VIII, p. 617.

§ VII. — Norma removendi parochos sæculares, quorum parochiale beneficium perpetuum est.

I. Quoad remotionem *ob omissam residentiam* multum disparis conditionis sunt parochi et cæteri beneficiati ; de quo diximus supra cap. 16 hujus libri, sub finem.

II. In reliquis vero ejusdem conditionis sunt parochi, et cæteri beneficiati. Unde quæ in præcedentibus paragraphis diximus de beneficiatis in genere, quoad remotionis normam, sunt et parochis in beneficio perpetuis applicanda.

III. Idem dicendum est de vicariis perpetuis seu curatis. Sequitur ex eo quod vicaria perpetua sit verum et perpetuum beneficium. (Communis.)

§ VIII. — Norma removendi parochos sæculares ad nutum episcopi amovibiles.

I. Parochi amovibiles, ut v. gr. deservitores seu succursalistæ dicti in Galliis, ob eadem omissa et commissa removeri possunt ac debent pro quibus parochi inamovibiles removentur. Hoc manifestum est, nullumque admittit dubium.

II. Videtur etiam quod episcopus in amotione parochorum ad nutum amovibilium non teneatur omnes formas judiciales sequi ; ideoque potest justis de causis extrajudicialiter procedere in removendo parochos amovibiles.

III. De jure vero naturali, divino et canonico, nequit episcopus absolute deponere

rectores succursalistas, id est illos amovere nec ullum alium beneficium seu aliam parochiam dare. Imo de jure canonico et etiam naturali saltem interpretato nequit eos transferre de parochia majore ad aliam inferiorem absque gravissimis causis.

IV. Ex jure communi et decreto Gregorii XVI anni 1845 ad episcopum Leodiensem per congr. Concil. directo pro omnibus regionibus Concordato anni 1801 subjectis, jus absolutum transferendi et revocandi ad nutum rectores succursalium non conceditur episcopis, ut jam probavimus in hujus libri cap. 8, § 3. Et ibidem, n. 5, sic concludimus : Ex quo textu duo fluunt : 1. Interesse rectorum, qui haud frequenter debent revocari vel transferri et nonnisi prudenter ac paterne, id est justis de causis ; quia de jure tum naturali, tum divino, humanoque pater prudens nequit injustitiam et arbitrarium irrationabile erga filios admittere. — 2. Procedit etiam interesse sacri ministerii stabilitatis ac proinde bonum spirituale ecclesiarum. His et aliis attendere debent episcopi in revocatione vel translatione rectorum ; quia cum eorum potestas limitata fuit a legislatore in sua concessione, si forte limites transgrederentur, rectores non juste, prudenter ac paterne revocati aut translati, seu quorum ecclesiæ ex ipsarum revocatione vel translatione patirentur, jus haberent appellandi ad superiorem, id est ad metropolitanum in casibus judicialibus, et recurrendi ad sanctam sedem seu ad S. C. Concil. aut ad S C. Episc. in casibus ex informata conscientia seu extrajudicialibus.

§ IX. — De permutationibus inter parochos.

Parochi tum inamovibiles tum succursalistæ de jure possunt inter se permutare suas parochias de consensu tamen et approbatione episcopi.

§ X. — Norma removendi vicarios curatos, ad nutum alicujus capituli seu monasterii amovibiles.

I. Refert Fagnanus, in cap. *Cum ad monasterium, De statu monach.* lib. III *Decret.* n. 39, fuisse a sacr. congr. Conc. sic decisum.

« An vicarii amovibiles deputati ad nutum capituli pro exercitio curæ, prævia approbatione episcopi, possint ab ipso episcopo sine causa removeri?

« Sacr. congr. censuit vicarios prædictos posse a capitulo amoveri ad nutum capituli: ab ordinario vero nonnisi ex causa legitima et probata, propter quam, etiamsi perpetui essent, moveri possent. »

Idem pluries decisum fuit ab eadem sacr. congr. ut passim referunt auctores.

II. Vicarii temporarii a capitulis et monasteriis destinati curæ animarum, in parochiis illis unitis, etiam sine causa removeri possunt a capitulo, *Modo remotio fiat absque dolo et non ex odio.* (Ben. XIV, *De syn. diœces.* lib. XII, c. 1, n. 2; Ferrar. verb. *Vicarius parochialis*, et communiter.) Subintellige tamen ut tales vicarii sint de capitulo aut monasterio, vel, si non sint, habeant aliud beneficium seu unde vivant. Secus non possint removeri absque judicio episcopi ; quia, si istiusmodi vicarii non haberent unde viverent, episcopus obligaretur eorumdem sustentationem in se recipere.

§ XI. — Norma removendi parochos regulares. (*Remissive in libro de Regularibus.*)

Nota. Notandum est quod episcopus, ex justa causa, possit iterum examinare parochos sive in visitatione, sive extra, et *idoneis* non repertis coadjutores dare. Vide supra lib. III cap. VII p. 591.

CAPUT XX.

De vicariis parochialibus.

Vicarii parochiales parochum repræsentant, illiusque vices gerunt, in munere pastorali. Alii sunt perpetui, alii temporales seu amovibiles.

§ I. — Vicarii perpetui institutio, jura et officia.

I. Vicarius perpetuus dicitur ille qui auctoritate episcopi canonice est institutus ad deserviendum cuipiam ecclesiæ, loco principalis rectoris cum assignatione congruæ fructuum, quas inde percipere debet.

II. Vicarius perpetuus potest, et solet potissimum institui in parochialibus seu beneficiis curatis, quæ cathedrali, collegiatæ vel alteri ecclesiæ, seu monasterio aut collegio, vel aliis piis locis perpetuo unita et annexa reperiuntur. (C. *Exstirpandæ* 30, *De præbend.*, et *Trident.* sess. 7 *De ref.*, cap. 7.)

III. Institutio vicarii perpetui pertinet ad ordinarium loci, quamvis regulariter ea fieri debeat ad præsentationem seu nominationem rectoris principalis, sive illorum quorum dignitati, vel capitulo seu monasterio ecclesia parochialis est perpetuo unita et annexa. Ita Barbosa, et alii ; — referentes sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. Et clare desumitur ex cap. *De monachis* 12, *De præbend.* ; et cap. unic. *De capellis monachorum* ; et Clement. 1, *De jure patronatus*,

ubi tales vicarii dicuntur institui per episcopum ad præsentationem rectoris principalis, vel hujusmodi.

IV. Quando beneficium est unitum et annexum monasterio regularium, episcopus non potest deputare pro ejus servitio vicarium perpetuum, sed solum temporalem et ad nutum monasterii amovibilem, ut declaravit S. Pius V, const. *Ad exsequendum*.

V. Vicario perpetuo debet per episcopum assignari congrua portio de redditibus, fructibus et emolumentis provenientibus ecclesiæ incorporatæ monasterio, collegio, capitulo, universitati, et hujusmodi. — Pro tali congrua assignari possunt solum emolumenta certa, quæ habent quamdam certitudinem, ut sunt decimæ frumenti, vini, olei, etc. Non autem emolumenta omnino incerta, ut sunt eleemosynæ altaris, funeralium et similium. Congrua semel sufficienter assignata non potest minui, quamvis vicarius electus et deputatus diminutioni consentiat, et pro minori quantitate spondeat deservire.

VI. Unde vicarius perpetuus canonice institutus est vere beneficiatus (C. *Postulasti*, 27, *De rescriptis*), habet verum titulum, et potest ad dictum titulum ordinari, atque idcirco nequit removeri, vel portione sua fraudari, nisi forsan aliquod committat delictum dignum depositione aut privatione beneficii. Imo nec potest removeri, etiamsi rector principalis moriatur, textu expresso in cap. *Ad hæc* 3, *De offic. vicarii*.

VII. Hinc vicaria perpetua æquiparatur beneficio curato seu parochiali, et jura loquentia de beneficiis curatis.. locum habent in hujusmodi vicariis perpetuis. (Textu expresso in Clement. unic. *De officio vicarii*.)

VIII. Vicarius perpetuus nequit alium vicarium perpetuum substituere. (C. *Clericus* 4, *De offic. vicarii*.) Bene tamen de licentia tacita vel expressa ordinarii potest sibi substituere vicarium temporalem.

IX. Vicarius perpetuus in parochiali ecclesia constitutus habet eamdem potestatem, quam verus parochus, seu prælatus ac rector, ita tamen ut tota cura actualis seu quoad exercitium, competat vicario ; prælatus vero, seu rector principalis nonnisi habitu curam retineat. Unde quia in hoc sensu vicarius perpetuus dicitur habere curam animarum, non autem rector principalis, hinc rector ille principalis nequit ibi exercere curam fori pœnitentialis, nec invito vicario, illi ecclesiæ deservire, seu sacramenta administrare. (Communis.)

X. Vicarii perpetui in parochialibus unitis non sunt instituendi prævio concursu, nisi in bulla unionis expresse præciperetur, quod vicaria unita conferatur per concursum. (S. congr. Concil. 28 Aprilis 1594, et Pius V, const. *Ad exsequendum* ; Rota, 10 Decembr. 1696.) Sed examinandi sunt et approbandi ab episcopo, qui non potest pro libito eosdem subjicere novo examini, nisi justis de causis.

XI. Vicarii perpetui ecclesiarum parochialium debent præcedere vicariis amovibilibus ecclesiæ cathedralis (s. congr. Rit. 16 Septembr. 1616), et a fortiori parochi debent præcedere iisdem vicariis etiam curatis amovibilibus.

XII. Vicarius perpetuus debet subire omnia onera respicientia curam animarum et administrationem sacramentorum ; cætera vero omnia ad rectorem principalem ejusdem ecclesiæ spectant. (S. C. Conc. 11 Maii 1594.)

§ II. — Quod duplex sit vicariorum temporalium genus.

I. Vicarius temporalis seu amovibilis dicitur ille qui auctoritate legitimi superioris pro peragendo ecclesiastico servitio in locum alterius ad tempus, seu voluntatem constituentis sufficitur. Est in re communis. — Vicarius temporalis seu amovibilis, vere et proprie non est beneficiatus : nec vicaria temporalis est beneficium, sed simplex salarium seu stipendium. Ideoque vicarius temporalis non potest ob id ordinari in sacris. (Communis ex c. *Pervenit* 27, *De appellat.* ; c. *Cum ex eo* 24, *De election.* in 6 ; et Clement. unica, *De officio vicar.* juncta glossa, ibid. verb. *Perpetuis*.)

II. Duo sunt species vicariorum temporalium. *Prima* est vicariorum eorum, qui, vacante parochia, vel absente parocho, ad regendam parochiam deputantur, donec vel revertatur parochus, vel parochia de novo rectore provideatur. Et hi quodam strictiori sensu vicarii parochiales dici possunt : vere enim agunt *vices* absentis parochi. *Secunda* species est illa adjuvantium parocho, in parochia sua residenti et eam administranti ; et solent etiam capellanorum nomine designari.

§ III. — De vicario parochiali, qui vacante parochia ad eam regendam deputatur, donec novus rector in ea constitutus fuerit.

I. Ejusmodi vicarii seu œconomi (qui in

Galliis vocantur *curés d'office*, *recteurs d'office*) deputatio pertinet ad episcopum; prout adnotatur a Ferrario (verb. *Vicarius parochialis*, n. 43), ibi : « Deputatio vicarii temporalis seu œconomi clerici sæcularis, in hoc ultimo casu vacationis parochiæ, spectat ad episcopum in cujus diœcesi parochia vacans sita est, seu ad eum qui potest instituere concursum : sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. refert Barbosa... Unde prælati inferiores, qui non habent jurisdictionem quasi-episcopalem, cum facultate congregandi synodum et instituendi concursum, non possunt in tali casu vicarium temporalem deputare. »

II. Dicta deputatio fieri debet quam primum. Et tali vicario seu œconomo assignanda est congrua, et taxanda arbitrio episcopi, ex fructibus parochiæ. Quæ omnia constant ex his concilii Tridentini sess. 24, c. 18, verbis : *Debeat episcopus statim habita notitia vacationis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium, cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione constituere.* Et Benedicti XIV, constit. 68, *Cum illud.*

III. Cum ejusmodi vicarii non deputentur nisi ad nutum episcopi, et donec eos revocet, possunt, etiam sine causa, ab episcopo removeri. Præterea eorum potestas exspirat per installationem novi rectoris.

§ IV. — De vicario, qui absenti parocho substituitur.

I. Hac de re Tridentini Patres sic decrevere : *Quibus casibus nihilominus officium sit episcoporum, tanquam in hac parte a sede apostolica delegatorum, providere ut per deputationem idoneorum vicariorum..... cura animarum nullatenus negligatur* (sess. 6, c. 2); — *quandocunque eos* (*parochos*), *causa prius per episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso ordinario* approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. (Sess. 23, c. 1.)

II. Illius vicarii nominatio regulariter ad ipsum parochum spectat, cum approbatione tamen episcopi per quem fit congrua assignatio. (S. congr. Episc. 7 Decembr. 1691 et sacr. congr. Concil. 7 Junii 1692; apud Monacelli, part. I, tit. X, formul. 14, n. 4; et Ferrar. verb. *Vicarius parochialis*, n. 48.)

Juxta Schmalgrueber, in tit. XXVIII, lib. I *Decret.* n. 8 : « Ex causa justi impedimenti, vel absentiæ, ob quam officio fungi non possit, substituere sibi vicarium ex sacerdotibus ab episcopo approbatis potest parochus, propria quidem auctoritate, si officium hujus ad breve tempus, exempli gratia unius, duarum vel etiam trium hebdomadarum duraturum sit; cum consensu ordinarii autem, si ad tempus aliquod longius, ut insinuat Tridentinum, sess. 23, c. 1... » Ea sententia videtur sequi posse in iis regionibus, ubi adest consuetudo, qua parochus absens ad breve tempus sibi substituit aut parochum viciniorem seu ejusdem vicarium. In aliis vero casibus hæc citati auctoris sententia non videtur concordare cum supra citato Tridentino textu.

III. Vicarii curati tam perpetui, quam ad tempus amovibiliter deputati, missam parochialem, applicare debent pro populo diebus festis; eaque de causa congruis redditibus sunt providendi. (Bened. XIV, constit. 103, *Cum semper*, § 4, 9 et 10.)

§ V.—De vicariis parochialibus, qui parocho residenti et parochiam administranti auxiliantur.

I. Concilium Tridentinum, sess. 21, cap. 4, *De reform.* sic decrevit : *Episcopi etiam tanquam apostolicæ sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus, vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus est, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo; cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum.*

II. Potest parochus, etsi non ab episcopo monitus, sibi alium presbyterum ad curam animarum adjutorem accipere, modo sit ab ordinario approbatus. Sed etiam potest episcopus cogere rectores sibi tot vicarios adjungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda, et cultum divinum celebrandum.

III. Ad parochum, de jure, pertinet suorum vicariorum nominatio; ita tamen ut necessaria sit episcopi approbatio. Nec sufficit aliquem esse approbatum ab episcopo ad audiendas confessiones, ut statim et sine alia approbatione possit parochus eum sibi in vicarium adjutorem adjungere; sed debet esse approbatus ab episcopo expresse quoad illud vicarii munus. Id palam faciunt constitutiones Innocentii XIII et Benedicti XIII supra citatæ, in cap. 17 hujus libri, §3.

IV. Ad episcopum pertinet assignare congruam dictis parochorum adjutoribus vicariis tribuendam, ut patet ex iisdem const.

Innocentii XIII, etc., et Tridentinis decretis.

V. Ad episcopum pertinet determinare, an et quot vicarios adjutores debeat parochus sibi adjungere. (*Trid.* sess. 21, c. 4, sup. et const. ead. *Apostolici mun.* Innoc. XIII.

§ VI. — De jurisdictione ejusmodi vicariorum parochorum.

I. Cum ex concilio Tridentino, sess. 21, c. 4, supra citato ejusmodi vicarii deputari debeant et soleant *ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum*, dicuntur habere de jure canonico ordinariam jurisdictionem. Et hæc est sententia Fagnani, in l. IV *Decr.* t. *De desp.*, c. *Quod nobis*, n. 28, ibi:

« Si sacerdos celebrationi matrimonii interveniat tanquam vicarius temporaneus parochi... valide præstet matrimoniis celebrandis suam præsentiam. Est enim ordinarium ex notatis per Bart. et per Alexandr. Et quamvis sit constitutus in locum ipsius constituentis, dicitur tamen de jure canonico habere ordinariam jurisdictionem, ut idem Alexander tradit in rubr. *De offic. ejusdem*, n. 17, qui, etsi loquatur de vicario episcopi, tamen idem intelligi potest respective de vicario parochi eo casu, in quo potest vicarium constituere, ut per Rebuff.... Quare tunc interest celebrationi matrimonii ex officio, nec quærendum est de licentia speciali. Nam qui committit vices suas totum censetur commisisse. »

Et idem auctor suam sententiam firmat n. 32, *ibid.*, per resolutionem sacr. congr. die 22 Junii 1581. Et paulo infra ibidem, postquam dixit matrimonium contractum coram sacerdote de licentia parochi contrahentium extra illius parochiam, esse validum; addit n. 46 :

« Secundo, quia hanc facultatem is sacerdos habet a lege concilii, et non a parocho, ut dictum est... Et propterea idem sacerdos uti faciens actum jure proprio, ubique poterit matrimonio interesse habita parochi licentia, ut in simili de vicario parochi, ut possit audire confessiones parochianorum extra parochiam, per prædictam rationem dixit Ripa... »

Schmalzgrueber, part. IV, tit. XXVIII, *De officio vicarii*, n. 10, sic habet :

« *Dub.* 4. Quale jus, sive potestas vicario temporali competat ?

« Resp. Ejusmodi vicarius, sive a parocho, sive ab ipso episcopo constitutus sit, jus quidem, et titulum in beneficio, in quo vicarius constitutus est, nullum acquirit, curam tamen, aliasque functiones parochiales omnes exercet instar istius parochi, cujus nomine administrat, et penes quem jus parochiale, et curatum actu, tum habitu permanet. (Pirhing. hic, n. 21.)

« Estque hæc potestas ipsius, et jurisdictio *quasi ordinaria*, non tantum delegata, cum eadem sit cum illa, quam habet is, cujus vices gerit, et cui substitutus est in cura et officio. (Pirhing. loc. cit. n. 23.)

Idem quoad matrimonium tradit Reiffenstuel in tit. III, lib. IV *Decret.* n. 83 et seq.; Apud D. Bouix, *De parocho*, p. 631, citatus.

II. Igitur vicarius temporaneus adjutor parochi potest omnia administrare sacramenta et munia parochialia adimplere absque speciali licentia sive episcopi sive parochi, et tanquam de jure potest ipse parochus; nisi tamen aliqua sibi reservaret parochus, tunc enim vicarius non posset sese ingerere in reservatis a parocho.

An vero episcopus possit limitare hujusmodi vicarii facultates? Cum vicarius has facultates *ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum* habeat a lege concilii, videtur quod episcopus non possit verum parochi vicarium constituere nisi delegando eumdem ad universitatem facultatum; sicut non potest constituere sibi vicarium generalem nisi ad universitatem causarum.

Si igitur episcopus eo modo facultates vicarii parochialis limitaret ut non foret delegatus nisi ad quasdam functiones et tantum in parochia exercendas, ut v. gr. audire confessiones, ita ut non possit parochianorum confessiones extra parochiam audire; tunc non esset verus vicarius, sed tantum delegatus ad particularia.

III. Ubi vero nulla adest limitatio *expressa*, vicarii parochiales jurisdictione ordinaria seu saltem quasi ordinaria gaudent, ideoque possunt subdelegare ad aliquem particularem casum. Sequitur dictos vicarios posse aliquem sacerdotem ad baptizandum, ad assistendum alicui matrimonio, et alia similia, valide subdelegare. Et hæc est sententia quam tenent Schmalzgrueber, ubi supra, n. 12, et Pirhing, lib. I *Decretal.* tit. XXVIII, n. 22, et alii ab ipsis citati. Hac tamen facultate subdelegandi sicut et aliis caute et prudenter uti debent vicarii, præsertim præsente parocho, et e memoria so-

rum excidere non debet regula juris canonici : *In generali concessione ea non veniunt quæ verisimiliter in specie superior non concessurus fuisset.*

Quoad Gallias vero dubium moveri potest an parochi inamovibiles, qui, deficiente concursu, sunt tantum delegati, possint suorum facultates vicariorum limitare, si quidem vicarii jurisdictionem ordinariam per suum munus a lege concilii tenent, dum e contra parochi, ab eadem concilii lege sess. 24, c. 18, et lege pontificia privantur titulo et consequenter a jurisdictione titulo affixa.

IV. Episcopus debet vicarium approbare, ac licentiam administrandi sacramenta concedere, si per examen, vel aliunde sibi constet esse idoneum, nec ulla alia requiritur collatio aut institutio. (Ita Ferrar. verb. *Vicarius parochialis*, n. 46.)

V. Jurisdictio vicarii parochialis, quando a parocho delegatur, cessat per mortem, translationem et amotionem ipsius parochi; sed ubi, ut in Galliis, vicarius nominatur et deputatur ab episcopo, et etiam ubi adest certa contraria consuetudo, servat jurisdictionem etiam postquam parochus quocunque modo amisit suam. Per revocationem autem et amotionem propriam vicarius jurisdictionem amittit.

§ VII. — De vicariorum parochialium amotione et revocatione

I. Jam diximus in hujus libri cap. 17, § 3, parochum non posse absque justa et rationabili causa vicarium suum dimittere, ut decrevit sacr. congr. Concil. 6 Augustii 1691. Est tamen vicarius, ad nutum parochi amovibilis de jure communi; sed ut dictum est justa de causa, et modo vicarius sic remotus habeat aliud beneficium saltem simplex seu capellaniam unde vivere queat, quod semper a jure supponitur.

II. Quemadmodum in eodem cap. 17 probatum est, nequit episcopus parochi vicarium amovere, nisi in casibus a jure determinatis pro beneficiatis perpetuis.

III. Sed quod de consensu vicarii parochialis episcopus eumdem transferre queat sive ad aliam parochiam, sive ad quoddam beneficium, etiam renitente parocho, nullum dubium moveri potest.

IV. Quoad vero Gallias in præsenti rerum statu, quid juris sit? — D. Bouix postquam ex post Concordati 1801 facta narravit, addit: « Hinc in Gallia ingens hodie presbyterorum numerus, absque ordinationis titulo, ex dispensatione, ordinatorum. Et his quidem suus non deest cuique in vinea Domini exaranda locus. At vero si parochorum vicarii, qui exstant in Gallia quam plurimi, a parochis ipsis pro nutu assumerentur et removerentur, frequenter contingeret aliquem presbyterum omni prorsus ecclesiastico munere, atque adeo sustentatione omni carere. Id olim contingere nequibat; siquidem vicarius a parocho remotus, utpote qui debuerat ad titulum vel simplicis beneficii, vel patrimonii, ordinari suum adhuc, relicto vicariatus munere, retinebat beneficium vel patrimonium. Hinc ex ipsa dictum præcavendi incommodum necessitate consequitur, ut penes episcopum esse debeat vicarios illos nominare et revocare, necnon pro opportunitate ad alia munia transferre. Quod quidem, etsi per se contra jus commune sit, vi tamen dictæ necessitatis ad jus commune reduci videtur; siquidem summum jus necessitas. »

Nobis quidem videtur esse aliquem medium magis justitiæ naturali, juri divino et juri canonico accommodatum; igitur dicemus de vicariorum revocatione vel translatione idem quod de rectoribus succursalium decrevit Gregorius XVI anno 1845 in responsione sacr. congr. Concil. ad episcopum Leodiensem, scilicet : « Episcopi hac vicarios parochorum revocandi vel transferendi auctoritate haud frequenter et nonnisi prudenter ac paterne uti debent et possunt. » Ideoque episcopus jura parochi et jura vicarii considerare debet, ut non parocho constituat vicarium ipsi non acceptum, nec amoveat invitum vicarium parocho convenientem, nisi eumdem ad majora munia transferre opus sit. Nec juste potest episcopus de majori parochia ad aliam inferiorem vicarium transferre; hoc enim a jure prohibitum est. Neque etiam licet prudentiæ ac paternitati tollere vicarium parocho suo acceptum ad permutandum cum alio vicario alterius parochi, quia isti difficillime inter se concordarent. Sed permutare simul viginti, triginta, quadraginta, quinquaginta aut etiam sexaginta, etc., vicarios in spatio unius mensis, quemadmodum magno populorum scandalo hoc non raro videtur in quibusdam Galliarum diœcesibus, non est certo certius *revocandi vel transferendi auctoritate haud frequenter et nonnisi prudenter ac paterne*

uti. Hinc videtur quod in his et similibus casibus parochi et eorum vicarii jus habeant ad metropolitanum appellare, aut ad sacras sive Episc. sive Concil. congr. recurrere.

§ VIII. — De obligationibus vicariorum parochialium.

I. Tenentur vicarii ad residentiam sicut et ipsi parochi, ex eadem lege concilii Tridentini sess. 23, cap. 1, ut declaravit sacr. congr. Concili referente Fagnano in cap. *Ex parte*, tit. *De offic. vicarii*, lib. I *Decretal.*

II. Ad easdem ac parochi obligationes in administrandis sacramentis et cultu divino celebrando tenentur et quidem sub parochi directione. Concilium provin. Rhemens. an. 1849, tit. XV, c. 2, sic eorum officia describit: *Non proprio nomine curam habent animarum, sed tanquam parochum repræsentantes. Debent igitur cum reverentia et subjectione erga eum sese habere; nihil ipso invito muneris obire, nisi ob graves causas aliter ab episcopo statutum fuerit. Curent, quantum fieri potest, ut uniformem cum parocho agendi rationem teneant, nimia enim inter utrumque quoad sacri ministerii praxim...* Discrepantia, in destructionem potius vergeret quam ædificationem. Summopere etiam caveant ne verbis aut factis parochum in mente fidelium imminuant, sed in omnibus modeste, sicut decet, sese gerentes cum diligenti cura fideli populo salutis adjumenta præbeant.

CAPUT XXI.

De capellanis monialium.

I. Capellani monialium debent esse maturæ ætatis; unde non obstante quod moniales jus habeant nominandi capellanum, potest illum episcopus ex justa causa rejicere, puta si sit junior. (S. congr. Episc. *in Bononien.* 31 Maii 1602 et 29 Novemb. 1605.) — Imo si episcopus ipse dare velit monialibus capellanum juvenem, potest abbatissa illum non recipere. (S. congr. Episc. et Regul. *in Messan.* 10 Decemb. 1602.) — Ubi tamen senes et provecti de facili non inveniuntur, relinquitur prudentiæ episcopi, ut etiam juvenes cæteroquin idoneos possit admittere. (Ita FERRAR. v. *Capellanus mon.*)

II. Removendi sunt capellani monialium si contrahant cum monialibus amicitias, eisve mittant munera; vel si sese ingerant ultra eorum officium. (In. *ibid.* n. 5, ex multis sacr. congr. Episc. declarationibus.)

III. Regulares esse nequeunt capellani monialium, nisi forte desint presbyteri sæculares qui munus illud obeant. (Ita declaratum a dicta sacr. congr. (*Ibid.*)

IV. Capellani monialium debent esse amovibiles, non autem perpetui, seu intitulati. Quando tamen moniales sunt in quasi possessione præsentandi suum capellanum ad vitam, episcopus non debet innovare, sed suorum jurium monumenta ad sacr. congreg. mittere. Ita Ferraris, ex pluribus sac. cong. Episc. declarationibus.

V. Quando moniales sunt exemptæ a jurisdictione ordinarii et subjectæ regularibus, earum capellanus approbatur a superiore regulari. (S. congr. Concil. 26 Januar. 1692, et ita tenet MONACELL. tom. I, tit. II, form. 23, n. 4.) Cæteri autem presbyteri sæculares, præter approbatum a superiore regulari, etsi vocentur a monialibus exemptis pro celebratione missarum, possunt ab episcopo prohiberi ne accedant, ex eadem responsione sacr. congr. Concil.

VI. Capellanus monialium potest missam celebrare de sancto, cujus officium ab ipsis monialibus celebratur in choro, adhibito tamen Missali Romano; in quo si missa particularis de eo sancto non adsit, erit e *communi* desumenda. (Ita declaravit sacr. Rit. congr. *in Austriæ Æniponti*, 22 Decembr. 1612.) At contrarium *quoad officium* declaravit eadem S. C. *Conimbrien.* 21 Mart. 1795.

VII. Capellanus monialium exemptarum, excluso parocho, omnia sacramenta, etiam in articulo mortis, ipsis administrat; ita ut loco parochi quoad ipsas habeatur. (TAMBURINI, et PELLIZZARIUS, apud FERRAR. *ibid.* n. 17.) — Et etiam quoad moniales non exemptas solent episcopi capellanum deputare, qui omnia sacramenta, etiam in articulo mortis, eis ministrent. Seclusa tamen consuetudine, pertinere ad parochum monialibus non exemptis viaticum et extremam unctionem ministrare. (FERR. *ibid.*, n. 18.)

VIII. Capellanus monialium non debet alium presbyterum substituere sine licentia episcopi sive vicarii generalis, in casu impedimenti. (MONACEL., t. I, t. II, f. 22, n. 7.)

IX. Capellani ecclesiarum exemptarum amoveri non debent ab episcopo sine causa. (S. congr. Episc. et Regul., 25 Octobr. 1682.) Imo generaliter nullus capellanus, licet amovibilis, amoveri debet sine causa. (Ead. sacr. congr., 14 Maii 1645 et 16 Maii [illegible].)

X. Capellanus monialium non est [illegible] confessor cui alia jura applicanda [illegible]

CAPUT XXII.

De capellanis hospitalium et scholarum, et de seminariis.

§ I. — Quotuplici modo jurisdictio quasi parochialis hospitalium capellanis competit.

I. « Id contingere potest per privilegium apostolicum ; et hoc modo quamplurima hospitalia hodie in multis regionibus (prout olim etiam in Galliis) capellano suo, non autem parocho, subjiciuntur quoad animarum curam. » (D. Bouix, *De parocho*, p. 667, ubi citat card. De Luca, *De parochis*, disc. 23.)

II. Idem etiam consuetudine induci potest. « Præsupposita consuetudine (ait Pignatellus, tom. IX, consultat. 152, n. 17), dixit sacr. congr. posse proprium sacerdotem hospitalis, ab ordinario approbatum, pauperibus ibi degentibus sacramenta ministrare, ibique eosdem sepelire, absque interventu parochi. Et colligitur ex Clement. *Quia contingit*, § *Cæterum*.

III. Ubi non intervenit privilegium apostolicum, nec consuetudo, id induci potest et solet ex dispositione ordinarii, capellanum cum dicta quasi parochiali jurisdictione deputantis. Etenim quando primum fit ejusmodi capellani deputatio ad alicujus magni hospitalis spiritualem curam, nullus reclamare solet parochus. Et stulte reclamaret. Nam reclamantem parochum posset cogere ordinarius, ut sibi ad id muneris aliquem adjungeret adjutorem vicarium, et de fructibus parochiæ huic vicario congruam solveret... Præterea, parochus intra cujus fines exstat hospitale, non posset reclamare, nisi quoad infirmos parochiæ suæ... Hinc cum nulla intervenire soleat parochorum oppositio, inducitur laudabilis consuetudo, vi cujus in posterum hospitalis cuilibet pro tempore capellano quasi parochialis jurisdictio competat.

« Excipi forte posset alicujus parvi oppidi hospitale, in quo nonnisi pauci unius parochiæ infirmi admitterentur, et in quo facile posset parochus proxime degens, per se vel vicarium suum, ægrotis præsto esse et sacramenta ministrare. Tunc enim ejusmodi hospitalis a jurisdictione parochi subtractio, utpote jurium parochialium aliquatenus læsiva, videretur oppugnari posse. » (D. Bouix, *ibid.*, p. 662.)

IV. Hodie in Gallia dubium non est xenodochiorum capellanis competere dictam quasi parochialem jurisdictionem : tum ob præfatam consuetudinem, quæ jam a multo tempore invaluit ; tum etiam ratione inductæ a gubernii hac de re legibus necessitatis. Etenim solvit quidem gubernium certam ad capellanum sustentandum pensionem ; at vero non sineret singulos infirmorum parochos, eorumve vicarios promiscue curam ibi exercere.

V. Quod dictum est de hospitalium capellanis, dici debet de carcerum capellanis ex iisdem rationibus.

VI. Jus quasi parochiale rectoris hospitalis (seu carceris), vel sacerdotis ibi deputati, admittendum venit quoad ea, quæ infirmis viventibus vel morientibus in hospitali congrua sunt, et in quibus militet dicta ratio confusionis et impracticabilitatis : circa scilicet sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ ac extremæ unctionis, necnon circa tumulationem : non autem circa sacramentum matrimonii, cum ad hunc effectum major jurisdictio, seu juris parochialis formalitas requisita videatur. (Card. De Luca, *De parochis*, discurs. 23, n. 18 ; et Ben. XIV, inst. 33, n. 13.) Quoad matrimonia, ubi necesse foret, debent capellani ad id specialiter ab episcopo deputari. Sed, de jure, debent capellani tum hospitalium, tum carcerum doctrinam Christianam prædicare sicut et parochi.

§ II. — De capellanis collegiorum seu scholarum juventutis educandæ.

I. In scholis, ubi collegialiter et vita communi degunt juvenes possunt dari capellani, qui quasi parochialem jurisdictionem exercent. Hæc vero jurisdictio istiusmodi capellanis competit sive ex privilegio apostolico, sive ex consuetudine, sive ex episcopi delegatione.

II. Eadem jura et ministeria habere possunt ac supradicti hospitalium capellani.

III. In Galliis hodie ex longa consuetudine ac etiam ex decretis plurium conciliorum provincialium, scholæ quæ internos admittunt juvenes ut quasi parochiales considerantur. Ideoque eorum capellani juribus quasi parochialibus gaudent independenter a parocho. Aliæ vero scholæ quæ tantum externos juvenes educunt, et etiam scholares supradictarum scholarum externi sub parochorum jurisdictione manent.

IV. Concilium provinciale Burdigalense anni 1849, tit. VI, sic de capellanis scholarum decrevit : *Si scholæ capellanum habeant, curent episcopi ut ministerio sacro ibi non præficiantur nisi presbyteri doctrina præci-*

pui, qui merito scientiæ et virtutis magnam sui existimationem et benevolentiam in animis omnium pariant, quique religionem lucide exponere noverint, et solide probare. Sciant vero capellani sui esse oneris non solum docere, sed et monitis juvare discipulos, pro ipsis orare, omnia demum boni pastoris munia fideliter exsequi.

§ III. — De seminariis.

Seminaria ex lege Tridentina erecta eximuntur a jurisdictione parochi ; ideoque sunt pro eorumdem incolis quasi parochiæ.

CAPUT XXIII.

De capellanis militum et navium.

I. « Si milites in castris aut papilionibus exsistentes non habent capellanum castrensem, pro *animarum cura* eorumdem a sede apostolica deputatum, vel ab ordinario, in cujus diœcesi exsistunt, approbatum, vagis annumerantur. Consequenter eorum parochus erit ipse parochus loci, in quo tempore exsistunt.» (Reif.t. III, l.IV *Decr.*, n. 94.)

II. « Si milites habent curionem seu capellanum castrensem, præditum speciali facultate apostolicæ Sedis, vel approbatione et licentia ordinarii, in cujus diœcesi illos exstare contigerit, poterit hic eisdem sacramenta administrare ; ac etiam matrimonio eorum assistere juxta *tenorem* facultatis concessæ a Sede apostolica, vel ab ordinario diœcesis, in qua pro tempore milites exsistunt : ita ut, si hæc non tantum pro *castris*, sed etiam pro *præsidiis* sonet, utrobique matrimonio assistere valeat : si autem tantum pro uno aut altero loco vel tempore concessa inveniatur, eidem se accommodare debeat. Patet conclusio : cum enim, non tantum pontifex, sed et ordinarius alicui sacerdoti (alias non parocho) dare possit licentiam assistendi matrimonio. Textu claro *Conc. Trident.*, sess. 24, *De reform.*, ibi : *Seu ordinarii licentia*, manifeste patet, quod si hic vel ille eam dat, et prout dat, taliter et non aliter eadem frui valeat capellanus castrensis. » (Reiffenst., *ibid.*, n. 95.)

III. Si curiones seu capellani castrenses non habent facultatem a Sede apostolica, vel expressam licentiam et approbationem ab ordinario, in cujus diœcesi pro tempore exsistunt, tunc nec in castris, nec in præsidiis seu quarteris matrimonio militum valide assistere possunt. Hæc conclusio, licet olim multum hinc inde disputata et controversa fuerit, tamen hodie certa est, ob declarationem cardinalium repetitis vicibus, et novissime editam, 27 Januarii 1707, ad interrogationem reverendissimi ordinarii Frisingensis...» (Reiffenst., *ibid.*, n. 96 et 97, ubi affert dictam sacr. congr. declarationem.)

IV. Pro exercenda cura circa milites « capellani militum, seu missionarii exercitus, vel castrenses, in casibus in quibus non adsit breve apostolicum aliter disponens, debent approbari ab ordinario loci, non autem a capellano majori regio (*le grand aumônier*). Imo dato quod adsit breve apostolicum, est bene et caute perpendendum, an fuerit personale concessum alicui regi, vel limitatum pro aliquo regno, quia nequit extendi : prout, si in brevi fiat mentio de militibus in præsidio, non extenditur ad milites in bello et e contra ; cum in hujusmodi materia sit stricte facienda interpretatio. (S. congr., 22 Martii 1687 ; et pluries sacr. congr. Episc. et Regul. apud Ferrar., verb. *Capellanus militum.*)

V. De cætero exstant pro diversis regnis et nationibus brevia apostolica seu bullæ, quibus capellanorum militum jura et jurisdictio determinantur ; et hæc consulere oportet et ad stricte concessa stare.

FINIS TOMI PRIMI.

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Dedicatio. 1
Præfatio ad lectorem.
Pars prima, complectens prænotiones in jus ecclesiasticum. 9-10
Cap. I. — De jure generatim. 9
Cap. II. — De primario juris cujusque fundamento. 14
Cap. III. — De jure naturali. 17
Cap. IV. — De jure positivo divino. 21
Cap. V. — De jure positivo humano, et in specie de jure gentium. 25
Cap. VI. — De jure civili notio. 29
Cap. VII. — De recta et præcisa juris canonici notione. 30
Cap. VIII. — De juris canonici comparatione cum theologia et de ejusdem præstantia in jure civili. 34
Cap. IX. — De collectionibus canonum, et de hodierno corpore juris canonici. 36
Cap. X. — De juris canonici fontibus seu causis efficientibus. 41
Cap. XI. — De auctoritate et valore legum ecclesiasticarum ex capitum præcedentium fontibus derivatarum. 48
Cap. XII. — De fontibus juris ecclesiastici a summo pontifice immediate derivatis. 65
Cap. XIII. — De consuetudine. 77
Cap. XIV. — De jurisprudentia ecclesiastica. 90
Cap. XV. — De canonum divisione. 92
Cap. XVI. — De jure canonico particulari in genere. 98
Cap. XVII. — De jure nationali Galliarum ecclesiis proprio, ubi de Concordato. 101
Pars secunda. — De Ecclesia. 141-142
Lib. I. — *De jure Ecclesiæ constitutivo.* 141-142
Cap. I. — Quid sit Ecclesia. 141
Cap. II. — De partibus Ecclesiæ earumdemque principiis nec non de membris inde formatis et cooptatis. 160
Cap. III. — De hierarchia generatim, de ejusdem potestatibus et missione, et de jurisdictione. 167
Cap. IV. — De hierarchiæ partibus quoad potestates, missionem et jurisdictionem. 188
§. 1. — De monarcha et membris hierarchiæ in corpore, seu collegialiter consideratis. 188
§ 3. — De monarcha et membris hierarchiæ uti singulis. 235
Cap. V. — De hierarchia ecclesiastica ab institutione divina per jus ecclesiasticum promanante. 261
Cap. VI. *Conclusio.* — De potestate sacerdotii, magisterii et imperii per generationem spiritualem transmissa. 265
Cap. VII. — De potestatis ecclesiasticæ, missionis et jurisdictionis divisione practica. 269
§ 1. — De potestatis ecclesiasticæ divisione. 269
§ 2. — De jurisdictionis ecclesiasticæ adeptione. 275
Appendix. — De ignorantia quæ sæpius allegatur ad sacros canones, etc... Omittendos et etiam contemnendos, tam in jurisdictionis materia quam in aliis. 280
§ 3. — De jurisdictione delegata. 289
§ 4. — De jurisdictionis ordinariæ adeptione. 294
§ 5. — De cessatione et restrictione jurisdictionis ecclesiasticæ. 313
Reservationes. 329
§ 6. — De prærogativis et obligationibus eorum qui habet jurisdictionem ecclesiasticam. 330
Cap. III. — De regulis juris canonici, et de verborum significatione. 336
Pars tertia. — De personis. 350
Lib. II. — *De Papa et curia Romana.* 350
Cap. I. — De monarchia Ecclesiæ. *Ibid.*
De nexu primatus seu monarchiæ cum Romana sede. *Ibid.*
Cap. II. — De prærogativis essentialibus monarchiæ Ecclesiæ. 352
§ 1. — Romanus pontifex summum habet in universam Ecclesiam potestatis principatum. *Ibid.*
§ 2. — De legislativa papæ potestate. 356
§ 3. — De infallibilitate papæ. 358
§ 4. — De inspectiva et judiciaria potestate pontificis. 360
§ 5. — De administrationis potestate pontificis. 363
§ 6. — De limitatione pontificiæ potestatis. 368
§ 7. — Ex præcedentibus paragraphis corollaria practica quoad pontificis jurisdictionem et potestatem. 371
§ 8. — De potestate summi pontificis quoad suum successorem. 396
§ 9. — De electione papæ. 396
§ 10. — De pontificatus amissione. 406
Cap. III. — De curia Romana. 407
§ 1. — De sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus. *Ibid.*
§ 2. — De sacris cardinalium congregationibus. 415
§ 3. — De aliis tribunalibus seu audientiis curiæ Romanæ. 430
§ 4. — De prælatis curiæ Romanæ. 433
§ 5. — De legatis apostolicis. 437
§ 6. — De vicariis et præfectis apostolicis. 441
§ 7. — De diœcesi et provincia Romana. 445
Lib. III. — *De Episcopis et curia episcopali.* 448
Sectio I. — De episcopis generatim. *Ibid.*
Cap. I. — De diversa graduum seu dignitatum potestate, a summo pontifice episcopis tributa. *Ibid.*
Cap. II. — De patriarchis. 449
Cap. III. — De primatibus 451
Cap IV. — De archiepiscopis seu metropolitanis. 452
1. De creatione archiepiscopi et insignibus ejusdem. *Ibid.*
2. De metropolitani obligationibus. 455
§ 1. — Metropolitano concilium provinciale convocandi necessitas; *ubi de concilio provinciali.* *Ibid.*
§ 2. — De aliis obligationibus et juribus metropolitani. 480
§ 3. — Casus in quibus metropolitanus non habet jurisdictionem. 484
Sectio II. — De episcopis. 488
Cap. I. — De creatione episcopi. *Ibid.*
§ 1. — De electione episcopi. *Ibid.*
§ 3. — De confirmatione episcopi. 493
§ 3. — De jurisdictione confirmati et ejusdem obligationibus. 496
§ 4. — De episcopi consecratione. 499
§ 5. — De dotibus requisitis ad episcopatum, ex præsenti jure, et de jure naturali et divino. 502
§ 6. — Quinam sint ineligibiles. 507
Cap II. — De episcopo quoad ea quæ concernunt ejus insignia, præcedentiam, celebrationem et pontificalia. 509
Cap. III. — Episcopus quoad papam et leges canonicas, *ubi de visitatione ad limina Apost.* 515
Instructio sacræ congregationis Concilii pro episcopis, primatibus et patriarchis, super modo visitationis ad limina. 521
Obligationes episcopi quoad leges canonicas. 528

Cap. IV. — Episcopus quoad diœcesim in genere, ubi de visitatione et de synodo diœcesana. 531
De visitatione diœcesis; *quomodo facienda?* 539
De synodo diœcesana; *quomodo facienda?* 560
Cap. V. — Episcopus quoad capitulum; in quibus requiritur consensus vel consilium capituli. 581
Cap. VI. — Episcopus quoad seminarium. 588
Cap. VII. — Episcopus quoad parochos, et eorumdem vicarios. 589
Cap. VIII. — Episcopus quoad clericos omnes. 594
Quid possit vel non possit episcopus, et de pœnis et de sententiis ex informata conscientia. 617
Cap. IX. — Episcopus quoad beneficia ecclesiastica, alienationes et ultimas voluntates. 636
Cap. X. — Episcopus quoad regulares et moniales. 641
§ 1. — Communia. *Ibid.*
§ 2. — De regularibus seu virorum congregationibus. *Ibid.*
§ 3. — De monialibus, et mulierum congregationibus. 658
Cap. XI. — Episcopus quoad laicos (et principes). 668
Cap. XII. — Episcopus quoad consecrationes et benedictiones. 679
Cap. XIII. — Episcopus quoad absolutiones et dispensationes. 682
Art. 1. — De absolutionibus. *Ibid.*
Art. 2. — De dispensationibus. 705
Cap. XIV. — Episcopus quoad censuras et privilegia. 715
Cap. XV. — Episcopus quoad liturgiam et processus super virtutibus et miraculis servorum Dei, et aliis miraculis. 715
Cap. XVI. — Episcopus quoad sacramenta. 724
Cap. XVII. — Episcopus quoad verbi divini prædicationem et prædicatores. 736
Cap. XVIII. — Episcopus quoad coadjutorem, administratorem, renuntiationem, translationem et depositionem. 740
Cap. XIX — Episcopus quoad residentiam. 750
Cap. XX. — Mors, hæreditas et sepultura episcopi. 756
Cap. XXI. — De episcopo regulari, titulari et suffraganeo. 764
Sectio III. — De curia episcopali. 771
Cap. I. — Curiæ episcopalis necessitas et historia. *Ibid.*
Cap. II. — De recta ratione vicariatus generalis episcopi, seu officialitatis. 775
Cap. III. — De vicarii generalis constitutione. 779
§ 1. — De requisitis ad vicarii generalis officium qualitatibus. *Ibid.*
§ 2. — A quo possit vicarius generalis constitui. 789
§ 3 — An episcopus semper teneatur sibi constituere vicarium generalem. 790
§ 4. — Quotuplices vicarios generales assumere possit episcopus. 791
Cap. IV. — De vicarii generalis potestate. 792
§ 1. — Enumeratio eorum quæ jure canonico vicarius generalis exercere potest. *Ibid.*
§ 2. — Enumeratio eorum quæ jus noluit a vicario generali exerceri posse, absque speciali mandato episcopi. 794
§ 3. — Specialis mandati formula. 797
§ 4 — Specialia quæ episcopus vicario generali committere non potest. 799
Cap. V. — De vicarii generalis præcedentia. 800
Cap. VI. — Quomodo episcopus ex actis sui vicarii generalis teneatur. 802
Cap. VII. — De vicariatus generalis exspiratione. 804
§ 1. — Quotuplici modo exspirat vicarii generalis jurisdictio. *Ibid.*
§ 2. — An vicarius generalis possit absque causa revocari. 805
§ 3. — Quo tempore exspirat vicarii generalis jurisdictio. 806
Cap. VIII. — Specialia de vicario generali archiepiscopi metropolitani. 806
Cap. IX. — De vicariis foraneis. 807
§ 1. — Origo vicariorum foraneorum. *Ibid.*
§ 2. — Quid sit vicarius foraneus, et de ejusdem juris dictione. *Ibid.*
§ 3. — Quænam in praxi jurisdictio vicariis foraneis concedatur. 809
§ 4. — An episcopus teneatur vicarios foraneos in diœcesi constituere. 812
§ 5. — De præcedentia vicarii foranei. 813
Cap. X. — De vicario monialium. *Ibid.*
Cap. XI. — De auditoribus et assessoribus episcopalium curiarum. 814
§ 1. — De variis auditorum speciebus. *Ibid.*
§ 2. — De episcopi theologo. 815
§ 3. — De vicarii generalis et foranei auditoribus. 816
§ 4. — De episcopalium curiarum assessoribus. 817
§ 5. — De forma collegiali tribunalis episcopi. 818
Cap. XII. — De promotoribus et advocatis, de matrimoniorum religiosarum defensionibus, et de depositariis. 819
§ 1. — De promotore fiscali. *Ibid.*
§ 2. — De advocatis fiscalibus. 820
§ 3. — De procuratore pauperum 824
§ 4. — De advocato pauperum. *Ibid.*
§ 5. — De matrimoniorum et professionum religiosarum defensoribus. *Ibid.*
§ 6. — De depositariis. 825
§ 7. — De depositario pœnarum et mulctarum. *Ibid.*
Cap. XIII. — De notariis, actuariis et cancellariis. 826
§ 1. — Notariorum, actuariorum et cancellariorum munus. *Ibid.*
§ 2. — Utrum clericis et religiosis licitum sit notarii officium exercere. *Ibid.*
§ 3. — De notariorum creatione, officio et necessitate. 827
§ 4. — De episcopi cancellario, et taxa cancellariæ. 830
Cap. XIV. — De nuntiis judicialibus (*huissiers*) et baroncellis. 836
Cap. XV. — De specialibus curiæ archiepiscopalis. 85
Cap. XVI. — De visitatore ab episcopo deputando. 838
Appendix. — Bulla *Pastoralis*, in *Cœna Domini*. 841
Lib. IV. — *De capitulis et capitularibus canonicisque.* 852
Cap. I. — Quid sit capitulum et de capitulorum origine et institutione. *Ibid.*
§ 1. — Quid sit capitulum. *Ibid.*
§ 2. — Potestas et præeminentia. 853
§ 3. — De capitulorum essentiali et præcipuo fine. 856
§ 4. — Definitio ex prædictis deducta. 858
§ 5. — Capitulorum variæ species. 859
Cap. II. — De canonicis. 861
§ 1. — De canonicis generatim. *Ibid.*
§ 2. — Canonicorum variæ species. 863
Cap. III. — Quibus proprie personis constituatur capitulum. *Ibid.*
Cap. IV. — De constitutione capituli ut est corpus. 865
Cap. V. — De dignitatibus, personatu et officio. 866
§ 1. — De dignitatibus generatim. *Ibid.*
§ 2. — Quæ sint dignitates. 867
§ 3. — Quis dignitates creare possit. *Ibid.*
§ 4. — De prærogativis dignitatum. 868
§ 5. — De prærogativis dignitatum, quæ sunt simul protonotarii apostolici. 870
Cap. VI. — De archidiaconis. 871
§ 1. — De archidiaconis generatim. *Ibid.*
§ 2. — De jurisdictione archidiaconi. 872
§ 3. — Quænam ex vi officii sui archidiaconus non possit facere? 874
§ 4. — De qualitatibus archidiaconi, hujusque jurisdictione a jure et inamissibili. 874
§ 5. — Quomodo differat archidiaconus a vicario generali. 875
§ 6. — De institutione, collatione et posse archidiaconatus. 876
Cap. VII. — De archipresbyteris et decanis 878

§ 1. — De officio archipresbyteri et decani generatim. *Ibid.*
§ 2. — De archipresbyteri civitatensis munere. *Ibid.*
§ 3. — De archipresbytero seu decano ecclesiæ collegiata. 880
§ 4. — De archipresbytero, seu decano rurali. 881
§ 5. — De constitutione archipresbyteri ruralis. 882
Cap. VIII. — De officio primicerii, sacristæ et custodis. 882
§ 1. — De primicerio seu cantore. *Ibid.*
§ 2. — De sacrista seu thesaurario. 883
§ 3. — De custode. *Ibid.*
Cap. IX. — De scholastro, theologali et pœnitentiario. 884
§ 1. — De scholastro. *Ibid.*
§ 2. — De theologali canonico. *Ibid.*
§ 3. — De canonico pœnitentiario. 893
Cap. X. — De punctatore et ejus officio. 896
Cap. XI. — De beneficiariis. 898
Cap. XII. — De coadjutoribus. 899
Cap. XIII. — De canonicis supernumerariis. 900
§ 1. — Triplex canonicorum supernumerariorum genus. *Ibid.*
§ 2. — De canonicis honorariis. 901
Cap. XIV. — De canonicis et beneficiatis jubilatis. 905
Cap. XV. — De hebdomadariis. 906
Cap. XVI. — Corollaria ex capitibus præcedentibus et de qualitatibus requisitis ad dignitates et canonicatus cathedrales. 907
§ 1. — De constitutione plena capituli. *Ibid.*
§ 2. — De qualitatibus requisitis ad dignitates et canonicatus. 909
Cap. XVII. — Ad quem pertineat erigere cathedralem et capitulum cathedrale. 911
Cap. XVIII. — De collatione et possessione canonicatuum et præbendarum cathedralis et collegiatæ. 912
§ 1. — De collatione. *Ibid.*
§ 2. — De possessione. 918
§ 3. — Specialia de capitulis collegiatarum. 921
Cap. XIX. — De parocho seu vicario perpetuo cathedralis. 922
§ 1. — Duplici modo parochialis esse potest ecclesia cathedralis. *Ibid.*
§ 2. — De parochi cathedralis electione. 923
§ 3. — Quid juris quoad cathedrales hodiernas Galliæ et aliarum regionum quæ Concordato anni 1801 reguntur. 925.
Cap. XX. — De voce et voto in capitulo, seu de canonia; et de capitulariter agendis. 927
§ 1. — De canonia. *Ibid.*
§ 2. — De voce. 928
§ 3. — De convocatione capituli, et loco in quo habendum sit. 930
Cap. XXI. — De præbendis, et distributionibus. 940
Cap. XXII. — De canonicorum obligationibus erga episcopum, seu de juribus episcopi erga capitulum. 943
§ 1. — Honorifica episcopo debita. *Ibid.*
§ 2. — De episcopi ejusque vicarii generalis jure convocandi capitulum et in eo interveniendi. 946
§ 3. — De episcopi auctoritate in capitulum. *Ibid.*
§ 4. — De potestate judiciaria episcopi in capitulum. 948
§ 5. — Quasnam pœnas episcopus canonicis infligere possit. *Ibid.*
§ 6. — De potestate legislativa episcopi quoad capitulum. 950
§ 7. — De jure episcopi visitandi capitula et capitulares. 953
§ 8. — De canonicis servitio episcopi addictis. 954
Cap. XXIII. — De juribus et obligationibus capitulorum in adjuvando et supplendo episcopo in ecclesiæ regimine, sede plena.
§ 1. — Capitulorum finis et necessitas. 954
§ 2. — De jure quod habet capitulum ut episcopus requirat ipsius consensum. 958
§ . — De specialibus casibus in quibus capituli consensus requiritur. 959
§ 4. — De jure capituli ut episcopus requirat ipsius consilium. 964
§ 5. — De capitulo cathedrali tanquam consilio episcopi in Gallia. 965
§ 6. — Alia jura quæ a capitulo cathedrali exerceri possunt. *Ibid.*
Cap. XXIV. — De jure capituli condendi statuta. 966
§ 1. — Jus habet capitulum condendi statuta. *Ibid.*
§ 2. — De jure capitulorum condendi statuta in ecclesiis Galliæ a tempore Concordati 1801. 971
Cap. XXV. — De jure capituli quoad pœnalia. 975
Cap. XXVI. — Jus administrativum capituli circa bona ad beneficiatos seu capellanos cathedralis spectantia. 976
Cap. XXVII. — De capituli obligationibus quoad divinum officium et servitium chori. 977
§ 1. — Canonici tenentur recitare officium in choro. *Ibid.*
§ 2. — Cui facienda est restitutio propter officii omissionem debita. 980
§ 3. — Causæ excusantes a servitio chori ita ut absens lucretur et fructus præbendæ et distributiones quotidianas. *Ibid.*
§ 4. — Inter canonicos absentes, quidam fructus præbendæ tantum recipiunt. 985
§ 5. — De obligatione missæ conventualis. *Ibid.*
§ 6. — Quid de hodiernis capitulis Galliæ, quæ missam conventualem quotidie non cantant vel non omnes missas conventuales pro eodem die a rubrica præscriptas. 987
§ 7. — Alia officia quæ canonici implere debent. 988.
Cap. XXVIII. — De obligatione residendi et de vacationibus a jure concessis; pœnæ non residentibus inflictæ; causæ excusantes a residentia. 989
§ 1. — Lex residentiæ pro canonicis; quibus casibus abesse possunt. *Ibid.*
§ 2 — Pœnæ canonicis non residentibus inflictæ. 991
§ 3. — Causæ excusantes a residentia. 993
Cap. XXIX. — De canonicorum prærogativis quoad habitum, et quoad præcedentiam. 994
Art. I. — Prærogativæ quoad habitum. *Ibid.*
§ 1. — Notio de insignibus dignitatum et canonicorum. *Ibid.*
§ 2. — De insignium canonicalium concessione. 995
§ 3. — De obligatione insignia deferendi. 996
§ 4. — Prohibitio canonicalia insignia deferendi in quibusdam casibus. *Ibid.*
§ 5. — An vero canonici, uti singuli, possunt insigniis canonicalibus uti in concionibus, aliisque functionibus, excepta sacramentorum administratione, tam intra quam extra propriam Ecclesiam. *Ibid.*
Art. II. — Prærogativæ capitulorum et canonicorum quoad præcedentiam. 1001
§ 1. — Diverorum graduum et ordinum necessitas. *Ibid.*
§ 2. — Regula præcedendi inter capitula et canonicos. 1002
§ 3. — Inter ejusdem capituli canonicos. *Ibid.*
§ 4. — De præcedentia relative ad vicarium generalem episcopi. 1004
§ 5. — Relative ad vicarium capitularem. 1005
§ 6. — Quoad reliquos qui non sunt de capitulo. *Ibid.*
Sectio II. — De capitulo sede vacante. 1007
Cap. I. — De capituli jurisdictione sede vacante. 1007
§ 1. — Capitulum explet vicem episcopi in regimine diœcesis. *Ibid.*
§ 2. — Jura quæ, sede vacante, ad capitulum spectant. 1008
§ 3. — In quibus actibus capitulum sede vacante episcopo non succedit. 1011
§ 4. — Dubia. 1012
Cap. II. — A quo tempore jurisdictio episcopalis transeat in capitulum, et capitulo liceat eam exercere; et a quo tempore currere incipiant octo dies ad deputandum vicarium capitularem. 1015
Cap. III. — De œconomo, vicario aut vicariis capitularibus eligendis. 1017

1 — Circa constitutionem, officium et potestatem horum generaliter notanda. *Ibid.*
§ 2 — De œconomo. 1018
§ 3.— De vicario capitulari. 1019
§ 4. — De collegiatis, vacante sede sui prælati jurisdictionem quasi episcopalem habentis. 1038
Cap. IV. — De potestate et jurisdictione vicarii capitularis. *Ibid.*
§ 1. — Simul ac electus, protinus privatam quoad capitulum habet jurisdictionem. *Ibid.*
§ 2. — Extensio jurisdictionis vicarii capitularis. 1040
§ 3. — Limitatio jurisdictionis vicarii capitularis. 1051
Cap. V. — De vicarii capitularis competenti salario. 1052
Cap. VI. — De cessatione potestatis capituli et vicarii capitularis. 1053
Cap. VII. — Quomodo capitulum et vicarius capitularis teneantur novo episcopo rationem reddere suæ administrationis. 1055
Sectio III. — Caput unicum. — De variis ex capitulo commissionibus extractis et a jure decretis. *Ibid.*
§ 1. — Commissio fabricæ ecclesiæ cathedralis. *Ibid.*
§ 2. — Commissio deputatorum canonicorum pro administratione spirituali seminarii. 1056
§ 3. — Commissio deputatorum pro administratione temporali seminarii. 1058
§ 4. — Commissio deputatorum pro reddenda ratione administrationis seminarii. 1060
§ 5. — Commissio super ordinandorum examinibus. *Ibid.*
§ 6. — Commissio super librorum examine. 1061
§ 7. — Consilium episcopi peculiare. 1063
§ 8.— Judices synodales. *Ibid.*
§ 9. — Judices conservatores, *Ibid.*
§ 10. — Examinatores synodales. 1064
Conclusio. 1065
Lib. V. — *De seminariis et ordinandis clericis.* 1066
Sectio I. — De seminariis. *Ibid.*
Cap. I. - De origine et institutione seminariorum. *Ibid.*
Cap. II. — De supremo regimine seminariorum a concilio Tridentino instituto et decreto. 1069
§ 1. — De necessitate consilii deputatorum in regimine seminariorum. *Ibid.*
§ 2. — De quibusnam rebus consuli debent deputati. 1070
§ 3. — De commissione administrationi seminariorum præposita quoad Galliam. 1075
§ 4. — Praxis administrandi cum prædictis commissionibus seminarii a sancto Carolo Borromæo statuta. 1076
§ 5. — Ex commissionibus pendent omnia diœcesis seminaria. 1077
Cap. III. — De sustentatione temporali seminariorum. *Ibid.*
§ 1. — Quibus reditibus suppeditatur expensis seminariorum. *Ibid.*
§ 2. — Quomodo taxa, diœcesanis pro seminariis imposita, solvitur. 1079
§ 3. — De unione beneficiorum simplicium seminariis facta. 1080
Cap. IV. — De rectore, magistris seu præceptoribus et aliis ministris seu officialibus ecclesiasticis seminariorum. 1081
§ 1. — Prænotanda ex jure antiquo et jure Tridentino. *Ibid.*
§ 2. — De pensionibus seminariorum professoribus concessis ; et de scientia et aliis dotibus quæ ex istis requiruntur. 1085
§ 3. — Duplex genus seminariorum. 1087
§ 4. — His prænotatis, quid juris sit de electione rectoris, magistrorum et aliorum officialium seminarii. 1088
§ 5. — De digna, gravi et stabili seminarii constitutione cum melioribus, tum pro clericis educandis, tum pro diœcesi fructibus sperandis. 1089
§ 6. — De parvis seminariis. 1090
§ 7. — De professione fidei ab omnibus magistris facienda. 1091
§ 8. — Materies studiorum. *Ibid.*
Cap. V. — De ministris inferioribus seu laicis seminariorum. *Ibid.*
Cap. VI. — De alumnis seu scholaribus seminariorum de eorum electione, regula, correctione et expulsione. *Ibid.*
Cap. VII.— De institutione alumnorum seminariorum, in ecclesiasticis scientiis et disciplinis. 1094
Cap. VIII. — De præcedentia et servitio in divinis seminarii, de ejus administratione et visitatione. 1096
Cap. IX. — De seminariis ordinibus vel congregationibus religiosis commissis. 1097
Sectio II. — De ordinandis clericis. 1099
Cap. I. — De ordinis hierarchia. *Ibid.*
Cap. II. — A quo sit quisque ordinandus. 1105
§ 1. — Potestas summi pontificis quoad ordines. *Ibid.*
§ 2. — Quibus modis quis subditus episcopi fieri potest. 1106
§ 3. — De litteris dimissoriis. 1109
§ 4. — Valide, sed non licite, quis a quocumque episcopo consecrari potest. 1111
Cap. III. — De impedimentis quibus prohibitur et conferre et suscipere ordines, et de irregularitatibus et censuris quoad ordines suscipiendos. 1112
§ 1. — De impedimentis quoad validitatem. *Ibid.*
§ 2.— De impedimentis quoad liceitatem ordinationis; seu de irregularitatibus et censuris. 1115
Cap. IV. — De titulo ordinandorum, et de pœnis et obligatione episcopi absque titulo ordinantis. 1151
Cap. V. De ætate, scientia et qualitatibus ordinandorum. 1152
Cap. VI.— De examine ordinandorum, tempore ac loco ordinandi. 1159
Cap. VII. — De exercitiis spiritualibus, et requisitis in collatione ordinum circa materiam et formam sacramenti. 1153
Cap. VIII. — De episcopi potestate jubendi et ex informata conscientia prohibendi ascensum ad ordines pro seminaristis et pro non seminaristis. 1159
Cap. IX. — De obligationibus, juribus et privilegiis ordinandorum et ordinatorum. 1166
Cap.X.—De regularibus ordinandis. 1173
§ 1. — De abbatum potestate tonsuram et minores ordines licite et valide conferendi. *Ibid.*
§ 2. — De potestate episcopi quoad ordinandos regulares, et de horum juribus. 1177
Cap. XI. — De pœnis male ordinantium et male ordinatorum. 1181
Lib. IV. — *De parochis, rectoribus, capellanis et parochialibus vicariis.* 1185
Sectio I. — De parochis et rectoribus ecclesiarum parochialium. *Ibid.*
Cap. I. — De origine et notione parochiæ et parochorum. *Ibid.*
Cap. II. — De essentia parochiæ et parochialis, contra parochismi seu presbyteriasmi systema. 1191
§ 1. — Quid sit parochismus. *Ibid.*
§ 2. — Refelluntur parochismi defensores. 1192
§ 3. — De parochialis essentia et recta notione. 1198
Cap. III. — De essentia et natura parochiæ et parochialis ex Ecclesiæ juribus; et de parochiano. 1202
§ 1. — Notio historica et theorica. *Ibid.*
§ 2. — Ex antiquis canonibus. 1204
§ 3. — Ex decretalibus. 1206
§ 4. — Ex concilio Tridentino. 1208
§ 5. — Conclusio, quæ ex juribus erui videtur. 1210
§ 6. — Ex canonistis et decisionibus tribunalium Romanorum. 1212
§ 7. — Ex conciliis particularibus. 1228
§ 8. — Quorumdam parochorum amovibilitas nihil probat contra perpetuitatem officio parochiali essentialem.
§ 9. — Definitiones ex prædictis deductæ.
§ 10.—De variis parochiarum speciebus.
§ 11. De juribus parochialibus Ecclesiæ.
§ 12. — De parochianis.

Cap IV.— De variis parochorum specibus, de vicariis curatis, et de utrorum jurisdictione. 1257
§ 1. — De parocho generatim. *ibid.*
§ 2. — De qualitatibus parochi generatim. *ibid.*
§ 3. — De jurisdictione parochorum generatim. 1259
Cap. V.— De canonica parochiarum constitutione et suppressione. 1240
§ 1.— De canonica parochiarum constitutione. *ibid.*
§ 2. De parochiarum erectione per viam creationis. 1242
§ 3. — De parochiarum erectione per viam dismembrationis. *Ibid.*
§ 4. — De appellatione a decreto episcopi novam parochiam erigentis per dismembrationem. 1252
§ 5. — De unione parochiarum. 1253
§ 6. — De jure patronatus in Ecclesiis parochialibus. 1258
§ 7. — De ecclesiarum parochialium alteratione et suppressione. 1266
Cap. VI.— De capellis parochiarum, et de fundationibus missarum etc., sive in capellis, sive in ecclesiis parochialibus. *Ibid.*
§ 1.— De capellaniis generatim. *Ibid.*
§ 2. — De capellis separatis. 1267
§ 3. — Quotuplicis generis sint capellaniæ. 1270
§ 4.— De jure capellaniarum. 1272
§ 5. — De capellaniis ad parochiam essentialiter pertinentibus. 1274
Cap. VII.—De promotione et institutione parochorum, et electione vicariorum curatorum, sive perpetuorum sive revocabilium. 1275
§ 1. — Ad quem pertineat potestas rectores parochiis præficiendi. *ibid.*
§ 2. — De jure reservationis. 1277
§ 3. — Jure pontificio ad episcopos pertinet potestas rectores parochiis præficiendi. 1283
§ 4. — De potestate vicarii generalis episcopi quoad parœciarum collationem. 1285
§ 5. — De potestate capituli et vicarii capitularis circa eamdem collationem. 1285
§ 6 — Quis valeat constitui parochus seu de requisitis ad parochiale officium qualitatibus. 1286
§ 7. — De canonica forma constituendi parochos. 1288
Ex concilio Trident. et bullis sancti Pii V *In conferendis*, Benedicti XIV. *Cum illud*, etc.
§ 8. — Series actuum et requisitorum pro canonica parocharum institutione. 1301
§ 9. — De institutione parochorum in ecclesiis juris patronatus. 1321
§ 10.— De vicariis perpetuis parochiarum unitarum. 1323
§ 11.— Vota populi audienda sunt in electione parochorum. 1324
Cap. VIII.— De Galliarum parochis et rectoribus ecclesiarum(etiam succursalium) ex Concordato anni 1801. *Ibid.*
§ 1.— Stabilitur jus particulare *Ibid.*
§ 2. — De consuetudine et praxi Galliarum ex Concordato anni 1801. 1331
§ 3. — De revocabilitate parochorum seu rectorum deservitorum ex praxi Galliarum post Concordatum anni 1801. 1338
§ 4. — De translatione aut revocabilitate rectorum deservitorum ex conciliis. 1342
§ 5. — An rectores succursalium, etsi amovibiles, legi concursus Tridentinæ subjiciantur. 1345
Cap. IX.— De installatione seu possessionis apprehensione parochorum, et de professione fidei ab ipsis facienda. 1347
§ 1. — De installatione parochorum. *Ibid.*
§ 2. — De fidei professione. *Ibid.*
§ 3. — De installatione et fidei professione parochorum quoad Gallias. 1350
Cap. X.— De obligationibus parochorum, rectorum parochialium et vicariorum curatorum, et de eorumdem potes[illegible] 1355
Art. I. — Parochus erga superiores, semetipsum, cœquales et civilem potestatem. *ibid.*
§ 1. — De parochorum obligationibus erga S. sedem Apost. *Ibid.*
§ 2. — De parochorum obligationibus erga episcopum. 1354
§ 3. — Parochus quoad semetipsum. 1357
§ 4. — De parochi obligationibus erga suos vicarios, si habeat, et alios sacerdotes et clericos. 1358
§ 5.— De parochi obligationibus erga civilem potestatem et ejusdem officiales. 1362
Art. II. — Parochus erga parochianos. 1365
§ 1. — De parochi muniis generatim. *Ibid.*
§ 2. — De parochi obligatione orandi, missam et sacram liturgiam celebrandi. 1366
§ 3. — De obligatione parochorum prædicandi et docendi. 1378
§ 4. — De obligatione parochorum circa sacramentorum administrationem. 1391
Tabula de sacramentis. 1395
§ 5. — De baptismi administratione. 1399
§ 6. — De pœnitentiæ sacramento. 1416
Cap. XI. — De SS. Eucharistiæ sacramento. 1426
§ 1. — De Ecclesiæ munditia. *Ibid.*
§ 2. — De SS. Eucharistiæ custodia. 1427
§ 3. — Ubi SS. Sacramentum asservari nequit. 1428
§ 4.— De communione adulterorum. 1430
§ 5. — De puerorum communione. 1435
§ 6. — De infirmorum communione. 1436
§ 7. — De cultu SS. Eucharistiæ. 1438
§ 8. — De missa et missarum oneribus. 1439
Cap XII. — De extremæ unctionis sacramento. 1440
§ 1.— De ministro extremæ unctionis. *Ibid.*
§ 2. — De subjecto extremæ unctionis. 1441
§ 3. — De oleo consecrato. 1442
§ 4. — De infirmorum visitatione et agonizantium assistentia. 1443
Cap. XIII. — De matrimonii sacramento 1444
§ 1. — De matrimoniis assistendi potestate. *Ibid.*
§ 2. — De assistentia parochi et testium. 1449
§ 3. — De bannis seu denuntiationibus. 1452
§ 4. — De tempore matrimonii celebrandi. 1456
§ 5. — De matrimoniorum libro. 1457
§ 6. — De loco celebrandi matrimonii. *Ibid.*
§ 7. — De matrimonii impedimentis. *Ibid.*
§ 8.— De potestate dispensandi in impedimentis matrimonii, 1473
§ 9. — De dispensatione in radice, et de revalidatione matrimonii. 1479
§ 10. — De matrimoniorum judiciis et defensore. 1485
§ 11. — De matrimoniis secretis. 1486
Cap. XIV. — De aliis parochi obligationibus erga parochianos. 1487
§ 1. — De parochiæ et familiarum, præsertim pauperum visitatione. *Ibid.*
§ 2. — De parochi obligatione erga parochianos defunctos. 1489
§ 3. — De parochi obligationibus erga confraternitates. 1503
§ 3. — De indulgentiis. 1508
§ 5. — De libris seu regestis quos tenere debet parochus. 1513
Cap. XV. — De parochi obligationibus erga ecclesiam materialem, capellas si sint, et fabricam ecclesiæ. 1519
§ 1. — De reparatione ecclesiæ parochialis et capellarum. *Ibid.*
§ 2. — De administratione bonorum ecclesiasticorum juxta leges canonicas, et de fabricis parochiarum. 1522
§ 3. — De alienatione bonorum immobilium et mobilium preciosorum. 1527
§ 4. — De sedilis in ecclesia. 1532
Cap. XVI. — De residentia et habitatione parochorum. 1534
§ 1. — Ad omnia munia huc usque descripta, necessaria est residentia. *Ibid.*

§ 2. — Residentia materialis non sufficit, sed necessaria est formalis. 1536
§ 3. — Quo casu ex licentia episcopi abesse potest parochus. *Ibid.*
§ 4. — Quas pœnas incurrit parochus absque legitima causa non residens. 1539
Cap. XVII. — De juribus parochorum et functionibus parochialibus. 1540
§ 1. — De juribus parochialibus generatim. 1540
§ 2.—De jure parochorum nominandi et amovendi coadjutores suos seu vicarios. 1541
§ 3. — De vicariis. 1544
§ 4. — De jure parochi quoad sacramenta. 1548
§ 5. — De jure parochi quoad oblationes. *Ibid.*
§ 6. — De jure parochi quoad decimas et quæstas. 1552
§ 7. — De jure parochi quoad funeralia. 1555
§ 8. — De variis juribus quoad parochos. 1563
§ 9. — Parochus quoad ea quæ concernunt immunitatem. 1564
§ 10. — De præcedentia parochi. 1565
Ca. XIX. — De norma canonica parachos removendi. 1568
§ 1. — Norma beneficiatos removendi per degradationem. *Ibid.*
§ 2. — Norma removendi per depositionem seu beneficii privationem. *Ibid.*
§ 3. — De pœna privationis ob certas quasdam omissionis culpas. 1570
§ 4. — De pœna privationis ob varia delicta commissionis. 1571
§ 5. — De privatione ob concubinatum, et ob simplicem fornicationem. 1572
§ 6. — Norma beneficiatos removendi per suspensionem. 1575
§ 7. — Norma removendi parochos sæculares parochiale beneficium perpetuum est.
§ 8. — Norma removendi parochos sæculares tum episcopi amovibiles.
§ 9. — De permutationibus inter parochos.
§ 10. Norma removendi vicarios curatos, ad n cujus capituli seu monasterii amovibiles.
§ 11. — Norma removendi parochos regulares sive).
Cap. XX. — De vicariis parochialibus.
§ 1 — Vicarii perpetui institutio, jura et offic
§ 2. — Quod duplex sit vicariorum temporalium
§ 3. — De vicario parochiali, qui vacante par eam regendam deputatur, donec novus rector i stitutus fuerit.
§ 4. — De vicario, qui absenti parocho sub
§ 5. — De vicariis parochialibus, qui parocho et parochiam administranti auxiliantur.
§ 6. — De jurisdictione ejusmodi vicariorum rum.
§ 7. — De vicariorum parochialium amotione e tione.
§ 8. — De obligationibus vicariorum parochialiu
Cap. XXI. — De capellanis monialium.
Cap. XXII. — De capellanis hospitalium *et sch* et de seminariis.
§ 1. — Quotuplici modo jurisdictio quasi parc hospitalium capellanis competit.
§ 2. — De capellanis collegiorum seu scholarum tutis educandæ.
§ 3. — De seminariis.
Cap. XXIII. — De capellanis militum et navium

FINIS

Parisiis. — Ex Typis J.-P. *Mi*



C 11108.61
Juris canonici universi :
Widener Library 003348222
3 2044 081 845 968